37
1 D
10

RESOLVTIONES MORALES QVOTIDIANAE

VTROQVE IVRE EXORNATAE,

Iuncta in cunctis D. Thomæ, & aliorum Patrum cum recentioribus doctrina.

AVCTORE

P. D. ANTONIO VOLPI

ORIGINARIO CIVITATIS COMI

Mediol. C. R. Som. V. I. D. & S. T. Prof.

Cum Indice in fine Operis copiosissimo.

ROMAE.

Typis Michaelis Herculis. M. DC. LXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

D. HIERONYMVS GALLIANVS PRAEPOS. GENERALIS
Clericorum Regularium Congregationis Somaschæ.

OPus casuum conscientiæ, cuius titulus, *Resolutiones morales quotidianæ R. Patris D. Antonij Volpi* nostræ Congregationis sacerdotis professi, iam à grauibus, & doctis viris, quibus illius examen à prædecessore nostro commissum est, approbatum, Tenore præsentium, si ijs, ad quos spectat, videbitur, typis mandari concedimus. Et in fidem has litteras manu propria subscriptas, sigilloque nostri officij munitas dedimus.

Romę in Collegio S. Blasij Montis Citorij, die decimaquinta Decembris anni 1668.

D. Hieronymus Gallianus Prapos. Generalis Congr. Somascha

D. Antonius Barianus à Secretis.

Imprimatur

Si videbitur Reuerendiss. P. S. P. Apost. Magistro

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

IVssu Reuerendiss. P. Hyacinthi Libelli Sac. Pal. Apost. Magistri, vidi opus inscriptũ *Resol. Morales quotidianæ, Ad. R. Patris D. Antonij Volpi I. V. D. ac S. T. Profess.* nihilque in eo reperi, quod vel Fidei Cath. vel bonis moribus, vel Pontificum Decretis aduersetur, vnde prælo dignum iudico. Dat. Romæ in Coll. S. Caroli die 6. Maij 1669.

D. Iuuentius Tortus C. R. S. *Pauli* S. T. P. & P. *Generalis Assist.*

Imprimatur

Fr. Hyacinthus Libellus Sacr. Pal. Apost. Magist.

SANCTISS. D. N.
CLEMENTI X.
PONT. OPT. MAX.
ANTONIVS VOLPI C. R. S.

Salutem, & felicitatem.

GEMMA est facilè omnium nitidissima, Beatissime Pater, in qua natura genuit lucem cum pretio, & nihilominus trahit Adamas paleam. Planeta est cæterorum fulgentissimus, qui totam Orbi pulchritudinem facit; & tamen suum ad se rapit Helitropium Sol. Sydus est in Vrsa Polari maximum, cui omnia litantur vota nauigantium; & reuerà Magnètem amat, quãtumlibet rudissimum, Sydus. Vsque adeò si quid virtute, aut nobili eminet loco, idipsum ad ima hæc, & vulgaria descendere, benigno quodam naturæ instinctu non dedignatur. Et hoc sanè in causa est, ne mihi, aut vitio, aut audaciæ verti debeat, si exiguum hoc Theologicum Opus morale, vtroque iure exornatũ, CLEMENTI X. Pontifici Maximo deferri velim; quod ipse vult sibi esse omninò delatum. Nec enim potes non velle quod tuũ est, Beatissime Pater, nempè quod Religione, pietate, ac sanctimonia plenum, ad colendam Christiani Orbis disciplinam attinere videtur. Quamuis ergo aut nihil, aut parum formæ

auctor

auctor suus in ipsum contulerit, materia saltem non displicebit; imo cum feceris tuum, prorsus arbitror placiturum. Videlicet satis est aliquid esse Tui iuris, vt illud æstimationem præseferat omnem, nec aliunde pretia mendicet. Porrò liber est, quemadmodum ad Thronum Dei septem sigillis ferè clausus, cui aperiẽdo nullus præter Agnum sufficiet, cum Tu solus in eo legas meæ Religionis Somaschensis debita, quam fauoribus à Te maximis auctam noui, & nouisse iam glorior. Tunc verò non dum Cardinalitia insignitus purpura, nondum eras Pontificia Corona donatus, & manu tamen regali munificentiam in ea exercebas. Et quid hoc temporis non accipiet, cum omnes beneficentiæ arculas Regiæ tuæ Claues aperiant in vota mortalium exhauriendas? Hoc autem votis rogo ardentioribus, vt meum non renuas opusculum, veneratione omni, obsequio, pijque animi cultu aris tuis omninò deuotum. Qualiscumque sit Ecclesiæ nuptæ gloria, hæc Te Salomonem suum decet. Venit ergo de sterili deserto, sed tamen delicijs affluens, quia Tibi nixa est. Excipe Sunamitidem, & quæ in doctrinæ robore vellet videri castrorum acies, in Te ad vitia omnia debellanda pulcherrimè armato, stationem inueniat. Vale Pontificum Gloria, æternumque ad Christiani Orbis tutamen, & decus, viue.

ABSOLVERE
INTRODVCTIO.

SVMMARIVM.

1 *Absoluere verbum est generale tam in iudicio forensi, quam pœnitentiæ, eius forma in isto num. 2. quæ verba sint in eodem necessaria simpliciter, & quæ ad bene esse. num. 3.*
Indefinita æquipollent vniuersali.
4 *Absolutio impersonaliter data, est nulla, licet adsit intentio Confessarij absoluentis, & contraria opinio est falsa, non hæretica, sed contra communem. n. seq.*
5 *Intentio in mente retenta nihil operatur.*
6 *Absolutio profertur per verba imperatoria, vnde per verba deprecatoria est inualida. Si detur per ly Absoluatur, Petrus dicunt multi esse validam, licet adsit ratio in contrarium, omnes tamen concedunt illicitum, & præsumptuosum esse mutare formam, esseque veniale, nisi mutatio sit substantialis quo casu non conficeretur Sacramentum. num. 7.*
8 *Sacramentum pœnitentiæ conficitur prolatis verbis formæ, vnde si ante eius integram prolationem pænitens moreretur, saluari non posset, nisi præcessisset contritio.*
9 *Attritio si dubitetur an fuerit habita in confessione, sed probabiliter existimetur habitam, sufficit eam explere, etiam postea, quando hoc in dubium venerit.*

1 VErbum istud, Absoluere, sicut in foro contentioso importat liberationem ab omni inquisitione, si iudicium sit criminale, & ab omni debito, si ciuile, de illis tamen, quæ deducta fuere in processibus, si saltem indefinitè illo in sententia Iudex vtatur, quia indefinita æquipollent vniuersali. *l. si necessarias, §. si annua, ff. de pignor. act.* ita etiam in foro pœnitentiæ ex praxi quotidiana; imò sicut in illo trahit secum exequutionem, vt docet *Bart. in l. metum, §. sed quod Prætor, num. 1. ff. quod met. causa, & in l. miles, §. qui iudicati, num. 2. ff. de re iudic.* ita in isto, cuius forma consistit in illis verbis
2 (Ego te absoluo) *Trident. sess. 14. cap. docet præterea 3. de pœnit.* Quamuis autem illud pronomen (Ego) contineatur sub verbo (Absoluo) & quod propterea subintelligatur, etiam si non exprimatur, vt docent *Suar. in 3. p. D. Thom. tom. 4. disp. 19. sect. 1. num. 17. & alij*; non est tamen recedendum à verbis Concilij præcipuè extra casum necessitatis, etiam antea communiter ab Ecclesia per vsum receptis, vt testatur *D. Tho. 3. p. qu. 84:*
3 *ar. 3. in corp.* verùm non esse de formæ necessitate addenda illa verba (à peccatis tuis) probat *P. Dian. p. 11. tract. 6. resol. 11.* contra *P. Pasqual. ibi citat.* & asserentem non sufficere, nisi saltem addatur (à peccatis) & quamuis laudabiliter prædicta verba, & preces quædam, quæ leguntur in Rituali Romano, & transcribuntur *ab Eman. Sà v. absolutio, §. 1. & alijs*, de Ecclesiæ Sanctæ more adiungi soleant, ad ipsius tamen formæ essentiam nequaquam spectant, neque ad Sacramenti administrationem sunt necessaria, vt in citato *cap. 3. Trid.* Sed absque causa neutra esse prætermittenda rectè dicit *Tolet. lib. 3. cap. 12. num. 1.* quæ sufficiens erit si penitens sæpè confiteatur, vel si mors instet, secundùm *Sà vbi supra*.

Hinc sequitur nullam esse absolutio-
4 nem datam a Confessario, qui solum dixit, Absoluo, etiam si intentio feratur in pœnitentem, quia vltra dimidiationem formæ non sufficit intentio, quamuis constet de persona absoluta, vti præsente, sed verba debent esse sensibilia, alioquin nulla verba essent necessaria, si satis esset Confessarij intentio, & consequenter gratis Ecclesia *in Trident. cit.* assignasset formam, concordat *text. in l. cum in plures, §. locator, ff. locati.* vbi intentio in mente retenta nihil operatur
5 *Soccin. in consil. 28. in princip.* quod adeò verum est, vt fuerit aliquando controuersum, an talis Confessarius esset Sāčto Officio denunciandus, vt scribit *Dian. dicta resol. 11. in fin.* licet postea iuxta sententiam DD. virorum iudicatum fuerit dictam opinionem esse falsam, & contra communem, non autem hæreticam, vt testatur *Maranta in respons. Iur. tom. 5. respons. 58. num. 21.*

Sed quia in hoc Tribunali proceditur ad instar iudicij, in quo à Confessario, veluti à Iudice sententia profertur, vt legitur

6 in eodem Trid. sess. cit. cap. 6. & Iudex procedit ad modum imperantis, non deprecantis, l. ius pluribus, ff. de iustit. & iure, ibi, Praetor salua maiestate imperij sui, &c. l. quod iussit, ff. de re iudic. & alibi passim, dubitari potest an valida sit absolutio, si tribuatur per verba deprecatoria, verb. gr. Absoluat te Christus, & negatiuam sententiam docent D. Thom. loco cit. ad 1. Suar. ex Sot. Nauarr. & alijs dicta sect. 1. n. 24. quia per talia verba (ait Sanctus) nō significat Sacerdos absolutionem fieri, sed petit vt fiat, addit Suarez, quia forma deprecantis pugnat cum forma imperantis (pro quo facit tex. in l. vbi repugnantia, ff. de regul. iur.) docet tamen valere
7 si dicatur à Confessario, absoluatur Petrus, sicut valet Baptismus dicendo, baptizetur Petrus, quia ista sunt etiam verba imperatiua, quae sunt propria Iudicis, quod etiam ex Scoto, Caiet. Vasq. & alijs vult Dian. par. 5. tract. 13. resol. 34. idem tamen Suar. fatetur praesumptuosum, & valdè illicitum esse mutare formam praedictam Concilij, subditque Dian. cit. resol. 13 ex Amico in curs. Theol. tom. 8. disp. 11. sect. 1. num. 31. peccare Confessarium eam mutantem, licet per aequipollens, sed non mortaliter, per mutationem autem substantialem redderetur inualidum, seù non conficeretur Sacramentum, vt supra dictum est.

8 Conficitur ergo hoc Sacramentum prolatis verbis formae relatae, vnde si antequam proferatur pronomen (te) etiam si dictum fuerit (Absoluo) moreretur pęnitens, esset in statu damnationis, vt docent D. Cardin. de Lugo, & alij apud Dian. p. 11. tract. 6. resol. 12. nisi praecessisset contritio, quia attritio eo casu non sufficeret, vt infra v. Contritio, patetque ex Trid. sess. 14. cap. 4. de poenit. Addit tamen Dian. ibid. ex cit. Amico sect. 2. num. 23. quod si poenitens non sit dispositus, nisi in fine prolationis illorum verborum (à peccatis tuis) in prolatione eorumdem verborum accipiat gratiam sacramentalem, quod vtique si verum esset, fateri etiam oporteret, verba praedicta esse partem, & complementum formae, quod supra probatum est ex eodem Dian. cit. resol. 11. esse falsum; nam attritio, quae est dispositio ad Sacramentum, sicut sufficit, si habeatur ante confessionem in ordine ad eam, vel in ipsa confessione, ità etiam dum forma profertur, sed non post prolatam, aliàs dum scitum est ex Trid. cit. cap. 3. & omnibus attritionem esse materiam huius sacramenti, illa deficiente, & forma completa, & pro valida habita, daretur forma sine materia, quod etiam in naturalibus est impossibile, vt cunctis patet, & propterea posito quod forma sit completa, prolatis verbis (Ego absoluo te) si attritio superueniat, dum subditur (à peccatis tuis) & antea nec habita fuit, non recipitur gratia, vt ex Suarez, & alijs probauit D. Cardin. de Lugo de sacram. poenit. dispnt. 13. sect. 2. §. 1. num. 34. apud eundem Dian. dicta resol. 12. §. 1. vbi recitat verba eiusdem, hoc tamen intelligitur quando certus est poeni-
9 tens non habuisse attritionem, vsq; ad prolationem praedictorū verborum, quia si probabiliter credit eam habuisse, licet reuerà non habuerit, satis erit eā concipere postea, quandocunq; dubitauerit de non habita, & tunc gratiam recipiet, vt infra de confess. informi resol. 144. num. 20.

Vtrum Absolutio conditionalis valeat?

SVMMARIVM.

1 *Conditiones sunt in triplici differentia vt infra.*

2 *Conditio nulla est apponenda in absolutione, nisi solum quando dubitatur ex obliuione an fuerit impartita absolutio, & de forma talis absolutionis.*

3 *Absolutio cum conditione de praeterito, vel de praesenti circa rem, quae vti remota à loco confessionis sciri hic, & nunc pro certo non potest, non valet.*

4 *Stipulationes sub conditione conceptae, quando valeant, & quando non?*

5 *Absolutio tradita cum conditione ridicula, etiamsi sit de praeterito, vel de praesenti, nulla est: Cum conditione de futuro, sed certè extituro, dummodò non sit ridicula, valida est, n. 6. verū de futuro incerto, etiā si sit certum poenitenti, sed non Confessario, est inualida, num. 7. prout etiam si sit cum conditione de ratihabitione à Superiore, num. 8.*

Resolutio I.

1 NOtissimum est triplicem dari conditionem de praeterito scilicet, de praesenti,

senti, & de futuro, §. conditiones, iuncta *Gloss.instit. de verb. oblig.* vbi legitur obligationes conditionales, quæ ad præteritum, vel præsens tempus referuntur, vel statim eas infirmare, vel omninò non differre, veluti si Titius consul fuit, vel si Mæuius viuit dare spondes; nam si ea ità non sunt, nihil valet stipulatio, sin autem ità se habent, statim valet; obligationes verò eum conditione de futuro, aut eertum est eam exituram, veluti si moriar, & statim valet, diciturque purificata conditio *l.* 1. *§. cum dies, ff. de condit. & demonstr.* aut est incertum, veluti, cum moriar, & valida etiam est obligatio, sed suspenditur exequutio, donec purificetur conditio, *dicta l.* 1. *§. dies autem*.

2 His positis respondet ad quæsitum *Tolet. lib.* 3. *cap.* 12. *num.* 4. nullas conditiones esse in absolutione apponendas, nisi eam solum, quando ex obliuione dubitat Confessarius an dederit absolutionem, tunc posse dicere, Si non es absolutus, ego te absoluo, concordat *Regin. lib.* 8. *num.* 7. *ex Nauarr. in summa cap.* 26. *num.* 12. quia vt ipse ait, & verum dicit, idem obseruatur in baptismo, quando de eo dato dubitatur, nempè si non es baptizatus, ego te baptizo, additque *Tolet.* quod si de facto duæ priores conditiones apponantur, licet malè faciat Confessarius, valere nihilominus absolutionem; si verò tertia, inualidam esse, quæ tamen doctrina sic indistinctè

3 sumpta (eum pace) vera non est; absolutio enim cum conditione de præterito, vel de præsenti, de re, cuius existentia non potest moraliter sciri à Confessario, & pœnitente, eodem tempore, quo datur absolutio, inualida est, licet nota sit Deo, qui omnia vti sibi præsentia scit, & videt, DD. apud P. *Dian. p.* 11. *tract.* 4. *resol.* 18. *sub initio*.

4 Quamuis enim stipulationes eum talibus conditionibus conceptæ, valeant, vt dictum, est, & legitur etiam in *l. cum ad præsens, ff. si cert. pet.* vbi fit promissio de soluendo, si Rex Parthorum viuit, quæ si tempore promissionis, ille viuebat, valida est, licet suspendatur exequutio, donec veritas sciatur; in Sacramentis tamen hoc locum habere non potest, cum statim conferant gratiam, vel non conficiantur; scire enim debet Ecclesia, seù Confessarius, & pœnitens an Sacramentum validè collatum sit, valdèque insanus diceretur pœnitens, qui rem tanti ponderis reseruaret conditioni saltim pro illo tunc sibi incertę, medio quo tempore, si mors contingeret, & vera non esset, damnaretur; peccare etiam Confessarium propter periculum, in quod posuit pœnitentem, & quia mutauit formam vsualem Ecclesię, docet *Sot. in* 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *ar.* 3.

5 Vlterius absolutio data cum talibus conditionibus videtur ridicula secundum alia similia exempla tradita per *Dian. cit.* vbi dicit verisimile non esse, quod Deus admittat talem Sacramenti formam ridiculam, quod etiam percipitur ex *Trid. sess.* 14. *cap.* 6. ibi, aut Sacerdoti animus seriò agendi desit. &c. si verò conditio sit de re, quæ certò scitur, dum conficitur Sacramentum siue de præterito, siue de præsenti, nec est ridicula, valida est absolutio, veluti si restituisti, vel si possum, te absoluo, *Nauarr. dicto num.* 12. *Graph. lib.* 1. *decis. cap.* 32. *num.* 2. vbi hoc exemplificat in Confessario dubitante de vsu rationis pœnitentis, quo in casu, & similibus hoc fieri solet, & potest absque peccato, Dian. vbi supra.

6 Circa verò absolutionem cum conditione de futuro, distinguo, aut loquimur de ea, quam certum est futuram esse, vt absoluo te, si morieris, & sicut valet obligatio tali modo concepta, vt in *cit. iuribus, & l. quod si de condit. indeb.* ita etiam absolutio, quia mors vltra experientiam, est de fide, *Paul. ad Roman.* 5. simile exemplum tradit *Dian. loco cit. versic. sed contra*, scilicet, absoluo te, si Antichristus futurus sit (quod didicit ex *Gl.* ab eo non *cit. in dicta l. quod si.* per quas conditiones, nec suspenditur effectus Sacramenti, nec sunt ridiculæ. quæ erant inconuenientia opinionis negatiuæ, in illis casibus relatæ, sed nihilominus puto peccare Confessarium, ex quo in materia graui Sacramentorum mutat stylum Ecclesiæ, dum tales formæ non sunt in vsu, vt etiam docent *Soto cit.*

7 *& Regin. vbi supra num.* 3. Si verò conditio est de futuro incerto, vt putà, absoluo te, si restitutionem facies, quod est incertum Confessario, licet possit esse certum pœnitenti (quod non sufficit) vel huiusmodi, inualida est absolutio, quia suspenditur effectus Sacramenti, licet vtroque casu inualidam putauerint *Coninch. & à. Cardin. de Lugo à Dian. ibid. relati, vltra quos ijdem Nauarr.*

narr.cit.& Regin.lib.8.num.6. cum Graph.vbi
*ſupra num.*1.omiſſi à præfato Patre, quos
ego non ſequor,ſed relatam diſtinctionem.
8 Sub hac tertia conditione de futuro po-
nit *Tolet. loco cit.* abſolutionem datam à
Confeſsario in caſibus reſeruatis, ſi Epiſco-
pus conſenſerit,& conſequenter inualidam,
quam vocat abſolutionem cum ratihabi-
tione, quod ego quoque verum puto, ex al-
lata ratione, quia ſcilicet non poteſt ſuſpen-
di effectus abſolutionis, qui eſt gratiam
per Sacramentum conferre, quod antea
docuit *Caiet.in Summula v. abſolutio à pecca-*
tis, verſic. circa appoſitionem conditionalem,
ſequitur *Regin.cit.d.num.6.* de qua quæſtio-
ne latiùs infrà *reſol.163.num.* 14.

An debeat abſolui pœnitens, quem aliundè, & pro certo ſcit Confeſſarius peccaſſe mortaliter, & non confeſſum fuiſſe, ſi ipſe interrogatus neget?

SVMMARIVM.

1 *Eucharistia an poſſit negari Parochiano a Parocho, qui neſcit illum eſſe confeſſum, ſicut aſſerit.*

2 *Confeſſio facta in Iudicio, ſeu foro exteriori in cauſa ciuili cum qualitate, an poſſit pro parte acceptari, & pro parte non. & quid in iudicio Criminali, quidue in foro pœnitentiæ? n.3.*

4 *Abſolutio an poſſit dari pœnitenti neganti peccatum, quod pro certo ſcit Confeſſarius illum commiſiſſe? & num.5.*

6 *Concubinarij notorij ſunt ipſo iure ſuſpenſi.*

7 *Negatiua ſimplex eſt improbabilis, ſecùs ſi ſit coarctata loco,& tempore, & quæ talis ſit. num.ſeq.*

8 *Teſtes deponentes ſuper negatiua ſimplici ſunt falſi,& abſque alia probatione poſſunt vti tales puniri.*

9 *Probationes debent concludere per neceſsè, non per poſſibile.*

10 *Confeſſio in multis caſibus poteſt eſſe mutila, præcipuè ne manifeſtetur complex.*

11 *Famam proximi conſeruare tenemur, etiam de iure naturali.*

12 *Notorium iuris, & notorium facti quæ dicantur, & quando probatione extrinſeca non indigeant?*

13 *Vſurarijs, & concubinarijs publicis exceptis, nemini regulariter poteſt abſolutio Sacramentalis denegari.*

14 *Aequi paratorum eadem eſt diſciplina.*

15 *Regula omnis ſuas habet exceptiones.*

Reſolutio II.

1 EX doctrina *D.Tho. quodlib.* 1. *art.* 12.
in corp.& ad 1. colligunt DD. reſpō-
ſionem affirmatiuam; licet enim ibi diſpu-
tet Sanctus, an poſſit Parochus denegare
Euchariſtiam ſuo ſubdito, dicenti eſſe con-
feſſum, ſi ipſe hoc ignoret, ex illo tamen
caſu *Suar.tom.4.diſp.32.ſect.3.num.9.& alij*
inferunt ad iſtum, ait ergo Sanctus, quod
in foro iudiciali externo, creditur homini
contra ſe,ſed non pro ſe (quod etiam pro-
batur *in l.1.ff. de confeſſ.* vbi nulla eſt maior
probatio, quam oris confeſſio, ſi eſt contra
2 ſe ſimpliciter;ſed quando eſt pro, & contra,
an poſſit pro parte acceptari, & pro parte
reijci, diſtinguit *ex Gl. Boer. & alijs Vrſill.*
*ad Afflict.deciſ.7. num.*12. in cauſa ciuili, in
3 criminali verò fuit ſeruatum contrarium
Neap.contra quendam homicidam, qui in-
tefecto domino ſuo cōfeſſus eſt cum quali-
tate,quia ſcilicet acriter die præcedenti fue-
rat ab eo verberatus,quam qualitatem cum
non probaſſet, fuit per M.C.V. ad mortem
damnatus, & confirmata ſententia in Col-
laterali Concilio, præuia magna diſcuſſione
coram Domino Prorege,fuit laqueo ſuſpē-
ſus, vt refert *Regens de Marin. tom.* 1. *reſol.*
83.quæ deciſio videtur eadem cum relata
per *Regent.San Felic.228.ab eo non cit.*oppoſi-
tum tamen iuxta diſtinctionem *Vrſill.* fuit
practicatum tempore Pręſidentis de *Frāch.*
deciſ.556.in fine.)
Subdit Sanctus, quod in foro pœnitentiæ
creditur homini pro ſe,& contra ſe niſi im-
pedimentum ſit ad forum externum perti-
nens, veluti excommunicatio, tunc non te-
netur Parochus ſuo ſubdito credere, quem
4 excommunicatum nouit, niſi de abſolutio-
ne conſtet; ſi verò impedimentum tēdat ad
forum internum, ſcilicet peccatum,tenetur
ei credere, & iniuſtè agit denegando Eu-
chariſtiam ei, qui perhibet ſe confeſſum,&
abſolutum, qui ſi falſum dicit, pari ratione
poſſet falſum dicere confitendo, & quod
propterea debeat credere Parochus ea,quę
ſibi à ſuo ſubdito in confeſſione dicuntur,
ſequitur *Suar.cit..dicto num.9.* dicens regu-
lariter ſtandum eſſe dicto pœnitentis in
con-

confessione, vnde quantumcumque confessor sciat peccatum pœnitentis ex aliorum relatione, tenetur in hoc iudicio magis credere ipsi pœnitenti, etiam si suis oculis viderit peccatum committi, quia potest probabiliter existimare pœnitentem confessum alteri fuisse de illo peccato, & propterea tunc negare, dum non tenetur illud iterum confiteri; sed addit, quòd si omninò sit euidens illum mentiri contra integritatem confessionis, non teneatur Confessarius ità stare eius dictis, vt nequeat vti scientia sua ad ipsum pœnitentem conuincendum, & redarguendum, & consequenter perseueranti in negatiua negare absolutionem.

5 Quam opinionem sequuntur *Fagun. præcept.2 lib.6.cap.4.nu.38. Sanc.in Select. disp.8. num.6.& seq. Bonac.de pœnit.tom.1.disp.5.sect.5.pun.4. num.33.* vbi citat etiam *Henriq. lib. 6.cap.20.num.6.in fine,* qui loquitur de concubinarijs, in quibus est particularis decisio, & diuersa ratio, vt infra; & propterea non valet illatio, *l. Papinianus exuli, ff. de minorib.* nam si sunt occulti, sed pro certo sciti, licet olim si Sacerdotes erant, nequidem missa ab eis poterat licitè audiri *c.nullus,& c.præter hoc dist. 32.* quia tamen ista iura videntur correcta ex *c.vestra,& c.fin.de de cohabit.cler.& mul.* in quibus hoc statuitur contra notorios tantum, quibus debet negari absolutio, vt etiam dicetur in fine,
6 imò & quod magis est, hodie sunt ipso iure suspensi à diuinis, non solum tales Sacerdotes notorij concubinarij, sed etiam Clerici similes, *ex Trid.sess.22.in decreto de obseru.& euitan.in celebr.missæ,* iuncta decis. S. Congreg. sess.25. post cap.14. de reform. in declarat.eiusd.Concil.num.7. videlicet, si Clerici concubinarij, notorij sunt, etiã hodie ipso iure sunt à Diuinis suspensi, prout in vetere Iure, an autem dicantur suspensi etiam ab officio, vel beneficio; *vide infra resol.188. num.1.& seq.*

Propterea prædictis per *Suar.& alios cit.* non obstantibus, cõtrariam opinionem ego veram existimo, quod scilicet numquam possit Confessarius in casu proposito, Concubinarijs, & Vsurarijs publicis exceptis, vt supra, & infra, negare absolutionem, primò quia practicè loquendo, impossibile est posse Confessarium scire pro certo pœnitentem non fuisse confessum de peccato, etiam à se viso committi; ratio est, quia
7 ageretur hic de probanda, seu habita pro probata negatiua, quæ nisi sit coarctata loco, & tempore non solum est improbabilis secundum *Gl.in c.bonæ memoriæ,23.§.contra, v.per rerũ naturã de elect.* ab omnibus, nemi-
8 ne excepto sequutam, sed testes deponẽtes super ea, vti super re ad certè sciendum impossibili, sunt falsi, & absque alia probatione possunt vti tales puniri. *Iul.Clar.in pract. crim.§.fin.q.52.num.3. & ibi addentes;* siquidem oporteret, vt pœnitens statim cõmisso peccato à Confessario viso, eidem Confessario confiteretur, qui est casus valdè metaphysicus (& hæc dicitur coarctata loco, & tempore) aliàs vt aufugit oculos eius, negatiuam hanc de confessione non sequuta, non solùm nequit asserere Confessarius, sed est impossibilis certa scientia ex dictis,
9 quæ tamen de iure requiritur, quia probationes debent concludere per necesse, non per possibile, *l. neque natales, C.de probationibus,* debentque in criminibus, vt sunt peccata iuxtà *D.Tho.in 4.dist.33.q.1.ar.3. qu.2. arg.2. ex Tob.4.* esse luce meridiana clariores, *l. sciant cuncti, C.eod.tit.*
10 Secundo qnia in multis casibus excusatur pœnitens à materiali integritate confessionis, in quibus si interrogetur à Confessario an peccatum commiserit, potest absq; culpa negare, vt quando ex manifestatione peccati proprij, detegeretur illud complicis cum aliquali damno eiusdem. *Syl.v.cõfessio 3.num.8.* & alij communiter, nosque infrà v.Pœnitentia: ergo quando Confessarius de causa scientiæ habet pœnitentem peccasse, & dato, & non concesso, scire etiã de eo non confessum, & negare, potest credere illud negare, non quia non commiserit, sed quia credat non teneri tunc de eo confiteri, & consequenter debet ipsum absoluere, si in alijs est rectè dispositus, alioquin grauem ipsi pęnitenti iniuriam infert, vt scribit *Megala in 1.par. lib.1. cap.2. n.12.* vbi alijs rationibus hanc sententiam comprobat, sequitur *Dia.p.3. tract.4. resol. 105. ex Sylu.Nauarr.Toles.& alijs.*

Tertio adaptatur præsenti casui ratio supradicta *D.Thomæ,* quod quando in themate ab eo allato falsum dicit pœnitens, pari ratione posset falsum dicere confitendo, circa alia, & propterea debeat Parochus ei credere; sic in proposito, dum putat pœnitens non teneri ad confitendum peccatum, de quo interrogatus à Confessario negat, si propter istius redargutiones, & subtilitates

illud

illud fatebitur, poterit fortasse cum pecca-
11 to proprio fateri illud complicis, & consequenter peccare non solum contra charitatem, sed etiam contra iustitiam, & ius naturale mandantia conseruationẽ famæ proximi; *idem Sanctus in 4. sentent. dist. 17. qu. 3. ar. 3. quæstiunc. 4. ad 5. Pater Lugo de Sacram. pænit. disp. 16. sect. 7. num. 392. apud Dian. p. 6. tract. 7. resol. 9. §. fi. & latè infra res. 150. n. 1*

Quarto faciunt allegata iura, scilicet *c. vestra, & c. fin. de cohabit. Cler. & mulier.* vbi nemini negatur sacramentorum communicatio actiua, & consequenter nec passiua,
12 nisi crimen, de quo inculpantur sit notorium; tale verò dicitur tribus modis, primo quando nata est sententia contra criminosum, secundo quando idem confessus est crimen coram Iudice, & ista dicuntur notoria iuris per *Gl. in dicto c. vestra in fine*, tertio quando habet operis euidentiã, & istud appellatur notorium facti, per *Gl. ibid.* quod ità dicitur, quia est omnibus notum, *Bart. in l. si vero, §. qui pro rei qualitate, num. 4. ff. qui satisd. cog.* & proptereà non indiget probatione, *idem Bart. in l. 1. num. 1. ff. de in integ. restit. & in l. emptorem, num. 4. de action. empti, Gras. discept. for. cap. 312. n. 18. ex Bald. in l. ea quidem, n. 44. C. de accusat. & alijs item discept. 525. n. 9.*

Sed oportet, vt tale notorium habeat causam permanentem, non autem transeuntem, *Bart. idem in l. ab accusatione, §. nunciatores, n. 3. ff. ad Turpill. & in d. §. qui pro rei qua-*
13 *litate n. 4.* quo modo istud notorium facti nulli potest conuenire, discurrendo per singula peccata, nisi concubinarijs, & vsurarijs publicis (quia de criminosis notorietate iuris, vt supra; non est dubitandum, cum sint ligaræ manus absoluentis ex prohibitione Iudicis, qui protulit sententiam, *vt in iurib. cit.*) & circa confessum pro iudicato etiã habetur, vt statuit *Paul. in l. Iulianus 3. ff. de confess.* & propterea dixi, istis exceptis nemini posse negari absolutionem, si tamen aliquando casus similis prædictis accideret,
14 posset prudens Confessarius idem seruare, quia de similibus ad similia fit extensio, *§. eadem ratione, instit. quod cum eo qui in aliena, & c. l. non possunt, ff. de ll. D. Tho. in 4. dist. 32. q. 1. ar. 3. Præses de Franch. decis. 489. n. 14.* quod enim disponitur in vno de æquiparatis, disponitur in alio, *l. 1. §. quod vulgo, ff. de vi, & vi armata*, quod si regula prædicta in aliquo alio casu particulari falleret, nõ per
15 hoc non erit vera, cum omnis regula suas patiatur exceptiones, vt dicit *Imperator in §. vt autem auth. de non alien. aut permut. & in l. omnis diffinitio*, ibique *Gl. de reg. iur.* leges tamen adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt, *l. nam ad ea, ff. de ll.*

BAPTISMVS

INTRODVCTIO.

SVMMARIVM.

1 *Baptismus est nomen Græcum, & significat omne ablutionis genus, sed strictè sumitur pro Sacramento Baptismi.*
2 *Baptismus flaminis est vera contritio, & cum proposito suscipiendi Baptismum aqua data opportunitate, tribuit remissionem peccatorum originalis, & actualium; sed nec iste, nec sanguinis dicuntur sacramenta, nec imprimunt characterem, & n. 5.*
3 *Latro dum non fuit crucifixus pro Christi fide, nec erat baptizatus, quare meruit gratiam à Christo?*
5 *Centurio ante Baptismum fuit repletus Spiritu Sancto.*
6 *Baptismi vnitas non tollitur per Baptismum flaminis, & sanguinis, sed isti includuntur in Baptismo fluminis, verum sanguinis obtinet primum locum.*
7 *Baptismus sanguinis, & fluminis in aliquibus conueniunt, & in aliquibus disconueniunt; sed quid de baptizatis baptismo flaminis? quibus tamen non conceditur Ecclesiastica sepultura. num. 9.*
8 *Martyrium consequutus non baptizatus in aqua, si daretur casus, vt resurgeret, deberet baptizari.*

1 Baptismi nomen à Græca lingua deriuare neminem latet, significatq; omne ablutionis genus secundum *Marcum in Euang. cap. 7. in princip.* Sed strictè loquendo sumitur pro Baptismi Sacramento, vt loquitur *Apost. ad Rom. cap. 6.* qui licet propriè

vnus

vnus solus sit, secundum eundem *Apost. ad Ephes. cap.4.* ibi, *Vnus Dominus, una Fides, vnum Baptisma*; metaphoricè tamen, & minùs propriè loquendo, est triplex, flaminis
2 scilicet, fluminis, & sanguinis; flaminis est vera contritio de peccatis, quæ iuncta cum proposito suscipiendi baptismum, data opportunitate, tribuit remissionem peccatorum originalis, & actualium, vt colligitur *ex act.Apost.cap.10.in fine*, & testatur *Chrysost. homil. 24.super eod. tex.* latè *August. relatus à Grat. in c. baptismi vicem de consecrat.*
3 *dist.4.* vbi loquitur de Latrone, cui nō baptizato dictum est, *Hodie mecum eris in Paradiso*, & tamen non pro nomine Christi crucifixus est, sed pro meritis facinorum suorum, nec quia credidit passus est, sed dum patitur, credidit. Quantum itaque valeat etiam sine visibili Sacramento Baptismi, quod ait Apostolus (*corde creditur ad iustitiam, ore autem fit confessio ad salutem*) in isto Latrone declaratum est; sed tunc impletur inuisibiliter, cum mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

4 Idem confirmat *in c.non dubito eodem tit.* exemplo alterius Gentilis, Centurionis scilicet Cornelij, qui diuina charitate flagrans, & cupiens baptismum, ante tamen, quam istum susciperet, Sancto fuit Spiritu repletus, quod idem de eodem Cornelio tradit *Innoc.in c.deinde circa finem, dist. 26. cum D. Tho.p.3.q.66.ar.11.* vbi respondet oppositis de triplicitate baptismi, quod isti scilicet flaminis, & sanguinis includuntur in illo aquæ, & habeant effectum illius ex passione Christi, & ex Spiritu Sancto, sicut dixit idē Christus sponsæ suæ Birgittæ lib.4. reuelat.
5 *cap. 74.* nec propterea tollitur vnitas baptismi, & consequenter nec dicuntur sacramenta iuxta *eund.S.ad secundum*, nec imprimunt characterem, *Tabiena v. baptismus 1. n.6.& 7.Silu.v.baptismus 1.n.3.Regin. lib.27. n.7.& alij.*

Confirmantur prædicta à Domino Iesu *loco cit.lib. 3.cap.26.n.6.* ibi, similiter alius est est baptismus aquæ, alius sanguinis ‹ alius perfectæ voluntatis, quod explicans *Durād.*
6 *ibid.nota 8.* dicit non tolli per hoc vnitatem baptismi, sed duos posteriores includi in priori; locum autem principem tenere baptismum sanguinis, quoniam passio Christi in aquæ baptismo operatur per quandam figuralem repræsentationem, in baptismo flaminis per quandam affectionem, sed in sanguinis per operis imitationem, quod longè præstantius est, tum quia Spiritus S. in primo operatur per virtutem latentem, in secundo per cordis commotionem, in tertio verò per dilectionem; quod comprobatur *ex Io.cap.15.* ibi, *Maiorem dilectionem nemo habet, vt animam suam, &c.* vnde *D.Aug. de Eccles.Dogmat.cap.74.* comparans baptismum aquæ cum baptismo sanguinis dicit, baptizatus confitetur fidem suam coram Sacerdote, Martyr coram persequutore, ille post confessionem aspergitur aqua, hic sanguine, ille per impositionem manus Pontificis recipit Spiritum Sanctum, hic templū efficitur Spiritus Sancti; hucusque *Durand.* qui hanc doctrinam transcripsit *à D. Thoma cit.art.12.*

Sylu.v.baptismus 1.n.3. ait *ex Petro de Palud.& alijs* baptismum sanguinis, & flumi- 7
nis esse æquales in virtute quoad remissionem culpæ, & pœnæ, sed illum excedere istum quoad præmium accidentale, quod est laureola, & quoad essentiale, quia plus de gratia confert, sicut est ibi maius opus, istum autem excedere illum quoad impres-
8 sionem characteris; adeò quod si Martyr resurgeret deberet baptizari. *idem Sylu. v. martyrium, S.4.ex Apost.epist.1.ad hebr.cap.6.* Differt etiam baptismus flaminis, à fluminis, quia per illum non remittitur tota pœna, sicut per istum, sed secundum magis intensam, vel remissam contritionem;
9 item per illum non conceditur Ecclesiastica sepultura, vt seruatur in Catechumenis, quamuis pro eis oret Ecclesia, sed per istū sic. *Sylu.idem v.baptismus 1. n.3. ex D. Tho. & alijs*, quid autem sit contritio, qua iste baptismus perficitur, dicetur infra *v.contritio*, ideò aliquibus breuiter dictis in sequētibus duabus resolutionibus de Baptismo sanguinis, qui est martyrium, transibimus ad fluminis.

Quæritur quid sit Martyrium, & quot conditiones ad illud consequendum requirantur?

SVMMARIVM.

1 *Martyrij definitio ex mente D.Thomæ, quod quinque comites habere debet. Potest contingere etiam infantibus, licet rationis vsu*

vſu carentibus, & conſequenter non eſt eis neceſſarius actus voluntatis, ſicut adultis.num.2.

3 *Martyres dicuntur etiam occiſi in vtero matris propter Chriſtum.*

4 *Martyrium poſſunt aliquando conſequi dormientes, ſi in odium Chriſti fuerint occiſi, dummodo illud præuidentes in vigilia, conſenſerint, vel ſaltem ceſſante iſta præuiſione, ſi ſint viri iuſti.*

5 *Illud ſuſcepturus, ſi in mortali reperitur, debet ſaltim atteri, ſi non poteſt conteri; non enim eſt neceſſaria charitas antecedens, ſed benè conſequens, vt infra. Sanctius eſt baptiſmo fluminis, & flaminis, ſed non prodeſt ſine charitate. n.6. & 7.*

8 *Attritio dum ſufficit cum quolibet ſacramento ad acquirendam gratiam, multò magis ſufficiet cum martyrio.*

9 *Martyrium paſſurus ſi erat in mortali, & ex inaduertentia, vel obliuione de eo non doluit vt debuit, non fraudatur fructu martyrij, cui ineſſe etiam contritionem probatur, ſed quid ſi de illo recordetur. num.10.*

11 *Martyr non dicitur, qui mortem non ſuſtiuuit, vel vulnus omninò lethale, etiamſi in odium Chriſti.*

12 *Martyrium non impeditur, quando vulnus omninò lethale quis ſuſtinuit pro Chriſto, licet miraculosè euaſerit mortem, & conſequenter dicitur confirmatus in gratia. ſub num. 16.*

13 *Sanctus Io. Euangeliſta fuit verè martyr, licet poſt tormentum naturaliter obierit, & num.17.*

14 *Operarijs debetur merces, quando fuerunt conducti, etiamſi non laborauerint, ſed per ipſos non ſtetit, quominus ſeruirent.*

15 *Legatum relictum ſub conditione, dependente à voluntate hæredis, debetur etiam conditione non impleta, ſi hæres adimpleri impediat.*

16 *Impedimentum caſu, vel alia cauſa, aut facto ſuperioris proueniens, impedito non attribuitur, ſed habetur ac ſi impleuiſſet omne, quod implere debebat, ſi impeditus non fuiſſet.*

18 *Martyres ſunt multi, qui tormenta mortalia ſuſtinuerunt pro Chriſto, licet ab illis poſtea miraculosè fuerint erepti, & poſt multum tempus naturaliter obierint.*

19 *Martyrium ad conſequendum neceſſaria eſt confeſſio fidei, vel veræ virtutis, verbis, & factis morte interueniente, vel vulnere lethali.*

20 *Hæretici etiam ſi moriantur pro defenſione alicuius veræ virtutis, non per hoc dicuntur martyres, quia ſunt extra Eccleſiam.*

21 *Martyrium non adipiſcitur pro confeſſione veritatis geometricæ, vel alterius cuiuslibet ſcientiæ, ſed pro confeſſione veritatis diuinæ, vel veræ virtutis.*

22 *Martyres non dicuntur occiſi in bello etiam ab infidelibus, niſi ſit pro confeſſione fidei, vel alterius virtutis Chriſtianæ, ſicuti nec damnati ad mortem pro ſuis delictis, etiã ſi lætanter eam ſuſtinerent ob Chriſti amorem.*

23 *Latroni fuit accelerata mors in odium Chriſti, & ideò dicitur Martyr, licet fuerit damnatus ad mortem pro ſuis delictis.*

24 *Virtutes tres præcipuè elucent in Martyribus, fides ſcilicet, quam credunt, & confitentur, fortitudo cum qua perſiſtunt ad mortem vſque, & charitas Dei, pro qua ociduntur.*

25 *Mariam Virginem Sanctiſſimam non fuiſſe verè Martyrem, eſt temerarium aſſerere, imò verum eſt fuiſſe pluſquam Martyrẽ.*

26 *Parentes magis torquentur in filijs, quàm in ſeipſis.*

27 *Amor paternus eſt adeò vehemens, vt aliquando patres audiẽtes filios occiſos, vel mortuos, ſeipſos interfecerunt, vel ſtatim obierunt ex doloris vehementia.*

28 *Maria Virgo Sanctiſſima fuit magis torta in filio, quàm ſi ipſa ſigillatim eius tormenta ſuſtinuiſſet, & ideo mortua fuiſſet in eius paſſione, ſi Deus miraculosè eam non ſeruaſſet ad maiorem pœnam, maioremque martyrij coronam aſſequendam: nu. 29. Fuit à Chriſto pluſquam Martyr appellata. num.30.*

Reſolutio III.

1 Martyrium eſt voluntarius cruciatus lethalis ſuſceptus pro Chriſti fide, aut alia vera virtute, vt percipitur *ex D.Th. 2.2.q.124.ar.4.& 5. Sylu. v.martyrium, §.2.* & clarius patebit ex ſtatim dicendis de conditionibus ad illud requiſitis, quarum prima eſt, vt ſi ſunt adulti volũtatem habeant
2 illud ſuſcipiendi, ſi verò infantes rationis vſu carentes nequaquam; verumque probat *idem Sanctus loco cit.ar.1.ad 1.* ibi, quidã dixe-

dixerunt, quod innocentibus acceleratus eſt miraculosè liberi arbitrij vſus, ita quod etiam voluntariè martyrium paſſi ſint; ſed quia hoc per authoritatem ſcripturæ non comprobatur, ideò melius dicendum eſt, quod martyrij gloriam, quam in alijs propria voluntas meretur, illi paruuli occiſi, per Dei gratiam ſunt aſſequuti; nam effuſio ſanguinis propter Chriſtum, vicem gerit baptiſmatis, vnde ſicut in pueris baptizatis per gratiam baptiſmalem, meritum Chriſti operatur ad palmam martyrij conſequendam, vnde Auguſt. dicit in quodam ſermone de Epiphania, quaſi eos alloquens, ille de veſtra corona dubitabit in paſſione pro Chriſto, qui etiam paruulis baptiſmum prodeſſe non eſtimat Chriſti, non habebatis ætatem, qua in paſſurum Chriſtum crederetis, ſed habebatis carnem, in qua pro Chriſto paſſuro paſſionem ſuſtineretis.

3 Quod idem procedere in infantibus cum matre in eius vtero occiſis pro Chriſto, amboſque eſſe martyres docent *Sylu. v. baptiſmus 1. n 2. ex Palud. & alijs, Tolet. lib. 2. cap. 22 n. 7.* In adultis tamen neceſſe omninò eſt, vt præcedat intentio, ſeu voluntas ſuſcipiendi martyrium pro Chriſto, *Suar. tom. 3. de ſacram. diſp. 29. ſect. 2. §. in hac re*, ibi, quocirca

4 licet contingat aliquem fidelem in ſomno à Tiranno occidi in odium Chriſti, ſi nullã voluntatem prius habuit circa mortem illã, non erit martyr, neque ex illa morte, aliquem fructum gratiæ, aut remiſſionem culpæ, vel pœnæ conſequetur, niſi ante ſomnum cogitans de martyrio, ad illud conſenſiſſet, vel eſſet vir iuſtus, qui cum habeat in omnibus pro fine Deum voluntate virtuali, & interpretatiua, ſolet pariter in Deũ referre quidquid boni fecerit, aut mali ſuſtinuerit; talis enim conſenſus ſufficit, ſicut ſat eſt, ſi quis inſanus factus, baptiſmum ſuſcipiat, quem antea petierat, concordant *Henriq. lib. 2. cap 34. n. 2. alijque apud eos.*

5 Secunda conditio eſt, vt ſi ſuſcepturus martyrium, ſit adultus, & in mortali reperiatur, atteratur ſupernaturaliter, non enim eſt neceſſaria contritio, vt probabiliter dicunt multi infra ex varijs rationibus apud eos, & præcipuè, quia ab omnibus compa-

6 ratur, imò ſanctiùs eſt martyrium baptiſmo, *vt ſupra in introd. n. 6.* ſed in iſto ſufficit attritio, ergo à fortiori in illo, *Bellarm. cap. 6. de baptiſ. Henriq. cit. n. 3. cap. 26. n. 4. & cap. 36. n. 1. Suar. vbi ſupra ſect. 3. §. dico ſecundo, & §. ex hac*, vbi addit requiri etiam bonam fidẽ, & facit ad propoſitum doctrina *D. Tho. p. 3. q. 87. ar. 1. ad 2.* ibi, paſſio pro Chriſto ſuſcepta obtinet vim baptiſmi, & ideò purgat ab omni culpa veniali, & mortali, niſi actualiter voluntatem peccato inuenerit inhærentem. *Nauarr. in manual. cap. 11. n. 40. in fin. & clarius Greg. de Val. in 2. 2. tom. 3. diſp. 8 q. 2. tit. de martyr. pun. 2. §. & hac quidem.*

7 Sed opponitur *ex Apoſt. epiſt. 1. ad Corinth. cap. 13. ibi*, ſi tradidero corpus meum ita, vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodeſt: ergo ſine vera charitate, quæ acquiritur per contritionem, martyrium non adipiſcitur, cui reſpondetur nõ eſſe neceſſariam charitatem antecedentem, ſed benè charitatem conſequentem, *Caiet. 2. 2. q. 14. ar. 2. §. ad primum autem, idem Suar. dicta diſp. 29. ſect. 3. §. ad fundamenta*, & tunc

8 ineſt martyrio, ſicuti ineſt omnibus attritis ſuſcipientibus quodcumque ſacramentum, vt infra *reſol. 79. n. 10.* & docet *Suar. cit. dicto §. ex hac*, & ſic locus Apoſtoli intelligitur de charitate conſequenti, & propterea dicunt non requiri de neceſſitate, vt ſuſcepturus martyrium ſit in gratia ante illius paſſionem, dum non eſt neceſſaria contritio. *Bonac. tom. 1. hoc tit. diſp. 2. pun. 1. q. 1. n. 9.* vbi neminem allegat, ſed puto probari *ex D. Tho. in quodl. 4. q. 10. ar. 19.* quem ſic eſſe intelligendum dixit *Caiet. cit.*

9 Imo & quod magis eſt, ſi quis per inaduertentiam, vel obliuionem, non elicit actũ attritionis, eo quod ſit totus transfuſus in expellendo metu mortis, etiam recipit fructum martyrij, ratio eſt, quia licet ad martyrium prærequiratur ſecundum ſe dolor formalis peccatorum, iuxtà alteram opinionem, eſt tamen verum ex accidenti ſufficere virtualem in voluntate ſuſcipiendi martyrium incluſum; etenim ſi morituro pro Chriſto violenter, peccata occurrerent, certum eſt illa deteſtarurum, *Caiet. cit. §. ad hoc dicitur*, ibi, & ratio eſt, quia ponens vitam pro Chriſto, ipſo facto præponit Chriſtum vitæ ſuæ, ac per hoc omnibus bonis minoribus vita, & conſequenter omnibus exterioribus bonis, tam corporalibus, quam ſpiritualibus, putà honori, gloriæ, & famæ, hęc enim ſecundum veritatem minora ſunt vita, & minima bona ſunt.

10 Cui enim darur plus, vt eſt vita propria, multò magis dicendum eſt dari minùs, vt eſt actus doloris, *argum. auth. multò magis, C.*

de sacros.Eccl.& c.plus semper de regul. iur. in 6.vbi Gl. multa similia refert,& talis voluntas dicitur actus non solum attritionis, sed etiam contritionis virtualis, continens implicitè detestationem peccatorum, & amorem Dei, *Suar.to.3.disp.29. sect.3.§.dico tertio,ex D.Th.Soto,& alijs,Bellar.lib.1.de pœnit. cap.9.ad 1. Filliuc. tract.2. cap.1.q.7.* vnde gratis *Henriq. lib.2. cap.36. n.2. lit.* O. dixit tutiùs esse actum formalis pœnitentiæ cum martyrio elicere, quia non negatur regulariter requiri, sed excusari ex inaduertentia, vel obliuione; etenim si ad hoc aduerteret, teneretur, vt diximus, non tutiùs, seù ad maiorem cautelam, sed ex necessitate; & propterea Ecclesia omnes martyres colit, diciturque fieri ipsis iniuriam, si pro eis oretur, vt in *c.cum Marthæ §. fin. de celebr. miss.* quod fit, quia supponit prædicta præcessisse; impossibile enim omninò est quem spontè mori occisum pro Christo, & non dolere de peccatis, vel non confiteri, saltem de mortalibus si potest, ad quod teneretur sicut etiam ad baptismum recipiendum si posset casu quo non esset baptizatus, vt in priori *resol.n.8.infra res.5.n.12.& res.8.n.10.*

11 Tertia conditio est, vt interueniat cruciatus lethalis, non enim appellatur martyr, qui vulnus non lethale accepit, etiamsi pro Christi fide. hinc *D.Tho.2.2.q.124. art.4.in cor.* Martyr dicitur quasi testis fidei christianæ, per quam nobis visibilia pro inuisibilibus contemnenda proponuntur, vt dicitur ad *Hebr. cap.11.* ad martyrium ergo pertinet, vt homo testificetur fidem se opere ostendens omnia præsentia contemnere, vt ad futura, & inuisibilia perueniat; quamdiù autem homini remanet vita corporalis, nondum se opere ostendit corporalia cuncta despicere; consueuerunt enim homines, & consanguineos, & omnia bona possessa contemnere,& etiā dolores corporis pati, vt vitam conseruent, vnde & Satan contra Iob induxit pellem pro pelle, & cuncta, quæ homo habet, dabit pro anima sua, idest pro vita sua corporali, & ideò ad perfectam rationem martyrij requiritur quod aliquis mortem sustineat propter Christum: hæc ille.

12 Licet autem non statim sequatur mors, sufficit vt vulnus sit illatiuum ipsius, & propterea S.Marcellum Papam Ecclesia inter martyres commemorat, quamuis post aliquod tempus, ex quo fuit in stabulum coniectus, fuerit tabe confectus, vt tradit idem *S.ibidem, argum. 1. & ad 4.* Idem de S.Lucia, quæ de se testatur impetrasse inducias martyrij à Deo,& de alijs per *Caiet. d.art.4.in fin.* & quod talis dilatio non impediat rationem martyrij, sicut ex contrario martyr non dicatur quando fuit sibi illatus cruciatus habilis ad occidendum, sed impedita mors totaliter, non ad sic breue tem-

13 pus, quod de S.Io.Euangelista, qui post inchoationem tormenti, sufficientis ad mortem, miraculosè erepto, naturaliter obijt, testatur idem *Caiet.ibid.* sed contrarium rectius, licet sub aliquo dubio docet *Coninch. q.66.dub.3.n.160.*

Quod confirmatur, quia dum apud ho-
14 mines seruatur, vt si quis operas suas locauit, & per ipsum non stetit quominus seruiret, debeatur merces eodē modo, quo deberetur si seruiuisset, *l.qui operas,ff.locati*,
15 ac etiam debetur legatum, vel fideicommissum relicta alicui à testatore sub conditione, vt negotia nepotis sui gerat, si ille cæpit gerere, & per ipsum non stetit vt gereret, sed hæres noluit eum administrare *l.meuia.ff.de annuis legat.* imò si aliquis mi-
16 nister iter agens, antequam perueniat ad locum destinatum, explendi causa suam commissionem, impediatur prosequi iter ex tempestate maris, vel fluminis, aut ob fragrantiam latronum, siue per mare, siue per terram, & propterea detineatur in aliquo loco intermedio, non exercendo commisionem, debentur ei dietæ, ac si vtiliter negotio peragendo vacasset, vt ex multis probat *Rotis.decis.66.n.7.*

Item si quis ad iudicium vocatus, dum accederet, fuit à Magistratu impeditus, nulla mora ei adscribitur, sed habetur, ac si accessisset *l.nō exiguus,§.fin.ff.si quis cautio.* multò ergo magis credendum absque dubio est tribuere Deum mercedem martyrij ei, qui se non verbis tantum, sed etiā factis exhibuit martyrio, & per ipsum non stetit, licet postea fuerit ab eodem Domino liberatus, alioquin inducta in fauorem retorquerentur in odium contrà *l.quod fauore, C.de ll.* Et consequenter tales vti veri martyres, etiamsi posteà aliquandiù vixerint, remanent confirmati in gratia, vt suadent rationes prædictæ, licet incertum hoc esse, sed malè voluerit ex *Coninc. Bonac.to.1 disp.2.q.2.pun.3.n.3. Durand.tamen in reuela-*
17 *tion.D. Birgitta lib. 4. cap. 23. nota 2.* vocat S.Io.

S. Io. Euangeliſt. quaſi martyrem, ſed martyrij meritum fuiſse aſsequutum, quia ſe ſponte morti obtulit in teſtimonium fidei, eaque cauſa erat ſufficiētiſsima ad mortem inferendam, niſi miraculosè tunc fuiſset præſeruatus.

18 Confirmantur prædicta exemplis S. Teclæ, quæ cum in anno 18. ætatis ſuæ diuerſa tormentorum genera fuiſset perpeſsa, quorum ſingula ſatis erant ad mortem, nihilominus ab illis ex diuina potentia erepta, & poſteà nonagenaria naturaliter mortua, vt legitur in eius hiſtoria per eccleſiam recepta, ipſam eadem Sancta Eccleſia martyrem in ſua propria oratione canit; & de S. Martino dicit, cuius animam, etſi gladius perſequutoris non abſtulit, palmam tamen martyrij non amiſit, *Henriq. lib. 2. cap. 39. n. 3.* Idem de S. Gregor. Armeno, quem martyrē in lectionibus proprijs Eccleſia vocat, & tamen poſt atrocia tormenta, & ſingula ſatis ad mortem vixit per multos annos, & tādem Epiſcopus creatus, naturaliter obijt.

Quarta conditio eſt, vt martyrium patia-
19 tur pro fidei catholicæ defenſione, aut pro vera virtute, vt ſupra veluti Caſtitatis, vt S. Io. Baptiſta, vel Religionis pro Eccleſiaſtica immunitate, vt S. Tho. Cantuarienſis, & ſimiles, vtrumque caput complectitur, *D. Tho. cit. ar. 5. in cor.* ibi: Martyres dicuntur, quaſi teſtes, quia ſcilicet corporalibus ſuis paſsionibus vſque ad mortem teſtimonium perhibent veritati, non cuicumque, ſed veritati, quæ ſecundum pietatem eſt, quæ per Chriſtum nobis innotuit; vnde & martyres Chriſti dicuntur, quaſi teſtes ipſius; huiuſmodi autem eſt veritas fidei, & ideò cuiuslibet martyrij cauſa, eſt fidei veritas, ſed ad fidei veritatem non ſolum pertinet ipſa credulitas cordis, ſed etiam exterior proteſtatio, quæ quidem fit non ſolum per verba, quibus aliquis confitetur fidem, ſed etiam per facta, quibus aliquis fidem ſe habere oſtendit, ſecundum illud *Iacob. 2.* Ego oſtendam tibi ex operibus fidem meā, vnde & de quibuſdam dicitur *ad Tit. 1.* confitentur verbis ſe noſse Deum, factis autem negant, & ideò omnium virtutum opera, ſecundum quod referuntur in Deum, ſunt quædam proteſtationes fidei, per quā nobis innoteſcit, quod Deus huiuſmodi opera à nobis requirit, & nos pro eis remunerat, & ſecundum hoc poſsunt eſse martyrij cauſa; vnde & B. Io. Baptiſtæ martyrium in Eccleſia celebratur, qui non pro fidei confeſſione, ſed pro adulterij reprehenſione mortem ſuſtinuit, &c.

Sed quamuis quis reciperet cruciatum
20 ad mortem pro tuenda virtute, ſi ſit extra Eccleſiam, vt hæreticus, ſibi nihil prodeſſet; ratio eſt, quia hæreticus, vel etiam ſchiſmaticus longè ſunt à fide, licet credant aliquos fidei articulos; ſine fide verò impoſſibile eſt placere Deo, ſecundum *Apoſt. ad Rom. cap. 14.* & conſequenter non poſſunt dici martyres, etiamſi mortem ſubirent pro aliquo fidei articulo, vel quacumque virtute; qui enim deficit in vno, factus eſt omnium reus in materijs fidei, *Iacob. in epiſt. 1. cap. 2. Henriq. lib. 2. cap. 36. n. 4. & cap. 37. n. 2. Leſſ. lib. 3. cap. 1. dub. 3. n. 38.* alijq; apud eos,
21 quod confirmat *D. Tho. cit.* aſſerens non dici martyrem obeuntem pro teſtimonio cuiuslibet veritatis, ſed tantum diuinæ, alioquin ſi quis moreretur pro confeſſione veritatis geometricæ, vel alterius ſpeculatiuæ ſcientiæ, eſſet martyr, quod eſſet ridiculum.

Quinta conditio eſt, vt mors, ſeu cruciatus ad mortem inferatur in odium Chriſti,
22 vel fidei, vnde morientes occiſi in bello, etiam à Turcis, vel quibuſcumque infidelibus, non dicuntur martyres, nec damnati ad ſupplicium pro ſuis delictis, licet mortē patienter ſubirent ob Chriſti amorem, *Henriq. lib. 2. cap. 37. n. 4. Coninc. q. 66. dub. 2. n. 141. Bonac. cit. pun. 1. n. 14.* vbi ad obiectio-
23 nem de Latrone, quem appellant martyrem, & tamen conſtat fuiſſe ad ſupplicium damnatum pro ſuis delictis, reſpondet ex citat DD. & alijs dici eum martyrem, ex quo mors fuit illi accelerata in odium, & contemptum Chriſti, cui Iudæi per conſortium latronis intendebant ignominiam, & iniuriam inferre (quamuis *Vaſq. in 3. p. to. 2 q. 68. diſp. 153. cap. 1. §. fin.* aſſerat non fuiſſe martyrem) concludit *Caiet. 2. 2. q. 124. ar. 2. verſic.* ad huius difficultatis, quod tres vir-
24 tutes præcipuè elucent in martyre, prima eſt fidei, quam credit, & confitetur, non ſolum verbis, ſed opere, patiendo mortem pro eius veritate; ſecunda eſt fortitudinis, inquantum eſt actus voluntariè, impauidèque toleratiuus mortis; Tertia eſt charitatis, inquantum eſt actus propter amorem, & gloriam Chriſti, ſeu Dei patienter toleratus.

Ex quibus ſecundum DD. prædictos, &

25 Præcipuè *Caiet.2.2.q.124.ar.4.* dicendum videretur, quod Sanctissima Virgo, quæ non passa est vulnus lethale in corpore, non fuerit martyr, & consequenter nec laureolam martyrij (de qua in sequenti resol.) fuerit consequuta; quod asserere esset valde temerarium, ne dicam execrabile: fateamur ergo, & cum omni veritate fuisse plus quam martyrem, & proinde omnia martyrij præmia adeptam, cuius propositionis fundamentum probatur *in L.isti quidē §.hæc quæ diximus de eo quod met.causa*, vbi
26 legitur, parētes magis torqueri in filijs, quā in seipsis, rationem assignat *Gl.ibid.v.magis*, quia scilicet parentes plus diligunt filios, quā seipsos: sunt enim pars existens eorūdem, *D.Tho.2.2.q.26.ar.9.in cor.* & ideò repræsentant parentes mortuos, *§.cum filijs instit.de hæred. quæ ab intest.* qui tamquam immortales in filijs viuere intelliguntur, *l. liberorum in fine de verb.signif. & auth. de nupt.in princ.*

Vnde aliquando in praxi obseruatum fuit patres, qui in exquisitis tormentis delicta patrata negarunt, videntes postea torqueri filios, fuisse illa confessos, vt eos liberarent, licet pro seipsis hoc facere recusassent, *Alex.in addit.ad Bart.in l.qui rei, §. si quis autem, ff.de bonis eorum, qui ante sentēt.* imò, & quod magis est, adeò vehemens est
27 amor parentum erga filios, vt eum quidam audisset filium suum occisum, tanto dolore fuit affectus, vt seipsum violenter interfecerit, teste *Iure Cons. Martiano in dicto §. si quis autem*; alij audita, quāuis nō visa morte filiorum, illicò perierunt, vt de Adrasto Thebarum Rege, & de Eduardo III. Rege Angliæ refert *Quercetanus ad dieteticon Polistoricon c. 9. de Vlyssis matre, Aegeo Thesei patre, alijsque. Rauis.in officina par. 1. relatus à Mysinger. in §.sed veteres instit. de noxal. act.* Dum ergo hæc sunt vniuersaliter vera, multò magis dicendum est in particulari de SS.Virgine, quæ multò etiam magis fuit torta in filio permaximè dilecto, quam in seipsa, & consequenter dum maiori cruciatu fuit affecta in passione filij, quam si ipsa
28 omnia eius tormenta sigillatim sustinuisset, sequitur quod minorem pœnam in corpore passa fuisset eius tormenta realiter perferendo, quam sustinuit in anima, illa sigillatim cernendo.

Hinc dicunt DD.omnes fuisse tales do-
29 lores Virginis in illo actu, quod si Deus miraculosè eam in vita non seruasset, absq; dubio mortua fuisset, quod supponitur à Deo factum, vt magis, & magis patiendo, maiori martyrij corona eam decoraret, ad quæ conferunt dicta supra *n.13.* non impediri scilicet effectum martyrij, quando quis tormenta sustinuit, ex quibus mors sequutura omninò fuisset, sed fuit à Deo ex miraculo eius actus suspensus. Confirmatur
30 ex ipsa infallibili veritate suo proprio ore loquendo cum matre. teste *S. Birgitta lib.1. reuel.cap.52.* ibi, testimonium perhibeo tibi, quod tu in passione mea plus fuisti, quam martyr, subscribitur S. Mater Ecclesia, appellando Virginem Reginam Martyrum, etsi verum est quod dicit *S. Petrus Chrysol. serm.128.de S.Apollinari*, non tam mortem, quam fidem, & deuotionem, martyrem facere, quis ex martyribus, Christo Domino excepto, poterit deuotioni Mariæ, eiusq; fidei comparari? Concludo cum verbis *D. Hieron.in sermone de assumptione transcriptis à D.Tho. 2.2. q. 124. ar.4. argum.1.* videlicet rectè dixerim, quod Dei Genitrix Virgo, & martyr fuit, quamuis in pace vitā finiuerit.

Agitur de effectibus martyrij, quo tempore suum sortiatur effectum, & an sit in præcepto?

SVMMARIVM.

1 *Martyrium passum cum conditionibus vt supra, causat gratiam, omnisque culpæ, & pœnæ remissionem, est maioris meriti, quā baptismus, n. 2. Si sumatur cum aliqua culpa veniali, licet per eam non impediatur gratia sanctificans, remanet tamen exoluenda pœna in purgatorio propter illam ad similitudinem baptismi adultorū, sed quomodo tollatur quoad culpam post mortem, n.3. Confert gratiam ex opere operato ad instar sacramentorum, licet sacramentum non sit, n.4.*

5 *Laureola martyris est præmium accidentale consistens in quodam gaudio accidentali, vulnerumque splendore pro Christo receptorum.*

6 *Martyrij palma acquiritur in instanti antecedenti instans mortis, vel cum recipitur vulnus omninò lethale.*

7 *Martyrium non cadit sub præcepto absolutè, sed in animi præparatione.*

8 *Præceptum Domini de præbendo alteram maxillam*

xillam percutienti unam quomodo intelligatur?

9 *Bonorum propriorum potius est sufferenda iactura, quam mortaliter peccare, & hoc est in præcepto.*

10 *Martyrio se sponte offerre, infidelesque irritare ad se occidendum sine aliqua causa obligante ex præcepto, vel saltem ex consilio est mortale.*

11 *Martyrium sustinens principaliter propter odium vitæ, & secundario ob Christi fidē committit mortale secundum Sanch. quod negatur per Authorem.*

12 *Occidens se ipsum, vel occidere tentans, an & quomodo puniendus sit?*

13 *Martyrium quando sit in præcepto, & quando in consilio?*

Resolutio IV.

1 AD primum dicitur, si martyrium suscipiatur cum cōditionibus in priori resolut. recensitis, duos parere effectus, quorum primus est gratiæ, & remissionis omnis culpæ, & pœnæ; Ecclesia enim à Spiritu S. ducta colit, & veneratur martyres vti Sanctos, quod tamen fieri non posset si in
2 illis supponeret culpam; Præterea communiter anteponunt martyrium baptismo, vt supra in introductione *n.6.* sed iste confert gratiam, omnisque culpæ, & pœnæ remissionem, ergo à fortiori illud vti dignius, si tamen martyrium susciperetur cum aliqua culpa veniali, licet ista non impediat gratiā sanctificantem, non tamen remittitur, dum actualiter voluntas illi inhæret, & consequenter remanet pœna pro illa in purgatorio luenda, vt in simili de baptismo adulti cum veniali suscepto dicitur *infra resol.* 10. *n.9.* & faciunt dicta per *D.Tho, p.3.q.87. ar. 1.ad 2.* reportata in priori *resol. n.6. Henriq. lib.2, c.26.n.4.et c.36.n.3.* verū *Gregor.de Valent.tom.3.in 2.2. tit.de martyr. disp.8. q.2. pun.2. §. quinto consequitur*, dicit remitti quoad culpā, ergo remanet soluenda pęna, quam verisimile est etiam Deum cōdonare in remunerationem sanguinis pro eo effusi
3 Sed quatenus dicendū esset non remitti quoad culpā, quod verius puto, quia volūtas actualiter illi inhęret, quod cōtingere potest etiā in suscipiente martyriū, dubitari posset quomodo illa culpa esset tollenda, dū post hanc vitam non erit contritio, quæ est actus meritorius; siquidem tunc non erit meritū, neque demeritum, & secundum *Damasc. lib.2. de fide orthod. c.4. in fine.* hoc est hominibus mors, quod Angelis fuit casus, ergo non remittitur in purgatorio veniale quoad culpam, cui respōdet *D.Tho.in 4.dist.21.q.1 ar.3.q.1. ad 4. & in corp.* quod post hanc vitā non potest esse meritum respectu præmij essentialis, sed respectu alicuius accidentalis potest esse quamdiu manet homo aliquo modo in statu viæ, & ideò in purgatorio potest esse actus meritorius quantum ad remissionem culpæ venialis, quæ propterea post hanc vitam dimittitur, ei, qui in gratia decedit per ignem purgatorium, quia pœna illa aliqualiter voluntaria virtute gratiæ habebit vim expiandi culpam omnem, quæ simul cum gratia stare potest; & vide infra *resol.* 190. *n.* 3. vbi de hoc latius.

4 Verum gratia confertur per martyrium, non solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato ad sacramentorum similitudinem, licet sacramentum non sit; si enim illud patiuntur infantes, remittitur eis peccatum originale, quod non potest accidere ex ipsorum dispositione, iudicio carentium, & propterea ad conterendum inhabilium, eò magis, quia sine dubio in illa multitudine tot innocentium occisorum credendum est fuisse aliquos ex illis nondū circumcisos, vel quia nondum attigerant octauum diem à natiuitate, ante quem non circumcidebantur, vel quia erant filii Gentilium, qui nec circumcidebantur: si ergo infantes per martyrium iustificātur ex opere operato, consequens est, vt etiam adulti, cum istorum martyrium sit melioris conditionis, vti voluntarium, *Rich.in 4.dist.4. ar. 2.q.3.in fin. Durand.ibid.q.8.n.14. Sot.lib.2. de natura, & gratia cap.16. idemque ex D. Aug. lib.13.de Ciuit. Dei cap.7. probat Valent.cit.§. probatur primo, & iterum tom.4. disp.4. qu.3. pun.4. assert.4. versic.etsi verò, Belarm.de baptism.cap.6. Suar.to.3.disp.29. sect.3.§.ex quo Henriq.lib.2.cap.34.n.3.& cap.36.n.1. Bonac.*
5 *tom.1.disp.2.q.1.pun.2. n.4.* Secundus effectus martyrij est consequutio laureolæ, quæ est quodam præmium accidentale cōsistens in quibusdam insignibus, & splendore cicatricum, vulnerumque pro Deo receptorum, & in quodam gaudio accidentali, *Sot. dist. 49.q.5.ar.2. Henriq.cit.eod.n.3. Valent. vbi supra dicto pun.2.in princip.* vbi dicit Theologos eam etiam appellare aureolam, sicuti eam vocat *Henriq.citat.* vnde ad aliud propositum

poſitum dicit *Varr.3.de re ruſt.cap.9.* aureolum collum auri colorem referens.

6 Ad ſecundum reſpondetur effectũ martyrij conſequi martyrem in inſtanti antecedenti mortem, tum quia eo etiam tempore ineſt tolerantia mortis, & eſt in via omninò indefectibili à morte, & in illo inſtanti eſt toleratio mortis, vt in termino, in quo non inconuenit mereri, vt in termino, vt loquitur *Caiet.2.2.q.124.ar.4.ad 4.in fine.*ſed hoc diſplicet *Henriq.lib.2.cap.39. n.1.* quia eſſe ſimul in via, & in termino,& mereri in termino ſunt repugnantia in homine,licet non tam repugnantia in Angelo, & propterea dicendum eſt tunc recipi meritum martyrij, cum recipitur vulnus de ſe lethale, ratione cuius in cauſa efficaci dicitur mortuus, *vt ibid. lit.E.* nec obſtat poſſe per miraculum à morte liberari, & poſtea peccare, vt dicit *Coninc.q.66. dub.3. n.159.* quia hoc verum non eſt,dum remanet confirmatus in gratia, vt dictum eſt in *reſol.antecedẽti,*& tradit idem *Henriq. cit.n.3.* hæcque videtur ſententia *D.Tho.dicto ar.4.ad 4.*ſequitur *ex Vega in Trid.lib.6.Suar.Leſſio, & alijs, Bonac.de ſacram. in genere diſp.2. q.2. pun.3. n.1.& ſeq.*

7 Ad vltimum reſpondet *D.Tho.in quodlib. 4.ar.20. in cor.* quod aliquid cadit ſub præcepto dupliciter, vno modo abſolutè, alio modo ſecũdum animi præparationem, quia enim præceptum importat rationem debiti, illud abſolutè cadit ſub præcepto, quod eſt debitum propter aliquod præexiſtens, ſicut præceptum de honoratione parentum, vel de amando Deum, ſed quandoque contingit, quod id, quod facit aliquod eſſe debitum, nondum præceſſit, ſed poteſt occurrere; vnde hoc cadit ſub præcepto, non abſolutè, ſed ſecundum præparationem animi,ità ſcilicet vt homo habeat animum paratum ad faciendum illud, quod debitum redditur ex aliqua cauſa: & hoc modo ex-

8 ponit *Auguſt.* illa Domini præcepta, quæ ponuntur *Matth.5.* Si quis percuſſerit te in vnam maxillam, præbe ei & aliam, quia ſcilicet ſi opus eſſet, & hoc exigeret ſalus aliorum, homo debet eſſe paratus ad hoc faciendum; & per hunc modum ſuſtinere martyrium propter Chriſtũ cadit ſub præcepto, quia ſcilicet homo debet habere animum paratum,& prius permittere ſe occidi, quam Chriſtum negare, vel mortaliter peccare, & ſic etiam relinquere bona pro-

9 pria, cadit ſub præcepto, quia debet eſſe paratus animus Chriſtiani, magis ſuſtinere rapinam bonorum ſuorum,quam Chriſtum negare, vel mortaliter peccare: hæc ille, qui idem dicit 2.2. *q.124.art.1.ad 3.& ar. 3. ad 1.*

Vnde ſecundum *D.Tho.* martyrium non cadit ſub præcepto abſolutè, ſed ſecundum præparationem animi, ideſt vt homo ita ſit affectus ad fidem, vt mortem pateretur ſi occaſio ſe offerret, potius quam ab illa diſcedere;ita *Henriq. lib.2.cap.39.n.4.ad finem,* & ante eum *Nauarr.in manuali cap.11. n.4.* vbi ex contrario addit mortaliter peccare

10 illum, qui ſe martyrio temerè offert, ipſoſque infideles irritat, occaſionemque illis ſuggerit ad eum occidendum ſine aliqua cauſa, quæ ex vi præcepti, vel conſilij ad ipſum obliget,ea ratione, quia hoc eſſet tẽtare Deum, quod eſt mortale ſecundũ omnes apud *Bonac.in primo Decalogi præcepto tom.2.diſp.3.q.9.pun.vnico n.1.*

Addit *Sanch.in ſumma lib.2.cap.34. n.15.* poſt admiſſa prædicta, quod ſi quis ſubiret

11 martyrium principaliter propter vitę odiũ, ſecundario pro Chriſto peccaret mortaliter, & citat *Sylu. v. martyrium in fine*, qui non loquitur quando quis occiditur à Tyranno, ſed quando ſponte ſe occidit pro Chriſto eo quod vitam habeat exoſam, de quo non dubitatur, quia nemo eſt dominus membrorum ſuorum, *l. liber homo, ff. ad l. Aquil.*& propterea nõ puto procedere hanc extenſionem, quia ſi quis recitat officium diuinum, vel miſſam audit, aut votum implet, ſeu quæcumque alia opera de præcepto peragit ad alium finem, & cum intentione non ſatisfaciendi,non ſolum ſatisfacit præceptis, & voto, ſi poſtea mutauerit voluntatẽ, ſed etiam ſi nullatenus mutauerit, nec aliud opus egerit, quia iam expleuit opus debitum, *Henriq.lib.9.cap.15.n.9. Valent.tom.3. diſp. 6. q.2. pun. 10. in fine, Vaſq. opuſc.de benef.cap.4.§.1. dub.7.n. 114. Regin. lib.18.n.150.Molfeſ.in ſumma.tom.1. tract.5. cap.2.n.40.& 52. Fillinc.tom.1.tract.23. cap. 8.q.1.n.151.* Imò ipſe idem *Sanch.in ſumma tom.1.lib.1.cap.13. à n.16. vſque ad finem*: ergo à fortiori non ſolum non peccabit, ſed erit verus martyr, qui licet principaliter ob odium vitæ ſe obtulerit martyrio, ſecundario tamen ob Chriſti fidem, vel aliam virtutem chriſtianam illud ſuſtinuerit.

Adde *tex.in l.omne delictum, §.qui ſe vulnera-*

nerauerit, ff. de re milit. cuius verba sunt, videlicet: Qui se vulnerauerit, vel aliàs mortem sibi consciuerit Imperator Hadrianus rescripsit, vt si impatientia doloris, aut tœdio vitæ, aut morbo, aut furore, aut pudore mori maluerit, nõ animaduertatur in eũ, sed ignominia remmittatur, si nihil tale prætendat capite puniatur, idem legitur in *l.3. §. si quis autem vita tadio, ff. de bonis eorum, qui ante sentent.* vbi quando quis manus sibi intulit ex tœdio vitæ, vel impatientia doloris, sed non compleuit delictum, non punitur, etsi mortem sibi intulit ex causis prædictis, bona sua, quæ aliàs essent applicanda fisco, non applicantur; ergo dum leges humanæ parcunt prædictis, multò magis credendum est parcere diuinas, cum mitiùs agatur cum Deo, quàm cum homine, *Extrau. vnica de*
13 *Iudæis, l. celsus, ff. de arbitr.* Est autem martyrium solum in consilio, quando ex eo nihil amplius quam Dei gloria, vel fidei exaltatio resultat, vt ex mente eiusdem D. Sancti tradit *Nauar. cit.* quod si aliqui martyres spontè se in ignem conijciere, vt S. Apollonia, & alij, aliud mortis genus sibi intulerunt, hoc absque dubio ex particulari Spiritus S. impulsu factum esse dicunt communiter DD. apud *Less. lib. 3. cap. 1. dub. 2. n. 15.* quando autem sit in præcepto dictum est supra *n.8.*

Quid sit Baptismus fluminis, quo tempore fuerit institutus, & quando cæperit obligare, an sit necessarius necessitate Sacramenti in re, vel in voto, vel de necessitate præcepti, & tandem num qui reperiuntur in partibus remotis cum inuincibili ignorantia baptismi, & diuinæ legis saluari possint?

SVMMARIVM.

1 *Baptismi diffinitio traditur, quæ continet omnes quatuor causas, efficientem scilicet, materialem, formalem, & finalem. n. 2.*

3 *Baptismus facit baptizatum filium Dei adoptiuum, fuit institutus tempore quo Christus fuit baptizatus in Iordane à Ioanne, sed non obligauit vsque ad resurrectionẽ eius, quando fuit publicatus, num. 4. Eius forma, & materia fuerunt indicata tẽpore quo Christus fuit baptizatus. n. 5.*

Fuit ante passionem institutus, sed non positus sub præcepto, nisi post passionem, & resurrectionem.

7 *Apostoli fuerunt baptizati ante passionem Domini.*

8 *Maria Virgo fuit baptizata à Christo proprijs manibus ante suam passionem, & ante Apostolos, verum non recepit primam gratiam, in qua erat anteà confirmata, sed augmentum eius.*

9 *Necessarium necessitate sacramenti, vel est necessarium in re, vel in voto.*

10 *Contritionis actus includit sacramentum baptismi in voto.*

11 *Baptismus est necessarius necessitate sacramenti in re, vel in voto, sufficit ad salutem in voto, si mors interueniat, sed si periculum euaserit, necessarius est baptismus in re, n. 12.*

13 *Baptismus infantium non debet differri, sed quamprimum fieri, licet aliqui velint posse protelari vsque ad mensem. Adultorum est differendus ex causis vt infra, nisi videantur perfectè in fide instructi, aut periculum interuenerit mortis, obsidionis, persequutionis, vel naufragij, n. 14. & 15. Non obligat infideles, si de eo nullam notitiam habuerunt, n. 16.*

17 *Infideles infidelitatis contraria nullo modo possunt saluari sine baptismo in re, vel in voto, secùs infideles infidelitatis negatiuæ, qui si non saluantur, est propter alia peccata actualia, non per originale. Infidelitatis negatiuæ, si viuerent secundum legem naturæ iuxta D. Tho. saluarentur, quia per talem infidelitatem non corrumpitur ratio naturalis, n. 18. 19. & 21.*

20 *Salus æterna nulli accidit extra Ecclesiam.*

Resolutio V.

Baptismum dictũ est in principio huius tract. vnum esse in substantia, licet metaphoricè dicatur triplex, fluminis scilicet, flaminis, & sanguinis, de hoc dictum est in *res. priori, & antepriori*, de flaminis agitur *infrà v. Contritio*, hic restat agendum de fluminis, qui à *D. Tho. p. 3. q. 66. ar. 1. cor.* ita de-
1 finitur *ex Magistro sent. in 4. dist. 4.* Est ablutio corporis exterior, facta sub forma præscripta verborum, quæ definitio licet explicitè non includat nisi causam materialem,

lem, & formalem; implicitè tamen sub ea continentur, efficiens, & finalis, propterea Cathechis.Roman. *p.* 2. *hoc tit. n.* 5. *ex Io. in Euang.cap.*1.*n.*13. est sacramentum regenerationis per aquam in verbo, quam definitionem comprobat *Belarm.sub eod. tit. lib.*2. *dist.*4.*n.*2. aptioremque alijs appellat, tum quia constat ex genere,& differentia, tum
2 quia continet causas prædictas, efficiens enim subintelligitur, dum scitum est omnia sacramenta fuisse à Christo instituta, *Trid. sess.*7.*de sacram. can.*1. Materialis exprimitur per ly, per aquam, formalis per ly, in verbo, & finalis per ly, regenerationis,quia per baptismum homo spiritualiter renasci-
3 tur ex aqua, & Spiritu S. & fit filius Dei adoptiuus, vt in *eod.cap.*1.ibi,Dedit eis potestatem filios Dei fieri, *Nauar. in manuali cap.*22.*n.*5.*Henriq.l.*2.*cap.*1 *n.*9. *vbi alij.*
4 Ad secundum respondet *D.Tho. cit.ar.*2. *in cor.* videlicet, Sacramenta ex sui institutione habent quod conferant gratiam;vnde tunc videtur aliquod sacramentum institui, quando accipit virtutem producendi suum effectum, hanc autem virtutē accepit baptismus, quando Christus est baptizatus, vnde tunc verè baptismus fuit quantum ad ipsum sacramentum, sed necessitas vtendi hoc sacramēto indicta fuit hominibus post passionem, & resurrectionem, tum quia in passione Christi terminata sunt figuralia sacramenta, quibus succedunt baptismus, & alia sacramenta nouæ legis, tum etiam quia per baptismum configuratur homo passioni,& resurrectioni Christi,inquantum moritur peccato, & incipit nouam iustitiæ vitam, & ideò oportuit Christum prius pati, & resurgere, quam hominibus indiceretur necessitas se configurandi morti, & resurrectioni eius; hęc ille, cui concordant *Cathechis.cit.n.*20.*&* 21. *Belarm.vbi sup. cap.* 3.*n.*1.*& omnes.*
5 Fuit ergo institutus baptismus quando Christus fuit baptizatus in Iordane à Ioanne, cuius historia legitur apud *Matth.cap.*3. *in fine*, ibi, Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & ecce aperti sunt ei cæli,& vidit spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se, & ecce vox de cælis dicens,Hic est filius meus dilectus,&c.ex quibus rectè obseruāt *Suar. tom.*3.*disp.*19.*sect.*2.*Vasq.*3.*p.disp.*140. *cap.*6 *n.*38.*Henriq.lib.*1.*cap.*2.*n.*2. *ex Caiet. & alijs, Regin.lib.*27. *n.*7. tunc fuisse indicatam materiam baptismi, quæ est aqua, & formam, quæ est inuocatio Sanctissimæ Trinitatis; nam persona Patris indicata fuit in voce eiusdem Patris, persona Filij manifestata fuit in illis verbis, hic est filius meus dilectus, & persona Spiritus S. per speciem, & figuram columbæ, per cuius descensum, cælorumq; aperitionem demonstratus fuit effectus baptismi.

Sed in contrarium opponitur ex *eodem Matth.cap. fin.*quod Christus dixit Apostolis post passionem,& resurrectionem, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &c. ergo videtur post passionem, & resurrectionem Christi fuisse baptismum institutum, cui respondet idem *Sanctus cit.* Ad 2. quod homines non debebant multiplicibus figuris arctari per Christum, qui venerat sua veritate figuras
6 impletas auferre, & ideo ante passionem suam baptismum institutum non posuit sub præcepto, sed voluit ad eius exercitium homines assuefieri, & præcipuè in populo Iudæorum, apud quem omnia facta figuralia erant,vt Augustinus dicit contra Faustū, post passionem verò, & resurrectionem non solum Iudæis, sed etiam Gentilibus sub præcepto necessitatem baptismi imposuit, dicens, euntes docete omnes gentes, & sic per illa verba non fuisse tunc institutum baptismum, qui anteà erat, sed ordinatam eius prædicationem, *Henriq.lib.*2.*cap.*2. vbi communis schola,ad idem *Bonac.disp.*2.*q.*2. *pun.*1.*n.*3. *tom.*1. vbi dicit institutionem ceptam fuisse in Iordane, quando Christus fuit baptizatus, completam post resurrectionem quando protulit prædicta verba.
7 Apostoli tamen fuerunt baptizati ante passionem Domini, quia non est verisimile eos communicasse in vltima cœna sine prę-uio baptismo, vt dicit *Augustin. lib. de orig. animæ cap.*9.*& epist.* 108. *&* 163. Sicuti nec est verisimile ordinasse eos Sacerdotes cū potestate conficiendi corpus suum, quam in dicta cœna illis tribuit, iuxta declarationem *Trid. sess.*22.*cap.*1.*tit.de sacrif.missæ*, nisi iam fuissent baptizati, cum scitum sit baptismum esse omnium ianuam sacramentorum, ex quibus rectè infert *Euthymius in*
8 *Io. cap.* 3. Christum ante Apostolos baptizasse Virginem suam Matrem proprijs manibus; conueniens enim erat præcedentiam in omnibus matri tribuere, verum non potuit ista Sanctissima Virgo habere primam gra-

gratiam, quæ confertur omnibus per baptiſmum, cum ante ortum, & conceptionẽ ſuam libera fuerit ab originali peccato, & confirmata in gratia, qua de cauſa recepit per baptiſmum augmentum gratiæ, vt rectè docet *Suar. to. 3. diſp. 10. ſect. 1. §. dico tertio circa finem, & diſp. 14. ſect. 1. poſt initium.*

Ad tertium quando aliquid ſit neceſſarium neceſſitate ſacramenti, ſeu medij, vel neceſſitate præcepti dicitur infra *reſolut. 41. n. 1.* quos terminos explicat etiam *Belarm. lib. 2. diſt. 3. cap. 3. n. 3. de ſacram. in genere*: Ad-
9 do nunc illud, quod eſt neceſſarium neceſſitate ſacramenti, ſeu medij, quod idem eſt, vel eſſe neceſſarium in re, vel in voto, in re dicitur quando quis realiter ſuſcipit ſacramentum, in voto quando non poteſt actualiter illud ſuſcipere ex defectu miniſtri, vel materiæ, aut alterius cauſæ, & elicit actum
10 contritionis, quia iſta includit propoſitum vitandi omnia peccata, Deique legem ſeruandi, ac etiam deſiderium ſuſcipiendi ſacramentum in re, quod tamen non poteſt ex cauſis prædictis, vt infra latè *v. contritio*, & explicat *idem Bonac. cit. pun. 2. n. 1*:
11 Quibus præmiſſis reſpondetur baptiſmũ eſſe neceſſarium neceſſitate ſacramenti in re, vel in voto, vt expreſſit Chriſtus Dominus apud *Io. cap. 3.* ibi, Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poterit introire in regnum Dei, *c. 3. de baptiſmo, & Trid. ſeſſ. 7. can. 5. eod. tit.* eſt ergo de fide, omneſque in hoc conſentiunt, vt eſt videre apud *Tolet. lib. 2. cap. 21. n. 1. Regin. lib. 27. n. 3.* alios ad nauſeam vſque habes apud eũdem *Bonac. n. 3.* nullumque ſine illo ſaluari poſſe docuit etiam *D. Tho. p. 3. q. 68. ar. 1.* à prædictis non cit. vbi loquitur de baptiſmo in re, & *ar. 2.* de baptiſmo in voto, quem exem-
12 plificat idem S. in Cathecumenis, qui deficiente commoditate baptizandi, ſaluantur propter deſiderium baptiſmi; tenentur tamen & iſti, & omnes huiuſmodi data opportunitate recipere baptiſmum in re, aliàs ſi eam habuiſſent, & illum non ſuſcepiſſent, nequidem ſalui fierent, niſi denuò conterentur cum iterato propoſito baptizandi in re, *idem Sanct. ar. 3. in cor. circa fin. Gregor. de Valent. tom. 4. diſp. 4. q. 3. pun. 4. Henriq. lib. 2. cap. 4. Regin. cit. n. 8. & 9.* vbi etiam rectè docuerunt votum debere eſſe explicitum in habentibus notitiam baptiſmi, in alijs ſufficere implicitum.
13 Hinc aduertit idem *S. vbi ſupra ar. 3. in cor.* non debere in pueris differri baptiſmum propter periculum mortis, dum non poteſt eis alio remedio ſubueniri, quia non expectatur maior inſtructio, aut plenior conuerſio, & propterea DD. communiter apud *Dian. p. 3. tract. 4. reſol. 8.* dicunt eſſe illis à parentibus procurandum quamprimum; ſed deſcendendo ad particulare *Sotus in 4. diſt. 5. q. vnica ar. 3.* ſic affatur: Cum puer ſtatim baptizari iubetur, non intelligitur eodẽ natiuitatis die, aut tertio, aut quarto, ſed quãdo poteſt ad Eccleſiam portari, & mergi, quod eſt octauo die, vt moris eſt, vel 10. vel 12. licet alij apud eundem *Dian. p. 9. tract. 6. reſol. 1. & 2.* eum differri poſſe voluerint vſque ad menſem; in Diœceſi verò Panormitana tenentur parentes ſub pœna excommunicationis ante nonum diem baptizare infantes, vt refert idem *P. ibid.* Adul-
14 tis autem dicit S. *cit.* eſſe differendum vſq; ad aliquod certum tempus propter cautelã Eccleſiæ, ne decipiatur, ſacramentum fictè accedentibus conferendo, iuxtà illud *Io. epiſt. 1. cap. 4. in princip.* Chariſſimi nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritus, ſi ex Deo ſint; quæ quidem probatio ſumitur de accedentibus ad baptiſmum, quãdo per aliquod ſpatium eorum fides, & mores examinantur.

Quod eſt etiam neceſſarium ad vtilitatẽ eorum, qui baptizantur ad hoc, vt plenè inſtruantur in fide, & exerceantur in illis, quæ pertinent ad vitam Chriſtianam, & ad
15 reuerentiam ſacramenti, ſi tamen viſi fuerint perfectè inſtructi, vel grauis infirmitas ſuperuenerit, vel obſidionis, perſequutionis, vel naufragij neceſſitate vrgeantur, omni tempore baptizari debent iuxta Leonis Papæ ſententiam *in c. ſi qui neceſſitate de conſecr. diſt. 4.* aliàs ait S. peccant, ſi vltra tempus ab Eccleſia inſtitutum baptiſmum ſuſcipere differant, niſi ex cauſa neceſſaria, Prælatorumque licentia.

Ad vltimum reſpondet *Berarduc.* aliàs
16 ſumma corona *p. 4. de baptiſmo n. 43.* videlicet videtur non teneri ad præceptum baptiſmi, dicit enim *Paul. ad Rom. 10.* quomodò credent, niſi audiant, quomodo audient ſine prædicante? etſi diceretur, quod Apoſtoli per omnes mundi partes Euangelium ſeminauerunt, dico etſi culpabiles fuerint, qui in obliuionem legem Chriſti tradiderint, tamen qui per tot annos de tali lege in obliuionem tradita, cognitionem non

habent, excusantur, ac si nũquam illis talis lex promulgata fuisset, & quia lex non obligat nisi promulgata fuerit, & quę promulgata est nisi in notitiam venerit, sequitur quod isti non teneantur præcepto baptismi, dummodò illam sine culpa ignorauerint,

17 ad hoc dicit *D. Tho.* quod duplex est infidelitas, vna negatiua, altera contraria, hæc est quando habetur notitia de fide, sed ei contradicitur, vt accidit Turcis, & Saracenis, quæ non excusat: negatiua est quando de fide notitia nulla habetur, vt in casu, & ista non est culpabilis, quod si tales infideles non saluantur, est propter alia peccata, quæ committunt, sed esto quod aliquis viueret secundum legem naturæ sine aliquo mortali, an saluaretur sine baptismo? dicunt aliqui quod damnaretur propter peccatum originale, nam post promulgationem Euangelij non remanet aliud remedium contra originale, nisi quod dictum est. hucusque Summa Corona.

Verùm melius dicendum cum eodem *D.Tho.2.2.q.10. ar.1.* quod qui viueret secundum legem naturæ, supponendum est

18 se conuersurum ad Deum per aliquod auxilium speciale, sine quo nemo se conuertere potest, iuxta illud, conuerte me Domine, & conuertar; nam per negatiuam infidelitatem non corrumpitur ratio naturalis, vt homo non possit se conuertere ad Deum, verumque, & quod in se bonum est cognoscere, vnde Deus, qui diues est in omnibus ostenderet ei modum, quo saluari posset, vt de Cornelio legitur *act. apost.10.* & de Eunucho baptizato à Philippo *cap.8.*

19 Qibus videntur concordare quæ leguntur apud S.Birgittam *lib.6.reuel.cap.116* videlicet, verumtamen homini tendenti ad æternam vitam, necessaria sunt mandata, quia sine illis saluari non potest homo, dũmodò tempus, & copiam habeat instructis &c. *Nauar.in summa cap.11.n.21. ex eod. D. Tho.cit.ar.1.* dicit, quod infidelis negatiuè, qualis est omnis, qui non credit, eo quod non est sibi satis notificata fides, licet non peccet non credendo, nec ob hoc damnetur, damnabitur tamen propter alia peccata, vt voluit etiam *Tolet.lib.4.n.1.& 2.Bonac. tom.1.disp.2.q.2.pun.2.n.15. cum recentiorib.* dicit tales infideles saluandos esse si naturæ legem seruauerint, quia credibile est Deum seruanti legem naturæ daturum lumen, & speciale auxilium, quo se valeant ad ipsum conuertere. Adde quod dicitur apud relatam S. Birgittam ibi, & ideò qui voluerit venire ad me, non habet sollicitari de ignorantia legis, dummodò vti voluerit conscientia sua, quæ dicit hoc velle pati, quod facit alteri.

Verùm *in c.firmiter de summa Trinit.& fide catholica §.vna verò, iuncto c. quoniam ve-*

20 *tusto 24.q.1.* apertè dicitur quod nullus omninò extra Ecclesiam saluatur, nisi distinguendo cum prædictis, intelligamus relata iura loqui de ijs, qui notitiam habuerunt de fide Ecclesiæ, eamque recipere noluerunt, vt de Turcis, & Saracenis dictum est, vel intelligendo ea secundum litteram,

21 dicamus & melius seruantes legem naturę habituros à Christo lumen, quo medio suscepturos baptismum saltem in voto per contritionem, & sic intra Ecclesiam obituros, & saluandos, iuxta relatam doctrinam *D.Thomæ.*

Quæritur de materia remota, & proxima Baptismi, cuius quæsiti occasione alia ad materiam attinentia resoluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Materia remota baptismi est qualibet aqua naturalis, dummodò non soluatur species aquæ, etiamsi esset ex luto, niue, vel glacie liquefactis in manu baptizantis, in casu tamen necessitatis.*

2 *Lixiuium, brodium carnium, piscium, vel herbarum, & decoctionum Aromatariorum sunt materia sufficiens baptismi in necessitate, extra quam, licet si verus baptismus, peccat tamen grauiter baptizans in istis, n.3.*

4 *Baptismus in vino, ceruisia, lacte, vel in quibuscumque liquoribus herbarum, florum, aut arborum, vel à vitibus manantibus, seu in sudore, sputo, vrina, vel lacrymis est inualidus, etiam in necessitate, peccatq; mortaliter in his baptizans. Factus cum materia dubia in casu necessitatis, est repetendus sub cõditione, euaso periculo, n.5*

In igne commemoratus apud Matth. c.3. qualis sit, & quomodo intelligatur? n.6.

7 *Ignis aliquando accipitur in sacra pagina pro tribulatione.*

8 *Materia proxima baptismi est ablutio, & hæc est*

est contactus successiuus, quo aqua abluit corpus, fitq; tripliciter, siue tamen vno, vel alijs modis baptizetur, debet simul forma, & materia applicari, sed quid si parua morula inter ablutionem, & forma prolationem interuenerit, n. 9.

10 *Baptismus potest fieri vnica ablutione, omissa trina, nisi aliter sit intentio baptizantis, sed regulariter est seruandus Ecclesiæ ritus, aliàs peccatum committitur. Est regulariter faciendus in capite, sed non requiritur vt sordes capitis auferantur, quia per eum mundatur anima non corpus, n. 11. Potest in casu necessitatis perfici etiam cum vna gutta aquæ fluentis per aliquam partem corporis secundum aliquos n. 12. In vestibus, aut pileo, capillis, vel in secundina infantis, aut in corio, intra quem inclusus immergatur, si in casu necessitatis non possit in alta parte fieri, verisimile est quod valeat, sed repetendus est sub conditione periculo transacto, n. 13. In pede, vel digito, vel alia parte corporis capite excepto, si fueris factus tempore necessitatis, tutiùs est euaso periculo repeti sub conditione, licet aliqui negent, quia anima est in qualibet parte corporis, sed nequit fieri in vtero matris, mortua tamen, viua prole potest secari, extrahi puer, & baptizari, n. 14. & 15. Non esse validum si infans projciatur in flumen, vel puteum, aut locum similem etiam intentione, & forma interuenientibus dicunt aliqui, quod author negat, n. 16. & 17.*

18 *Mulieris prægnantis ad mortem damnata, vel torqueri ordinata, est differenda exequutio sententiæ, primo casu vsque ad partum editum, secundo ad quadragesimum diem post partum.*

19 *Anima præfertur innumerabilibus corporibus.*

Resolutio VI.

1 Materia remota baptismi est aqua vera, & naturalis, ex *Trid. sess. 7. can. 2 hoc tit. D. Tho. p. 3. q. 66. ar. 4 cor.* ibi, est qualibet aqua naturalis qualitercumque transmutata, dummodò non soluatur species aquæ, si verò soluatur species aquæ non potest fieri baptismus, idem legitur in *Catechis. hoc tit. p. 2. n. 2.* esse scilicet omne naturalis aquæ genus, siue maris sit, siue fluuij, siue paludis, siue putei, aut fontis, quæ verba recitat *Belarm. lib. 2. dist. 1. cap. 2. n. 1. eod. tit.* idem de aqua ex niue liquefacta, nõ autem in niue propria, vel glacie, quæ abluere non possunt, *ex eod. D. Tho. Tabiena, Tolet. summa corona*, & alijs scribit *Bonac. tom. 1. disp. 2. q. 2. n. 5. pun. 3.* quod si glacies, vel nix resoluerentur in manibus baptizantis ante ablutionem esset materia sufficiens, vt rectè docent alij apud *Dian. p. 5. tract. 3. resol. 2.*

2 Consistit etiam baptismus in lixiuio, brodio carnium, vel piscium, quando non est notabilis mixtio, vt aqua non sit, ità etiam in aqua expressa à luto, quamuis cum terra, & similiter in aqua sulphurea, *Tolet. lib. 2. cap. 18. n. 3.* idem de brodio leguminum, quando non est congelatum, seu mutatum in aliam speciem, & fortiùs de brodio herbarum, & decoctionibus aromatariorum DD. apud *Dian. p. 5. tract. 3. resol. 1.* qui tamen omnes hoc didiecerunt à *D. Tho. vbi supra ad 2.* licet ab eis non citato, qui sic loquitur.

Admixtio Chrismatis nõ soluit speciem aquæ, sicut nec etiam aqua decoctionis carnium, aut aliorum huiusmodi, nisi fortè sit facta tanta resolutio corporum lixatorum in aqua, qnod liquor plus habeat de aliena substantia, quam de aqua, quod ex spissitudine percipi potest; si tamen ex liquore sic inspissato exprimatur aqua subtilis, potest in ea fieri baptismus, sicut & in aqua, quæ exprimitur ex luto, licet in luto baptismus fieri non possit, &c. quibus adde,

3 quod extra casum necessitatis, quãuis baptismus modo prędicto esset verè baptismus, grauiter tamen baptizans peccaret, sicuti etiam si in qualibet aqua naturali, sed non benedicta, *Tolet. loco cit.* imò sacrilegium committeret, iuxta *Henriq. Regin & alios apud Bonac. vbi supra*, essetque irregularis, si non sacerdos baptizaret *ex c. 1. de Cler. non ordin. minist.* ex quibus infert *Tolet. n. 3.* quẽ sequitur idem *Bonac. n. 2.* vbi alij, non solum

4 peccare mortaliter, sed inualidè baptizare quemcumque baptizantem etiam in casu necessitatis cum vino, ceruisia, lacte, vel in liquoribus herbarum, florum, aut arborum, vel à vitibus manantibus, quæ non sunt aquæ naturales, vel in sudore, sputo, aut vrina, quæ sunt excrementa, vel etiam in lacrymis.

Quam quidem doctrinam docuit etiam originaliter idem *S. ibid. ad 5.* sequuntur alij

recentiores apud *Dia.p.5.tract.3.resol.2.* de
sputo tamen est tex. expressus *in cap.penult.*
hoc tit. & pro regula generali memoranda
semper est doctrina supra cit. eiusdem S.
quod qualitercumque transmutata sit aqua
naturalis, sufficiat in casu necessitatis, dum-
5 modo non soluatur species aquæ, verùm
sequuto baptismo cum tali materia dubia,
euasoque periculo, erit repetendus sub
scita conditione, si non es baptizatus, vel
baptizata ego te baptizo, *c.2.eod.tit.Sotus in*
4.sentent.dist.3.q unica ar.4.versus finem,Co-
ninc.q.66.ar.4.dub.1. n.22. & 83. Regin. lib.
27.n.13.Dia.p.5.tract.3.resol.1.

Horum occasione quæritur dum *Io. apud*
6 *Matth. 3.* prænuncians hunc baptismum di-
xit; ille vos baptizabit in Spiritu S. & igne,
num sit etiam necessarius ignis, vel possit
fieri baptismus in igne solo, cui respondet
S.*cit.ar.3.*ad 1.quod illuminatio pertinet ad
ignem actiuè, ille autem qui baptizatur non
efficitur illuminans, sed illuminatus per fi-
dem, quæ est ex auditu, vt dicitur ad *Rom.*
19. & ideò magis competit aqua baptismo,
quam ignis; quod autem dicitur baptiza-
bit vos in Spiritu S. & igne, potest per
ignem, vt *Hieron.* dicit intelligi Spiritus S.
qui super discipulos in igneis linguis appa-
7 ruit, vt dicitur *act.10.* vel per ignem potest
intelligi tribulatio, vt *Chrysost.*dicit super
Matth. quia tribulatio peccata purgat, &
concupiscentiam diminuit, vel quia vt *Hi-*
*lar.*dicit super eundem Matth.baptizatis in
Spiritu S. reliquum est consummari igne
judicij; quam doctrinam transcripsit eodem
modo *Bonac. vbi sup. n. 11.* & citat *Suar. &*
Henriq. non autem *Sāct.*cuius est originali-
ter, quod ego non laudo, quia dandus est
honor, cui debetur, patet ergo ex prædictis
non esse necessarium ignem, nec in igne
posse baptizari, tum quia fuit institutus in
aqua tantum, vt dictum est, tum quia sic
se habet immemorabilis Ecclesiæ consue-
tudo.

Et ex his constat quæ sit materia remota
8 baptismi, sequitur vidēdum de proxima, &
hæc est ablutio, quæ est contactus successi-
uus, quo aqua successiuè contingit, seu ab-
luit corpus, quæ quidem ablutio, vel fit per
immersionem, vel infusionem, aut aspersio-
nem, *Catechis.vbi sup. n.17.* Immersio dici-
tur, quando corpus baptizandi ponitur in
aqua, sed ex aliquo vase proijcitur aqua
super corpus; aspersio verò est quædā aquæ
dispersio super multos baptizandos, *Belar-*
*min.lib.2.hoc tit.dist.4.cap.3.n.3.*vbi addit in-
fusionem esse magis in vsu, sicut etiam le-
gitur in *Catechis.ibid.*Sed tertius modus fuit
seruatus à D.Petro, qui vna die tres mille
homines ad fidem traduxit, vt legitur *Act.*
*Apost.cap.2.*quem tamen modum ait *D.Tho.*
*3.p.q.67.ar.6.ad 2.*non esse seruandum, nisi
quando immineret ruina, vel gladius, aut
aliud huiusmodi, quod omninò moram non
pateretur, vt sigillatim omnes baptizaren-
9 tur, quocumque tamen modo fiat, debet
aspersio, vel immersio, vel infusio, & ver-
borum pronunciatio simul fieri, vt dicunt
omnes, & legitur in *Catechis. cit.n.17. & Be-*
larm. vbi supra; num autem possit aliqua
parua morula inter ablutionem, & formæ
prolationem interuenire tam in isto, quam
in alijs sacramentis vide infra *resol. 168.*
n.1.

Licet autem si vnica ablutio non trina
10 fiat, sufficiens sit, nisi baptizans expressam
intentionem haberet non conficiendi sacra-
mentum, nisi completa tertia ablutione
iuxta *D.Tho.Vasq.Henriq. & alios apud Bo-*
nac.tom.1.disp.2.q.2. pun.3. n.30. & 31. ser-
uandum tamen esse Ecclesiæ ritum dicunt
omnes, adeò quod grauiter peccaret Paro-
chus, qui eum prætermitteret, *Sotus dist. 5.*
ar.11.Valent. tom.4. disp.4.q.1.pun.2. versic.
11 *secundo sequitur*; sed regulariter ablutio
debet fieri in capite, quia cum in ipso vi-
geant omnes sensus, tum interiores, tum
exteriores, est potissima corporis pars, *D.*
Tho.3.p.q.68. ar.11.ad vltimum,Catechis. cit.
n.19.& Belarm. vbi supra; per quam tamen
ablutionem non requiritur, vt sordes cor-
poris auferātur, & materialiter infans mun-
detur, quia sacramentum baptismi non est
institutum ad tollendas sordes corporis,
sed animæ, *Nugnus q.66 .ar.4.in fine Cha-*
mer. cap.2.dub.2.

12 Dubitari modo contingit de quantitate
aquæ, quæ satis sit ad baptismum, & *Bonac.*
cit.n.19.ex Valent.Viuald.Possen. & alijs vult
neque tres guttas sufficere, etiam in casu
necessitatis, sed contrarium rectius docent
Vasq.3.p.tom.2.disp.245.cap.4. n.32. Henriq.
lib.2.cap.21.n.4.P.Dia.p.3.tract.4.resol.5 vbi
asserit verum fuisse baptismum, quem
contulit quædam mulier, infanti moribun-
do cum signo Crucis impresso in fronte, di-
gito in aqua madefacto, & propterea se-
cundum istos sufficit etiam vna gutta con-
tingens

tingens corpus, & ſucceſſiuè fluens per aliquam eius partem, vt clarius dicit idem *Dia ex multis p.5.tract.3.reſol.5.*

13 Iterum dubitatur an validus ſit baptiſmus ſi aqua tangat tantummodo veſtes, aut pileum, aut corium, intra quod infans incluſus immergatur in aquam, aut tangat capillos, vel pellem infantis, quæ dicitur ſecundina, & negatiuam ſequitur idem *Bonac.n.21.& 22.* quam dicit eſſe communẽ, contrariam tamen de abluto in capillis docent *Soto in 4.diſt.3.q. unica ar.7.Henriq.lib.2 cap.7.n.2.* vbi ait capillos eſse partem hominis ad ornamentum, & ex Ariſtot. viuere, & vegetari. Eodem modo de abluto in ſecundinis ſcribunt *Sylu. V. Baptiſmus 4. n. 2. & alij cum P.Dia.p.5.tract.3.reſol.4. & reſol. 112.* negant tamen poſse validè baptizari in veſtibus, aut pileo, *Henriq.cit.cum Regin.lib. 27.n.15.& alij*, de quo dubitari poſset in caſu neceſſitatis, quia aliàs videretur dicendum commemoratum baptiſmum à D. Petro ſupra *n.8.* fuiſſe inualidum, cum veriſimiliter impoſſibile ſit aſpergendo tot millia hominum non fuiſse aliquos ex eis in prædictis tantum locis aſperſos, niſi dicas illos, ad quos aqua non peruenit profuiſse baptiſmum flaminis, ſed poſtea data opportunitate baptizatos fuiſſe baptiſmo fluminis vide *Mangrell.in addit.ad Bart.in l.ſcire debemus, verſic.tot ſunt, de verb.obligat.* & propterea arbitror nullo modo eſse in prædicto caſu omittendum baptiſmum in locis prædictis, ſi alio in loco, vel modo fieri non poſſet, quia melius eſt adhibere medium ſalutis incertum, quod fortaſsè proderit, quam nullum, vt ait *Præpoſ.p.3. q.66. art.8. dub.3. n.90.*

14 In omnibus autem caſibus relatis, periculo mortis euaſo, reperendum eſse ſub conditione baptiſmum non dubitatur, etiãſi fuerit factus in pede, vel digito, excepto ſi fuerit in capite; tunc enim elapſa neceſsitate non eſt repetendus, *D. Tho.dicto ar.11. ad vltimum*, *Tabiena v.baptiſmus 5. n.5. Sylu. eod.4.q.2.Tolet.cit.n.8. alijque multi apud eundem Bonac.n.24.& apud Dia.p.5. tract.5. reſ. 11.* Verùm *Henriq.cit.& Vaſq.vbi ſup. n.18.* aſſerunt validum eſſe baptiſmum, abluta quacumque parte corporis, ſiue manu, ſiue pede, vel alijs, & conſequenter non repetendum, quia anima rationalis eſt in qualibet parte corporis, ergo illa abluta, effectus baptiſmi, ſufficienter in anima recipitur, quæ opinio eſt valdè probabilis.

15 Item fuit dubitatum an in periculo mortis baptizari poſſit infans in vtero matris? cui reſpõdet idem *S.art.cit.in cor.* negatiuè, quia baptiſmus eſt ſpiritualis regeneratio, & cum non renaſcatur, niſi primo naſcatur, ſequitur non poſſe regenerari per baptiſmũ niſi primo exeundo de vtero naſcatur; ſic etiam quia non poteſt incluſus in vtero ablui, nec ad ſaluandam animam pueri poterit occidi mater, quia non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona, vt docet *Apoſtolus ad Rom.cap.3.* benè verum eſt, quod mortua matre, adhuc viuente prole, aperiendum eſt corpus matris, vt infans baptizetur. iuxta documentum *S.cit.ad 3. Tolet. vbi ſup.n.10.Vaſq.etiam cit.Regin.lib.27.n.16*
16 *& alij ſupra*. Quod ſi quis in eodem caſu neceſſitatis proijceret infantem in puteum, vel flumen proferendo verba formæ cum intentione baptizandi, non eſſe baptiſmum, dicit *Tabiena v.baptiſmus 5.n.7. ex Petro de Vbald.in 4.diſt.6.q.1. ar.2.* ea ratione, quia deeſt materia proxima, quæ eſt ablutio, putans requiri vt baptizans tangat abluendo infantem, cuius opinionis ſunt *Sotus, & alij apud Henriq.lib.2.cap.7.n.3. Tolet, dicto lib.2. cap. 18. nu.9.* addens mortuo puero, baptizantem peccate mortaliter, eſſeque irregularem.

17 Sed contrariam ſententiam ego ſequor circa validitatem baptiſmi, niſi infans moriatur antequam perueniat ad aquam, quã docent *Suar.to.3.diſp.20.ſect.3.§.Vna tantũ, Valent.to.4.diſp.4.q.1.pun.2.verſic.ſeptimo ſequitur, Vaſq. cit.diſp.145. cap.3.num.19. verſ.mihi vero, alijque apud Regin.ſupra n.21 & 22. additio ad deciſ.Capp.Thol.395.ex Ab. in c.pannlt.hoc tit.* ratio eſt, quia dum concurrunt omnia requiſita, materia ſcilicet, forma, & intentio, nihil aliud requiritur pro validitare, nec eſt in conſideratione dictum Tabie. quod requiratur contactus baptizãtis, quia aliàs fuiſset inualidus baptiſmus factus à D.Petro ſup. relatus per aſperſionem, non negatur tamen baptizantem mortuo infante, vltra mortale commiſsum, eſſe irregularem, tenerique in foro exteriori de homicidio, vti verum homicidam, *ex l. 1. & l.nihil intereſt, ff.ad l.Cornel. de ſicar.* quia vt paulò ante diximus ex Apoſtolo, non ſunt facienda mala, vt inde eueniant bona.

18 Quod ſi mater grauida per iudicis ſententiam ad mortem damnetur, differendam

eſse

eſse exequutionem donec pariat ſtatutum fuit per *l. Imperator, ff. de ſtatu homin.* propterea reijcienda omninò eſt opinio *Bonac. to. 1 diſp. 2. q. 2. pun. 6. n. 10.* qui ex *Filliuc.* falſo putauit poſſe aperiri vterum matris viuentis, vt infans extrahatur, & baptizetur, ſi modo ex mortis matris dilatione damnum Reipublicæ immineret, talem enim barbariem nūquam vidi in Tribunalibus Regni Neap. neque in alijs Chriſtiani Orbis audiui, aut legi, practicatam: imò ex contrario vidi mulierem tam in caſu mortis, vt ſupra, quam ſi torquenda eſſet ad eruendam veritatem ex ore proprio, non ſolum differri torturam, ſed etiam poſt partum expectari alios 40. dies, quia ſi ſtatim poſt partum torqueretur, mori poſſet, & iudex hoc ordine non ſeruato, puniendus eſſet, *l. prægnantis, ibique Gl. & Bart. ff. de pœnis, iuncta l. 2. §. ſi non propter, ff. ſi quis caution.* Anima
19 enim mulieris, quæ periculo perditionis æternæ ex tam immani tormento ſubijceretur, innumerabilibus corporibus præferenda eſt, vt docet *Auguſt. in c. ſi habes circa fin. 24. q. 3. ad idem Gl. in c. ille 22. q. 5.*

Quæritur de forma baptiſmi, & alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmi forma commemoratur, quæ ſeruatur in Eccleſia Catholica, in qua ſi omittatur (in)(Ego) Amen) non per hoc vitiatur baptiſmus, nec eſt mortale, ſecus de ſingulis alijs, & n. 2.*

3 *Baptizare non poteſt quis ſe ipſum, ſed ſi ſe immergendo in aquam diceret, ego me baptizo &c. & moreretur, præuia intentione baptizandi, ſaluaretur propter fidem ſacramenti n. 4.*

5 *Baptizari non poteſt vnus à duobus, quorum alter eſſet mutus, alter ſine manibus, ſed an poſſit à duobus non mutis, neque manibus carentibus, ſed ſolum de iuriſdictione altercantibus? n. 6.*

7 *Baptiſmus collatus alicui putato maſculo, qui erat fœmina, vel è contra, valet, ſed mutatur nomen, quod fieri poteſt etiam de cognomine, fraude ceſſante, n. 11.*

8 *Argumentum valet de vno ſacramento ad aliud.*

9 *Character baptiſmi non cauſatur directè ex intentione baptizantis, ſed ex elemento materiali, exterius adhibito.*

10 *Matrimonium cauſatur directè ex conſenſu, quo deficiente nullum eſt.*

12 *Baptiſmus factus in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus S. eſt inualidus, ſecus ſi diceretur in nomine Patris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus S. Sed ſub hac forma, ego te baptizo eum Patre, cum Filio, & cum Spiritu S. eſt inualidus.*

Reſolutio VII.

1 **B**Aptiſmi formam docuit nos Chriſtus per Apoſtolos, quæ legitur apud *Matth. cap. 28. in fine*, ibi, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. ſicut etiam Pontifex *in cap. debitum de baptiſ. & D. Tho. 3. p. q. 66. ar. 5. in cor.* videlicet, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti; *Tolet. lib. 2. cap. 19. n. 1.* eamque communiter ſeruari in Eccleſia Catholica legitur in *Catech. Rom. p. 2. hoc tit. nu. 13. & apud Belarm. lib. 2. diſt. 4. cap. 2. n. 2.* quibus in locis ſcriptum etiam eſt, quod omiſſa illa
2 voce (ego) non per hoc inualidus ſit baptiſmus, quia eius vis continetur in verbo (baptizo) idem *S. ibid. ad 1.* ſicuti nec ſi omittantur (in) & (Amen), quia cum non ſint de ſubſtantia formæ, eorum omiſſio, eam non vitiat. *Sotus diſt. 3. ar. 5. Vaſq. tom. 3. diſp. 142. n. 30. & alij apud Henriq. lib. 2. cap. 8. n. 6.* èaque omitteurem, mortaliter non peccare dicitur intra *reſol. 167. n. 12.* contra *Tolet. cit.* ibi etiam probatur cætera verba formæ prędictæ, eſſe de ſubſtantia, ita quod vno omiſſo, baptiſmus ſit inualidus, ibidem ſunt alia ad hanc materiam attinentia.

3 Sed vltra quæro, num poſſit quis ſeipsū validè baptizare? reſponder *D. Tho. ar. cit. ad 4.* negatiuè, exemplo ducto à Chriſto, qui voluit à Ioanne baptizari, & addit *Tolet. cap. 5. n. 1.* quod non verificaretur ſenſus formæ dicendo (ego me baptizo) *Vaſq. 3. p. diſp. 148. cap. 7. n. 53. Regin. lib. 27. n. 43.* aliā rationē addit *Innoc. III. in d. c. debitum* dicens, quod in baptiſmo illa ſpiritualis generatio celebratur, de qua Veritas ait, oportet vos naſci denuò, quia niſi quis fuerit renatus ex aqua, & Spiritu Sancto, non intrabit in Regnum Cælorum; ſicut ergo in carnali generatione, qua proles ex viro, & fœmina naſcitur, alius eſt qui carnaliter gignit, & alius qui carnaliter gignitur; ſic etiam in

ſacramentali generatione, qua ſoboles ex aqua, & Spiritu S. renaſcitur, alius debet eſſe qui ſpiritualiter generet, & alius qui ſpiritualiter generetur. Sanè cum corpus exterius, ſiue cum cor interius baptizatur, oportet vt vtrobique paternitas, & filiatio valeat inueniri, quibus baptizans, & baptizatus ad inuicem referantur.

4 Benè tamen verum eſt, quod ſi quis in aquam ſeipſum immergeret, dicendo, ego me baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus S. amen, licet data opportunitate eſſet denuo baptizandus ab alio, vt dictum eſt, ſi tamen continuo decederet, ad cæleſtem patriam protinus euolaret propter ſacramenti fidem, etſi non propter fidei ſacramentum, vt legitur in dicto *c. debitum*, & probatur etiam *in c. nullus in princip. de pœnit. diſt.* 7. & hic eſt baptiſmus flaminis, ſeu in voto, quem ſupra diximus etiam ſine aqua cum ſola contritione ſufficere, vt pariter docet *Gl. magna in d. c. debitum in fine*. Notandum

5 etiam eſt nõ poſſe plures ſimul vnum baptizare, ſi modò vnuſquiſque eorum de per ſe non valeret, quando ſcilicet alter eſſet mutus, qui non poſſet proferre verba formæ, alter ſine manibus, qui actum exercere nequiret; non enim poſſunt ambo ſimul baptizare, vno exercente actum, & alio proferente verba, *D. Tho. cit. ad* 4. ratio eſt, quia mutatur ſenſus formæ; nam proferens verba dicit, ego te baptizo, &c. cum reuera ipſe non baptizet, ſed tantùm proferat formam, altero interim àbluente, idem Sanctus *dicto ar.* 5. *ad* 4. *Tolet. lib.* 2. *cap.* 20. *n.* 10. *Valēt. tom.* 4. *diſp.* 4. *q.* 2. *pun.* 2. *Henriq. lib.* 2. *cap.* 12. *n.* 2. *Regin. lib.* 27. *n.* 43.

6 Sed quid ſi plures non muti, nec manibus carentes baptizarent vnum? reſpondet idem *S. q.* 67. *ar.* 5. *cor.* quod poſſet hoc contingere, quando vterque contentioſè aliquem baptizare conaretur, vel quando duo de Parochia contenderent, & tunc manifeſtum eſt, quod qui prius verba proferret, ſacramentum conferret, alius verò quantumcumque ius baptizandi haberet, nihil faceret, etſi verba pronunciare præſumeret, eſſet puniendus tanquam rebaptizans, ſi autem omninò ſimul ambo verba proferrent, & hominem immergerent, aut aſpergerent, eſſent puniendi de inordinato modo baptizandi, non autẽ de iteratione baptiſmi, quia vterq; intenderet non baptizatũ baptizare, & vterq; quantum eſt in ſe baptizaret, nec traderet aliud, & aliud ſacramentum, ſed Chriſtus, qui eſt vnus interius baptizans, vnum ſacramentum per vtrumque conferret, ſequuntur *Tolet. Valent. Henriq. Regin. & alij loc. cit.*

7 Præterea quæro num validus ſit baptiſmus collatus alicui, quem miniſter credebat eſſe maſculum, cum eſſet fœmina, vel è contra, aut eſſe filium Titij, qui erat filius Caij? reſpondet *Tolet. lib.* 2. *n.* 11. quod error perſonæ, vel ſexus non impedit baptiſmũ, dummodo miniſter baptizare intendat, niſi haberet intentionem nolle baptizare, ſi eſſet alius, quam putat, quod nullus facit, idẽ dicunt *Tabi. v. baptiſmus* 6. *nu.* 12. *Henriq. lib.* 1. *cap.* 10. *n.* 6. *Vaſq.* 3. *p. q.* 65. *diſp.* 138. *c.* 6. *n.* 92. Sed contra arguit *D. Tho. in* 4. *diſt.* 30. *q.* 1. *ar.* 1. quod error perſonæ vitiat matrimonium, vt docet etiam *Magiſter ibid.* & di-

8 cam infra de matrim. Sed valet argumentũ de vno ſacramento ad aliud, ergo ſicut error vitiat matrimonium, ita debet impedire baptiſmum.

9 Cui reſpondet idem *S. ad* 3, quod character baptiſmi non cauſatur directè ex intẽtione baptizantis, ſed ex elemento materiali exterius adhibito; intentio autem operatur ſolum, vt dirigens elementum mate-

10 riale ad effectum proprium, ſed vinculum coniugale ex conſenſu cauſatur directè, & propterea quando interuenit error, interuenit etiam diſſenſus, quia qui errat non conſentit, *l. ſi per errorem, ff. de iuriſd. omnium iudic. & l. conſenſiſſe, ff. de iudic.* & ſucceſſiuè matrimonium vitiatur ex defectu cõſenſus, qua de re non eſt ſimile, quod confirmatur ex *l. ſi quis in fundi vocabulo, de legat.* 1. *& l. ſi in nomine, & ibi Gl. C. de teſtam.* vbi error in nomine proprio, vel cognomine, ſi de corpore conſtet, non vitiat legatum. Hinc no-

11 tat *Sotus in* 4. *diſt.* 1. *q.* 5. *art.* 8. erraſſe quoſdam in Luſitania, qui iterum baptizarunt quendam prouectæ ætatis, eo quod ſemper fuerat fœmina exiſtimatus, & baptizatus vti fœmina, & propterea detecto errore non eſt repetẽdus baptiſmus, vt diximus, ſed ſolum mutandum nomen, quod fieri poteſt, ſicuti etiam cognomen, quamuis erratum non ſit, ſed ad libitum, omni tamen fraude ceſſante, vt legitur in *l. vnicâ, C. de mutat. nomin.*

12 Sed quid ſi aliquis baptizando diceret (in nomibus Patris, & Filij, & Spiritus S.) an conficeret ſacramentum? reſpondent multi

multi apud *Bonac.tom.1.diſp.2.q.1.pun.4.n.5* negatiuè, & rectè, quia illa dictio (in nominibus) non importat vniratem eſſentiæ diuinæ, inter quos citat *D.Ambroſ. Theodor.* alioſq; Patres antiquos, & modernos, quod ampliat etiam ſi diceret, in nomine Parris, in nomine Filij, & in nomine Spiritus S. ſed iſtud vlrimum negant *Tolet.lib.2.cap.19.ſub num.7.Suar.tom.3. diſp.21.ſect. 3. Coninch. q.66.ar.6.n.58.Dia.vbi recentiores p.2. tract. 17. reſol.15.* dicentes, quod baprizans ſub forma prædicta, videlicet, ego te baprizo in nomine Patris, in nomine Filij, &c. non ideò aſſerit eſſe plura nomina, ſicut qui diceret, in nominibus, ſed idem eſſenriale Dei nomen commune tribus, ter reperir, quod rectè fieri poteſt abſque pluralitate, ſicur verè dicirur Pater Deus, Filius Deus, Spiritus S. Deus, ſed Dij nuncupari non poſſunr, quia hoc ſignificat nahurarum pluralitatem, illud verò minimè, quia ſũt verus & idem Deus, & ſic in facti contingentia ipſe Diana con-
13 fuluiſſe teſtatur. Ex contrario ſi quis abſolutè diceret, ego te baptizo cum Patre, cum Filio, & cum Spiritu Sancto, inualidè baptizaret, eadem antedicta ratione, quia ſcilicet non exprimeret in his verbis vniratem diuinæ eſſentiæ, *Dia.cit.ex Comit.reſol.moral. lib.1.quæſt.10.Nugn.in 3.p.tom.1.q.66. art.5. diffic.4.*

Agitur de Miniſtro Baptiſmi, & Baptiſmi ſubiecto, item de Patrinis in eo adhibẽdis, & num oriatur cognatio ſpiritualis inter virum, & vxorem, ſi alteruter baptizauit proprium filium, & conſequenter impediatur debiti petitio?

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmi miniſtri ſecundum vnam opinionem ſunt in triplici differentia, vt infra & n.3.*

2 *Diaconi an poſſint de licentia Ordinarij, vel Parochi ſolemniter baptizare?*

4 *Miniſtri baptiſmi proprie loquendo ſunt duplicis generis, ſed cum ordine infraſcripto, cuius prætermiſſio non eſt mortale, niſi adeſſet ſacerdos, n. 5.*

6 *Baptizans extra neceſſitatem, ſi non ſit Epiſcopus, vel Parochus proprius fit irregularis, niſi ſit ſacerdos, qui ſolum peccat.*

7 *Lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi.*

8 *Baptiſmus poteſt fieri tam ab Angelis, quam ab animabus beatis ſecundum ſupernaturalem Dei ordinationem. Eius ſuſceptor eſt omnis in corpore mortali exiſtens vtriuſq; ſexus, n.9. Eſt omnibus neceſſarius de neceſſitate ſacramenti in re, vel in voto, ſanctificatis verò in vtero matris de neceſſitate præcepti, n.10. ſunt illius incapaces ſatyri, vel geniti ex fœmina, & bruto, quod ſi dubitetur de hoc, baptizantur ſub conditione n. 11.*

12 *Monſtrum natum ex viro, & fœmina, ſed cum duobus capitibus, eſt baptizandum vti duo animæ ſigillatim, & quid in caſu dubij?*

13 *Patrini officium quale erat olim, & quale hodie non poteſt in baptiſmo leuare è fonte plusquam vnus, & vna, alij ſi baptizatum tangant cognationem ſpiritualem non contrahunt, niſi fuerint etiam ad hoc electi n. 14. vbi deciſio 5. Congr.*

15 *Patrinorum ſolemnitas eſt omninò adhibenda, quod ſi in caſu neceſſitatis fuit omiſſa eſt poſteà ſupplenda, non tamen de neceſſitate ſacramenti, ſed præcepti*

16 *Baptiſmus ritè collatus, numquam poteſt repeti ſub pœna excommunicationis, & irregularitatis, imò de Iure ciuili eſt pœna mortis, ſi vero probabiliter dubitetur de eius validitate confertur ſub conditione, & ceſſant pœnæ.*

17 *Baptizare, vel de ſacro fonte leuare æquiparantur circa cognationem ſpiritualem, ſed an idem ſit extra caſum neceſſitatis?*

18 *Baptiſmus cõmunis filij, vel alterius coniugis ſi fiat à Patre, vel matre in caſu neceſſitatis, nulla inter eos contrahitur cognatio ſpiritualis, & propterea non impeditur debiti redditio, vel petitio n. 19 vbi hoc limitatur ſi alteruter fungeretur officio Patrini.*

20 *Baptizans filium communem, vel alterius coniugis extra caſum neceſſitatis, non ſeparatur, ſed peccat mortaliter, & fit irregularis. n.21. verum non contrahit cognationem ſpiritualem, niſi hoc fiat ante contractum matrimonium, quia tunc impedit contrahendum, & dirimit contractum, n.22.*

Reſolutio VIII.

1 AD primum triplicem eſſe miniſtrorũ baptiſmi ordinem docent *Catechiſ. Rom.*

Rom.de baptiſmo p.2.n.23. & Belarm. eod. tit. cap.3.num.2.lib.2. diſt.4. Primo Sacerdotes, quibus datum eſt, vt iure ſuo, non extraordinaria alia poteſtate hoc munus exerceant, ipſis enim in Apoſtolis præceptum eſt à Domino apud *Matth.cap.28.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. *& c.1. de Clerico non ordin.baptiz. cap. Diacones 93. diſt.D.Tho.3. p.q.67. ar.2.* conferunt dicta per *Capic.Latr.deciſ.c.2. n.12.ex DD. Athanaſ.Ambroſ.Hieron.& alijs.*

2 Secundo Diaconos de licentia Epiſcopi, aut proprij Parochi, neceſſitate exiſtente, quos poſſe etiam ſolẽniter baptizare videtur aſſeruiſſe *Catech. & Belarm. citatos* (quod tamen de ſolemnitate videtur negatum per d. *c. Diacones, & per D.Tho.cit.ar.* t.*ad* 3.maximè hodie exiſtente copia ſacerdotum, *Valent.tom 4. diſp. 4.q.2 pun.*t.*Regin.lib.27.cap.6.n.37.Tolet.lib. 2.cap.20.n.2.* licet contrarium cum illis voluerit *Suar.tom.3.diſp.23.ſect.2,§.penult.*)

3 Tertio omnes de populo tam mares, quã fœminas,quamcumque ſectam profiteãtur, in caſu tamen neceſſitatis, & ſine ſolemnitate,*c.1.§. fin. de ſumma Trinit. & fide cathol.* Hæreticis enim hoc permiſſum eſt ex *Trid. ſeſſ.7.can.4. de baptiſm.* Iudæis quoque, & quibuſcumque infidelibus ex *c.Romanus, & c.à quodam Iudæo,de conſecr.diſt.4.* dummodo tamen intentionem habeant faciendi, quod Eccleſia Catholica intendit, & materia, & forma in reſolutionibus antecedentibus notatis vtantur, vt in citatis locis legitur, & in *Catech. vbi ſupra n.24.Belarm.dicto n.2.*& addit *Tolet. n.6.* quod licet infidelis non crederet ſe quidquam boni facere, & cum irriſione faceret, ſi tamen baptizaret ad petitionem baptizandi,intendens facere quod facit Eccleſia Catholica, vel vt ille petit, validè baptizaret.

Sed poſtquã diximus, & verum eſt Diaconos non poſſe, niſi neceſſitate exiſtente baptizare, & ſine ſolemnitate ex *dicto cap. Diacones,& S.cit.dicto ar* t.*ad* 3.ſequitur re-
4 ctius dicendum cum *Tol.* vbi ſupra duos tãtum eſſe miniſtrorum ordines, vnum ex officio,qui eſt quilibet Epiſcopus in ſua Diœceſi, vel Parochus in ſua Parochia, non autem omnis ſimplex ſacerdos, qui peccaret extra neceſſitatem baptizando ſine venia Epiſcopi, vel Parochi, vt ſtatim probabo, & Anthores ſupra cit.ſunt intelligendi de ſacerdotibus Parochis, vt ex eiſdem colligitur. Alter eſt neceſſitatis,& ſunt omnes, vt modò diximus,dummodò rationis vſum habeant, hoc tamen ordine ſeruato, vt præſente viro fœmina non baptizet,(niſi vir ne-
5 ſciret formam, quæ nota eſſet fœminæ,quã obſtetrices ſemper ſcire ſolent) nec laicus baptizet Clerico præſẽte,nec Clericus præſente Subdiacono, aut iſte præſente Diacono, nec Diaconus præſente Sacerdote, prætermiſſio tamen huius ordinis non eſt mortale peccatum, niſi adſit Sacerdos,quo præſente nemo poteſt ſine mortali baptizare, quia eſſet vſurpare alienum officium in re graui, niſi tamen ignorantia excuſaret, vel infantis neceſſitãs, quia fortaſsè ſacerdos (etſi præſens)baptizare nollet. *Sylu.v. baptiſmus 3.n.*t. *Henriq. lib.2. cap.28.ad finem, Valent.diſp.4.q.2.pun.*t.*verſic.quamuis, Tolet. cit.dicto cap.20.n.8.Vaſq.3.p.diſp.147. cap.5. n.34.& 35. Eman Sà v.baptiſmus n.7. P.Dia. p.3.tract.4.reſol.4.*

6 Extra verò neceſſitatem omnis baptizãs, qui non ſit Epiſcopus, vel Parochus vt ſupra, licet verè baptizet,grauiter tamen pec. cat. *D.Tho.p.3.q.67.ar.3.ad* t.*Henriq.cit.n.*1 *& cap.29.n.1.Regin.lib.27.n.38. & 46.* alijq; apud eos; imo eſſet irregularis non ſolùm exercendo ſacramẽtum baptiſmi, ſed etiam omnia alia ſacramenta ad ſe non pertinẽtia, *c.1.de cler. non ordin. miniſtr.* quem tex.putat *Tolet.dicto cap.20.n.*2 eſſe intelligendum de baptiſmo ſolemni facto à ſæculari, ſed gratis hoc aſſerit, cum tex. generaliter lo-
7 quatur, & lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi;*l.de pretio, ff.de public. in rem act.* Vnde minus rectè reprehẽdit *Sylu. v.baptiſmus 3.n.*t.contrarium docentem, cũ idem voluerit *Palud.in 4.ſentent.diſt.5. qu.2.* nec me mouent rationes *Dia.p.3.tract.4. reſol.4. verſic.nota tamen,*vbi ſentit cum *Tolet.* nec adducit tex. cit. contra quem rationes ſuæ non releuant; ſacerdos autem, qui Parochus non eſt. baptizans extra neceſſitatẽ non eſt irregularis, ſed peccat, vt ſupra dictum eſt,*Sylu.dicto n.*1.vbi dicit,& rectè hoc non eſſe à iure prohibitum, ſicut illud, quia tex.cit.loquitur de non ordinatis,*Valent.vbi ſupra circa fin.Henriq.dicto cap.29.n.*t.*Eman. Sà,& Regin.vbi ſupra.*

8 Sed Beati,& Angeli non ſunt capaces ſacramentorum paſſiuè, quia ſunt ſpirituales, & ſacramenta conſiſtunt in rebus materialibus,*D.Tho.3.p.q.80.ar.2.Suar.diſp.14.ſect.* t.*tom.3.Henriq.lib.1.cap.21.n.1.Regin.lib.26. n.50.*& latius infra reſol. 173. in fine: quæ-

ritur ergo num ſint illorum capaces actiuè? reſpõdetur, quod tam animæ extra corpus, quam Angeli poſſunt baptizare, aliaque ſacramenta miniſtrare, non tamen ſecundum legem Dei ordinariam, ſed ſecundum ſupernaturalem ordinationem, vnde niſi conſtet eſſe bonos Angelos, vel animas ſanctas non eſt eis credendum, tunc enim tenendũ abſque dubio eſſet ex diuina voluntate feciſſe, ità *Tolet. lib. 2. cap. 20. n. 3. Bonac. tom. 1. diſp. 2. q. 2. pun. 5. n. 7. ex Chamer. Henriq. Pitig. Filliuc. & alijs.*

9 Subiectum autem baptiſmi eſt quilibet homo natus, exiſtens in corpore mortali, ſiue infans, ſiue adultus, ſiue vir, ſiue fœmina; nemo enim ſine illo in re, vel in voto ſaluari poteſt, vt legitur apud *Io. cap. 3. & c. 3. de baptiſm. Trid. ſeſſ. 7. can. 5. eodem tit. D. Tho. 3. p. q. 68. ar. 1. & 2. cor. Catech. p. 2. ſub eod. tit. n. 32. & 34. Belarm. cit. cap. 5. n. 1. & 2.*

10 imò etiam poſt eius inſtitutionem ſanctificati in vtero matris tenentur ſub præcepto illum ſumere, ad recipiendum characterem, ſeque Chriſto Domino conformandũ, quod fit per baptiſmum (quamuis ſi ante eum opportunitate deficiente obirent, ſalui eſſent, ratione gratiæ ſanctificantis, *Tabiena v. baptiſmus 7. n. 2. ex eod. D. Tho. & alijs, Tolet. lib. 2. c. 21. n. 1. Bonac. diſp. 2. q. 2. pun. 2. n. 9.*) ideò tam Sanctiſſima Virgo, quam Apoſtoli fuerunt baptizati à Chriſto, vt dictum eſt ſupra *reſol. 5. n. 7. & 8.*

11 Satyrus autem, vel genitus ex fœmina, & bruto non ſunt capaces baptiſmi, quia non ſunt homines, nec habent peccatum originale, quod traducitur ab Adamo per virilem virtutem, vt probat *Henriq. lib. 2. cap. 21. ex eod. D. Tho. & alijs*; quod ſi dubitaretur an eſſet genitus ex viro, & fœmina, vel ex fœmina, & bruto, baptizandum eſſe ſub conditione docent *Nauar. Comit. & alij apud Bonac. cit. pun. 6. n. 5.* ne ſimpliciter tribuendo baptiſmum, maximè ſi haberet caput ferinum, & alia membra humana, baptizaretur brutum. Dubitari ſucceſſiuè po-

12 teſt quomodo monſtrum natum ex viro, & fœmina baptizandum ſit, veluti ſi cũ duobus capitibus, vel duobus pectoribus, & dicunt eſſe baptizandum vt duo, prius vnũ, & poſtea alterum, quia credendum eſt eſſe duas animas; ſi verò dubitaretur, an eſſent duæ animæ, tũc primò fit baptiſmus in vno ſimpliciter, deinde in alio cum conditione, ſi verò conſtaret vnum tantum hominem eſſe, ſemel eſſet baptizandus. *Tabiena v. baptiſmus 6 n. 14. Tolet. cit. n. 6. Sylu. eod. 3. qu. 10. Regin. lib. 27. n. 65. alijque apud eos.*

13 Ad ſecundum reſpondetur eſſe in baptiſmo adhibendum patrinum, cuius officium eſt leuare baptizatum de ſacro fonte, eumque poſtea inſtruere in rebus fidei, quæ inſtructio tempore D. Auguſt. erat maximè in vſu, vt in *Catech. Rom. cit. n. 28.* vbi verba eiuſdem Sancti referuntur: hodiè verò cum parentes huic officio incumbant, dum ſunt pariter Chriſtiani, qui ita frequenter eo tẽpore non erant, ideò obligatio patrini circa iſtud munus non eſt tanta, vt tradunt *D. Tho. p. 3. q. 67. ar. 8. cor. Tolet. lib. 2. cap. 26. n. 4. Bonac. cit. n. 18.* Vnus autem, vel ad ſummum vnus, & vna, debent eſse patrini, vt ſtatuitur in *Trid. ſeſſ. 24. cap. docet 2. de reform. matrim.* quod ſi alij vltra eos baptizatum tangant, cognationem ſpiritualem nullo pacto contrahunt, ibique legitur ad quas perſonas fuerit cognatio ſpiritualis reſtricta (iure communi, quod alias perſonas includebat, hodie in hoc ceſſante) vt infra *reſol. 36.*

14 Sacra tamen Congregatio cenſuit, quod ſi plures ſuſcipiãt, omnes cõtrahant cognationem, ſi non conſtat quis prius tetigerit, & plures ſint electi, vel nullus; ſi verò vnus eſt electus, ille tantum contrahat, vt in declaratione *Concilij cit.* ſed prius caput videtur refragari *l. duo ſunt Titij de teſtam. tut.* vbi actus ratione incertitudinis ruit in totum, item *l. arrianus de actionib. & obligat.* vbi habetur, quod in dubio proniores eſſe debemus ad liberandum, quam ad obligandum; quia tamen S. Congregatio eſt ſupra Ius poſitiuum, an correxerit, vel ita interpreta fuerit tex. prædictos ex ſolito ſancto fine, me libenter illi, & omnibus ſubmitto.

15 Quæ patrinorum ſolemnitas, ſeu ceremonia omninò adhibenda eſt, adeò quod ſecundum *Tolet. cit. n. 1.* ſi aliquis fuerit baptizatus neceſſitate vrgente abſque illis, & vixerit, ſunt poſtea talis ſolemnitas, aliæq; ceremoniæ ſolitæ, de præcepto adhibendæ, vt infra *n. 17.* quia ſunt ab Eccleſia inſtitutæ propter ſacramenti reuerentiam ad excitãdam fidelium deuotionem, & ad alios bonos effectus, non tamen ſunt de neceſſitate ſacramenti, *D. Tho. p. 3. q. 67. ar. 7. ad 2.* Bap-

16 tiſmus ergo ritè collatus ſiue in caſu neceſſitatis, ſiue extra eam, numquam eſt iterandus ſcienter ſub pœna excommunicationis, & irregularitatis, etiamſi fuerit collatus ab infi-

infideli, vel hæretico, *c. finali hoc tit. Trid. ſeſſ.7.can.11.eod.* & alibi, imò de iure ciuili eſt pœna mortis ex *l.2. C.ne ſanct.baptiſ.iteretur*, ſi verò probabiliter dubitetur de eius validitate, conferendus eſt ſub conditione expreſſa, vel in mente habita, vt in *cap. 2. hoc tit.*& ceſſant pœnæ prædictæ.

Ad tertium præmitto communem eſſe
17 DD.ſententiam apud *Sanch.de matrim.to.3 lib.9.diſp.26. ſub n.3.*vtrumque caſum leuare ſcilicet & baptizare, æquiparari in hac materia, *ex c. ad limina 30. q.1.* licet enim patrinus non ſit de eſſentia baptiſmi,vt modò eum *D.Tho.* diximus, eſt tamen in præcepto extra caſum neceſſitatis, *Trid.ſeſſ.24.*
18 *c.docet 2.idem Sanch. cit.* Si ergo ſumus in neceſſitatis contingentia,omni dubio ceſſãte, non ſolum non ſunt ſeparandi, ſed etiam inculpabiles iudicandi, & vti rectè egerint laudandi, & ſucceſſiuè coniuncti quamdiu vixerint ſiſtendi, *dicto cap.ad limina* ratione ibi tradita, quia qui culpa caruit, ſuæ ſatiſfaciendo obligationi, prolem baptizando, ne in æternum periret, pœnæ reus eſſe non debet per prohibitionem debiti coniugalis, ſeu ſeparationis ad inuicem. Idem in caſu, quo coniux baptizaret filium ſolius alterius coniugis in neceſſitate, ſatis conſequenter dicũt *Nauar.in manuali c.22.n.40.in fin.Henriq.dicto n.3. Petrus de Ledeſma de matrim.q.56.ar.1. dub.3.* quia militat eadem ratio, & propterea eadem eſt iuris diſpoſitio, *§. eadem ratione inſtit. quod cum eo qui in aliena. l.Illud,à contrario ſenſu,ff.ad l.aquil.imò maior auth.multò magis,C.de ſacroſ. Eccleſ.* Contra-
19 rium in patrino circa petitionem debiti docet *Henriq.lib.2.cap.18.n.3. in fine*, vbi communem appellat, quia ſi adſunt alij, ceſſat neceſſitas, etſi nõ adſunt,ceſſat præceptum, nec eſt allegabile pro patrino dictum, *c. ad limina*, ſed tantum pro baptizante.

Extra verò neceſſitatem ſeparandos eſſe
20 legitur in *c.1.*& *2. 30. q.1.* ſed iura prædicta videntur correcta ex *cap. 2. de cognat. ſpirit.*circa redditionem debiti, vt patet ibi, ideoque nobis videtur, quod ſiue ex ignorantia, ſiue ex malitia id fecerint, non ſunt ad inuicem ſeparandi, nec alter alteri debitum debet ſubtrahere, niſi ad continentiam ſeruandam poſſint induci, quia ſi ex ignorantia id factum eſt,eos ignorantia excuſare videtur, ſi ex malitia, eis ſua fraus non debet patrocinari, vel dolus,&c. circa verò petitionem, negatiuam exiſtimat probabiliorem *Sanch.cit.n.7.*ſed affirmatiuam docet *Gl.in dicto cap.2.v. debitum*, ibi, non inuenimus prohibitum in hoc caſu,quod non exigat, ergo nec nos prohibeamus, ſequuntur *Anchar. & Cardin. ibid. in fine, Durand. in 3. ſentent.diſt.42.q.1.ar.3.n.11.* Recentiores refert, & ſequitur *P.Dia.p.3.tract.4.reſ.3.*

21 Benè verum eſt quod quando extra neceſſitatem coniux baptizaret proprium filium, aut alterius coniugis in ſacro fonte, peccaret ſecundum *Gl. in dicto c.2.v. ſi ex ignorantia*, & eſſe mortale docet *Sanch. cit. n. 5. ex Nauarr. & Suar.* & vir eſſet irregularis, vt generaliter dictum eſt ſupra *nn.6.*

22 Hæc autem, quæ diximus de cognatione ſpirituali non impedire petitionem debiti, & minus eius redditionem,intelligẽda ſunt poſt contractum, & conſummatum matrimonium,quia ſi caſus occurreret anteà,certum eſt non poſſe poſtea inter eos contrahi matrimonium, & ſi de facto contraheretur, nullum eſſet, vt in *Trid. ſeſſ.24.cap.2.& cap. 5.tangit Sanch.n.2.& nos infra v.matrimoniũ.*

Vtrum liceat baptizare infantes parentibus inuitis,& quid de filijs ſeruorum in poteſtate dominorum?

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmus poteſt conferri filijs iudæorum, vel aliorum infidelium,ſi habeant vsũ rationis, baptizarique velint,ſecus ſi ſint infantes parentibus inuitis n. 2. & 3. quod fallit in art. mortis n.4.*

5 *Hæreticorum filios poteſt Eccleſia inuitis parẽtibus baptizare, hæreticoſque compellere ad fidem in baptiſmo receptã ſeruandam, ſecus de iudæis, vel alijs infidelibus, eorumque filijs.*

6 *Baptiſmus eſt conferendus infanti habenti matrem fidelem, licet patrem infidelem & è contra,non autem ſi vterque ſit infidelis, quamuis peterent baptizari infantem.*

7 *Baptizatus coactè, & ſemper contradicens,nec rem, nec characterem recipit ſacramenti, ſi verò terroribus,& ſupplicijs motus,ſpõtè baptizatur, ad euadendum aliquod damnum,recipit characterem, & cogendus eſt ad fidem ſeruandam.*

8 *Baptiſmus poteſt conferri filijs ſeruorum exiſtentium in poteſtate dominorum, etiam inuitis*

*innitis parentibus infidelibus, sed non li-
berantur propterea à potestate dominorum
sicuti à diabolica.*
9 *Seruorum dominus debet curare vt baptizen-
tur.*
10 *Serui fiunt, qui capiuntur in bello cum Turcis
vel alijs infidelibus, non autem in bello
inter Reges Christianos, & Catholicos, vel
alios non recognoscentes superiores.*
11 *Infideles capti in bello à Christianis an possint
licitè restitui suis Dominis?*

Resolutio IX.

1 AD primum respondetur hoc posse ac-
cidere in filijs iudæorũ, vel aliorũ infi-
deliũ, quia apud omnes Christianos etiã hę-
reticos, vel schismaticos, baptismus est in v-
su, de quibus *D.Th.p.3.q.68.ar.10.in cor.* ait;
quod pueri, infidelium filij, aut habent vsũ
rationis, aut non habent, si habent, iam
quantum ad ea, quæ sunt iuris diuini, vel
naturalis incipiunt suæ potestatis esse, &
ideò propria voluntate inuitis parentibus
possunt baptismum suscipere, sicut & ma-
trimonium contrahere, & tales licitè mone-
ri possunt, & induci ad suscipiendum bap-
tismum, si verò nondum habent vsum liberi
arbitrij, secundum ius naturale sunt sub cu-
ra parentum, quamdiu ipsi sibi prouidere
non possint, vnde & de pueris antiquorum
2 dicitur quod saluabantur in fide parentum,
& ideò contra iustitiam naturalem esset, si
tales pueri inuitis parentibus baptizaren-
tur, sicuti etiam si aliquis habens vsum ra-
tionis baptizaretur inuitus, esset etiam pe-
riculosum taliter filios infidelium baptiza-
re, quia de facili ad infidelitatem redirent
propter naturalem affectum ad parentes, &
ideò non habet hoc Ecclesiæ consuetudo,
quod filij infidelium inuitis parẽtibus bap-
tizentur; hæc ille.
Est ergo verissimum non debere illos pa-
rentibus inuitis baptizari, si tamen de facto
baptizentur, validus est baptismus, & co-
gendi sunt superueniente ætate ad fidem
seruandam, *c.de iudæis dist. 45. Tabiena V.
baptismus 7.n.13. Tolet.lib.2.cap.21.n.2.* ratio
3 est, vt diximus, quia si auferuntur filij à pa-
rentibus, infertur eis iniuria, cum non pos-
sint, nec debeant priuari iure, quod in eos
habent, & si ipsis relinquuntur, de facili per-
uertentur, & traducentur ab eisdem paren-
tibus ad suos falsos errores, quod redun-
daret in iniuriam sacramenti, *Bonac. tom.1.
disp.2.q.2.pun.6.sub n.12. vbi alij, sed Angel.*
4 *ex Scoto vbi etiam alij V.baptismus 6.§.11.&
12.* vult debere etiam inuitis parentibus
paruulos baptizari pro æterna salute, quæ
omnibus est præferenda, & ex charitate,
quod solum admittunt DD. quotiescumq;
existerent in euidenti periculo mortis, quia
tunc cessat periculum peruersionis, nec in-
iuria supposita parentum de naturali pote-
state in filios, eo casu est in consideratione.
*Suar.tom.3.disp.25.sect.3.§. ex his, Dia.p.3.
tract.4.resol.7.*
5 Hæc autem intelliguntur de filijs infide-
lium, qui tales semper extiterunt, nam si
fuerunt baptizati, & postea à fide apostata-
runt, qui dicuntur hæretici, potest Ecclesia
ipsorum filios inuitis parentibus baptizare,
sicuti etiam potest eosdem parentes hęreti-
cos censuris, & pœnis corporalibus com-
pellere ad fidem in baptismo receptam ser-
uandam, vt infra *v. hæresis, Vasq. de sacram.
disp.155.cap.3. Sotus dist.7.q. vnica ar.7. Va-
lent.tom.4.disp.4.q.3. pun.3.* & clarius *Regin.*
6 *lib.27. n.63.* Si verò mater esset fidelis, &
vir infidelis, filij eorum essent baptizandi,
& cogendi ad fidem matris amplectendam,
sicuti etiam ex contrario matre infideli, &
viro fideli, *c.iudæi 28.q.1.* Obseruat tamen
*Filliuc.tract.2.cap.6.n.145. ex Nauar.in cons.
5.de baptis.* aliquando parentes infideles pe-
tere baptismum pro filijs ea solum intentio-
ne, vt sanitatem recipiant, quia viderint
aliàs, vel audierint baptismum ægrotis col-
latum liberasse ab ægritudine, & propterea
eo casu non esse conferendum, nisi spes
adsit, huiusmodi infantes post baptismum
alẽdos esse in Christiana religione ad eua-
dendum periculum apostasiæ, & peruersio-
nis.
7 Quod si aliquis vsum rationis habens
baptizatur innitus, semper contradicens,
nec rem, nec characterem recipit sacramen-
ti, ad differentiam illius, qui terroribus, at-
que supplicijs violenter attractus, & ne de-
trimentum incurrat, baptizatur, qui susci-
pit characterem, & cogendus est ad obser-
uantiam fidei Christianæ, vt legitur *in c.3.§.
quæritur hoc tit.* ibique etiam dicitur ità in-
telligendum esse tex. *in c. de iudæis dist. 45.
vbi Gl.ibid. v.* conditionaliter rationem assi-
gnat, quia scilicet voluntas coacta, voluntas
est, *ex c.meritò quæritur 15.q.1.*

Ad

8 Ad secundum respondetur filios seruorū in potestate dominorum existentium, posse etiam inuitis parentibus infidelibus baptizari, ratio est, quia domini possunt filios huiusmodi seruorum à parentibus separare & vendere, cum habeant dominium tam in parentes, quam in eorum filios; etenim qui possidetur, non possidet, §. *item vobis. instit per quas person.nob.acquir.* & sic quotidie in praxi seruari, & vendi videmus: ergo à fortiori possunt baptizari, & fieri famuli Christi, eò magis, quia non imminet periculum peruersionis, si alienentur alijs Christianis, *Bonac.dicto pun.6.n.12. in fine*. Verùm non remanent liberi à seruitute dominorum etiā post baptismum, sed solum à seruitute diabolica, vt legitur *in epist.1.ad Timoth.cap.6. D.Tho.in 4. sent.dist.39.ar.4.ad 1.*

9 Imò etiam tenendum est prædictos dominos debere curare, vt præfati pueri baptizentur, cum sint in eorum familia, *ex l. fin. C.de verb.signific.* sed qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, fidem negat, estque infideli deterior, *ex eod. Apost. cit.cap.5.* ergo tenētur domini, illos baptizare facere. Appellatione verò seruorum scitū est illos contineri, qui in bello iusto capiuntur introducto de iure gentium, *l.ex hoc iure ff.de iustit.& iur.* serui nostri sunt qui ab hostibus capiuntur, aut qui ex ancillis nostris nascuntur, ait *tex.in l.& seruorum, §.iure gentium, ff. de statu homin.* Quod tamen est

10 intelligendum de bello cū Turcis, vel quibuscumque alijs nationibus, quæ christianæ non sunt; Christiani enim licet in bello iusto capiantur, vt est quod fit inter Reges Christianos, vel alios non recognoscentes superiores, similiter Christianos, serui tamen nō fiunt, nec vendi possunt, quia iniuria quodammodo fieret baptismi sacramento, vt fuisse semper de consuetudine seruatum à nostro Rege Hispaniarum, & Regibus Frāciæ, & Angliæ testātur penè innumeri DD. apud *Grat.discept.forens.c.801.& Suar.hoc tit. disp.31. sect.5. ad fin.* prout vidimus seruari annis propè elapsis a prædictis Serenissimis Dominis Regibus.

11 Addunt idem *Suar.disp.25.sect.6.ad finē, Henriq.lib.2.cap.25.n.1.& 8.Vasq. disp.155. cap.7.* posse dominos restituere infidelibus suos filios in bello captos, & nondum baptizatos, accepta pecunia, vel in vicem christianorum ab illis captorum, quia si baptizare illos tenerentur, hoc esset ex charitate secundum eos, quæ tamen non obligat cum tanto incommodo, quod verum est, & practicari solet maximè in castris, ne magis hostes sæuiant in christianos, sed postquam reuersi fuerint ad propria, ego arbitror fieri nō debere pro pecunia ex rationibus paulò ante relatis.

Quæ dispositio requiratur in baptizando, & num possint validè baptizari furiosus, vel dormiens?

SVMMARIVM.

1 *Baptismus infantiū nullam requirit præuiam dispositionem, Adultorum autem triplicem requirit dispositionem ex parte ipsorum, vt suscipiatur cum gratia, fidem scilicet, intentionem, & attritionem. n.2.*

3 *Fides est necessaria ad baptismum quoad effectum gratiæ, non autem characteris, sed ea accedente cum dispositione vt infrà, accedit etiam gratia cum remissione culpæ antecedentis baptismum, totiusque pœnæ illi debitæ.*

4 *Baptizans, & baptizatus sine recta fide peccant mortaliter, & propterea, si ministro fideli constaret de fictione suscipientis, non deberet eum baptizare.*

5 *Baptismi defectus circa fidem, vel attritionem suscipientis, potest accidere cum peccato, & sine peccato, etsi primo, vel secundo modo suscipiatur an, & quando suum producat effectum? n.6.*

7 *Fictio cum qua suscipitur baptismus, non tollitur per ipsum baptismum, sed per pœnitentia sacramentum subsequens, quod etiā inualidum est, si suscipiatur cum cognita fictione, etiam ea recedente, n.8.*

9 *Baptismum suscipiens sine mortali, sed cum complacentia venialis obtinet totalem effectum eius, excepto quod illud veniale placitum non remittitur per baptismum. Illum suscipientibus si sunt adulti est omninò necessaria attritio ad suscipiēdum fructum sacramenti, n.10. Sed non est necessaria confessio peccatorum; nec sunt imponenda opera satisfactoria, cum sufficiant attritio, fides, & intentio, vt sup. & n.11.*

12 *Attritio requisita in adultis baptismum suscipientibus, debet esse supernaturalis, quia naturalis non sufficit.*

13 *Baptismum suscipientibus, si sunt adulti, & non habent nisi originale peccatum, non est neces-*

necessaria attritio, sed sufficiunt fides, intentio, & propositum seruandi legem Dei. Debet conferri furiosis, vel dormientibus, si ante furorem, vel somnum habuerunt voluntatem baptizandi, imò etiam ligari si resisterēt, secus si antea contradixerint, vel nullam voluntatem illum suscipiendi habuerint; confertur tamen furiosis à natiuitate, eodem modo, quo pueris, qui baptizantur in fide Ecclesiæ, n.14.& 15.

16 *Furiosi habentes lucida interualla, si eo tempore habuerunt voluntatem baptizandi, possunt etiam in furore baptizari, si verò parum patiuntur in intellectu, non baptizātur, nisi volentes, quod si dubitetur an petierint baptismum ante furorem, baptizantur in furore sub conditione, n.17.*

Resolutio X.

1 AD primum respondetur nullam in infantibus dispositionem requiri, Ecclesia supplente pro eis; etenim sicuti contrahunt absque actuali culpa peccatum originale per peccatum Adæ, ita & multo rationabilius consequuntur absque actuali merito abundantiam gratiæ, & iustitiæ per Iesum Christum *D.Tho.p.3.q.68. art.8. in*

2 *cor.* in adultis verò triplicem requiri dispositionem, fidem scilicet, intentionem, & saltem attritionem, non enim est necessaria contritio cum sacramento, vt notum est, & in specie docet P.*Dia.p.5.tract.3.resol.*20.de prima sic ait idem Sanctus eit. duo efficiuntur in anima per baptismum, scilicet character, & gratia. Dupliciter ergo aliquid ex necessitate requiritur ad baptismum, vno modo sine quo gratia haberi non potest, quæ est vltimus effectus sacramenti, & hoc modo recta fides ex necessitate requiritur ad baptismum, quia sicuti dicitur *ad Rom.3.* Iustitia Dei est per fidem Iesu Christi, alio modo requiritur aliquod ex necessitate ad baptismum, sine quo character baptismatis imprimi non potest, & sic recta fides baptizati non requiritur ex necessitate ad baptismum, sicut nec recta fides baptizantis, dūmodo adsint cætera, quæ sunt de necessitate sacramenti, non enim sacramentum perficitur per iustitiam hominis dātis, vel suscipientis baptismum, sed per virtutem Dei.

3 Fides ergo est necessaria ad baptismum, vt recipiatur cum gratia, non autem ad recipiendum characterem, infideles enim si habent intentionem illum recipiendi, vel saltem faciendi quod intendit Ecclesia, recipiunt validè baptismum, sed sine effectu gratiæ, concurrentibus tamen materia, & forma, *c. sicut ficti, & c.nonne sodomitæ 1.q.1. c.ostenditur de consecrat.dist.4.D.Tho. cit.dicto art.8.ad 3.* ablatis postea obice, & fictione, baptismus consequitur suum effectum, tribuendo gratiam, & remissionem omnium peccatorum, cum distinctione, vt statim dicam; sed est verum quod si ministro

4 constaret istorum fictio, nullo modo eos ad baptismum admittere deberet, *Tolet. lib.2. cap.21.n.5.*

Quod idem dico de ministro baptizante, cui non est necessaria fides ad validè conferendum baptismum ex eadem ratione, quia validè administratur tale sacramentum, cōcurrentibus materia, forma, & intentione, sed hæc possunt adesse, quamuis desit fides: ergo. Eo etiam magis, quia minister instrumentaliter concurrit, nec operatur in virtute propria, sed Christi, *Sotus in 4.dist. 1.q.5.art.9.Vasq.3.p.disp.137. ex eod. Sancto* relato; sed vterque tàm suscipiens, quàm conferens in casu prædicto, grauissimè peccant, quia qui caret fide, manet in enormi peccato, cum impossibile sit sine ea placere Deo, iuxta *Apost ad Rom.14.c.omnes, §.ex his 28.q.1.& iterum infra resol.157.n.2.*

5 Quod autem attinet ad suscipientem, aduertēdum est pro maiori declaratione tām circa defectum fidei, quàm attritionis, quod possunt contingere isti defectus bona, & mala fide. Primo modo quando quis adultus non aduertens se debita dispositione carere, ex inuincibili ignorantia, baptismum suscipit, quæ dicitur fictio sine peccato. Secundo quando eundem suscipit, sciens se non habere debitum dolorem, & fidem, aut aduertens se complacentiam alicuius mortalis habere, quæ dicitur fictio cum peccato; si recipit primo modo, recipiet fructum baptismi, eliciendo actum fidei, & attritionis postquam cognouit in istis defecisse; si verò secundo modo, requiritur contritio, vel sacramentum pœnitentiæ ad recipiendum fructum baptismi, nam peccatum commissū in susceptione baptismi, & perseuerans in ipsa receptione, est quodammodo posterius ipso baptismo, saltem natura, cum sit sacrilegium commissum ob indignam baptismi susceptionem, iuxta *Scot.in 4.dist.4.q.5. Gabriel q.1.art.3.dub.3.Bonac.tom.1.disp.2. q.2. pun.7.*

*pun.7.n.14.*vbi docent tã peccatũ fictionis, quam alia concomitantia, seu commissa in susceptione baptismi esse tollenda per pœnitentiæ sacramentum, vtraque enim dicũr committi eodem tempore, & obicem ponere effectui baptismi, & proinde non esse gratis assignandam differentiam inter ea.

6 Idem videtur docere *D.Tho.3.p.q.69.art.10.ad* 2. ibi, fictio non remouetur per baptismum, sed per pœnitentiam subsequentẽ, qua remota baptismus aufert culpã, & reatum omnium peccatorum præcedentium baptismum, & etiam simul existẽtium cum baptismo, *Suar.autem tom.3. disp. 28. sect.5.* per totam latè disputat quæst.& facit differentiam inter fictionem, cum qua quis baptismum suscipit, & alia mortalia, etiam illũ concomitantia, sed *P.Dia.p.3.tract.4.res.14 §.sed ego,* referendo aliquos modernos, non autem *D. Tho.* neque prædictos ait omnia peccata ante baptismum remitti, sublata fictione, sed non fictionem, cũ qua susceptus est baptismus, quæ postea remittitur per pœnitentiam in ordine ad claues, vbi est explicanda fictio, item omnia peccata ante baptismum commissa, & in ipsa baptismi susceptione, etiamsi sint sacrilegia contra baptismum deleri per baptismum recedẽte fictione, etiamsi fictè baptizatus nullã prorsus attritionem habuisset in ipso baptismo, & ideo omnia dicta peccata non esse recedente fictione in confessione explicanda.

7 Sed ista verba videntur contraria sequẽtibus in eadem resolut. circa finem, vbi dicit, quod hæc fictio potest duobus modis in baptismo contingere; primò quãdo quis cum mortali sine contritione, vel attritione illum suscipit, etiamsi de eo ignorantiam haberet, sed crassam, seu vincibilem, & tunc quia sacrilegium in baptismo committit, nõ sufficit attritio sequens sine pœnitentiæ sacramento, aut verò cum baptismum suscipit, est etiam in mortali, sed laborat ignorantia inuincibili, vel putat non esse necessariam aliam dispositionem præter fidem, & intentionem, vel quia putat verisimiliter esse attritum, cum reuerà non sit, & huic defectui satisfit per attritionem sequentem sine alio sacramento, quæ posterior doctrina est vera, & conformis Theoricæ Scoti, & D.Tho.cum alijs cit. non autem præcedens relata sub *n.6.* vsque ad 7. exclusiuè.

8 Addit relatus *P.cit.resol.15.* quod dictum est de baptismo in materia fictionis prædictæ procedere in omnibus sacramẽtis, quod salua reuerentia, existimo falsum, præcipuè de sacramento pœnitentiæ, etenim idem P. in summa *v.confessionis.* repetitio asserit esse in multis casibus repetendam confessionem, vti inualidam, præcipuè ex cognito defectu doloris; ergo saltem in casibus prædictis istud sacramentum non habet effectum recedente fictione, dum est repetenda confessio, vt inualida, quod latius probatur infra de confessione informi *resol.132.*

9 Suscipiens autem baptismum sine mortali, sed cum complacentia venialis, recipit effectum baptismi, gratiam scilicet, & remissionem omnium peccatorum, illo solo veniali excepto, de quo complacentiam habet, vt dictum est supra *resol. 4. sub n. 3.* vbi etiam quomodo tollatur veniale quoad culpam in purgatorio, vide etiam *Bonac.cit.n.16.ex Pitig.Filliuc.& alijs.*

De intentione verò, quæ est secunda dispositio latè agitur infrà *resol.148. n.9.* tam de ea, quæ requiritur in ministrante, quam suscipiente sacramenta, vbi me remitto; de

10 tertia autem, quæ est attritio omninò requisita in adultis ante baptismum, vt fructuosè recipiatur, dictum est paulò ante, sed non requiritur confessio, nec imponenda eis sunt opera satisfactoria, vt docet *D. Thom.* vtrumque caput complectendo *p.3.q.68.ar.6.in cor.* videlicet duplex est peccatorum confessio, vna quidem interior, quæ fit Deo, & talis confessio peccatorum requiritur ante baptismum, vt scilicet homo sua peccata recogitans, de eis doleat; non enim potest inchoare nouam vitam, nisi pœniteat eum veteris vitæ, vt dicit *August. in lib. de pœnit.* aliã verò est confessio peccatorum exterior, quæ fit sacerdoti, & talis confessio non requiritur ante baptismum: primo quidem, quia talis confessio cum respiciat personam ministri, pertinet ad pœnitentiæ sacramentum, quod non requiritur ante baptismum,

11 quia est ianua omnium sacramentorum, secundo quia confessio exterior, quæ fit sacerdoti, ordinatur ad hoc, quod sacerdos confitentem absoluat à peccatis, & liget ad opera satisfactoria, quæ baptizatis non sunt imponenda, vt dictum est.

Ad idem *Tolet.lib.2.cap.21.n.5. Vasq. 3.p. disp.168.cap.4. Valent.tom.4.disp.4.q.3.pun.3. versic.quarta assertio, Villalob. in summa tom. 1.tract.15.diffic.16. n.3.* Addens quod diximus non esse necessariam contritionem, sed

suffi-

ſufficere attritionem, arguendo à maiori, quia dum ſufficit in ſacramento pœnitentiæ, à fortiori in iſto baptiſmi, in quo facilius remittuntur peccata,& abundantior gratia tribuitur cũ totius pœnæ condonatione,quę
12 tamen attritio debet eſſe ſupernaturalis, quia naturalis non ſufficit, vt docent *Cabrera de ſacram.q.69.ar.8.diſp.2.§.5. & 10. Io. de la Crux in direct.conſ.p.2.hoc tit.q.4.dub.3. concluſ. 2. & alij*, qui meritò improbarunt contrariam opinionem *Soti,& Cani in 4.tom. 1.diſt.4.q.4.ar.3.concluſ. 3.*

Hinc oritur dubium num adulti volentes
13 baptizari, ſi non habent mortalia actualia, ſed ſolum originale, teneantur ad ſupradictam attritionem? multi dicunt non poſſe originale peccatũ ſine actualibus in adultis reperiri, ſed quidquid ſit de hoc, reſpondet ad quæſitũ *D.Tho.p.3.in addit.q.2.ar.2.in cor.* quod medicina debet eſſe proportionata morbo; ſed peccatum originale ſine noſtra voluntate contractum eſt; ergo non requiritur, quod per actum voluntatis, qui eſt contritio, ab ipſo purgemur, & propterea ſufficere propoſitum ſeruandi legem Dei cũ fide, & voluntate ſuſcipiendi baptiſmũ,vt docent etiam *Suar.tom.3.diſp.28. ſect.1. Vag. de ſacram.in genere q.62.ar.1.diffic.3.concluſ. 3.ad finem,Henriq.lib.2.cap.24.n.3.& cap.26 n.1.Fillius.tract.2. cap.5. q.7. Coninch. q.62. dub.2.ex Apoſt.in epiſt.ad Hebr.cap.11.*

14 Ad ſecundum *Innoc.III.in c.maiores,§.fin. hoc tit.* ſic loquitur; dormientes autem, & amentes ſi priuſquam amentiã incurrerent, aut dormirent,in contradictione perſiſterẽt, quia in eis intelligitur contradictionis propoſitum perdurare, etſi fuerint ſic immerſi characterem non ſuſcipiunt ſacramenti; ſecus autem ſi prius catechumeni extitiſſent, & habuiſſent propoſitum baptizandi, vnde tales in neceſſitatis articulo conſueuit Eccleſia baptizare; tunc ergo characterem ſacramentalis imprimit operatio,cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obſiſtentẽ, cui rectè addit *Sancius in ſelect. diſp.44.n.42* cum quo tranſit *P.Dia.p.5. tract.3. reſol.23.* poſſe tales furioſos baptiſmo reſiſtentes etiam ligari,vt baptizentur ratione boni propoſiti antecedentis.

Sed *D.Tho.p.3.q.68.ar.12. in cor.*hos, & alios caſus ſimiles complexus eſt, qui concordant cum doctrina *Innoc.loco cit.in §.item*
15 *quæritur*,& ſunt videlicet. Circa amentes, & furioſos eſt diſtinguendum; quidã enim ſunt à natiuitate tales nulla habentes lucida interualla, in quibus etiam nullus vſus rationis apparet, & de talibus quantum ad baptiſmi ſuſceptionem, videtur eſſe idem iudicium, quod de pueris, qui baptizantur in fide Eccleſiæ; alij verò ſunt amentes,qui ex ſana mente, quam habuerunt prius, in amentiam inciderunt, & tales ſunt iudicandi ſecundum voluntatem, quam habuerunt dum ſanæ mentis exiſterent, & ideò ſi tunc apparuit in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum,debet eis adhiberi in furia,& amentia conſtitutis, etiamſi tunc actu contradicant, alioquin ſi nulla voluntas ſuſcipiendi baptiſmum in eis apparuit, dum ſanæ mentis eſſent, non ſunt baptizandi.

16 Quidam verò ſunt, qui etſi à natiuitate fuerint furioſi, vel amentes, habent tamen aliqua lucida interualla, in quibus recta ratione vti poſſunt,vnde ſi tunc baptizari voluerint, baptizari poſſunt etiam in amentia conſtituti, & debet eis tunc ſacramentum conferri, ſi periculum timeatur, alioquin melius eſt vt tempus expectetur, in quo ſint ſanæ mentis, adhoc vt deuotiùs ſuſcipiant ſacramentum; ſi autem tempore lucidi interualli, non appareat in eis voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, baptizari non debent in amentia conſtituti. Quidam verò ſunt, qui etſi non omninò ſanæ mentis exiſtant, intantum tamen ratione vtũtur,quod poſſunt de ſua ſalute cogitare,& intelligere ſacramenti virtutem, & de talibus idem eſt iudicium,ſicut de his, qui ſanæ mentis exiſtunt, qui baptizantur volentes, non autem
17 inuiti. Quod ſi dubitatur de furioſo an petierit baptiſmum ante furorem, vel non, adminiſtrandum ei eſſe ſub conditione docet *Henriq.loco cit.in fine,Chamer. de baptiſm. c.5.dub.5.ex Victor.Gabriel. & alijs apud eos.*

Quos, & quot effectus pariat baptiſmus tam in infantibus, quàm in adultis? item de peccato originali, ſeu fomite ex illo prouenientibus.

SVMMARIVM.

1 *Baptiſmi effectus ſunt quinque, quorum primus eſt tollere peccatum originale infantibus, & etiam actualia adultis, ſaltem attritis cum remiſſione totius pœnæ pro illis debita,*

ta,qui eſt 2. Tertius. eſt conferre gratiam & virtutes n. 2.

3 *Peccatum non poteſt tolli,niſi per gratiam.*

4 *Baptiſmus cōfert infantibus æqualem gratiam, adultis verò iuxta eorum maiorem, vel minorem charitatē. Illā ſuſcipientes conſequuntur remiſſionem culpæ,& pœnæ peccatorum omnium ante baptiſmū; ſed ſi furtū commiſerunt, vel famam alicui abſtulerunt,tenētur ad reſtitutionem, ſi poſſunt, ſed nullo modo eximuntur à pœnis corporalibus in foro exteriori ſtatutis pro delictis commiſſis. n. 5.*

6 *Baptiſmus licet ſufficiens ſit ad tollēdas pœnalitates huius vitæ, non tamen eas tollit in præſenti vita,ſed in reſurrectione.*

7 *Concupiſcentia,aliaque huius vitæ paſſibilitates ſunt pœna peccati originalis.*

8 *Baptiſmi quartus effectus, eſt impreſſio characteris indelebilis in anima.*

9 *Expoſiti infantes propè aliquā Eccleſiam, vel alia loca Chriſtianorum inuēti,ſunt baptizandi ſub conditione,niſi ſchedulam baptiſmi collati appenſam collo haberent.*

10 *Monachi poſſunt baptizare, non autem de ſacro fonte leuare.*

11 *Baptiſmi quintus effectus eſt tollere omnem irregularitatem præter bigamiam. Dimittit crimina, non ſoluit coniugia n. 12.*

13 *Bigamia contrahitur, etiam ſi ante baptiſmum accipiatur vna uxor, & poſt baptiſmum altera, & irregularitas ex illa proueniens non tollitur per baptiſmum,ſicut cæteræ ex quibuſcumq;delictis.*

14 *Irregularitas non contrahitur ante baptiſmum, quia tales infideles non ſunt ſubditi Eccleſiæ, quæ imponit hanc pœnam.*

15 *Bigamia non eſt peccatum,*

16 *Infantes morientes ſine baptiſmo, in æternum carebunt viſione Dei, eruntque in limbo vbi dicit Auguſt. malle eſſe, quam non eſſe.*

17 *Iuſtitia originalis eſt ſubiectio rationis Deo & ſenſus rationi.*

18 *Concupiſcentia, ſeu fomes non tollitur per baptiſmum, licet tollatur peccatum originale, eſt autem illa, procliuitas animæ in inferiori parte ad appetendum ea, quæ ſunt contraria rationi n. 19. Verùm non eſt peccatum, ſi deſit conſenſus, ſed ad peccatum inclinat.n.20.*

21 *Peccati originalis effectus remanentes in anima,etiā poſt baptiſmū,ſunt ignorantia, infirmitas, concupiſcentia, & malitia.*

Reſolutio X I.

1 PRimus effectus baptiſmi eſt tollere peccatum originale infantibus, ac etiam omnia actualia, quantumuis nefaria adultis (dummodo iſti ſint ſaltem attriti, vt dictum eſt in priori reſol.) quod eſt de fide. *Trid. ſeſſ.5.cap.1.§. ſi quis,de pecc.orig.& ſeſſ.7.can. 5.hoc tit.Clem.vnica §.fin.de ſumma Trinit.& fide cathol.cap.3.§.ad id autem.eod.tit. D.Tho. p.3.q.69.ar.1.in cor.& ad 2. Tolet.lib.2.c.22. n.1.* Secundus eſt remiſſio totius pœnæ pro peccatis debitæ, adeò quod ſi ſtatim obirent,ad Cælum euolarent, vt in dictis locis habetur, & iterum docet idem *Sanctus ibid. ar.2.in cor.& ar.7.Catech. de bapt. effect. p 2. n.42.Belarm.lib.2.diſt.4.cap.4. n.1. & 2.Tabiena v.baptiſmus 8.n.6.Sylu.eod.6.n.1.*

2 Tertius eſt conferre gratiam, & virtutes, vt in *cit.Clem.*& docet Sanctus *vbi ſup. ar.6. in cor.* videlicet, quidam antiqui poſuerunt quod pueris in baptiſmo non dantur gratia, & virtutes, ſed imprimitur eis character Chriſti, cuius virtute cum ad perfectam ætatem venerint, conſequuntur gratiam, & virtutes; ſed hoc patet eſse falſum dupliciter;primo quidem,quia pueri,ſicut & adulti in baptiſmo efficiuntur membra Chriſti, vnde neceſſe eſt,quod à capite recipiant influxum gratiæ, & virtutis; ſecundo, quia ſecundum hoc pueri decedentes poſt baptiſmum non peruenirent ad vitam æternā, quia vt dicitur *ad Rom.6* gratia Dei eſt vita æterna, & ita non profuiſſet eis ad ſalutem baptizatos fuiſſe; cauſa autem erroris fuit, quia neſcierunt diſtinguere inter habitum, & actum, & ſic videntes pueros inhabiles ad actus virtutum, crediderunt eos poſt baptiſmum nullatenus virtutem habere,ſed iſta impotentia operandi non accidit pueris ex defectu habituum, ſed ex impedimento corporali, ſicut etiam dormientes,quamuis habeant habitus virtutum, impediuntur tamen ab actibus propter ſomnum.

3 Sed iſte effectus eſt quaſi idem cum primo,non enim poteſt tolli peccatum,niſi per gratiam,vt idem Sāctus teſtatur eadem *p.3. q.70.ar.4.cor.ex Apoſt.ad Rom.3.* ibi, iuſtificati gratis per gratiam,niſi dicas,quod cum gratia conferantur etiam virtutes,& propterea omnes citati DD. ponunt prædictos effectus ſeparatos, & in ſpecie Sanctus noſter de primo effectu loquitur *q.69. ar.1.* & de

E hoc

hoc tertio in *ar.*4. Est tamen verum, quod
4 licet pueris, æqualis gratia in baptismo conferatur, quia omnes æqualiter se habent ad baptismum, dum non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur, adulti tamen, qui per propriam fidem ad baptismum accedũt, non æqualiter ad illum se habent; quidam enim cum maiori, quidam cum minori deuotione ad baptismum accedunt, & ideò quidam plus, quidam minus de gratia nouitatis accipiunt, sicut etiam ab eodem igne accipit plus caloris, qui plus ei appropinquat, licet ignis quantum est de se æqualiter ad omnes suum calorem effundat, ita Sanctus *cit. ar.*8. *in cor. Suar. hoc tit. disp.* 28. *sect.*3. *Gregor. de Valent. tom.*4. *disp.*4. *q.*4. *pun.* 1. *Sylu. v. baptismus* 6. *n.*4. *Regin. lib.*27. *n.*60.

5 Quamuis autem omnia peccata remittãtur adultis, vt diximus, furtum tamen, & famæ proximi ablatio non remittuntur, nisi fiat restitutio, *Tolet. lib.*2. *cap.*21. *n.*5. quod tamen intelligitur de potentibus restituere, quia ad impossibile nemo tenetur, *l. impossibilium de reg. iur.* Sed nullo modo eximũtur à pœnis corporalibus in foro exteriori debitis pro delictis commissis, vt notat *Tabiena v. baptismus n.*2. de quo non dubitatur.

6 Præterea quæritur, dum baptismus tollit omnem culpam, & pœnam, eo modo, quo paulò ante diximus, num etiam tollat pœ-
7 nalitates huius vitæ? istæ sunt defectus contracti per peccatum originale, concupiscentia scilicet inordinata, mors corporalis, infirmitates, fames, sitis, & huiusmodi, ad quod *D. Tho. p.*3. *q.*69. *ar.*3. *cor.* & ad 3. respondet, quod baptismus habet virtutẽ auferẽdi penalitates præsentis vitæ, nõ tamẽ eas aufert in præsenti vita, sed eius virtute auferentur à iustis in resurrectione, quando mortale hoc induet immortalitatem, vt in *epist.*1. *ad Corinth cap.*15. quod esse conueniens testatur Sanctus propter spirituale exercitium, vt videlicet contra concupiscentiam, & alias passibilitates pugnans homo, victoriæ coronam acciperet, quia si post baptismum vixerit homo in carne, habet concupiscentiã, cum qua pugnet, eamque adiuuante Deo superet. Secũdo quia per baptismum homo incorporatur Christo, eiusque membrum efficitur, & ideò conueniens est, vt id agatur membro incorporato, quod est actum in capite; Christus enim licet ab initio suæ conceptionis fuit plenus gratia, & veritate, habuit tamen corpus passibile, quod post passionem, & mortem est ad vitam gloriosam resuscitatum, vnde & Christianus in baptismo gratiam consequitur, quantum ad animam, habet tamen corpus passibile, in quo pro Christo ad eius similitudinem pati possit, sed tandem resuscitabitur ad impassibilem vitam, *Regin. lib.*27. *n.*63. *ex Suar. & alijs, Henriq. lib.*2. *cap.*16. *n.*7. *Belarm. lib.*2. *de bapt. dist.*4. *cap.*4. *n.*2. *Bonac. tom.*1. *disp.*2. *q.*2. *pun.*7. *num.*7.

8 Quartus effectus baptismi est imprimere characterem indelebilem in anima, & propterea etiamsi fuerit collatus ab infideli, vel hæretico cum intentione debita, & materia, & forma adhibitis, non potest iterari sub pœna excommunicationis, & irregularitatis, *c. fin. de baptism. c. quod quidam circa finem*, 1. *q.*1. *Clem. vnica*, §. *fin. de summa Trinit. & fide cathol.* Trid. *hoc tit. sess.*7. *can.*11. & 13. *Catech. Rom. p.*2. *de bapt. effectib. n.*55. quod si probabiliter dubitaretur de eius valida collatione, posset sub conditione conferri, vt etiam dictum est supra *resol.*8. *n.*16. Sed
9 quid si aliquis infans de recenti natus, reperiretur expositus in locis Christianorum, vt quotidie euenit in Ciuitate Neap. prope domum Sanctiss. Annunciationis Virginis Mariæ, vtrum baptizandus sub conditione esset? dicas cum *Soto in* 4. *dist.*3. *q. vnica ar.*9. *Sylu. v. baptismus* 4. *n.*7. *Filiuc. tract.*2. *c.*6 *q.*10. *n.*149. affirmatiuè, sed sub conditione, nisi adesset signum, vel rationabile indiciũ collati baptismi.

Quamuis autem *Bonac. vbi supra n.*11. velit expositum in locis Christianorum regulariter loquendo præsumendum esse baptizatum ex *Henriq. lib.*2. *cap.*31. *n.*1. contrariũ tamen, & rectius docet *Tanner. in* 3. *p. disp.* 4. *q.*2. *dub.*4. *n.*113. quia impudicæ mulieres totæ sunt tegendo sceleri intentæ, & de salute animæ infantis nihil curant, qua de re ista negatiua probabilitas tollit omnem iniuriam sacramenti per baptismum conditionalem; secùs verò dicendum, & faciendum esset, si infans schedulam baptismi dati collo appensam haberet, vt ex *Hurtado hoc tit. disp.*1. *diffic.*12. *& alijs docet etiam P. Dia. p.*5. *tract.* 13. *resol.*85. *contra Marchant. tract.*2. *eodem tit. cap.*2. *quæst.*4.

10 Vlterius quæritur, num monacho extra casum necessitatis liceat baptizare? *tex. est in c. doctos* 16. *q.*1. qui est Ambrosij, in quo dicitur licere, quia ipsi conficiunt corpus Christi, sicut cæteri sacerdotes, *tex. verò in c. per-*

c.peruenit 18.*q.*2. qui eſt Gregor. hoc omnino vetat, quam repugnantiam concordat *Gl.in d. c. peruenit*, dicens poſſe monachos fieri compatres baptizando, ſed non leuando è ſacro fonte, quia in iſto caſu maior contrahitur familiaritas cum mulieribus, quod eſt cauendum, & propterea DD. nouiſſimè relati per *Dia.p.5. tract.*13. *reſol.*58. teſtantes monachũ in caſu prædicto, nequidem peccare venialiter, ſunt intelligendi de baptizante, non autem de leuante, vt dictum eſt.

11 Quintus effectus eſt tollere omnes irregularitates, etiam prouenientes ex homicidio voluntario, vt ex *Prapoſ.Abb. & alÿs in c.gaudemus,de diuort.docet Tolet.lib.*1. *cap.*88. *n.* 2. quam ſententiam ferè omnes tenere ſcribit *Villalob.tom.*1.*tract.* 21.*diffic.*7.*n.*2. *& probari in c. ſi quis viduam diſt.*50.alios DD. eiuſdem ſententiæ refert *Dia.p.*4.*tract.*2.*reſol.*51. teſtantes omnem tolli irregularitatẽ, præter prouenienrem ex bigamia, qua de cauſa *Gl.fin.in c.deinde in fine diſt.*26. *& dicto c. ſi quis viduam*, *v.* poſt baptiſmum ait ex hoc ſequi inconueniens, quod melioris cõditionis ſint delinquentes, vt homicidæ, & ſimiles, quam non delinquentes, vt ſunt bigami; illi enim peccant mortaliter, occidendo, & tamen irregularitas tollitur per baptiſmum, iſti autem non peccant ſecundo nubendo, & tamen per eundem baptiſmum irregularitas non tollitur.

12 Difficultas, ni fallor, reſoluitur ab Innoc. Pontif.*in dicto c.deinde, & c. vna tantum diſt.* 26. vbi dicitur crimina tantum in baptiſmo dimitti, legem autem coniugij non ſolui, quæ non eſt crimen, alioquin author eſſet in culpa, qui in Paradiſo illud inſtituit, & præcepit, nec creditur inter crimina dimiſsum, quod authore Deo legitur conſummatum; in coniugio ergo, quia non eſt culpa, ſed lex à Deo tradita, ideò illa tantum, non iſta per baptiſmum aboletur. ipſo eodẽ Chriſto Domino teſtante apud *Matt. cap.*5. non veniſſe ſoluere legem, ſed adimplere. Hine *Io.* dum Herodem ab inceſtu prohibuit, dicens apud eundem *Matth. cap.* 14. Nõ licet tibi habere vxorem fratris tui, euidenter, oſtendit inter infideles coniugia eſſe, vnde datur etiam intelligi, quod biga-

13 mi dicuntur, non ſolum qui poſt baptiſmũ coniugia frequentant, ſed etiam qui ante baptiſmum vnam, & poſt baptiſmum alteram habuiſſe probantur *c.acutius diſt.* 26. *& dicto c.deinde*, vbi aliud abſurdum notatur, quod ex hoc naſceretur, matrimonium ſcilicet ante baptiſmum, legitimum non fuiſſe, & conſequenter filios ex eo procreatos, vel fuiſſe naturales, vel ſpurios; idem voluit ex *D.Tho.Tabiena v.bigamia n.*5. ibi, quamuis baptiſmus tollat culpas, non tamen ſoluit coniugia, ex quibus replicatis cum ſequatur irregularitas, tolli non poteſt per baptiſmum.

Suar.tamen, Regin. & alÿ apud Bonac.tom. 1.*tit. de irregular. diſp.*7. *q.* 5. *pun.*2. *num.*1. volũt irregularitatem non dici propriè tolli per baptiſmum, cum ante baptiſmum nulla ſit propriè irregularitas, ſed potius dicendum eſſe hominem non affici irregularitate ob defectum exiſtentem ante baptiſmum, quia per iſtum regeneratur, & fit quaſi nouus homo, conſequenter omnis macula, & indecentia aufertur, niſi aliter ſancitum ſit in aliquo caſu, vt in bigamia, aut niſi perſeueret defectus, propter

14 quem inducta eſt irregularitas, Tum etiam quia irregularitas inducta eſt ab Eccleſia in ſuos ſubditos, infideles autem pro tempore infidelitatis, non ſunt ſubditi Eccleſiæ, ergo neque puniri debent pœnis Eccleſiæ pro delictis commiſſis tempore infidelitatis, & conſequenter ſuſcepto baptiſmo non remanent irregulates, niſi aliter expreſſum ſit à iure, vt dictum eſt de bigamia.

Quæ quidem rationes meo videri non tollunt difficultatem; prima enim quod ante baptiſmum nulla ſit propriè irregularitas

15 etiam pro delictis, à fortiori nec deberet contrahi pro bigamia, quæ vt diximus, non eſt peccatum, & conſequenter poſt baptiſmum non deberent hoc vinculo ligari. Secunda quod infideles non ſunt ſubditi Eccleſiæ, & ſic non debent puniri pœnis Eccleſiæ, eadem reſponſione ſoluitur; nam ſi homicidæ v. gr. ante baptiſmum non ſunt ſubditi Eccleſiæ in contrahendis pœnis eccleſiaſticis, minus ſunt vxorati; quod ſi dicatur ita fuiſſe à iure ſtatutum, eſt etiam miſerabile refugium, cum anima legis ſit ratio, & propterea adhæreo primæ reſponſioni, quæ eſt iuri innixa, & rationi, quod ſcilicet baptiſmus tollat crimina præcedentia, non coniugium, proinde iſto exiſtente vero, & legitimo, tã m ante, quàm poſt baptiſmum, neceſſariò ſequitur eo repetito bigamia, qua licet non afficiantur ante baptiſmum, vti non ſubditi Eccleſiæ, poſtea verò

E 2 ſic,

ſic, vt cæteri Chriſtiani, vt dictum eſt.

16 Paruuli autem morientes ſine baptiſmo, & ſic cum peccato originali, carebunt in æternum viſione Dei, *c.3.§.ſed adhuc hoc tit.* & amplius manebunt in tenebris, *c.nulla de conſecrat.diſt.4.& c.regenerante eod.tit.*vbi dicit Auguſt. paruulos ſine baptiſmo decedētes in damnatione omnium mitiſſima futuros; exponit Gl. quia erunt in tenebris, & carebunt viſione Dei, & citat eundem Auguſt.dicentem malle ſic eſſe, quam nō eſſe, ex quibus colligitur meritò receſſiſſe eundem S. à priori ſua opinione *lib. 1. de baptiſ. paruul. ad Petrum Diacon cap. 26. relata per Gratian.in c. firmiſſimè de conſecrat.dicta diſt.* 4.vbi dixerat paruulos prædictos ſine baptiſmo exeuntes, ſempiterno igne puniēdos.

Originale verò peccatum, quod parit pœ-

17 nam prædictam, eſt priuatio iuſtitiæ originalis,quæ eſt ſubiectio rationis Deo,& ſenſus rationi *D.Tho.1.2.q.82.ar.3.Belar. lib.2. de bapt. diſt.4. cap.4. n.2. ex decreto de peccato origin.in Trid. ſeſſ.5. vbi in §.ſi quis per,* le-

18 gitur, licet tollatur hoc peccatum originale per baptiſmum, manere tamen in baptizatis fomitem, ſeu concupiſcentiam, quam etſi *Apoſt.in cap.6.ad Rom. & cap.3. ad Coloſſ.* peccatum appellaſſe videatur,eadem tamen Sancta Synodus ibid. declarauit Eccleſiam Catholicam numquam intellexiſſe peccatū

19 appellari, ſed tantum ex peccato eſſe,& ad peccatum inclinare; iſta verò concupiſcentia, ſeu fomes *ex eodem S. cit. & Catech. Rom.p.2. de baptiſmi effect. n.* 43. nihil aliud eſt, niſi animi appetitio, natura ſua,rationi repugnans, & addit *Belarm.cit.* ideſt quædā inclinatio, vel vis concupiſcendi, vel procliuitas animæ in inferiori parte ad appetendum ea, quæ ſunt contraria rationi,bona ſcilicet commutabilia, & temporalia.

20 Aduertendum tamen eſt, quod licet iſta concupiſcentia, quæ ex peccato originali prouenit, & eſt in membris noſtris, vbi manet vſque ad agonem, peccatum non ſit, vt ex *Trid.*dictum eſt,ſi tamen inſurgenti concupiſcentiæ motui, accedit conſenſus, aut delectatio, peccatum eſt iuxta explicationē Chriſti Domini apud *Matth. cap.5.* ibi qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt in corde ſuo,& *c. ſi Paulus 32.q.5.Gregor.Papa homil.16.in Euang.* ſi verò ſine his concupiſcētia reperiatur, longè abeſt à vera peccati natura, *Catech. &*

21 *Belarm.locis cit.* Eſt ergo iſta concupiſcentia effectus peccati originalis,quę remanet etiā poſt baptiſmum, vt dictum eſt, & vltra eam remanent in anima, vti effectus peccati prędicti, ignorantia, infirmitas, & malitia, vt latè explicat *D.Tho.1.2.q.85.ar.3. in cor.*

CENSVRA.

SVMMARIVM.

1 *Cenſura etymologia.*

2 *Cenſoris officium erat olim corrigere mores ſingulorum Ciuium.*

3 *Cenſoria dignitas adhuc durat in Republica Veneta.*

4 *Officium Cenſoris præcipuè vertebatur olim in puniendo officiales pecuniæ extortores, quod hodie eſt Viſitatoris.*

5 *Officia ſi vendantur, per neceſſe venditur ab emptoribus iuſtitia. Non eſt tamen prohibitum de Iure Diuino pro pretio conuenitī, ſed nec iſto modo iudicatur expediens: de Iure verò ciuili prohibetur vt ſupra, & infra. n.ſeq.*

7 *Officia vt plurimum emunt homines mali,ambitioſi, pecuniæque amatores.*

8 *Cenſura triplici modo ſumi poteſt, largiſſimè, largè, & ſtrictè, ſed quid vnoquoq; modo ſumpta ſignificet?*

9 *Cenſuræ definitio.*

10 *Infideles non ligantur cenſuris, quia non ſunt ſubditi Eccleſiæ.*

11 *Cenſura non omnis priuat hominem communicatione humana, & ſimilibus, ſed tantum excommunicatio.*

Introductio.

1 Cenſura ſi nominis etymologia conſideretur, dicitur à cenſendo, etenim apud antiquos Romanos ſumebatur pro dignitate Cenſoris, ac etiam pro cenſione ſententiæ, ſeu correctione; ſolebant enim

2 olim Romani conſtituere quoſdam Magiſtratus ad mores ſingulorum Ciuium corrigendos,qui à cenſendo, vt dictum eſt,Cenſores appellabantur, *Suar.de cenſur. tom. 1. diſp.1. ſect.1.n.2. Nauar. in man. cap.27. n.1. Gl. Lancell.inſtit.can.tit.de Eccleſ.cenſur. §.Eccleſiaſtica,v.quoad 2. Filliuc. eod. tit. tract.11. cap.1.n.1.Coninch.diſp.2. dub.1. n.1.* Hinc dicit *Sayr.lib.1.eod. tit.cap.1.n.2.* nomen hoc, ſicut

3 sicut & officium, & censoriam dignitatem, à Romana, tamquam à matre, Venetorum Rempublicam florẽtissimam acceptam vsq; in hodiernum diem conseruare; Accedat quod *in l.censere de verb.oblig.* idẽ dicit I. C. Iabol.esse censere, quam praecipere; princi-
4 paliter tamen creditur, quod hoc officium vertebatur olim in puniendis officialibus pecuniae extortoribus circa iustitiam peragendam, sicuti hodie faciunt in Regno Neap.ex mandato,& commissione Domini nostri Regis Visitatores, vnde versus,

Censor,cur iura fori venalia damnas?
Res vendi potuit,qua prius empta fuit.

Propterea in hoc eodem Regno extãt multae ordinationes, prohibentes omninò emptiones talium officiorum, quas sigillatim commemorat *Regens Tapia in suo Iure Reg. lib.2.sub tit.de official. in Reg.constit. in annotat.ad pragm. 2. de official.* & quae ijs prohi-
5 beantur *n.* 4. multaq;scribit in odium venditionis officiorum, qua vigente, sequi per necesse, iustitiam esse venalem; hincque oriri omnia mala Reipublicae; & addit hoc velle perscrutari Reges, oculisque lyneeis intueri, ne aliàs emptor eis illud obijciat, emeram prius vendere iure possum.

Refert tandem, imò transcribit doctrinã *D.Tho.in opusc.de regim. Iudaeorum cap. vnico vers. quinto quaerebatis*, qui interrogatus à
6 Ducissa Brabantiae, an officia vendere liceret, respondit, non inuenire hoc prohibitũ, dummodò talibus vendantur, de quibus praesumi possit, quod sint vtiles ad talia officia exercenda, sed non tanto pretio,quod recuperari nequeat sine grauamine subditorum: Concludit tamen quod, quia multa licent, sed non expediunt; propterea talis venditio sibi expediens non videtur, primo quidèm, quia contingit frequenter, quod illi, qui essent magis idonei ad officia exercenda, sunt pauperes, qui emere non possunt, & si sunt diuites taliã officia non ambiunt,nec inhiunt ad lucra ex officio acqui-
7 renda; sequitur igitur, quod illi, vt plurimum officia suscipiant,qui sunt peiores,ambitiosi, & pecuniae amatores, quos etiam probabile est subditos opprimere, & commoda Principis non sic fideliter procurare: vnde magis expediens dicit sibi videri, vt boni homines, & idonei ad suscipiendum officia eligantur, qui etiam inuiti, si necesse fuerit, compellantur.

Redeundo nũc ad propositũ,dicunt DD. quod istud nomen cẽsurae, rebus olim temporalibus accommodatum, Scriptores Ecclesiastici postea ad significandam censionẽ, seu correctiuam sententiam iudicis Eccle-
8 siastici transtulerunt; quo sensu triplici modo sumi potest, primo largissimè, vt omnis sententia correctiua Iudicis Ecclesiastici vocetur censura, quomodocumque poenam constituat; Secundo largè ad illas tantum sententias ecclesiasticas significandum,quae non tantum poenales, & odiosae sunt,sed etiam medicinales, quo modo sumpta comprehendit excommunicationem, suspensionem, interdictum, irregularitatem, & cessationem à diuinis, *Gl.in c.quaerenti,v.eam de verb. signif.Sot.in 4.dist.22.q.3.ar.1.* Tertio strictè, & propriè, & includit tantum excommunicationem, suspensionem, & interdictum ad *tex.in d.c. quaerenti, ibique Abb. n.1.2.& 3.* caeterique communiter vt infra.

9 Est igitur cẽsura,poena spiritualis inflicta ab Ecclesiastica potestate,priuans hominem baptizatum vsu aliquorum spiritualium in ordine ad salutem, DD. *apud Bonac. tom.1. disp.1.q.1.pun.1. n.1. de censur.* in communi, vbi eam ad partes explicat; & est bona definitio: illae autem, quae traduntur *à Nauar. in man.cap.21.n.1.Suar. sub hoc tit,disp.1.sect. 1.n.1. & Summa Dian. v. censura n.1.* non placent, quia includunt etiã infideles,quos
10 scitum est non esse subditos Ecclesiae, & consequenter non subijei censuris ipsius, vt fatentur omnes DD. etiam ab ipsis relati.
11 Minus placet, quod generaliter docuit idẽ *Suar.n.6.* censuram scilicet priuare hominẽ secundariò corporalium, seu externarum actionum vsu, nimirum communicatione humana, honore, vel salutatione: etenim vt inferius dicetur, & idem *Suar. fatetur sect. 3.n.1.* suspensio est etiam censura, & tamen praedictis non priuat; illos tamen effectus parit solum excommunicatio, vt etiam inferius suo loco dicetur.

Quotuplex sit Censura?

SVMMARIVM.

1 *Censura est triplex, nempe suspensio, excommunicatio, & interdictum.*
2 *Irregularitas ex delicto non est censura particularis, sicuti nec cessatio à diuinis.*
3 *Depositio, & degradatio non sunt censurae, sed poena perpetua.*

4 Cen-

4 *Censurarum aliæ sunt illatæ à iure, aliæ ab homine, illæ vt plurimum perpetuæ sunt, & vniuersales, istæ verò ad tempus, & particulares.*

5 *Iudicis officiū est prouidere, ne partes veniant ad arma.*

6 *Censura alia est latæ, alia ferendæ sententiæ, sed in dubio iudicandum est esse ferendæ.*

7 *Clericum percutiens est ipso facto excommunicatus.*

8 *Pœnæ sunt potius restringendæ, quam ampliandæ.*

9 *Censura quando concipitur per verba ipso iure, vel ipso facto, vel latæ sententiæ, quid importet? Exemplificantur. n. 10.*

11 *Appellatio non suspendit censuram latæ sententiæ in foro conscientiæ, sed ferendæ, & assignatur ratio diuersitatis.*

Resolutio XII.

1 CEnsura est triplex, vt supra in introd. sub *n.*8. dictum est ex d. *c. quærenti de verb. signif.* sed obijcit *Soto in 4. dist. 22. q. 3. ar. 1.* dicens, cessationem à diuinis, & irregularitatem ex delicto esse etiam censuras; quibus posset addi etiam depositio, & degradatio: sed rectè respōdet *Suar. to. 5. hoc tit. disp. 1. sect. 3. n. 3.* quo ad priores, cessationē
2 scilicet à diuinis, vel includi sub interdicto, & irregularitatem sub suspensione, vel non esse censuras: & quoad posteriores *Nauar. in man. c. 27. n. 152. versic. quinto dico* ait, non esse censuras; illæ enim possunt au-
3 ferri data resipiscentia delinquentis; depositio verò, & degradatio minimè, cum sint pœnæ perpetuæ, vt infra *v. degradatio*, aliàs insufficiens fuisset diuisio Pontificis *in d. c. quærenti*, multi verò apud *Dia. par. 1. tract. 11. resol. 27. & par. 4. tract. 2. resol. 81.* conati sunt probare, irregularitatem saltem ex delicto esse etiam censuram, sed falluntur ex supradictis.

4 Quæ quidem censura subdiuiditur in illatam à iure, & illatam ab homine, illa infertur per modum legis perpetuæ, & est vt plurimum vniuersalis; exemplum est in *c. 1. de loc. & conduc.* & ferè in omnibus *canon. Trid.* incipiendo à primo *de iustific. sess. 6.* ista verò est vt plurimum particularis, per quam solet iudex præcipere aliquid ad tempus. E. gr. est lis inter aliquos de possessione ali-
5 cuius fundi, vel domus, & dubitatur ad arma venire, quia officium iudicis est hoc impedire, *l. æquissimum, ff. de vsufruct.* propterea, iubendo sub pœna excommunicationis, ne aliquis ibi accedat, finita lite cessat cōminata censura, *Gl. in c. vnico, v. sub anathemate de sagittar.* ratio est quia cessante causa cessat effectus, *c. cum cessante de appell. l. adigere §. quāuis, de iurepatr.* hancque subdiuisionem communem esse omnium Theologorum, & Canonistarum testatur *Suar. disp. 3. sect. 1. n. 2.* qui licet hoc tradant de excommunicatione, idem tamen esse de suspensione, & interdicto docent *Abb. in c. fin. de cler. excom. ministr. n. 4. Caiet. Syl. & alij Summistæ v. suspensio*, vbi enim militat eadem ratio, eadem etiam est iuris dispositio *§. pari ratione inst. quib. mod. ius patr. pot. solu. Præs. de Franch. dec. 489. n. 14.*

6 Rursus censura alia est latæ sententiæ, in quam statim incurritur: alia ferendæ sententiæ, seu comminatoria, in quam incurritur post sententiam iudicis: prima est, quando fit per verbum præsentis, aut præteriti temporis, vel si adiungantur particulæ hoc denorantes, veluti, statim sit excommunicatus, mox, vel illicò, aut similes, *Gl. in margine l. quantæ de public. & vectigal.* Secunda est quando concipitur per verba futuri temporis, veluti qui hoc fecerit excommunicabitur, vel si præcedat monitio superioris ad dicendum, quare non debeat procedi ad excommunicationem, quæ denotat tempus fuccessiuum ferendæ sententiæ.

Prima exemplificatur in *c. si quis suadente diabolo 17. q. 4.* vbi si quis manus violentas in Clericum, vel Monachum iniecerit, est sta-
7 tim excommunicatus, saltem in conscientia, donec declaretur; idem legitur in *dist. 30. per totam*, alijsque locis Iuris canonici. Secunda in multis etiam locis eiusdem Iuris can. *Clem. fin. in fine de statu monach. Clem. 1. de decim. c. vnico, vbi Gl. concord. adducit de sagittar.* in dubio autem, an censura sit latæ, vel
8 ferendæ sententiæ, iudicandum est esse ferendæ, quia pœnæ sunt potius restringendę, quam ampliandæ, *c. odia de regul. iur. in 6. vbi Gl. concord. adducit Dia. par. 4. tract. 3. res. 16.*

Alio modo solet concipi excommunicatio, veluti si dicatur, ipso iure sit excommunicatus, per quæ verba vult Iudex significare, per ipsum Ius excommunicationem imponi in casu per eum prohibito: vel si dicatur ipso facto, quia sequuto facto, seu inobedientia mandatis iudicis, statim etiam incurritur excommunicatio, & consequente-

verba

9 verba prædicta, ipso iure, vel ipso facto, aut latæ sententiæ eamdem vim obtinent, vt docet *Suar. hoc tit. disp. 3. sect. 3. num. 1.*
10 Exemplum primæ legitur *in c. prouida in fine de elect. in 6.* ibi, ipso iure fore suspensos, vbi obserua, quod, licet censura ibi proferatur per verba futuri temporis, adiunctio tamen dictorum verborum operatur, vt sit latæ sequuto facto, quod erat prohibitum, non autem ferendæ sententiæ.

Exemplum secundæ *in c. religiosus* eodem tit: alia exempla similia tradit *Gl. in c. sicut v. sub interminatione anathematis de simonia,* & *in d. c. vnico, v. sub anathemate de sagittar.* vbi latissimè.

Alia differentia est inter censuram latæ, & ferendæ sententię; à prima enim licet appelletur, est tamen contracta censura in conscientia, quamuis non sit vitandus excommunicatus quo vsque publicetur, *c. pastoralis, §. verum, & ibi Gl. v. cum exequutionem in fine de appell.* ibidemque ante medium docet
11 eadem *Gl.* rationem, quare istius sententiæ non retardatur executio per appellationem, sicut omnium aliarum, quia scilicet Deus ligat, & non homo, *c. nemo 31. in ordine 11. q. 3.* & proinde, dum à Principe non appellatur ad effectum retardandi executionem sententiæ, *Auth. quæ supplicatio, C. de precib. Imper. offer.* multo minus ab omnium Principum Principe, *Auth. multo magis, C de Sacros. Eccles.* à secunda verò, quia nondum est contracta excommunicatio, appellatio suspendit actum, *c. præterea cum similibus de appell.* de quibus tamen vide infra *resol.* 188. *n.* 5. vbi latius.

De causis concurrentibus in censuris infligendis, & alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Censurarum in inflictione quatuor causæ concurrunt, & quæ istæ sint? Eas infligendi potestas, quam habent Pontifex, & alij, est de iure diuino, n. 2.*

3 *Episcopi potestas in infligendis censuris an sit immediatè à Christo, qui omnes Apostolos creauit Episcopos.*

4 *Archiepiscopi, Episcopi, Cardinales, & alij, vt infra, eorumque Vicarij habent de Iure Diuino potestatem infligendi censuras.*

5 *Vicarius Episcopi facit vnum Tribunal cum eo, & ideo non datur appellatio ab illo ad istum, sed non potest solus Vicarius Archiepiscopi procedere ad censuram aliquam contra Episcopum suffraganeum ob reuerentiam dignitatis Episcopalis.*

6 *Capitulum sede vacante habet eandem potestatem, quam habebat Episcopus, donec eligatur Vicarius capitularis, ad quem deuoluitur iurisdictio.*

7 *Regularium superiores possunt procedere ad censuras contra suos subditos, hancq; potestatem habent de Iure Diuino.*

8 *Episcopi, Archiepiscopi, aliique Iudices ordinarij potestatem habent delegandi, delegati verò ab ipsis minimè, nisi sint delegati à Pontifice, vel alio Principe superiorem non recognoscente.*

9 *Delegatio expirat morte mandantis re integra, secus si sit capta exequi, etiam per simplicem citationem.*

10 *Iudex ordinarius, siue delegatus requiritur vt sit baptizatus ad hoc, vt possit sententia censuram contra quemquam infligere, imò debet saltem habere primam tonsuram.*

11 *Censura nequit infligi à Iudice laico, ne quidē si esset Clericus coniugatus, sed fallit si est delegatus à Pontifice, qui non est subditus legibus. An possit eam infligere congregatio hominum, vti delegata à iurisdictionem habente? n. 12.*

13 *Maius dignum trahit ad se minus dignum.*

14 *Angeli siue boni, siue mali non sunt capaces censurarum actiuè, neque passiue regulariter.*

15 *Minores in qua ætate possint iurisdictionem exercere?*

16 *Mutus, furiosus, vel surdus à natura iurisdictionem exercere non possunt, sicuti nec fœmina, n. 17.*

18 *Abbatissa iurisdictionem non habent in suas subditas in foro interiori, neque exteriori, proinde non possunt contra eas, censuras inferre, sed solum corrigere in ordine ad disciplinam religiosam.*

19 *Maria Virgo licet sanctior cunctis Apostolis, non tamen illi, sed istis Christus concessit Claues Regni Cælorum.*

20 *Abbatissæ possunt solum corrigere domesticè suas subditas, non autem præcipere illis sub mortali, quod est leue, nisi ex circumstantijs posset fieri graue; quod neq; possunt facere Iudices Ecclesiastici.*

21 *Excõmunicatus non potest alios excõmunicare.*

22 Su-

22 *Suspensus num, & quando possit iurisdictionem exercere?*
23 *Censura contra aliquos non potest inferri in propria causa, secus si inferatur pro defensione personæ propria. & n.25.*
24 *Iudex in propria causa nullus esse potest.*
26 *Episcopus si aliquid prohibeat generaliter sub excommunicatione, vel alia censura, an & quando ipse eam incurrat contraueniendo? Et an sit irregularis si celebret in Ecclesia à se interdicta, n.29. & seq.*
27 *Iurisdictionem nullus Iudex habet in seipsum.*
28 *Excommunicatio maior incurritur ab Episcopo communicando in diuinis, vel in crimine cum excommunicato etiam a se, quo casu potest absoluere excommunicatum prædictum, sed non seipsum, & quid in foro exteriori. n.30.*

Resolutio XIII.

1 Causæ prædictæ sunt quatuor, efficiens scilicet, materialis, formalis, & finalis, prima est homo, a quo inferuntur, qui est primò Summus Pontifex, potestatem hanc habens super omnes vti successor Petri, cui tradita vniuersaliter fuit à Christo, vt legitur apud *Matth. cap.16. & 18.* apud *Io.cap.21.* & alibi, & propterea cum eam à
2 Christo receperit immediatè in persona Ecclesiæ, & consequenter sit de Iure Diuino, vt de communi tradit *Bonac. disp.1. hoc tit.q.1.pun.2.n.1.* videtur etiam immediatè Pontifex, vti Episcopus Ecclesiæ vniuersalis, Petriq; successor eam recipere in sui creatione, vt probat *Suar. hoc tit. disp.1. sect.2.n.6* sed immediatè à Deo, quamuis electio fiat per Cardinales, sine qua tamen electione potestatem prædictam Deus non confert, quod apud omnes in confesso esse tradit *Dia.p.1.tr.2. resol. 126.* An autem per alios
3 Apostolos (quos omnes fuisse creatos Episcopos ab eodem Domino probat ex multis idem *Dia.par.12.tr. de consecrat. resol.80.* quibus etiam eandem potestatem traditam fuisse legitur apud *Luc.6. Io.6. & 20.*) deriuetur ad Episcopos hodiernos, & alios, vt infra disputat *Suar. citat. n.9. & 13. per tex. in c. nemo 31. in ordine 11.q.3.* quidquid tamen sit de hoc, certum est istos quoque hanc potestatem de iure cõmuni habere, *c. transmissam de elect. c.1. & c. ad reprimendam cum toto ferè tit. de off. iud. ordin. Trid. sess.6. de reform. cap. Ecclesiarum 3. in princ.*

4 Secundo non solum Episcopi eandem potestatem habent, & à fortiori Archiepiscopi, Patriarchæ, & Cardinales in suos subditos, *c. his quæ de maior. & obed.* sed etiã Legati à latere Pontificis, *c. legatus de off. legati in 6.* Vicarij Pontificis, & supradictorum, *c. sua nobis,* vbi *Gl. v. Vicary de off. Vicar. ex c. fin. 93. dist. & l.1. C. de off. eius, qui vicem alter. ger. Gl. in c. licet, v. committantur de off. Vi-*
5 *car. in 6.* Idem autem Tribunal est Vicarij, & Episcopi, & propterea non potest ab illo ad istum appellari, *c. non putamus de consuetud. in 6. & c.3. de appell.* eodem 6. (quod tamen fallit in Vicario Archiepiscopi, qui nõ potest solus contra Episcopum suffraganeũ procedere ad censuram aliquam ob reuerẽtiam Pontificalis officij, *ex c.1. §. officiales autem de off. ordin. in 6.*)
6 Item Capitulum Sede vacante eandem retinet potestatem, *c. cum olim de maior. & obed. & c. ad abolendam in princ. de hæret. Ricc. resol.472.n.1.* secundum primam impressionem, quæ tamen expirat creato Vicario capitulari, ad quem deuoluitur, *c. vnico,* vbi *Gl. v. is ad quem de maior. & obed. in 6.* item Concilium generale, & etiam Prouinciale, *c. graue nimis de præben.* quod cõstare ex vsu
7 Ecclesiæ affirmat *Suar. cit. disp. 2. sect.2.n.1* Item superiores Religionum in suos subditos, *c. cum in Ecclesijs de maior. & obed. c. quãto de off. ordin. c. reprehensibilis de appell. & c. corripiantur 24. q.3.* etiam Priores Religiosorum, *Sum. Dia. v. censura n.4.* sed debet præcedere monitio in causis grauibus, vt est censuræ inflictio, idem *Dia. par.5. tract.9. resol.20.* vbi concludit attendendam in hoc esse consuetudinem Religionis legitimè præscriptam, aliàs non præualere contra Ius scriptum, quod est *l. de vnoquoque de re iudic. & vide infra resol.14. num.19. & latius resol.16.*
8 Hinc sequitur, omnes istos dum iurisdictionem ordinariam habent, posse eam delegare, seu committere alijs, *l. more maiorũ ff. de iurisdict. omn. iud.* delegatus autẽ Põtificis habet etiam potestatem delegandi, ex *c.3. & fin. de off. & potest. iudic. deleg.* delegati verò tam ab isto, quam ab illis, subdelegare non possunt, *l. à iudice C. de iudic.* quæ quidem delegationes expirant morte mandantis, re
9 integra, secus si delegatus exequi cęperit suam delegationem, etiam per simplicem citationem, quia tunc, licet mors sequatur, dicitur perpetuata iurisdictio, *c. relatum,*

c. gra-

c.gratum & c.licet de off. & potest. Iudic. *de-*
leg. §.item si instit. de mandato.
Sed multa requiruntur ad exercendam
hanc Iurisdictionem (*in quos* autem exer-
10 ceri possit dicetur infra *resol.15. num.2.)&*
primo, vt tam delegans, quam delegatus sint
baptizati Filliuc. tract.11. n.36. ex c.1. & 3.
de praesbit. non bapt. & saltem Clerici primae
11 *tonsurae, quia laicis hoc est prohibitum, vt di-*
cunt Abb. in c.transmissam de elect. summista
hoc tit. Suar. disp.2. sect.3. nu.11. & 12. qui
gratis allegat in contrarium *Gl. in c.1. V.*
praeter Romanum 96. dist. nam loquitur de
laico, cui solus Papa potest delegare in
qualibet causa, quia est legibus solutus
l.Princeps ff. de ll. & propterea dum videmus
multos Episcopos cōstituere Vicarios Cle-
ricos simplices, primā tantùm tonsuram ha-
bentes, quos dictum est supra idem Tribu-
nal constituere, eandemque potestatem ha-
bere ac Episcopos, non est dubitandum ex
communi *sententia posse istos censuras inferre*
Gl. in c.Canonica V. praesbiter de sent. excom.
Suar. d. num.11. Henriq. lib.13. cap.24. Bonac.
disp.1. q.1. punt.2. n.6. bene verum est, Cle-
ricis coniugatis hoc non permitti. *Abb. &*
scribētes in c.sane 1. de Cler. coniug. Suar. d. n.11.
12 Dubitatum tamen fuit de congregatio-
nibus hominum, quae solent curam habere
locorum Religiosorum, an possint validè hoc
munus exercere, si sibi cōmittatur; & ratio-
13 nabiliter concludunt affirmatiuè *Suar. n.13.*
& alij loc. cit. si cōgregatio constet aequaliter
ex laicis, & clericis, quia maius dignū trahit
ad se minus dignum *c.quod in dubijs vbi Gl.*
de consecr. Eccl. vel altar. secùs si plures essent
laici vt per eosdē DD. Item requiritur, vt
14 sint viatores, quia neq; Angelus neq; Bea-
tus, & minus daemones sunt *capaces Iuris-*
dictionis Ecclesiasticae, vel secularis Suar. disp.
2. sect. 3. num. 3. Regin. lib.9. n.114. Bonac.
cit. n. 3. de quo tamen *Vide supra res.8. n.8.*
15 Item, vt ad minus sint adulti *c.indecorum*
de aetate & qualitate, nam infra praedictum
tempus non possunt rectum iudicium ferre,
licet per *c.cum in cunctis §. inferiora* videa-
tur requiri vt 25. annum attingant; de Iure
tamen ciuili *sufficit ad Iurisdictionem exer-*
cendam aetas 18. annorum l.quidam ff. de re
iudic. l.cum lege vbi Gl. V. cogatur de arbitr.
l.cum praetor §. non autem ff. de iudic. cuius
verba quia *complectantur alia requisita tran-*
scribo, & sunt videlicet. Nō autē omnes Iudices
dari possunt ab ijs, qui Iudicis dandi ius habent:
16 *quidam n. lege impediūtur ne iudices sint quidā*
moribus, quidam natura. Natura vt sur-
dus, mutus, & perpetuo furiosus, & impu-
bes, qui iudicio carent; Lege impeditur, qui se-
natu motus est; Moribus vt feminae, & serui,
non quia non habeant iudicium, sed quia re-
ceptum est, vt ciuilibus non fungantur officijs.
Ex quibus patet quam errauerint *Suar. citat.*
num.4. & Bonac. sub d. n.3. requirentes, iste
solum 7. annum expletum, & ille rationis
vsum (quod idem est) ad iurisdictionem
16 exercendam, quamuis rectè ibidem dixe-
rint, *feminam incapacem iurisdictionis esse, vt*
patet ex d. §. nō autem & l.feminae de regul. iur.
D.Tho. in 4. dist.25. q.2. art.1.
18 Hinc Abbatissae non possunt excommu-
nicare, aut suspendere, vel interdicere suas
subditas, etiam si vellent iure proprij officij
c.dilecta, vbi Gl. latissimè de maior. & obed. c.
de monialibus de sent. excom. & c.noua de poe-
nit. & remiss. Pellizz. de monial. tit. de voto
obed. cap.4. sect.3. num.109. ex multis.
19 Hinc etiam dicit Innoc.3. in dicto *c.de*
monialibus quod licet Beatissima Virgo Ma-
ria dignior, & excellentior sine comparatio-
ne fuerit Apostolis vniuersis, non tamen il-
li, sed istis Dominus claues Regni Caelo-
rum commisit, quod exponit Gl. citat. tam
de clauibus in foro interiori, quàm exte-
riori, vnde benè dicit *Valent. to.4. disp.7.*
q.16. pun.3. circa finem ex Soto, & alijs, quos
sequuntur Molin. & Couarr. apud Bonac. cit.
20 *sub num.4.* istas Abbatissas non habere pro-
priè potestatem iurisdictionis spiritualis, sed
solum cōmissionem in ordine ad disciplinā,
& correctionem domesticam subditarum, &
cōsequenter nec posse sub mortali praecipe-
re rem omninò leuem, nisi ex circumstan-
tijs fiat grauis, quod idē dicimus de iudici-
bus Ecclesiasticis, quia tunc erit solum ve-
niale, *Suar. de ll. lib.3. c.26. n.2 & 3. Sanch.*
in sum. tom.1. lib.1. c.4. n.3. & tom.2. lib.6. c.4.
21 *n.42.* Itē requiritur vt tam delegans quam
delegatus non sint impediti: etenim si essent
excommunicati, excommunicare alios non
possent, *c.audiuimus 24. q.1.* si verò essent
suspensi, idem dixit *Suar. disp.2. sect.4. n.2.*
22 quod tamen indistinctè non admitto, su-
spensi n. ab officio tantum ea solum nō pos-
sunt exercere, quae officij sui sunt, puta ce-
lebrare, & similia, sed benè possunt quae sunt
iurisdictionis, vt dare praebendas, & excom-
municare: si verò suspensi sint à iurisdictio-
ne, & non ab officio, *è contra: si autem suspen-*
si sint ab vtroque, neutrum: Gl. in c.cum dile-
ctus V. à suspensis in fine de consuetud. & cla-

rius in dicto, *cap. audiuimus V. quia excommunicatis ex c. quia cum simil. ibidem adductis de concess. praeben. & c.1. de off. Vicar. in 6. P. Dia. in summa v. suspensio n.2. & seq.*

23 Vltimo requiritur vt non inferatur censura in propria causa, *c. inter querelas 23. q.4. quia non potest quis esse actor, & iudex vt dicit Gl. ibidem v. proprie per c.1.4. q.4.* alias rationes tradidit, *Suar. disp.2. sect.4. n.5.* vnam philosophicã, quia scilicet naturale agens non agit in se ipsum, alteram legalem, nempe quia non potest quis se ipsum ligare quod esset sibi imperare, citat *Abb. in c.1. de raptor. n.12.* non autem leges, quae sunt, *l. qui iurisdictioni de iurisdic. omnium iudic. & l. Iulianus de iudic.* dictamque rationem in puncto docet *Martian. in l. si*
24 *de re de arbitr. ibi sententiam dicere non potest, quia se facere iuberet, aut parere prohiberet, neque autem imperare sibi, aut prohibere quisquam potest.*

25 Hoc tamen procedit in iudicijs ordinarijs, & vbi proceditur iuris ordine seruato, secus si superiori iurisdictionem habenti iniuria de facto personae, aut eius bonis inferretur; tunc n. posset quasi per modum defensionis censuram inferre contra quemcumque ipsum de facto iniuriantem, *c. dilecto filio de sent. excom. in 6.* quia vim vi repellere licet eo modo, quo possibile sit. *l. vt vim de iust. & iure Dia. p.5. tr.9. resol. 52. sed de hoc vide infra resol.16. n.34.* Pontifex autem generaliter potest iudicare in causa propria secundum, *Gl. in c. cum venissent v. iudicari de iudic. ex c. nunc autem. dist. 21.* ad similitudinem Imperatoris qui iudicat in causis fiscalibus, *l. proximè ff. de ÿs quae in test. del.*

26 Ex dictis infert ibidem Suar. quod si Episcopus censuram comminatur, vel infligit contra subditos aliquid perpetrantes à iure non prohibitum, sed ab ipso tantum, non incurrit censuram, illud à se prohibitum, faciendo, quia non potest se ipsum ligare, dum non habet iurisdi-
27 ctionem in se ipsum, dicta *l. qui iurisdictioni, & ex alÿs citatis,* occasione tamen censurae à se latae, potest in aliam censuram, incurrere, nempe excommunicationem minorem communicando cum excommunicato licet à seipso, quia à iure, non ab ipso Episcopo ista minor excommunicatio imposita est, nempè in *c. cum desideres de sentent. excom. ita Abb. ibidem n.2. Couarr. in c. alma mater 1. par. §.2. n.2. versic. hinc profecto eodem tit. in 6. ex Palud. in 4. dist.18. quaest.6. art.2. in fine.*

28 Imò & quod magis est, si Episcopus communicat in crimine, vel in diuinis cum excommunicato, etiam à se, incurrit excommunicationem maiorem, eadem ratione, quia à iure, non ab ipso, ista infligitur, ex *c. significauit c. si concubinae, & c. nuper de sentent. excom.* & potest Episcopus absoluere excommunicatum, sed non seipsum, licet per illum ipse contraxerit excommunicationem, tenetur n. recurrere ad suum superiorem pro absolutione, vt docent idem *Abb. in d. c. nuper n.10. Alex. alens. in 4. par. summae q.22. mem.1. art.7. §.3. sayr. hoc tit. lib.2. c.15. n.19. vbi caeteri.*

29 Eadem ratione si Episcopus celebrat in Ecclesia à se interdicta, irregularis fit, quia irregularitas hoc casu infertur à iure, idem *Suar. d. n.5. in fine vbi citat Vgolin. c.2. §.8.* sed hoc probatur in *c. is qui §. is verò de sentent. excom. in 6.* ab eo non allegato,
30 *Ricc. autem resol. 565.* secundum primam impressionem vult supradicta non habere locum contra Episcopos, quia generalis dispositio iurium allegatorum eos non comprehendit, cum de illis specialis mentio ibi non fiat ex *c. quia periculosum de sent. excom. in 6.* qui tamen tex. loquitur de suspensione & interdicto, non de excommunicatione, & irregularitate, & propterea posset responderi quod inclusio vnius sit alterius exclusio, *c. nonnè de praesumpt. & l. cum praetor ff. de iudic.* accedat quod legum correctio est euitanda, nec possunt corrigi per subauditos intellectus, *l. praecipimus C. de appell. l. vt liberis C. de collat. cum alÿs vulg. apud praesid. de fräch. dec.66. n.4.* & contra Ricc. adest *P. Dia. p.5. tract.9. resol. 52.* vbi per omnia amplectitur dicta per nos supra, sed neminem allegat nisi *Mercer. in*
31 *3. par. de sacram. q.20. dub.4. addit Bald. in l. si negotia num.1. ff. mandati ex c.2. de constit.* quod Episcopus ligetur etiam statuto suo generali, quod tamen est intelligendũ de statuto iuri communi conformi iuxta supra dicta.

Agitur de Causa materiali Censurae.

SVMMARIVM.

1 *Causa materialis censurae, est duplex remota, & proxima, & quae istae sint?*

2 Cen-

2 *Censura grauis non potest inferri nisi pro mortali culpa, sed quid de leui?*

3 *Suspensio leuis an possit inferri, etiam pro veniali?*

4 *Excommunicatio an possit inferri contra arma portantes, vel comam nutrientes?*

5 *Clerici arma portantes, vel aliàs facinorosi si capiuntur à iudice seculari, cum magna difficultate, & temporis lapsu remittuntur ad Ecclesiasticum.*

6 *Interdictum aliquando infertur ob peccatum alienum quo casu inculpati possunt diuinis interesse extra locum interdictum.*

7 *Excommunicatio numquam infertur in communitatem, neque ob peccatum alienum, sicuti infertur interdictum.*

8 *Censura nulla inferri potest ob peccatum internum de quo. Ecclesia non iudicat. n.9. Non incurritur, nisi effectu, propter quem est inflicta totaliter completo. n.10.*

11 *Iudex in dubio censetur se iuris dispositioni conformare.*

12 *Vulnerati si sequatur mors an & quando dicatur mortuus ex vulneribus, vel alia causa? & n.13. & 14.*

15 *Peritis in arte est regulariter standum in omni causa.*

16 *Medicis deponentibus aliquem decessisse ex malo gubernio potius, quam ex vulneribus an & quando sit standum, & quomodo debeat medici deponere in hoc casu?*

17 *Praesumptio iuris est vnumquemque praesumi bonum donec probetur malus.*

18 *Vulneratus si vixit vltra 40. dies post vulnera suscepta non praesumitur ex illis mortuus.*

19 *Excommunicatio an possit infligi pro delictis praeteritis absque monitione?*

20 *Iudex tenetur iudicare secundum allegata & probata non secundum conscientiam.*

21 *Excommunicatio prolata absque monitione pro delictis praeteritis est iniusta, & rescindenda est per superiorem sed non est nulla.*

22 *Suspensio, vel interdictum quando infliguntur, debet regulariter praecedere monitio, verum non sunt omnes interdicendi monendi, sed tantum culpati.*

Resolutio XIV.

1 Causa materialis Censurae iuxta thema prioris resolutionis duplex est, proxima & remota, ista est persona, quae ligatur, vel ligari potest censura, de qua infra resol. seq. illa verò est peccatum, propter quod in censuram incurritur, *Tol. lib. 1. cap. 45. n.2. ex c. satis peruersum 56.*
2 *dist.* nec potest inferri grauis censura, vt est excommunicatio, nisi ob mortale, *c. nemo Episcoporum, & c. nullus 11. q.3. Trid. in c. quamuis 3. in principio sess. 25. de reform. Suar. hoc tit. disp. 4. sect. 4. n.2. Ricc. resol.* 464. *n.2.* iuxta primam impressionem, multos refert *Bonac. to. 1. hoc tit. disp. 1. q. 1. pun. 3. n.6.* (qui tamen loquitur de irregu-
3 laritate) & quod ibi subdit posse inferri censuram leuem pro veniali ex *c. 1. de sent. excom. in 6. & vt ait Suar. citat. n.2.* excommunicationem leuem, nec in dict. tex. legitur, nec in praxi fuit vmquam receptum, licet de iure incurratur propter communicationem cum excommunicato maiori *c. excommunicatos c. cum excommunicato 11. q.3. & c. à nobis de except.* Hinc deducitur, censuram grauem illatam pro veniali esse regulariter nullam *Suar. disp. 4. sect. 6. n.8.* licet suspensio leuis secundum Tol. citat. possit pro veniali inferri argum. tex. in *l. respiciendum de poenis*, vt etiam voluit *Nauar. in summa cap. 27. n. 165.*
4 *ex Caiet. & alijs*; Sed quia nihilominus videmus Episcopos solere minari etiam excommunicationem in suos subditos arma portantes, vel comam nutrientes, quae de natura sua ad mortale non attingunt, propterea regula traditur, quod quando superior haec mandat, licet secundum se sint leuia, fiunt tamen grauia ob circumstantiam, vt in priori casu, ratione periculi
5 cui se submittunt clerici arma portantes propter grauissimas poenas, quibus se exponunt contra tales illatas à iudicibus saecularibus, qui eos capiunt virtute *ritus M.C.V.* 235. & ante quam remittant ad Ecclesiasticos, multis expensis vexantur, & angustijs affliguntur, quia aliquando per annos detinentur in carceribus, vt dicit *Carauita ibidem n.5.*

In posteriori verò ratione finis honesti à superiore intenti, ob scandalum vitandum, occasionemque licet remotam ad peccatum *Sotus in 4. dist. 22. q.1. art.3. Val. tom. 4. disp. 7. q. 17. punt. 5. Bonac. citat. sub nu.* 8. regulariter autem excommunicatio pro re leui non ligat ex *Ricc. resol. 272. num. 2.* quia continet intolerabilem iuris errorem, *c. dilecto cum simil. de sentent. excom. in 6.*

6 Quamuis interdictum, quod fertur in communitatem puniat etiam eos, qui culpabiles non existunt *c.si sententia §.caeterum de sentent. excom. in 6.* vbi dicunt DD. non ferri propriè in pœnam illorum, sed delinquentis, qui punitur in illis, & propterea, interdicta Ciuitate ob delictum Domini, vel alterius particularis, possunt ciues non culpabiles diuinis interesse extra
7 ciuitatem *d. §.caeterum*. Excommunicatio tamen, vti pœna maior, numquam potest inferri nisi ob peccatum proprium, nec in communitatem, *c.Romana §.fin. eodem tit. &*
8 *lib. c.si habes 24. q.3. c.nullius 1. q.4.* nulla verò censura potest inferri ob peccatum internum *D. Tho. 1.2. q.91. ar.4. cor. & q.*
9 *100. ar.9. cor. P.Dia. par.5. tract.9. resol. 48.* quia Ecclesia non iudicat de internis, *c.erubescant dist. 32. & c.sicut tuis §.fin. de simon.* cogitationis n. pœnam in foro exteriori nemo patitur, *l.cogitationis ff. de pœnis & ait Innoc. in c.fin.32. q.5. quod non habent latentia peccata vindictam apud homines, quia solus Deus est scrutator cordium.*

10 Nec incurritur censura nisi effectu totaliter cōpleto, quē superior sub cēsura prohibuit quia quilibet superior cēsetur se di-
11 spositioni iuris conformare *c.super litteris circa finē de rescript. Capic. latr. decis. 25. n.15.* sed dum agitur de materia odiosa, odia sunt restringenda non amplianda *c.odia de regul. iur. in 6.* ergo si delictum est cæprum & non completum, non est facienda ampliatio. E.G. fuit emanata censura contra homicidas, modo fuit aliquis vulneratus tantum, non est delinquens excommunicatus, licet habuerit animum occidendi, *D.Anton. 3. par. tit.24. cap.1. §.1. Abb. in cap.1. n.4. de sentent. excom. Suar. disp.4. sect. 3. n.3. Regin. lib.9. cap.12. n.216.* ex contrario si quis habuerit animum vulnerandi tantum, & tamen vulneratus est mortuus, iam est incursa censura, quæ includit homicidas; Ecclesia n. vt diximus iudicat solū de externis *d.c.erubescāt* sacra tamen cōgregatio cēsuit mandantem occidi Titium, si mandatarius occidit Caium, non incurrere illū irregularitatē, sicuti neque si mādauit verberari cum baculo cum expressione ne occidatur, & mandatarius occidit, vt in declarat. Concilij *sess.14. sub cap.7. de refor. faciunt ad hoc propositum dicta per Dian. p. 11. tr.6. res.19. in fine quamuis de his mentionem non faciat.*

12 Sed difficultas potest esse quando mors fuit dilata an contingerit ex vulneribus, vel alia causa, quia primo casu erit delinquēns excommunicatus, secundo verò minimè, nam si vulneratus obijt medici imperitia, vel eiusdem vulnerati negligentia, aut malo gubernio, sicut non tenetur delinquens de homicidio in foro exteriori, sed tantum de vulnere, *l.si ex plagis, & l.qui occidit § fin. ff. ad l.aquil.* ita nec censura ligatur. In dubio autem, tres distinguunt casus, *Iul. Clarus in pract. crim. §.homicidium n.42. & ibi addentes n.144. ex*
13 *Bal. Socc. & alijs* communiter, quorum primus est quando certum est vulnus illatum, fuisse mortale, & mors superuenit, procul dubio delinquens tenetur de homicidio *l.ait lex vers. quid si mortifere vbi Gl. V. vulneratus & l.si ita vulneratus ff. eodem tit.* & consequenter est excommunicatus.

14 Secundus casus est quando certum est vulnus non fuisse mortale, & tunc si postea mors sequatur, non teneri delinquentem de homicidio pro certo affirmarunt DD. relati, & consequenter nec Censuris, quia censetur mortem naturaliter euenisse non autem ex vulnere. Tertius quando ignoratur an vulnus fuerit lethale, vel non & tunc, aut non apparet de aliqua negligentia, seù culpa vulnerati, & ex euentu secuto præsumitur decessisse ex vulnere, & punitur vulnerans de homicidio, & censuris; aut contra, & secùs; exemplum ponit *Gandin. de Malef. tit. de homic. post n.24.* in rustico, qui post vulnus receptum in capite se contulit ad laborandum ad solem, quo casu, morte secuta, non tenetur delinquens de homicidio, vel censuris, & ita fuisse iudicatum teste *Signor. in Consil.263. nu. 6. refert idem Clar. citat.* in fine, prout etiam in *S.C.N. apud Gramat. Consil.2.*

His tamen coniecturis dubijs existentibus, standum esse iudicio medicorum docet *Placa lib.1. delict. cap.13. n.6. Alber. in*
15 *proa. ff. nu.14. ad regul. iuris,* quod standum est peritis in arte, *l.semel ff. de re milit.* qui tamen debent esse duo, & deponere cum iuramento, nisi vnus solus adesset in loco secundum *Anan. in c.significasti de homic.* latè de materia *Boerius decis.323.*
16 quod est intelligendum sano modo, nam non debent deponere præcisè de veritate, sed tantum de credulitate, & iudicio vt aduertit *Anan. ibidem post n.13. & licet Clar.*

vbi

*vbi sup. post nu.*43.asserat in senatu Mediolani hoc non seruari, quia solent de facili medici pro inquisitis deponere,tam ad eis fauendum, quàm ad effugiendam culpam malæ curationis, & propterea standum esse arbitrio iudicis, qui consideratis qualitate, & loco vulnerum cum alijs circumstantijs, hoc æstimabit,& ita tenuisse *Marsil. in pract. crim.* §.*& quia n.*16.

Ego tamen à communi priori opinione non esse recedendum puto, quia regula iuris supra n.15. citat. numquam locum sibi vendicare posset, cui tamen est standum, nisi aliud in contrarium decidatur, *l.prospexit ff. qui & à quibus*; nec est supponendum medicos deierare, quia nemo
17 præsumitur immemor salutis æternæ *c.cum in iuuentute de præsumpt.* imò vnusquisque præsumitur bonus, donec probetur malus, *c.fin.de præsumpt. l.merito ff. pro socio & l.cũ Pater* §. *rogo de legat.* 2. aliàs numquam testibus esset adhibenda fides, quod esset maximum absurdum & contra *tot.titul.tam in canon. quam in ciuili de testib.*

Quod si vulneratus post vulnus receptum, processit de malo in peius, & infra
18 breue spatium mortuus est, præsumitur, omni difficultate cessante,mortuus ex vulnere; secus si vixit vltra 40.dies, quia nullus lethaliter vulneratus potest secundum iudicium medicorum viuere vltra prædictum tempus: hancque esse communem opinionem canonistarum, & Legistarum voluit *Bolognett. Consil.*5. *col.*2. *vers. secundo pro eadem, quem refert & sequitur Clar. vbi supra n.*44.

Quæstio verò, quam horum occasione
19 tractat *Suar. disp.*4. *sect.*5. *per totam hoc tit.* an possit infligi excommunicatio pro culpis præteritis absque monitione, frustratoria videtur, adducit n. multos DD. pro affirmatiua ibidem n.2. præcipuè, *Gl.mag. in c.Romana de sentent. excom. in* 6. quam dicit hanc opinionem expressè tenere,& addit n.4. multa iura, in quibus suo videri hoc permittitur, quibus postea n.14. varios intellectus assignat; Sed parcat mihi, nam licet in iuribus prædictis declarentur aliqui excommunicati pro delictis præteritis, hoc tamen intelligitur cum terminis habilibus, nempè præcessisse non solum monitiones,sed etiam debitas informationes per testes examinatos super delictis commissis; alioquin quomodo potuisset scire Pontifex,qui in dictis iuribus excommunicationem inflixit, delicta fuisse patrata? & dato sciuisse si fingamus fuisse coram
20 eo commissa, (quod etiam est fere impossibile,) ne quidem potuisset iudicare, nisi secundum allegata, & probata, non secundum conscientiam, *l.illicitas* §. *veritas de offic. Presid. D.Tho.*2.2. *q.*67. *art.*2.

Quod est adeo verum vt in *c.sacro de sententia excom. & d. c.Romana* §.*porro* expressè præcipiatur ne pro delictis præteritis excommunicatio sinè præuia monitione feratur, nec est supponendum iura iuribus aduersari, sed illa esse intelligenda
21 iuxta ista, Gl.autem per Suar. allegata, dicit excommunicationem absque monitione esse iniustam, & relaxandam per superiorem, sed tenere; ideo autem dixit tenere, quia in *d.* §.*porro* Pontifex tales sententias appellat iniustas, non autem nullas; primo n. casu valent, sed rescinduntur, secundo verò sunt inualidæ *c.*1. *de sentent. & re iudic. l.*1. §.*item cum contra ff. quæ sentent. sinè appell. rescind.* Hinc videmus Episcopos, aliosque iudices Ecclesiasticos,quando tales sententias proferunt, explicare in illis solum causas excommunicationis (vt factũ est in iuribus per suar. citat.) sed in processibus per eos fabricatis adsunt depositiones testium,decreta,monitiones, & cætera, à qua praxi videtur fuisse alienus Suar. cum DD. per eum relatis.

22 Et propterea, etiam in suspensione, vel interdicto ferendis præcedere regulariter debet monitio *ex c.reprehensibilis de appellat. & c.statutum de sentent. excom.in* 6.quamuis istæ censuræ inferri soleant pro delictis præteritis *c.tam literis* §.*fin. de testib.*nec sint tanti præiudicij,sicut excommunicatio, verum non sunt omnes interdicendi monendi, sed solum culpati, vt aduertunt idem *Suar. disp.*3.*& sect.*8. *n.*2. *alijque apud P. Dia. par.*5. *tract.*9. *resol.*55. *& vide infra resol.* 16. *à n.*23. *vsq; ad* 31.

Agitur de causa materiali remota Censuræ.

SVMMARIVM.

1 *Causa materialis censuræ remota quæ sit?*
2 *Angeli siue boni, siue mali sunt incapaces censurarum tam actiuè, quam passiuè.*
3 *Animalia irrationalia, etiam si sint bruci, siue locustæ nequeunt excommunicari,sed ora-*

orationes Deo sunt pro eis estirpandis effundendæ.

4 *Dæmones nequeũt excommunicari; sed execrantur, & detestantur a corporibus obsessis.*

5 *Homines mortui an possint excommunicari? & num. 8.*

6 *Origenes fuit post mortem excommunicatus, fuerunt duo eiusdem nominis, ambo heretici, & excommunicati, sed in quibus peccauerint? Ipsius opusucula quare non sint ab Ecclesia reprobata, cum ipse author fuerit abeadem Ecclesia hereticus declaratus? n.7.*

8 *Excommunicari nemo potest post mortem, sed declarari contraxisse excommunicationem in vita.*

9 *Hæreticum hæredem instituens est excommunicatus, & propterea si in vita non fuit talis declaratus, potest declarari post mortem.*

10 *Sepultura Ecclesiastica non conceditur quibuscumque mortuis in peccato mortali notorio absque contritionis signis.*

11 *Absolutio quando possit tribui mortuis excommunicatis in vita, & consequenter pro eis suffragia fieri?*

12 *Sententia lata contra mortuum est ipso iure nulla, etiam si sit in sui fauorem.*

13 *Infideles non subsunt censuris Ecclesiasticis, nec catechumeni, sed benè heretici, & schismatici, licet ad paganismum transeant.*

14 *Iudæus percutiens Clericum, vel quemcumque Ecclesiasticum non est excommunicatus.*

15 *Excommunicari an & quando possit impubes, & quo tempore quis dicatur pubes?*

16 *Peccatum omne potest à pueris committi post rationis vsum, excepto peccato carnis, quod nequit committi agendo, nisi pubertate adueniente vel circa eam.*

17 *Rationis vsus quando accedat pueris?*

18 *Infantes & furiosi nequeunt censuris ligari, quia sunt doli, & culpæ incapaces.*

19 *Excommunicatio non potest ferri contra vniuersitatem, vel Collegium, sed benè interdictum vel suspensio.*

20 *Excommunicatus ex vna causa, potest excommunicari ex alia, vel alijs.*

21 *Subditus, vel æqualis non potest censuram aliquam inferre contra superiorem, vel æqualem, nisi delegatus sit à Principe & num. 23.*

22 *Pontifex à nemine potest iudicari, nisi deuiat sit à fide.*

24 *Delegatus est maior quocumque ordinario in causa sibi commissa.*

25 *Censura illata contra tale delictum committentes, an includat etiam consulentes, vel mandantes, aut auxiliantes?*

26 *Consilium non fraudolentum non obligat, secùs fraudolentum in criminalibus, sed in ciuilibus numquam obligat vt n. antecedenti.*

27 *Mandans, vel consulens delictum sub censura prohibitum, an eam incurrat, si mandatarius, vel consultus erant illud omninò commissuri?*

28 *Mandare, & facere sunt diuersa.*

29 *Mandans & mandatarius pari pœna puniuntur quod etiam procedit in censuris.*

30 *Argumentum à fortiori est de iure validum.*

31 *Faciens aliquid per alium, est facere per se ipsum.*

32 *Clericum percutiens, & mandans percuti, sunt ambo excommunicati, à Pontifice absoluendi.*

33 *Communicans cum excommunicato in crimine, eandem excommunicationem contrahit.*

Resolutio XV.

1 Dictum est in priori resolutione de causa materiali proxima censuræ, sequitur de remota, quæ est subiectũ capax illius, homo scilicet viator baptizatus, adultus, determinatus, & subditus; quo ad primum probatur apud Matth. cap. 18.
2 ibi *quæcumque solueris super terram, &c.* & propterea, Angeli siuè boni, siuè mali sunt incapaces censurarum actiuè & passiuè, sicut etiã mortui cum distinctione vt statim dicam: Imò superstitiosum est credere,
3 quod possint excommunicari bruci, locustæ, aut aliud genus vermium, vel animalium irrationalium, quamuis religiosum sit vti contra ea aqua benedicta, precibus, & orationibus fundatis in diuina bonitate, & misericordia Nauar. in *man. c. 27. n. 13. Sanch. summa lib. 2. cap. 42. n. 37.* sicuti etiam quando exorcizantur, seù excommunicantur dæmones, non dicuntur propriè ex-
4 communicari, sed execrari, & detestari, *Suar. hoc tit. disp. 5. to. 5. sess. 1. n. 2. ex c. ego Berengarius de consecr. dist. 2. & c. donatum 1. q. 7. & vide infra v. heresis.*
5 Contra tamen quod possint etiam mortui

tui excommunicari statuitur in *c.si quis & c.in eos de hæret.* vbi iubetur anathematizari Episcopos post mortem, omnesque alios, qui hæredes instituerunt hæreticos, aut aliquos, qui Catholici non sunt, quod etiam latiùs extat declaratum in *c.sane* 24.
6 *q.*2. vbi multi hæretici, & precipuè Origenes fuerunt post mortem excommunicati, ibique *Gl.V.origenes* ait, fuisse duos eiusdem nominis, ambos hæreticos, de alio n. fit mentio in *c.quidam* 24. *q.*3. ille tenuit omnes homines esse saluandos, & propterea Christum esse iniustum, & vlterius iterum forè passurum in aere pro diabolis saluandis. Iste verò quod non possit filius videre Patrem, nec Spiritus Sanctus filium, aliaque huius generis detestabilia quæ leguntur in *d.c.quidam* §.*origeniani*.
7 Et licet illius opuscula recepta sint ab Ecclesia, hoc non est quia eius sunt, sed quia Ecclesia ea approbauit, vt legitur in *c.Sancta* §.*item Origenis dist.*15. vbi etiam asseritur D.Hieronymum ea non reprobasse; qui de re ait *Gl. in dicto c.sanè in fine*, posse dici illa esse Ecclesiæ, non Origenis, quia omnia nostra facimus, quibus nostram impartimur authoritatem, *l.*1. §.1. *C.de veter.iure enucl.*licet regulariter, si quis in vita fuerit excommunicatus, nec viuens absolutus, possit post mortem absolui, *c.à nobis* 28. *& c.sacris de sentent. excom.*
8 Dicit tamen *Suar. tom.*5. *hoc tit.disp.*5. *sect.* 1. *n.*4. quod non dicuntur excommunicari post mortem, sed tantum declarari hæreticos eos, de quibus in dictis iuribus sermo est contraxisse excommunicationem in vita: & propterea imperari viuentibus, ne illos Ecclesiastica sepultura honorent, neque solita suffragia pro illis erogent, & consequenter, si non fuerit excommunicatio contracta in vita (quia neque post mortem potest) nec ad excommunicationem contra aliquem proceditur, quia tunc non alligatur homo Ecclesiasticis iuribus, neque illa transgredi potest; & præterea, cum hæc pœna medicinalis sit, semper requiritur, vt is, in quem de nouo infligitur, sit in statu in quo possit salus, vel fructus aliquis sperari, quibus carent mortui, & quia-
9 uis qui instituerunt hæredes hæreticos, si benè sentiant de fide, hæretici non sint, sunt tamen excommunicati ex tunc, quo talem institutionem viuentes fecerunt, quod declaratur post mortem *Gl.tamen in d. c.si quis V.* post mortem voluit esse speciale in crimine hæresis in ipsius detestationem, vt possit quis accusari, & excommunicari post mortem, ne Ecclesia oret pro eo, & ita dicunt practicari in accusationibus post mortem hæreticorum, filijs scilicet eorum intimatis & cum aliquibus cumstantijs. multi apud *Dia. par.*4. *tr.*7. *res.*28. §.*notandum*.
10 Hinc morientes in peccato mortali notorio, cum signis impænitentiæ finalis, etiam si nulla censura afficiantur, Ecclesiastica quoque carent sepultura, solitisque suffragijs, vt sunt qui violentam sibi ipsis mortem inferunt *c.placuit* 23. *q.*5. Item publici latrones *c.fures de furt.* morientes in torneamentis, seù duellis, tam patrini, quam pugnantes *c.*1.*&* 2. *de torneam. Trid. sess.* 25. *de reform. c.detestabilis* 19. in ordine, quæ tamen imperantur viuentibus, quo tempore contrahitur censura: sed hæc intelliguntur vt diximus de mortuis absque signis contritionis, vel de non confessis vt percipitur ex *Trid. & iuribus citat.* &
11 tradit etiam *Gl.in d.c.placuit in fine*, & propter eandem rationem quando non fuerunt absoluti in vita excommunicati, & constiterit petijsse viuentes absolutionem, quia probabile est fuisse apud Deum absolutos in vita, absoluuntur post mortem, vt Ecclesiasticam habeant sepulturam, solitaque suffragia consequantur *d.c.à nobis*. Ex quibus firmum remanet primum requisitum viatores tantum censuris affici posse, (hæreticis exceptis secundum priorem sententiam) non eos qui sunt in termino, *Couarr.in c.alma mater par.*1. *n.*8. *de sentent. excom. in* 6. *Regin.lib.*9. *n.*133. *Vasq. & alij apud Bonac. citat pun.*4 *sub n.*2. Quod etiam iure ciuili fundatur vt in *l.in summa* §.*fin. de re iudic. & l.penult. ff. quæ sentent. sine ap-*
12 *pell. rescind.* vbi sententia lata contra mortuum est ipso iure nulla, imò etiam si fuerit lata in fauorem mortui, vt fuisse decisum *in S.C. Neap.testatur Cap.Latr.decis.*83. *n.*2. *&* 19.
13 Secundum requisitum est baptismus; infideles n. non ligantur censuris Ecclesiasticis, *c. gaudemus* §. 1. *de diuort. ex Apost. Epist.* 1. *ad Cor. cap.* 1. imò nec catechumeni, quia non adhuc subsunt Ecclesiæ, sed benè ligantur hæretici, vel schismatici licet transeant ad paganismum, quia ratione characteris indelebilis in baptismo suscepti semper manent subditi Ecclesiæ
14 *Suar. disp.*6.*sect.*1.*n.*25. *Regin. citat.n.*135.

Hinc

Hinc iudæus iniiciens manus violentas in Clericum, vel monachum non incidit in excommunicationem *c. siquis suadente* 17. *q*.4. sed punitur pœnis pecuniarijs à suo superiore inferendis, donec iniuriam passo congruè satisfaciat, vel in defectum mādatur Christianis sub alia censura, nè cum ipso iudęo donec satisfaciat communicent. *c. postulasti de iudæis*.

15 Tertium est ætas adulta, quæ masculis accedit post 14. annum, fæminis verò post 12. *l. fin. C. quando Tut. vel Curat. & §. 1. instit. quibus mod. tut. finit.* sed minus rectè assignat rationem *Bonac. citat. n.* 9. quare non possint tales ante prædictam etatem excommunicari licitè, quia scilicet peccare nequeunt, hoc n. excepto peccato carnis,
16 quod non potest committi agendo, nisi ad, ueniente pubertate, vel circa eam, verum non est, nam accedente rationis vsu, qui
17 regulariter accedit in septimo anno, possunt pueri peccare *c.* 1. *& ibi Gl. de delict. puer. c. paruuli de consecr. dist.* 4.

Et propterea rectiùs dicunt Host. & Io: Andr. *in c.* 1. *de sentent. excom.* quod infra pubertatem non contrahitur excommunicatio, si cessat doli capacitas, ea verò existente, etiam impubertate durante, sic, sed possunt ab ordinario in omni casu etiam Pontifici reseruato absolui, quia ætas, licet non excuset in totum, excusat tamen in parte *c. penult. & fin.* ibique *Gl. eodem tit.* iuxta *l. auxilium* cum similibus *§. in delictis ff. de minor.* summa *Dia. V. censura nu.* 44.
18 ex quibus infertur per Suar. & alios citat. non posse furiosos censuris ligari, quia cessat dolus, sicuti ex eadem ratione, neque infantes, vtrunque dictum probatur *in l. infans ff. ad l. cornel. de sicar.* ibi infans, vel furiosus hominem occiderit, l. cornelia non tenetur, cum alterum innocentia consilij tueatur, alterum fati infælicitas excuset.

Quartum requisitum est, vt sit homo
19 determinatus, non n. potest excommunicari Vniuersitas, vel Collegium, quia facilè possent innoxij huiusmodi sententia irretiri, *c. Romana §. fin. de sentent. excom. in* 6. *Rich. in* 4. *dist.* 18. *art.* 5. *q.* 3. alijque multi apud *Sayr. lib.* 1. *cap.* 8. *nu.* 17. potest autem in communitates prædictas inferri interdictum *c. si sententia eod. lib. & tit.* sicuti etiam suspensio, vt colligitur ex *c. vnico ne sede vacante aliquid innouet. eodem lib.* rationem differentiæ tradit *Suar. disp.* 28. *sect.* 3. *n.* 1. quia scilicet istæ pænæ non sunt ita graues, sicut illa, non n. priuant internis bonis animæ, quæ sunt suffragia, & auxilia Ecclesiæ, sicut illa.

Benè verum est, quod possunt censuræ prędictæ, cum sint pænæ diuersos effectus parientes, multiplicari contra eandem personam, potest n. suspensus, vel inter-
20 dictus excommunicari, aut è contra non solū propter diuersas causas, vel delicta, sed etiam propter vnum, & idem, contumacia excrescente, *c. cum pro causa de sentent. excom. Bar. in l. de pupillo §. si in pluribus n.* 3. *de noui oper. nunciat.* multosque alios refert *Suar. disp.* 5. *sect.* 2. *n.* 6. *& sect.* 3. *n.* 12. vbi hoc exemplificat in percutiente plures Clericos, quod ante eum docuit *Nauar. in man. c.* 6. *n.* 18. modeterniores refert *Dia. par.* 5. *tr.* 9. *resol.* 60. sed si plures vno ictu occideret, probabile existimant alij cum ipso Patre vnam tantum excommunicationem incurrere, ibidem res. 59. verùm si quis tempore interdicti sepeliret in Ecclesia publicum excommunicatum, & nominatim interdictum, qui esset etiam vsurarius manifestus, tres excommunicationes contraheret, quia singulæ inferuntur pro vnoquoque istorum delictorum *Clem.* 1. *de sepult. vbi Gl. V. subiacere*.

Quintum & vltimum est vt, qui censura
21 aliqua ligatur, subditus sit liganti, nam subditus non potest censuram ferre contra suum superiorem, vel æqualem argum. *l. labeo §. fin. & l. nam magistratus ff. de arbitr.* vbi Gl. concordantes adducit Vasq. Suar. & alij apud *Bonac. to.* 1. *hoc tit. disp* 1. *q.* 1. *pun.* 4. *nu.* 12. Vnde Pontifex potest omnes
22 quibuscumque censuris afficere, ipse verò nulla, & à nemine affici, nisi deuius sit à fide, *c. si Papa dist.* 40. *c. nemo cum multis sequent.* 9. *q.* 3. dicit tamē *Suar. de fide disp.* 10. *sect.* 6. *n.* 11. quod Papa, vti Papa non potest errare in fide, sed solum vt persona priuata *sequitur Dia. par.* 4. *tr.* 8. *resol.* 58. Delegatus à Pontifice potest etiam suum superiorem ordinarium excommunicare, vel
23 suspendere, aut interdicere, veluti Parochus delegatus Pontificis posset Episcopum censuris prædictis afficere, si talis po-
24 testas sit sibi tradita, quia delegatus est maior quocumque Ordinario in causa sibi cōmissa *c. sanè* 11. *de offic. & potest. iud. deleg.*
25 Dubitari successiuè potest, an censura lata contra facientes aliquod delictum, includat etiam consulentes. *Nauar. in man. c.* 27.

c.27. n.51. negat, excludendo etiam man-
dantes, fauentes, & auxiliantes, quem
simpliciter absque disputatione secutus est
Suar. disp. 4. sect.3. sub n.5. idem voluisse
*Couarr. & quosdam alios refert Bonac. disp.
1. hoc tit.q.1. pun.6. n.1.* Quod si excom-
municatio, vel alia censura fuisset lata pro
causa pecuniaria, in hanc etiam sententiam
inclinarem *ex §. tua tantum instit. de manda-
to*, loquendo tamen in simplici Consilio,
auxilio, vel fauore, non autem mandato,
quia tunc tenetur mandans actione mãda-
ti *d. §. tua tantum in fine, & l. si remuneran-
di §. apud versic. planè ff. mandati*, ratio est
quia Consilium, siuè bonum, siuè malum
in ciuilibus nõ obligat, *c. cum olim de arbitr.
& d. §. tua tantum ibi: cum liberum sit cuique
apud se explorare, an sibi expediat consilium.*

26 In criminalibus verò, quia regulariter
interuenit dolus, propterea regulariter
tenetur quis ex malo Consilio *l. 1. §. persua-
dere cum l. seq. ff. de seruo corrupto*, ibi vel
si luxuriosum, vel contumacem fecit, qui-
uè vt stuprum perpetraret, vel pateretur
persuader *l. nihil 15. ad l. cornel. de sicar.* ibi
nihil interest occidat quis, an causam
mortis præbeat *l. is damnum 130. ff. de re-
gul. iur.* secus cessante dolo *l. dolo eod. tit. ibi*
si lusus gratia fecerit, non tenetur, idem
in l. consilij ff. de regul. iur. ibi consilij non
fraudolenti nulla obligatio est, cæterum si
dolus & calliditas intercesserint, de dolo
malo actio competit.

27 Ex quibus cernitur, quàm errauerit
Bonac. citat. vbi nu.2. addit quod etiam si
censura expresse includat mandantes, &
consulentes; ne quidem illa ligentur, si
mandatarius, vel consultus commissuri
omnino erant delictum sub censura pro-
hibitum, licet mandatum, vel consilium
non interuenissent, quam opinionem am-
plexus est etiam *P. Dia. par.5. tract.9. resi
57.* non solum in isto casu, sed etiam in
supradictis citat vltra *Suar. & alios relatos
Sanch. de matrim. lib.3. disp.49. n.2.* à quo
transcripsit rationes pro hac parte, quibus
satisfaciendo erit satisfactum vtrique.

28 Dicit ergo Sanch. quod mandare, & fa-
cere sunt diuersa: ergo censuræ latæ con-
tra facientem non comprehendunt man-
dantem; eo magis quia in odiosis non po-
test fieri extensio de casu ad casum, *c. odia
de regul. iur. in 6. citat. tex. in c.2. de Cler.
pugn. in duello*, vbi pugil verè homicida
dicitur, non autem mandans, licet de ho-
micidio teneatur, qui tex. est de directo cõ-
tra ipsum, esto n. millies mandare, & fa-
cere sint diuersa, dum hic statuitur man-
dantem, licet ipse non occidat, teneri e-
29 tiam de homicidio, & sumus pariter in
odiosis, eodem modo teneri, seù ligari
censuris non est dubitandum, etenim vna
determinatio respiciens plura æqualiter
determinabilia, debet ea etiam æqualiter
determinare, *l. iam hoc iure ff. de vulg. &
pupill. & l. non possunt ff. de legib.* eo magis
30 quia fortior est censura pro homicidio,
quam pro alijs causis; ergo à fortiori pro-
cedit *tex. in hoc casu auth. multo magis C. de
sacros. Eccl.* imo præcisa argumentatione
Calest. 3. hoc declarat *in allegato tex.* ibi ho-
micidium autem tam facto, quam precep-
to, siue consilio, aut defensione, non est
dubium perpetrari.

Adde *tex. in l. 1. §. deiecisse ff. de vi & vi
31 arm.* vbi qui per alium facit, per se ipsum
facit, vt legitur ibi, parui n. referre visum
est suis manibus quis deijciat, an verò per
alium; sed ne per mendicata suffragia ea-
mus, habemus tex. hoc expresse decla-
rantes in propria materia censuræ, etenim
quantum attinet ad mandantem, *Alex. 3. in
c. mulieres §. 1. de sentent. excom. ita affatur
illi verò, qui non per se ipsos, sed eorum au-
thoritate, vel mandato, alij violenter iniyciunt
manus in clericos, ad Sedem Apostolicam sunt
mittendi, cum is committat verè, cuius autho-
ritate, vel mandato delictum committi proba-
32 tur.* Excommunicatio autem in percutien-
tes clericos per *c. si quis suadente 17. q.4.*
est contra facientes, & tamen Pontifex
declarat includi in ea mandantes *d. §. 1.* quē
referens Conine. sibi contrarius *disp. 14.
dub. 15. sub n. 189.* fatetur, interpretationem
illi secus datam per DD. esse omninò alie-
nam ab eius sensu, & miror de Sanch. Do-
ctore textualissimo, qui nec illum citauit.

33 Si verò loquimur de auxiliantibus, con-
sulentibus, vel fauentibus, habemus alium
tex. declarantem hos includi in censuris
illatis contra facientes; siquidem commu-
nicans cum excommunicato in crimine, ei
fauendo, auxiliando, vel consulendo, ean-
dem excommunicationem contrahit, *c. nu-
per §. in secũda eod. tit. ibi consilium impenden-
do, auxilium, vel fauorem*, ita per omnia
ex alijs medijs docuit *Syl. V. excommunica-
tio 8. sub n. 10.* & iterum *eod. v. 10. n. 5.* con-
ferunt dicta per *Abb. in d. §. 1. n. 12. & in
c. significauit n. 2. de iudæis.*

Agitur de causa formali censuræ, alijsque quæstionibus ad materiam attinentibus.

SVMMARIVM.

1 *Censura est ferenda in scriptis, estque tradendum eius exemplar censura ligato, illud petenti, aliàs proferens est suspensus ab ingressu Ecclesiæ per mensem, & peccat mortaliter.*

2 *Episcopi non incurrunt pœnas prædictas generaliter illatas, sed benè Regulares, nisi aliter sit in suis constit. ordinatum num. 3.*

4 *Lex imponitur rebus, & non verbis.*

5 *Censura an & quando incurratur à Iudice, si malè iudicauit ob ignorantiam.*

6 *Iudex tenetur scire ea, quæ pertinent ad officium suum.*

7 *Excommunicatio lata contra aliquem sub nomine proprio, sed omisso cognomine, non valet ratione incertitudinis, secùs si lata sit sub disiunctione posteà certificanda.*

8 *Electio in pœnis alternatiuè statutis pertinet ad Reum.*

9 *Censura in infligenda debet inseri causa, quæ debet esse valida, & iusta, aliàs censura erit inualida, vel iniusta. Ex triplici capite redditur inualida nu. 10. 20. & 30.*

11 *Suar. æquiuocauit in explicatione iniustitiæ sententiæ. Quæ si feratur contra ius, est nulla, secùs si contra ius litigatoris, quo casu est iniusta, & explicatur vtrumque n. 12. Licet iniusta, si ab ea non appelletur, transit in rem iudicatam; si verò est nulla, numquam transit in rem iudicatam, quamuis numquam ab ea appelletur nu. 13. & 14. Lata post appellationem est ipso iure nulla nu. 15. Iniusta ex causa, & iniusta ex animo, vel ex ordine differunt n. 16. Siuè iusta, siuè iniusta trahit secum executionem, præcipuè excommunicatio n. 17. Semper est timenda nisi sit nulla n. 36.*

18 *Iudex procedens in causa post appellationem, nulliter procedit.*

19 *Monitio ante sententiam non solum est de iure diuino, sed etiam naturali, & fortius de iure canonico & ciuili & n. 27. & 29. An debeat esse trina, vel sufficiat una pro omnibus in censura inferenda? n. 21.*

22 *Clericus enormibus se immiscens potest priuari clericatu; sed an requiratur trina monitio ante sententiam diffinitiuam?*

23 *Citatio seù monitio an sit semper necessaria, tam in censuris latis ab homine, quam à iure?*

24 *Censuræ latæ, vel ferendæ sententiæ quæ sint?*

25 *Suar. voluit non requiri monitionem ad promulgandam sententiam excommunicationis, quæ de iure ipso facto incurritur, sed conuincitur errasse.*

26 *Sententia est proferenda à Iudice secundum allegata, & probata, non autem secundum propriam conscientiam, etiam si aliter factum se haberet.*

28 *Moniales alloquens an sit ipso facto excommunicatus, etiam in foro fori?*

31 *Cardinalis Papiensis fuit occisus à Duce Vrbini, qui propterea commisit crimẽ læsæ maiest.*

32 *Archiepiscopus Pisanus fuit furore Populi suspensus in Ciuitate Florentiæ.*

33 *Episcopum occidens est excommunicatus in bulla cenæ, alijsque pœnis subiacet; sed vlteriùs Ciuitas, in qua duo ex eis fuerunt occisi, amittit nomen Ciuitatis, nec debent ampliùs ad eam mitti Episcopi & supra n. 29.*

34 *Iudex offensus, an possit sibi ipsi ius dicere?*

35 *Alapam si quis daret officiali, posset ab eo ibidem ad furcam damnari.*

Resolutio XVI.

1 Causa formalis censuræ vertitur circa solemnitates, quæ debent concurrere pro ea validè inferenda, quæ sunt vt feratur in scriptis, ibique inferatur causa cẽsuræ & tradatur excommunicato exemplar eiusdem scripturæ, si illud petat, aliàs Iudex eam proferens incurrit suspensionis pœnã per mensem ab ingressu Ecclesiæ ex *c. 1. de sent. excom. in 6.* sed censura illata non est nulla, vt patet *ex eod. tex. §. superior* vbi dicitur, quod iudex superior potest eam relaxare, & condemnare ad expensas iudicem, qui eam tulit, in beneficium excommunicati & *Gl. v. causam* notat differentiam inter istam, & alias sententias diffinitiuas, quæ sunt nullæ, si proferãtur sine scriptis ex *c. fin. de sent. & re iudic.* non sic sententia censuræ. Insuper peccat mortaliter Iudex eã proferens absq; requisitis prædictis, *Nauar. in man. c. 27. n. 8.*

ex

ex D. Tho. 2. 2. q. 60. art. 6. quem multos secutos fuisse testatur Bonac. hoc tit. to. 1. disp. t. q. 1. pun. 8. n. 1. quia facit contra ius scriptum in materia graui summa Dia. v. censura n. 24. vbi addit Prælatos mendicantium habere priuilegium ferendi excom-
2 municationem solo verbo contra aliquem in particulari secus si ferant per statutum generale in omnes suos subditos vt idem latiùs dicit par. 5. tr. 9. resol. 73. à quo ego discedo, vt statim dicam, pœnam tamen suspensionis non incurrunt Episcopi, vel Archiepiscopi, quia non fit de illis in tex. cit. expressa mentio, sicut requiritur per c. quia periculosum de sentent. excom. in 6. & tradunt Suar. disp. 37. hoc tit. sect. 1. in fine & aly.

Item non solum mendicantes, sed neque alios superiores religiosorum eam incurrere voluerunt Gabriel in 4. dist. 18. q. 2. art. 2. concl. 7. Angel. v. excommunicatio 2. nu. 3. Tabi. v. citatio §. 3. & v. excommunicatio 2. §. 2. ex Gl. in c. eum speciali §. porrò v. ad regulares de appell. quæ tamen in libro meo
3 hoc non dicit, & proinde contrarium ego teneo cum Host. in c. cum medicinalis §. si quis autem n. 9. de sentent. excom. in 6. ibique Io. Andr. Nauar. d. n. 8. in fine, vbi tamen excipit, quando regula, & constitutiones eorum aliter statuerent, & essent à Pontifice confirmatæ & quod de relato priuilegio deberet constare authenticè, alias nequeunt iuri communi derogare, quam sententiam omnes docere, prædictis exceptis, dicit Sayr. lib. 1. cap. 13. n. 15. eo magis quia tex. citat. includit vniuersos, & lex non solum vniuersaliter, sed generaliter loquens, generaliter debet intelligi l. de pretio ff. de public. in rem actione, aliàs si etiam isti excluderentur, pauci, vel nullus
4 includerentur, & lex esset imposita verbis, & non rebus, quod esse non debet l. 2. in fine C. commun. de legat. ibi nos n. non verbis, sed ipsis rebus legem imponimus. adde §. nostra autem instit. de legat.

5 Suar. citat. n. 1. requirit etiam ad incurrendam pœnam prædictam certam scientiam in Iudice proferente, & directam voluntatem, aliàs si ex bona fide, vel inaduertentia illam ferat, quod non incurrat, motus ex lit. tex. citat. ibi, temerarius extiterit violator, sed contradicit c. ignorantia de regul. iur. in 6. vbi ignorantia iuris non excusat, item Gl. in d. c. 1. v. temerarius, vbi ait sufficere ad pœnam incurrendam quandam negligentiam, vel fatuitatem, aut stultitiam ex tex. in l. eum quem temerè ff. de iudic. Nauar. autem loco citat excusat solum ignorantiam iustam; sed generaliter loquẽdo, ignorantia non potest locũ habe-
6 re in Iudice, quia tenetur scire ea, quæ pertinẽt ad officiũ suum D. Tho. 1. 2. q. 76. ar. 2. corp. & propterea non facile nisi ex inculpata inaduertentia eum excusarem l. regula §. sed iuris & l. in omni parte de iur. & facti ignor. eo magis, quia de iure ciuili Iudex, qui per imperitiã malè iudicauit, tenetur ex quasi delicto vt in tit. instit. de oblig. quæ ex quasi delict. nasc. in principio vbi Bart. n. 1. & 2. addens, eodem modo teneri medicum de mala curatione ex l. illicitas §. sicuti me-
7 dico de offic. præsid. Item requiritur vt verba censuræ cadant in personam, seu personas determinatas; nam si quis diceret excommunico Titium absque expressione cognominis, vel vnum de duobus, qui furtum fecit, inualida esset excommunicatio ratione incertitudinis argum. l. duo sunt Titij ff. de testam. tut. & §. curare instit. de action. Suar. to. 5. disp. 3. sect. 2. hoc tit. secus si censura feratur in personas certas ab initio, vel postea certificandas, licet sub disiunctione, veluti si dicat iudex, quicumque clericus nutrierit comam, sit excommunicatus, vel suspensus, nam certum est contrauenientem incurrere alterutram ad sui tamen electionem, vt probat Felin. in c. inter cæteras à n. 4. vsque ad 17. quem alijs relatis sequitur Grat. discept. 239. nu. 42. item. Suar. disp. 3. sect. 2. à nu. 12. vsque ad 15. quamuis dicat debere ab hac disiunctiua iudices abstinere, eo magis cum secundum eum non sit in vsu.

8 Sed in Regno Neap. adest prag. 14. de armis Domini Comitis Montis Regij publicata in anno 1637. contra asportantes sclopum paruum sub pœna vltimi supplicij, vel ducat. bismille, quæ fuit aliquando practicata, & data reo electio, nec Nauar. in c. 27. n. 161. allegatus in contrarium a Bonac. citat. pun. 7. n. 4. huic sententiæ contradicit, quæ etiam confirmatur ex adductis per P. Dia. par. 5. tr. 9. resol. 63.

9 Causa autem inferenda in censura, & propter quam infligitur, debet esse valida, & iusta, quod si contra fiat, erit consequenter sententia, vel inualida, vel iniusta, inter quas tamen magna est differentia: & licet multas membranas impleuerint in earum explicatione Suar. cit. disp. 4. sect. 6. cum 2. sequen. & alij summistæ vt Angel.

Syl. & caeteri v. excommunicatio: breuiter
tamen prius caput inualiditatis, seù nullita-
10 tis ad tres species reduxit *Gl. in c. sententia*
11. q. 3. prima scilicet quando sententia
fuit lata post appellationem, 2. quando
continet errorem intolerabilem, 3. quando
profertur pro indebitis exactionibus, pri-
ma & 2. continentur in *c. per tuas §. nos igi-
tur de sentent. excom. 3. in c. cum ad quorum-
dam de excess. Praelator.*

11 Idem Suar. loco cit. *sect. 7. n. 39.* dixit
ad tres etiam reduci, licet diuerso modo,
& postea subdit quod generaliter loquen-
do, omnis censura, quando est nulla, vel
est ex defectù iurisdictionis (de quo non
dubitatur) vel ex defectù causae legitimae,
sed à n. 2. vsque ad 5. explicando nullita-
tem sententiae ex defectù causae per termi-
nos iuris ciuil. & canon. videtur aequiuo-
casse, nè dicam errasse: etenim *n. 4. ibidem
versic. tertius idem modus* ait, quod quando
causa in re verè subest, tamen in iudicio
non est legitimè probata, & nihilominus
profertur sententia, fit nulla ex defectù
substantialis ordinis iudiciarij.

Quod pace tanti viri dixerim, verum
non est ex eisdem iuribus per ipsum alle-
gatis sub n. 2. quae sunt *c. cum inter de sen-
tent. & re iudic. c. venerabilibus §. sanè in fine
de sentent. excom. in 6. l. 1. ff. quae sentent. sine
12 appell. rescin.* cum similibus, in quibus le-
gitur, sententiam latam contra leges, vel
canones esse nullam ipso iure, & pro inde
appellatione opus non esse, quod etiam
scriptum est in *c. 1. de sent. & re iudic.* quae
propterea numquam transit in rem iudi-
catam, etiam si per mille annos ab ea non
appelletur *Grat. discept. 686. n. 15.* quia
non entium nullae sunt partes *l. eius qui in
Prouincia ff. si cert. pet.* quando verò est
contra ius litigatoris, non dicitur nulla, sed
iniusta (quod est secundum caput) vt in
iuribus citat. & proinde appellatio neces-
13 saria est, aliàs quantumvis iniusta sit sen-
tentia, transit in rem iudicatam, & execu-
tioni demādatur, ac si iustè prolata fuisset.

Contra ius autem litigatoris dicitur
sententia, idest contra probationes per eum
factas, quia insufficientes fortasse visae
fuerunt iudici, vel quia causa non fuit le-
gitimè probata, vt loquitur Suar. & conse-
quenter in iudicio appellationis, si inter-
posita fuerit, erit rescindenda, vtrumque
probatur in *d. c. cum inter §. quamuis, ibi at-
tendentes tamen quod quantum ad litigantes
ipsos, ius ex sententia factum fuit, post quam
in rem transijt iudicatam, etiam si contra ius
litigatoris lata fuisset, cum contra ius constitu-
tionis expressè lata non fuerit, &c.* idem
habetur in *d. l. 1. §. item cum contra versic.
quod si de iure suo.*

14 Alias si verum esset quod dicit Suar.
numquam appellationi locus esset, & con-
sequenter tot tituli de appell. in iure ciuil.
& canon. existentes, redderentur frustrato-
rij, dum aut sententia est nulla, aut iniu-
sta vt supra (non loquimur nunc de iusta,)
quando est nulla non est opus appellare,
vt modo probatum est; si ergo quando est
contra ius litigatoris, idest contra proba-
tiones ab ipso factas, diceretur etiam nul-
la, vt supponit Suar. numquam appella-
tioni locus esset, quod patet ad sensum
esse falsum, etiam si leges citatae hoc non
expressissent; fixum ergo restat, senten-
tiam latam contra alterutram partem per
defectum probationum non dici nullam,
sed iniustam, & ab ista appellandū esse (quae
tamen dicta sint pro Casistis fortasse in
iure communi non versatis, quia Legistis
sunt notissima.)

Ex quibus patet circa hanc primam spe-
ciem, sententiam censurae latam contra
leges, vel canones nullam esse vt genera-
liter legitur in *d. c. 1. de sentent. & re iudic.* &
specialiter in materia nostra in *c. cum tu de
15 testib.* vbi habetur, sententiam excommu-
nicationis latam post appellationem esse
nullam, quia iura mandant, appellatione
pendente nihil esse innouandum *c. post ap-
pellationem 2. q. 6. c. vt nostrum de appell. l. 1. ff.
nil nouari appell. pend.* vt etiā statim exempli-
ficabo; patet etiam quae dicatur sententia
iniusta, & quomodo licet talis sit, valida
est; quibus addo *c. Episcopus §. si ergo 11. q. 3.*
16 vbi Gregor. vocat hanc sententiam iniu-
stam ex causa, & exemplificat, quae sit sen-
tentia iniusta ex animo, vel ex ordine.

Quod si post latam sententiam censurae
siuè iustam siuè iniustam, ab ea appelletur,
appellatione non obstante, sententia trahit
secum executionem, vt legitur in *c. pasto-
17 ralis 53. §. nos itaque de appellat.* propterea
ad hoc vitandum, ante quam proferatur,
est interponenda appellatio (facta monitio-
ne à superiore,) & obtinenda inhibitoria
à iudice appellationis, praesentanda iudi-
18 ci appellato, qui, si postea procedit, vel
quamlibet sententiam profert, certum est
omnia esse nulla *c. non solum de appellat. in 6.*

licet

licet inpraxi sufficere videatur appellatio à monitione, vel à qnolibet actu de censura comminata ex *l.de vno quoque de re iudic.*

19 Est n. monitio de iure diuino, vt probatur in *c.3. Genes.* noluit namque Deus condemnare Adam absque præuia admonitione; vt paret ibi, *Adam vbi es, &c.* & propterea neque Summus Pontifex potest condemnare aliquem absque ea *c.inter quatuor de maiorit. & obed. c.1. de causa possess. & propr.* imò *Gl.in extrauag. vnica de dolo & contumacia §.præmissis v.non obstantibus versic. secundo videndum,* latè probat, & verum dicit, monitionem esse etiam de iure naturali, quia est species defensionis, quæ cõpetit etiam brutis *Basard. ad Clar. pract. crim. §.fin. q.31. n.9. Afflict. decis.283. n.7.* Et quod sit etiam de iure ciuili, & canon. non dubitatur ex *d.l.de vno quoque cum similibus de sentent. & re indic. Clem. pastora-*

20 *lis eodem tit.* & proinde ante prolationem censuræ est peragenda monitio, aliàs censura subsequens est iniusta *c.reprehensibilis de appell. imo nulla ex c.statuimus de sentent. excom. in 6. & licet in d.c.reprehensibilis* præmitti generaliter præcipiatur monitionem; non tamen in interdicto esse omnes interdicendos monendos, sed solum culpabiles rectè docent *Suar. disp.3. sect.8. nu.2. Dia. par.5. tract.9. resol.55.*

21 Verum in praxi videmus, vnam solùm præmitti non trinam vt loquitur *Gl.in c.sacro v. competenti eod. tit.* quæ posset habere locum in causa solutionis decimarum, pro quibus esset fortè inferenda censura vt in *c.omnes decimæ 16. q.6.* vel in causis grauis-

22 simis, quando clericus dimittens habitum, & tonsuram, & enormibus se immiscens, esset clericali priuilegio priuandus iuxta *c.contingit §. verum de sentent. excom.* quod neque esse in vsu dicit *Regens de marinis lib.1. resol. 50. n.3.* regulariter ergo vna pro tribus sufficit, vt generaliter præcipitur in *c.constitutionem §.fin. eod. tit. in 6.* quam exemplificat *Gl. ibidē v.vna pro tribus videlicet moneatur talis vsq; ad diē talem pro prima, talē diem pro secunda, talem pro tertia monitione assignando,* & potest etiam infra tres dies concludi vt loquitur *Suar. disp.3. sect.9. n.2. in fine,* vbi ita dicit vsũ receptum, præcipuè à iudicibus Ecclesiasticis, concordat *Dia. par.5. tract.9. resol.19.*

23 Sed difficultas est an hæc monitio de necessitate sit præmittenda non solum in sententijs proferendis ab homine, de quibus dubium non est ex iur. prædictis, verum etiam in illis, quæ imponuntur à iure, dantur n. in vtroque casu censuræ latæ, & ferendæ sententiæ, exempla latæ à iure

24 sunt in *c.si quis suadente 17. q.4. c. ad falsariorum de crimine falsi c.1. de loc. & conduc.* cum simil. exempla ferendæ sententiæ in *Clem. fin. in fine de statu monach. Clem.1. de de decim.* & alibi, in hoc ergo secundo casu certum est præ requiri monitionem, dum ita in iuribus citatis exprimitur; in primò

25 verò *Suar. to.5. disp.3. sect.8. n.3. hoc tit.* ait non esse necessariam monitionem, quia si alia admonitio præter ipsam legem, censuram ipso iure, ipsoque facto imponentem, necessaria esset, non posset censura ipso facto incurri; & vlterius, monitione secuta, si admonitus resipisceret, iam non amplius contraheret censuram: ergo non posset dici contracta ipso iure. Hæc tamen opinio nec disputando, nec consulendo, aut practicando est sequenda, si quidem sit quantum vis factum notorium, est probandum per testes, vt possit ad sententiam deueniri, qui solent deierare, vt praxis nos docet, quo casu sententia in foro interiori esset iniusta & innocens absq;

26 culpa damnaretur (licet in foro fori, iusta, quia iudex tenetur iudicare secundum allegata & probata etiam si veritas aliter se haberet *l.illicitas §.veritas ff.de offic. præs. D.Tho.2.2. q.67. art.2.*)

Quod si monitio præcedat, poterit pars probare contrarium, suæque innocentiæ consulere, quo ordine seruato, nihil eripitur iuri, nec parti: etenim, si vera sunt

27 delicta, statim in conscientia, & ipso iure est reus censura affectus (quæ est responsio rationi Suar.) & nihil refert, quod quis sit declaratus excommunicatus, vel alia censura ligatus paulo ante, vel postea ex causa monitionis præmissæ, quod procedit tam in censuris latis ab homine, vt diximus per sententias generales pro delictis futuris, vt solent Episcopi V.G. ne

28 quis alloquatur cum monialibus sub pœna excommunicationis ipso facto incurrēdæ, & huiusmodi (si quis n.facit contra tale edictum, certum est statim in conscientia esse excommunicatum) quàm in censuris latis à iure; sicuti si quis percutit clericum, & similia, statim etiam est excommunicatus in eodem foro poli *d.c.si quis suadente*; sed quia possibile est testes in

vtrob;

vtroq; casu falsum deponere, vt dictum est ex causis inimicitiæ, vel subornationis, (quibus in casibus nec in conscientia contraheretur censura) propterea omnino præmittenda est monitio,cum qua tuta erit innocentia,& ius partiū illęsum seruabitur.

Eò etiam magis, quia, vt supra dicebamus, monitio est de omni iure, etiam naturali, & ita in propria materia excommunicationis & interdicti docet *Iul.Clar.in pract. crim.* §.*fin. q.*31.*n.*3. *ex Gl.in Clem. præsenti v.confliterit de censib. Socc. ripa, Decio & alys*, hancq; esse communem opinionem,neminemque in hoc discrepare. Quod
29 vlterius à fortiori probatur, quia si quis quolibet modo offenderit Cardinalem,vel Episcopum, vltrà varias pœnas, quibus afficitur, est etiam ipso facto excommunicatus *c. fælicis* §.*præsenti de pœnis in* 6. *ibi ipso facto excommunicationis sententiam incurrat Clem.*1. *eodem tit.& in bulla cœnæ Domini*, attamen requiritur sententia declaratoria: & hanc esse etiam communem opinionem testatur idem *Clar. citat. q.*77. *n.* 21. sed non potest deueniri ad sententiam, nisi præuia monitione, vt supra late fundatum est: ergo &c. Quamuis autem *Dia. par.*5. *tract.*9. *resol.* 18. §.*hanc sententiam*, videatur in hoc titubare, in fine tamen concludit videlicet,& adeo verum est requiri citationem ad declarandum transgressorem incurrisse excommunicationem ipso iure, & facto impositam, vt si aliter
30 fiat, declaratio sit nulla. Quod autem ego de hoc sentio; est requiri generaliter in omnibus casibus monitionem ante sententiam, alias ista est nulla,vt in iuribus supracitatis, in censuris autem inferendis monitionem omissam non facere nullam sententiam censuræ, sed solum iniustam vt probabimus infra *v. interdictum resol.* 81. *n.*5. *& sequent.* ex ratione non aspernenda nec tex. aut DD. in contrarium allegati Dia. excepto dicunt oppositum; sed hoc etiam fallit in 4. casibus notatis per *Gl. in d.c.reprehensibilis v. proferant* inter quos est ille *d.c.statuimus* & de alijs in sequenti re-
31 sol. vide etiam infra *resol.*188. *à n.*5. *Idem Clar. sub d.n.*21.obiter narrat casum secutū in personam Cardinalis Papiensis occisi à Duce Vrbini, & an commiserit crimen lesæ maiestatis non resoluit, sed se remittit ad §.*læsæ Maiestatis crimen*, vbi respondet affirmatiuè ex communi opinione,quia ait sunt fratres Pontificis & in *d.q.*77.*n.*25. *addit Baiard. ex Socc.* & alijs debere talem sacrilegum alia grauiori pœna, quam simplicis mortis puniri, excepto si quis hoc faceret ad sui necessariam defensionem, vt ait rectè *Gl. in d.Clem.*1. *in princip. v. temerè & d. c.fælicis v. percusserit eod. tit.* quam sequitur idem *Clar. n.*23. vti communiter approbatam, ibique etiam refert,
32 fuisse furore populi suspensum in Ciuitate Florentiæ Archiepiscopum Pisanum, captūmque Cardinalem Saluiatum, pro qua ciuitate consuluisse *Aret. consil.* 165.
33 Hinc legimus *Gelas. Pap. in c.ita nos* 25. *q.*2.mandasse non debere concedi amplius Episcopum illi ciuitati, quæ duos ex eis occidit, & propterea amittere etiam nomē Ciuitatis docet *Baiard. citat nu.*29.*ex Afflict. in constit. Reg. dubitationem nu.*14. *& alys*.
34 Dubitari tamen contingit an in causis prædictis possint ijdem superiores offensi iudicare? pro negatiua tex. in *l. vnica C. ne quis in sua causa iudicet*, *& l.qui iurisdictioni ff. de iurisd. omnium iudic. sed Gothofr. in d. l.vnica ait*, posse iudicem sibi ius dicere, quando in loco iuris, est sibi illata iniuria, & addit *Bal. in c.*1. §.*iniuria depa-*
35 *ce iuram. firm.* quod si quis daret alapam potestati, posset potestas ipsum furcis statim suspendere facere, cum licitum sit ex causa iura transgredi *Gramat. decis.*36. *n.*4. *addentes ad Clar. d.*§.*finali q.*36. *n.*28. Sed hoc limitat *Sanfel. decis.*63. *à n.*1. quando offensio fuisset facta intuitu personæ, vti priuatæ, secus si respiceret dignitatem, & addit *n.*3. quod si iniuria fieret Episcopo, vti Episcopo, vel etiam ex causa attinente ad iura Ecclesiæ, posset idem Episcopus iudicare etiam contra non subditum, qui iniuriam intulit, cum hac de causa prorogetur iurisdictio, quod ampliat *Dia.par.*5. *tract.* 9. *resol.* 52. in quolibet iudice offenso & vide infra *resol.* 28. *num.* 23. *& seq.*

Pro complemento huius primæ speciei
36 circa nullitatem sententiæ est aduertendum, quod licet, siuè iusta, siuè iniusta sit censura, timenda sit, vt vulgariter dicitur, & constat ex *c sententia* 11. *q.*3. *Bar. in* §.*in omnibus nu.*3. *auth. de sanctiss. Episc.* non tamen hoc potest ita generaliter dici de sententia nulla: etenim ista in foro interiori timenda non est *c.ex literis vbi Gl. v. denuncietis irritam de offic. & potest. iud. deleg.* cum simil. nec in foro exteriori

apud

apud eos, qui nullitatem sciunt, sed solum apud ignorantes ad tollendum scandalum, quo illi afficerentur videntes contemni censuras, putatas validas, licet erroneè, quod non licet; est tamen excommunicatus nulliter, absoluendus ad cautelam à superiore iuxtà *tex. in c.venerabilibus §.potest de sentent. excomm. in 6.* vt latius dicetur in resol. seq.

Quæritur de alijs duabus speciebus nullitatis sententiæ iuxta thema prioris resol. & de causa finali censuræ.

SVMMARIVM.

1 *Error intolerabilis in materia censuræ quis dicatur, & an eam annullet & n.5.*
2 *Glosa dictum in materia censuræ reijcitur.*
3 *Pactum de re turpi, vel impossibili est nullum, tam de iure canon. quam ciuili.*
4 *Excommunicatio regulariter non potest fulminari, nisi pro mortali crimine.*
6 *Absolutio ad cautelam, quo casu sit necessaria?*
7 *Censuræ sententia inflicta pro indebitis exactionibus est nulla.*
8 *Nullitates censurarum sub vno tantum capite in genere comprehenduntur.*
9 *Censura inflicta contra aliquid facientes, an includat transeuntes non subditos etiam si essent Episcopi, & an saltem admittatur ignorantia & n.10.& 13.*
11 *Delicti locus est potentior omnibus alijs & ita decisum n.12.*
14 *Censura inflicta contra subditos an liget eosdem, si quod per illam erat vetitum commiserint extra territorium ius dicentis? Eius finis est salus spiritualis, & emendatio illius, in quem infertur nu.15. Sed alius est spiritualis, & proximus, alius tẽporalis, & remotus. n.16. & quis sit illius principalis effectus. n.18.& 20.*
17 *Excommunicatio non est fulminanda contra quos certum est non fore emendaturos.*
19 *Censuræ non possunt auferre gratiam, & virtutes.*

Resolutio XVII.

1 SEcunda species nullitatis sententiæ est quando continet errorem intolerabilem, veluti si inferatur censura in aliquem, eo quod non fecit aliquid illicitum, vel impossibile, vel impertinens, vt si dixerit superior, excõmunicetur talis, quia non est furatus, vel quia meretricem sibi non adduxit, vel quia digito cælum nõ tetigit, vt exemplificat *Gl. in c.per tuas §.nos igitur v. intolerabilem de sentent. excom.* vel si dicat, quia Padus currit, vel quia eleemosynam fecit, Deum coluit, aut aliud bonum egit *c.venerabilibus §. potest de sentent. excom. in 6.*
2 *Gl. in c.sacro v. iusta fuerit eod. tit.* Et licet vtrobiq; Gl. videatur voluisse sententiam tenere, nisi sit appellatione suspensa; hoc tamen, salua reuerentia, ego puto falsum ex generali doctrina *c.fin. de pact.ibi*: *nam,*
3 *& iuxtà legitimas sanctiones, factum turpe, vel rei turpis, aut impossibilis de iure, vel de facto, nullam inducit obligationem*, quia quando sententia censuræ est contra ius, non est opus appellatione vt supra *resol.16.n.12.* *& seq.*

Imo in *c.nemo Episcoporum 11. q.3.* sta-
4 tuitur quod excommunicatio, non nisi pro mortali crimine inferatur, vel pro inobedientia suo Prælato *c.certum est eod. tit.* quod fatetur *ead. Gl. in c.ex parte v.pro contumacia de verb. signif.* facta n. contra le-
5 gem pro infectis habẽtur *l.non dubium C.de ll.* bene tamẽ verũ est, quod si talis error nõ exprimatur in sententia, licet appareat ex actis, sententia tenet in foro exteriori, & est rescindenda per remedium appellationis, vel nullitatis, acta n. non sunt nota, sicut sententia, quæ in valuis affigitur, & propterea est satisfaciendum populo, cui scandalum pararetur ex contemptu censuræ *Gl. d.v.intolerabilem circa finem*, vtrumq; docuit *Suar. to.5. hoc tit.disp.4. sect.7. n.31. & 32.* esseque in confesso apud omnes, addens *n.37.* in fine, nec esse in foro interiori de tali sententia curandum, sed tantum in publico vitandum scandalum, & abstinendum á communicarione fidelium, donec nulla declaretur, & interim procuranda est absolutio ad cautelam á superiore, vt etiam dictum est in priori resol. in fine,
6 Quod si nullitas sententiæ esset etiam nota populo, non teneretur taliter excommunicatus abstinere á consortio fidelium, imò nec á diuinis, etenim celebrando, nec esset irregularis *Sayr. de censur. lib.1. cap.16. n.43. & addit n.44. in fine ex Henriq.lib.13. cap. 15. n.4.* neque esse necessariam absolutionem ad cautelam, quia si est nulla,

idem

idem est ac si non esset, siquidem non entium nullæ sunt partes *l. eius qui in Prouincia ff. si certum pet.*

7 Tertia species nullitatis est secundum *Gl. in c. sententia 11. q. 3.* quando profertur pro indebitis exactionibus, vt statuitur in *c. cũ ad quorumdam de excess. Prælat.* sed dum hoc prohibetur in tex. prædicto, meritò continetur hoc caput sub primo, vti contra legem, vt etiam dictum est in priori *resol. n. 15.* sub quo etiam contineri potest secundum, de quo modo diximus, quia hoc quoque declaratur per dictum *c. venerabilibus §. penult.* & alibi. Licet autem summistæ vt *Syl. Angel.* & alij apud *Suar. cit. n. 38. & 39.* addant separatim caput nullitatis ex defectu iurisdictionis, hoc tamen fit ad maiorem declarationem; nam sententia lata à non competenti iudice, nulla est ex *tit. C. si à non compet. iudice* & consequenter omnes nullitates censurarum sub vno tantum capite in genere comprehendi rectè dicuntur, quando scilicet fuerunt latæ contra ll. vel Canon. *d. l. non dubium, & c. 1. cum similibus de sentent. & re iudic.*

Occasione ergo iurisdictionis defectus, vt suprà. dubitatum fuit ab eodem *Suar.*
9 *disp. 5. sect. 5.* nùm exterus ligetur censuris latis à superiore loci, per quem cótingit transire, & latè disputato articulo distinguit inter censuram latam per modum sententiæ, & per modum statuti, vt primo casu non incurrat, vt ibi *n. 10.* secundo vero, sic, ibidem *n. 14.* vsq; ad finem. Licet *Bonac. hoc tit. disp. 1. q. 1. pun. 11. n. 20.* teneat simpliciter negatiue, sicut etiam voluit *P. Dia. par. 3. tract. 5. resol. 73. §. 1.*

Sed pace eorum verum est semper incurrere *tex. est in c. ibi semper 3. q. 6. vbi Gl. v. causa* ait, quod si Episcopus tulerit sententiam, qui hoc fecerit sit excommunicatus, non solum simplex transiens, sed etiam Episcopus, & Archiepiscopus alterius diœcesis, si illud fecerint in loco Episcopi prohibentis, incidunt in excommunicationem (licet hoc quoad istos videatur correctum ex *c. quia periculosum de sentent. excom. in 6.* vbi Episcopi & Archiepiscopi non incurrunt censuras generaliter latas, nisi de eis expressa mẽtio habeatur;) sed hunc tex. potest etiam dici non procedere in excommunicatione, cum ibi solùm sermo fit de suspensione & interdicto. Verum obstare videtur *c. à nobis 21. de sentent. excom.* vbi Pontifex interrogatus specialiter de hoc, respondit hac sententia non, nisi subditos ligari; Quod tamen facilè soluitur per aliam *Gl. ibidem v. non nisi*, dicentem, quod etiam exteri ratione delicti commissi in loco Episcopi prohibentis, efficiuntur subditi ipsius ex *c. fin. de foro compet. & l. 3. ff. de offic. præsid.* vbi præses Prouinciæ habet imperium etiam contra exte-
11 ros, si in sua Prouincia deliquerint. Imò potentior est forus loci delicti, quam originis, & domicilij *auth. qua in Prouincia C. vbi de crimine agi oport.* adeo quod si quis quantumuis exterus, & transiens occidat, vel mutilet hominem in aliquo loco, & concurrat cum iudice loci iudex originis, & domicilij, præfertur omnibus iudex loci delicti vt ex citat. tex. docuit *Thesaur. decis. 90.*

12 Vnde cum quidam Clericus Cosentinus occidisset quemdam iuuenem in Ciuitate Neapolis captus per M. C. V. fuit remissus ad Archiepiscopum eiusdem ciuitatis, non obstante remissione ab illo petita vt latè disputato artic. decisum refert de *Fran-*
13 *chis decis. 37.* bene verum est quod dum supponimus censuram non esse impositam à iure, sed tantum ab homine admittitur ignorantia, non tamen crassa, vel affectata
14 *c. 2. de constit. in 6.* ex contrario autem si statuto Episcopi excommunicentur omnes, qui furtum commiserint, & eius subditi furati sint extra suam diœcesim, censura minimè ligantur, cum extra territorium ius dicenti non pareatur impunè *d. c. 2. Dia. ex multis par. 3. tract. 5. resol. 74.* vtrumque docent etiam *Bart. in l. cunctos populos n. 45. C. de summa Trinit. & fide Cathol. Bal. in consil. 461. n. 2. lib. 1. Grat. discept. forens. 389. num. 8. ex Rota Genuen. decis. 26. num. 7. & alijs.*

15 Finis autem censuræ est ille, quem superior cẽsuram ferens haurire intendit, qui est salus spiritualis, & emendatio illius, in quem censura infertur, vt ait *Innoc. 4. in c. 1. de except. in 6. ibi vt excommunicati, dum à communibus actibus excluduntur, rubore suffusi, ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum faciliùs inclinentur*, quod idẽ repetijt in *c. 1. de sentent. excom. eodem lib. 6. ibi cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis Abb. in c. sacro n. 2. eod. tit. Tol. lib. 1. cap. 11. in fine*, in quibus iuribus licet sermo sit de excommunicatione tantum, idem tamen voluerunt de omni censura communiter

niter DD. *per Suar. relati d.disp.6.sect.1. & Bonac. disp.1. q.1. pun. vlt. n.1.*

16 Qui quidem finis dicitur spiritualis, & proximus, seu intrinsecus: nam est alius finis à superiore censuram inferente prætensus, qui dicitur temporalis, & remotus, seu extrinsecus, quando scilicet censuram infert propter damnum temporale alteri illatum, vt resarciatur, quod ideo fieri potest secundum *D.Tho. in 4. sentent. dist. 18. q.2. art. 1. q.3.* quia damnificans aliquē corporaliter, vel in rebus, mortaliter peccat, & contra charitatem facit, propterea Ecclesia eum excommunicare potest; sed quia excommunicatio est grauissima pœnarum; pœnæ vero, medicinæ sunt secundum *Philosophum in 2. Eth. cap.3.* & sapientis medici est à leuioribus medicinis incipere, & minus periculosis, ideo excommunicatio infligi non debet, etiam pro

17 mortali, nisi contumax fuerit. Ex quibus infert *Bonac. cit. n.2.* non debere Prælatum ferre in aliquem excommunicationem, si certo scit, vel dubitat eum non esse corrigendum, quod tamen seruari non videmus; cum etiam contra debitores pecuniarum, in dies ferantur, quos certo scitur soluere non posse, & ideo in conscientia excommunicatos non esse dicetur *infra resol 21. n.18. & resol.73.n.4.* D.n.Tho. supponit in casu prædicto dolum, damnum inferentis, & potentiam soluendi.

18 Effectus verò principalis censuræ est aliquem priuare spiritualibus bonis, quæ sunt res omnes sacræ, communi, & publico Ecclesiæ vsui destinatæ, veluti sacramenta, sacrificia, orationes publicæ, & quæ ad hæc ordinantur, vt Templa, & alia

19 huiusmodi, vt infra dicta resol.73. quia spiritualia bona interna consistentia in gratia, & virtutibus nequeunt per censuram auferri; hæc enim nemo potest inuitus amittere, quamuis censura auferat ea, per quæ ministerio Ecclesiæ gratia conferri solet, vt sunt sacramenta *D.Tho. citat. d.q.2. art.1. q.1. ad 2. Syl. v.excommunicatio 1.§.2.*

20 *Tol. citat.c.12.* Effectus autē minus principalis est, priuare aliquem ciuili communicatione fidelium, & aliquādo etiam temporalibus cōmodis, vt facit suspensio à beneficio, priuando beneficiatum fructibus eius, de quibus sigillatim inferius suo loco, sed prior est communis omni censuræ, *Suar. relat. n.2. & 3. Bonac. citat. n.1.3. & alij.*

Num censura extorta per metum à superiore contra aliquem valeat, & an illam incurrat, qui etiam ex metu fecit, quod erat censura prohibitum?

SVMMARIVM.

1 *Censura ex metu extorta à superiore contra aliquem an valeat?*

2 *Voluntas coacta voluntas est, & propterea non anullat baptismum, nec alios actus.*

3 *Hæreditatis aditio ex metu cadente in constantem virum an sit nulla?*

4 *Absolutio à censura, extorta à Iudice per similem metum est nulla.*

5 *Metus cadens in constantem virum quis dicatur, & an excuset ab incursione censuræ? & n.12.*

6 *Excommunicatio an incurratur ab ijs, qui per metum similem egerunt illud, quod erat per eam prohibitum, veluti monjales alloquendo, & huiusmodi.*

7 *Censura imposita contra aliquid agentes intrinsecè malum, an incurratur ab ijs, qui illud egerunt per metum cadentem in constantem virum?*

8 *Bono religionis, & communi est etiam cum periculo vitæ parendum, quia est de iure naturali, & diuino.*

9 *Remigantes Christiani contra alios Christianos, sed ex metu illato à Turcis, in quorum posse sunt, an incurrant censuram Bullæ Cœnæ Domini?*

10 *Metus leuis numquam excusat à peccato, nec à censura & n.11.*

Resolutio XVIII.

1 AD primum respondet *Gl. in c. vnico v. vacuamus de ijs quæ vi, metusue causa fiunt in 6.* valere ipso iure, sed ope exceptionis elidi, idem dixit de quacumque sententia per metum extorta in *c. quatuor v. timore, & c. iniustum v. non valeat 11. q.3. sequitur Abb. in c.2. eo tit. n.11.* quos licet aliqualiter impugnare videatur *Suar. to.5. hoc tit. disp.2. sect.5. n.2.* eo, quia ducti sint ex

2 illa sola ratione, quod voluntas coacta, voluntas est (quæ tamen non est parui ponderis, dum ex illa sola validatur, etiam baptismus metu susceptus *c.3. §. item quæritur*

tur de baptis. quod generaliter docet *August. in c.merito quæritur* 15. *q.* 1.) attamen sententiam Gl. postea *n.* 6. probabiliorem appellat, quam simpliciter alij recétiores docent apud *Bonac. disp.* 1. *q.* 1. *pun.* 12. *n.* 1. *hoc tit.*

3 Idem traditur in *l. si mulier §. penult. ff. de eo quod metus causa* circa aditionem hæreditatis ibi, *si metu coactus adij hæreditatem, puto me heredem effici, quia quamuis, si liberum esset, noluissem, tamen coactus volui, sed per prætorem restituendus sum, vt abstinendi mihi potestas tribuatur*. Bene verum est,

4 quod si absolutio a censuris per vim, vel metum extorqueatur, est ipso iure nulla, *d. c. vnico*, rationem differentiæ tradit ex citat. *Abb. Suar. n.* 7. quia scilicet dum Pontifex id specialiter prouidit circa absolutionem, argumentum est in reliquis nullam fecisse mutationem, & quia absolutionem metu extortam irritam esse, est fauor Ecclesiasticæ potestatis, & fuit moraliter necessarium, vt pastores Ecclesiæ ab his vexationibus essent immunes: at verò censuram metu illatam esse irritam, non est fauor potestatis Ecclesiasticæ, sed eius, in quem fertur talis censura: hæc ille.

5 Ad secundum præmitto metum tam in primo, quam in hoc secundo casu debere esse talem, qui cadat in constantem virum, veluti verberum, vel cruciatus corporis, aut maioris mali à potente inferre *c. cum dilectus, & toto ferè tit. de ijs quæ vi metusue causa fiunt l. interpositas C. de transact. l* 2. *& l. metum ff. de eo quod metus causa*; quo supposito, si quis ex tali metu aliquid egit, quod erat censura prohibitum, illam regulariter non incurrit, ratio est quia Ecclesia, quæ infert talem censuram, non supponitur obligare cum tanto rigore, vt docet post alios *Fillinc. tract.* 11. *de censur. in communi cap.* 8. *n.* 268.

6 Et propterea si quis loquitur cũ monialibus ex graui metu inductus, nõ contrahit censuram ex tali causa ab Episcopo fortasse illatam, neque peccat; difficultas tamen est si censura esset inflicta contra ali-

7 quid agentes intrinsecè malum, veluti lædens ius naturale, vel diuinum, an agentes contra alterutrum, eam incurrant? aliqui affirmant peccatum committi ex *c. sacris de ijs, quæ vi metusue causa fiunt*, censuram autem minimè, ex modo dicta ratione, nisi metus incureretur directè in contemptum Religionis, aut Ecclesiasticæ potestatis; quia tunc, sicut metus non excusaret à culpa, ne quidem in ijs, quæ essent contra ius canonicum tantum, ita neq; à censura, tenetur enim quis in prædictis casibus, etiã

8 cum periculo vitæ seruare legem naturalem, vel diuinam, seù canonicam, & bonum religionis, & commune, cuius obseruantia est etiam de iure naturali, vt tradunt idem *Fillinc. n.* 269. *& c.* 6. *n.* 171. *Suar. cit. disp.* 4. *sect.* 3. *nu.* 13. *vbi cæteri; sed clarius ibidem disp.* 6. *sect.* 3. *n.* 2. *& seq.* vbi vult ita

9 esse intelligendum dictum *c. sacris*. Sed *Nauar. in man. cap.* 27. *nn.* 63. dicit, quod Christiani remigantes in triremibus Turcharum contra alios Christianos, non sunt excommunicati in Bulla Cœnæ, quamuis mortaliter peccent, etiam si metu mortis, vel verberum hoc facerent; secus verò si remigarent contra alios infideles, quod probatur in *c. Iulianus* 11. *q.* 3. ratio est, quia eo casu videntur peccare contra ius naturæ, sed non in contemptum Religionis iuxta *DD. apud Bonac. disp.* 1. *q.* 2. *pun.* 3. *nu.* 4. *Sanch. autem de matrim. to.* 2. *lib.* 9. *disp.* 31. *n.* 6. docet Christianos in casu relato non peccare, nec censuram incurrere: verum *Suar. citat. n.* 4. dicit, hoc minus certum esse, sed neuter respondet *d. c. Iulianus, & Sanch.* addit ibidem, quod si contraheretur mortale, contraheretur etiam censura, asserens in omni casu, quo contrahitur culpa mortalis, contrahi etiam censuram pro ea impositam.

10 In nullo autem casu metus leuis excusat à censura, nec à peccato *d. c. cum dilectus*

11 *Coninc. hoc tit. disp.* 13. *dub.* 12 *nu.* 102. qui tamen minus rectè ibidem *n.* 97. dixit citar. *c. sacris* non posse defendi, cum generaliter ibi statuatur, nullum metum excusare totaliter à culpa, nec ab excommunicatione pro ea illata; etenim verum est nullum metum excusare à culpa, quando aliquid patratur contra ius naturale, vel diuinũ, de quo vltimo tex. loquitur sicuti explicat *Syl. v. metus n.* 7. dicens excommunicationem, quæ secundum tex. prædictum contrahitur, communicando cum excommunicatis, non esse pro simplici communicatione, quę non parit mortale, de quo tex. loquitur, sed in participatione directa, quæ est per se in malis, siuè in crimine criminoso iuxta *tex. in c. si concubinæ de sentent. excom.* concordat in parte *Vasq. in p.* 2. *q.* 161. *c.* 4. *nu.* 25. (sed non placet alia explicatio ad tex. per eundem data *nu.* 28. *ex Couarr.* cum videatur alic-

aliena à verbis, & menre tex.) Quem in-
12 tellectum retinendo iuxta eundem *Syl. ex D.Tho.* ab eodem relato, verum est, nullum metum excusare à culpa mortali, nec à censura pro ea illata in prohibitis de iure naturali, vel diuino (*Filliuc. tamē d.n.*171. tenet metū grauem in prædictis casibus nō excusare à peccato, sed bene à censura, & inferr ad Christianos remigantes vt supra peccare contra legem naturalē, sed non incurrere censuram secundum Nau. citat. & alios quamplures apud *Dia. par.*3. *tr.*5. *resol.*36. excusare tamen à censura imposita in prohibitis de iure positiuo pro re non intrinsecè mala, veluti non ieiunare in diebus ab Ecclesia statutis, & huiusmodi, vt exemplificat *Suar. d.n.*13. sicuti etiam à censura imposita pro alijs ab eadem Ecclesia præceptis, quorum obseruantia non semper obligaret ad peccarum, veluti vt sacrum audiatur in festis sub pæna excommunicationis, tunc si quis ex graui metu illud non audit, non peccat, sicuti nec in alijs casibus similibus, neque censuram contrahit, & ratio est quia censura supponit culpam *c. nemo Episcoporum & c. nullus* 11. *q.*3. quotiescumque ergo supponimus culpam abesse, abest etiam regulariter censura *Filliuc. & Coninc. loc. cit.* secus tamen si etiam ista prohiberentur fieri in contemptum Religionis, quia essemus in priori casu

Sed *P. Dia. cit.* §. 1. sequitur opinionem sancti, & aliorum ibi citar. & volentim Christianos remigantes vt supra, non peccare, nec excommunicationem incurrere, nisi ex auxilio Christianorū victoriam Turcæ habituri essent, vel tormenta ipsi Christiani captiui, & iguem, vel alia instrumenta bellica de directo in Christianos inijcerent, ad priorem autem quæstionem circa intellectum relati *c. sacris vide etiam infra resol.*68. *num.*18. vbi refertur doctrina *D. Thomæ & resol.*74. *n.*5.

Vtrum, & quæ ignorantia excuset ab incurrendis censuris.

SVMMARIVM.

1 *Ignorantia alia est negationis, alia prauæ dispositionis, alia priuationis, & quæ istæ sint? Alia est iuris, alia facti. n.*2. *Alia est iuris naturalis, alia diuini, alia humani, siue positiui, & hæc alia iuris canonici, alia ciuilis, communis, vel particularis. n.*3. *Alia est facti proprij, alia alieni. n.*4.

5 *Lex eterna quæ sit?*

6 *Ius naturale diuiditur in primæuum, & secundarium. Istud est idem ac ius gentium, & quomodo differat ab illo. n.*7.

8 *Iure naturali secundario quæ erant, fuerunt postea ex constitutionibus ordinata.*

9 *Iuris naturalis an possit dari probabilis ignorantia in homine adulto?*

10 *Lex naturalis secundum D.Tho. est impressio diuini luminis in nobis.*

11 *Præcepta decalogi, an possit quis se ignorasse excusare, si aliquid contra illa patrauit? & n.*12.

13 *Vsuras ex mutuo exigere, plures eodem tempore habere vxores, vel propriam sororem, de inimicis vlcisci, & huiusmodi, an sint contra, vel secundum ius naturale.*

14 *Ius diuinum quid sit, & cui, & quando fuerit à Deo traditum?*

15 *Lex diuina scripta, quæ sit, & quæ non scripta? & an de ea possit dari probabilis ignorantia? n.*16.

17 *Infideles qui numquam aliquid audierunt de fide catholica, an possint saluari? & n.*18. *&* 19.

20 *Baptismo non suscepto fluminis, vel flaminis, aut sanguinis, salus contingere non potest.*

21 *Ius ciuile, & canonicum pro eodem fere reputantur, sed in materia peccati seruatur istud.*

22 *Ignorantia inuincibilis, seù probabilis semper excusat à peccato, secus si sit vincibilis seu improbabilis eorum, quæ quis scire tenetur.*

23 *Censura non incurritur ab indocto, qui in factis cōtingentia consuluit doctos & pios, neque à docto si perquisitis libris cum mediocri labore illam inuenire nō potuit, & num* 35.

24 *Ignorantia iuris positiui an admittatur in foro fori? Sed minoribus non nocet. n.*25. *Quid in fæminis maioribus? n.*26. *quid in Ecclesia? n.*27. *&* 34.

28 *Ignorantia facti, tam proprij, quam alieni an excuset? Itē quæ sit probabilis, quæ improbabilis, quæ supina, & quæ affectata, quæue ex istis excuset, & an vincibilis sit eadem quam supina, vel affectata. n.*29. *&* 31.

30 *Excommunicationem an contrahat percutiens clericum, quē putabat esse laicum, &* quid

quid si volẽs percutere Titium *clericum, vel feram percussit Caium similiter clericum? nu.32. & 38.*

33 *Homicidium commissum in personam Petri putati Sempronij an sit puniendum pœna ordinaria, vel extraordinaria.*

36 *Episcopi, Parochi, & Confessarij non excusantur regulariter ob ignorantiam censurarum à iure inflictarum, sed non tenentur eas omnes scire.*

36 *Ignorantia antecedens, comitans, & consequens quæ sint, & quæ à peccato excusent, vel pœnam exteriorem minuãt? & n.41.*

39 *Delictum commissum in ebrietate, an & quando sit punibile in toto, vel in parte tam in foro interiori, quam exteriori? & num.40.*

42 *Obliuio naturalis vel inconsideratio, aut inaduertentia, an & quando excusent à peccato?*

Resolutio XIX.

1 PRæmittendum est, ignorantiam multipliciter distingui, alia enim dicitur negationis, qua scientia negatur, nec tamen aptitudo sciendi ponitur *Syl. v. ignorantia n.1.* & hæc in infantibus, ac perpetuò furiosis existit *Azor. in summa to.1. lib.1. cap.12. q.1.* alia est ignorantia prauæ dispositionis, cum quis habet errorem intellectus veritati catholicæ contrarium: tunc quia, non solum ignorat, sed etiam errat, dicitur esse prauè dispositus: & hæc reperitur in hæreticis (de qua infra v. hæresis;) alia est ignorantia priuationis, cum quis caret notitia alicuius rei, cuius scientia abest, sed non aptitudo sciendi, & hæc reperitur secundum DD. citat. in quamplurimis, iuxta illud Virgilij, non omnia possu-
2 mus omnes; Quæ subdiuiditur, quia alia est iuris, alia facti; illa est cum quis V.G. ignorat, scriptis hæredibus hæreditatem deferri, aut similia; ista verò cum ignorat, se scriptum esse ab aliquo hæredem, & huiusmodi iuxta exempla I.C. *Pauli in l.1. ff. de iur. & facti ignor.*

3 Sed latius materiam repetendo; ignorantia iuris alia est naturalis, alia diuini, alia humani, siuè positiui, quæ vltima subdiuiditur in ignorantiam iuris ciuilis, vel canon. communis, vel particularis, prout
4 etiam subdiuiditur ignorantia facti, quia alia dicitur facti proprij, alia alieni; A priori ergo incipiendo, oportet antea reminisci de iuribus prædictis (omittimus ius
5 æternum tamquam non in commercio nostro, quod ex *D.Tho. 1.2. q.91. art.1. ad 1.* est, æternus diuinæ legis conceptus, habens rationem legis æternæ secundum quod à Deo ordinatur ad gubernationem rerum ab ipso præcognitarum *Syl. v. lex. nu.1.*

6 Ius ergo naturale subdiuiditur in primæuum, & secundarium, illud est quod natura omnia animalia docuit; nã ius istud, nõ solum humani generis proprium est, sed & omnium animalium, quæ in cælo, idest in aere, siuè in terra, siuè in mari nascuntur; hinc descendit maris, & fœminæ coniunctio, liberorum procreatio, & educatio *l.1. §. ius naturale ff. de iust. & iure. §.1. instit. de iure nat. gent. & ciuil.* & licet ius positiuum cogat parentes ad alimoniam liberorum *l.1. & toto ferè tit. de liber. agnosc.* non propterea tollitur, quin sit de iure naturali; quia omnia animalia istius iuris perita censentur *d. §. ius naturale*, & per ius positiuum coguntur homines ad illius obseruantiam in foro exteriori.

7 Ius autem naturale secundarium est idẽ, ac ius gentium, quasi quo iure omnes gentes vtuntur, quod à primæuo recedere inde licet facile intelligere, quia illud omnibus animalibus, hoc solum hominibus inter se commune est, vt in citat. iur. Qua distinctione prætermissa per *Grat. in c. ius naturale dist.1.* ait, hoc ius instinctu naturæ, non constitutione aliqua haberi; quod tamen est intelligendum ab initio, nam postea
8 omnia quæ sunt de hoc iure naturali, fuerunt etiam ex cõstitutionibus ordinata explicitè, vel implicitè ex præceptis decalogi patet, & iure canon. & ciuili, vt infra.

9 Cuius quidem iuris naturalis nullam posse dari ignorantiam in homine adulto, indistinctè voluit *Gl. in rubr. dist.38. iuxta illud Pauli 1. Corint.14. ignorans ignorabitur, & ad Romanos 2. gentes naturaliter, ea quæ legis sunt, faciunt, vbi ait Gl. quam sequitur D.Tho. 1.2. q.91. art.2. in corp.* quod gentes, quæ legem scriptam non habent, habent tamen legem naturalem, qua quilibet intelligit, & sibi conscius est, quid sit bonum, & quid malum, & de hac intelligit Sanctus Psalmistã in *Psal.4. signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quasi lu-
10 men rationis naturalis, quo discernimus, quid sit bonum, & quid malum (quod pertinet ad naturalem legem) nil aliud sit, quam impressio diuini luminis in nobis, ex qui-

quibus infertur, quod accepta lege naturali secundum ista principia, non potest de ea dari probabilis ignorantia.

Qua de re placet in parte distinctio *Azorij citati cap. 13. in principio*, quod quando ea, quæ sunt iuris naturalis, sunt per se nota, non potest in illis cadere probabilis ignorantia; ista sunt, bonum esse amplectendum, malum fugiendum; quod tibi non vis, alteri ne feceris, & ex eodem Sancto, vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ *l. vt vim ff. de iust. & iure* (simplicem autem cum scorto copulam, quamuis Durãdus, & alij ab eodem Azor. ibidem citat. dicant esse iuri diuino, non naturali aduersam, quos sequi videtur *P. Dia. par. 3. tract. 4. resol.* 108. vbi vult posse dari ignorantiam inuincibilem de pollutione voluntaria, & consequenter non esse peccatum, & eodem modo de fornicatione *par. 4. tr. 4. res. 36. §. fin.* contrarium tamen docet *D. Tho. in 4. dist. 33. q. 1. ar. 3. q. 1. corp.* vbi probat fornicationẽ voluntariã esse contra legem naturæ ex rationibus apud eum, & consequenter non dari in hoc ignorantiam inuincibilem ex dictis supra, & infra, quod à fortiori dici potest de pollutione voluntaria, quia est peccatum maius fornicatione simplici, magisque fini à natura intento repugnans, si verò non sunt per se nota, sed facillimè ex per se notis colligun-
11 tur, qualia sunt secundum eundem Azor. præcepta decalogi, & horum, ait ipse, licet possit esse ignorantia probabilis ad tempus breuissimum, non tamen diù, quia, eo ipso, quod ex per se notis euidenter colliguntur, absque magno negotio innotescunt, & interim dum ea quis ex per se notis concludit, potest bona fide sinè culpa ignorare, sed diù non potest. Verum hoc mihi non satisfacit in præceptis prædicta principia dictantibus, bonum scilicet amplectendum, & pro inde vnum Deum colendum, & amandum, furtum, nec homicidium peragenda, & similia in eodem
12 decalogo contenta, & conformia alteri principio, quod tibi non vis & c. hæc n. neque per momentum ignorari possunt, aliàs homicidium, & similia quæ possunt in instanti perfici, cogeremur dicere, posse de iure naturali ignotanter, & consequenter licitè committi, quod aduersatur propositioni antecedenti eiusdem Azor. quamuis *P. Dia. in d. §. finali ex Tannero in* 1. 2. *D. Tho. disp. 4. q. 9. dub. 2. n. 14.* videatur istius opinionem amplecti.

Alia sunt ex eodem Azor. iuri naturali contraria, quæ licet positis ijs, quæ per se manifesta sunt, inducantur, non tamen ita facile inferuntur, veluti ex mutuo vsu-
13 ram exigere, sororem in vxorem accipere, susceptis iniurijs vlcisci, plures vxores eodem tempore habere, & similia, quorum dicit posse dari apud aliquos probabilem ignorantiam, sed apud Christianos rarissimè, & ferè numquam ob frequentem apud eos diuini verbi prædicationem, vitiorumque reprehensionem; quod tamen neque admittendum sic indistinctè videtur, dum in l'antiqua Deus ob fragilitatem naturæ, & illius populi carnalia, & naturalia appetentis, videbatur aliqua ex eis permittere, vt de pluribus vxoribus codem tẽpore habitis dicitur infra *resol.* 120. *n. 6. & 7.* & de vsuris etiam illo tempore Iudęis aliquando permissis docet *D. Tho. in 4. dist. 33. q. 2. ar. 2. q. 2. cor. circa medium*, item de vltione inimicorum videtur loqui Dauid in *psal. 53. ibi; auerte mala inimicis meis, & in veritate tua disperde illos, & in psal. 118. ibi; quando facies de persequentibus me iudicium.*

Et propterea si esset contra ius naturale sororem in vxorem ducere, non potuissent filij Adam inter se coniungi, nec posset Pontifex super hoc dispensare inter magnos Principes cum iusta causa, quod quidem posse dicunt *DD. apud Dia. par. 4. tr. 4. res. 103. §. verum*, illa tamen postea in lege noua, & sanctiori Deus prohibuit *Matth. 5. ibi ego autem dico vobis diligite inimicos vestros, & alibi D. Tho. 1. 2. q. 91. ar. 5. cor. vbi scribit quod lex vetus ordinabat ad bonum sensibile, & terrenum Exod. 3. vbi populus inuitatur ad Regnum terrenum Chananeorum, in lege autem noua Christus inuitat ad Regnum Cæleste Matth. 4. ibi pœnitentiam agite, appropinquauit enim Regnum Cælorum*, & proinde si potest dari eorum probabilis ignorantia, non tamen apud Christianos, hoc est ex alia ratione, quia scilicet ista sunt etiam prohibita de iure diuino, quod tenentur ipsi scire, vt infra (de hac tamen materia vide infra *resol. 120. nu. 8.* vbi hæc quæstio fœdere distinctionis conciliatur, & quoad aliqua ex prædictis si fuerint aliquando permissa dicitur ibidem *n. 2.* fuisse ex diuina dispensatione, non autem quod fuerint vnquam generaliter permissa.
14 Lex diuina describitur quodammodo à

Grat.

*Grat. in c.omnes leges dist.*1. & fuit Moysi
tradita à Deo, & ab eodem Moyse scripta
(nam antea, & vsque ad illud tempus non
erat in mundo, nisi lex naturalis) ista ergo
lex scripta durauit à tempore Moysis vsq;
ad aduentum Christi Domini, qui per suos
Discipulos tradidit legem Euangelicam
DD. apud *Bonac. to.*1. *disp.*1. *q.*1. *pun.*3. *de
Sacram. in genere nu.*1. vtramque tamen
pari modo appellat (sicuti est) diuinam
d. Sanctus citat. illam autem veterem,
15 istam nouam, illam timoris, istam amoris,
sed omnes leges prædictę sunt diuinæ, æ-
terna scilicet, & naturalis non scriptæ, Mo-
sayca & Euangelica scriptæ, vt docet *Syl.
v. lex n.*1. cuius legis scriptæ appellatio-
ne veniunt omnes libri relati in *Trid. sess.*
4. *sub tit. de canon. scrips.*
16 Sed an prædictę legis diuinæ scriptæ
possit dari probabilis ignorantia? si enim
hoc fieri potest, consequenter concedendū
17 erit, infidelem, qui nunquam talem le-
gem audiuit, alio non obsistente, saluan-
dum forè, & hoc videtur colligi ex *Apost.
ad Rom.*10. *ibi, quomodo credent ei, quem non
audierunt? quomodo autem audient sine præ-
dicante?* pro qua etiam parte ita arguit
*Azor. par.*1. *lib.*1. *cap.*13. *versic. in hac re.*
Facta promulgatione Euangelij die Pente-
costes Hyerosolimis, cæpit illud vim legis
habere necessariæ ad salutem, sed iudæi,
qui eo die Hyerosolimis aberant, bona
fide illud ignorabant, dum nihil antea de
illo audierant: ergo etiam nunc potest esse
probabilis, & iusta ignorantia Euangelij in
ijs hominibus, qui nihil pœnitus audierūt.
18 *Diuus Thom.*2.2. *q.*10. *art.*1. *in corp.* ait, in
fidelitatem dupliciter accipi posse, vno
modo per contrarietatem ad fidem, qua
scilicet aliquis repugnat auditui fidei, vel
etiam ipsam contemnit iuxta illud *Isaiæ
cap.*53. *quis credidit auditui nostro?* & secun-
dum *hoc infidelitas est peccatum; si autem ac-
cipiatur secundum puram negationem, sicut in
illis, qui nihil audierunt de fide; non habet ra-
tionem peccati; qui autem sic sunt infideles, dā-
nantur quidem propter alia peccata, quæ sine
fide remitti non possunt, non autem propter in-
fidelitatis peccatum:* idem voluit Tol. *lib.*4.
*cap.*2. *nu.*2. vbi dicit, multos ignorare in-
uincibiliter Christi fidem, & excusari à
peccato quod committere poterant eam
non recipiendo: damnari tamen propter
alia peccata.
19 Sed ponamus, aliquem ex istis non ha-
bere alia peccata; respondet Azor. citat.
cum communi sententia, quod dum sup-
ponimus hunc facere quod debet, Deus,
aut per se ipsum mentem eius illustraret,
aut ministerio Angeli, vel hominis eum
doceret, quia in ijs, quæ sunt necessaria
ad salutem, numquam deest facienti quod
in sua est potestate; & consequenter, de-
ficiēte baptismo fluminis, posset per baptis-
mum flaminis sibi consulere, & saluari,
20 etenim sine alterutro, vel sanguinis, salus
contingere non potest iuxta illud *Io. cap.*3.
*nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu
Sancto, non potest introire in regnum Dei,* quo
posito, alia fidei mysteria etiam ad salu-
tem necessaria virtualiter, & implicitè sub
illo continentur, vt rectè docet *Azor. citat.
vers. ad ea verò in fine.*
Simili quasi modo distinguit *Sylu. v. igno-
rantia nu.*3. nempè, aut ignorantia est de
ijs, quæ quilibet scire tenetur, tamquam
necessaria ad salutem, & nullus excusatur,
quia faciens quod in se est, semper scit,
etiam si oporteret Deum reuelare; si ve-
rò est de alijs, iterum distinguit, aut quod
ignoratur, est expressum in lege diuina, &
excusatur à mortali, si adhibuit diligentiā,
secus si fuit negligens, vt etiam dicit sub
v. excommunicatio 10. *n.*4. *vide etiam P. Dia.
par.*4. *tract.*4. *resol.*36. §. *fin. & dicta per nos*
21 *supra resol.*5. *à n.*16. Lex ciuilis, vel cano-
nica pro eodem ferè reputantur *c.*1. *de noui
operis nunciat.* nisi quod si aliqua lex ciui-
lis permissiuè non puniret peccatum, esset
eo casu seruanda lex canon. *Sanfel. decis.*
245. *ante nu.*2. vbi dicit legem ciuilem in
hoc casu ancillari iuri canonico, sed omis-
sis earum definitionibus vti notis· an isto-
rum iurium possit dari ignorantia, aliud est
respondendū in foro interiori, aliud in ex-
teriori: in illo enim siuè ignorantia sit iuris
communis vniuersalis, siuè particularis ad-
mittitur ignorātia, dūmodo sit inuincibilis,
seu probabilis, quia hæc est inuoluntaria.
22 Qua ratione generaliter docuit *D. Tho.*
1. 2. *q.*76. *art.*2. *in corp.* nullam ignoran-
tiam inuincibilem esse peccatum, quia non
est in potestate nostra eam repellere, exem-
plum tradit *Azor. d. cap.*13. *vers. tertio quæ-*
23 *ritur*, quando scilicet indoctus dubitans,
an contractus esset vsurarius, consuluit
pios & doctos viros, qui responderunt ne-
gatiuè, tunc peccatum abest, etiam si rea-
liter contractus esset vsurarius nec tenetur
alios peritiores consulere; sicuti nec do-
ctus,

ctus, quando suborto dubio alicuius censurę, adhibitis mediocri labore, & diligentia in reuoluendo libros, illam inuenire nequiuit *Bonac. de censuris disp. 1. q. 2. pun. 1. nu. 16.* Si autem ignorantia sit vincibilis, seù improbabilis, eorum tamen, quæ quis scire tenetur, non excusatur à peccato, secus si eorum, quæ scire non tenetur, idem Sanctus citat. aliam distinctionem vide apud *Dia. par. 4. tract. 4. resol. 35. & 36.*

24 In foro verò exteriori, ait *Azor. citat. d. c. 13. in fine*, non admitti ignorantiam legum, & constitutionum Principum, quia solent publico, ac solemni ritù, & voce præconis in curijs Principum promulgari, quod sufficit ad tollendam causam ignorantiæ, (ignorantiam autem statutorum particularium admitti, quia fortè probabile est, non venire in notitiam eorum, qui ignorantiam allegant, quod probatur in *c. 2. de constit. in 6.*) primum autem dictum in *l. regula, cum concord. de iuris, & facti ignor. & in c. 1. de constit. iuxta Gl. in d. c. 2. v. statuta*, à qua regula negatiua excipiuntur om-

25 nes minores 25. annis ad *tit. ff. & C. de minor. & d. l. regula*, & etiam fœminæ maiores

26 in multis casibus relatis per *Gl. ibidem v. quibusdam*, vltra quos restituuntur etiam aduersus minus solemnem confectum inuentarium *de Franch. decis. 229. in fine*

27 *Cap. latr. decis. 129. n. 38.* sicuti etiam restituuntur omnes Ecclesiæ ad instar minoris *c. 1. & toto ferè tit. de in integr. restit.*

Ex quibus patet non habere locum dictum *Bonac. to. 1. hoc tit. disp. 1. q. 2. pun. 1. nu. 3.* si generaliter sumatur, dari scilicet probabilem ignorantiam tam iuris, quam facti; regulariter enim loquendo hoc verum non est, quoad ius commune in foro exteriori, licet in interiori secus, vt supra, ac etiam in excommunicatione, vt statim

28 dicam; potest tamen dari ignorantia facti, tam alieni quam proprij, sed diuersimode; in illo enim regulariter præsumitur ignorantia, nisi contrarium probetur, quæ dicitur, iusta & probabilis *§. item si vbi Gl. v. afferret instit. de mandato, & in §. si quis agens instit. de action.* in isto autem contra, quoad præsumptionem *l. 3. ff. de iur. & facti. ignor.* omisso ergo primo casu, potest etiam in isto dari ignorantia probabilis, vt si quis expositus, quorum parentum sit, ignoret, & seruiat alicui, putans se seruum esse, errat in facto proprio, & tamen talis ignorantia sibi non nocet quin ad libertatem proclamet *l. 1. ff. eodem tit. cit.* vbi similia sunt exempla.

29 Datur etiam ignorantia vincibilis, quæ subdiuiditur in supinam, & affectatam; illa est, quando quis est summe negligens in aliquo facto sciendo, vt si omnes in Ciuitate sciant, quod ille solus ignorat *l. nec supina & d. l. regula §. sed facti eod. tit.* dicitur supina, quia solet esse in ijs, qui supini iacent, & dormiunt, vt exponit *Azor. d. c. 13. versic. 4. diuiditur; late Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 32. n. 32.* affectata verò est expressè, & directè voluntaria, quod accidit, quando quis posset absq; vllo labore scire ius, vel factum, de quibus agitur, sed data opera non vult scire, vt liberius peccet *D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 3. in corp. Gregor. de Val. to. 2. disp. 6. q. 6. pun. 3. versic. potest etiam, Bonac. citat. n. 4.* vbi num. antecedenti rectè dixit, posse etiam dari ignorantiam ex leui negligentia, quæ nec totaliter excusat, nec totaliter damnat, quo casu erit veniale in foro conscientiæ, argum. *d. §. sed facti, & iterum infra resol. 43. n. 8.*

30 Vlterius exemplificeatur prædicta ignorantia facti, quando scilicet quis percussit clericum, quem laicum probabiliter putabat, quia laicis vestibus erat indutus, non incurrit censuram *c. si verò 4. de sentent. excom.* & in hoc omnes DD. conuenire testantur idem *Valent. to. 4. disp. 7. q. 17. pun. 7. Henriq. in summa lib. 13. cap. 23. §. 1. Sanch. de matrim. to. 3. lib. 9. disp. 32. n. 31.* imò non solum ista ignorantia, quæ potest dici inuincibilis, sed etiam vincibilis, tam iuris quam facti, excusat ab incursione censurarum iuxta *DD. apud P. Dia. p. 3. tract. 5. res. 13. par. 5. tract. 9. resol. 17. & tract. 14. res.*

31 24. Qui vtrobiq; volunt ignorantiam vincibilem differre à crassa, & supina, quam concedunt non excusare sicut illam; imo *Dia. d. resol. 24. in fine* dicit, hoc esse perpetuo menti tenendum. Sed ego sequor *Villalob. in summa to. 1. tr. 16. dub. 12. nu. 6. ex Suar.* & alijs affirmantibus idem importare ignorantiam vincibilem, quam crassam, & supinam, & proinde neutram excusare ab incursu censurarum.

Etenim si vim vocabuli consideremus, quid significat vincibile, nisi illud, quod vinci potest, & vinci non vult? imo hæc ignorantia dici potest affectata, seu directè voluntaria, vt dictum est, & consequenter mortalis *ex D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 3. in corp. circa finem*, ad differentiam crassæ, & supinæ

næ, quę dicitur voluntaria indirectè iuxta eundem *Sanct. cit. Iul. Clar. in §. fin. q. 77. n. 7. & communiter DD.* & vt verum fatear ego nō intelligo quod dicit Sanch. cit. & in sūma *lib. 1. cap. 17. n. 19. secutus à Dia. d. res. 13.* nempe quod ignorantia mortaliter culpabilis, excuset ab incursu censurarum, non autem crassa, & supina, quasi quod culpa mortalis, minor sit ignorantia crassa, & supina, quod nec Nauar. nec alij DD. ab ipso citati dicunt, vel probant.

32 Adde quod si quis volens percutere Titiū Clericum, percussit ex errore Caium similiter Clericum, nō excusabitur ex ignorantia, sed erit excommunicatus *Henriq. citat. sub d. §. 1. idem Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 32. nu. 27. ex Couar. Cordub. Ledes. & alys*, ea ratione, quia tam voluntas, quam actus sunt directè cōtra statum clericalem, de qua materia latè *D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 3.*

33 *in corp.* licet, si quis volens occidere Petrum, & occidit sempronium, non teneatur de homicidio in foro exteriori, quia deficiebat animus occidendi sempronium, vt fuisse decisum in Senatu Pedemon. testatur *Tesaur. decis. 243. & Neap. apud Grāmaticum relatum per Iul. Clar. in §. homicidium n. 6.* vbi contrariam opinionem ipse sequendam esse asserit ex *Bar. in l. respiciendum, §. delinquunt in fine ff. de pæn. quam amplexi sunt addentes ad eum ibidem nu. 12.* quibus ego quoque adhæreo, quia vtcumque sit, adest animus occidendi cum homicidio secuto, quod pœna ordinaria punitur *ex tit. ff. & C. ad l. Cornel. de sicar.* licet priorem opinionem viderim aliquando ægro animo practicari; quæ reuerà est communior; imo quod non contrahat irregularitatem fuit declaratum *per S. Congr. vt notaui supra res. 14. n. 11. in fine.*

34 Si verò loquimur de ignorantia iuris, & iterum distinguo, aut est ignorantia affectata, vel crassa, siuè supina, & nemo excusatur *c. vt animarum, vbi communiter DD. de constit. lib. 6.* quia hæc æquiparatur dolo *l. quod nerua ff. depositi*, aut non est talis, & loquendo in foro conscientiæ, nemo ligatur, vt suprà dictum est *Io. Andr. in c. quantæ de sentent. excom.* vbi ait in nullum

35 canonem quemquam incidere nisi sit in dolo *Innoc. in c. cum medicinalis eodem tit. in 6. Greg. de Val. vbi supra vers. sed generatim, facit doctrina Bar. in l. quicumque C. de seru. fugit.* vbi voluit, quod vbicumq; loquimur de pœna capitali, subintelligatur dolus; ergo à fortiori arguit *Syl. v. excommunicatio 10. num. 4.* hoc est intelligendum de pœna excommunicationis, quæ animam ligat, & occidit, mutilans eam à corpore viuo, quod est Ecclesia; eo etiam magis, quia excommunicatio non incurritur, nisi pro mortali *c. nemo 41. 11. q. 3.* quod nequit committi absque explicita, vel implicita voluntate, vide *P. Dia. resol. citat.* qui prædictis cum multis DD. assentit.

36 Non excusantur tamen ij, qui ratione officij sui hæc scire tenentur, vt sunt Episcopi, Parochi, & Confessarij, qui forte nec scire tenentur omnes censuras in corpore iuris clausas, quia esset admodum difficile; vtrumque probat *D. Tho. 1. 2. q. 76. art. 2. in corp. ibi, manifestum est autem, quod quicumque negligit habere, vel facere, quod tenetur habere, vel facere, peccat peccato omissionis, vnde propter negligentiā eorum, quæ aliquis scire tenetur, est peccatum, non autem imputatur homini ad negligentiam, si nesciat ea, quæ scire non potest, vnde horum ignorantia inuincibilis dicitur; quia studio superari nō potest, & propter hoc talis ignorantia, cū non sit volūtaria, eo quod non est in potestate nostra eam repellere, non est peccatum*, ex quo patet, quod nulla ignorantia inuincibilis est peccatum. Ignorantia autem vincibilis est peccatū, si sit eorū, quę aliquis scire tenetur, non autē si sit eorū, quæ scire non tenetur.

37 Alia diuisio ignorantiæ datur ab *Azor. in cit. c. 12. vers. 5. diuiditur, Bonac. d. q. 2. pun. 1. nu. 5.* & alijs, qui omnes eam didicerunt ex *D. Tho. cit. art. 4. in corp.* sub silentio tamē ab eis inuoluto, nēpè quod aut est antecedens, aut comitās, aut consequens: Ignorātia antecedens est, quando quis percutit clericū, nesciens esse talem, tunc si eum occidit, vel mutilat, homicida est, vel mutilator hominis, sed non excommunicatus, & propterea dicitur probabilis quoad circūstantiam tantum, non autem quoad sub-

38 stantiam. Secunda est quando quis bona fide putans occidere feram, occidit hominem clericum, quem vtique occidisset tamquam suum inimicum, si cognouisset: hic, in foro exteriori, si adhibuit diligentiam, non punitur de homicidio, sed extraordinariè *l. si putator ff. ad l. aquil.* & consequenter, nec est excommunicatus *Bonac. d. pun. 1. n. 14.* sed in interiori peccat grauiter, quia non deest voluntarium, quod sufficit ad peccatum iuxta *D. Tho. cit.* alij eum excusant etiam à peccato, vt refert

Azor.

Azor. citat. cap.14. versic. quarto quaeritur, sed non rectè. Huic ignorantiæ applicatur
39 quodammodo casus ebrietatis, quando quis sponte ebrius factus, delictum commisit (nā si non sponte, nec cum aliqua culpa occidit, ad nihilum tenetur, tam in exteriori, quam interiori foro) tunc, licet culpa præcedat, non punitur pœna ordinaria in foro exteriori *l.omne delictū*, §.*per vinū, vbi Gl.v.lapsis, ff.de re milit.l.respiciendū*, §.*delinquūt ff.de pœnis*, *& in foro interiori* diminuitur etiam peccatū, quia diminuitur voluntariū,
40 vt loquitur *D.Tho.1.2. q.76. art.4. in corp. Aristot. autem 3.ethic.c.5.* dicit puniri debere duplici pœna, ebrietatis scilicet, & delicti commissi, sed placet distinctio *Azor.d.c.14. vers. tertio quaeritur*, *dicentis*, quod potest quis sponte dupliciter ebrius fieri, aut præuidens, & sciens in ebrietate grauiter delinquere, & tunc graue etiam peccatum committit, quod posset aliqualiter diminui in foro interiori, si post vini potū ante ebrietatem se pæniteret; aut nihil ad hæc cogitans, ebrius factus deliquit, & licet aliqui eum omninò excusent, quos ibidem refert, ipse verò tenet negatiuè, quia ebrietas, etiam si omni mali periculo careat, est per se mala, & rectæ rationi contraria, quāuis in hoc secundo casu peccatum sit multo minus, quam in priori.
41 Tertia est, vt ait *D.Tho. d.art.4. ad 1.* secundum quam omnis malus, est ignorans, quæ non est causa peccati, sed aliquid consequens ad causam, ad passionem scilicet, vel habitum inclinantem in peccatum, & propterea non videtur conformari huic doctrinæ, quod dicunt *Azor. citat. cap.12. versic. quinto quaeritur*, *& Bonac. d.n.5.* hanc ignorantiam appellari consequentem, ex quo consequitur actum voluntatis, vel directè, & expresse, vt est affectata, vel implicitè, & indirectè, vt est crassa, & supina, de quibus supra; his enim casibus, esset omninò causa peccati, non autem aliquid consequens tantum ad causam, seù habitum inclinantem in peccatum, vt rectè docet Sanctus, & patet ex
42 supra dictis. Omnes autem istæ diuisiones ignorantiæ possunt applicari casibus inaduertentiæ, vel inconsiderationis, vel naturalis obliuionis, quæ possunt accidere, vel ex culpa ob negligentiam affectatam, vel crassam in memoriæ retinendo, considerando, seù aduertendo ad id, quod oportet, & hæc non excusat; aut possunt accidere absque culpa, veluti si quis sit pœnitus immemor, aut nō aduertat, seù nō consideret ius, vel factum, contra quæ tali tempore operatus est, qnod accidit, quando repente aliquod negotium ita mentem occupauit, vt operans distractus à re, quam gerere debebat, illam omisit, veluti si ex obliuione aliquam horam canonicam prætermisit, vel ex inconsideratione iuris, vel facti ieiunium soluit, & huiusmodi ita *Sanch. in summa lib.1. cap. 16. n.8. Azor. d. lib.1. cap.16. vers. tertio quaeritur Bonac. cit. sub d.n.5. Dia. par.3. tract.5. resol.41.*

Qui possint absoluere, & absolui à Censuris.

SVMMARIVM.

1 *Absolutio censuræ, vel directè tribuitur à Iudice in foro exteriori, vel indirectè à Confessario in interiori, sed aliquando neque à fulminante tribui potest, sed à solo Pontifice. n.14.15. & 16.*

2 *Censuræ, quæ à iure infliguntur, & nemini reseruantur, possunt à quocumque Confessario tolli in foro interiori, quæ absolutio vales etiam in exteriori, & nu.4. & 5. secus de reseruatis n.6. 7. & 9.*

3 *Proprius sacerdos quis sit, & quis ordinarius?*

8 *Capitulum sede vacante, habet eandem potestatem, quam habebat Episcopus.*

11 *Episcopo mortuo, an casus ab ipso reseruati desinant esse tales, ita quod quilibet Confessarius possit ab illis absoluere?*

12 *Pontifex est Iudex ordinarius totius mundi hominum.*

13 *Iubilæi tempore, si quis absoluitur à censuris, quando Papa hoc concedit, intelligitur in foro conscientiæ tantum, sed quid de casibus reseruatis Episcopis? n.22.*

17 *Absolutio à censura illata per clericum simplicem, non potest ab eo tolli in foro pœnitentiæ, sed solum in foro contentioso.*

18 *Incendiarius ædium, vel agrorum, si dolosè hoc fecit, est excommunicatus, cum reseruatione absolutionis Pontifici, & in foro exteriori punitur pœna mortis.*

19 *Furtum committens in Ecclesia, est eodem modo excommunicatus, & punitur in foro exteriori eadem pœna mortis, nisi furetur crumenam, vel aliam rem non sacram à priuato, quamuis in Ecclesia.*

20 *Hæreticis administrās sacramenta, vel eleemosynas ab illis accipiēs, aut eorū cadauera*

ra sepeliẽs in Ecclesia, est suspẽsus ab officio.

21 *Degradatus à suo Episcopo, non potest restitui, nisi à Pontifice.*

23 *Absoluendi potestas per Pontificem concessa à casibus sibi reseruatis, intelligitur etiam à censuris; non sic per Episcopum similem potestatem concedentem.*

24 *Absolutio tam in foro interiori, quam exteriori non potest impartiri, nisi subditis absoluentis.*

25 *Casus reseruati Episcopo possunt relaxari à Confessario alterius diœcesis, vbi non sunt reseruati, dummodo cessent fraus, vel dolus, & n. 26.*

27 *Absolutio potest dari etiam inuito, vel absenti à censuris, in foro exteriori, non interiori. Tributa ex bonafide à Confessario de casibus reseruatis, à quibus non poterat, an valida sit? n. 28. & quid si per dolum pœnitentis? n. 29.*

30 *Regulares tam intra, quam extra Italiam, an possint absoluere pœnitentes à censuris, & casibus reseruatis Pontifici, etiam in Bulla Cœnæ, vel Episcopis? n. 31. vel saltem suos subditos n. 35. & an virtute suorum priuilegiorum? n. 36.*

32 *Illatio non fit ex diuersis, sed quid quando diuersitas est in re, & ratione?*

33 *Mens potius, quam verba legis est aliquando seruanda.*

34 *Excommunicatio contracta à regulari absoluẽte etiam suos subditos à casibus Bullæ Cœnæ, vel alias Pontifici reseruatis, potest tolli ab alio regulari, quia hæc non est reseruata, & n. 39.*

37 *Episcopis per Bullam Cœnæ fuit sublata potestas absoluendi à casibus in eadem Bulla contentis, quam habebant ex Trid.*

38 *Regularis percutiens alium regularem, absoluitur à suo superiore, secus si percussio fuit enormis, vel in aliam personam Ecclesiasticam. Hæreticus occultus, si non potest absolui à suo superiore, an possit saltem ab Episcopo, vel inquisitore? n. 40.*

41 *Regularis, vel de proximo ingrediendus an possit absolui à Confessario eiusdem Religionis de casibus reseruatis Episcopo? Iter agens de licentia sui superioris, potest absolui à quocumque casu reseruato, etiam Pontifici per quemlibet Sacerdotem vbi non adsunt Religiosi sui ordinis, extra tamen contentos in Bulla Cœna? n. 42.*

43 *Regulares an possint sibi reseruare alios casus præter contentos in Bulla Clement. 8.*

Resolutio XX.

1 AD primum præmitto, absolutionem prædictam duplici modo contingere posse, primò directè, seù ex potestate, & iurisdictione ordinaria in foro externo: secundo indirectè, seù implicitè ex potestate delegata per absolutionem à peccatis in foro interno: Item loquendo de maiori excommunicatione, aut est lata à iure, vel ab homine, primò casu, aut est reseruata, aut non; reseruata est quando conditor iuris sibi, vel alteri absolutionem reseruauit, de qua inferius; non reseruata, quando ab eodem iuris conditore fulminatur, non exprimendo ad quem eius
2 absolutio pertineat, quo casu, etiam si à Pontifice sit fulminata, potest absolutio tribui ab ordinario, vel etiam à proprio sacerdote *c. nuper §. in secundo verò casu, de sentent. excom.* qui tex. licet loquatur de minori excommunicatione, omnes tamen DD. dicunt in casu relato procedere etiã in maiori, vt testatur *Sylu. v. absolutio 1. n. 4. in fine.*

3 Proprius autem sacerdos intelligitur in isto casu, non solum Parochus, sed etiam omnis habens potestatem absoluendi à peccatis mortalibus *Nauar. in man. cap. 27. sub n. 39.* qui communem dixit, item *Tol. lib. 1. cap. 17. n. 4. ex D. Tho. in 4. sentent. dist. 18. q. 2. art. 5. Hostiens. & alijs*, sed ordinarius intelligitur Episcopus in suos subdi-
4 tos, vel alius Prælatus habens iurisdictionem in excommunicatum, vt sunt omnes superiores regulares in suos subditos Tol. ibidem. Isti ergo absolunnt explicitè ex potestate ordinaria in foro externo; illi idest proprij sacerdotes, implicitè in interno, absoluendo à mortalibus, vt initio diximus *Gregor. de Val. to. 4. disp. 7. q. 17. pun. 8. ex Nauar. cit. & alijs.* Hanc ergo absolutionem indirectam, seù in foro interno, quando fit, aduertit idem *Gregor. versic. notandum est, ex Nauar. citat.* non valere in foro externo, & esse propterea monendos absolutos, vt in isto tamquam excommunicatos se habeant, donec directè ab habente authoritatem, legitimè absoluantur, quod antea docuit *Abb. in c. monachi, & c. mulieres de sentent. excom.* & di-
5 cunt probari in *c. ex multa de voto*: ego autem adhæreo *Sylu. v. absolutio 1. sub n. 4. & 5. Tol. d. n. 4. ex DD. Tho. cit. & Bonau. in 4. dist. 18.*

dist. 18. *q. vltima. Suar. disp.* 7. *sect.* 4. *n.* 9. *& alijs*, omnibus vno ore fatentibus, non esse necessariam aliam absolutionem, quod patet ex *d. c. nuper ibi, quia tamen conditor canonis eius absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem alijs relaxandi, &c.* dum enim lex non distinguit, nec nos distinguere debemus *l. de pretio ff. de public. in rem act.* dictùm autem *c. ex multa* non facit ad casum.

6 Quando verò excommunicatio lata à iure, est reseruata, ait *Tol. citat. cap.* 17. *n.* 3. neminem absoluere posse, nisi eum, cui est reseruata, qui est Pontifex, imo

7 neque Episcopos, quod tamen est intelligendum in foro exteriori, alias dictum Tol. esset contra *Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *de reform.* vbi eis datur potestas absoluendi à quibuscumq; irregularitatibus, suspensionibus, & casibus reseruatis, etiã Pontifici, ac etiam à crimine hæresis, in foro tamen conscientiæ tantum, exceptis ijs, quæ oriuntur ex homicidio voluntario, ac etiã omnibus deductis ad forum contentiosum; similiterque exceptis etiam in foro conscientiæ omnibus casibus in Bulla Cœnæ descriptis iuxta *Farinac. de hæresi q.* 92. §. 4. *n.* 52. *&* 61. *Sanch. in summa lib.* 2. *cap.* 11. *nu.* 26. *&* 27. (de qua tamen quæst. in.

8 fra *resol. sequenti n.* 37. *& resol.* 21.) Quod idem posse capitulum sede vacante, sicuti Episcopos, non dubitatur ex *c.* 1. *de maior. & obed. in* 6. cuius tex. immemor *Bonac. citat. pun.* 2. *n.* 1. dixit, hanc esse probabiliorem nonnullorum DD. sententiam, cum potius verum sit neminem contradicere.

9 Aut verò censura est lata ab homine, & iterum distinguo, aut est lata generaliter, vt quæ fertur in visitatione, & per edicta, vel concilia generalia, & potest absolui à quocumque habente potestatem absoluẽdi à mortalibus, nisi eisdem illam ferentibus esset reseruata *Syl. v. absolutio* 1. *nu.* 7. *Abb. Couar. & aly, quos refert, & sequitur Henriq. lib.* 13. *cap.* 28. *post n.* 5. *lit. q. Suar. to.* 5. *disp.* 4. *n.* 9. *& disp.* 7. *n.* 2. ratio est, quia dum supponitur superiorem, illam nemini reseruasse, censetur omnibus facultatem absoluendi concessisse, etenim si hoc suprà firmatum est procedere in censuris latis à iure, nemini reseruatis, à fortiori locum sibi vendicabit in illatis ab homine, pariter non reseruatis, vide etiam *Tol. lib.* 1. *cap.* 17. *sub n.* 5. vbi excipit Religiosos ex *Clement. Religiosi de Priuil.* vt etiam voluit *Sylu. citat. dicto num.* 7. *in fine*.

10 Aut est lata particulariter contra personam determinatam; & huius absolutio pertinet ad eundem Episcopum, vel alium, qui eã tulit, & sibi reseruauit, vt patet apud *Matth. cap.* 18. *c. qui verò* 11. *quæst.* 3. *& c. si Petrus* 24. *quæst.* 1. quo mortuo potest absolui à suo successore in eodem officio argum. *l. mortuo Iudice ff. de indic. Nauar. in man. cap.* 27. *n.* 40. vel à quolibet

11 Confessario, quia post mortem suam cessat reseruatio *iuxta Eman. Sà v. absolutio nu.* 20. *ex Medin. & alys*, quod in parte approbant aliqui apud *Dia. par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 108. ego verò adhæreo opinioni negatiuæ *Præpos. in addit. ad* 3. *par. q.* 9. *de reseru. cas. dub.* 1. *n.* 6. cum reuera ista vltima ampliatio, meo videri nullo iure fundetur.

12 Potest etiam absolutio impartiri à delegato eiusdem Iudicis excommunicantis argum. *l. à Iudice C. de Iudic.* vel à superiore, qui si est Papa, hoc facit ex sua suprema potestate, cum sit Iudex ordinarius totius mundi hominum *c. cuncta per mundum* 9. *q.* 3. si verò est Metropolitanus, potest etiã absoluere, sed iuris ordine seruato, auditis partibus, & per appellationem causa ad ipsum deuoluta, constitoque de sententiæ censuræ iniustitia *c. per tuas de sentent. excom. c. Romana* §. *cum autem, &* §. *debet de appell. in* 6. *Syl. v. Archiepiscopus n.* 2. vbi affert multos alios casus, in quibus, præcisa appellatione, potest cognoscere de causis suffraganeorum, extra quos est prorsus incompetens *c. si Clericus, vbi Gl. v. arbitros* 11. *q.* 1. & clarius in *in c. pastoralis ibi, cum in eum, exceptis quibusdam articulis, nullam habeat potestatem, de offic. ordin.* Quod si in casu appellationis legitimè interpositæ nõ constiterit de iniustitia sententiæ suffraganei, & tamen Archiepiscopus absoluerit excommunicatum, valida etiam erit absolutio, quæ reuocanda erit à Primate, vel Pontifice, vt notum est, & scribit *Tolet. lib.* 1. *cap.* 17. *nu.* 10. qui etiam rectè docet *c.* 15.

13 *n.* 9. facultates, quę à Pontifice dantur per Iubilæum Confessarijs absoluendi à quibusuis censuris, non concernere forum exteriorem, sed tantum ea, quæ ad pœnitentiæ forum, & conscientiæ purgationem spectant, loquendo tamen in reseruatis, tam à iure, quam ab homine, huncque testatur esse ex Couarr. & alijs stylum Romanæ Curiæ.

14 Sunt tamen aliqui casus, in quibus ne-

que excommunicator ipſe poteſt abſolue-
re excommunicatum, quorum primus eſt,
quando delegatus Pontificis cenſuram tu-
lit, qui elapſo anno à die ſententiæ, non
poteſt, ſed ſolus Pontifex *c.quærenti de of-*
15 *fic. deleg.* Secundus, quando idem excom-
municaror incidit in excommunicationem
maiorem poſt cenſuræ ſententiam prolatã,
ſecus ſi in excommunicationem minorem
c.audiuimus 24. q.1. c.ſi celebrat de Cler. ex-
com. miniſtr. & c.duobus de ſentent. excom.
16 Tertius eſt, quando vti merus executor
ordinis Pontificis excommunicat *c.fin.§.fin.*
de offic. deleg. ſecus ſi hoc fecit vti plena-
rius cauſæ cognitor eiuſdem Pontificis *Syl.*
cit. n.3. ex c.verbum de pœnit. diſt.1. & c.in-
ferior 21. diſt. Tol.d.cap.17. ſub nu.13. ex Io.
Andr. & Hoſt. in c.cum inferior de maior. &
17 *obed.* Quartus, quando excommunicator
non eſt ſacerdos, ſed clericus, qui poteſt
abſoluere in foro exteriori, non tamen pæ-
nitentię, ſed mittere eum debet ad ſacer-
dotem, quantum ad ſolemnem reconcilia-
tionem Eccleſiæ, vt in praxi ſeruatur, &
docet idem Syl. loco citat. Quintus eſt,
quando quis fuit excommunicatus pro-
pter iniurioſam iniectionem manuum in
clericum, vel monachum, tunc abſolutio
pertinet ad Pontificem *c.ſi quis ſuadente 17.*
q.4. ſi percuſſio fuit enormis, quia ſi grauis,
tollitur ab Epiſcopo DD. apud *Dia. par.5.*
18 *tr.5. reſ.75. & in sũma v.cẽſura n.21.* Seſtus
eſt cauſa incendij in ædes, vel campum
alicuius doloſè illati *c.tua nos de ſentent.ex-*
com. & c.peſſimam 23. q.vlt. quo caſu in fo-
ro exteriori eſt etiam ſtatuta pœna mortis
l.capitalium §. incendiarij ff. de pæn. & l.qui
ædes ff.de incend. ruina, & naufr.
19 Septimus eſt, ex cauſa furti in Eccleſia
cum eius effractione *c.conqueſti de ſentent.*
excom. & in foro exteriori talis ſacrilegus
punitur etiam pœna mortis *l.4. & l.ſacrile-*
gij ff. ad l.iul.pecul. & ita fuiſſe pluries pra-
cticatum etiam abſque effractione referunt
Præſ. de franc. deciſ.315. n.7. & 10. & San-
fel. deciſ. 35. niſi quis furatus fuerit cru-
menam, vel aliam rem non ſacram à pri-
uato, licet in Eccleſia, quod ſacrilegium
non eſſet iuxta *DD. apud Dia. par.1. tr.7.*
20 *reſol.27. & iterum infra reſol.29. n.7.* Octa-
uus, quando quis fuit ſuſpenſus ab officio,
quia miniſtrauit ſacramenta hæreticis, vel
eorum cadauera Eccleſiaſticæ tradidit ſe-
pulturæ, aut eleemoſynas, ſiuè oblationes
ab illis recepit, quibus in caſibus abſoluit
Pontifex *c.excommunicamus 1. §. credentes*
21 *verſic. ſane clerici de hæret.* Nonus, quando
quis fuit degradatus à ſuo Epiſcopo, qui
non poteſt reſtitui, niſi ab eodem Pontifi-
ce *Syl. v.degradatio nu.11. ex c.1. & 2. diſt.*
50. & in v.abſolutio 1. poſt n.3. per Gl. in c.ex
tua in fine de cleric. non reſid. quæ hoc pro-
bat ex *l.Diui Fratres ff. de pæn. & l.1. in*
fine de quæſtion. & late per nos infra v.de-
gradatio.
22 Vtrum autem quando in iubilæo, vel
extra eum, concedit Pontifex facultatem
abſoluendi à cenſuris, & caſibus reſeruatis,
poſſit quis abſolui etiam à caſibus reſerua-
ris Epiſcopis? reſpondet negatiuè *Bonac.*
de cenſur. to.1. diſp.1. q.3. pun.1. nu.11. ex
c.1. de conſtit. in 6. vbi per legem genera-
lem ait Pontifex, non eſſe ſuæ voluntatis
derogare conſuetudinibus, & ſtatutis par-
ticularibus locorum, cui fauet etiam *Bulla*
Clem.8. quæ incipit Sac.Congregatio, in qua
ſtatuit, ne vllus prætextu cuiuſcunque
priuilegij abſoluat à caſibus reſeruatis Epi-
ſcopis, ſed contrarium docet *Nauar. in*
man. cap.27. n.263. quem alijs relatis ſequi-
tur Suar. to.5. diſp. . de cenſur. ſect.5. n.14.
vbi hanc appellat iuridicam, & veriſſimam
ſententiam, quando tamen in iubilæo fuit
dictum abſolui poſſe ab omnibus etiam
Sedi Apoſtolicæ reſeruatis, exceptis con-
tentis in Bulla Cœnæ Domini, quos ego
ſequor, reiecta opinione Bonac. quem etiã
impugnant *Dia. & alij apud eum par.3. tr.4.*
reſol.149. & par.10. tr.14. reſol.4. quia dum
Pontifex concedit abſolutionem dari à ca-
ſibus ſibi reſeruatis, quod eſt plus, multo
magis intelligitur concedere, vt poſſit da-
ri à caſibus reſeruatis Epiſcopis, quod eſt
minus ad regulã iuris *c.cui licet plus de reg.*
I. in 6. & auth.multo magis C.de ſacr. S.Eccl.
quod tamen intelligitur in foro interiori
23 tantum, non exteriori, vt ſuprà *n.7.* Con-
ceſſa verò per Pontificem poteſtate abſol-
uendi à caſibus ſibi reſeruatis, intelligitur
etiam abſoluendi à cenſuris, rationem tra-
dit *Nauar. ibidem n.261. ex Anton. & Caiet.*
quia non datur caſus reſeruatus Papæ, cui
non ſit annexa cenſura; è contra in Epiſco-
po ſimilem poteſtatem concedente, quia
ipſe habet caſus reſeruatos, quibus non
eſt annexa cenſura, & extra eos, cenſuras
reſeruatas ob alia peccata, vt docet *Nauar.*
citat. & poſt eum Suar. vbi ſupra lib.2. cap.11.
n.1. clauis Reg. lib.1. cap.1. n.5. & alij apud
eos.

Ad

24 Ad secundum respondetur, absolui posse subditos iurisdictionis absoluentis, non autem non subditos, tam in foro exteriori c.2. in fine de constit. in 6.c.Romana §.porrò de sentent. excom. cod.lib.l.fin.cum simil.ff. de iurisd.omnium iudic. quam in interiori ex Trid. sess.14. de pœnit. c.quoniam igitur 7.& c.omnis §.siquis autem de pœnit. & remiss.quo in casu dubitatum fuit, an habens casus
25 reseruatos suo Episcopo, possit absolui à Confessario alterius diœcesis, vbi non est talis reseruatio, & fuit responsum affirmatiuè per Suar. citat. disp.3. sect.1. n.4. Henriq. lib.6. cap.14. n.8. Regin. to.1. lib.8. c.5. n.69. dummodo fiat citra dolum, vel fraudem, quæ nemini debent prodesse §.item si quis in fraudem, instit. de action. & anullant confessionem argum. l.& eleganter ff.de
26 dolo. Et proinde hoc potest licitè accidere peregrino ex simplicitate, & bona fide peregrinanti, vt exemplificant DD. præfati, & ita rectè docet etiam Dia. post alios par.2. tract.17. resol.56. & par.4. tract.4. resol.109. in fine reiectis contrarijs, idem ex eadem ratione in scholaribus causa studij, alibi se transferentibus meritò docuit Tol. lib.3. cap.13. n.12.

27 Absolui etiam potest inuitus in foro exteriori à censuris, non autem in interiori Suar.disp.6. sect.7. n.5. hoc tit. Rodriq.& alij apud Regin. lib.9. n.36. Bonac. citat. pun.4. n.3. ratio est, quia sicuti potest inuitus excommunicari, vt regulariter excommunicatur, ita, & absolui DD. apud P.Dia. par.5. tract.9. resol. 10. vbi dicunt absolutionem non solum esse validam, sed etiam licitam: Idem dicitur de absente, ex eadem ratione Suar. ibidem n.4. Regin. n.39. & Bonac. vbi supra, & dicitur absolutus antequam hoc perueniat ad eius notitiam; sicuti enim potest excommunicari absens, ita, & absolui, vt similiter arguunt Suar. citat.& Alter. lib. 4. disp.6. cap.1. versic.quare, & to.2. disp.8. cap.4. Quos ego sequor, licet Gl. in c.quando v.Epistolam 2.q.5. voluerit debere absolui post mortem excommunicatum, si ante notitiam absolutionis obierit ex c.à nobis de sentent. excom. qui tex. loquitur generaliter, quando quis est mortuus excommunicatus, non autem quando fuit viuens absolutus in absentia.

28 Sed ponamus quod quis fuerit absolutus de reseruatis à confessario non habente potestatem, quod postea scitum fuit? respondetur, quod si hoc accidit bona fide vtriusque, quando neuter sciebat reseruationem, & tenetur Confessarius petere veniam à superiore, & reuocare pœnitentem ad confessionem, cumque absoluere; si hoc potest sinè scandalo fieri, eo monito prius de priori errore Sylu. v. absolutio 1. nu.13. P. Dia. par. 2. tract. 15. resol.60. ex Coninc. Nugn.& alijs, vbi in fine videtur hũc casum relinquere sub dubio, cum difficile putetur posse hoc fieri sine scandalo iuxta sententiam Fabr. Valer. Cordub. & Henriq. ibidem citat. & docentium, remanere pœnitentem absque alia confessione absolutum directè à non reseruatis, indirectè à reseruatis per infusionem gratiæ.

29 Verũ ego puto distinguendum; aut enim pœnitens hoc sciebat, & non Cõfessarius, & peccat ille mortaliter, & confessio est nulla; Confessarius autem laborans ignorantia probabili non peccat; aut Confessarius sciebat, & non pœnitens, & ille peccat mortaliter, & incidit in excõmunicationem, vt fuit declaratum per decretum S.Congr. editum 9. Ianuarij 1601. de quo testatur idem Dia. par.2. tract.17. resol.30. pœnitens autem, si fuit ignorans inuincibiliter, est rectè absolutus, si verò vincibiliter, est nulla confessio, imo sacrilega, aut vterq. ignorabat, & si ignorantia erat inuincibilis, confessio est valida, & Cõfessarius non peccat; si verò vincibilis, vterq; peccat mortaliter cum sacrilegio, quia faciunt volũtarie nullum sacramentum Nauar. in man. cap.27. sub n.74. & probatur etiã ex dictis per nos supra in priori resol. vbi latè de ignorantia.

30 Item dubitandum hodie non est, quod, non obstantibus priuilegijs regularium, nequeunt ipsi absoluere pœnitentes à casibus Episcopis reseruatis, nec à contentis in Bulla Cœnæ, sub pœna excommunicationis, vt in relato decreto, per quod fuerunt reuocata omnia prædicta priuilegia, de quo licet fuerit olim dubitatum per verba citati decreti S.Congr. quod locutum est de regularibus existentibus per vniuersam italiam, & extra Vrbem; postea tamen alio decreto eiusdem S.Congreg. sub die 28. Nouembris 1628. de mandato Vrbani 8. fuit hoc extensum ad regulares etiam extra Italiam, vt testatur P. Dia. d.resol.30. in fine; Et hoc procedit etiam in censuris eisdem Episcopis reser-
31 uatis, nam non solum militat eadem ratio l.illud, à cõtrario sensu ff.ad l.aquil. sed maior auth. multo magis C.de Sacrosanctis Eccl. &

ita ex alijs fundamentis docet *P.Marullus in suis disp. to.* 1. *disp.*1. *cap.*2. *dist.*4.*n.*575. cui ego adhæreo, licet contrarium, & male voluerit *Megala par.*1. *lib.*3. *cap.*3. *n.*10. cuius opinionem probabilem appellat idẽ *Dia.par.*3. *tract.*2.*resol.*13. ea ratione, quia cum decretum prædictum loquatur de ca-
32 sibus reseruatis, non est extendendum ad censuras, cum ex diuersis non fiat illatio *l.papinianus* *exuls*, *de minor.*

Sed iste tex. procedit in ijs, quæ sunt diuersa re, & ratione, vt docent ibi *Bar. n.*2. *& DD.* non autem vbi est eadem, vel
33 maior ratio, vt dictum est. Adde, mentem potius, quàm verba legislatoris esse attendendam *l.quamuis ff. de in ius vocando*; sed certum est, dum Pontifex prohibuit absolutionem casuum reseruatorum Episcopis, mentem eius fuisse prohibere multo magis absolutionem à censuris, quæ sunt maioris ponderis: tam ergo in primo, quam in secundo casu, regularis absoluens incidit in excommunicationem, nisi hoc faciet ex inconsideratione, vel ignorantia inuincibilibus, vt dictum est, & tradit idem *P.Dia. par.*3. *tract.*4. *resol.* 73. §.*notandum est etiam*. Nouissimè verò fuit edita Bulla *Alexandri* 7.sub die 2. Octobris 1665.n.12. per quam declarantur excõmunicati omnes disputantes, vel quomodocumque defendentes, seu docentes, posse regulares mendicantes absoluere à casibus reseruatis Episcopis, non obtenta ad id Episcoporũ facultate, & reseruatur absolutio Pontifici.

34 Quod si Confessarius regularis aliquem absoluit, non obstante reseruatione prædicta, probabile existimat, *Dia. d.resol.* 13. §.*notandum* posse absolui ab alio regulari, virtute eorumdem priuilegiorum, quo adhoc fortasse non abrogatorum, vbi addit decretum S.Congr. paulo ante relatum fuisse moderatum, & propterea *Tol. lib.* 1. *cap.*31. *nu.*7. *& Nauar. in man. cap.*27. *sub nu.*74. voluerunt posse absolui à quocumque confessario, quia talis excommunicatio non videtur reseruata, & in citata bulla Põtifex sibi reseruauit solũ absolutionẽ docentium, disputantiũ seu defendentiũ contrarium, vt suprà; casum autem absolutionis maxime incidenter factæ non reseruauit, sed prohibuit in virtute sanctæ obedientiæ, & sub interminatione diuini iudicij, quod importat peccatũ mortale, sicuti omnia similia præcepta, & *vide iterũ n.*39.

35 Sed an saltem superiores regulares possint absoluere suos subditos, si forte in aliquem ex casibus etiam Pontifici reseruatis inciderint? *Rodriq. to.*1.*q.*20. *art.* 9. sequitur opinionem Morgou. Cathedratici primarij in vniuersitate Conimbric. qui ad vitanda multa absurda ibi relata, quæ orirentur, si hæc potestas ab illis intelligeretur sublata, tuetur affirmatiuam, quam etiam disputando sustinet *P.Baunius par.*2.*suæ Theol. moralis de censur. disp.* 3. *tract.*2. *q.*26. post alios, sed quamuis *S.Congr.* Pontifice approbante die 28. Nouembris 1628. declarauerit extincta esse omnia priuilegia regularium, tam existentium infra, quam extra italiam, quoad potestatem absoluendi à casibus in
36 Bulla Cœnæ, & reseruatis Episcopis, vt supra dictum est, imò addiderit irrita esse priuilegia in contrarium, etiam in futurum obtinenda, & secus agentes, absolutiones fuisse, & fore nullas, & irritas, prout hæc, & alia ampliora, & clariora verba leguntur in relato decreto per *P.Dia. par.* 8. *tract.*7. *resol.*50. §.*sed hanc*. Hoc tamen, si loquimur de casibus in Bulla Cœnæ, ego teneo neque in suos subditos habere superiores regulares potestatem absoluendi, cum generaliter omnibus negetur, & singulis annis talis prohibitio renouetur in die Cœnæ Domini per Pontifices, cum reuocatione omnium, & quorumcumque priuilegiorum, vt legitur in eadem Bulla in fine: cum ergo ista lex non solum generaliter, sed vniuersaliter loquatur, ita est intelligenda, & practicanda nemine excepto ad *l.de pretio ff. de public. in rem act.* & de hoc pauci, vel nullus dubitat.

37 Quod vlteriùs probatur, quia quamuis ex *Trid. sess.*24. *c.liceat* 6. *de reform.* concessa fuerit Episcopis potestas absoluendi suos subditos à quibuscumque casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, reuocatam tamen fuisse per dictam Bullam non dubitant *Tolet. lib.*1. *cap.*31. *n.*2. *Bonac. to.*3. *de censur. super Bulla Cœnæ disp.*1. *q.*22. *pun.*3. *nu.*2. *& alij communiter*. Sed ponamus prælatos regulares habere ad summum authoritatem quasi Episcopalem, dum hoc non possunt Episcopi in suos subditos, neque poterunt regulares in suos, de quibus vide etiam resol. seq. adde quod si regularis
38 percusserit alium regularem, licet possit absolui a suo superiore *c.*2.*de sentent.excom. non obstante c.si quis suadente* 17.*q.*4.si tamen percussio fuerit enormis, vel in Episcopum,

aut

aut Abbatē, vel etiam Clericū & in multis alijs casibus, non poterit absolui à Regulari, sed solum à Summo Pōtifice *c.cum illorum §.nos tamen eo tit. Syl. v.absolutio 5. nu.1.* & communiter DD. *de quibus etiam infra resol. seq. n.13.* ergo à fortiori nequibit in casibus Bullæ Cœnæ, vti cum stri-
39 ctiori prohibitione omnibus negatis. Benè verum est, quod absoluens in casibus prædictis, quamuis absolutio sit inualida, vt legitur in relata Bulla, & ipse propterea excommunicationem contrahat ex eadem Bulla, non tamen absolutio obtinenda ab absoluēte est reseruata Pōtifici *Nauar. in man. c.27.n.74.Tol.d.c.31.n.8.Filliuc. Tract.16. cap.7.q.8. n.124. fayr. hoc tit.lib.3. cap.25. n.7.* vt etiam dictum est supra *n.34.*
40 Ab hæresi tamen occulta potest regularis in foro interiori absolui ab inquisitore, vti specialiter à Pontifice delegato, vel etiam ab Episcopo cum licentia sui superioris, secūdum *Suar. to.4. disp. 30. sect.2.sub n.3.Sanch.in summa to.1.lib.2. cap.11. n.10. & lib.4. cap.39. à n.27. ad finem Dia. par. 1. tract.5. resol.6. §.fin.* vbi confirmat quod diximus, potestatem hanc nullo modo habere Prælatos Regulares, neque in suos subditos, cum fuerit iam illis ablata per Sac. Cong. Card. sub die 17. Nouembris 1628. imo neque Episcopos, secundum alios, vt in resol. seq. sed tantum inquisitores etiam in foro externo, vt asserunt pænè innumeri DD. *apud eundem Dia. citat. resol.* 3. qui si noluerit absoluere, datur aliud remedium per DD. relatos in eadem resol. seq. *nu.*7.
41 Si verò loquimur de casibus Episcopis reseruatis, quia regulares sunt exempti ab eorū iurisdictione, vt omnes sciunt, & probatur in *c.fin.de pænit. & remiss.* propterea eorum legibus nō subduntur; imo, & quod magis est, cū quis de proximo volebat ingredi Religionem, refert idem *Dia. par.3. tract.2. resol.46.* communicato consilio cum viro docto in Vrbe postea ad Cardinalatum assumpto, respondisse, posse contemplatione ingressus ab illis absolui per Confessarium eiusdem Religionis; ergo mul-
42 to magis poterit absolui regularis. Adde quod si regularis iter agat cum licentia sui superioris, poterit etiam à quocumque sacerdote, vbi non adsunt regulares sui ordinis, absolui à casibus prædictis reseruatis, & à quocumque alio, extra tamen contentos in Bulla Cœnæ *Eusebius de Herrera decis. moral.9. n.23.* qui multos refert, idem *Dia. par.8. tract.7. resol.78.* (quod limitat in casibus reseruatis ab eisdem suis superioribus, & ego addo procedere in foro conscientiæ tantū, non in foro fori, vt in
43 resol. seq. *n.10. & 11.*) Item norandum est non posse prælatos regulares sibi reseruare alios casus præter contentos in decreto Clem.8. qui enumerantur in summa *Dia. v.casus reseruati n.4.* neque illis excommunicationem addere, iuxta sententiā *P.Aloysy Bariola Mediol. in suis aphorism. v.casum*, nisi ex consilio Capituli Generalis *Sanch. in sūma to.2. lib.6. cap.1. n.1. P.Leone tract. de offic. & potest. Confess. to.2. recoll.n.5.* qui testatur ita determinasse *S.Congr. Card. die 7. Iulij 1617. vt refert Dia. par.3. tract.2. resol.49.*

Agitur de potestate Episcoporum in absolutione à censuris; & vtrum censurati impotentia, vel consensus illius, ad cuius instantiam fuerunt latæ, impediant earum incursum, saltem in conscientia ?

SVMMARIVM.

1 *Episcopi an possint absoluere pænitentes ab irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus, & à casibus reseruatis Pontifici? etiam Bulla Cœnæ, saltem in foro conscientiæ? vsque ad n.4. & n.14.*

5 *Posteriora derogant prioribus.*

6 *Priuilegium dicitur priuata lex.*

7 *Absolutio an possit dari pænitenti extra articulum mortis de casibus in Bulla Cœnæ, donec se Romam conferat, si interim ob paupertatem, vel aliter impeditus reperiatur ? & n.8.*

9 *Dictio taxatiua excludit omnes casus.*

10 *Episcopi, & Regulares prælati an possint virtute suorum priuilegiorum absoluere suos subditos ab omnibus casibus Sedi Apostolicæ reseruatis, extra contentos in Bulla Cœnæ, & an etiam in foro fori? & n.11. & 15. & quid de irregularibus? num.12.*

13 *Regularis percutiens alium regularem potest absolui à suo superiore, si percussio non fuerit enormis, vel in Clericum, aut Abbatem.*

16 Lex

16 *Lex regulariter fertur ad futura, non ad praterita.*

17 *Irregularitas ex defectu lenitatis num possit per Episcopos relaxari?*

18 *Excommunicatus ex causa debiti pecuniarij, si non habet unde soluat, est tutus in conscientia.*

19 *Excommunicatio an contrahatur, quando creditor ad cuius instantiam fuit fulminata, prorogauit terminum debitori inscio Iudice fulminante? & n.21.*

20 *Cessantibus causa, & ratione, cessat effectus.*

Resolutio XXI.

1 AD primum difficultas potest esse de reseruatis Pontifici, quia de illatis ab ipsis (non tamen irregularitatibus, quas eos certum est inferre non posse) dubium non est, quod absoluere possunt, vt apud *Matth. cap.18. c.si Petrus 24.q.1. & probatur in l.nihil tam naturale ff. de regul. iur.* sicut etiam possunt ab illatis à Pontifice, quando non reseruantur; imo non solum ipsi, sed etiam Confessarij pœnitentis tollere possunt, vt dictum est in priori resol. *n.2.* de illis ergo loquendo, adest dispositio *Trident. sess.24. de reform. cap.6.* vbi datur

2 Episcopis ampla potestas dispensandi in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto prouenientibus (exceptis ijs, quæ oriuntur ex homicidio voluntario, & alijs deductis ad forum contentiosum,) & à quibuscumque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, absoluendi quoscumque subditos in suis diœcesibus in foro conscientiæ, ac etiam à crimine hæresis in eodem foro.

3 Quam potestatem habere non solum in casibus prædictis; sed etiam in absolutione casuum contentorũ in Bulla Cœnæ voluit *Henriq. in summa lib.6. cap.14. n.7. & lit.m.* vbi multos citat eiusdem sententiæ, duas rationes adducens, quia scilicet lex etiam generalis posterior, non tollit ius speciale antecedens; & quia Bulla Cænæ solum aufert priuilegia; sed Episcopi, non ex priuilegio, sed ex potestate iuris communis etiam antiqui id habent, ergo. *Nauar.in man. cap. 27. nu. 265* idem in parte docet, dum ait, solum absolutionem ab hæresi esse Episcopis sublatam, quem sequitur *Coninc. de censur. disp.14. dub.16. sub n.243.* & neque hanc ablatam illis fuisse tenent *Fagund. de prac. eccl. tr.2. lib.8. c.8. n.32. & 33. Nugn. to.2. in addit.ad 3.p.q.8.art.5.dub.20.* in fine, & alij permulti ab ipsis relati.

4 Contrariam tamen sententiã in omnibus casibus in Bulla Cœnæ contentis indubitanter teneo verissimam, quæ non indiget alia probatione, nisi lectura eiusdem Bullæ, vbi hæc veritas fuit ita declarata, vt nequeat alio clariori modo; & proinde priori sententiæ adhærere, est quodammodo negare implicitè potestatem Summi Pontificis *Tol. lib.1. cap.31. n.3. Eman.sà v.Episcopus n.34. & alij apud Ricc. in praxi Episc. resol. 552. nu.2.* vbi refert ita declarasse *Gregor.13. Clem.8. & Sac.Cong.Grat.discept. for. cap.414. n.20.* vbi testatur potestatem, quam à d. Concilio habebant Episcopi, esse sublatam per Bullam in Cœna Domini, nedum in causa hæresis, sed in alijs casibus in dicta Bulla reseruatis, & ita pluries Sac.Cong. Concilij resoluisse, & in sacro foro pœnitentiariæ fuisse conclusum, & quotidie seruari; idem volunt quamplures apud *P.Dia. par.7. tr.2. resol.23. §.sed ego* quos ipse sequitur.

5 Nec obstant rationes Henriq. prima enim est cõtra *l.Diuus §.licet ff.de I.codicill.* vbi posteriora derogãt prioribus, ad secundam ait *Pras.de Frãch.decis.554.n.16. ex l.2.C.de bon.*

6 *libert.& ibi Bal.& alij* quod priuilegia dicũtur leges priuatæ, sed rectius respondetur, quod illud dictũ posset procedere, quando Pontifex in prædicta Bulla locutus fuisset in genere, sed dum descendendo ad speciem, imo ad indiuidua iussit, quod nullus à prædictis casibus absolui possit per aliũ, quam per Romanum Pontificem, nisi in articulo mortis, etiam si Episcopalis, vel alterius maioris dignitatis præditus sit, cũ alijs verbis magis expressiuis, quæ ibi leguntur, dubitare amplius de hoc videtur potius infirmitas intellectus. Verum quia in confirmationem istius communissimæ sententiæ exijt nouissimè *Bulla. Alex.7. sub die 2. Octobris 1665. cap.3.* vbi damnauit opinionem contrariam, ideo amplius super hoc non insisto.

7 Sed successiuè quæritur, quid facere debet pænitens, qui occulte in aliquem ex casibus prædictis incidit, & Romam se conferre non potest ob paupertatem, vel alia impedimenta, aut etiam si posset, donec illuc perueniat, vel mittat ad maiorem pœnitentiarium? *Henriq. lib.6.cap.15. n.7. & Regin. lib.8. cap.6. nu.87.* aiunt posse talem,

tem, si est contritus, celebrare, vel communicare, & dubium de contritione, recipere Sacramentum pœnitentiæ ex interpetratiua ratihabitione Pontificis, in casu tamen
8 quo non celebrando, vel non communicando, grauissimi criminis infamiam incurreret, eo magis cum non sit consentaneum Ecclesiæ, excommunicationem infligenti, agere tanta seueritate cum filijs, vt etiam facientibus quantum in ipsis est, velit nihilominus negare, quod est eis ad salutem necessarium. *Fagund. autem de prae. Ecc. tract. 1. lib. 3. cap. 12. n. 12.* putat hoc licere etiam cessantibus scandalo, & infamia, dummodo adsit contritio, & ob paupertatem, vel aliam legitimam causam nequeat excommunicatus Romam adire, vel mittere, & interim inquisitor absolutionem deneget, quod tamen *Dia. par. 1. tract. 5. resol. 4. in fine non admittit ex Suar. 3. par. to. 5. disp. 9. sect. 3. n. 7.* licet autem tam *Bulla citat. quam Trid. sess. 14. c. 7. de casuum reseruatione*, solùm permittant absolutionem in articulo mortis, & consequenter obstet regula *e. nonne, de præsumpt. & l. eum prætor ff. de iudic.*
9 vbi inclusio vnius est ex clusio aliorum, & dictio taxatiua, quæ ibi est, excludat, omnes alios casus *l. ob æs C. de præd. minor.* sicuti probabitur etiam late infra res. 164. n. 14. posse tamen in casu magni scandali, & infamiæ vitandæ præuia contritione celebrare, dicetur infra resol. 63. n. 1. *res. 74. n. 5. res. 81. num. 22.* & alijs in locis ibi notatis.
10 Restat videre, an in alijs casibus Bulla Pontifici reseruatis extra contentos in Bulla Cænæ possint tam Episcopi, quam Prælati Regulares absoluere suos subditos, & etiam alios in foro fori? & quoad istos respondetur affirmatiuè per Authores à P. *Dia. relatos par. 1. tract. 5. resol. 8.* vbi recitat verba priuilegij suæ Religionis, vt scilicet omnes Confessarij eiusdem Congregationis, approbati ab Ordinario, possint absoluere quoscumque Christi fideles, vndecumque venientes à quibuslibet peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reseruatis, & à quibuscumque Censuris, & pœnis Ecclesiasticis, ex illis resultantibus, exceptis contentis in Bulla Cænæ Domini, quod etiam voluit *Henriq. lib. 6. cap. 6. sub n. 5. lit. q.* hocque priuilegium per communicationem nō est dubitandum habere quoque omnes alios Regulares, locumq; sibi vendicare etiam in foro exteriori iuxta *bullam Clem. 4. dicit Rodriq. to. 1. q. 20. art. 1.* vbi refert verba bullæ, & subdit, art. 8. non fuisse reuocatam per alias Bullas Pontificum successorum.
11 Sed neutrum ego credo, cum excommunicatio contenta *in c. si quis suadente 17. q. 4.* non sit inclusa in Bulla Cænæ, & tamen videmus regulares non absoluere, nisi suos subditos, si percussio non fuit enormis *c. Monachi, & c. cum illorum de Sentent. excom.* vt statim dicam iterum, & propterea idem Dia. ibidem ait in §. 3. quod ipse in hac quæstione nihil dicit, nec ponit de suo, sed
12 tantum refert dicta ab alijs; nec verum puto, quod addunt prædicti, posse scilicet Regulares dispensare in omnibus irregularitatibus suorum subditorum, etiam contractis ante ingressum Religionis; cum enim ego vti minister Regius in sæculo damnauerim olim aliquos ad mortem pro suis delictis (quæ est minima irregularitas, & appellatur iusta, seu ex defectu lenitatis) oportuit tamen ante ingressum Religionis obtinere dispensationem à Pontifice, quamuis *Dia. par. 7. tract. 2. resol. 26. in fine*, asserat posse super hac illos dispensare.
13 Benè verum est, quod si Regularis percusserit alium Regularem, potest absolui, etiam in foro exteriori à suo Prelato *c. 2. de sentent. excom.* nisi percusserit Clericum, vel Abbatem, vel Episcopum, aut percussio etiam in Regularem fuerit enormis, puta si ad mutilationem membri, vel effusionem sanguinis fuerit illapsum, quibus in in casibus absolutio reseruatur Pontifici *c. cum illorum §. qui si claustrales versic. nos tamen eod. tit. vbi Gl. V. effusionem* rectè ait non sufficere modicum sanguinem, quia effusio abundantiam significat *Tol. lib. 1. c. 33.*
14 Quoad Episcopos autem loquendo in foro poli (quia in foro fori non possunt, *ex Trid. sess. 24. c. 6. & docent Suar. Sanch. & alij apud Bonc. de censur. disp. 1. q. 3. p. 2. sub n. 1.*) ego teneo affirmatiuè ex eod. *Trid. citat.* exceptis tamen casibus in Bulla Cænæ contentis, vt supra pluries dictum est, & docet etiā *Sayr. lib. 4. c. 12. n. 19. ex declar. Sac. Cong.*
15 maior difficultas est de casibus post Tridēt. à Pontifice reseruatis, in quibus negatiuæ adhæret *Garz. de benefic. par. 11. c. 10. n. 122.* vbi alij, sed ego sequor etiam affirmatiuā, quam docet *P. Dia. par. 7. tract. 2. resol. 20. ex Suar. de pœnit. disp. 30. sect. 2. n. 12.* & alijs, loquendo in foro poli, vt dictum est.

Ratio enim quę adducitur ex aduerso quod scilicet Patres illi in Trid. intellexerint

[illegible] tis, nō de futuris (cui fundamento respondet idem Dia. ibidē) vltra quod ex tex. non apparet, veritas est in contrariū;
16 nam leges Regulariter feruntur ad futura, non autem ad præterita *l. leges C. de legib. & probatur in c. licet Canon. de elect. Cap. Latro dec. 33. n. 3.* sed ratio, quæ facit casum dubitabilem est, quod DD. relati ibidem per eundem P. testantur Gregor. XIII. audita relatione Sac. Congr. an relatum in decretum Trid. locum haberet in casibus, post illud ex noua lege Sedi Apostolicæ reseruatis, respondisse negatiuè, pro vt etiam asseritur in declarationibus eiusdem Trident. versic. item quærentibus, ad quod respōdet prefatus P. citat. de hoc non constare authenticè.
17 Vtrum autem possint Episcopi dispensare in irregularitate iusta, de qua supra è *Dia. p. 7. tract. 2. resol. 26.* multos DD. adducit, quorum alij in affirmatiuam, alij in negatiuam sententiam abiere: ipse verò vtramque appellat probabilem, sed in praxi seruaui, vt supra dixi in propria causa, nec in causis aliorum audiui Episcopos in talibus dispensasse, licet relati D.D. asserāt, & verum dicunt istam, & maiorem potestatem fuisse illis in Trid. traditam; sed potest responderi ex contraria consuetudine illam legem ablatam quoad hoc fuisse.
18 Ad secundum respondetur, impotētiam excusare ab incursione Censuræ, veluti si quis iussus sit soluere pecuniam, quam non habet, vel exhibere rem, quam similiter non habet, sub quauis censura, illam non incurrit in foro conscientiæ, non soluendo, vel non exhibendo, quia ad impossibile nemo tenetur *l. impossibilis ff. de verb. obligat. l. impossibilium de regul. Iur. Regin. lib. 9. n. 206. ex Soto, & alijs Filliuc. tract. 11. cap. 8. q. 8. n. 241.* quam sententiā ampliat *Bonac. disp. 1. de Censur. to. 1. q. 2. pun. 3. n. 1. ex Nauar. Cordub. Suar. & alijs,* quando quis prædicta non posset sine magno damno, vel multo maiori, quam passurus esset ille, ad cuius instantiam fulminatur Censura, secus verò si ante diem solutionis, existens habilis ad soluendum, & sciens adueniente tempore non posse, noluit tamen præcauere conseruando pecuniam, sed potius illam expendit in rebus non adeo necessarijs, Quod fundatur per argum. à simili, nam si quis cum posset summo mane audire Sacrum, sciens postea impedimenta superuenienda, & tamen non audiuit, non excusatur, vt infra V. missa.

19 Ad vltimum ponamus Episcopum, vel alium Iudicem decretum tulisse excōmunicationis ipso facto incurrendæ contra debitores Titij, si intra mensem illi non satisfecerint, num si Titius prorogauit tempus, inscio superiore sint excōmunicati? *Abb. in c. præterea 2. n. 4. de appell. & Ancharan c. quicumq; n. 3. de Sentent. excom.* docent non esse excomunicatos, quia sicut posset Creditor remittere totaliter debitum, & nullatenus
20 incurreretur excōmunicatio à ratione, & causa cessantibus *c. cum cessante de appell. & l. adigere, §. quamuis ff. de Iure patron.* ita cum suspendit, argum. *l. quæ de tota ff. de rei vendic. Innoc. autem in d. c. præterea n. 5. Io: Andr. & Host.* tenent contrarium, quos sequitur *Nauarr. in man. cap. 27. n. 15.* eo quia creditor effectum excommunicationis differre non possit, cum iurisditionem non habeat ad impediendam sententiam Iudicis, & hæc opinio in puncto Iuris verior videtur, nisi Iudex sciendo prorogationem tacuerit, quia tacitè consensisse videtur *Sayr. de Censur. lib. 1. c. 11. n. 20.*
21 Priorem autem vti ęquiorem sequūtur *Filliuc. tract. 11. cap. 3. n. 81. Coninc. disp. 14. dub. 16. num. 199. Bonac. disp. 1. q. 2. pun. 4. n. 1. & 2.* vbi ex Suar. & alijs rectè addit, data pro vera priori opinione, elapso secūdo termino, excommunicationem omnino contrahi, vt docuit etiā *Filliuc. n. 82. ex l. sed & si ff. de precario & l. si cum die de arbitr.* item intelligenda est, quatenus foret sequenda, dūmodo prorogatio creditoris sit facta ante lapsum termini à Superiore appositi, quia eo elapso, licet succederet prorogatio, esset procuranda absolutio à Superiore de excommunicatione iam incursa, nullo tunc impedimento obsistente.

Quis possit à Censuris absoluere in articulo mortis, extra quem an valeat absolutio tributa per errorem, aut extorta per dolum, vel vim, aut metum, & de forma absolutionis à Censuris?

SVMMARIVM.

1 *Absolutio in articulo mortis potest à quolibet Sacerdote, etiam irregulari, vel degradato, aut hæretico tribui de quibuscumque criminibus, etiam in bulla Cœnæ, deficiente tamen Parocho, vel alio Sacerdote non*

tè non impedito, & n. 2. & 3. Quando datur moribundo ab omnibus peccatis, & Censuris, etiam Pontifici reseruatis, an sit danda, præuio iuramento de se presentando Pontifice post quam conualuerit, & nu. 5. & seqq.

8 *Iuramentum, vt supra, est recipiendum a moribundo ante absolutionem à peccatis, & Censuris, secundum vnam opinionem, sed potest omitti, & absolui si sit sensibus destitutus, & adsint contritionis signa.*

13 *Testamentum conditum à milite in conflictu belli valet sine vlla solemnitate, etiam post annum à die reditus ad propria.*

14 *Absolutio in articulo mortis an possit dari à laico, vel à Clerico saltem de Censuris? & nu. 15.*

16 *Vicarius Episcopi, si sit simplex Clericus, an possit absoluere in articulo mortis? & qui talis dicatur n. 17., & 18.*

19 *Absolutio obtenta ex dolo an valeat, tam in foro interiori, quam exteriori?*

20 *Mendacium in confessione, si circa substantialia sit, illam inualidat.*

21 *Metus illatus Confessario, cuius timore absoluit, confessionem anullat, aliamq; excommunicationem parit; sed quid si metus fuerit ab alio, non à pænitente illatus?*

22 *Excommunicatus potest iterum ex alia causa excommunicari.*

23 *Absolutionis forma à Censuris quæ sit, & an possit per Pontificem tribui nutu, & signis?*

24 *Absolutio prius est danda regulariter à Censuris, & postea à peccatis, sed sufficit pro vtrisque dicere, ego te absoluo.*

Resolutio XXII.

1 AD primum respondetur, quemlibet Sacerdotem posse in articulo mortis absoluere pænitentes à quibuscumq; peccatis, & Censuris, quantumuis reseruatis iuxta *Trident. sess. 14. cap. 7. de pænit.* etiam si esset irregularis, degradatus, excommunicatus, vel schismaticus, non autem hæreticus, vt voluit *Nauar. in man. cap. 26. n. 26. D. autē Tho. 3. par. q. 82. art. 7. ad 2.* exclusit etiam schismaticum, non quod vere non conficiant Sacramentum, sed non licitè *Couar. in c. alma mater par. 1. §. 6. n. 8.*; alij autem innixi Trident. citat. docuerunt, omnes posse etiam licitè, cum dictio, omnis, quę est vniuersalis, neminem excludat *l. Arrianus C. de fideiuxor*; nec hoc est impugnare D. Tho. qui scripsit ante Trident. Et in punto *Regin. lib. 1. n. 60. in fine* amplectendo opinionem prædictam subdit, quod contra rationem esset, Piam Matrem Ecclesiam filio de æterna salute periclitanti aliquid subtrahere, quo posset tale periculum euadere *Eman. sà V. absolutio n. 3.* quod tamen est intelligendum, alio Sacerdote non 2 impedito deficiente, quo præsente, si infirmus eligeret hæreticum, posset diei suspectus de fide iuxta *Henriq. lib. 6. cap. 11. nu. 7.* Imò rectè addit *Bonac. disp. 1. hoc tit. q. 3. pun. 3. n. 3. ex Valent. Sanch. & alijs*, non debere 3 in quolibet casù simplicem Sacerdotem absoluere, præsente Parocho, vel Confessario approbato, quorum opinionem probabilem appellat *P. Dia. par. 1. tract. 5. resol. 5. §. 2. in fine, ex quam pluribus DD.* sed multo pluribus pro contraria opinione affirmatiua, quam etiam probabilem vocat, ego verò adhæreo priori, quam approbauit *S. Congr. in declarat. ad idē Concil. in eodem c. 7. nu. 3.* vt scilicet existente Parocho parato confessionem audire, & absoluere infirmū (si causa legitima non adsit denegandi absolutionem) nequeat alius Sacerdos non approbatus, etiam idoneus absoluere.

4 Dicunt tamen DD. subscripti quod in absolutione prædicta, recepto ab infirmo iuramento, casū quo mortem euaserit de se præsentando Superiori, quam primum potuerit, non intelligitur vt absoluatur à Censuris, à quibus iam fuit absolutus, sed vt se ostendat obedientem ad exhibendam maiorem satisfactionem Superiori, si iste maiorem exegerit *Suar. de pænit. disp. 30. sect. 3. n. 6. & de Censur. to. 5. disp. 7. sect. 1. n. 5. Sanch. in Summa lib. 2. cap. 13. n. 27.*, aliàs, in illas ipso Iure reincidit *c. ea noscitur de Sentent. excom. & c. eos qui eod. tit. in 6.*, Addit autem Nauar. cit. *cap. 27. n. 47. ex Caiet. V. excommunicatio in summa n. 69.*, non esse de necessitate, vt se præsentet personaliter Pontifici, cui erat reseruata absolutio, sed satis esse mittere Procuratorem; sequitur *Regin. lib. 9. sub. n. 11.* addens, debere hoc 5 adimpleri tempore, quo conscientia propria dictauerit, posse; vel melius iuxta consilium Confessarij.

6 Quod si à casibus reseruatis tantùm, quibus Censura aliqua non erat annexa, fuerit infirmus absolutus, non remanet alia obligatio, quia virtute Trident. citati legitimè fuit absolutus, quod licet loquatur etiam de casibus reseruatis; citati tamen

tex. in *c. ea nescitur, & c. eos qui* obligant solũ pro excõmunicatione in casu salutis rehabitæ adire Pontificẽ; & hęc est causa diuersitatis inter vnum, & alterũ casum *Nauar. citat. cap. 26. sub n. 26. Suar. de pœnit. disp. 30. sect. 3. n. 6. Henriq. lib 6. cap. 15. n. 3. Coninc. disp. 8. de pænit. n. 90. Regin. lib. 1. n. 62. Mercer. & aly apud Dia. par. 4. tract. 4. resol. 199. & par. 5. tract. 3. resol. 66. §. notandum.*

7 Si autem Confessarius ex obliuione, vel negligentia tale iuramentum ab infirmo non petijt, nec onus se præsentandi superiori explicuit, valida tamen remanet absolutio impartita, nec irritatur argum. *l. quæ ab initio à contrario sensu ff. de regul. iur. Syl. v. absolutio 3. n. 3. vbi communem dixit ex c. cum desideres de sentent. excom. Nauar. in man. cap. 27. ante n. 38.* ea ratione, quia, sicut excommunicatio regulariter valet quamuis iniusta, ita absolutio ab ea *c. venerabilibus §. sanè versic. vbi autem de sentent. excom. in 6. Henriq. vbi cæteri lib. 6.*

8 *cap. 10. in fine lit. g.* Non est autem tale iuramentum requirendum ab eo, qui sit adeo sensibus destitutus, vt nequeat congrue respondere, sed debet absolui præuijs contritionis signis *Sanch. in sum. lib. 12. cap. 13. n. 34. Sayr. de censur. lib. 3. cap. 25. n. 4.* quia impossibilium non datur obligatio *l. impossibilium de regul. l.* recuperata tamen sanitate, tenetur ad idem, vt supra.

10 Ex quibus communis reuera est opinio, quod pro censuris reseruatis teneatur infirmus euaso periculo se superiori reseruãti præsentare, vt supra, nihilominus valde mihi probabilis videtur opinio aliorum infra citand. & dicentium nullam amplius adesse se præsentandi obligationem, quæ fundatur in litera tex. *Trid. sess. 14. cap. 7. in fine ibi, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in art. mortis, atque ideo omnes sacerdotes, quoslibet pænitentes à quibusuis peccatis, & censuris absoluere possũt* cumq; generaliter hoc statuatur, succedit regula tex. in *l. de prætio ff. de publ. in rem act.* quod lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda, & consequenter non potest hæc obligatio cessare in casibus reseruatis, & remanere in censuris.

11 Quod si opponas ex *c. de cætero c. quod de his, & c. quamuis de sent. excom. iũcto c. eos eod. tit. in 6.* posset respõderi fuisse correcta per Trid. cit. cum posteriora derogẽt prioribus *l. diuus §. licet de l. codicill.* & si iterũ objcias ex *l. præcipimus in fine C. de appell. & l. sancimus C. de testam. cũ alijs apud Pras. de Franch. dec. 666. n. 4.* legũ correctionem esse euitandã, nisi expresse corrigãtur, respondeo prędictos tex. esse ad summum intelligendos in casibus, de quibus loquuntur, nempe in censuris inflictis pro violẽta manuum iniectione in clericum, vel monachum ad *tex. in c. si quis suadente 17. q. 4.* cum simil. & dato quod vellent latius, intelligi, non possunt extendi nisi ad casus similes, nempe ad alios deductos ad forum contentiosum, vt sunt illi expressi in dictis iuribus, quia vt plurimum adest in his interesse partium, quod non potest tuta conscientia, vel non vult Princeps remittere *c. licet de offic ordin. c. quoniam de offic. & potest. Ind. deleg. c. ad aures de rescript. l. digna vox C. de legib.*

12 Qui quidẽ intellectus accomodatur litteræ tex. d. cap. eos, quod videtur stringere plus alijs cit. vbi in fine legitur, videlicet, *& passis iniuriã, seu his, quibus propter hoc obligati existũt, satisfactionem exhibeant com. petentẽ*; quibus, vel alijs innixus *March. in Tribun. sacrã. to. 1. tr. 2. tit. 4. q. 7. concl. 3.* quem refert, sed non sequitur *Dia. p. 9. tr 6. res. 36.* dicit contrariam, & supra relatam priorem opinionem esse improbabilem, & repugnantem *Trid. cit.* & traditioni Ecclesiæ in qua (vt ibidem dicitur) semper hoc custoditum fuit. Blandius loquitur *Claud. Millard. in summa Paroch. de pæn. cap. 97. n. 10.* dicens probabilissimum esse, quod prior opinio cessarit post Trid. nec habere amplius locum, sequitur *Celest. in compend. Theol. mor. tr. 1. cap. 7. n. 3.* vbi dicit posse tuta conscientia amplecti, quando excommunicatio non est notoria, vel deducta ad forum cõtentiosum, sed omninò occulta, etiamsi sciatur à duobus, vel tribus; etenim si quis est inquisitus de hæresi in tribunali sanctæ inquisitionis, & in art. vel periculo mortis absoluitur, certum est quodsi sanus fiat, non euadit pœnam ex d. tribunali sibi inflictam, vel infligendam, coram quo sponte, vel coactè est præsentandus, & iterum absoluendus, & idem procedit in alijs casibus in quibus consideratur interesse partium, vt supra fuit dictũ, extra ergo hos casus sufficit absolutio in art. mortis tradita, etiam post euasum periculum, vt suprà etiam fuit dictum.

13 Accedat, quod licet in testamento requirãtur multę solemnitates notæ, vt in tit. de testam. ordin. alias nullum est: si tamen fiat à milite in conflictu belli, potest iste

absq;

absq; vlla solemnitate in vagina, aut clypeo literis sanguine suo rutilantibus validè testari *l.milites C.de testam. milit.* quod testamentum non solum valet, si moritur in conflictu, sed etiam post annum à die reditus ad propria *l.quod dicitur ff. de milit. testam.* si ergo hoc priuilegium datur militi pugnanti pro Imperatore terreno in conflictu euaso periculo, & elapso anno post missionem, rationabiliter dicendum est dari pro residuo vitæ, post euasum periculum pugnantibus in extremo vitæ pro Imperatore cælesti, cum suis, & humani generis hostibus, in absolutione à censuris iam sublatis in illo articulo, & conflictu; quia mitius agitur cum Deo, quam cum homine *extrauag. vnica de Iudæis & l.celsus ff. de arbitr.*

14 An autem clericus, vel laicus, deficiente sacerdote, possint à censuris absoluere moribundum? affirmatiuè respondent *Gl. in c.pastoralis §.præterea v.præterquam de offic. ordin. & in c.à nobis 2. §.vnde v. non potuerit de sentent. excom. Syl. v.absolutio 1. n.8. in fine Palud. in 4. dist.17. q.3.art.3.conclus. 3. Tabi. v.absolutio 3. n.8.* sed negatiuam opinionem tuetur alia *Gl.in c.capit v. perciperet 24. q. 1.* vbi ait, illud solum licere laicis, quod est eis à iure permissum, vt est baptismus in casu necessitatis *c.in necessitate de consecr. dist.4.* qua de re, cum non habeamus in iure talem permissionem, non est hoc gratis asserendum *Sotus in 4.sentent.dist. 18. q.4. art.1.* vbi ait laicum nullo in casu posse absoluere sacramentaliter, sequitur *Suar. disp.7. sect. 7. sub n.5.* licet autem P. *Dia. par.3. tract.4. resol.133. & par.5. tr.3.resol.77.* priorem sequatur opinionem, dicit tamen hic in fine, quod quamuis præfata opinio sit probabilis, *si tamen non sit vera non proderunt* absoluto huiusmodi, Ecclesiæ suffragia, & proinde consultius sit procurare post mortem absolutionem, ab eo, cui erat reseruata. Imò *Bonac.disp.1. hoc tit. pun.3. n.2.* ex multis asserit, neque diaconis hoc permitti, tum quia ipsi non possunt à peccatis absoluere, tum quia ita vsu receptum est, & in Tridènt. cit. fit solum mentio de sacerdotibus, hancq; esse communem sententiam omnium Theolo-

15 gorum, idem voluere antea *Nauar.in man. cap.26. nu.26. Regin. lib.9. n.9. Sayr. hoc tit. lib.2. cap.21. n.4.* vbi dicunt, quod si excommunicatus peteret absolutionem à laico in articulo mortis, adhoc ei prodesset, vt post mortem posset absolui ab excommunicatione, quia censeretur signa contritionis dedisse, quod prærequiritur in hoc casu argum. *c.sacris, & c.à nobis 2. de sentent. excom.* quo facto posset postea sepeliri in loco sacro, & sacrificia pro eo offerri

16 quæ aliàs non possent. *Henriq. autem in summa lib.13. cap.27. n.4.* ait, in casu prædicto posse in vtroque foro absoluere Vicarium Episcopi etiam simplicem Clericu, propter beneficium prædictum Ecclesiasticæ sepulturæ, & suffragiorum, sequitur *Sanch. in summa lib.2.cap.13.n.13.ex multis,* dicens, non esse necessariam aliam absolutionem ad ista peragenda, licet asserat opinionem negatiuam esse probabiliorem.

17 Posset tamen dubitari, quale vere dicatur periculum mortis: & ait *Gl. cit. v. præterquam*, non dici constitutum in periculo mortis in obsidione positum, vel trasfretare volentem, quia nullus trasfretaret, si intrando in mare, esset in periculo mortis, sed solum, quando imminet naufragium, & tunc licebit absoluere, vel si intret bellum campestre contra saracenos, vel aliàs iustum, & manifestum appareat mortis periculum, & addit *Syl. cit. nu.10.* non quamlibet mulierem prægnantem dici in tali periculo, sed solum quando imminet periculum probabile mortis. Vnde *Regin. lib.1. n.59. & lib.9. n.10.* ait, veram esse sententiam, periculum mortis vocari, non solum cum quis est morti proximus, sed etiam quando expositus est mortis periculo probabili, quod remittitur arbitrio prudentis viri; idem antea voluere *Couar. in c.alma mater par.1. §.11. n.8. Suar. to.4. alijque per multi in remissionibus. Trident.c.7. sess. 14. de casuum reseru. v. in artic. mortis.*

18 Quæ sententia rectè fundatur in iure communi, nam sacri canones promiscuè sumunt articulum, & periculum mortis in hac propria materia absolutionis à censuris *c.si quis suadente 17. q.4. ibi nisi mortis vrgente periculo, & in c.eos qui de sentent.excom.in 6.* vbi qui prius vocatur mortis articulus, postea dicitur periculum, vt etiam obseruat Couarr. citat. ex quibus tollitur dubium, quod nasci posset ex *Trident. in citat. c.7.* dum ibi hoc solum permittitur in articulo mortis.

19 Ad secundum quod attinet ad errorem, dictum est suprà *resol.20.nu.28. & 29.* quoad dolum autem patet responsio *ex c.officij de sentent. excom.* pro negatiua, vbi *Gl. v.su-*

v. subrepta sit, irritam esse absolutionem ex dolo extortam, quoad iudicium interius, non autem quo ad exterius, nisi cognita falsitate, vt subdit *Sayr. lib.2.cap.21.n.27.* Sed hodie neque quoad exterius *ex bulla vltima Alex.VII. emanata die 2. Octob.* 1665. *n.*14. in qua mandauit per confessionem voluntariè nullam non satisfieri praecepto Ecclesiae de annua cōfessione, & pro-
20 pterea, quando quis exponit Confessario se parti satisfecisse, vel non habere cōmoditatem satisfaciendi, aut remisisse iniuriam, aut velle obedire Ecclesiae, & haec vera non sunt, licet absolutionem obtineat, nulla est, quia deficit intentio absoluentis *Syl. v.absolutio* 1. *n.* 13. *Sayr. citat.* vbi multis authoritatibus hoc probat, *Bonac. disp.* 1. *q.* 3. *pun.*8.*n.*2.*ex Suar. Regin.* & alijs. Si
21 verò per vim, vel metum cadētem in constantem virum sit extorta, non solum est inualida absolutio, sed alia excommunicatio contrahitur ab eo, qui vim, vel metum intulit *c.vnico de ijs,quae vi metusue causa fiunt*
22 *in 6.*(*vbi Gl.v. excommunicationis notat*, excommunicatum, amplius excommunicari, quod etiam habetur. *in c. Engelrudam 3.q. 4. & c. ita quorundam de iudaeis*) Henriq. *lib.* 13. *cap.* 30. *Coninc. to.*2. *disp.*13.*dub.*5.*n.*36. *Filliuc.tract.*11. *cap.*10. *q.*5.*n.*321. *Sayr.,qui caeteros refert lib.* 2. *cap.*21. *n.*30., quod procedit etiam, si vis, vel metus fuerint incussi ab alio, vt notat *Bonac.de Censur.disp.*1.*q.*3. *pun.*8. *sub.n.*5., si tamen ipse absolutus hoc fieri mandauit, vel ratum habuit, quod fuit sub eius nomine factum, vt docet *Gl. dicto v. excommunicationis ex c. sciant cuncti de elect. & c.cum quis de sentent.excom.in 6.*

Ad vltimum respondetur, loquendo in foro fori, non reperiri in Iure praescriptam certam formam absolutionis à Cen-
23 suris, & propterea posse fieri quibuscumque verbis, ore, vel scripto prolatis, dummodo adsit intentio absoluendi v.g. absoluo te à Censuris, vel Censura, vel eas relaxo, vel te benedico, aut alijs aequipollētibus *Syl.v.absolutio 6.n.2. Nauar.in man. cap. 26.n.9. Filliuc.tract.11.cap.10.n.328.,Bonac. loco citat.v.n. 5.n.1. vbi n.5.* rectè addit non posse hoc fieri nutu, vel signis, nisi, à Summo Pontifice, sed nec ab ipso, nisi ex signis cognoscatur velle excommunicatum pro absoluto haberi, vide *Clem.fin.de sent.excomm.* (intentionem autem absoluendi in absoluēte in foro exteriori, ego pro certo teneo nō requiri, cum Ecclesia non iudicet de interni*s c. erubescant 32. dist.*) Sed in foro poli, quamuis seruandus sit ordo à Pontificali Romano praescriptus, absoluendo primo à Censuris, & postea à peccatis, sufficere ta-
24 men pro valida absolutione ab vtrisque eadem, & sola verba (ego te absoluo,) si intentio absoluentis referatur ad vtraque; huncque modum esse seruandum, quando paenitens est ita morti proximus, vt deficiat tempus ad tribuendam vtramque absolutionem, docent *Suar.hoc tit. disp.* 10 *sect.* 2. *n.*7. *Filliuc. tract.*12.*cap.*3.*post. n.*63. *Bonac. cit. n.*3. & dictum est supra *v.Absoluere in princ.*

Vtrum possit vna Censura auferri, alia remanente; an extra Confessionem; & an,& quando possit quis ab illis absolui sub conditione, vel ad cautelam, seù cum reincidentia, vel antequam parti satisfactum sit?

SVMMARIVM.

1 *Absolutio potest dari de vna Censura remanente alia, vel alys in foro exteriori, non autem in interiori, sed an extra confessionem, & quid si tollendae sint virtute Iubilaei? n.* 2.

3 *Conditio de praeterito quae sit, quae de praesenti, & quae de futuro?*

4 *Absoluens sub conditione de futuro à censuris, vel de praeterito, aut praesenti, non peccat, & valida est Absolutio: peccat tamen si conditio sit impertinens, aut inhonesta, & n.*6.

5 *Corelatiuorum eadem est dispositio, sicut, & contrariorum.*

7 *Absolutio ad cautelam quibus in casibus, & à quo Iudice impartiri possit, an in foro exteriori, vel etiam interiori, & an parte contradicente? Item cum reincidentia quibus in casibus dari possit? n.* 8.

9 *Absolutus cum promissione de satisfaciendo parti laesae infra certum tempus, an elapso tempore, & satisfactione non secuta reincidat in Censuram, qua erat irretitus absque noua declaratione?*

10 *Res semel extincta amplius reuiuiscere non potest.*

11 *Ratio nequit assignari de omnibus, quae in Iure sunt decisa.*

12 *Absolutio data excommunicato ante partis satis-*

satisfactionem, an, & quando sit nulla, tam si sit data à Iudice ordinario, quàm à delegato? & n.13. & 15.
14 *Ablatiui absoluti resoluuntur in conditionem.*
16 *Absolutio data contra legem prohibentem, est nulla, verum contra ius litigatoris est val:da, sed iniusta.*
17 *Sententia excommunicationis siuè iusta, siuè iniusta timenda est, secus si nulla & n.18.*

Resolutio XXIII.

1 AD primum respondetur, si loquimur in foro exteriori, posse, quia sicut potuit quis ligari noua excommunicatione, non obstante alia, vel alijs, quibus irretitus erat, ita ex contrario solui, contrariorum enim eadem est disciplina *instit. de ys qui sunt sui vel alien. Iur. in princ. Sayr. lib.2. cap.21.n.24.* etenim si Petrus sit excommunicatus, vti concubinarius, item quia iussus soluere Titio, quod debet sub pœna excommunicationis, & non obediendo, fuit declaratus excommunicatus, potest ab vna liberari, altera remanente, quia nulla est inter eas annexio, sed sunt sicuti pœnæ exteriores, ex quibus vna, vel plures sine alijs auferri possunt *Filliuc. tract. 11. cap.10.n.327. Coninc. disp.14. dub.16. n.221.* Sed in foro interiori nequit tolli vna sinè alia, & propterea monet *Regin. lib.9. n.49. ex Palud. in 4. dist.18.q.5.art.3.cõclus.2. Sayr. & alys*, non posse hoc fieri per Sacramentalem absolutionem, quia non potest in hoc foro tolli vnum peccatum mortale sinè alijs *D. Tho. 3. p. q. 86. art.3.*

2 Quando autem absoluitur quis ab omnibus, vel à sola vna, qua erat ligatus, posse fieri tam in confessione, quam extra eam non dubitatur; imò tutius hoc esse in praxi affirmat *Coninc. citat. sub n.253.* quia sicut extra confessionem ligari potest, & de facto ligatur, ita, & absoluitur *Sanch. lib.8. de Matrim. disp. 15. n.25. & disp. 34. n.30.* Sed si absolutio esset tribuenda ex Iubilæo negat extra confessionem *Nauar. in man. cap.26. n.31.* quod neque admittunt DD. citati, sed opinionem Nauarri, sequitur *Filliuc. tract.11. cap.9. n.294. ex Suar. to.5. de Censur. disp.7. sect.5. n.38. & alys* maximè si iuxta Suar. dicatur in Iubilæo auditis cõfessionibus eorũ, contrariũ docẽt DD. *apud Dia. par.1. tr.11. ref.25. & par.5. tr.9. resol. 13. propterea vtraq; opinio redditur probabilis.*

3 Ad secundum præmitto Tyronum gratia triplicem esse conditionem, vel de futuro, quæ suspendit actum, donec purificetur *§. sub conditione instit. de inutil. stipul;* vel de præterito, aut præsenti; & istæ, si sunt veræ, statim validant actum, & si falsæ, statim infirmant, v.g. si Titius fuit Episcopus, vel si Caius viuit *§. conditiones eodem tit.* prima dicitur propriè conditio: secunda, & tertia impropriè *Syl. v. absolutio 3. n.1.* His positis

4 nemo dubitat absolutionem secundò, vel tertio modo tributam valere; imò ita impartiri solere, & debere præcipuè in casu dubij, pro vt in praxi ex Pontificali Romano (Absoluo te, & cæt. in quantum possum, & tu indiges, idest si possum: vel de præterito, si satisfecisti parti læsæ *Henriq. lib. 13. cap.29. n.4.* sicut solet fieri etiam in baptismo, quando dubitatur de validate prioris, nempè, si non es baptizatus, ego te baptizo, vt omnes sciunt. De absolutione verò priori modo tributa *Syl. cit. Angel. V. absolutio 3. in princip. Tabie. eodem V. 3. in principio* dicunt inualidam esse, sed nullo iure suffulti, affirmatiuam proprerea partem, quę verissima est, docent *Couarr. in c. alma mater par.1. §.11. n.6. de sentent. excom. in 6. Suar. to.5. hoc tit. disp.7. sect. 8. n. 7.* vbi hoc verissimum asserit in absolutione a Censuris in foro exteriori, non autem à peccatis, ex rationibus apud eum, *Regin. autem lib.9. n.52. Henriq. d. n.4.* & alij, valere absolutionem non negant, sed peccare taliter absoluentem, quod neque verum puto, quia dum potest excommunicatio ferri sub conditione de futuro *c. preterea 40. de appell.*, licet regulariter nequeat *c. Romana §. caueant de sentent. excom. in 6.*, eodem modo dicẽdum est posse absolutionem tribui, quod

5 enim disponitur in vno de cõtrarijs, vel correlatiuis, disponitur in altero *l. 1. ff. de ijs qui sunt sui vel alie. Iur. l. vnica C. de Cupress. lib. 11. D. Tho. in 4. dist.32. qu.1. ar.3. ex Apost. 1. Corinth. 7.*

Imò regulariter quando quis absoluitur in articulo, vel periculo mortis, semper fit sub cõdi ione de futuro tacita, vel expressa, veluti si parti satisfecerit, vel Romam se contulerit, quando excommunicationis causa hoc requirit, casu quò conualuerit *Sayr. ex Hugol. & alys d. cap. 16. n. 4. in fine*, & licet eo casu absolutio statim valeat; si tamen, cum possit adimpleri conditio, non adimpleatur, reincidit taliter absolutus in censuram *c. ea noscitur de sentent. excom. & c. eos qui eodem tit. in 6.* Sed de hoc dixi late in

in priori resol. cum quadam distinctione
6 vbi videas. Erit tamen peccatum si absolvens apposuit conditionem impertinẽtem, veluti si Titius habiturus sit dentes, vel si ad plateam ierit, & huiusmodi,& fortius si conditionem inhonestam, quia abutitur Ecclesiastica potestate,& propterea hoc extenditur ad conditionem de prętérito, vel de præsenti *Coninc. hoc tit. disp.* 13. *dub.* 2. *n.* 17. *in fine Sayr. cit.& nos supra resol.* 1. *n.* 5.
7 Ad cautelam etiam potest, imò solet dari absolutio à Censuris,quod fit,quãdo dubitatur, an quis contraxerit, vel nè Censuram aliquam, vel quando prętenditur eam esse inualidam, tunc ad maiorem consciẽtiæ tranquillitatem datur absolutio ad cautelam, id est quatenus pænitens ea indiget; de qua absolutione loquuntur Pontifices *in c. per tuas* §. *nos igitur c.venerabili de sent. excom.c.ad præsentiam de appell. & c. veniens de testib. Suar. cit nu.* 13. *& seq. Coninc. disp.* 14. *dub.* 16. *n.*20. *late Sayr. hoc tit. vbi cæteri lib.*2.*c.*17.*per totum* quã absolutionem ne quidẽ in foro exteriori extra casum manifestę offensæ Iudex denegare debet,quamuis parte contradicente *c. solet de sentent. excom.in* 6.licet in Iudice appellationis hoc arbitrarium esse putauerint aliqui apud *Sayr. cit. n.* 18. cum quibus ipse pertransit.
8 Similiter impartiri solet absolutio cum reincidentia, veluti cum quis debet in aliqua causa testimonium ferre (quod non conceditur excommunicatis,) absoluitur donec deposuerit, in eandem excommunicationem,expleto illo actu absque noua declaratione, immediatè recasurus *c. veniens in fine* 38.*de testib. Suar. dicta sect.*8. *nu.*17. Secundo, quando quis in articulo mortis absoluitur à Censuris Pontifici,vel Episcopo reseruatis,tunc si conualescens,cum primum commodè potest,apud eos se præsentare contempserit,eorum mandatum suscepturus, & executurus, in eandem Censuram reincidit *dicto c.eos qui de sentent.excom. in* 6. *Nauar.in man.cap.* 27. *num.*46.*vbi* addit sufficere mittere Procuratorem,quando Censura est reseruata Põtifici,de quibus tamẽ dictũ est inpriori resol. vbi me remitto.
9 Quod si quis fuerit absolutus sub cautione recepta de satisfaciẽdo intra certum tẽpus, non propterea excommunicationem incurret, licet elapso tempore non adimpleat *c.ad reprimendam in fine de offic.Ordin.* vbi legitur, debere iterum excommunicari *Regin. lib.*9.*n.*54. *Sayr. d.lib.* 2.*cap.* 18.*n.* 25. *ex Panorm. Couar. & alys*, sed non placet ratio per ipsum tradita, quia scilicet, dum semel est extincta excommunicatio, non potest amplius reuiuiscere *ex l. qui res* §. *aream ff. de Solut.* hoc enim etiam procederet in casibus antecedentibus, in quibus etiã ipse concedit reincidentiam absq; alia
10 declaratione, *& I.C.Paulus in dicto* §.*aream* loquitur de obligationibus extinctis in perpetuum, quæ non reuiuiscunt; dicamus ergo, quod si de vera ratione differentiæ in-
11 ter hunc, & alios casus non constat, non omnium,quæ in Iure decisa sunt, ratio reddi potest, verba sunt *Iuliani in l.non omnium ff. de legib.*
12 Ad vltimum respondetur cum distinctione, etenim, si pars, quæ debet satisfacere, non potest,vel cum magno incommodo,valet absolutio, quia impossibilium nulla est obligatio *l. impossibilium ff. de regul. Iur. & l. impossibilis de verb. obligat.* sed sufficiet in vtroque foro cautio iuratoria de satisfaciendo ad meliorem fortunam, si verò potest satisfacere, & tamen fuit de facto
13 absolutus, & si loquimur in Iudice delegato cum clausula irritante ante partis satisfactionem, nulla est absolutio ex defectũ potestatis; Si verò dictum sit (satisfacta parte), & similiter est nulla, non præmissa satisfactione possibili *Syl. v. excommunicatio* 10. *n.*6. *Henriq.lib.*13.*cap.*28.*n.* 1. *& lit.b. ex Armill. Tabi. & alys.* Contrariam opinionem existimat probabiliorem *Bonac. hoc tit. disp.* 1.*q.*3.*pun.*9.*sub n.*3. *ex Sanch. lib.*3. *de matrim.disp.*33. sed falluntur, quia verba
14 prædicta sunt ablatiui absoluti, quæ resoluuntur in conditionem,vt ait *Henriq.cit.*sed probatur in *l.à Testatore, de condit.& demonstrat.& docent cõmuniter DD. in Rubr. ff. sol. matrim.*, modo certum est, conditionem de futuro, vt est ista, nullum producere effectum, nisi purificetur *l. non omnis ff. si cert. petat.* ergo absolutio tributa ante partis satisfactionem nulla est.
15 Si verò loquimur in Iudice ordinario, semper est valida absolutio *Syl. citat v. absolutio* 3.*n.*3. *in fine Henriq. vbi supra n.* 3. *Coninc. disp.* 16. *num.* 205. *Bonac. citat. n.*1., omnes tamen fatentur, absoluentem ante partis competentem satisfactionem possibilem, grauiter peccare. Sed quæri potest, quare in his casibus absolutio valida est,& quando datur a Censuris Pontifici,vel Episcopo reseruatis,nulla, vt pluries supra dictũ est? respondetur, aliud esse sententiam iniu-

iniuſtam, aliud nullam, primo caſu dicitur contra ius litigatoris, ſeù partis, & valet, licet ab ea detur iuſta appellatio inforo exteriori, & in interiori abſoluens etiam peccet; ſecundo caſu eſt contra ius conſtitutionis, & non valet *c. cum inter §. fin. de ſentent. & re iudic. l. 1. §. item cum contra ff. quæ ſentēt. ſinè appell. reſcind.* ſed ſic eſt quod quando tribuitur abſolutio à Cenſuris, & caſibus reſeruatis (extra tamen mortis articulum) eſt contra legem prohibentē, ſcilicet *Trident. de pænit. ſeſſ. 14. cap. 7.* non ſic quādo tribuitur ante partis ſatisfactionem, ſeù contra ius litigatoris, vt in citat. iur. & ſpecialius *in c. venerabilibus §. ſanè verſic. ubi autem de ſentent. excom. in 6. ergo.*

17 Ex eadem ratione excommunicatio, ſeù alia Cenſura iniuſtè prolata valet, & propterea dixit *Gregor. in cap. 1. 11. q. 3. ſiue iuſtam, ſiuè iniuſtam, timendam eſſe*, quia ſolum eſt contra Ius litigatoris, ſecus verò quando eſſet contra ius conſtitutionis, & & conſequenter nulla, quæ nullum parit effectum, quia non entium nullæ ſunt partes *l. eius qui in Prouincia ff. ſi cert. pet.* niſi quod in publico taliter excommunicatus non debet prodire, vſquequo Populus

18 certioretur de nullitate ad tollendum ſcādalum; in foro autem interiori, non ſolum non eſt Cenſura aliqua ligatus, ſed neque tenetur abſtinere à Diuinis, vt docēt omnes *ex Gl. in c. ſolet v. in officijs de ſenteut. excom. in 6. & præcipuè Nauar. in c. penult. de ſentētia excom. & in man. c. 27. n. 3. in fine Couar. in c. alma mater par. 1. §. 7. n. 7. verſic. cæterum eod. tit. in 6. Sayr. vbi DD. caterua lib. 1. de Cenſur. c. 16. n. 42. vſq. ad finē, & nos etiam ſupra reſol. 17.*

CIRCVMSTANTIA.

Agitur de Circumſtantijs in genere, & in ſpeciè, & de illarum numero cum concordantijs inter morales, & delictorum.

SVMMARIVM.

1 *Circumſtantiæ definitio.*

2 *Homo ab anima rationali habet ſpeciem ſubſtantialem, ab albedine accidentalem.*

3 *Circumſtantia, vt accidens tribuit actioni humanæ ſpeciem accidentalem, ſed eſt extra eius ſubſtantiam, In genere attingit aliquo modo actum, ſed extrinſecè, nam ſi intrinſecè non dicitur amplius circumſtantia, ſed ipſa ſubſtantia n. 4.*

5 *Subſtantia eſt qualitate fortior, ſed aliquando iſta eſt fortior illa.*

6 *Minoris contractus regulariter eſt nullus; ſed ſuſtentatur iuramento.*

7 *Circumſtantiæ peccatorum ſunt aliquid quodammodo diſtinctum ab actibus eorum, ſunt veluti veſtes, & accidentia, quæ circumſtant actus noſtros. n. 8. Earum numerus eſt ſeptenarius, tam in foro conſcientiæ, quam exteriori, ſed an, & quando augeant, vel minuant delictum? n. 9.*

10 *Circumſtantiæ peccatorum declarantur. ſigillatim; ſed quæ ſint in confeſſione explicandæ, vel omittendæ? Item quomodo conueniant; vel differant à circumſtantijs delictorum n. 11.*

12 *Circumſtantia quantitatis, an ſit in confeſſione explicanda? & num. 13.*

14 *Animus delinquentis dignoſcitur ex armis, cùm quibus deliquit.*

Reſolutio XXIV.

1 Circumſtantia eſt accidens indiuiduale actuum humanorum ita ex *Ariſtot. in 3. Ethic. D. Tho. 1. 2. q. 7. art. 1. in corp.* vbi pro maiori declaratione ſubdit inferius videlicet, *dicitur autem in localibus aliquid circumſtare, quod eſt quidem extrinſecum à re, tamen attingit ipſam, vel appropinquat ei ſecundum locum, & ideo quæcumque conditiones ſunt extra ſubſtantiam actus, & tamē attingunt aliquo modo actum humanum, circumſtantiæ dicuntur*, quam doctrinam communiter fuiſſe receptam teſtantur *Syl. v. circumſtantia n. 1. Tabi. eodem v. & n. Na-*

2 *nar. in man. cap. 6. nu. 1.* Sicut ergo addit *Lelius Zecch. in ſua ſumma ſub eodem v. n. 3.* homo ab anima rationali habet ſpeciem ſubſtantialem, ab albedine accidentalem;

3 ita circumſtantia, vt accidens tribuit actioni humanæ ſpeciem accidentalem, & conſequenter, ſicut albedo attingit hominem, ſed eſt extra ſubſtantiam hominis, ita circumſtantia attingit actionem humanam, ſed eſt extra ſubſtantiam eius.

4 Quod autem diximus circumſtantiam attingere aliquo modo actum, eſt intelligendum extrinſecè, vt docet idem ſanctus citat. nam ſi daretur circumſtantiam attingere ſubſtantiam actus, non iam diceretur amplius circumſtantia, ſed ipſa ſubſtantia, vt docet *Grat. diſcept. for. diſcept. 509. n. 27.*

n.27. ex *Menoch. consil.35. lib.1. n.35.* quod
5 exemplis clarius inferius patebit. Sed quamuis substātiæ sint fortiores qualitatibus, seù circumstantijs, aliquando tamen istæ sunt fortiores illis, vt quando substantia sustentatur à qualitate, seù circumstantia, iuxta theoricam *Bal. in l. sub prætextu n.4. C. de hæredit. act.* qui hoc exemplificat
6 per *auth. sacramenta puberum C. si aduersus vendit.* vbi contractus minoris, qui potest dici substantia in hac materia, non valet, sed sustentatur iuramento, si ibi apponatur, quod potest dici qualitas, seù circumstantia, vt docet Bal. ibidem.

Hæc quoad circumstantiam in genere, sed descendendo in specie ad circumstantias peccatorum, de quibus loquimur, ait *Bonac. to. 1. disp.5. q.5. sect.2. pun.2. §.3. diffic.3. n.1. de pænit. ex Angelo & alijs,* quod sicut accidens est distinctum ab eo, cuius est accidens, ita circumstantia peccati, est
7 aliquid quodammodo distinctum ab actu peccati, cuius est circumstantia E.G. furtum est substantia, seù principalis actio peccati, sed si fit in Ecclesia, transit in sacrilegium: hæc ergo qualitas adiuncta simplici furto, est circumstantia, quam patet esse aliquod extra substantiam actus furti. Item copula cum fœmina, est substantia actus peccati lasciuiæ, sed si fiat cum moniali, hæc circumstantia, quæ facit transire copulam in sacrilegium, est quid extra substantiam actus copulæ, quamuis attingat extrinsecè, & circumstet actum copulæ; idem dicitur si fæmina esset coniugata, vel virgo, vel consanguinea, quia adderetur substantiæ actus fornicationis, quæ principaliter intenditur ab agente, circumstantia adulterij, vel stupri, vel incestus; itaque non immerito addit pro maiori de-
8 claratione *Bar. à S. Fausto in sua morali theol. lib.4. q.76.* circumstantias esse veluti vestes, & accidentia, quæ circumstant actus nostros, sed non pertinent ad substantiam ipsorum.
9 Ad secundum respondetur, omnes circumstantias ad septem reduci, vt docet *ex Arist. loco cit. & Tullio in sua Rhetorica idem sanctus, vbi sup. art.3. in corp.* quem omnes, neminè excepto, secuti fuere, & hoc versu clauduntur.

Quis, quid, vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando.
10 Quarum explicationem ipse ibidem breuiter tradit, sed pro maiori declaratione dicitur (quis,) an scilicet solutus, vel coniugatus, cōsanguineus, vel affinis, priuatus, an constitutus in dignitate, habens votū castitatis simplex, aut solemne religionis siue in sacris ordinibus inclusum, idē in fæmina si virgo, aut corrupta esset, & similia (quid) id est homicidium, an furtum, simplicia, vel qualificata (vbi) quo scilicet loco, publico, an priuato, profano, aut sacro (quibus auxilijs,) cum quibus scilicet instrumentis, vel cum socijs, quos ad malum perduxit (cur) si furtum commisit, an propter explendam lasciuiam, vel ad aliū finem (quomodo,) id est num insidiosè, vel cum sæuitia deliquerit; & tandem (quando) num scilicet in die Paschatis, vel alio die non festiuo, an de die, vel de nocte, tempore orationi constituto, vel in die ieiunij, quæ circumstantiæ an sint de necessitate in confessione explicandæ, vel ad maiorem perfectionem, aut omittendæ dicetur in resol. sequentib. Eodem ferè modo istas numerauit *D. August. in lib. de vera, & falsa pænit. cap.14. ex quo Grat. eas transtulit in c. consideret de pænit. dist.5.* nonnulla etiam ad materiam traduntur in *c. sicut dignum 6. de homic.*

11 Lex quoque ciuilis septem circumstantias in criminibus quoad forum exteriorē considerandas esse statuit in *l. aut facta ff. de pæn.* nempe causam, personam, locum, tempus, qualitatem, quantitatem, euentum, & primo causam, si scilicet verbera fuerunt illata à magistro, vel Patre in discipulum, vel filium propter instructionē, aut in alium ad alium finem, quia primo casu sunt impunita; secundo verò minimè, quæ circumstantia concordat cum quinta morali supra exposita. Secundo personam tam agentis, quam patientis, & hæc concordat cum prima; tertio locum, & hæc concordat cum tertia; quarto tempus, & hæc concordat cum septima; quinto qualitatem, & hæc concordat cum secunda, &
12 sexta. Quantitatem autem, quæ est sexta legalis D. Tho. non posuit, quia iuxta eum cum saniori sententia, vt infra, non tenetur pœnitens de illa confiteri, cum non diuersificet speciem, nam si quis furatus
13 est decem, vel mille, sufficit se accusare de furto in quantitate notabili, licet acrius puniendus sit (remissa culpa) in purgatorio pro furto magno, quam paruo; Ius autem ciuile durius punit furtum magnum, quam paruum dicta *l. aut facta §. quantitas,*

&

& ita in dies deciſum videmus, vt teſtãtur
Sanfel. deciſ.35. & alij ſeptimò euentum,
& hæc tam in *l.eis. §.euentum*, quam in *l.1.*
14 *§.diuus ad l.Cornel. de Sicar.* explicatur per
animum, quo quis deliquit, qui dignoſci-
tur ex armis, cum quibus fuit facta per-
cuſſio, an claui, vel gladio, & propterea
ſecundum D. Tho. vbi ſupra concordat
cum quarta.

Quot ſint genera delictorum, & peccatorum cum ſpeciebus circumſtantiarum.

SVMMARIVM.

1 *Delicta omnia committi poſſibilia ad quatuor genera reducuntur, & in eorum ſingulis ſeptem circumſtantiæ conſiderantur & num.2.*

3 *Circumſtantiarum omnium ſpecies, ſunt quatuor: Impertinentes quæ ſint, & nùm eas oporteat in confeſſione exprimere? n.4.*

5 *Furtum nocturnum ſeuerius punitur, quàm diurnum.*

6 *Circumſtantia temporis an ſit de neceſsitate in confeſsione exprimenda? Peccati commiſſi contra duplex præceptum, quando ſit confitenda, & quando non? n.7. & 8. Durationis tẽporis in aliquo peccato non eſt de neceſſitate exprimenda n.9. & 10. Extenuantes in triplici ſunt differentia n.11. & an ſint neceſſario in cõfeſſione explicandæ n.14.*

12 *Peccatum commiſſum ex ſollicitatione mulieris, vel propter nimiam eius pulchritudinem extenuatur, ſicuti ex alijs cauſis.*

13 *Homicidium ad propriam defenſionem cum moderamine inculpatæ tutelæ, quando aliàs non poterat effugi vitæ periculum, eſt impunibile in vtroque foro.*

15 *Mortale, quando ex circumſtantia tranſit in veniale, eſt iſta in confeſſione aperiẽda.*

Reſolutio XXV.

1 AD primum omnia delicta committi
poſſibilia ad quatuor genera redu-
cuntur, & in eorum ſingulis omnes ſep-
tem circumſtantiæ in priori reſol. relatæ
conſiderandæ ſunt; aut enim puniuntur
facta, vt furta, cædes, &c. aut dicta, vt
conuicia, ſeù iniuriæ; aut ſcripta, vt falſa,
& famoſi libelli, aut conſilia, ſi ſunt
fraudulenta *l.aut facta & ibi Gl. v.conſilia*
ff. de pœnis ex l.Conſilij de regul. iur. Eodem
2 ergo fere modo, quo delinqui poteſt in
foro exteriori, poteſt etiam in interiori,
& eiſdem circumſtantijs in ſingulis pecca-
tis; & licet ibi non puniantur cogitationes
internæ *l.cogitationis ff. de pœn.* hic verò ſic,
hoc eſt, quia legiſlator terrenus eas igno-
3 rat, ſecus verò cæleſtis. Quæ quidem
circumſtantiæ pro maiori declaratione ſub
quatuor ſpeciebus concluduntur *Nauar. in
c.1. n.5. de pænit. diſt.5. & in man. c.6. nu.3.
ex D.Tho. in 4. diſt.16. q.3. art.2. q.5. &
poſt eum Bonac. de pœnit. diſp.5. q.5. ſect.2.
pun.2. §.3. diffic.3. n.2. & alij.*

Prima ſpecies eſt circumſtantiarum im-
pertinentium, ſecunda extenuantium, ter-
tia aggrauantium notabiliter, quarta mu-
tantium ſpeciem, ſeù aggrauantium in in-
4 finitum, de quibus agitur etiam in ſeq.
reſol. exemplum primæ eſt, quando quis
furtum, vel homicidium patrauit, ſi in die
mercurij, vel iouis, menſe Auguſti, vel
Septembris, ante prandium, vel poſtea,
dicitur enim impertinens, vt de articulis
impertinentibus dixit *Præſes de Franchis
deciſ. 220. n.11. ex Bar. in l.ſi duo patroni
§.idem Iulianus de iureiur. Bal. Paulo de ca-
ſtr. Alex. & alijs*, eſſe illos, qui non perti-
nent ad cauſam, & propterea non augere
nec minuere delictum in foro exteriori ſe-
5 cundum prædictos (quamuis furtum no-
cturnum aliquando duriùs, quàm diurnũ
puniatur *l.fin. ff. de effract.*) nec in inte-
riori ſecundum *Nauar. d. c.6. poſt num.3.
verſic. ex prædictis. Tol. lib.3. cap.7. in fine
6 Bonac. citat. & alios.* Et conſequenter non
eſt iſta prima ſpecies de neceſſitate expri-
menda in confeſſione, etiamſi peccatum
fuiſſet patratum in die iouis Sancti, vel Pa-
ſchatis, aut eadem die confeſſionis, &
communionis, licet hoc vltimo caſu cir-
cumſtantia ſit aggrauans intra eandem
ſpeciem, ſed non eam mutans *Nauar. citat.
n.10. ex D.Tho. in 3. ſentent. diſt.37. art.5.*
niſi peccatum fuiſſet commiſſum in con-
temptum diei feſti, (vel eodem die feſto
fieret opus manuale, ſeu ſeruile, & cor-
porale, quo caſu vnum tantum, ſed mor-
tale committeretur, quia actus non habet
aliam deformitatem *Vaſq. par.3. to.4. q.91.
art.1. dub.4. n.24. Nugnus in addit. ad 3. par.
to.4. q.9. art. 2. dub.3. Henriq. lib.6. c.6. n.6.
Dia. par.1. tract.7. reſol.32. & par.11. tr.8.
reſol. 59. rationem tradit Suar. to.4. diſp.22.
ſect. 4. n.21.* quia ſcilicet ſolum in decalo-

go, & ab Eccleſia prohibetur opus ſerui-
le corporale, non opus ſeruile ſpirituale,
quale eſt peccatum per præceptum ſepa-
ratum, ſequitur *Dia. d. reſol. 32.*)

7 Cuius occaſione notat *Suar. ibidem n. 22.*
quod ſi eodem die ſit ieiunandum, vel ſa-
ctum audiendum ex duplici obligatione,
non committuntur duo peccata, ſi ieiuniũ,
vel ſacrum omittatur, puta ſi in die Do-
minico concurrit aliud feſtum de præce-
pto; vel in vigilia alicuius Apoſtoli con-
currunt quatuor tempora, & conſequen-
ter, nec eſt talis circumſtantia de neceſſi-
tate explicanda, quia non ſunt peccata,
differentia ſpecie, nec numero; ſecus au-
tem ſi tales obligationes eſſent diuerſa-
rum rationum, ex voto ſcilicet vna, & ex
8 præcepto Eccleſiæ altera; ſed *Nauar. in*
man. cap. 11. nu. 4. voluit in vtroque caſu
duo eſſe peccata, & ſucceſſiue eſſe talem
circumſtantiam de neceſſitate explicandã
ſequitur *Regin. to. 1. lib. 6. c. 4. n. 129.* Verum
opinionem *Suar. amplexi fuere Vaſq. par. 3.*
to. 4. q. 91. art. 1. dub. 4. nu. 9. Henriq. lib. 5.
cap. 5. n. 6. lit. b. Sanch. de matrim. lib. 9. to. 3.
diſp 15. n. 6. ex eadem ratione, quia tranſ-
gredi illa præcepta, vnica eſt malitia, &
hanc opinionem eſſe magis in praxi rece-
ptam teſtantur multi apud *Dia. par. 1. tr. 7.*
reſol. 22. Quando ergo vna obligatio eſſet
ex voto, alia ex præcepto, vt diximus,
duplex peccatum committitur, idem *Vaſq.*
par. 2. to. 2. q. 72. art. 6. diſp. 98. nu. 8. & 9.
Dia. par. 1. tract. 9. reſol. 16. Bart. à S. Fau-
ſto lib. 4. q. 136. de qua materia vide etiã in-
fra reſ. 27. vbi latius.

9 Item circumſtantia durationis temporis,
non eſt de neceſſitate exprimenda, quia
non addit malitiam ſpecie diuerſam, &
conſequenter ſi quis per integram noctem
dormiuit cum fœmina, ſufficit explicare
numerum copularum, non autem tempo-
tis durationem *DD. apud Bonac. to. 1. de pæ-*
nit. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. pun. 2. §. 3. diffic. 3.
n. 28. & apud Dia. par. 1. tract. 7. reſol. 39.
10 *& par. 5. tr. 14. reſol. 10.* & licet meretrices,
concubinarij, & alij, qui per longum tem-
pus ſteterunt in peccatis, teneantur ex-
primere tempus, per quod permanſerunt
in illo malo ſtatu; hoc tamen non eſt, quia
circumſtantia durationis temporis ſit ne-
ceſſaria, ſed quia, cum non recordentur
numeri peccatorum, ex temporis quanti-
tate, deuenitur ad cognitionem numeri eo-
rũ *Nauar. in c. conſideret de pænit. diſt. 5. & in*
man. c. 6. n. 15. ex Caiet. to. 1. opuſc. opuſc. 18.
oportet autem vt meretrices, & concubi-
narij exprimant etiam perſonarum ſtatus,
cum quibus peccarunt, ſi moniales, vel
monachi, ſoluti, vel coniugati, virgines, vel
conſanguinei, & maximè ſi peccatum con-
tra naturã *Fagund. præc. 2. lib. 3. c. 4. n. 11. in*
fine Dia. qui multos refert par. 5. tr. 4. reſol. 89.

11 Secundam ſpeciem, quæ eſt extenuan-
tium, in triplici differentia eſſe dicit *Bar.*
à S. Fauſto lib. 4. q. 67. quod vel extenuãt pa-
rum, quando quis fornicatus fuit per ſol-
12 licitationem mulieris, vel nimia eius pul-
chritudine, vt Dauid cum Berſabæa, vel
ex magna inſtigatione dæmonis, aut per-
ſuaſione amicorum; vel extenuant multũ,
vt ſi mulier conſentit adulterio fame, vel
vi compulſa, vel ſi quis occidit hominem
calore iracundiæ, vel ad tollendam iniu-
riam, vel tandem extenuant in totum in
foro exteriori, & in interiori, vt eſt ho-
micidium cum moderamine inculpatæ tu-
telæ, quando aliàs non poterat quis eua-
dere periculum vitę propriæ *l. vt vim ff. de*
iuſt. & iure, & propterea irregularitas non
cõtrahitur *Clem. ſi furioſus de homic. quamuis*
autem in Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de reform. dica-
tur committi ordinario diſpenſationem, *in*
remiſſionibus tamen eiuſdẽ Concilij v. vel vim
vi repellendo dicunt DD. Concilium loqui de
homicida, qui ſe defendendo exceſſit mo-
deramen inculpatæ tutelæ, vel come-
ſtio carnium in die veneris, aut Sabati in
infirmis, vel furtum modicæ quantitatis
in neceſſitate, & ſimilium.

Quod autem attinet ad primas, & ſecũ-
das circumſtantias huius ſecundæ ſpeciei,
licet crimina minuantur vt in *c. ſignificauit*
de pænit. & remiſſ. & l ſi adulteriũ §. Impera-
tores ad l. Iul. de adult. attamẽ, quia extenua-
14 tio non eſt talis, vt de mortali tranſeat in
veniale, eſt in pœnitentis arbitrio, ſi vult
eas in confeſſione aperire, vel tacere, ſed
non tenetur, quia eſſet potius excuſatio,
quàm accuſatio ad ſimilitudinem Adæ, vt
in *Geneſi cap. 3. ita ſotus in 4. diſt. 18. q. 2.*
art. 4. Nauar. vbi ſupra n. 5. ex d. c. ſignifica-
uit Henriq. lib. 5. cap. 7. n. 3. niſi tamen Con-
feſſarius interrogaret pænitentem, qui tunc
teneretur reſpondere ad interrogata *Syl. v.*
confeſſio 1. q. 9. Nauar. cit. ſub n. 9. verſic. ter-
15 *tio limitatur*. Tertiæ verò circumſtantiæ
neceſſario ſunt confitẽdæ, dum illud, quod
de natura ſua erat mortale, vel fit ad ſum-
mum veniale, vel nihil, & ſic tacendo eas
cir-

circumſtantias , confeſſio eſſet mendax, & cōſequenter ſacrilega Nauar.cit.n.5. in fine Suar.to.4. diſp.22. ſect.4. n.9. & 10. Bar. à S.Fauſto vbi ſuprà q.79. circa finem ex Soto tit. art. 2. & alijs de quibus vide iterum in ſeq. reſol.

Agitur de tertia, & quarta ſpecie circumcumſtantiarum, aggrauantium ſcilicet notabiliter intra eandem ſpeciem, & ſpeciem mutantium.

SVMMARIVM.

1 *Circumſtantiæ notabiliter aggrauantes intra eandem ſpeciem ſunt neceſſario confitendæ, ſecundū vnam opinionem, cōtra ſecundum aliam n.3. cum multis ſequent.*

2 *Inceſtus gradus ſunt declarandi, ſecundum vnā opinionem, licet diuerſitas gradus nō mutet ſpeciem peccati, contra ſecundum aliam n.9.*

5 *Contrariorum eadem eſt diſciplina.*

7 *Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei.*

11 *Inceſtus pœna in primo gradu eſt mortis de iure ciuili, in ſecundo deportationis, & mulieres detruduntur in monaſterium, ſed quæ ſit de iure canonico tam contra mares, quam contra fœminas, etiam meretrices, vel in figura matrimonij? n.12.*

13 *Incluſio vnius, eſt excluſio alterius.*

16. *Veniale ſi ratione circumſtantiæ tranſit in mortale, eſt iſta confitenda.*

17 *Circumſtantiæ, quæ ſpeciem peccati mutant, ſunt neceſſario in confeſſione explicandæ.*

18 *Monialem cognoſcens carnaliter, vel ſacerdos regularis, aut ſæcularis ſolutam, ſacrilegium committit.*

19 *Circumſtantiæ peccatorum ſpecie diuerſorum, in ſola mente expletorum, ſunt eiuſdem ſpeciei, cuius ſunt opere externo completorum, & propterea neceſſario ſunt in confeſſione exprimendæ, & n. 20.*

21 *Eccleſia polluitur per effuſionem ſanguinis, vel ſeminis humani.*

22 *Extrahens inuitum ab Eccleſia eſt excommunicatus, & ſacrilegus, ſed non committit peccatum diuerſæ ſpeciei.*

23 *Sacramenta ad malum finem ſurripiens, magnum ſacrilegium committit, ſed vnū abſque alia circumſtantia.*

24 *Aſpectus laſciui, blasfemiæ, cogitationes de peccatis committendis, & ſimilia in Eccleſia, ſunt circumſtantiæ aggrauantes intra eandem ſpeciem, & propterea, expreſſis peccatis, non ſunt iſtæ neceſſario explicandæ, niſi ad maiorem perfectionem.*

25 *Sacrilegium non ſunt tactus impudici in Eccleſia ſecundum vnā opinionē, ſicut ſecūdum alteram nu.27. committitur multis alijs modis, quàm traditis per Sanch. & Dia. vt infra.*

28 *Coitum exordiens per actum ſodomiticum, & poſtea terminans in vaſe naturali, tenetur iſtam circumſtantiam in confeſſione explicare.*

29 *Mortuos vulnerare ex inimicitia, eſt quædam ſpecies feritatis, & ſecundum quam opinionem peccatum diuerſum ab homicidio.*

30 *Feritas differt à crudelitate, & eſt quædam ſpecies beſtialitatis.*

31 *Fornicationis actus exercitus ſtando, ſedendo, vel qualibet alio modo impudico, non eſt circumſtantia neceſſario in confeſſione explicanda.*

Reſolutio XXVI.

1 AD primum, tertia ſpecies circum-
ſtantiarum, eſt aggrauantiū notabili-
ter intra eandem ſpeciem, veluti ſi quis
furatus ſit centum, vel decem mercatori
diuiti, vel viduæ pauperi, vt exemplifi-
cat *Caiet. 1.2. q.7. art.1.* an ſufficiat in con-
feſſione dicere furtum commiſiſſe notabi-
le, vel oporteat explicare quantitatem, &
perſonam? *Suar.to.4. diſp.22. ſect.3. à n.5.*
vſq, ad 14. reiecta cōtraria opinione docet
ex multis affirmatiuam ex *Caiet. vbi ſupra*
Alenſ. maior victor. ledeſm. & alijs, ſed ipſe-
met *n.3.* teſtatur primam opinionem eſſe
valde communem, affert pro ſua etiam
D. Auguſt. relatum per Grat. in c. conſideret de
pænit. diſt.5. Trid. ſeſſ.14. cap.5. eod. tit. item
communem vſum fidelium, quos ita ait
2 confiteri ſolere. Et tandem, quia omnes
fatentur (vt ipſe vult) gradus conſangui-
nitatis eſſe circumſtantias inceſtus, & eſſe
declarandos, quamuis probabilius ſit ex
Caiet. Soto, Cano, & Nauar. non mutare
ſpeciem peccati, *Henriq. lib.5. cap.7. n.4.*
Tol. lib.3. cap.7. in fine Sanch. in ſumma to.1.
lib.4. cap.11. n.24. Dia. par. 1. tr.7. reſ.31.
qui duo vltimi dicunt vtrāque opinionem
eſſe

eſſe probabilem, ſed *Sotus in 4. diſt. 18. q. 2. art. 4.* addit quod ſi D.Tho. tertiam partem compleuiſſet, procul dubio ſententiam mutaſſet, verum Soto excepto, alij, quos vidi, dicunt ſolum iſtam opinionem eſſe probabiliorem, contrariam probabilem *Dia. cit. reſol.* 14. in furto dicit vtramque probabilem, & Tol. vult hoc eſſe neceſſarium, vt poſſit Confeſſarius ordinare reſtitutionem certam; quod tamen cuilibet pœnitenti non dubitatur eſſe notum.

3 Sed citat. *Sanctus in 4. diſt. 16. q. 3. art. 2. quæſtiunc.* 5. docet non teneri pænitentem tales circumſtantias neceſſario declarare, niſi ſolum ad maiorem perfectionem, ita interpretando doctrinam *Sancti Auguſt. & Grat. ſupra relatam* ex eo forte, quia dicitur ibi aperiendam etiã eſse à pænitẽte ſuá ætatem, ſapientiam, & tempus, quas circumſtantias, cum nõ extenuent peccatum, nec grauent multum, patet ex ſupradictis non eſſe neceſſario confitendas; quæ ſen-
4 tentia corroboratur ex Trident. citat. quod Suar. adduxit pro ſe, data enim ibi doctrina generali, eas circumſtantias eſſe in confeſſione explicandas, quæ ſpeciem peccati mutant, ſubditur inferius, nihil aliud in Eccleſia à pænitentibus exigi, ergo dicunt *Bonac. diſp. 5. q. 5. ſect. 2. pun. 2. §. 3. diffic. 3. n. 5. de penit. Dia. par. 1. tr. 7. reſol. 1. vbi magna DD. caterua, & par. 3. tr. 4. reſol. 67.* illi PP. conſcripti non aſſignarunt doctrinam completam in Concilio pro confeſſionibus faciendis, ſi aliæ circumſtantiæ præter eas, quæ ſpeciem peccati mutant, ſunt explicandæ; quod tamen aſſerere eſt à fide alienum.

His adſtipulatur, quia vt ſupra in priori reſol. in fine cum communi diximus opinione, quam etiam comprobat *Dia. par. 5. tr. 2. reſol.* 85. non tenetur quis declarare circumſtantias notabiliter extenuãtes peccatum intra eandem ſpeciem, ergo nec no-
5 tabiliter aggrauantes intra eandem, cum contrariorum eadem ſit diſciplina *§. in poteſtate inſtit. de ijs qui ſunt ſui vel alien iur. & ex Ariſtot. tradit ibidem Gl. v. ſimul, & ſubdit Bonac. cit.* quod alias nimis angerentur pænitentes, cum difficiliter poſſent vmquã ſcire, quando huiuſmodi circumſtantiæ eſſent ſufficienter confeſſæ, vt etiam vult *à S. Fauſto lib. 4. q. 81. ex mente D. Tho. cit.*

6 Et inſuper, quia fideles tenentur ad id, quod fuit à Chriſto ordinatum, qui non præcepit huiuſmodi circũſtantias explicari, cum tale præceptũ nõ legatur in ſcriptura,
7 nec ex traditione Eccleſiæ, niſi de peccatis, quę ſunt dicta, vel facta, vel cõcupita contra legem Dei. *ſumma Dia. v. peccatum n. 1. ex D. Auguſt. ibi relato*, imo contrarium ſtatutum videtur in citat. Trid. & conſequenter non tenentur eas exprimere. Ad id autem, quod tradit. Suar. de communi vſu fidelium ſolere illas explicare, reſpondet *Bonac. vbi ſupra*, vſum eſse contrarium, etiã in hominibus probatæ, & timoratæ conſcientiæ; aliàs dicit *Nauar. d. c. 6. n. 7.* vix vlla eſset alia via ſedandi, & tranquillandi
8 pœnitentes, quam docendo illas circumſtantias non eſſe neceſſario confitendas, quia non mutant ſpeciẽ ſaltem in genere moris, quod alijs medijs probat vſq; ad *n. 9.*

Et tandem ad tertium motiuum Suar. quod ſicuti tenetur quis declarare gradũ inceſtus, vti circumſtantiam notabiliter aggrauantem, quamuis intra eandem ſpeciem peccati, ita circumſtantias aliorum peccatorum notabiliter augentes, reſpondetur opinionem eſſe controuerſam, cum ſint ex vtraque parte magni DD. quos refert *Dia. par. 1. tract. 7. reſol. 31.* & poſt eũ idem *à S. Fauſto cit. q. 96.* verum negari non poteſt, ſententiam D.Tho. loco ſuprà citat. vbi generaliter dixit, non eſſe de neceſſitate confitendas circumſtantias non mutãtes ſpeciem, licet notabiliter aggrauantes,
9 in puncto iuris eſſe veriſſimam. Nec Caiet. in contrarium allegatus 2.2. *q. 154. art. 9. verſic. ad ſecundam verò dicitur*, aliud dicit, niſi quod in inceſtu non differt ſpecie in genere moris vnus gradus ab alio, ſed tantum auget peccatum intra eandem ſpeciem, & propterea eſt cum D.Tho. & conſequenter ſi quis (quod Deus auertat) cognouerit ſororem, vel conſobrinam, ſufficit ſe accuſare de peccato inceſtus in genere, quam ſententiam probabilem appellarunt *Filliuc. to. 2. tract. 30. c. 5. n. 97. multique alij apud Dia. cit.* imo vtraque manu, & toto corde amplecti dixit citat. à S. Fauſto vbi ſupra in fine, & pro certa eandem ante ipſos docuit *Angel. v. confeſsio n. 3.*

Solum ergo de Conſilio, & ad maiorem perfectionem ſunt prædictæ circumſtantiæ iuxta hanc ſententiam confitendæ *Tabi. v. circumſtantia n. 9.* vbi in fine addit, quia ſecundum D.Tho. perfectionis eſt eas confiteri, & ſine periculo, ideo hoc faciendum,
10 & propterea altera ſentẽtia eſt etiam probabi-

babilis, eo magis, quia *tex. in l.aut facta ff. de pæn. ſupra cit.* per quem diuerſimodè puniuntur delicta in foro exteriori intra eandem ſpeciem, reperitur canonizatus in eodem decreto, vt in *c.aut facta de pænit.*
11 *diſt.* 1. de iure enim ciuili inceſtus in primo gradu punitur pęna mortis, vt pluries practicatũ refert *Iul.Clar.in pract. crim. §.inceſtus n.*2. ſicuti ego etiã ſeruari vidi in Ciuitate Neap.cõtra quemdã ſceleſtum plebeũ, qui propriã filiam cognouerat, vel vim cognoſcendi adhibuerat,in ſecundo verò gradu, etiam concurrente ſtupro, fuit inquiſitus deportatus, reiecta ſententia mortis M.C. prius prolata, & mulier detruſa in monaſterium, vt refert *Præſes de Franchis deciſ.*378.
12 De iure verò canonico eſſe pœnam depoſitionis in Eccleſiaſticis teſtatur de communi idem *Clar. vbi ſupra, ſed Baiard. ad eundem ſub n.*10. *refert conſtit. Sixti V.* per quam non ſolum eſt impoſita pœna mortis in primo gradu inceſtus hominibus, vt ſupra, ſed etiam mulieribus, licet eſſent meretrices, imo etiam hominibus cognoſcentibus mulieres prius cognitas à Patribus, vel filijs, aut fratribus ſuis, & idem mulieribus, quæ cum Patre, & filio ſiuè cum duobus fratribus ſcienter rem habuerunt; quamuis in figura matrimonij; de quibus omnibus latè etiam diſputat *Boerius deciſ.* 318. Quamuis autem in cit. loco *D.Auguſt. c.conſideret*, poſitis diuerſis circumſtantijs criminũ intra eaſdem ſpecies, addatur videlicet *omnis iſta varietas cõfitenda eſt,& deflenda*, reſpondetur tamen hoc fuiſſe poſtea declaratum in *Trident. d.ſeſſ.*14. *cap.*5. vbi dum circumſtantias, quæ ſpeciem peccati mutant, confitendas de neceſſitate eſſe ſtatutum fuit, conſequenter fuerunt aliæ ab
13 hac neceſſitate excluſæ: incluſio enim vnius, eſt alterius excluſio *c.nonne de præſumpt. & l.cum prætor ff.de iudic.* Verum ne-
14 gari non poteſt caſu, quo circumſtantiæ prædictæ non aperirentur Confeſſario, qui correſpondentem pœnitentiam dare propterea non poſſet, non ideo vitari poſſe apud Deum in hoc, vel alio ſeculo argum. c.2. & 3. de pænit. & remiſs. vbi aſſignantur pœnitentiæ maiores, & minores inſpectis criminum circumſtantijs, etiam intra eandem ſpeciem.
15 Prior tamen ſententia docens non eſſe neceſſario confitendas circumſtantias peccatorum notabiliter grauantes intra eandé ſpeciem, tribus modis limitatur ſecundum *Nauar. in man.c.*6. *n.*8. *in fine, & 9.* ex quo deſumpſit *à S.Fauſto lib.*4. *q.*82. eo non cit. primò in circumſtantia, quæ ſic auget peccatum, vt ratione ipſius fiat reſeruatum Epiſcopo; ſecundo in circumſtantia, quæ habet annexam excommunicationem reſeruatam Pontifici, vel eidem Epiſcopo; tertio in circumſtantia, de qua Confeſſarius interrogat, & non poteſt ſileri abſque periculo ſpiritualis incommodi, vt antea notauerant etiam *Syl. in ſumma v.confeſſio* 1. *n.*10. *& Tabi. vbi ſupra n.*9. Sed iſtæ non videntur limitationes ad regulam, loquendo de prima, & ſecunda, nam præciſa ratione circumſtantiarum, tenetur pænitens eas manifeſtare ſuperiori, dũ inferiori ſunt ligatæ manus.

Aliam regulam tradit idem *Nauar. d. c.* 6. *n.* 3. *&* 4. ad dignoſcendum quando
16 circumſtantiæ ſunt de neceſſitate confitendæ, veluti quando peccatum, de veniali, ratione circumſtantiæ, tranſit in mortale, puta ſi quis dixerit mendacium iocoſum, vt ex hoc alter ſumeret occaſionem peccandi mortaliter; Secundo, quando ex mortali vnius ſpeciei, fit mortale alterius, de quo ſtatim dicemus; Tertio, quando ex mortali ex vno reſpectu, ſeù fine fit mortale ex alio fine, veluti quando quis furatur, vt poſſit commodè fornicari iuxta *Suar. to.*4. *diſp.* 22. *ſect.*4. *n.*8. *Regin. to.*1. *lib.*6. *c.*4. *n.*127. *Dia. par.*1. *tract.*7. *reſol.*23. vbi tranſcribit exempla tradita per eumdem Suar. ſed iſtæ circumſtantiæ ex alia ratione ſunt confitendæ: prima ſcilicet, quia veniale ſimplex poteſt omitti, ſed nõ mortale,vt eſt mendacium ad finem mortalem, vt ſupra; ſecundæ, & tertiæ, quia multiplicantur mortalia, quæ de neceſſitate ſunt etiam ſingula confitenda, vt omnes ſciunt.
17 Ad ſecundum, quarta ſpecies principalis circumſtantiarum eſt illarum, quæ ſpeciem peccati mutant, quæ ſinè earum explicatione, nec à pœnitentibus integre exprimitur, nec Confeſſarijs innoteſcit, & propterea tales circumſtantiæ ſecundum ordinationem ſæpe cit. Trident. ſunt de neceſſitate confitendæ, ſicut docuit etiam antea *D.Tho.in* 4. *ſentent. diſt.* 16. *art.*2. *q.*3. *quæſt.*5. (faciunt dicta generaliter per *Grat. diſcept. for. c.*314. *n.*36. *ibi, de qualitate ſupernenientè, quæ qualificat, & reponit in diuerſa ſpecie ex §.præterea inſtit.de inutil. ſtipul.*) imo

Suar.

Suar. to.4. disp.22.sect.2.n.6. dicit de hoc non esse controuersiam inter DD. quod etiam voluit ante eum *Nauar.in c.consideret de pœnit. dist. 5. n. 3. & in man.c.6.n.3. & subdit Bonac. to.1. disp.5. q.5.sect.2. pun.2. §.3. diffic.3.n.6.* quod ita de vniuersali consuetudine Ecclesiæ fuit semper seruatum, & seruatur.

Ratio est, quia tales circũstantiæ specialē habent malitiam, & deformitatem, & licet secundum Suar. ibidem soleat speculatiuè disputari, an furari rem sacram, vel cognoscere monialem, aut coniugatam (quæ sunt circumstantiæ diuersæ speciei) sit vnum peccatum, vel plura (de qua quæstione infra,) quia tamen ad minus cõcurrunt in talibus peccatis malitiæ specie diuersæ, & consequenter circumstantiæ, à quibus illæ sumuntur, etiam specie diuersæ, propterea omnes fatentur confitendas
18 esse; (eo magis quod copula soluti cum moniali, vel sacerdotis cum soluta est etiã sacrilegium, vt infra) adeo quod stante Trident. de fide hoc esse dixerit *Bart. à S.Fausto lib.4.q.80. circa medium versic. in qua re*.

19 Quod idem procedere dicit inferius de circumstantijs peccatorum solo consensu expletorum, absque operis externi executione, omnesque in hoc consentire, *Soto, & Henriq. exceptis, ille in 4. dist.18. q.2. art.4. & iste lib. 2. de pænit. c.7. n.5.* rationem tradit contra eos *Nauar. d.c.6. n.8.* quia scilicet peccata voluntatis, oris, & operis sunt eiusdem speciei, & non differunt, ni-
20 si quod alia sunt alijs peiora ex *D.Tho.1. 2. q.52. art.7.* & consequenter stuprum mentale, quod consistit in determinata voluntate habendi copulam cum virgine, est eiusdem speciei, cuius est stuprum reale, quod est ipsa copula, & successiuè aperienda est circumstantia prædicta mentalis diuersæ speciei in confessione, sicut realis, secundum omnium opinionem, vt ait *Suar. cit. sub d.n.6.* à fortiori ergo sunt explicandæ circumstantiæ peccatorum, vt dictum est, qualia sunt (vltra prædicta) sacrilegia, furando sacrum de sacro, vel sacrum de non sacro, aut non sacrum de sacro iuxta *tex.in c.quisquis 17. q.4.* vel si in
21 Ecclesia iniuriosè effundatur sanguis humanus, vel semen humanum (quibus duobus casibus etiam polluitur Ecclesia *c.fin. de consecr. Eccl. vel Altar. & latius infra resol.30.*) vel si ab ea aliquis extrahatur in-
22 uitus, *vt ex Caiet. & Nauar. tradit à S.Fausto lib.4. q.159.* & vlterius extrahentes sunt excommunicati in *Bulla Cœnæ, & ex alia Bulla Greg.XIV.de anno 1591. summa Dia. v.immunitas Ecclesiarũ n.18.* (sed hoc sacrilegium non continet diuersas species, aut circumstantias peccatorum, quia actus non habet aliam deformitatem, nisi quia Ecclesia violatur per extractionem inquisiti, vel debitoris à iudice ordinatam, qui alijs in locis capi licitè posset; quod idem est de surripiente sacramenta, vt mox dicetur, doctrina est puntualis *D.Tho.2.2.q.99. art. 2. ad 3.*)

Sicuti etiam committitur sacrilegium, si quis occidat sacerdotem, & à fortiori Episcopum, vel alios maioris dignitatis, (quo in casu incidit etiam in excommunicationem contentã in dicta Bulla Cœnæ,) vel si cognoscat monialem, etiam extra Ecclesiam, vel quamcumque mulierem in
23 Ecclesia, vel si ipsa sacramenta ad malum finem surripiat, quod est maximnm sacrilegium iuxta eumdem *Sanctum cit. art.2. & 3.* alij verò actus in Ecclesia, puta murmurationes, vel cogitationes de peccatis
24 committendis extra Ecclesiam, aspectus lasciui, vel blasphemiæ, & similia in Ecclesia dubio procul non sunt sacrilegia, sed tantum circumstantiæ aggrauantes intra eamdem speciem, quæ propterea non sunt de necessitate exprimendæ iuxta superiores regulas *Vasq. in 1.2. to.1. q.72. art.6.*
25 *disp.98. c.3.n.6.* Adeo qnod hoc extenderint etiam ad tactus impudicos in Ecclesia, secluso tamen periculo pollutionis *Valent. 2.2. disp.6. q.15. pun.1. & clarius Sanch. de matrim. to.3. lib.9. disp.15. n.21.* vbi quamplures; ratio secundum eos est, quia specialis malitia, & deformitas sacrilegij non consurgit ex iure naturæ, sed ex solo Ecclesiæ statuto mandante, Ecclesias ex sanguinis, & seminis effusione tantum violari.

Idem docet *Dia. par.1. tract.7. resol.25.* qui confundit terminos violationis, seù pollutionis Ecclesiæ cum sacrilegio, quod tunc tam ipse quam DD.cit. & præcipuè Sanch. aiunt committi, quando impediuntur diuina celebrari in Ecclesia, mortuos sepeliri, vel quando aufertur immunitas
25 illi concessa, & tamen verum est, quod si quis aufert sacrum de sacro, & in alijs casibus supra dictis, sacrilegium committit ex *d. c. quisquis, & D. Tho. cit.* vltra alios

alios caſus, & tamen non propterea impediuntur diuina, vel alia ſupradicta: ergo poteſt etiam per tactus impudicos in Eccleſia committi ſacrilegium, licet diuina, &
27 alia prædicta non impediantur. Et propterea probabile puto tactus relatos eſſe ſacrilegium in confeſſione exprimendum, nec ſufficere confiteri de ſolis tactibus impudicis; etenim ſi *Apoſt. 1. Cor. 11.* comeſtionem, & potionem in Eccleſia appellauit contemptum Eccleſię, quanto magis iſtas deformitates, eo fortius, cum non ſolum ſint diſpoſitiui, ſed ſatis proximi ad pollutionem; & etiam materia grauiſſima, maximaque irreuerentia loci ſacri, vt ait *Suar. de Relig. to. 1. lib. 3. c. 7. n. 11. ex Cord. Syl. Lopes Rodriq. & Ledeſma ibi cit.* quibus addo *Azor. to. 1. lib. 4. c. 6. q. 10. & alios pænes eum*, priorem tamen opinionem magis in iure fundatam arbitror.
28 Item ſi quis laſciuiendo incæpit actum ſodomiticum, & poſtea compleuit in vaſe naturali, dum mutatur ſpecies iuxta dicta per *Dia. par. 5. tract. 14. reſol. 56. §. quæro octauo*, debet hoc exprimi, quia pertinet ad hanc quartam ſpeciem, ad quam non abre reduci etiam voluit *Suar. to. 4. diſp. 22. ſect. 4. n. 11.* circumſtantiam feritatis, vt quando quis poſt occiſum inimicum, illum in
29 fruſtra ſcindit, vel ſecundum *à S. Fauſto lib. 4. q. 156.* etiam iecur extrahit, & comedit (quam tamen feritatis ſpeciem adhuc non audiui, nec legi, niſi forſan hoc euenerit in Sicilia eius Patria, vbi dicunt eſſe homines feriores.) Quod probari po-
30 teſt ex doctrina *D. Tho. 2. 2. q. 159. art. 2. in corp.* vbi voluit, feritatem differre à crudelitate, cum ſit ſpecies beſtialitatis, quia nomen feritatis à ſimilitudine ferarum accipitur, quæ occidunt homines, vt eorum corporibus paſcantur, & propterea tali caſu eſſe huiuſmodi circumſtantiam in confeſſione neceſſario explicandã ait *Suar. cit.* quod ex doctrina d. Sancti magnam
31 probabilitatem habet. Si quis autem in vaſe naturali peccatum expleuerit, non iacendo, ſed ſtando, vel ſedendo, aut nimis impudicos modos adhibendo, hæc circumſtantia ad primam ſpeciem de impertinentibus, vel ad ſummum infra ſpeciem de parum grauantibus computabitur iuxta *DD. apud Dia. cit.* ex quibus regulis, & exemplis facile poteſt deueniri ad deciſ. aliorum caſuum occurrentium iuxta conſilium *I. C. in l. non poſſunt ff. de legib.* vna enim determinatio reſpiciens plura æqualiter determinabilia, debet ea æqualiter etiam determinare *l. iam hoc iure ff. de vulgari, & pupill.* multos alios caſus habes etiam in particulari apud eumdem *Dia. d. reſol. 66. & par. 1. tract. 7.* per totum, & alibi ſparſim.

Vtrum per vnum adulterium, vel ſacrilegium, aut quodcumque aliud peccatum, in quo adſit circumſtantia ſpecie diuerſa, vnum, vel plura peccata ſingulis vicibus perpetrentur.

SVMMARIVM.

1 *Peccatum aliqua lege prohibitum, ſi iterum alia lege, & intuitu alterius virtutis prohibeatur, quotieſcumque committitur, duo peccata ſpecie diuerſa, in vna eademque actione patrantur n. 8. ſecus ſi ſit intuitu eiuſdem virtutis n. 4. & 6.*

2 *Monachum, vel Clericum percutiens duplex peccatum committit, excommunicationemque incurrit, niſi ſit pro defenſione perſonæ propriæ, aut alia iuſta cauſa.*

3 *Fornicatio à perſona in ſacris, non eſt vnũ peccatum, ſed duo ſpecie diuerſa, & ſi adulterium, tria, ſicuti etiam ſi cum moniali.*

5 *Excommunicatio, per ſe loquendo, non confert peccato nouam malitiam ſpecie diuerſam.*

7 *Ieiunium frangere in duplici vigilia, vnum ſolum peccatum eſt, niſi vigiliæ ſint intuitu duplicis virtutis.*

9 *Votum, & iuramentum ſuper eadem re, ſi frangantur, an ſit vnum, vel duplex peccatum?*

10 *Beneficiarius omittens diuinum officium, ſi non ſit in ſacris, vnum peccatum committit, & tenetur ad fructuum reſtitutionem; ſi verò in ſacris, duo, tamquam peccans contra duas virtutes, iuſtitiam ſcilicet, & Religionem.*

Reſolutio XXVII.

PRo huius dubij reſolutione, vt clarius veritas percipiatur, duę regulæ ex DD. infra citandis ſunt conſtituendæ, qua-
1 rum prima eſt. Peccatum quod ex

 ali-

aliqua lege prohibetur, ſi iterum ex alia lege, & intuitu alterius virtutis prohibitum reperiatur, quotieſcumque committitur duplicatur v.g. ſi quis manus violentas
2 in Clericum, vel Monachum iniecerit, peccat contra ius naturale ex illo principio, quod tibi non vis, alteri ne feceris, & conſequenter contra virtutem iuſtitiæ; accedit ius canonicum, & addit pœnam excommunicationis ob reuerentiam perſonæ ſacræ debitam *c.ſi quis ſuadente* 17. *q.*4. cuius vigore talis percuſſio tranſit in ſacrilegium, & opponitur virtuti religionis: quotieſcumque ergo quis hoc fecerit (niſi ſit pro defenſione perſonę, vel in alijs caſibus permiſſis,de quibus alibi) duo peccata ſpecie diuerſa in vna actione committit, ex duabus malitijs ſpecie diuerſis dependentia, vnum contra iuſtitiæ virtutem,agēdo quod iure naturæ prohibitum eſt; alterum contra virtutem religionis, admittendo quod iure poſitiuo, ſeù Eccleſiaſtico vetitum eſt *c.quiſquis* 17. *q.*4. Eodem modo, ſi furatur in Eccleſia, peccat contra virtutem iuſtitiæ ex eiuſdem iuris naturalis prohibitione, & contra virtutem reli-
3 gionis ob irreuerentiā Eccleſię *d.c.quiſquis*: rurſus ſi ſacerdos fornicetur, vel ſolutus adulteretur, duo peccata qualibet vice cōmittunt, tam ille, quam iſte; imò ille tria, ſi adulteretur, ex diuerſis præceptis, contra ſcilicet virtutem caſtitatis, iuſtitiæ, & religionis, iſte tantum duo, contra virtutem caſtitatis, & iuſtitiæ *Vaſq. in* 1.2. *q.*72. *art.*6. *diſp.*98. *c.*2. *n.*3. *&* 4.& alij infra.

4 Secunda regula eſt,quotieſcumque peccatum aliqua lege prohibetur, & tali prohibitioni accedit altera prohibitio alterius legis, ſeù Iudicis, ſed intuitu eiuſdem virtutis, tunc non multiplicatur peccatum, ſed illud ſolum eſt, quod erat, E.G.ſi quis furtum ſimplex committit, quod intuitu iuſtitiæ eſt prohibitum *c.*1. *&* 2. *de furt. & in tit. ff. & C. de furt. vltra Regni Neap. conſtitut.* ſi huiuſmodi prohibitioni ſuperior ob frequentiam furtorum addit excommunicationem,non multiplicatur peccatum, quia licet accedat prohibitio alterius Iudicis, non eſt niſi intuitu eiuſdem virtutis iuſtitiæ,prout *ex Corduba in ſumma q.* 11. *& alijs docent Sanch. de matrim. lib.*9. *diſp.*15. *n.*5. *Bonac. to.*2. *diſp.*2. *de peccat. q.*4. *pun.* 3. *n.* 6. *&* 14. *vbi ex Caiet.* 1.2. *q.*72. *art.* *& Valent. to.*2. *diſp.*6. *q.*2. *pun.*1. *ver-*
5 *ſic. ſecundo ex dictis*, etiam aduertit excommunicationem perſe loquendo, non conferre peccato nouam malitiam ſpecie, quas regulas docent etiam *Nauar. in man. c.* 6. *n.* 3. *& ſeq. Henriq. lib.* 5. *c.*5. *n.*6. *& alij*.

Hinc rectè inferunt DD.cit. verum non eſſe, quod alij ſcripſere, ſufficere ſcilicet ad multiplicationem peccatorum, ſi aduerſentur pluribus præceptis, etiam intuitu eiuſdem virtutis; nam idem furtum
6 ſimplex, eſt contra legem naturalem ex præfato naturæ vniuerſali principio, eſt contra legem diuinam, vt in decalogo, eſt contra l.canon. & ciuil. vt in cit. iur. & tamen, quia prohibitio non eſt niſi intuitu ſolius virtutis iuſtitiæ,vnum tantū peccatū eſt, quod implicitè docuit etiam *D.Tho.*
7 1.2. *q.*72. *art.*9. cum Caiet. ibidem. Hinc etiam oritur, quod ſi quis in die Dominica, quando incidit feſtum alicuius Apoſtoli, vel alterius Sancti omittit audire ſacrum, vel ieiunare in vigilia duplici,vnum tantum peccatum committit, quia præcepta iſta ſub vnica ratione obligant, intuitu ſcilicet vnius virtutis, quæ in primo caſu eſt religio, in ſecundo temperantia *Vaſq.cit. n.*8. *Henriq.etiam cit.ex Caiet.Soto, & alijs. Eman.ſà v.confeſſio* §. *quidam putant, ledeſm. in ſumma de pænit. c.*16. §. *à eſta duda mi parecer es*,& conſequenter non eſt talis circumſtantia de neceſſitate confitenda, vt dicunt DD.relati apud eumdem *Sanch. loco cit. n.*9. *contra Nauar. ſibi quodammodo contrarium in ſumma c.*11. *ſub. n.*4. *verſi.*
8 *ex quo*. Qui tamen verum dicit ibidem, committere duplex peccatum monachum Franciſcanum non ieiunantem in 6. feria, in qua incidit alia vigilia; ſed ratio eſt diuerſa, vt diximus, quia ſcilicet agit contra duas virtutes nempè religionem, ratione voti ſibi ſponte impoſiti de regula obſeruanda, ſub qua adeſt tale præceptum, & contra abſtinentiam, ſeù temperantiam ab Eccleſia ordinatas, prout obſeruarunt ex cit. *DD.Bonac.vbi ſupra n.*7. *alijque apud eum*.

9 Quod ſi contra hanc ſecundam regulam objiciatur votum, & iuramentum de eadem re diuerſis præceptis prohiberi, ſed intuitu eiuſdem virtutis religionis,& tamē duplex peccatum ex eorum tranſgreſſione oriri, opuſque eſſe vtrumque in confeſſione exprimere, vt docet *Henriq. d.n.*6. *lit.*K. reſpondetur hoc eſſe, quia diuerſa ratione

ne formali hæc pertinent ad dictam religionis virtutem; voti enim obſeruantia præcipitur, vt fides promiſſa Deo; iuramenti autem, ne Deus in falſum teſtem inuocetur, vt dicunt *DD. cum Sanch. d. diſp. 15. ſub n.6.* Quod autem addit *Henriq. d.*
10 *lib. 5. c.5. n.6.* ſacerdotem ſcilicet beneficiarium, omittentem diuinum officium committere vnum ſolum peccatum, ea ratione, vt addit *Bonac. n.13.* quia quamuis faciat contra obligationem ſacri ordinis, & beneficij, iſtas tamen obligationes impoſitas, eſſe intuitu eiuſdem, & ſolius virtutis religionis, non exiſtimo probabile, quia talis omiſſio eſt contra duas virtutes, religionis ſcilicet ratione ordinis, & iuſtitiæ ratione fructuum perceptorum; vnde ſi non eſt in ſacris, vnum erit peccatum, vt ex *Nauar. Vaſq. & alijs rectè docuit Sanch. d. n.6. in fine.* Quod ſi opponatur teneri beneficiarium ad reſtitutionem fructuum, & propterea non debere alteri pœnæ, nempe peccati aſtringi; reſpondetur, etiam furem teneri ad reſtitutionem rei ablatæ, & tamen certum eſt peccatum quoque committere.

Vtrum qui maiorem numerum peccatorum commiſſorum, in confeſſione expreſſit, teneatur errore detecto veritatem explicare reconfitendo; & num etiam exprimere media, cum quibus peccauit?

SVMMARIVM.

1 *Mendacium in confeſſione, ſiuè bona, ſiuè mala fide, ſi ſit in materia veniali, an ſit mortale, vel veniale? & n.3. & quid ſi ſit de mortali? n.2. & 4.*

5 *Delictum commiſſum an poſſit tuta conſcientia, etiam cum iuramento negari Iudici interroganti? & n.8.9.11.12. & 15.*

6 *Defenſio pro tuenda vita propria non ſemper eſt permiſſa.*

7 *Famis tempore omnia ſunt communia.*

10 *Reatus omnem honorem, & priuilegium excludit.*

12 *Talionis pœna quæ ſit? & an ſit de conſuetudine ſublata? & n.13.*

14 *Conſuetudo, vt dicatur inducta, multa requiruntur, & præcipuè, vt ſit ſuper ea iudicatum in contradictorio iudicio.*

16 *Dos licet à iure tam priuilegiata, non poſſunt tamen eius fauore duo ſpecialia circa idẽ concurrere.*

17 *Delictum quando eſt probatum per teſtes, an ſit amplius reus ſuper eo interrogandus?*

18 *Aequiuocatio quando ſit permiſſa, etiam cum iuramento?*

19 *Media indifferentia an opus ſit confeſſioni ſubijcere, quando per illa eſt ad peccatum deuentum? & n.26. & 33.*

20 *Comediæ intereſſe non eſt peccatum, ſi fiat ex ſimplici curioſitate, vel animo diuertendi ab aliqua triſtitia, ſed datur conſilium ne illuc eatur.*

21 *Actus voluntatis determinatæ peccandi, ſecuto opere, ſi prius continuentur, vel diſcontinuentur in eadem voluntate, an, & quando multiplicentur peccata?*

22 *Media intrinſecè mala ſi coniungantur cum opere intento, vnum peccatum conſtituũt ſed quid è contra? n.24. & 25.*

23 *Oſcula, & tactus impudici in ordine ad copulam, ſiuè antea, ſiue poſtea, tot peccata conficiunt, quot ſunt copulæ, non amplius.*

25 *Peccare paratum trahere ad peccatum, non eſt circumſtantia neceſſario in confeſſione aperienda, vt ſi meretrici quis perſuadeat ad fornicandum cum eo, ſecus è contra.*

27 *Alapam inferre, vel baculo aliquem verberare, an ſint qualitates de neceſſitate in confeſſione exprimendæ? & de pœna corporali in foro exteriori n.31.*

28 *Iniuria realis quadrupliciter diuiditur, ſed quando earum circumſtantiæ ſint aperiẽdæ in confeſſione? ſi ſit qualificata auget delictum in foro exteriori n.29.*

30 *Incluſio vnius eſt alterius excluſio.*

32 *Officialem Regis offendens per manus iniectionem, tam intuitu officij, quam ex inimicitia particulari, qua pœna puniatur?*

34 *Auxiliantes, conſulentes, & fauentes in delictis, an eadem pœna in foro exteriori cum principalibus puniantur? n.35. & quid in foro poli? n.36.*

Reſolutio XXVIII.

Qvod primum dubium *Bonac. to. 1. diſp. 5. de pœnit. q. 5. ſect. 2. pun. 3. n.7.* dixit à nemine fuiſſe tactum, & proinde nullo Doctore, nec argumento al-
1 latis, ita diſtinguit, aut pœnitens expreſſit maiorem numerum venialium, & ſiuè hoc fecerit bona, ſiuè mala fide, non te-

 netur

netur confessionem repetere; aut maiorem
2 numerum mortalium, & si hoc egit bona fide, putans sibi licere, & similiter excusatur à repetitione; aut mala fide, & confessio est inualida, & tenetur repetere, verumque numerum peccatorum exprimere cum accusatione sacrilegij commissi in priori confessione, ob deceptionem mortaliter peccaminosam in materia graui, & necessaria.

Sed potest dubium decidi per illā quæstionem à DD. tractatam, an mētiri in confessione sit mortale, vel veniale (quæ est eadem sub diuersis verbis,) & respondent, mortale committi, etiam si mendacium esset in materia veniali, nullamque esse confessionem, licet materia esset partialis, quando scilicet essent submissa eidem pœnitentiali foro alia peccata vera, super quibus cadere posset absolutio *Caiet. in summa v. confessio condit. 4. & 2. 2. q. 69. art. 1. Armilla eodem v. n. 5. Palud. Ledesma, & alij quos refert, sed non sequitur Suar. to. 4. de pœnit. disp. 22. sect. 10. n. 6. Nauar. autem in*
3 *c. fratres de pœnit. dist. 1. n. 18. &* 22. loquendo de eadem materia veniali dicit, quod aut mendacium in confessione, etiam si fit de attinentibus ad ipsam confessionem, est in materia partiali, & non est nisi veniale, grauius tamen, quam si diceretur extra confessionem, aut est in materia totali, & certum est esse sacrilegium, quia sacramentum fit irritum, cum non sit vbi cadat absolutio, idem si mendacium diceretur in contemptum, aut cum scandalo, quamuis in materia partiali *Angel. v. confessio 1. n. 16. & 17. Soto dist. 18. q. 2. art. 4. aliique apud Suar. cit. n.* 7. cū quibus ipse cōcordat, multique alij apud P. *Dia. par. 3. tract. 4. resol. 96.*

4 Aut loquimur de mortalibus, & vera est distinctio Bonac. supra, quam didicit ex *Nauar. cit. n. 37. qui allegat D. Bonau.* & alios, vt etiam *docet Suar. vbi supra n. 10. & 11.* addens hanc veritatem omnes fateri, *Sylu. excepto v. confessio 1. sub n. 9.* qui tamen in libro meo hoc non dicit, sed totum contrarium tam ibi, quam in *v. mendacium n. 3.* rationes differentiæ inter hunc, & priorem casum tradit idem *Suar. d. n. 11.* nō solum, quia deceptio est in materia necessaria, & graui sacramenti, vt dictum
5 est; sed quia etiam in seculari iudicio decipere Iudicem mentiendo in ijs, quæ pertinent ad substantialia, est mortale, etiam si quis confitendo veritatem, esset ex illa damnandus *D. Tho. 2. 2. q. 69. art. 1. in corp.* vbi dicit quod mortaliter peccat reus negādo veritatem Iudici interroganti, qui si hoc exquirat, quod non potest secundum ordinem iuris, non tenetur accusatus ei respondere, sed potest, vel per appellationem, vel aliter licite subterfugere, mendacium tamen dicere non licet, quem secuntur *Caiet. ibidem omnesque Thomistæ item Syl. Tabie. Palud. Couar. Tol. Gomes, & alij apud Sayr. in claui Regia lib. 12. c. 16. n. 1. Gregor. de Val. to. 3. disp. 5. q. 13. pun. 1. Azor par. 3. lib. 13. c. 25. dub. 3. Nau. in man. c. 25. sub n. 35.*

Contrarium tamen existimat in hoc casu probabile P. *Dia. par. 2. tract. 15. resol.* 27. cum aliquibus alijs ex subscriptis rationibus apud *Regin. lib. 24. n. 37.* (quamuis omnes fateantur sententiam D. Tho. esse probabiliorem, imo idem Dia. eam docuit, negando oppositam ibidem *res. 25. §. sed fine*) quia scilicet licet occidere inuasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ, ac furari in extrema necessitate; item quia ex *l. 4. ff. de testib.* nemo cogitur ad testificandum contra parentes ratione coniunctionis sanguinis; sed nemo est alteri magis coniunctus, quam sibi ipsi: ergo sicut non cogitur contra illos, nec contra se ipsum, sed
6 responsio facilis est; in primo si quidem casu illud permittitur ex *l. vt vim ff. de iust. & iure*, ad conseruandam vitam propriam, quando tamen nullum præcessit delictum proprium, nec potest inferri ex isto casu ad illum, quia ex diuersis non fit illatio *l. Papinianus exuli de minor.* alias si etiam delinquenti licita esset defensio ad tuendam vitam propriam, vt infert Dia. posset quoque reus ad mortem damnatus, licitè occidere satellites, & ministrum iustitiæ, qui ei mortem Iudice imperante inferunt; quod est omni iure falsissimum, hocque nullus Casista dicit, & tam de iure ciuili, quam Canon. aliud delictum com-
7 mitteret. In secundo casu illud permisit Christus in Euang. relato in *c. discipulos de consecr. dist. 5.* cum eo tempore omnia sint communia, vt docet idem *Dia. par. 11. tr. 1. res. 13.* quod didicit ex *Gl. in c. 4. v. necessitas de regul. iur.* ab ipso non citata, quod etiā est de iure ciuili per *l. 2. §. cum in eadem naui in fine ff. ad l. Rhod. de iactu*, eadem antedicta ratione, quia est conseruanda vita propria, quando aliàs non committitur delictum.

Ad

8 Ad tertium respondetur ex *Farin. tit. de of. contra Person. test. quaest. 54. n. 103.* quod admittitur frater contra fratrem, imo cogitur deponere contra eum, vbi veritas aliter haberi non potest *ex Alber. in l. parentes n. 2. in fine C. de testib. specul. in tit. de teste §. de testium n. 1. Host. Io. Andr. Abb. Imol. & DD. communiter in c. 1. de testib. cogend.* imo etiam liberos contra parentes, & è contra dicit idem *Far. cit. n. 171.* cogi posse ad testificandum ex *Feder. schens tract. de testib. n. 31. Alb. de malef. eod. tit. c. 6. n. 31. Ant. Gomez var. resol. to. 3. c. 12. rubr. de prob. delict. n. 24. ad finem.* Quod in crimine laesae Maiest. vel alijs exceptuatis difficultatem non habere dicit idem *Far. cit. n. 173. ex Gl. in l. hi tamen v. non vt crimen de accusat. & alia Gl. in c. 1. v. & Christiani de conuers. infid. per tex. in l. minime ff. de relig. & sumpt. fun. Mascard. de prob. lib. 1. conclus. 462. n. 9. & lib. 2. concl. 857. n. 20. & 23.* idem à fortiori procedere in crimine haeresis docet *Far. cit. n. 174. ex eodem Ma-*
9 *scar. d. concl. 857. n. 18.* Dicit tamen *Iul. Clar. in pract. cr. §. fin. q. 24. sub n. 22.* quod Iudex debet quantum fieri potest abstinere ab examinãdis testibus, qui de iure cõmuni non possunt cogi ad testificandum, sed si contingeret veritatem aliter haberi non posse, & delictum esset atrox, posset consulere Principem, prout factum fuisse in causa quorundam fratrum imputatorũ de incendio, in qua Senatum permisisse testatur, vt contra eos examinaretur mater, ex qua depositione ambos fuisse captos, & interrogatos, & confessos, fuisse suspensos.

Quod si fingamus Patrem cum filio, vel fratrem cum fratre simul deliquisse, & similiter veritas aliter haberi non posset, tunc vnum cogendum esse ad deponendũ contra alterum, & contra seipsum videtur docere *Alex. in addit. ad Bar. in l. qui*
10 *rei §. si quis autem ff. de bon. eor. qui ante sent.* quia reatus, sicut omnem honorem, ita etiam omne priuilegium excludit *l. 1. C. vbi Senat. vel Clariss.* quae tamen dicta sint ad exuberantiam, quia in casu proposito non agitur de deponendo contra Parentes, vel è contra, aut contra fratres, & similes, sed contra seipsos delinquentes, modo non desunt leges, per quas coguntur vniuersaliter omnes Rei ad deponendũ contra seipsos vt in *l. 1. §. qui quaestionem de quaest. vbi Gl. concord. adducit*, ergo circumscriptis casibus per Farin. & DD. supra cit. dum eadem *lex ciuilis*, quae eximit relatas personas à testificando contra coniunctos, cogit eosdem Reos ad deponendum contra seipsos *d. l. 4. de testib. & d. §. qui quaestionem* oportet parere legi tam pro, quam contra.

11 Concordat praedictis ius diuinum apud *Iosue c. 7.* vbi legitur quod percusso populo ab hostibus, eo quod vnus ex eis praeuaricatus erat pactum Domini, cum haberet Iosue contra Achan aliquas coniecturas, dixit ei. *Fili mi da gloriam Domino Deo Israel, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abscondas*; & licet sciret Achan ex sua confessione lapidandum, & comburendum fore, sicut praeceperat Dominus, nihilominus confessus, lapidatus, & combustus fuit, vt in *cit. c. 7. ad idem Apost. ad Rom. c. 13. ibi, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt, &c.* sed frustratoria esset ista potestas, si licite posset Reus illi negare veritatem, ergo tenetur eam aperire. Quod corroboratur *ex psalmo 140. ibi, ne declines cor meum in verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis, vbi dicit Gloss. hanc esse consuetudinem impudentium, vt deprehensi, per aliqua falsa, se excusent, & Greg. 22. moral. exponens illud Iob. 31. si abscondi quasi homo peccatum meum dicit. Visitatum humani generis vitium esse, vt libenter peccatum committant, commissum negando abscondant, & defendendo multiplicent.*

12 Et addit *D. Tho. in cit. ar. 1. ad 3.* quod qui mentitur in iudicio se excusando, facit contra dilectionem Dei, cuius est iudiciũ, & contra dilectionem proximi, tum ex parte Iudicis, cui debitum negat, tum ex parte accusatoris, qui punitur, si in probatione deficiat, quam punitionem intelligit Sãc. de paena talionis, accusatori nõ probãti à iure imposita ex *l. fin. C. de accusat. & l. 3. §. ideoque de testib. ibi, nosti, quae crimina obiecerit Alexander Apro, quem quia non probabat, nec testes producebat, sed testimonijs vti volebat, quibus apud me locus non est (nam ipse eos interrogare soleo) remisi ad Prouinciae praesidem, vt is de fide testium quaereret, & si non implesset, quod intendebat, relegaretur, &c. quod etiam patet ex Susannae historia apud Daniel. c. 13. & Esther c. 7.*

13 Quamuis autem multi asserant hanc talionis poenam fuisse de consuetudine in mul-

multis partibus sublatam, quod certum est in Regno Neap. per *Rit. M.C.V. 199. vbi Carau.n.2.* & idē in Ducatu Mediolani testatur *Iul.Clar. in pr. cr. §.fin. q.81. sub n.3.* concludit tamen ibidem in fine, quod quędam Angelina Corbeta, quæ accusauerat quosdam, quod eam per vim, & præpostera venere cognouissent, cum deinde falsa fuerit quærelam fuisse falsam, vix euasisset pænam vltimi supplicij, nisi fuisset prægnans, sed hac re attenta, fuisse tantummodo condemnatam ad catenam infamem 26. Augusti 1558. & alias quemdam Christophorum adornum propter falsam notificationem fuisse per triennium ad triremes condemnatum 13. Settembris 1560. Adde *Bal. in l.2. n.4. C. de ijs qui latr.* vbi asserit hac de causa fuisse decapitatos quosdam Perusij, & *Affl. lib.1. const. Reg. rubr. 23. post n.9.* vbi dicit prędictam pænam sublatam non esse, sed solum solemnitatem subscriptionis. *Gigas autem in tract. de crim. læsæ Maiest. q.1. n.7. quem refert Baiard. ad Clar. cit. n.4.* dicit sublatam de iure ciuili, non de I. canon.

14 Sed hæ assertiones, (vbi non est lex particularis in contrarium, vt in d. Regno Neap.) non prosunt; quia ad inducendam consuetudinem contra legem scriptam, multa requiruntur, quæ leguntur *in c. fin. cum Gl. de consuetud.* & præcipue quod sit probata per testes, discussa, & super ea decisum in contradictorio iudicio, alias nō releuat *c. Abbate §. ad hoc de verb. signif. vbi Gl. v. contradicto iudicio & l. cum de consue-*
15 *tudine ff. de legib.* Adde quod si contraria opinio procederet in casu relato, multa specialia concurrerent circa idem, & primo quia contemneretur authoritas Iudicis, secundo ageretur contra dilectionem Dei, & iustitiam proximo debitam ex supra dictis. Tertio, quia Iudex quādo interrogat Reos, hoc agit præuio iuramento de veritate dicenda, qui dum negant veritatē, faciunt cōtra secundum præceptum decalogi, quod cum sit negatiuum, obligat semper, & ad semper, vt omnes fatentur, modo certum est, quod licet agatur de dote tam priui-
16 legiata, vt in *l.1. C. de rei vxor. act.* & alibi passim, ne quidem possunt duo specialia simul fauore eius concurrere *l.1. C. de dot. promiss.* ergo minus poterunt cōcurrere plura specialia in casu prędicto, nullatenus priuilegiato, imo odioso, vti nutritiuo peccati.
17 Quod autem addit *Dia. in cit. res. 27. ex eod. Regin. cit.* non posse scilicet negari veritatem, quando delictum est plenè probatum, vanum est eum teuerētia; nā eo casu non est amplius necessaria confessio, neq; reo quantumuis negante, officere hoc fisco, vel sibi prodesse potest; imo si conuictus de crimine, ex quo potest ad mortem damnari, & à Iudice ignaro interrogatus in tortura, etiam citra præiudicium probatorum, & confessatorum, an delictum commiserit, negaret, non posset amplius ad mortem damnari, quia eum interrogando, & torquendo fatetur implicite delictum non esse probatum, licet probatum plenissime esset, alias gratis torqueret *Grammat. decis. 8. n.5. Præs. de Franch. decis. 577. n.3.* & propterea fatuum esse Iudicem, qui reum de delicto conuictum interrogat *docet. Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q.64. n.8. & 38.* (nisi esset illa interrogatio, quæ solet fieri ad contestandam litem initio processus, & fit vt actus ordinatorius pro solemnitate à iure requisita ad conualidandum processum, vt practici sciunt, oriturque ista praxis ex *c.1. delitis contest. & l.1. C. eod. tit.* tali enim contestatione omissa esset processus nullus ex iuribus prædictis.)
18 Extra tamen supra relatum casum, alios multos coaceruauit idem *P. par.3. tract.6. resol.30.* in quibus possit quis æquiuocando negare veritatem, etiam cum iuramento, dummodo non sint in præiudicium tertij secundum eundem *Dia. par.2. tract.15. resol. 25.* quorum multi innituntur iustis causis, & propterea probabiles appellant DD. ibidē relati, quamuis contrariū omnino velint *Malder. Sylius Rebell. Laym. Coninch. & alij à Dia. relati d. resol.30. in princ.* ex dictis tamen cernitur quam periculosum sit discedere à doctrina D. Tho.
19 Ad secundum respondetur aliqua esse media indifferentia, vt emere gladium, vel aliud armorum genus, quæ licitè emūtur, si non sunt prohibita, pro defensione propria, vel ire ad comediam, vbi secun-
20 dum communem opinionem licitè itur à secularibus, se diuertendi, & lætandi causa, si non habent animum sumendi eam pro occasione peccandi *Sanch. de matrim. lib.9. disp. 46. n.41. P. Dia. par.2. tr.17. resol.35.* & ista, vel similia media opus non est in confessione exprimere, vt docet etiā *Nauar. in man. c.6. n.2.* licet postea cum gladio aliquis occidatur, vel vulneretur, aut occasione comediæ visæ lasciuire contin-

tingat, idem Sanch. cit. vbi quam plures (ego autem omnibus conſulo ex ſenſatis DD. vbi hoc legi, ne ad comediam accedant, cum ſemper poſtea, licet hic, & nunc nõ peccetur, remanent tamẽ illæ ſpecies viſæ infixæ animæ, quæ ad peccatum trahunt.)

21 Quod ſi quis determinaret velle aliquẽ occidere, vel fornicari, & ſimilia, & poſtea determinata in mente executioni demandaret, an ſit vnum peccatum, vel plura diſputat *Suar. to. 4. diſp. 22. ſect. 5. n. 5. & ſeq.* & concludit ex quam plurimis author. quod nõ ſolũ actus mẽtalis cum opere cõſummatus, ſed etiam ſi plures actus mali cõtinuate fiant interius, & per breuem tẽporis ſucceſſionem inaduertenter interius etiam interrumpantur, vnum ſit peccatum, quia omnes actus illi concurrunt ad vnum ſolum actum complendum, niſi interruptio eſſet per horam, vel amplius, aut niſi aduertenter interumpantur per ceſſationem voluntatis à deſiderio peccandi, & poſtea denuo reſumantur, vel niſi obiecta peccati mutarentur, etiam ſi eſſet per breuiſſimum tempus, puta quando nunc concupiſcitur vna femina, & poſtea altera, quibus in caſibus, & eorum ſingulis ſubdit, & verum dicit, eſſe diſtinctionem numericam peccatorum, & conſequenter omnia confeſſioni etiam diſtinctè ſubijcienda, concordat *Tolet. lib. 5. c. 8. n. 15.*

22 Alia ſunt media intrinſecè, & per ſe mala, quæ licet habeant motus, & entitates ſpecie diuerſas, non tamen habent malitias morales eſſentialiter diſtinctas, quia concurrunt cum fine principaliter intento, vt

23 ſunt E.G. oſcula, verba oſcæna ad malum finem, & tactus impudici in ordine ad copulam, & ideo omnes iſti actus præambuli ad eam, vnum peccatum conficiunt, vel plura, ſi plures ſequantur copulæ, & propterea omiſſa accuſatione talium actuum præcedentium, ſatis erit in confeſſione numerum copularum aperire Nauar. cit. n. 16. & 17. vbi idem voluit etiam de oſculis, vel tactibus ſecutis poſt copulam.

Cui contradicit *Suar. d. ſect. 5. n. 26.* volens, hos vltimos actus, eſſe peccata ſeparata, quaſi in ordine ad nouam copulam; ſed ego puto eum falli, cum idem ſit dicendum de actibus antecedentibus, vti præambulis ad copulam, quam de conſequentibus, vti complementis ipſius, quæ enim incontinenti fiunt, cenſentur ineſse, in quibus non datur prius, neque poſterius l. lecta ff. ſi cert. petat. niſi ſint in ordine, & cum voluntate ad nouam copulam. Quan-

24 do autem huiuſmodi media non producuntur ad finem, ad quem regulariter ordinantur, nempe ad copulam, tunc ſi fiant inter ſolutos, & cauſa delectationis venereæ, ſunt etiam mortalia, ſecus ſi fiant inter coniugatos, affectionis, & liciti amoris gratia, modo abſit periculum pollutionis extra vas *Sanch. lib. 9. de matrim. diſp. 46. per totam Vaſq. Valent. Regin. & alij apud Bonac. to. 1. de matrim. q. 4. pun. 9. n. 2. & ſeq.*

Sunt, & alia media, ſine quibus non poteſt peccatum perpetrari, vt eſt fornicatio, quæ ſinè collega fieri nequit, & propterea ſufficit accuſatio de fornicatione, & alia cum quibus, & ſinè quibus committitur, vt ſunt furtum, homicidium, & ſimilia, de quibus obiter loquitur *Suar. d. diſp. 22. ſect. 4. n. 17.* vbi communi diſtinctione vtitur, an

25 ſocius fuerit ex ſe ad peccandum paratus, vel non, quod primo caſu non ſit de neceſſitate confitenda qualitas medij, ſecundo ſic. Sunt alia media, ſeù inſtrumenta, cum quibus delictum patratur, de quibus diximus aliqua ſupra *n. 11.* & nunc addo *Bar. à S. Fauſto lib. 4. q. 169.* teſtantem eſse

26 aperienda in confeſſione inſtrumenta prædicta, homicidium v.g. cum quibus armis, quod non puto verum, cum de iure canonico non habeamus prohibitionem ſpecialem armorum, niſi quod omnia regulariter ſunt prohibita Eccleſiaſticis ad offendendum, & omnia permiſsa ad defendendum, ſecus de iure Regni Neap. quo tormentum paruum eſt prohibitum ſub pæna mortis, & alia ſub alijs pænis, vt in *pragmat. 14. ſub tit. de armis*; quo iure abſque alio delicto peccatum eſset ſecularibus aſportare tale tormentum, ratione magni periculi, cui ſe exponunt, & propterea hoc caſu eſset iſta qualitas exprimenda.

27 Quando autem quis baculo nobilem verberauit, vel ei alapam dedit, eſse iſtas qualitates in confeſsione exprimendas docuit idem à S. Fauſto ibidem, ſed nullum Doctorem pro hac opinione attulit, niſi dicamus quod aliàs, illas tacendo vix poſſit principale peccatum confiteri; de iure verò ciuili habemus optimum tex. hæc, & omnia ad iniuriæ materiam attinentia declarantem in *S. atrox inſtit. de iniur.* quem

pro

pro non profeſſoribus legum tantum tran-
28 ſcribo. *Atrox iniuria æſtimatur, vel ex facto, veluti ſi quis ab alio vulneratus ſit, vel fuſtibus cæſus: vel ex loco, veluti ſi cui in Theatro, vel in foro, vel in conſpectu Pretoris iniuria facta ſit; vel ex perſona, veluti ſi magiſtratus iniuriam paſſus fuerit, vel ſi ſenatori ab humili perſona iniuria facta ſit, aut parenti, patronoue fiat à liberis, vel libertis. Aliter enim ſenatores,& parentes, patronique, aliter extranei, & humilis perſonæ iniuria æſtimatur. nonnumquam, & locum vulneris atrocem iniuriam facit, veluti ſi in oculo quis percuſſus fuerit: parui autem refert vtrum Patri familias, aut filiofamil. talis iniuria facta ſit, nam, & hæc atrox iniuria æſtimabitur.*

29 Quæ media, ſeù qualitates, tam ex præfato tex. & *l.omne delictum* §.1. *ff.de re milit.iuncta l.aut facta* §.*perſona de pœnis* cum ſimil. quàm de iure Canon. ex *Gl. in c.fin.de conſecr. Eccl.vel Altar. per illum tex. in c.cum illorum de ſentent.excom.* augent delictum in foro exteriori, ſed non propterea ſunt de neceſſitate confeſſioni ſubijciēda, niſi pro explicatione principalis criminis neceſſario explicanda eſſent, quod confirmat à S.Fauſto, ſupra cit. vbi aſſerit quod ſi quis confiteatur verberaſſe inimicum, intelligitur eum baculo, & nihilominus addit eſſe tales circumſtantias de neceſſitate aperiendas. Quod tamen videtur contra *Trident. ſeſſ.14. de pœnit. cap.5.* vbi legitur, eas circumſtantias eſſe in confeſſione explicandas, quæ ſpeciem peccati
30 mutāt: ergo cæteræ, minimè, quia incluſio vnius eſt alterius excluſio *c.nonne de præſumpt.& l.cum prætor ff.de iudic.*& in puncto hoc voluit *D.Tho.in 4.diſt.16.q.3.art.2.quæſtiunc.* 5. ſed præfatæ circūſtantiæ non mutant ſpeciē,tam de iure ciuili,quam canon. niſi quod augēt delictū intra eamdem ſpeciē:ergo poſſunt reticeri,& propterea diximus,augeri pœnā in foro exteriori inſpectis circumſtantijs prædictis §.*pœna autem inſtit.de iniur.* in foro verò interiori puniri à Deo illam maiorem culpam in hoc, vel alio ſæculo argum.*c.2. & 3.de pænit. & remiſſ.* vt etiam ſupra reſ.26. fuit notatum.

Horum occaſione dico vnum, de quo diebus præteritis fui interrogatus à quo-
31 dam Religioſo Sacræ Theol. profeſſore, an pro alapa imponatur pœna amputationis manus, ſicuti ipſe pro certo indiſtinctè tenebat, cui reſpondi cum diſtinctione: annis enim elapſis cum in Eccleſia S.Laurentij Maioris Ciuitatis Neap. quidam Nobilis alapam dediſſet cuidam ſatelliti, qui ei irreuerenter locutus fuerat, diſcuſſa cauſa in S.C.fuit ille Nobilis in exilium miſſus extra Ciuitatem per duos menſes, vt refert *Grammat. deciſ.14. in princ.* non obſtante circumſtantia loci ſacri; prouocatio enim fuit cauſa modicitatis pœnæ.

32 Quod ſi alapa, vel alio modo, manus inferantur in officialem, maximè tempore, quo reddit iuſtitiam, ſtatuta eſt pœna capitis in *d.l.omne delictum* §.*qui manus,& addunt Baiard. ad Clar. in pract.crim. q.35. n.27. & q.68. n.56. & Grammat. deciſ.36. n.4.* quod poſſet officialis ſtatim furcam erigi mandare, & talem in eum delinquētem, nullo iuris ordine ſeruato, ſuſpendere facere, dūmodo tamen addit *Foller. poſt pract. crim. in fragm. ſub tit.de iniur. n.142.* ſit officialis Regis, non Baronis, & talis iniuria ſit ei illata intuitu officij, tunc exerciti, non autem ex inimicitia particulari, vel ex eo, quod officialis aliquid ab ipſo iniurioſe abſtulerit, quibus in caſibus extraordinarie eſſet puniendus; Et vlterius ſi quis ruſticus verberaſſet militem, non per viam defenſionis, ſed offenſionis, hoc in caſu eſt pœna detruncationis manus *ex conſtit.Regni, vt dignitatum alios caſus ſimiles vide apud Foller. cit. & per nos ſupra reſ. 16. n.34.*

33 Alia ſunt media, quæ vniunt extrema, nempe agentem, & patientem, vt lenones, qui honeſtius vocantur proxenetici illiciti *Gl.in l.3. v.licitis de proxenet.* de quibus loquitur *tex. in* §.*ſi quando verò auth. vt nulli Iudic.* & qui his vtitur, licet tractatus non veniat ad effectum, ſemper peccat propter prauam intentionem, & voluntatem peccandi *Nauar. in man.c.16.ſub n.13.* & alij communiter; de inductione verò iſtius medij ad tractatum, an ſit peccatum ſeparatum, reſpondent cum eadem ſupra notata diſtintione, ſi erat ad peccandum paratum, vel non; quà verò pœna puniantur iſti lenones habes in ſeq. reſol.n.18.

Quod ſi tractemus de medijs in alijs cri-
34 minibus adhibitis, etiam conſulentes, & auxiliātes eadem pœna cum principalibus mandantibus, & mādatarijs puniēdos eſſe in foro exteriori docent *Bart. & alij apud Farinac. to.4. q.129. n.105. & q.131. n.51.* qui addit non eſſe in hoc contradictorem, ſecundum quam opinionem fuit ad mortem

tem damnatus quidam T. qui consenserat furto commisso in quodam conseruatorio puellarum, cum ostij fractione, licet ipse extitisset solum ante ostium, & bona subtracta à socijs recepisset valoris vltra centum, vt refert decisum *Sanfel. decis. 36.* quod idem procedit in foro interiori; absque enim dubio peccant isti, sicuti principales, quia sufficienter concurrit voluntatis actus, qui peccatum perficit.

35 Si verò auxilium nudum, & fauor simplex præstita essent, puta quia delictum omnino sine illis commissum fuisset, æque ac si auxiliator, & fautor nõ interuenissent, & loquendo in foro exteriori, si de delicto commisso aliquid lucri ad tales auxiliãtes, fauentes, vel consulentes peruenit, eadem pœna plectendi cũ principalibus erunt *Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 90. n. 1. quem sequitur Thesaur. quæst. for. lib. 1. q. 46. n. 3. & 4.* prout etiam fuisse seruatum contra quẽdam Iulium, mortis pœna affectum de mẽse Martij 1625. testatur *Sanfel. cit. n. 7.* Si autem nihil ad tales fauentes, consulentes, vel auxiliantes peruenit, puniendos esse pœna extraordinaria docuit *Io. Andr. in c. felicis de pæn. in 6.* & ita fuisse iudicatũ testatur idem *Sanfel. ubi supra sub n. 6.* contra quendã, qui præstiterat auxilium quinque latronibus, qui noctis tempore furati fuerant à quadam Apoteca petiam velluti, sed ipse nihil aliud egerat, quam stare in via cum alijs 4. & nihil lucri participauerat, imo sine ipso furtum omnino fuisset

36 secutum; sed in foro interiori peccant isti, vt principales, sicut dictum est supra *n. 34.* in fine, quia peccatum consistit in voluntate, quæ sufficienter concurrit, dum auxiliantur, vel fauent, vel consulunt. Sed non adest circumstantia separata.

Agitur de pœnis sacrilegij in foro exteriori, ac etiam adulterij, & concubinatus.

SVMMARIVM.

1 *Sacrilegus punitur in foro exteriori pæna vltimi supplicij? & n. 4. Non gaudet Ecclesia n. 2. Sed quid si furtum sit de re non consecrata, vel non benedicta, sed sublata ab Ecclesia n. 5. & 7.*

3 *Decreti forma contra sacrilegum refertur.*

6 *Eucharistia abutens per incantationem, aut similem modum est igne comburendus.*

8 *Sacrilegij pæna, quando quis grauiter offendit personam Ecclesiasticam; & in loco sacro, est mortis? & n. 11. & quid in personas monialium n. 15.*

9 *Scalarum ex asportatione de nocte per Ciuitatem Neap. est pæna mortis, dummodo cum eis fuerit asportans apprehensus,*

10 *Attentatum delictum, licet fuerit deuentum ad actum proximum, etiam in atrocissimis, (crimine lesæ Maiest. excepto) non punitur pæna ordinaria.*

12 *Persona præfertur cunctis rebus.*

13 *Indicijs pluribus concurrentibus, non fit cumulatio ad imponendam pænam mortis, si pro vnoquoque ipsorum non possit imponi, sed tantum ad augendam pænam extraordinariam & n. 14.*

16 *Adulterij pæna, tam de I. diuino, quam ciuili est mortis, & ita fuit practicatum, concurrente tamen etiam incestu. Sed quæ sit hodie, quando quis cognouit mulierem honestam, etiam si maritus consentiat? & quid si erat meretrix? n. 17. 18. & 19.*

20 *Concubinatus non solum est prohibitus de I. Diuino, & Canon. sed etiam ciuili.*

Resolutio XXIX.

1 CVm fuerit supra res. 26. & alibi tractatum de sacrilegijs, de quibus etiam in duabus sequent. resol. dicetur, non immerito subijciemus hic pænas, quæ in foro exteriori pro eis tam ratione rei sacræ ablatæ, quam loci, & personarum iuxta triplicem sacrilegij diuisionem *ex c. quisquis 17. q. 4. & D. Tho. 2. 2. q. 99. art. 3. in corp.* tribui solent, & fuerunt de facto talibus scelestibus hominibus tributæ; Cum ergo quidam siculus pixidem valoris ducatorum triginta, in qua repositum erat Sanctissimum, de nocte ex templo Iesus Mariæ Ordinis Prædicatorum Neap. surripuisset (quod est sacrilegium ratione rei sacræ, & loci sacri) fuit primo dubitatum,

2 an gaudere deberet Ecclesia, in qua fuit comprehensus, & fuit exclusus *ex c. fin. de immun. Eccles. & Bulla Grego. y XIV.* & ab ea extractus, pœna verò fuit illata in eum seruata forma sequentis sententiæ. M.C.V. delegatæ per S.E. prolatæ die 5. Augusti 1636. quam scripsit *Sanfel. decis. 243. sub*

3 *n. 4. Per M.C.V. delegatam prouisum, & decretum est, quod prædictus Antonius, vt supra inquisitus pro causa prædicta raptetur, prout præsenti decreto raptari mandatur per loca so-*

N lita,

lita, & consueta huius Ciuitatis, & sic
raptando ducatur ad locum delicti, ibique am-
putentur manus, & laqueo furcis suspendatur,
ita quod in illis moriatur, & eius anima totali-
ter a suo corpore separetur, & eius cadauer in
frustra scindatur, hoc suum, &c.

Deinde fuit dubitatum in eodem Tri-
4 bunali, qua pæna esset puniendus alter sa-
crilegus, qui argenteam patenam modici
valoris ab alia Ecclesia surripuerat, & cum
pro eo fuisset allegatus *tex. in l.sacrilegij*
pænam §.cæterum ff. ad l.Iul.peculat. vbi ra-
tione paruitatis rei exprefse dicitur impo-
nendam esse pænam extraordinariam, fuit
tamen, hoc non obstante, furca suspensus
authoritate *Aret. in §.item lex Iulia n.2. in-*
stit de public. indic. & Farinac. de furt. q.171.
n.42. par.2. teste eodem Sanfel. loco cit. n.6. &
7. & ratio potest esse, quia tempore Im-
peratorum antiquorum, non erat in tanta
veneratione, sicut hodie esse reperitur ex
5 gratia Dei Ecclesiarum cultus. Rursus
fuit dubitatum an eadem pæna mortis es-
set practicanda contra alterum, qui surri-
puit ab alia Ecclesia linteamina Altaris, &
alia ex serico contexta (quod est sacrilegiũ
ratione loci sacri,) pro inquisito dicebatur,
quia in his, & similibus, vt sunt cibaria,
phialæ, capsulæ, feretra, libri, ornamenta,
mappę, gazophilacium, ex quo non conse-
crantur, neque benedicuntur, non com-
mitti propriè sacrilegium de I.ciuili *ex l.di-*
ui ad l.Iul. pecul. quamuis de I.canonico ve-
rum sacrilegium dicatur *c.quisquis 17.q.4.*
quibus tamen non obstantibus, fuit ad
mortem damnatus, sub die 8. Settembris
1624. Et iterum per aliam sententiam mor-
tis alter similiter inquisitus sub die 21.
Maij 1627. & ambæ executæ eodem *San-*
fel. teste decis.35. idem suo tempore in anno
1554. fuisse seruatum testatur *Foller. in*
fragment. sub. tit. de sacril. contra quemdam
Salernitanum, qui cum furtiuè subtraxisset
quamdam Crucem ab Ecclesia Sancti Lau-
rentij, statim fuit suspensus prope eamdem
6 Ecclesiam. Abutens autem Eucharistia
(quod est maximum sacrilegium, vt cum
D.Tho. dictum est resol.26. n.23) faciendo
cum ea incantationes, vel proijciendo in
terram, aut alio modo vituperans, est igne
comburendus iuxta *Consil. Bart. nouiss.9.*
in ordine n.3. & latius dicetur resol.84. n.14.
& 18. sed non est in hoc sacrilegio, sicut
in prædictis circumstantia separata, nisi ip-
sum idem maximum peccatum.

7 Sub generalitate tamen legum prædi-
ctarum, tam canonicarum, quam ciuil, non
puto comprehendi eum, qui furaretur in
Ecclesia pecuniam ex marsupio cuiuslibet
orantis in ea, vel tapeta, aut baldachinos
Principum priuatorum, quæ solent poni
in Ecclesia pro eorum priuata commodita-
te, & ratio est, quia ibi per accidens sunt
posita, nec propterea potest dici illatam
esse iniuriam Ecclesiæ, quæ in his nullum
habet interesse, & consequenter non esse
circumstantiam de necessitate aperiendam
in confessione *Sotus in 4. dist.8. q.2. art.4. Io.*
de la Crux. direct. conscient. par.2. tract. de
sacram. pænit. q.3. dub.6. concl.1. Henriq. lib.
2. c.6. n.1. lit. N & vide supra resol.20. n.19.
Addit *Lessius lib.2. c.45. dub.3. n.14.* non
censeri Ecclesiæ per tale furtum maiorem
iniuriam irrogari, quam per confabulatio-
nes, risus, detractiones, & similia, quæ
fiunt in Ecclesia, quam sententiam proba-
bilem vocat *P.Dia. par.1. tract.7. resol.27.*
secus verò si prædicta fuissent mutuo ac-
cepta per sachristam, pro ornamento Ec-
clesiæ, isto enim casu dicuntur deseruire
cultui diuino, vltra interesse formatum
Ecclesiæ, que tenetur ad restitutionem
bonorum prædictorum, mutuo accepto-
rum, ita *Zerola in praxi pænit. c.12. q.17.*
ex Farin. de immunit. Eccl. c.16. n.217. super
Bulla Gregor. XIV.

8 Pro sacrilegio verò ratione personarum,
aut loquimur de iniurijs realibus in per-
sonas Ecclesiasticorum, siuè regularium,
siuè secularium, aut de peccato carnali in
personas monialium (quia si peccatum car-
nale committur à sacerdote cum alijs per-
sonis, vltra sacrilegium, quod committunt,
deponuntur secundum *Ius antiquum c.pres-*
biter dist.81. & excommunicantur c.si quis-
piam eodem tit. cum multis sequent. de iu-
re verò nouo, si moniti non desistunt, pri-
uantur beneficijs, alijsque pœnis multan-
tur *iux. Trid. sess.25. de reform. c.14.)* Primo
casu, vltra excommunicationem Pontifici
reseruatam, quam ipso facto iniurantes in-
currunt seruata forma *c.si quis suadente 17.*
q.4. & c.fælicis de pænis in 6. cum in anno
1634. in Ciuitate Neap. quidam Grego-
rius ascendisset cum scalis ligneis ad mo-
nasterium S.M. de Gratia furandi causa, ac
fenestram ingressus, monachum vulneras-
set, ibique detentus, & postea de ordine
Illustrissimi Nuntij Apostolici traditus
M.C.V. fuit dubitatum qua pœna punien-

dus

dus eſſet; & quoad ſcalarum aſportatio-
9 nem, licet adſit *R. Pragm. ſub tit. de ſcalar. prohibit.* inferens pœnam mortis eas aſportantibus per dictam Ciuitatem noctis tempore, non poterat tamen hoc in caſu locum habere, cum tam ex verbis Pragm. quam de iure communi per *l.ſi Barzatorem ibique Bar. communiter receptus C.de fideiux. & Iul. Clar. in pract. crim. §.fin. q.82.* requiratur apprehenſio cum ſcalis, quæ hic deficiebat.

10 Quoad furtum attentatum, nequidem *l.1.in fine de extraordin.crim.ibi, perfecto flagitio punitur capite, imperfecto in inſulam deportatur l.1. §.ſola cogitatio de furt. l.ſæpe in fine ff. de verb. ſignif.* & licet edita fuerit *R.Pragm. ſub tit. de ictu ſcopitti*, mandans habere locum pænam mortis, quando fuerit deuentum ad actum proximum, emittendo ictum ſcopitti ad nocendum, quamuis mors non fuerit ſecuta, attamen *Gizzar. deciſ.* 25. refert pluries deciſum per S.C. numquam illam Pragm. fuiſſe ad praxim eductam. Et ſic quatenus poſſet fieri illatio de iſto caſu ad illum ex paritate, ſeù maioritate rationis virtute *tex. in l.non poſſunt ff.de legib.vel auth.multo magis C.de ſacroſ.* §.*Eccl.*nè quidem mortis pœna locum ſibi vendicaret, & conſequenter eum ex duobus capitibus præcedentibus dicta pæna practicari non potuiſſet, vt ex alijs medijs diſcurrit *Sanfel. deciſ.34.* fuit ad eam damnatus ex vulneribus in monachum illatis in loco ſacro, & rationabiliter; ete-
11 nim ſi pro rebus ſacris ablatis, vel non ſacris de ſacro, ſemper fuit impoſita pœna mortis, vt ſupra vidimus, multo magis pro vulneribus in monachi perſonā, quæ præ-
12 fertur cunctis rebus *c.2. de homicid. volunt. vel caſual.* & inſuper eſt tex. puntualis, imponens pœnam capitalem talibus ſacrilegis *l.ſi quis in hoc genus C. de Epiſc. & Cler.*

Nec poteſt dici hoc cueniſſe ex quo cōcurrebant plura delicta, ſcalarum ſcilicet aſportatio, furtum attentatum, & vulnera, quaſi quod ex eorum cumulatione fuerit capitalis ſententia prolata; etenim
13 ſicuti verum eſt, quando concurrunt plura indicia, ſemiplenam probationem vnūquodque eorum facientia, non vniri in criminalibus ad plenam probationem faciendam, ſicuti fit in ciuilibus, ſed ſolum ad augendam pænam extraordinariam *Afflict. deciſ.12. n.3. & ibi Vrſill. n.4.* ex communi omnium ſententia, ita pari modo,
14 pluribus concurrentibus delictis, & neutro eorum inferente mortis pænam, nec poſſe eis cumulatis inferri, ſed tantum pænam extraordinariam augeri non eſt dubitandū, ex paritate rationis, quia vna determinatio reſpiciens plura determinabilia debet ea æqualiter determinare *l.iam hoc iure de vulg. & pupill.* & de vno caſu infertur ad alium ſimilem *d.l.non poſſunt*, & ita vidi ſemper practicari.

15 Aut verò, & eſt ſecundū caput, agitur de peccato carnali in perſonas monialium, & hoc caſu, non dico ſi fuerit conſummatus actus, ſed ſolum ſi deuentum ad aliquem actum proximum, etiam ſub matrimonij colore (quod nec poteſt conſiſtere cum monialibus) adhuc eſt pœna mortis vulgata *l.ſi quis non dicam rapere C.de Epiſc.*
16 *& Cleric.* Pœna autem adulterij de quo ſupra reſol.26. & alibi loquuti ſumus, de iure diuino eſt mortis, tam in viro, quam in fæmina *leuit. c.20.* & etiam de iure ciuili in viro, fæmina verò verberata, detruditur in monaſterium *l.quamuis 30. & auth. ſed hodie C.ad l.Iul.de adult.* cumque annis præteritis caſus accidiſſet, fuit dubitatum, an iſtæ pænę antiquæ poſſent etiam hodie practicari, dum videntur frequentari talia delicta, & non ſolent ſimili pæna puniri, & fuit deciſum affirmatiuè per M.C.V. licet concurreret etiam inceſtus, & attentata venenatio in virum ex parte adulteri (quæ tamen venenatio non fuit probata) vt refert *de Franch.deciſ.240.*& conſequenter prædicta ſententia confirmata per S.C. fuit fundata ſuper crimine adulterij cum inceſtu, qui etiam erat remotus, nempe in
17 5. gradu. Hæc tamen pæna locum ſibi vendicat in adulterio, quando quis cognoſcit mulierem honeſtam, ſicuti in caſu relato, & hoc clariſſimum eſſe de iure communi docet *Sanfel. deciſ.266. n.1. ex l.quamuis 19. C.ad l. Iul. de adult. & ſubdit n. 3.* idem eſſe ſi maritus conſentiat, ipſumque puniri poſſe de lenocinio per *l.2. §.ſi publico ad l.Iul.de adult.ibi, lenociniū igitur mariti ipſum onerat, non mulierem excuſat.*

Si verò adulterium fuit commiſſum cū męretrice nupta, & iterum diſtinguo, aut poſt aſſumptum virum deſtitit à vita mæretricali, & tale adulterium eſt mitius puniendum, aut perſeuerauit in ea, & non punitur, vt adulterium *Farinac. de delict. carnal.q.145. §.meretrix n.177.Iul.Clar.ibique addentes in §.adulterium n.3.* ſed exilio,

18 vel simili, sicuti fuit practicatum contra quamdam mæretricem, eiusque virum lenonem, qui fuerunt expulsi à Regno, vt refert decisum *Sanfel. cit. n.6. qui in decis. 291. n.25.* addit ex hodierno vsu non practicari pro adulterio, etiam cum muliere
19 honesta pœnam mortis, sed triremium in ignobilibus, relegationis in Nobilibus, vel exilij temporalis, prout etiam aliàs fuisse decisum testatur cit. *de Franch. n.8.*

20 Circa verò concubinatum cum soluta, est etiam prohibitus, non solum de iure diuino, vt in decalogo, & de I. Canonico *ex c. meretrices cum pluribus sequent. 32. q. 2. & Trident. sess. 24. c. 8.* vbi diuersæ pœnæ statuuntur contra tales, sed etiam de iure naturali *vt docet D. Tho. in 4. dist. 33. q. 1. ar. 3. quæstiunc. 1. corp.* imo & de I. ciuili iuxta congesta per *Sanfel. decis. 245. licet Iul. Clar. in §. fornicatio n.6. & de Franchis decis. 240. n.17.* vbi alij, hoc negent, sed in facti contingentia *Eliseus Dansa de pugna DD. par. 1. in tit. de concub. n.15. & 17.* refert, fuisse in anno 1587. & iterum 1603. expeditas prouisiones Collateralis Concilij Neap. mandantes procedi contra concubinarios, & pœnis debitis puniri, secundum quam praxim fuisse nouissime alios consimiles ordines per Regni Proregem expeditos testatur *cit. Sanfel. ibidem n.8* extra verò hunc vltimum casum, quia in alijs prædictis concurrũt circũstantiæ specie diuersę, omnes sunt in confessione aperiendæ iuxta dicta supra *resol. 26. n.17.*

Quibus in casibus Ecclesia violetur, & à quibus sit reconcilianda, cum alijs ad materiam?

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia polluitur per homicidium, vel vulnera in ea inflicta, secus si extra eam quis sit occisus, & postea ibi asportatus, in eadem denuo vulneretur cum sanguinis effusione, & n.6. & sequent. vbi de alijs casibus similib. Debet reconciliari per Episcopum modo, vt infra n.2. Etiã si sanguis non sit effusus, sed aliquis ibi suffocatus n. 4. Si non sit consecrata, sed tantum benedicta, dicunt aliqui posse lauari per simplicem sacerdotem, sed nullo in casu antequam lauetur, seu reconcilietur, possunt ibi diuina celebrari n.3. Non polluitur, si alicui carnes ibi contundantur, ossaque frangantur, dummodo sanguis in ea non sit effusus, vel mors non secuta n.5. neque per effusionem sanguinis canis, vel cuiuscumque animalis n.7.*

8 *Defensio est adeo permissa, vt si quis dum celebrat, aggrediatur, & aliàs non valeat vitæ periculũ euadere, potest aggressorem occidere, nec propterea irregularitatem contrahit, aut veniale committit, sed absque alia reconciliatione potest sacrificium complere.*

11 *Magis dignum trahit ad se minus dignum. Contigua quæ dicantur?*

12 *Ecclesia polluitur cuiuscumque seminis humani effusione, etiam infidelis, secus si accidat in somnis, etiã præcedentibus cogitationibus venereis.*

13 *Fornicatio occulta in Ecclesia, eam non polluit, donec occulta permanserit, est nihilominus sacrilegium. & n.14. 15. 17. & 18.*

16 *Probatio, an, & quæ requiratur in casibus pollutionis Ecclesiæ.*

19 *Sacrilegij pœna de iure ciuili est mortis, de I. verò Canon. est excommunicationis, & pecuniaria.*

20 *Ecclesia pro delictis etiam capitalibus, mortis pœnam non infligit.*

21 *Copula coniugalis in Ecclesia eam non polluit secundum vnam opinionem, quæ reijcitur, etiam si ibi longa mora interueneritꝰ & n.22. & seqq.*

24 *Noë, & filij eius pro toto tempore, quo manserunt in arca, se continuerunt ab vxoribus.*

28 *Furtum est permissum in modica quantitate tempore necessitatis.*

29 *Ecclesiæ immunitate gaudet exiens ab ea exonerandi causa corpus, licet sit captus extra eam? & n.30.*

33 *Sancta non possunt coinquinari, vt scriptum est de sacramentis, & idem dicendum de Ecclesia.*

34 *Ecclesia sicut est incapax peccandi, & gratiam suscipiendi, si consideretur materialiter, ita à simili potest dici de pollutione. Sed ad quem finem reconcilietur? n.35. Ingressus ad eam operatur remissionem venialium. n.36. Polluitur in opinione hominum, & propterea quando pollutio est occulta, non reconciliatur, n. 37. Neque si antequã publicetur violatio, fuit ibi missa celebrata. n.38. Sed polluitur, si in ea sepeliatur excommunicatus*

catus vitandus, qui ante reconciliationem est exhumandus, si discerni possit à cæteris corporibus, aliàs minimè n. 39. secus si ibi sepeliatur interdictus personaliter, & nominatim n.40.

41 *Pœnæ non sunt extendendæ de casu ad casum.*

42 *Infidelis si sepeliatur in Ecclesia, polluitur, & ante reconciliationem exhumatur corpus, si discerni possit ab alys, & amplius abraduntur parietes Ecclesiæ.*

Resolutio XXX.

1 PRimus casus est, quando in Ecclesia committitur homicidium voluntariū *c.proposuisti 4. de consecrat Eccl. vel Altar.* vel ibi aliquis vulneratur cum sanguinis effusione, vt infra. Vnde cum quidam fuisset extra eam occisus, & postea adhuc calidus ad eamdem asportatus, credensque occisor eum viuum, denuo vulnerasset cū sanguinis effusione in ea, dicit *ex Henriq. lib.9. c. 27. n. 5. P.Dia. par.6. tract.6. resol. 25. contra Eman. sà v.Ecclesia n.13.* non esse

2 pollutam; sed quidquid sit de hoc, certum est debere in prioribus casibus reconciliari ab Episcopo, vt in *cit.c.4.* & cum aqua ab eodem, vino, & cinere benedictis *c. fin. cum Gl. fin. iuncto c.aqua eod.tit.* vbi etiam prohibetur, talem reconciliationem fieri per simplices sacerdotes, licet aliquo in loco talis consuetudo vigeret, quam ibidem *Gregor.IX.* vocat corruptelam.

Eodem modo polluitur Ecclesia non consecrata, & solum benedicta *c.si Ecclesia eod. tit.iuncto c.Ecclesiæ de immunit.Eccles.* vbi *Gl.fin.* oratoria verò priuata, quæ non sunt consecrata, neque benedicta, sed tantum ab Episcopo designata, non polluuntur

3 *Henriq. cit. ex Soto Nauar. & alys.* Dubitatum tamē fuit per *Gl.in d.c.fin. v.lauetur,* an Ecclesiam non consecratam, sed solum benedictam, si polluatur, sufficiat lauari per simplicem sacerdotem? arguit pro, & contra, sed non resoluit quæstionem. *Nauar. autem in man. c.27. n.256.* respondet affirmatiue *ex d.c.aqua,* vbi contrarium expressè deciditur, citat alios Canonistas, qui me non mouent ex generalitate tex. prædicti, id omnino prohibentis, quem etiam ita praxis recepit, sed Nau. sequuntur *Henriq. lib.9. c.27.n.6.* præuia tamen licentia Episcopi *Bonac. to.1.de matrim. q.4.pun. vlt. n.27.* antequam autem reconcilietur per Episcopum, siuè per simplicem sacerdotem cum licentia prædicta, si tenenda sit opinio istotum, certum est nullo in casu posse ibi diuina fieri.

4 Licet autem in cit. locis dicatur, sanguinis effusione Ecclesiam pollui, si tamen nec sanguinis gutta effundatur, sed ibi aliquis suffocetur, & mors sequatur, eodē modo Ecclesia violatur *Gl. in c.unico v.sanguinis de consecr. Eccl.vel Altar.in 6.* quam sententiam ampliant multi apud *P. Dia. par. 6. tract. 6. resol. 47. in princ.* etiamsi grauiter vulneratus in Ecclesia, sanguinem extra eam effundat, quam in fine dicit esse communem opinionem, nullus autem citat Gl. prædictam, cuius est originaliter; verum in eodem *tract. resol.26.* loquendo de contuso in Ecclesia cum sacculis arenæ, & extra eam mortuo (qui est casus fortior) docuit contrarium.

Sed prior sententia est verissima, quam probat *layman lib.5. tract.5. c.5. n.8.* etenim prohibitio principaliter fit, ne mors, vel vulnera in Ecclesia inferantur, quod autem sanguis ibi effundatur, vel non, est omnino accidentale, quod non est in consideratione, vnde *Innoc.III. in c.proposuisti eod.tit.* ait, quod pro homicidijs, vel vulneribus in Ecclesia, reconcilianda est, nec ibi fit mentio aliqua de sanguinis effusione. Adde idem esse aliquem veneno necare, licet sanguis nullo modo effundatur, quàm gladio, & cum sanguine occidere *l.1. ff.ad l.Cornel. de Sicar.* & perinde hoc etiam docuit *Regin. lib.29. n.181. vbi communem*

5 *dixit ex Suar. & alys.* Item *ex cit. Gl. addit Nauar. sub d. n.256.* quod si percussio non sit mortifera, quamuis ex percussione carnes contundantur, ossaque frangantur, dummodo sanguis in ea non effundatur,

6 Ecclesia non polluitur; Sed addit Gl.cit. & verum dicit, talem effusionem debere esse iniuriosam, aliàs nec pollui, si omninò casualiter homicidium euenerit, aut paucæ guttę sint effusæ iocose, vel naturaliter per nares, aut per os, aut lapsu, vel offendiculo, siuè ictu lapidis per se decidentis, imo etiam si iniuriose per nares, aut aliam partem, sed non in copia *DD. apud Dia. par.6. tract.6. resol.24. & 25. §. notandum.*

7 Nec polluitur Ecclesia ex eadem *Gl. & Nauar. cit.* si canis, aut aliud animal, etiam data opera, in Ecclesia occisa sint.

Addit *Suar.to.1. lib.3. de statu Relig. c.2. n.2. ex ead. Gl.& Abb.* quod si homicidium esset

esset casuale, sed ex culpa præcedenti cō-
missum, polluta etiam esset Ecclesia, quod
probatur in *c.continebatur*, *de homic. volunt.*
vel cas. ab eo non cit. Item ex eadē Gl. disci-
mus, quod si quis extra Ecclesiam vulnera-
tus, ad illam confugiat, ibique sanguinem
spargat, non polluitur, secus ex contrario,
si in Ecclesia vulneretur, & ante sanguinis
effusionem, ab ea exeat, vel sanguinem
in scutella recipiat, verba sunt Gl. cit. quā
communiter esse receptam testatur Nauar.
vbi supra, sequitur *Bonac. to. 1. de matrim.*
q. 4. pun. vlt. n. 20.
8 Præterea notandum ex eadem Gl. est,
quod si quis cum moderamine inculpatæ
tutelæ, se defendendo alium occiderit, vel
ferierit intra Ecclesiam; non propterea
polluitur, nec aggressus est irregularis
Clem. vnica de homicid. volunt. vel cas. &
l. vt vim ff. de iust. & iure Nauar. d. n. 20. im-
mo addit Baiard. ad Clar. in pract. crim.
§. homicidium n. 82. ex Baldo in consil. 19. n. 8.
idem esse in sacerdote celebrante, qui si cū
eodem calice aggressorem occiderit, irre-
gularis non fiat, nec veniale committat, &
proinde possit terminare missam absque
alia reconciliatione, dummodo tamen in
tali periculo sit constitutus, quod alioquin
periculum vitæ propriæ euadere non pos-
sit, & vide supra *resol. 25. n. 13.* vbi retuli
Trid. in contrarium, & quomodo sit intel-
9 ligendum. Item nec polluitur Ecclesia per
homicidium, vel vulnera illata à furioso,
vel puero iudicio carente argum. *c. 1. de*
delictis pueror. Nauar. vbi supra ex Ar-
chid. in c. vnico de consecr. Eccl. in 6. Regin.
lib. 29. n. 180. ex Suar. & alys, Bonac. loco
cit. prout nec polluitur, si in tecto Ecclesiæ
desuper, vel subter eius pauimentum, aut
in quocumque alio loco (Ecclesiæ tamen
naui eiusque cappellis exceptis) talia per-
petrentur à quibuscumque *Gl. in d. c. vnico*
v. sanguinis Nauar. cit. ex eod. Archid. &
10 *alys.* Item polluta Ecclesia, est quoque
pollutum cæmeterium contiguum, sed non
11 è contra, ne minus dignum, maius di-
gnum ad se trahere videatur, verba sunt
textus in *d. c. vnico*; verum non est opus
alia reconciliatione, quia per reconcilia-
tionem Ecclesiæ, est etiam illud reconci-
liatum *Gl. in eodem c. vnico notab. 2.* conti-
gua autem, vt explicat eadem *Gl. inferius*
v. contiguum ex Aristot. 5. Physic. dicuntur
ea, quorum extrema se contingunt, vel
quorum terminus est vnus.

12 Secundo polluitur Ecclesia per seminis
effusionem *c. fin. de consecr. Eccl. vel Altar. &*
c. vnico eodem tit. in 6. dico seminis humani,
quia si esset cuiuscumque animalis, non
officeret *Gl. in d. c. vnico v. seminis, &*
addit Nauar. in man. c. 27. n. 257. pol-
lui Ecclesiam etiam effusione seminis ho-
minis infidelis; pollutione verò in som-
nis eueniente, siuè fidelis, siuè infidelis,
Ecclesia non violatur; imò nec si talis
pollutio acciderit præcedentibus cogita-
tionibus venereis in vigilia idem *Nauar.*
ibidem Syl. Henriq. & aly apud Bonac. to. 1.
13 *de matrim. q. 4. pun. vlt. n. 19.* Dubitarunt
autem DD. vtrum per simplicem fornica-
tionem occultam intra Ecclesiā? & negati-
uè respondet *Vasq. in 1. 2. to. 1. q. 72. art. 7.*
disp. 98. c. 3. n. 7. vbi dicit esse communem,
volens locum sacrum violari pollutione
notoria, non autem occulta, sequitur *Ba-*
sil. Pont. de matrim. lib. 10. cap. 10. n. 15. de
qua quæst. incidēter loquitur *Dia. par. 1. tr.*
7. resol. 26.
14 Sed dissentit quodammodo *Suar. de Re-*
lig. to. 1. lib. 3. c. 7. n. 4. vbi ait quod, licet
fornicatio non violet Ecclesiam actu, seu in fo-
ro ipsius, quamdiu occulta est, tamen Ecclesia
non prohibet solum publicam seminationem in
Ecclesia, sed simpliciter seminationem volunta-
riam; & hinc est, quod licet in principio, quan-
do talis actus est occultus, nō polluat Ecclesiam,
nihilominus si postea fiat publicus per partis
confessionem, aut testes, incipit Ecclesia esse
polluta iuxta tex. in c. significasti de adulter.
ergo à principio actus ille fuit culpabilis contra
Ecclesiæ prohibitionem, quia culpa non depen-
det ex futuro euentu, nimirum an fornicatio
illa, sit aliquando futura publica, nec nè; &
actus ipse de se polluit sufficienter, & est contra
15 *specialem prohibitionem Ecclesiæ, hæc ille.* Qui
tamen iterum de prædictis verba faciendo
to. 3. de Eucharistia disp. 81. sect. 4. dub. 2. di-
cit neminem teneri abstinere à diuinis in
Ecclesia, donec per sententiam declaretur
à Iudice esse pollutam ex decreto Concil.
Constant. quod ego verum non puto; ete-
nim videmus, effuso sanguine in Ecclesia,
omnes abstinere, nec sententiam propterea
inferri solere, ergo idem est practicandum
circa seminis effusionem, si eodem modo
16 sciatur, vnde ait *Soto in 4. dist. 13. q. 2. art.*
3. ad 2. & dist. 32. art. 3. quod si constet
virum, & fæminam in Ecclesia cohabitare,
id satis esse, vt Ecclesia polluta censeatur,
sed dicit *Nauar. in man. c. 27. n. 256.* in fine
quod

quod si duo testes viderint fornicationẽ in Ecclesia, non tamen debet quis abstinere à celebrando in ea, nisi postquam isti hoc publicauerint.

17 Verum additio Vasq. ibidem, quod nè quidem talis fornicatio sit sacrilegium, & consequenter nec de necessitate sit talis circumstantia in confessione aperienda, est magis contra *Suar.cit.d.n.4.* & alios, vt infra, quia licet ad effectum pollutionis Ecclesiæ necesse sit, quod delictum publicetur, non propterea sequitur peccatum non esse commissum; etenim quamuis in homicidio maximè qualificato statuta sit pœna mortis *l.1.ff.ad l.Cornel. de Sicar.* quæ non potest infligi, nisi publicato, & conuicto delinquente, si tamen numquam sciatur, non propterea non dicitur commissum peccatum, cum suis qualitatibus, quæ si differunt specie, sunt etiam de necessitate confitendæ vt supra *resol.26. ex Trident. &*

18 *alijs* est late probatum. Si ergo per seminis emissionem voluntariam, & publicam in Ecclesia, secundum omnes, & eundem Vasq. committitur sacrilegium, eodem modo per occultam, cum idem sit apud Deum; omnia enim nuda sunt ante oculos eius; differentia ergo solum est in pæna exteriori infligenda à Iudice in foro exteriori, qui donec id sciat, & probet, punire non potest, secus in Iudice interiori, qui pari modo scit interius, & exterius, & propterea oportet de tali peccato pænitẽtem se accusare, cum sua circumstantia sacrilegij.

Quod clarius patet ex *c.quisquis 17.q.4.* vbi legitur, committi sacrilegium auferendo sacrumde sacro, vel non sacrum de sacro, aut cognoscendo monialem, &

19 similia; modo in vtroque genere sacrilegij est pæna mortis *l.sacrilegij pænam l.sacrilegi ff. ad l.Iul.pecul. & l.si quis non dicam rapere C. de Episc. & Cleric.* vt etiam di-

20 ctum est in priori resol. de I. verò canon. quod mortem corporalem non infligit, vt testatur *D.Tho.2.2. q.99. art.4. in corp.* est pæna excommunicationis, & pecuniaria *c.quisquis, & c.si quis 17.q.4.* sed si huiusmodi delicta numquam deteguntur, numquam consequenter pœnæ prædictæ locũ sibi vendicant, & tamen non propterea desinunt esse vera sacrilegia in foro interiori, & consequenter confessioni subijcienda, prout est regulare in omnibus sacrilegijs *Sanch.de matrim. to.3.lib.9.disp.15. n.11. & 21. Azor. par.2. lib.9. c.27. q.15. Bonac. de matrim.q.4. pun.vlt. n.7.* & proinde opinionem Vasq. circa hoc non puto probabilem.

21 Sed vtrum polluatur Ecclesia per copulam coniugalem ibi habitam? *Archid.in c. vnico de consecr. Eccl. vel Altar. in 6.* respondet negatiuè, quia reddere debitum est meritorium, cuius opinionem veram appellat *Suar.supra cit. n.3.* si intercesserit ibi longa mora, quia quod fit (ait ipse) ex necessitate ad subueniendum animæ periculo, non censetur moraliter fieri cum irreuerentia loci sacri, & ideo tunc cessat naturalis deformitas, sicuti Dauidi licuit comedere panes sanctos propter necessitatem, sine quà non licuisset, ergo eadem, vel maiori ratione, coitus cum vxore aliàs licitus, non est iniuriosus loco sacro, nisi sola voluntate, absque cogente necessitate fiat; similem distinctionem adhibuit *Tol. ante Suar. lib.5. c.12. n.10. & postea Sanch. cit. n.12. ex quam pluribus DD.* vbi voluit Ecclesiam ex tali coitu, si longa mora intercessit, non pollui.

22 Sed hæc opinio est contra *Gl.in cit.c.vnico v.seminis, & in 1.notabili,* vbi respondet rationi traditæ per Archid. fatendo, redditionem debiti esse meritoriam, sed in loco permisso, non autem in Ecclesia, quæ ex tali coitu ibi exercito polluitur; idem voluit in *c.Ecclesijs v.semine dist.68.* rationẽ assignat in *c.quoniam v.opportuno dist. 31.* quia scilicet sicut debitor non tenetur semper venire cum sacculo paratus *l.quod dicimus ff. de solut.* ita nec vir debet semper esse paratus ad reddendum debitum. Facit etiam litera *textus d.c.quoniam,* quod copula est adhibenda in tempore opportuno, vt docet etiam *Nauar.in d.c.27. n.257.* quam opinionem ex Gl.prædicta communem dixit *Tabi. in summa v.consecratio 2.n.8. imo,*

23 *Palud. in 4. dist. 18.q.8. art.4. & dist.31. q.3. art.2. ex Io.Andr. & alijs,* voluit non solum Ecclesiam violari per copulam coniugalem, sed etiam mortale committere coniuges, licet alium non possent habere locum, quia cum hoc non sit præcisæ necessitatis, sicut vrinam emittere, non potest propterea talis irreuerentia loco sacro

24 irrogari, nam etiam Noè, & filij eius se continuere tempore diluuij, dum erant in arca inclusi, vt dicit *Ricchar.in 4. dist.32.* licet postea addat, quod si mora in loco sacro esset longa, possent petere, secus si breuis.

Idem

*Idem Tabi. in v.matrimonium 3. n.*10.latius denuo disputat articulum, & idem docet, inuehens contra *Angel. v.debitum §.fin.* qui tenuit contrarium, quod periculosè locutus sit contra munditiem loci sacri, qui custoditur bono Angelo, & contra mentem *D.Tho. quodlib.* 2. (vbi tamen
25 hoc non inueni,) & quod tali casu possunt coniuges recurrere ad pœnitentiam, & ieiunia, sicut fecerunt prædicti in arca, & continuerunt se per annum, vt in *Genes.c.*8. in qua nec erant sacramenta, sicut in Ecclesijs, & tamen abstinuerunt, vt iram Dei placarent; nec suffragari rationem in contrarium, quod scilicet etiam per homicidium ex defensione corporis non violetur; ergo à fortiori, nec per copulam coniugalem, pro defensione animæ, ne tentationi succumbant; quia eo in casu excusat necessitas ineuitabilis, in isto autem resistitur armis pænitentiæ.

26 Sed pace tantorum virorum dixerim, talis disputatio superuacanea videtur, cum habeamus in promptu tex. expressos, eam decidentes, hi sunt *c.Ecclesijs de consecr.dist.* 1. *& c.fin. de consecr. Eccl. vel Altar.* vtrobique enim legitur cuiuscumque semine Ecclesiam pollui, sed verbum, quicumque, est signum vniuersale complectens omnes casus *Gl.in Clem.*1. *v.quibuscumque de iudic. Pref. de Franch. decis.*162. *n.*2.*Grat.discept. for. c.*82. *n.*31. ergo etiam per semen coniugale Ecclesia polluitur; & miror de eod. Tabi. qui dixit non adesse iura, quæ de hoc mentionem faciant, & proinde ex alijs medijs opinionem prædictam probat, quam etiam antiquiores docuerunt, nempè *Abul. c.*5.*sup.Matth. q.*237. *D.Anton.* 3. *par. tit.*1. *c.*20. *§.*2. *& tit.*12. *c.*6. *§.*4. *casu* 2.*Adr. in* 4. *q.*14. *de matrim. §. pro huius Caiet. in summa v.matrimonium c.vlt.versic. sextum caput,Victoria in summa de Eucharist. n.*99. *& de matrim. n.*279.

27 Ad argumentum autem Suar. licuisse Dauidi comedere panes sanctos ex necessitate, vt in *c.*21. *lib.*1. *Regum*, quos absque ea non licuisset, & sic à simili licitam esse copulam coniugalem in Ecclesia in eadem necessitate; respondetur diuersam esse rationem, quando enim talis est necessitas, vt adsit periculum vitæ, nisi franga-
28 tur aliquod præceptum, licitè frangitur, fame enim eogente, licitum est furari in modica quantitate, similiter licet aggressorem occidere cum moderamine inculpatæ tutelæ, vt supra *n.*8. dictum est; sed non est similis necessitas copulæ, quæ potest omitti absque periculo vitæ corporalis, vt patet, & etiam vitæ spiritualis, adhiben-
29 do remedia conuenientia supra relata. Eodem modo respondetur ad aliam obiectionem Suar. ibidem de licita exoneratione ventris in Ecclesia, tempore necessitatis, quæ alias non liceret, nisi cum magna irreuerentia (quod est adeo verum, vt eum
30 quidam refugiatus in ea, existens prope eamdem ad talem actum agendum, captus à satellitibus, fuit oppositum debere gaudere immunitate Ecclesiæ, ex quo inconueniens putauit exonerare ventrem in Ecclesia, quà de causa exiuit ab illa, & fuit præuio decreto, causæque discussione remissus ad eam, vt refert *Sansel. decis.*137. *n.*1.) sed istæ sunt necessitates de iure naturæ, cui cedit ius Ecclesiasticum, quod introduxit violationem Ecclesiæ per seminis humani effusionem.

31 Quod si rursus opponatur de tex. *in c. si motum de consecr. dist.*1. vbi dicitur Ecclesiam homicidio, vel adulterio violari, & de *tex.in c.significasti de adult.* vbi similiter per adulterium declaratur polluta Ecclesia, ergo non polluitur per copulam coniugalem, vt voluere Archid.& alij supra relati: respondetur, prædictas opiniones non posse sustineri; etenim si verum esset tex. prædictos loqui taxatiuè de homicid. & adult. necessario sequeretur, nec pollui Ecclesiam per fornicationem notoriam, aut sacrilegium, cognoscendo monialem in Ecclesia, dum de prædictis nulla fit mentio in ll.cit. quod tamen esset absurdissimum, & nullus hoc ausus est vsque modo dicere. Et propterea indubitanter tenendum est tex.allegatos, generaliter loquentes, pollui Ecclesiam cuiuscumq; seminis emissione voluntaria, generaliter etiam esse intelligendos, copula quoque coniugali inclusa, ad tex. in l.de pretio ff. de public. in rem act.

32 Non negatur tamen rationes adductas per Sanch. & alios ab ipso relatas *d.n.*12. esse multi ponderis, præcipuè, quia si diu coniuges intra Ecclesiam permanere coacti essent, valde probabili periculo incontinentiæ exponerentur, admittendo fortasse voluntarias pollutiones, quousque concubitus prohibeatur, & quod non sit propterea credendum, Ecclesiam hoc in casu velle eos obligare ad abstinendum; sed

faci-

facilis eſt reſponſio; etenim eſto lex ſit
dura (ſi talem vocare velint, non obſtanti-
bus prædictis) ita tamen ſcripta eſt, &
propterea ſeruanda *l. proſpexit ff. qui, & à
quibus*; Hic tamen caſus raro, aut num-
quam accidere poteſt, cum nullibi puto
reperiri Eccleſiam, in qua non adſit ſa-
chriſtia, vel campanilis, tectum, aut aliud
quodcumque angulum illi contiguum, in
quibus certum eſt poſſe copulam coniuga-
lem abſque ſcrupulo exerceri, vt ſcribit
etiam idem *Sanch. cit. n.12. in fine*.

33 Dubium autem facit *Gl. in c. vnico in v.
pollui, de conſecr. Eccl. vel Altar. lib.6.* quo
nam modo poſſit Eccleſia violari in caſibus
prædictis, & ſequentibus, cum ſancta coin-
quinari non poſſint? *c. quod quidam in fin. 1.
q.1. c. fin. 15. q. vlt. & c. veſtra de cohabit. Cler.
& mul. quid enim (ait Imperator) in l. ſi
quemquam C. de Epiſc. & Cler. erit firmum, aut
ſtabile, ſi ſanctitas incorrupta corrumpatur*;
34 quibus reſpondetur, quod ſi Eccleſia ſu-
matur materialiter pro ſaxis, & lapidibus,
iſta ſunt incapacia peccandi, ſicuti ſuſci-
piendi gratiam. Qua de cauſa ait *D. Tho.
3. par. q.83. art.3. ad 3.* quod ex tali recon-
35 ciliatione, vel conſecratione, quando iſtis
opus eſt, homines quamdam deuotionem
percipiunt, ex qua paratiores fiunt ad di-
uina, non autem, quia Eccleſia, altaria, &
huiuſmodi inanimata, ſint gratiæ ſuſcepti-
ua, ſed ex talibus ſpiritualibus ceremonijs,
adipiſcuntur quamdam ſpiritualem virtu-
tem, per quam apta redduntur diuino
cultui, & in *lib.2. Macchab. c.3. in fine* legi-
tur, quod vere Dei virtus quędã eſt in Ec-
cleſia; nam ipſe, qui habet in Cælis habi-
tationem, viſitator, & adiutor eſt loci il-
lius, & venientes ad malefaciendum per-
cutit, ac perdit, & hinc eſt (ſubdit idem
Sanctus) quod huiuſmodi ante conſecra-
tionem emundantur, & exorcizantur; vt
exinde virtus inimici pellatur, & quod
propterea dicunt probabiliter quidam, per
36 ingreſſum Eccleſiæ conſecratæ, homines
conſequi remiſſionem peccatorum venia-
lium, ſicut per aſperſionem aquæ benedi-
ctæ.

Item dicit Gl. cit. fieri reconciliationem,
vt videntes homines Eccleſiam ſic lauari,
quæ non peccauit, nec peccare potuit, co-
gitent intra ſe, quantum pro ablutione
peccatorum laborandum ſit. Nec imme-
rito addi poteſt, Eccleſiam in caſibus præ-
37 dictis pollui in opinione hominum, etenim
ſi pollutio fuit occulta, reconciliatione non
eſt opus iuxta eandem *Gl. Nauar. in ſepe
cit. n.257. Suar. Henriq. Nugn. & alios apud
Bonac. to.1. de matrim. q.4. pun. vlt. n.25.*
& ſic dato quod ſi numquam veniret in
notitiam hominum, numquam reconcilia-
retur, ſequitur, quod in eorum tantum
38 opinione eſt polluta. Imo addunt *Hen-
riq. & alij apud eumdem Bonac. n.27.* non
eſſe neceſſariam reconciliationem, quando
Eccleſia fuit occulte violata, & poſt viola-
tionem, antequam publicaretur violatio,
confectum ibi fuit ſacrificium Miſſæ, cum
cenſeatur ſufficiẽter reconciliata per San-
ctiſſimi corporis Chriſti pręſentiam, quam
opinionem valde probabilem puto cum
Dia. par.6. tract.6. reſol.28.

39 Tertio polluitur Eccleſia, quando in
eius ſepulturis ſepelitur aliquis excommu-
nicatus vitandus *c. conſuluiſti de conſecrat.
Eccl. vel Altar.* qui tex. licet loquatur de
cœmeterijs; idem eſt à fortiori, vel a ſi-
mili de Eccleſijs, vt tradunt *Nauar. vbi ſu-
pra Suar. de Relig. to.1. lib.3. cap.2. n. 11.*
40 *& 12.* Vbi mouet quæſtionem, an eodem
modo polluatur, ſi in ea ſepeliatur aliquis
perſonaliter, & nominatim interdictus, &
poſt multa cõcludit negatiuè, quiá cum nõ
reperiatur talis caſus à iure comprehenſus
41 ſub tali pœna, non debet fieri extentio,
quæ in pœnalibus non eſt permiſſa *l. cum
quidam ff. de lib. & poſth. Præſ. de Franch.
deciſ.507. n.5.* in priori tamen caſu, eſt an-
te reconciliationem exhumandum corpus
excommunicati, & eijciendum, ſi diſcer-
ni poſſit ab alijs corporibus, non excom-
municatorum, aliàs minimè, vt ſtatuit *In-
noc.3. in c. ſacris de ſepult.*

42 Quarto polluitur Eccleſia, quando in
ea ſepelitur aliquis infidelis, quo caſu non
ſolum requiritur exhumatio, & eiectio
talis corporis, ſed etiam, vt abradantur
parietes Eccleſiæ, & poſtea dealbentur,
quibus peractis fit reconciliatio *c. Eccle-
ſiam 17. & 18. de conſecr. diſt.1. & vtrobi-
que Gl. & Nauar. locis cit. Suar. dicto cap.2.
n.3.* exhumatio tamen fit, ſi diſcerni poſſit
à corporibus fidelium, vt diximus de ex-
communicatis, aliàs minimè *d. c. ſacris*, &
tradit *Gl. in dicto c. Eccleſiam v. ſi tamen fide-
les*, & ratio eſt, quia infideles viri ab Ec-
cleſia repulluntur *c. perlectis diſt.25.* ergo
mortui; quibus enim viuentibus Eccleſia
non comunicat, nec mortuis comunicare
licet *c. de communione 24. q.2.*

Quibus in caſibus Eccleſia reconſecretur, & num qui rem illicitam habuit cum muliere in Sachriſtia, campanili, vel quibuſcumque locis ſacris, etiam Regularium, corpore tamen Eccleſiæ, eiuſque Cappellis exceptis, Sacrilegium committat, vel ſaltem teneatur talem circumſtantiam in Confeſſione explicare?

SVMMARIVM.

1 *Eccleſiæ reconſecratio fit tribus in caſibus, vt infra. Et quid ſi tempore conſecrationis fuit etiam benedicta? n. 2. Reconſecratur ſi eius parietes in totum fuere exuſti, vel collapſi, ſecus ſi ſucceſſiue, & ſucceſſiuè etiam reparati n. 3. Quid, ſi dubitetur de conſecratione? n. 4. Erubeſcimus cum ſine lege loquimur.*

5 *Sacrilegium an committatur, vel ſaltem ſit circumſtantia exprimenda in confeſſione, ſi in Sachriſtia, vel quibuſcumque locis Eccleſiæ coniunctis, ſemen effundatur, Eccleſia tamen corpore, eiuſque Cappellis exceptis.*

6 *Immunitate Eccleſiæ quando quis gaudere debeat vel non? & ſi ſit extrahendus in delictis exceptuatis, an requiratur plena, vel ſemiplena probatio delicti?*

Reſolutio XXXI.

1 AD primum reſpondeo reconſecrari Eccleſiam quando fuit exuſta in totum, vel pro maiori parte *c. Eccleſijs ſemel de conſecrat. diſt. 1.* ſecus verò, ſi tectum corruerit, & parietes illæſi remanſerint, vel modicum de eiſdem parietibus exuſtum, vel deſtructum fuerit *c. ligneis de conſecr. Eccl. vel Altar. Gl. in c. propoſuiſti V. reconciliari eod. tit.*, & ratio eſt, quia conſecratio conſiſtit in Crucibus, & in vnctionibus parietum cum orationibus, & propterea ipſis illæſis, ſeu modicum læſis, etiam corruente tecto, non officit, vt dicit *Gl. ibidem, & in dicto c. Eccleſijs v. exuſta Tabi. v. conſecratio 2. n. 3. Suar. autem de Relig. to. 1. lib. 3. cap. 2. n. 4.* addit tali caſu, nec reconciliationem eſſe neceſſariam,
2 quia nullum ius hoc præcipit, & in priori caſu, quo fuit Eccleſia omnino exuſta, & ſolum remanſit pauimentum, ſi tempore conſecrationis fuerit Eccleſia etiam benedicta, non indigere alia conſecratione, & propterea, ea refecta, & reparata, ſtatim aptam manere ad officia diuina, quia non amiſit benedictionem; quæ ipſi ſolo, ſeu pauimento adhæret, quam opinionem nulla lege, vel DD. authoritate fūdat, ſed *ex l. diſſentientis C. de Repud. & l. ſi verò §. de viro ff. ſol. matrim. dicit Sanch. lib. 2. de matrim. to. 1. diſp. 39. ſub n. 6. quod E*rubeſcimus cū ſine lege loquimur, eo magis cum videatur obſtare *tex. in dicto c. ligneis à contrario ſenſu*; licet autem axioma prædictum ſit verum, non tamen probatur in locis per Sanch. cit. ſed bene *in §. conſideremus auth. de trient. & ſemiſſe, ibique Gl. v. Erubeſcimus, & in extr. execrabilis v. ſublimitatem de præbend. in margine.*

3 Secundus eſt, quando parietes Eccleſiæ fuerint ſucceſſiue reparati, ex quo etiam ſucceſſiuè corruerant, vel deſtructi fuerāt, aut exuſti ſecund. *Tabi. citat. ex mente D. Th.* vt ipſe dicit, & vult etiam hoc in caſu eſſe reconſecrandam, ſed *Gl. in dicto c. propoſuiſti ex c. de fabrica de conſecr. diſt. 1.* docet ſufficere aſperſionem aquæ benedictæ, vtramque tamen eſſe probabilem opinionem dicit *Sylu. v. conſecratio 2. ſub n. 4.* ſed iſtam habere in ſe veritatem, quia omnis conſecratio eſt indelebilis, manente ſubiecto *ex D. Tho. 3. p. q. 29. art. 3. & q. 63. art. 5.* verum hoc dictum Syl. non adæquatur quæſtioni, quia non negatur conſecrationem eſſe indelebilē, manente ſubiecto, ſed ſupponitur iſtud defeciſſe in totum, non tamen ſimul, ſed paulatim; adhæreo propterea doctrinæ *Gl. in d. c. de fabrica in margine*, non debere reconſecrari, ſed tantum aqua exorcizata aſpergi, quia ex quo paulatim corruit, & paulatim fuit reparata, ſacrum traxit ad ſe non ſacrum *c. vnico de conſecr. Eccl. vel alt. in 6.*

4 Tertius caſus eſt, ſecund. eos, ſed ſecund. per nos, quando dubitatur, an ſit conſecrata *c. Eccleſiæ, vel Altaria eodem tit., & diſt. Gl. & Tabi. locis citat. Abb. in d. c. propoſuiſti Sylu. d. n. 4.* & ratio eſt, quia non dicitur iteratum, quod neſcitur eſſe factum, maximè vbi non apparet ſcriptura, nec teſtes exiſtunt, a quibus conſecratio ſciatur, vt ait Pontifex *in c. ſolemnitates ib. eodem tit. & diſt.* prout à ſimili dicitur de Baptiſmo *c. 2. de bapt. & c. veniens de Preſb. non baptiz.*

5 Ad

5 Ad ſecundum reſpondetur negatiuè *Suar. to.1. de Relig. lib.3.cap.9.n.7.Sanch. de matrim. to.2. lib.9. diſp 15. num.39. Nug.3. par. q.83. art.3. dub.2. Nauar.ex D. Tho. in man. cap.16. n.3. Regin. lib.29. n.182. Bonac. de matrim. q.4. pun. vlt. n.9. & ſeq.*, omnes enim fatentur nec ſacrilegium committi,nec eſſe circumſtantiam explicandam in confeſſione, etiamſi copula habita ſit in cellis Religioſorum à quibuſcumque,dummodò non ſint perſonæ ſacræ, quæ tenentur explicare circumſtantiam ordinis ſacri, non autem loci. Et ratio eſt, quia dum ſolùm in Eccleſia ſtatutum,de iure eſt, cõmitti ſacrilegium,non poteſt in pœnalibus, ſeu odioſis fieri extenſio de caſu ad caſum *c. odia de regul. iur. in 6. l. cum quidam ff. de liber. & poſth.* idem ex alijs voluit *Bar. à S. Fauſto q.166.& 167.* nomine n. Eccleſiæ venit ſolum corpus ipſius à tecto interiori vſque ad pauimentum, incluſo Choro, & Cappellis, loquendo in pœnis. In fauorabilibus autẽ an st. quis gaudeat Eccleſia, & à nullo locorum prædictorum extrahi poteſt inuitns *c. nullus c. ſi quis contumax,& c.id conſtituimus 17.q.4. idem Suar. vbi ſupra*, niſi eſſet diſrobator, ſeu graſſator ſtratarum, vel nocturnus depopulator agrorum *c. inter alia de immunit. Eccl.* licet ille prima vice etiam gaudeat, ſic intelligentes practici illud v. graſſatores ſtratarũ, ſicuti poſtea fuit declaratum in Bulla Gregor.14. quod vna vice non dicatur graſſator, in qua Bulla adſunt alij caſus, in quibus Rei poſſunt etiam ab Eccleſia extrahi, quos ſigillatim cum praxi hodierna referunt *Ricc.in collect.*1792.& P.Dia. in sũma v. immunitas Eccleſiarum à n.24. vbi multa alia ad materiam inueníes; de omnibus autem ad eandem materiam pertinentibus accuratè, & practicè agit *Sanfel. dec.16. 18. 19. 20. 136. 219. 240. 241. 242. 270. 271. & 276.* vbi ad extrahendum inquiſitum ab Eccleſia in caſibus permiſſis docet, ſufficere ſemiplenam probationem delicti, & ita fuiſſe ſæpe practicatum, ſed *Farin. Conſil. 76. relatus ab eodem Ricc. cit. in fine* vult requiri probationem plenam,certam, & concludentem.

Quid faciendum ſit de pecunia, vel aliare caſu inuenta, an mortuo illarum Domino, liceat de illis miſſas celebrare, vel pauperibus erogare pro anima ſua, etiam ſi hæredes defuncti exiſterent.

SVMMARIVM.

1 *Inuentor pecuniæ, vel alterius rei, facta diligenti perquiſitione, ſi Dominus non inueniatur, tenetur eas diſtribuere pauperibus: quod ſi ipſe ſit pauper, poteſt partem, vel etiam totum ſibi applicare, iuxta quantitatem pecuniæ, vel rei, & ſuam egeſtatem, ſecus de iure Regni Neap. n.5. & 6.*

2 *Diligentia neceſſaria, quando inuenitur res aliena, referuntur, quibus non factis, tenetur inuentor actione furti & n.3. & proinde pœna triremium n.4.*

7 *Reſtitutio quando eſſet facienda hæredibus, num poſſit valor rei erogari pauperibus pro anima mortui? regulariter eſt facienda principali, vel eius hæredibus n.8. Si ſit res magni valoris, poteſt in parte erogari pauperibus, pro anima defuncti Domini, cæteris eius hæredibus tributis. n.9. & quid ſi Dominus rei viuit, ſed abſit à loco, vbi res fuit inuenta? n.10.*

Reſolutio XXXII.

1 AD primum reſpondetur, ſi facta diligenti perquiſitione non inueniatur Dominus, nec eius hæres, diſtribuendas eſſe pauperibus argum. *tex. in c.cum tu de vſur. Nauar. in man. c.7. n.92.* quod ſi inuentor eſt pauper,poterit eas in totum, vel in partem retinere, iuxta quantitatem pecuniæ,reique inuentæ, & ſuam neceſſitatem, communicato conſilio cum Confeſſario, idem *Nauar. n.93. & ante eum Syl. v. inuenta n.2. ex Archid. Abb. & omnibus,* communiter docentibus, etiam perquiſitionem prædictam debere eſſe publicam, vt veniat ad notitiam eorum, quorum in-
2 tereſſe poteſt. Modum autem faciendi hanc publicam denunciam docet Vlpian. in *l.falſus creditor §.ſolent de furt.* vt ſcilicet inuentor proponat Iudici libellum continentem, ſe illas inueniſſe, & redditurum ei, qui ſigna dederit, aliàs furtum com-

mittit, & puniendus est, si eam non demonstret, & praeconizet, vel praeconizare faciat, vt sciatur Dominus iuxta eumdem *Vlpian. §. qui alienum, ibi qui alienum quid iacens in terra lucri faciendi causa sustulit, furti astringitur, siue scit cuius sit, siuè ignorauit, nihil enim ad furtum minuendum facit, quod cuius sit ignoret, per quem tex. idem voluit Farinac. de furt. q.168. par.3. n.62.*

3 *Hinc Angelus in §. thesauros n.2. instit. de rerum diuis.* ait quod furti tenetur ille, qui valisiam plenam florenis recollegit, quam mercator à latrunculis fugatus, vt citius fugeret proiecit, vel ei casu cecidit, etiam si Dominum valisiae ignoret, & communē esse sententiam dicit *Gomes. de delict. c.5.*

4 *sub rubr. de furt n.2. in princip.* Vnde cum quidam emissent zaccarum in arcis repositum, in quibus recondita erat magna quantitas argenti, illudque occultassent, cum scirent ad eos non spectare, fuerunt ad Regias triremes damnati, tamquam fures *Sanfel. decis.38. n.1. & in fine*, & quamuis hoc in casu Dominus sciretur, idem tamen est, eo ignoto, non adhibita diligentia praedicta, vt ex *cit. §. qui alienum docēt Bar. & Bald. in l.à tutore ff. de rei vēdic.*

Sed idem *Bald. in l.1. n.3. de rerum diuis.* dicit, res, vel pecunias inuentas, Domino non reperto, debere consignari Episcopo loci, distribuendas pauperibus, quod tamen est intelligendum casu, quo inuentor non esset pauper, vt concordet cum cit. DD. quibus adde *Caiet. 2.2. q.62. art.*

5 *5. ad 3. circa finem*. Sed hoc procedit de iure communi, nam in Regno Neap. adest *constitutio incipiens, pecuniam si quis*, per quā statutum est, vt quaelibet res inuentae, animalibus exceptis, elapso anno, & vero Domino non reperto, Fisci commodis applicentur, alias si inuentor eas non exhibeat, furti actione teneatur; & quod haec constitutio, quantum ad istud caput, sit in viridi obseruantia testatur *R. de Tapia in annotat. ibidem lib.6. sub tit. de thesaur.* Vnde miror de *Vrsyll. ad Affl. decis. 221. n.5.* vbi ait res inuentas non esse fisci per hanc constit. qui absque dubio debebat dicere contrarium, si tamen non fuit error im-

6 pressoris. Sed hanc constit. *Syl. cit. n.13.* dicit in conscientia non ligare, ne quidem pro thesauris inuentis (de quibus infra resol.34. dicemus,) eo quod non sit introducta per modum legis, sed violētiae, & quod sit contra iura Canon. mandantia, bona incerta, si restituenda sint, esse pauperum, et si non sint restituenda, loquendo de thesauris, esse inuentorum, ex iuribus infra respondetur tamen *Sylu. infra d. res.34. n.6.* quamuis Affl. decis.321. in casu simili dicat quod alij Consiliarij sibi contradixerūt, nō alia authoritate, quam psalmi incipienris, placebo Domino.

7 Ad secundū hāc quaestionē à nullo Doctore vsque modo tactam inueni, sed puto resolui posse pro parte affirmatiua, & probari aperte in *auth. omnes peregrini §. si verò C. communia de success. ibi sed bona ipsorum per manus Episcopi loci si fieri potest, haeredibus tradantur, vel in pias causas erogentur*, sed in alternatiuis sufficit alterutrum adimplere *c. cū plures de off. & pot. Iudic. deleg.* ad electionē debitoris *c. in alternatiuis 70. de regul. iur. in 6.* ergo. Facit regula generalis, quod re-

8 stitutio, etiā de male ablatis, est semper facienda cui fuerunt ablata, vel eius haeredibus *c. cum tu de vsur. D. Tho. 2.2. q.62. art. 5. ad 3.* sed magis quis praesumitur velle pro se, quam pro haerede suo, quia prima charitas incipit à se ipso *l.1. & l. senatus §. 1. ff. de donat. causa mort.* & anima praefertur corpori, imo, & mille corporibus *c. si habes circa finē 24. q.3. extrau. vnica v. dolēdum vbi Gl. in margine de praebend.* ergo acceptior erit restitutio pro salute animae defūcti, quam si tribuatur haeredibus, vt iterum probatur infra sub *n.10.*

Quod si objiciatur, istud saltem non habere locum, quando haeredes essent in magna egestate, respōdeo maiorem esse illam existentis in Purgatorio, vt fideliter

9 credimus. Hoc tamen limito, quando restitutio esset rei magni valoris, quia tunc deberet repartiri pro anima defuncti, & haeredibus iuxta Consilium Confessarij, consideratis circumstantijs casuum occurrentium, verum si ille, cui est facienda restitutio, viuit, non potest, nisi ipsi restitui *c. sicut dignum §. eos de homicid. quod si Dominus rei sit* adeo absens, vt quantitas restituēda vix sufficiat ad sumptus itineris pro ea transmittenda, potest pauperibus erogari pro anima sua, vt docet *Gl. in d. c. cū tu v. non superstitibus*. Imo absque distinctione quantitatis docet generaliter *D. Hieron. relatus à Grat. in c. nemo 14. q.5.* quod si Dominus rei inueniri non potest, sit Ecclesiae, vel pauperibus tribuenda pro anima eiusdem Domini, quod limitant *Scot. & Ricchar. in 4. dist.15. cum Caiet. d. q.62. art.5.*

ad 3. in fine quando ille haberet parentes, quibus pro meliori existimarent esse faciendam restitutionem; ergo ex omnibus his rectè deducitur distinctio supradicta, in casu mortis Domini rei, posse scilicet pro anima impendi, si summa est modica, & si magna, repartiri.

Num meretrix, vel amasius possint tuta conscientia non solum sibi retinere tradita ex hac causa, sed etiam agere ad promissa, quamuis excederent mercedem illi tradi solitam?

SVMMARIVM.

1 *Meretrix num possit tuta conscientia retinere accepta ex turpi quaestu, etiamsi excederent pretium tradi solitum? Sed quid de amasijs pro eadem causa? n.2. & quid si copula secuta non fuerit? n.3. quidue si ex dolo, & fraude superfluum accepit? n.4. An habeat actionem ad petendum promissa ab amasijs pro eadem causa, & quid in foro conscientiae? n.5.*

6 *Donatio inter virum, & vxorem quare sit prohibita, & num idem sit inter amasios, & meretrices? Facta meretrici quoad promissa, & non tradita, in neutro foro valet, nisi pro quantitate tribui solita in foro conscientiae n.7. & 8.*

9 *Restitutioni male ablatorum non obligatur impotens.*

Resolutio XXXIII.

1 CVm in priori resolutione actum sit de restitutione, non incongrue sequitur haec quaestio, ad quam respondetur affirmatiuè, circa tradita *l.idem* §.1. *ff. de condit. ob turp. caus. l.2. C.eodem & l.affectionis ff. de donat. & vtrobique Bar. & Bald.* ea vulgari ratione, quia meretrix turpiter agit, sed non turpiter recipit, quam approbando recitat *D.Tho. 2.2. q.32. art.7. in corp.* esseque hanc sententiam ab omnibus fere Theologis sequutam testatur *Nauar. in man. c.17.n.34.* licet relata ratio sibi non satisfaciat, adeo quod dixerit Iureconsultum non posse defendi, nisi per aequiuocationem; concedit tamen nec teneri amasios ad restituendum meretricibus ab illis
2 accepta hoc intuitu, vt seruetur aequalitas, quidquid in contrarium omnino voluerint *Cinus, & Angelus in d. l.2. cum Abb. in*
3 *c.quia plerique de immunit. Eccles.* Imo in vtroque foro hoc docent ex modernis *Grat. discept. for.218. n.6. ex Couarr. in regula peccatum p.2. §.2. n.3.* dicens hanc esse veriorem opinionē contra *Cin. & Angel. cit. Ronit. in rubr. super prag. de meretr. n.2.* vbi ait debere dari pretium, seu mercedem meretricibus, saltem in foro poli, multos refert suo more *P.Dia.par.2. tr.16. resol.40.* vbi in fine hoc ampliant etiam ad mulieres, quae munera acceperunt à suis amasijs sub spe concubitus, licet postea non secuti; nisi talis datio fuisset facta sub hoc pacto, quod tamen numquam accidit.

4 Quam sententiam limitat *D.Tho. 2.2. q.62. art.5. ad 2.* in foro conscientiae, quando meretrix superfluum extorsisset per dolum, & fraudem, quod eo casu illud plus restituere teneatur, retento sibi solito dari pro turpi quaestu, & addit *Caiet. ibidem videlicet, quia per huiusmodi simulationes frequenter extorquere solent ab amatoribus, ideo tenentur ad restitutionem. ad idem Syl. v.meretrix* vbi limitat secundo, quando recipit ab ijs, qui alienare non possunt, vt sunt minores, filij familias, regulares, & similes, quod est verissimum, non solum in casu praedicto, sed etiam generaliter per iura vulgata; Istud tamen sublimitant DD. apud *Dia. par.2. tract.15. resol.54. §.ex his*, in meretricibus aequitum S.Io. qui non obseruant strictam paupertatem, sed idem P. fatetur in fine, hoc scripsisse cum magna cordis tristitia, vt fragilibus conscientijs aliquod remedium exhiberet.

5 Maior tamen difficultas est, vtrum si non sit datum, sed promissum, competat meretrici actio ad petendum; etenim cum per supra cit. ll. vbi agitur de materia, hoc expresse non decidatur, ideo DD. in diuersas abiere sententias, Gl. siquidem locis cit. tenet actionem non nasci, sed tantum exceptionem ad data retinendum, vt suprà, Bar. ibidem docet contrarium, & addit Gl. communiter reprehendi, & Bar. à multis secutū, sicut ab ipso testatur *Nauar. cit. sub n.40.* loquendo in foro fori, *Bald. autem in d.§.1.* sequitur Gl. cuius sententiae in fortiori casu fuerūt *Abb. Cinus, & Angel.*
6 vt etiam supra dictum est. Sed ego sequor Gl. & Bal. etenim dum est prohibita donatio inter virum, & vxorem, ne mutuo amore inuicem se spolient *l.1. ff. de donat. inter vir. & vxor.* non obstante quod matrimonium sit Sacramentum, & quod, vt plurimum

mum communibus filijs donata, vel promissa relinquantur, à fortiori intelligitur prohibita inter amasios, vigente potentiùs eadem ratione; sciebat.n. Samson detecto secreto capillorum, vbi erat sua fortitudo, tradendum fore, ea amissa, suis inimicis,& tamen tanta fuit vehementia amoris erga Dalilam, vt ad eius instantiam, etiam propriam vitam pro nihilo amittere existimasset, vt legitur *in lib. Iudic. cap. 16.*

7 Verum in foro cōscientiæ citatur pro opinione affirmatiua *Caiet. 2.2.q.32. art. 7. per P. Dia.par.4.tract.4.resol.27.*, quem cum ibi viderim, hoc nō inueni, cuius verba sunt videlicet *sicut etiā donationes, quæ fiunt meretricibus, si extortæ blandicijs, & illecebris sint, non sunt validæ, sufficere quippe debet iusta merces; Propter admistionem siquidem inuoluntarij in huiusmodi turpibus, restitutioni obnoxia sunt sic accepta; hæc ille.* loquitur ergo de datis, vt in superiori casu, non de promissis. Est verum quod agens de eodem, loco cit. *qu. 62.art.5.ad 2.* dicit teneri promissorem dare quòd promittit, vel solitum est, sed in solito dari meretricibus non potest esse excessus,& propterea si talis promissio in foro conscientiæ sustentetur, vti de minimis non curat Prætor, & pro ista parte faciunt dicta per *Grat.d.discept.218.n.8.& Rouit.d. num. 2.* licet totaliter valere, sed malè dixerit *Nauar. d. n. 40.* in hoc foro conscientiæ.

8 Cum adeo verum sit non valere in excessù, vt etiam si promissio sit iuramento vallata, nequidem teneat, nisi pro illa modica quantitate dari solita à personis eiusdem conditionis, vbi nulla possit cōsiderari prodigalitas, intrepidè docent *Sotus lib. 4. q. 7. art. 1. ad 2. Mercat. de contract. lib. 6. cap. 16. Palac. eodem tit. lib. 5. cap. 11. Arragon. 2.2.q. 89. art. 7.* & ita in facti contingentia consuluisse suo pænitenti testatur *P. Dia.par.4.*

9 *tract. 4. resol. 27.*; hæc tamen omnia intelliguntur, quando in casibus restitutioni obnoxijs, vt suprà, possunt mæretrix, vel amasius restituere, quia si non habent in bonis, ad nihilum tenentur *c. sicut dignum §. eos de homicid. c. cum tù de vsur. & cōmuniter. D D.*

Thesauri ad quem spectent, tam de Iure Communi, quàm Regni Neapolis.

SVMMARIVM.

1 *Thesauri definitio. Si ab aliquo inueniatur tam in loco proprio, quam alieno, cuius sit? num. 2. 3. & 4. Inuentus malis artibus, puta incantationibus, aut dæmonum inuocationibus, est fisci num. 5. & 6.*

7 *Fiscus procedit cum magno rigore contra inuentores Thesaurorum, quando non dant denunciam Regiæ Cameræ, & de modo seruando in praxi, pro omni periculo vitando, imò, & lucro captando n. 8.*

Resolutio XXXIV.

EX dictis in antepriori resolut. non videtur incongruum agere de Thesauris, definitio n. latè traditur *à Paulo I.C. in l. num-*

1 *quam nuda §. 1. de acquir. rerum domin. Thesaurus est vetus quædam depositio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam Dominum non habeat, sic n. fit eius, qui inuenerit, quod non alterius sit; altoquin si quis aliquid, vel lucri causa, vel metus, vel custodiæ condiderit sub terra, non est Thesaurus, cuius etiam furtum fit.* De istis ergo rebus, quæ Thesauri appellatione non veniunt, seruatur quod di-

2 ctum est in citat. resol. 32. De illo autem si reperiatur in loco proprio, est inuentoris, secundum Ius commune: si verò in loco alieno, inuito, vel ignorante Domino, est Domini loci; sed si casù v. g. arando, vel terram alienam colendo, aut quocumque alio modo, non studio perscrutandi in alienis locis; dimidia pars est inuentoris,& dimidia Domini loci *l. vnica C. de Thesaur. lib. 10. vbi Bal. n.2. & communiter scribentes, legitur etiam in uulgato §. Thesauros instit. de rerum diuis. Isernia in c. 1. quæ sint regalia §. & dimidium n.90. Molina de instit. & iure tract. 2. par. 1. disp. 56. n.2. Couarr. in regula pecca-*

3 *tum 3. part. relect. §. 2. n. 2.* Rursus si inueniatur in loco fisci, vel publico, vel Religioso, dimidia est fisci, & dimidia inuentoris *l. 3. §. si in locis ff. de Iur. fisci*, quem tex. dicit *Regens de Tapia in suo Iure Reg. lib. 6. de Thesauris in c. quia non decet §. vndecimus casus cum §. seq. contradicere citato §. Thesauros*, quia hic (ait ipse) statutum est medietatem esse fisci, & meditatem inuentoris, in d. verò *§. si in locis*, esse totum fisci; sed ego puto hunc esse errorem impressoris, cum *in §. si in locis* legatur esse meditatem fisci, & *in §. Thesauros* totum inuentoris, & in hoc est contrarietas, quam vtrobique Gl. conciliare conatur.

Sed in praxi seruatur, si in locis Religiosis inueniatur, diuidi cum inuentore, &

Eccle-

Ecclesia, nè ista sit deterioris conditionis, quam quilibet priuatus *Gl. d. §. Thesauros V. Religioso Syl. V. inuenta n. 11. Farinac. in quæst. crimin. q. 104. n. 8. Ricc. collect. 331. & 1080. ex Caualc. decis. 15. de contract. par. 2.* idem ergo erit in fisco Regio ad æqualitatem seruandam, vt in citat. iurib. & de communi testatur *Regens Tapia citat. & ante eum Syl. vbi suprà n. 12. Affl. in constit. Reg.*
4 *Dohanæ secreti n. 1.* Si autem inueniatur ab emphiteuta, feudatario, aut vsufructuario, etiam diuiditur cum Domino directo, vel proprietario, vt ex *Guttier. R. moles Valasc. & alys docet idem Tapia cit. §. quintus casus, sed ante eum Nauar. in man. cap. 17. n. 173. ex Bar. in l. si is §. fin. ff. de acquir. rerum domin. & §. Thesauros instit. de rerum diuis. iuncto Caiet. 2. 2. q. 66. art. 2.*
5 Quod si inueniatur malis artibus, seù incantationibus, aut dæmonum inuocatione tacita, vel expressa, etiam in loco proprio, totus erit fisci *l. vnica C. de Thesaur. lib. 10. l. 3. & toto fere tit. C. de malef. & mathem. c. illos 26. q. 2. c. 2. de sortileg. & vtrobique DD. communiter Isern. in c. 1. quæ sint regal. n. 90. Couarr. in regula peccatum 3. par. relect. §. 2. n. 2. Marc. Anton. peregr. de Iure fisci tit. de Thesaur. n. 2. Molina citat. d. disput. 56. n. 1.*
6 Quamuis autem opponatur per *Syl. V. inuenta nu. 13.* quod vbicumque inueniatur Thesaurus, licet non malis artibus, de consuetudine tamen semper fiscum sibi totum applicare, talemque consuetudinem esse per violentiam introductam, & propterea in conscientia non ligare, hoc forte dixit fretus *constit. Reg. quæ incipit pecuniam si quis inuenerit*, vbi tam de pecunia, aut de alia re inuenta, quam de Thesauris erat istud ordinatum, non aduertens dictam constit. fuisse postea reuocatam per *c. Regis Caroli 2. incipiens, quia non decet*, quoad Thesauros, de quibus mandauit seruari ius commune, remanente valida dicta constit. solum quoad res inuentas, iuxta dicta in antepriori resol.
7 Et licet quando Thesaurus inuenitur, soleat fiscus procedere cum magno rigore contra inuentores (ex quo potuit etiam oriri error Syl.) attamen hoc fit, vt sciat fiscus partem ad se spectantem; etenim qui habent notitiam, vel suspitionem Thesauri, tenentur adire Regiam Camerã Summariæ, (quę in Regno Neap. stat loco Regis) eique denunciare signa, quæ habet, & si alicuius probabilitatis videntur, destinatur Minister eiusdem Tribunalis, qui simul cum denunciante accedit ad locum, vbi putat esse Thesaurum, & eo reperto, assumit sibi fiscus partem ad eum spectantem, iuxta supradicta, & reliquum est inuentoris, prout vidisse suo tempore practicari dicit idem Tapia
8 *in dicta cõstit. pecuniam si quis in fine.* Imò ibidem addit, fuisse etiam eodem tempore repertam magnam quãtitatem monetarum S. Hælenæ, propè Ciuitatem Auersæ, in territorio Casalis Iuliani; qua denuncia non facta, oritur præsumptio contra inuentorem voluisse fraudare fiscum, & ideo eo casù procedit cum rigore; sed his seruatis gaudent inuentores cum pace parte Thesauri ad eos spectante, estque eisdem donum Dei, & non pæna: quia si denuncia omittitur, solent suspecti (dum agitur de re magni momenti) etiam torqueri, iuxta praxim eiusdem sæpe citat. Regentis.

CONFIRMATIO.

SVMMARIVM.

1 *Confirmatio facta à Superiore quid operetur?*
2 *Legatum habet viam executiuam.*
3 *Instrumenta de l. communi non habent viam executiuam, secus de l. Regni Neap.*
4 *Donatio inter virum, & vxorem est nulla, sed morte confirmatur.*
5 *Sententia nulla quamuis confirmetur à Principe, est nulla confirmatio, nisi processerit ex certa scientia.*
6 *Electio Prælatorum olim fiebat à Canonicis Ecclesiarum, & solum confirmabatur à Pontifice, sed hodie totum spectat ad Pontificem, verum multa etiam hodie spectant ad Reges in suis Regnis, & postea absque difficultate consecrantur a Pontifice, prævio examine quoad scientiam n. 7.*
8 *Confirmatio Canonica fit hodie per Episcopos, solùm in beneficys Ecclesiasticis, de personis electis ab illorum patronis. Prout est Sacramentum, meritò hoc nomen obtinet ex causis, vt infra n. 9. & 10. Eius definitio n. 11. fuit à Christo instituta, sicuti omnia alia Sacramenta, sed quo tempore n. 12. & 13.*

INTRODVCTIO.

1 Confirmatio legaliter, & in genere loquendo supponit actum antecedentem, à Superiore confirmandum, qui vel est va-

est validus, vel nullus: si validus, nihil re-
leuat confirmatio, quando non est in pote-
state confirmantis actum anullare *Bar. in l.
post legatum §. qui mortis n.1. de ijs quibus vt
indign.*, veluti si debitor legat creditori,
quod debet; alterutro .n. modo debitum
est de necessitate soluendum *l. debitor de
verbor. signific. & inst. de oblig. in princ.* est ta-
men Bar. intelligendus substantialiter, &
circa iustitiam; nam accidentaliter, & circa
2 ordinem, multum releuat confirmatio, quia
ex legato proceditur via executiua *Grat.
discept. 62. n. 16. Ricc. Collect. 600. ex Viuio de-
cis. 464.*, ex contractu autem, etiam vigore
3 instrumenti, via ordinaria *Pres. de Franch.
decis. 118. n. 5. ex l. si minor ff. de minor*; quam-
uis hoc fallat in Regno Neap. *per ritum M.
C. V. 166. vt testatur idem de Franch. decis.
141. n. 1.*, imò aliquando etiam in legato
debiti, cõfirmatio aliquid aliud operatur,
vltra prædicta, nè verba testatoris reddan-
tur elusoria *l. si quando ff. de legat.* 1.

Si verò est in potestate cõfirmantis anul-
latio actus, tunc omninò releuat confirma-
4 tio, vt in donatione inter virum, & vxorem,
quæ regulariter est nulla *l. 1. ff. de donat. in-
ter Vir. & vxor.* sed morte confirmatur *l. do-
nationes C. eod. tit. Grat. discept. 172. n. 16.* quod
si tractetur de confirmanda Sententia infe-
5 rioris, quæ nulla fuit, nulla etiam erit con-
firmatio etiam Pontificis, *c. examinata de
confirm. vtil. vel inutil.*, nisi processerit ex
certa scientia *c. 1. de transact. cum alijs apud
Gl. in c. 1. V. de quæstione eod. tit.* & confirmans
talem potestatem habeat, vt est non solum
Pontifex, sed alius Princeps secularis idem
*Bar. in l. si constat n. 2. de appell. ex Innoc. in c.
6 cum dilectus de elect. Ricc. collect.* 894. In spe-
cie tamen loquẽdo, confirmatio fiebat olim
à Pontifice Prælatorum postulatorum, vel
electorum à Præsbiteris, & Canonicis Ec-
clesiarum, ad quos spectabat postulatio, &
electio vt in *tit. de postul. Prælat. & de elect.*;
translatio .n. eorundem ad alias Ecclesias,
neque olim fieri poterat à Canonicis *c. 2. de
translat. Episc.*

Hæc tamen omnia recesserunt ab aula,
quia prouisiones omnium Ecclesiarum, Pa-
triarchalium, Archiepiscopalium, & Episco-
palium sibi reseruarunt Pontifices, vt in
praxi videmus, quam multis retrò annis
viguisse testantur *addentes ad Lancell. instit.
canon. sub tit. qui eligi, eliginè possint V. hodie,
vbi dicunt, hoc apparere in 2. regula Cancell.
Apost. quas vim legis habere, & ligare post pu-
blicationem in Curia refert decisum Cappell.
7 Tholos. decis. 445. n. 1. & 2.* Ad Reges tamen
spectãt electiones aliquorum in Episcopos,
in multis Ciuitatibus suorum Regnorum,
quibus electis, seù nominatis ad eorum li-
bitum voluntatis, cõsecrantur potiùs, quàm
confirmentur à Pontifice, absque vlla con-
tradictione, præuio tamen debito exami-
8 ne circa scientiam, & habilitatem. Pra-
cticatur ergo solum hodie confirmatio Ca-
nonica in beneficijs Ecclesiasticis, in qui-
bus fit nominatio, seù electio ab eorum Pa-
tronis, si qui sunt, confirmanda ab Episco-
pis locorum, & ante confirmationem ne-
queunt electi propria authoritatè capere
possessionẽ illorum iuxta *decis. Rotæ relatam
per Cappell. Tholos.* 444. nonnulla alia de
confirmatione vide infra *resol. 37. n. 13. &
resol. 199. n. 14.*
9 Si ergo ex dictis confirmatio generaliter
dat robur, vel etiam augmentum actui
antecedenti, præcipuè quando est facta à
Principe ex certa scientia, merito confirma-
tio, prout est Sacramentum, quæ fit Prin-
cipis Cælestis ordine, & mandato, de qua
sumus aliquid dicturi, hoc nomen obtinet,
quia per eam datur baptizato Spiritus San-
ctus, ad illum roborandum per augmen-
10 tum gratiæ, vt infra dicemus. Dum autẽ de
fide est esse vnũ ex Sacramẽtis iuxta *Tridẽt.
sess. 7. can. 1. eod. tit. & legitur in c. de his vero de
cõsecr. dist. 5. D. Tho. 3. par. q. 72. art. 1. in corp.
Catech. Rom. eodem tit. par. 2. num. 3.* omissis
alijs; propterea relicta ista disputatione,
de qua latè *Suar. to. 3. disp. 32. sect. 1. eod.* tam-
quam non necessaria, transeo ad eius defi-
nitionem, cuius triplicem tradit idem *Suar.
cit. disp. 33. in principio, aliam Belar. lib. 2.
dist. 5 eod. tit. cap. 1. aliam Bonac. to. 1. disp. 3.
q. vnica pun. 1. num. 1. cæteris omissis*. Placet
autem, licet omnes ad idem tendant, tradi-
ta per *Nauar. in man. cap. 22. num. 8. ex men-
11 te scribentium in 4. dist. 7. & eiusdem Docto-
ris Sãcti ab eo relati videlicet est Sacramentũ
vnctionis Chrismatis consecrati, quò Episcopus
frontem baptizati inungit sub certa verborum
forma*, cuius singulas partes idem Nauar.
explicat, quamuis expositione non egeant,
de quibus tamen in discursu materiæ.
12 Sed an fuerit à Christo Domino, & quo
tempore institutum, licet olim fuerint va-
riæ opiniones, quas refert idem *Sanctus d.
art. 1. ad 1.*, hodie tamen est de fide, fuisse
omnia Sacramenta à Christo instituta, vt
fuit declaratum per *Trident. d. sess. 7. can. 1.*,
de tem-

de tempore ergo solùm institutionis ambigitur, & plerique moderni asserunt fuisse in nocte Cænæ, quod probare nititur *Suar. disp. 32. sect. 2. ex Fabiano, & Clemente PP.* & Cypriano in sermone de vnctione Chrismat. cui concordant *Belarm. Regin. Filliuc.*
13 *& alij apud Bonac. vbi sup. num. 2.* Quibus tamen concordare non videtur doctrina Sancti cit. dicentis quod Christus instituit hoc Sacramentum, non exhibendo, sed promittendo secundum illud *Io: 16. si non abiero Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos:* & hoc ideo, quia in hoc Sacramento datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Christi resurrectionem, & ascensionem secundũ illud eiusdem *Io. 7. non dum erat Spiritus datus, quia Iesus non dum erat glorificatus.* hæc ille, ex quibus iuxta eius sententiam non fuit exhibitum ante ascensionem, sed promissum.

De materia, & forma Sacramenti Confirmationis.

SVMMARIVM.

1 *Materia remota confirmationis quæ sit. & n. 5. 6. & 13. proxima n. 7. 8. & 9. Eius forma n. 14. 15. & 17.*
2 *Chrisma consecratur ab Episcopo solemniter ex oleo oliuarum, & balsamo, nec potest simplex Sacerdos illud consecrare, sed de licentia Pontificis conferre tantum hoc Sacramentum. Est conficiendum quolibet anno in die Cœnæ Domini, nec potest vetus adhiberi sine peccato, nisi necessitate vrgente n. 3. Est nomen græcum, & generale, sed apud Ecclesiasticos sumitur pro eo tantum, quod conficitur ab Episcopo num. 4.*
10 *Erubescentia vnde oriatur, & vnde pallor num. 11.*
12 *Chrismatis quantitas, quæ sufficiat in confirmatione?*
16 *Forma rei naturalis dat ei speciem.*

Resolutio XXXV.

1 **M**Ateriam remotam huius Sacramẽti esse Chrisma docuit *D. Tho. par. 3. q. 72. art. 2. in corp. ex D. Gregor. & in 4. sentent: dist. 7. q. 1. art. 2. quæst. 2. Catech. Rom.*
2 *par. 2. hoc tit. n. 7.* quod ex oleo oliuarum, balsamo admixto, consecratur solemniter ab Episcopo, vt latiùs dicetur in fine præsentis tractatus. Nec potest simplex Sacerdos consecrare, vel conferre hoc Sacramẽtum *c. quanto de consuetud. Suar. to. 3. disp. 33. sect. 2. §. 1. ex eodem D. Tho. art. 3. ad 3. & cõmuni Sententia, Tolet. lib. 2. cap. 24. n. 2. P. Dia. par. 3. tract. 4. resol 23. §. notandum;* poterit tamen de licentia Papæ illud conferre tantùm iuxta eundem Sanctum *art. 11. ad 1. Nauar. in man. cap. 22. n. 8. ex c. peruenit 95.*
3 *dist.* Est autem de necessitate præcepti, vt confectũ sit eodem anno in die Cænæ Domini, non autem de necessitate Sacramenti *Tolet. d. n. 2. ex c. si quis de alio de consecr. dist. 4. Suar. citat. sect. 1. §. hoc verò.* Quod qui-
4 dem Chrisma est nomen græcum, & à profanis scriptoribus pro quolibet vnguenti genere sumitur; ab Ecclesiasticis autẽ pro vnguento solùm, quod ex oleo, & balsamo, solemni Episcopi consecratione conficitur *Cateh. Rom. vbi supra c. 3. n. 7. Belarm. eodem tit. cap. 2*
5 Sed difficultas est inter DD. an mixtio balsami sit de necessitate Sacramenti, vel solum præcepti? & quod sit solùm de necessitate præcepti valde vrget *tex. in c. 1. de Sacram. non iteran.* vbi statuitur, non esse iterandum Sacramentum in eo, qui per errorem fuit, non Chrismate, sed oleo delinitus, sed cautè supplendum, quod incautè fuit prætermissum: ergo validum est absque balsamo; alias necesse fuisset de nouo conferri, non suppleri *Nauar. citat. ex Caiet. d. art. 2. Gregor. de Valent. to. 4. disp. 5. q. 1. pun. 2. versic. quæstio est autẽ. Eman. sà V. confirmatio n. 7.,* quam opinionem probabilem appellat *Tolet. cit. n. 3.,* sed contrariam securiorẽ.
6 Suar. tamen d. sect. 1. versic. dico ergo, tenet balsamum esse de necessitate Sacramẽti, sufficere autem paruam quantitatem, & hoc contendit esse de mente DD. Tho; Bonauent. Ricar. Durandi, Alens. Hugon. de S. Vict. aliorumque antiquorum; sed durum est contra stimulum calcitrare; verba n. tex. cit. hanc interpretationem non admittunt; propterea contrarium docent vltra relatos multi alij apud *Dia par. 3. tract. 4. resol. 23.* cautius tamen agendo placet Consilium *Io. de la Crux in direct. conf. p. 12. hoc tit. q. 72. dub. 2. concl. 1.* desumptum ex eod. tex. citat. quod quando fuit administratum hoc, Sacramentum cum oleo absque balsamo, nõ sit iterandũ absolutè, sed cõditionaliter, ad hibita materia indubitata, cum quo non fit iniuria Sacramẽto, & res ponitur in tuto.

7 Materia verò proxima, est vnctio ex
Chrismate, facta in fronte ad modum
crucis, sicuti de baptismo dictum est, ma-
teriam proximam esse ablutionem, & de
extrema vnctione, vnctionem ex oleo be-
nedicto, *D.Dho. par. 3. q.72. art. 9. Suar.
disp. 33. sect. 3. in princ.* vbi refert multos
antiquos, modernos autem recenset *Bonac.
to.1.disp.3.q.vnica pun.1.n.4.vbi ex Eman.sà
Regin.Nug.& alijs* notat etiam, vnctionem
prædictã faciendam esse cũ pollice dexte-
ræ manus; & addit non posse fieri cum pẽ-
8 na, vel alio instrumento, quia non dice-
retur manuum impositio. Aliqui tamen
apud *Dia. par. 3. tract.4. resol.* 28. asserunt
tempore pestis hoc licitè fieri, quod est
multum probabile, maximè si Chrismandus,
ex aliquo accidenti, non posset aliud
Sacramentum recipere, quo in casu istud
diceretur necessarium ad salutem, quia
ex attrito posset per istud fieri contritus,
sicuti à simili dicitur infra de extrema vn-
ctione, siquidem, vt rectè ait *Suar. vbi su-
pra sect. 3. in fine*, scribens scribit per me-
dium calami, sed vtitur manu, & sic pro-
pter consuetudinem Ecclesiæ, si quis vn-
geret cum penna, conficeret sacramentum,
sed extra necessitatem peccaret mortali-
ter.

9 Ratio autem quare in fronte fiat vnctio
traditur per *D.Tho. d.art.9. in corp.ibi quia
homo in hoc sacramento accipit Spiritum San-
ctum ad robur spiritualis pugnæ, vt fortiter
etiam inter aduersarios fidei, Christi fidem
confiteatur, vnde conuenienter signatur Chris-
mate signo* Crucis *in fronte propter duo, pri-
mò quidem, quia insignitur signo* Crucis,
*sicut miles signo Ducis, quod quidem debet
esse euidens, & manifestum; inter omnia au-
tem loca corporis humani, maximè frons ma-
nifesta est, quæ quasi numquam obtegitur, &
ideo liniatur confirmatus Chrismate in fronte,
vt in manifesto demõstret se esse Christianum,
sicut etiam Apostoli post acceptum Spiritum Sã-
ctum se manifestarunt, qui prius in cœnaculo
10 latebant. Secundo, quia aliquis impeditur à li-
bera confessione nominis Christi propter duo,
st. propter timorem, & verecundiam; vtriuſ-
que autem horum signum maximè manifesta-
tur in fronte propter duo, st. propter propinqui-
tatem imaginationis, & propter hoc, quod spi-
ritus à corde directè ad frontem ascendunt; vn-
11 de verecundati erubescunt: timentes autem
pallescunt, vt dicitur in 4. Ethic. & ideo in
fronte signatur chrismate, vt neque propter ti-
morem, neque propter erubescentiam nomen
Christi confiteri prætermittat*, quam doctrinã
sequuntur *Catech. Rom. loco cit. n.23. Suar.
etiam cit. versic. circa alteram partem*, vbi
rectè probat, esse hoc etiam de essentia
sacramenti *Bonac. vbi suprà n. 5. ex Regin.
Nug. & alijs*.

12 De quantitate verò Chrismatis requisi-
ta ad hanc vnctionem communiter tradi-
tur, eam sufficere, quæ satis sit ad signum
Crucis imprimendum in fronte, vnde cum
hæc consignatio successiuè fiat, parua sa-
nè Chrismatis quantitate perfici poterit
13 *Suar. Bonac. & alij locis cit.* de quantitate
verò balsami miscendi in oleo, iam dictum
est, sufficere modicam, etiam si illa olei
esset magna, dummodo possit suas quali-
tates, & præsertim odorem oleo commu-
nicare *Suar. d. disp. 33. sect. 1. versic. at-
que in hunc modum Bonac. sup. n.6. summa
Dia. v.confirmationis materia n.7.*

14 Forma verò confirmationis est videlicet
*cõsigno te signo Crucis, & cõfirmo te Chrisma-
te salutis in Nomine Patris, & filij, & Spiritus
Sancti*, quam formam semper in vsu ha-
buisse Ecclesiam Catholicam, docuisse, &
ex Apostolorum traditione accepisse legi-
tur in *Catech. Rom. cit. n.11. & 12. Belarm.
n.2. Suar. sect. 5.* vbi probat omnia prædi-
cta verba esse de essentia formæ, quem se-
cuntur multi apud *Bonac. n.7. & apud Dia.
par. 3. tract. 4. resol.27.* quod ante eos do-
cuit *D.Tho.3. par.q.72. art.4. in corp.ibi re-
spondeo dicendum, quod prædicta forma est
15 conueniens huic sacramento, sicut .n. forma
rei naturalis dat ei speciem, ita forma sacra-
menti continere debet quidquid pertinet ad
speciem sacramenti; sicut autem ex supradi-
ctis patet, in hoc sacramento datur Spiritus
Sanctus ad robur spiritualis pugnæ, & ideo in
hoc sacramento tria sunt necessaria, quæ con-
tinentur in forma prædicta, quorum Primum
est causa conferens plenitudinem roboris spiri-
tualis, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimi-
tur, cum dicitur in nomine Patris, &c. secun-
dum est ipsum robur spirituale, quod homini
confertur per sacramentum materiæ visibilis
ad salutem, quod quidem tangitur, cum dicitur
confirmo te Chrismate salutis; Tertiũ est signũ,
quod pugnatori datur sicut, & in pugna corpo-
rali milites insignijs Ducum insigniuntur, &
quantum ad hoc dicitur consigno te signo Cru-
16 cis, in quo st. rex noster triumphauit, vt di-
citur Coloss.2.*

De

De subiecto confirmationis, eiusque effectu, de dispositione ad illam requisita, & num prima tonsura, vel alij ordines licitè ante confirmationem conferantur?

SVMMARIVM.

1 *Sacramentum confirmationis potest omnibus vtriusque sexus conferri, & cuiuscumque ætatis, dummodo sint baptizati, & n.21. de consuetudine tamen datur in septimo anno. Nō debet conferri infantibus, rationis vsu carentibus n.2. Triplicem dispositionē prærequirit n.21. & 22. Eius caremoniæ aliquæ si omittantur, non sunt in præcepto, sed in consilio n. 3. Est sumendum ad maiorem perfectionem, & gloriam consequendam, etiam per pueros, saltem in articulo mortis, sed non est necessarium ad salutem citra contemptum n. 4. In dubio, si sit datum, vel validè, an dandum sit sub conditione? n.5. Ad quem finem fuerit principaliter institutum? n.9. Eius effectus sunt tres, gratiæ st. collatio, characteris impressio, & cognatio spiritualis n.6.*

7 *Gratia quæ in eo confertur, an sit prima, vel secunda? & n. 10. 11. & 24. Est eiusdem speciei essentialiter cum illa, quæ confertur in baptismo, sed secundum quod dat fortitudinem ad pugnandum pro Christo, differt specie à baptismali n. 8.*

12 *Confessio est regulariter necessaria pro mortalibus ante confirmationem, licet aliqui teneant esse semper in consilio, non in præcepto, dummodo adsit contritio, & n.13.*

14 *Argumentum à paritate rationis de iure procedit.*

15 *Regula, vt quis ante confirmationem confiteatur, fallit in multis casibus.*

16 *Confirmatio omnino imprimit characterem, si sacramentum sit validum.*

17 *Cognatio spiritualis, quæ contrahitur tam in baptismo, quam in confirmatione quot personas ligabat olim, & quot hodie? cum n.seq.*

19 *Baptismus sicut, & confirmatio requirunt de necessitate præcepti suscipientem, & tenentem; vltra baptizantem, & confirmantem, nec possunt plusquam vnus, & vna suscipere, vel tenere.*

20 *Patrinus, qui aliquem in baptismo suscepit, potest, necessitate vrgente, eundem in confirmatione tenere.*

23 *Intentio implicita sufficit confirmationem suscipienti, sed si contrariam intentionem habeat, recipit characterem, non autem gratiam.*

25 *Prima tonsura an possit conferri ante confirmationem, vel sacri ordines? n.26.*

Resolutio XXXVI.

1 AD primum respondent communiter DD. ex D.Tho. 3.par. q.72. art.8. in corp. & ad 2. omnes baptizatos vtriusque sexus esse capaces huius sacramenti, in quacumque ætate reperiantur; si tamen non sunt baptizati, non tenet confirmatio; sed de consuetudine seruatur non dari minoribus septem annorum, quando solet lumen rationis accedere, vt intelligant quod agunt *Tolet. lib.2. c.24. n.7. Eman. sà v.confirmatio n. 10. Henriq. lib.3. c.5. n.2. Gregor. de Valent. aliique apud P.Dia.par.5.* 2 *tract. 3. resol. 31.* freti authoritate Pontificalis Romani, vbi præcipitur, quod nullus Christianæ fidei rudimentis non edoctus, se ingerat ad percipiendum hoc sacramentum, & quod accedant ieiuni, item quod Episcopus leuem alapam inferat confirmato, vt recordetur sacramenti; quæ tamen infantibus non aptè conueniunt, sed de istis requisitis latius agetur inferius.

3 Quamuis autem prædicta sint rationabilia, & optima ad seruandum, sic præcipuè docente consuetudine, non esse tamen de necessitate magna, nec leui docuerunt *Zambr. hoc tit. c.2. dub.5. n.4. Granado de Sacram. par. 3. controu. 5. tract. 2. disp.2. n.10. Suar. to.3. disp.35. sect.2. §.vtraque in fine, Hurtado eod. tit. diffic. 10. facit doctrina communis magistri d.art.8.* vbi voluit omnibus dari posse, etiam pueris, & etiā in articulo mortis & *ad 4. subdit videlicet. Vt in resurrectione perfecti appareant secūdū illud ad Ephes.4. donec occurramus omnes in virum perfectum in mensuram ætatis plenitu-* 4 *dinis Christi; & omnino periculosum esse, si ab hac vita sine confirmatione migrare contingeret, non quia quis damnaretur (nisi forte propter contemptum) sed quia detrimentum perfectionis pateretur; vnde etiam pueri confirmati decedentes, maiorem gloriam consequuntur, sicut, & hic maiorem obtinent gratiam,*

Quod etiam docet Gl. in c. vt ieiuni de consecr. dist. 5. & vti optimum consuluerunt multi apud *Dia. par. 5. tract. 3. resol. 30.*, etiam si alia infirmus recepisset Sacramenta, quia
5 virtus vnita fortior *c. vt Episcopi eod. tit. & dist.* Quod si dubitetur, an aliquis sit confirmatus, confirmari poterit sub conditione, sicut dictum est de baptismo, & tradit *Bonac. to. 1. hoc tit. pun. 4. num. 10. ex eodem Suar. & alijs.*
6 Ad secundum respondetur tres parere effectus hoc Sacramentum, nempè gratiam fortitudinis ad validè pugnandum, characteris impressionem, & cognationem Spiritualem inter eos, qui notantur infra n. 18. de primo ita loquitur *D. Tho. cit. art. 7. in corp. respondeo dicendum, quod in hoc Sacramēto, sicut dictum est, datur baptizato Spiritus Sāctus ad robur, sicut Apostolis datus est in die Pētecostes, vt legitur Act. 2. & sicut dabatur baptizatis per impositionem manus Apostolorum, vt dicitur Act. 8. ostensum est autem in 1. par. quod missio, seu datio Spiritus Sancti non est, nisi cum gratia gratum faciente; vnde manifestum est, quod gratia gratum faciens confer-*
7 *tur in hoc Sacramento.* Sed quia hoc, quod dixerat de gratia, gratum faciente, quæ dicitur prima, vt dicetur infra *resol. 57.* poterat aliquam difficultatem afferre, cum potius in cõfirmatione augeatur gratia, in baptismo recepta, & propterea possit rectiùs appellari secunda (vt etiam dixit *Suar. to. 3. disp. 34. sect. 2. versic. dico secundo in fine*; ibi nam hoc Sacramentum institutum est ad dandam gratiam, & non primam, ergo secundam, seù quod idem est ad augmentum, & robur gratiæ) ideo se declarauit Sanctus ibidem *ad 2. & 3. videlicet.*

Gratia Sacramentalis addit super gratiam gratum facientem communiter sumptam, aliquod effectiuum specialis effectus, ad quod ordinatur Sacramentum; si ergo consideretur gratia in hoc Sacramento collata, quantum ad id, quod est commune, sic per hoc Sacramentum non cofertur alia gratia, quàm per baptismum, sed quæ prius inerat, augetur; si autem consideretur, quātum ad illud speciale, quod superadditur, sic non est eiusdem speciei cum ipsa &c.
8 vbi Caiet. addit videlicet *gratia siquidem gratum faciens, extensa ad firmandum Christianum, vt liberè Christum Crucifixum confiteatur, secundum essentiam gratiæ, est eiusdem speciei cum gratia collata in baptismo, sed secundum auxilium firmitatis procedentis à gratia (quod gratia Sacramentalis vocatur) speciè differt à gratia baptismali*: *adde Catech. vbi supra n. 19.*
9 Hinc rectè dixit Suar. citat. quod cum hoc Sacramentum institutum sit ad profitēdam fidem, debet per ipsum coferri gratia cum talibus auxilijs, quibus confirmatus valeat constanter fidem profiteri, *Syl. V. confirmatio num. 7., Tabi. eod. V. & num. Angel. eodem num. 3. Valent. to. 4. disp. 5. q. 1. pun. 4.* non est ergo institutum principaliter ad dandam
10 primam gratiam, quę regulariter, vt dictum est, tribuitur solum in baptismo, & pænitētia, *Trident. sess. 14. cap. 1. & 2.*, & consequenter oportet cõfirmandos primam gratiam habere, dum .n. per istud augetur, certum est augeri non posse quod non est, quia non entium nullæ sunt partes *l. eius*
11 *qui in Prouincia ff. si cert. pet.* Et addit in proposito *Suar. cit. disp. 34. sect. 2. §. hinc sequitur*, quod sicut in naturalibus augmentum supponit viuens genitum, & retinens, seù conseruans vitam, quam per generationem acquisiuit; ita hoc Sacramentum, quod est quodam spirituale augmentum supponit spiritualem generationem, & vitam.
12 Verum dubitatur an sit necessarium adulto confiteri, antequam hoc Sacramentum suscipiat, quando habet conscientiam mortalis; & respondet *Suar. citat. §. sed quæret*, negatiuè, quia nullum est præceptum speciale Diuinum, aut Ecclesiasticum, quod ad hoc obliget, sed esse optimum consilium confessionem præmittere ex *c. vt ieiuni de consecr. dist. 5.*, & consequenter satis esse per contritionem disponi, quod si non valeat, vel nolit conari ad veram contritionem habendam, teneri ad confessionem
13 præmittendam. Sed parcat mihi: nam, dato hanc doctrinā verā fuisse ante Trident. postea verò, secus, ibi. n. *sess. 13. c. 7.* decisū constat, nullum sibi mortalis peccati conscium, quantūuis contritū absq; præmissa Sacramētali confessione ad Sacram Eucharistiā accedere debere, & hoc perpetuò seruādū esse decretum ibi est, modo non desit copia confessarij, patet autem ex *D. Tho. in 4.*
14 *dist. 30. q. 1. ar. 1. & alijs* in locis valere argumentum de vno Sacramento ad aliud, & probatur etiam, ex identitate rationis, quę argumentatio de iure quoque procedit *l. illud a contrario sensu ff ad l. Aquil. & § pari ratione inst. quib. mod. ius patr. potest solu.*; ergo sicut est necessaria confessio ante Eucharis-

charistiæ sumptionem, si mortale aliquod adsit, ita ante hoc Sacramentum.

15 Non negauerim tamen, hanc regulam multis in casibus fallere in v. pænitentia & V.Extrema vnctio notatis,qui etiam in hoc Sacramento locum habent, præcipuè,quãdo quis,dum accedit ad Confirmationẽ,recordatur alicuius mortalis prius obliti, tũc sufficit conteri, & in isto, & alijs casibus incidenter recipit primam gratiam, & proinde non obstat citat. tex. *in c.vt ieiuni*, ex quo potiùs desumitur contrarium, quia, licet ibi dicatur, vt moneantur Confessionem facere, quasi sit simplex monitio, vt vult Suar. subditur tamen videlicet *vt mũdi donum Sancti Spiritus valeant accipere*, quasi quod aliàs, illud non sint sine peccato recepturi; hoc .n. operatur illa causalis (vt) concordat D.Tho.3.par. q.72.art.7. ad 2.*ibi hoc Sacramentum datur ad confirmandum, quod prius inuenerit, & ideo non debet dari his, qui non habent gratiam, & propter hoc, sicut non datur non baptizatis, ita non debet dari adultis peccatoribus, nisi per pænitentiam reparatis*; quod si de facto quis non existẽs in gratia, confirmaretur,non reciperet gratiam, vel augmentum eius, sed tantum Sacramentum cum charactere, vt mox dicetur.

16 De Secundo effectù idem *Sanc. citat.art. 5.in corp.*ait in omni Sacramento,quod non iteratur,imprimi characterem, sed hoc non iteratur *c. de homine de consecr. dist. 5. ibi de homine, qui à Pontifice confirmatus fuerit, denuò illi talis iteratio prohibenda est*; *idem legitur in Cathec. cit. num.* 22. & est de fide ex *Trident. sess. 7. can. 9. de Sacr.* Quem characteris effectum impediri nullo modo posse, deficiente confessione,vel etiam contritione,modo validum sit Sacramentum (sicuti impeditur effectus gratiæ, deficientibus prædictis, vt modo dictum est),aduertit etiam *Suar.dicta sect.2. §. hin. sequitur.*

17 De tertio effectù, qui est cognatio Spiritualis oriens, inter tenentem, & confirmatum cum confirmante, sciendum est, quod olim decem personæ eam contrahebant, tam per baptismum, quam per confirmationem *c.1.cum Gl.de cognat.Spirit. in 6.*quas subscriptis versibus includit *Portius post tit. instit. de gradib. in fine.*

Gignitur his Sacris cognatio Spiritualis,
Quæ sunt baptismus, & confirmatio frontis,
Personasq́ue decem cõnectit quodlibet horũ,
Baptizans, huius vxor, si cognita primò,
Ac eius nati sunt abluto sociati,
Cum Consorte thori baptizans, atque parentes.
Fonte Sacro loti sunt tali fune ligati
Baptizans, & suscipiens hic æquiparantur;
In Confirmatione totidem reperire licebit.

18 Hodie verò hæc spiritualis cognatio est restricta ad pauciores personas, nam si loquimur de baptismo, contrahitur inter suscipientes,& baptizatum,istiusque Patrem, & Matrem; & inter baptizantem, & baptizarum, istiusque Patrem,& Matrem, si verò de confirmatione,contrahitur inter confirmantem, & confirmatum, istiusque Patrem, & Matrem; ac inter tenentem, & confirmatum,eiusque Patrem,& Matrem, vt declaratum fuit per *Trident. sess. 24. de reform. matrim. cap. 2., & iterum per bul-*

19 *lam Py V.in eod. Trident.insertam.* Est igitur necesse, sicut in baptismo, interuenire in confirmatione tenentem *c. si quis c. dictũ est, & c.de his 30.q.1.*;nec possunt in baptismo plusquam vnus, & vna suscipere, sicuti in confirmatione tenere *c. in Catechismo c. non plures,& c.in baptismate de consecr. dist.4. c. quamuis vbi Gl.V.idem de cognat.Spirit. in 6. D.Tho.par.3.q.72.art.*10.*Trid.loco cit.Catech.etiam cit. num* 14. *Suar.vbi sup.disp.* 35. *sect.* 3. Sed in casu necessitatis omitti posse Patrinum non dubitatur ex Suar. & alijs apud *Dia.p.3.tract.4.resol.* 18.*& par.5.tract. 3.resol.*7., & à simili etiam tenentem in casù prædicto, ex paritate rationis per Iura supra citat.extra verò necessitatem si omittantur, validum est Sacramentum, quia Patrinus, & tenens non sunt de necessitate Sacramenti; sed graue peccatum committitur, cum fiat contra præceptum Ecclesiæ.

20 *Nauar. in man.cap.22. n.9.* Potest etiam in casù necessitatis idem, qui aliquem in baptismo suscepit, in confirmatione tenere *Eman.sà V. confirmatio num. 14. & 16. DD. apud Dia.par.3. tr.4.resol.21.§. tertio.*

21 Ad tertium respondetur, triplicem dispositionem in confirmando requiri; primò fidem, quæ supponitur, dum fuit recepta

22 in baptismo, non .n. potest non baptizatus hoc Sacramentum suscipere, & si de facto suscipit, nec characterem recipit,& est iterum confirmandus, *D. Tho. citat. art. 6.in corp.* quia (dicit ipse) sicut se habet confirmatio ad baptismum, ita augmentum ad generationem, manifestum est autem,quod nullus potest promoueri in ætatem perfectam, nisi primò fuerit natus; & similiter

nisi

nisi fuerit baptizatus, non potest sacramētum confirmationis accipere *Tol.lib.2.c.24. n.* 8. *Catech. Rom. hoc tit. n.*18. *Belarm. eod. tit. c.*4. *n.*2.

23 Secundo requiritur intentio in adultis; in infantibus autem supplet Ecclesia, sicut in omnibus alijs rationis vsu carentibus, hæc tamen intentio in adultis, bonum est si expresè eliciatur, sed sufficit non habere contrariam intentionem; accessus n. spontaneus ad sacramentum continet intentionem implicitam illud recipiēdi, quæ sufficit, vt in simili, quando quis accedit sponte ad Confessarium, censetur habere intentionem suscipiendi sacramentum pœnitentiæ, vt infra v.pœnitentia, & tradit in specie de hoc sacramento *Suar.d. disp.* 34. *sect.*2. §.*hinc sequitur*; quod si contrariam intentionem habeat, & tamen sponte accedit, recipit characterem, sed non gratiam, quæ est effectus sacramenti, acquirendam tamen postea, fictione recedente, vt similiter dictum est de baptismo supra

24 *resol.* 9. *n.* 7. vbi me remitto. Tertio requiritur, vt suscipiens hoc sacramentum sit in gratia, vel probabiliter ita existimet, aliàs susciperet sacramentum, sed non effectum illius *Henriq. lib.*3. *c.*5. *n.*5. *Val. to.* 4. *disp.* 5. *q.*1. *pun.*4. *Suar. to.*3. *disp.*34.*sect.* 2. §.*hinc sequitur Filliuc. tract.*3. *c.*3.*q.*6. *& alij apud eos*; est etiam in consilio adultis, vt ieiuni hoc sacramentum suscipiant *c.vt ieiuni de consecrat. dist.*5. *Catech.& Bellarm. loc. cit.* hoc tamen videtur in desuetudinem abijsse, cum generaliter Episcopi confirmare soleant post prandium.

25 Ad quartū respondetur mandari in *Tridēt.sess.*23.*c.*4.quod nō initientur, qui sacramentum confirmationis non susceperint; quod si de facto initientur, mortale non esse, sed tantum veniale docent *Nauar. c.* 22. *n.* 9. *ex Soto in* 4.*dist.*24. *q.* 1. *art.*4. *Bonac. ex Suar. Regin. & alijs to.* 1. *disp.*3. *q.vnica sub hoc tit. pun.*4.*n.*8.ratio est, quia eius omissio extra contemptum, vel scandalum, mortale non est, vt dicemus in resol. seq.

26 Circa ordines autem *Tol. vbi supra n.*1. dicit non licere sacramentum prædictum ante confirmationem suscipere, sed non aperit an sit mortale, vel veniale; quod quale sit, committitur potius ab Episcopo scienter ordinante, quam ob ordinato, vt percipitur ex verbis *Trid. cit.* quæ illi diriguntur vide *Tabi. v.confirmatio n.* 3. vbi recitat doctrinam *D.Tho. in* 4. *dist.*24. *q.*1. *art.*2. *Dia. verò par.* 10. *tract.* 11. *resol.* 14. vult neutrum peccare mortaliter, sed solum venialiter.

An sit necessarium sacramentum confirmationis, quis sit eius minister, & de ritibus ipsius.

SVMMARIVM.

1 *Confirmationis sacramentum non est de necessitate medij, neque præcepti; aliqui tamen docent esse veniale, si omittatur ex negligentia, mortale vero si ex contemptu, vel cum scandalo n.*2. *Inualidè ministratur ab alio quam Episcopo, prohibetur tamen tam ipse, quam Archiepiscopus confirmare sibi non subditos, sed valet sacramentum, si de facto confirment n.* 3. *potest tamen simplex sacerdos ex delegatione Pontificis n.* 4. *valet autem ab Episcopo non confirmato, licet ipse peccet n.* 5. *Secus, si est tantum electus, sed non consecratus; valet autem si est consecratus, quamuis degradatus, excommunicatus, vel hæreticus sit, sed grauissimè peccat n.*6.

7 *Chrismatis confectio multas requirit cæremonias, quarum aliæ sunt substantiales, aliæ accidentales, & n.*8.9.10.*&* 14.

11 *Confirmans Chrismate veteri, anni st, antecedentis, validè confirmat, sed peccat, quia facit contra legem. Quolibet anni tempore conferri potest, sed in Ecclesia Catedrali, etiā si esset interdicta, & Episcopus debet indui vestibus sacris, & Pōtificalibus n.*12.*Quando confertur, Episcopus, & confirmandi debent secundum ius esse ieiuni, sed de consuetudine non seruatur n.* 13.

15 *Alapa quare infigatur confirmato ab Episcopo confirmatione peracta?*

Resolutio XXXVII.

1 AD primum, licet ex prædictis veritas appareat, ad maiorē tamē declarationē respōdetur negatiuè, si loquimur de necessitate medij, scimus n. infātes, si post baptismū decesserint absq; confirmatione, statim ad Cælū euolare *Catech.Rom. hoc tit. n.* 15.*Bellarm.eod.tit.c.*4. si verò de necessitate præcepti, ne quidem est necessarium deficiente contemptu, vel scandalo *D.Tho.* 3.

par.

par. q. 72. art. 8. ad 4. erit ergo solum veniale, si omittatur ex negligentia *Nauar. c. 22. n. 9.* quod neque admittit *Suar. to. 3. disp. 38. sect. 1. §. quo circa*, quia talis actus non est in præcepto, sed in Consilio; posse tamen esse mortale ex accidēti in quinque casibus ibidem relatis, inter quos, est contemptus, quem ipse rectè exemplificat in eo, qui pro nihilo duceret hoc sacramentum, vel effectum eius, aut puerile existimaret se illi subijcere. Idem ante eum docuit *Nauar. cit. ex D. Tho. 2. 2. q. 186. art. 9.* vnde nimis rigidè *Tolet. lib. 2. n. 13.* contemptum appellauit omissionem simplicē dicti sacramenti, data opportunitate, & cōmoditate suscipiendi; etenim *Suar. cit.* dixit, omissionem voluntariam non esse mortale, quod verum est; Scandalum autem erit, & consequenter peccatum secundum Suar. ibidem, si quis ita se publicè gerat in omittendo, vt speciem contemptus alijs præbeat, cæteros modernos eiusdem sententiæ ad nauseam vsque habes apud *Bonac. hoc tit. pun. 2. n. 2.* alij tres casus, quibus omissio talis sacramenti posset esse mortale, cum difficultate possunt ad praxim educi, vt idem Suar. fatetur *d. §. quocirca*, & ideo eos non refero.

2

3 Ad secundum respondetur non posse hoc sacramentum conferri valide, nisi ab Episcopo *c. 2. de consecrat. dist. 5. D. Tho. 3. par. q. 72. art. 11. Catech. cit. n. 12. Bellarm. c. 3. n. 2.* imo est de fide ex *Trid. de confirm. sess. 7. c. 3.* sed non potest confirmare eos, qui non sunt suę Diœcesis per *c. interdicimus 16. q. 1.* neque Archiepiscopus etiam tempore visitationis, si tamen confirmarent, tam iste, quam ille, validum esset sacramentum *Tolet. vbi suprà n. 6. Eman. sà v. confirmatio n. 2. Tabi. eodem n. 6.* vbi addit, nec propterea incurrere suspensionem,
4 sicuti quando ordinant alienos: Ex delegatione tamen Pontificis potest simplex Præsbiter confirmare *c. 1. dist. 95. Nauar. cit. n. 8. Tolet. vbi sup. n. 5. Henriq. lib. 2. c. 6. n. 4. Suar. cit. disp. 36. sect. 2. §. dicendum verò ex D. Tho. & cæteris antiquioribus.*

5 Episcopus autē, licet ipse nō sit cōfirmatus, validè cōfirmat, sed peccat, sicuti etiam tenens nō confirmatus, quia faciunt contra decretū Leonis Papæ relatū in *c. baptismate de cōsecr. dist. 4. Tabi. cit. n. 8.* sed venialiter tā-
6 tum iuxta *Dia. par. 10. tract. 11. resol. 14.* quod si Episcopus sit tantum electus, & non consecratus, non potest validè confirmare *Bonac. ex multis sub hoc tit. pun. 2. n. 9.* Si verò sit consecratus, quamuis sit excōmunicatus, vel hæreticus, vel degradatus, validè semper confirmat, licet ipse confirmando grauissimè peccet, & ratio est, quia per istas censuras nō amittit characterem, in quo fundatur potestas confirmandi, sed tantum vsum iurisdictionis; sicuti dicitur de sacerdote taliter impedito, qui validè conficit alia sacramenta (excepta pænitentia, quia non potest validè absoluere, vt docent communiter *DD. apud Dia. par. 5. tract. 9. resol. 83.*) sed grauissime etiam peccat *Suar. disp. 36. sect. 3. §. dicendum est Eman. sà loco cit. circa finem Henriq. vbi alÿ loco etiā cit. n. 2.* quod etiam fallit in art. mortis quādo licitè absoluit, deficiente non impedito *ex Trid. sess. 14. c. 7.*

7 Ad tertium de ritibus, & cæremonijs in Chrismate conficiendo, multæ referuntur ab eodem *Suar. disp. 37. sect. 1. & 2. ex D. Tho. par. 3. q. 72. art. 12.* quarum aliquæ videntur substantiales, aliæ verò accidentales, prima est benedictio balsami, quæ ab Episcopo partim orationibus, partim si-
8 gno, & benedictione Crucis perficitur. Secunda est benedictio olei chrismalis, quæ similiter oratione, & Crucis signo perficitur, & fit per modum exorcismi, tam ab Episcopo, quam à 12. sacerdotibus, sibi assistentibus super os ampullæ, habentis oleum chrismale, sicuti in Pontificali Romano latius continetur.

9 Tertia est mixtio balsami, & olei, quam facit Episcopus, immittendo balsamum in anpullam olei Chrismalis, cum prolatione certorum verborum, quæ leguntur in dicto Rituali, sed tam ista, quam prima videntur potius de necessitate præcepti, quā sacramenti, vt dictum est supra *resol. 35. n. 5.* Quarta est veneratio, seu salutatio eiusdem Chrismatis, postquam est confectum, dicendo *auę Sanctum Chrisma*, quarum cæremoniarum rationes comprobant *D. Tho. & Suar. cit.* confutando opiniones hæreticorum, docentium idolatriam sapere, & indoctorum, quibus videri possent ridiculæ, didicit tamen hoc Ecclesia à Christo, qui et Apostolis Spiritum Sanctū daret, insufflauit in eos, vt refert *Io. c. 20.*

10 Essentiales ergo sunt secunda, & quarta iuxta *D. Tho. par. 3. q. 72. art. 3. Nauar. in man. c. 22. sub n. 8.* Accidentales etiam sunt, vt Chrisma conficiatur quolibet anno in feria 5. Cœnæ Domini inter missarum

rum solemnia, & vetus cremetur *c. quoniam de sentent. excom. in 6. ubi dicit Gl. v. dubium*, deponendum esse eum, qui veteri Chrismate confirmaret, excepto mortis articulo, per *c. si quis de alio de consecrat. dist. 4.* quod
11 tamen puto non esse in vsu, sed solum peccare vti contra legem facientem, vt dictũ est in *cit. resol. n. 3.* olim autem omni tẽpore licebat Chrisma conficere *ex c. omni tempore eod. tit.* & tradit *D. Tho. par. 3. q. 72. art. 12. ad 3.*

Circa verò cæremonias adhibendas in confirmatione, prima est circumstantia temporis; licet n. soleat fieri in die Pentecostes, attamen cum conferatur à solis Episcopis, qui non possent fortasse adesse
12 in dicto die, propterea omni tempore potest conferri, vt ex *D. Tho. cit. ad 1. notat idem Suar. etiam cit. sect. 2. in princ.* & ita in praxi seruari videmus. Secunda est, vt fiat in Ecclesia Cathedrali, etiam si esset interdicta *d. c. quoniam, & c. responso §. præterea de sentent. excom.* quod si fieret extra eam, aliqui apud *Bonac. hoc tit. pun. 2. n. 13.* docent esse mortale; *Henriq. verò & alÿ apud eum negant, sed Eman. sà v. confirmatio n. 1.* quem ego sequor, ait seruandam esse loci consuetudinem. Tertia est quod Episcopus vestibus sacris, & Pontificalibus indutus ministrare debeat, vt in Rituali Roma-
13 no. Quarta, vt tam Episcopus, quam confirmandus sint ieiuni *c. vt ieiuni de consecr. dist. 4.* sed hoc esse solum de conuenientia ait *D. Tho. vbi sup. ad 2.* & ita praxis ob-
14 tinuit. Quinta est, vt Episcopus antequam sacramentum conferat, aliquas orationes, & benedictiones fundat, & post confectum, subiungat alias, iuxta consuetudinem Ecclesiæ. Sexta, vt post factam vnctionem in fronte confirmandi ad modum Crucis, (quæ est de essentia, vt diximus in eadem *resol. cit. n. 7.*) ligetur caput confirmati aliquo linteo, portando vno, vel tribus, vel septem diebus secund. consuetudinem loci, nec abluatur donec Chrisma exiccetur propter reuerentiam sacramenti idem
15 *Sanctus in 4. dist. 7. q. vlt. art. vlt.* Septima, & finalis, quod peracto sacramento, Episcopus impingat confirmato alapam in facie, dicendo, pax tecum, quod fit, vt confirmatus intelligat promptum se esse debere ad iniurias pro Christo perferendas, & ad memoriam suscepti sacramenti, militiæque præparationem, ad quam exercendam conscribitur *Catech. Rom. hoc tit. n. 24. & 25. Bellarm. eod. tit. c. 25. Tolet. lib. 2. c. 24. n. 10. Henriq. lib. 2. c. 3.* sed hanc cæremoniam non esse de necessitate magna, nec leui dictum est supra *resol. 36. n. 3.*

SVMMARIVM.

1 *Contritio in genere sumpta quid importet, & quid in specie? & quid attritio? n. 2. Eius definitio n. 3. & 4. exemplificatur n. 7. Quatuor comites habet, qui tamen clauduntur sub perfecta peccatorum detestatione n. 5. Appretiatiuè, seu æstimatiuè quid sit? n. 6. Eam perfectè habuisse, vel habere, impossibile est scire in hac vita, dantur tamen aliqua probabilitates per exempla n. 8. & 9.*

INTRODVCTIO.

1 Contritio in genere sumpta importat confractionem alicuius frangibilis in minutissimas partes, quasi ex toto tri-
2 tio; attritio verò aliquam comminutionem, vt quando lapides, vel alia frangibilia inuicem franguntur in paucas partes, seu alliduntur *Catech. Rom. hoc tit. par. 2. n. 26. Calepin. v. contero*, ibi contritio, idest in puluerem reductio; ex quibus per metaphoram translatione facta, loquendo in specie de contritione, vel attritione, prout sunt pars sacramenti, dicitur de illa, cor contritum per pœnitentiam fieri in minutissimas partes; attritum autem in paucas, non quod materialiter scindatur, vel in puluerem redigatur, vt fit de illis rebus materialibus, sed intellectualiter per displicentiam voluntatis *Syl. v. contritio n. 1. & 2. ex Petro de Palud. & alÿs Filliuc. tract. 6. c. 7. n. 164.* & ita intelligendum esse locum *Ioel. Proph. c. 2. ibi scindite corda vestra, & non vestimenta vestra docent D. Tho. in 4. dist. 17. q. 1. art. 1. in corp. Suar. to. 4. disp. 4. sect. 1. n. 1. Tolet. lib. 3. c. 4. n. 5.*
3 In specie ergo sumpta ita definitur in *Trident. sess. 14. c. 4. & Catech. cit. n. 24. est animi dolor, ac detestatio de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero*; & quàuis DD. materiam tractantes latius eam definiant, vt sunt *Angel. v. contritio n. 1. Tabi. eodem v. & n. Tolet. lib. 3. c. 4. n. 2. Nauar. in man. c. 1. in princ. Valent. to. 4. disp. 7. q. 8. pun. 1. lit. D. versic. si autem. Bonac. to. 1. de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. pun. 1. n. 1. & summa Dia. omissis alÿs v. attritio n. 1.* quos per-

perquirere laboriosum esset, plusquã pro-
4 ficuum; Omnes tamen in idem reincidunt; quod si aliqui in aliquo dissentirent, non est cur à prædicta Tridentini per Ecclesiam recepta discedamus, eo magis cum sub significatione verborum relatorum, intrinsecè contineantur ea, quæ ipsi addiderunt, vt infra constabit, & consequenter dum habemus Iuris regulam dictanrem, quod expressio eorum, quç tacitè insunt nihil operatur *l. cum quid ff. si cert. pet.* sat erit illam amplecti absque aliarum nouarum
5 fabricatione. Verum secund. DD. citat. quatuor comites habet contritio, voluntatem st. destruendi peccatum commissum; odium eius; detestationem, & dolorem; sed hos terminos recludit sola detestatio virtualiter, vt explicat *Suar. citat. n.4.*; voluntas .n. destruendi peccatum, distincta ab actuali detestatione non sufficit, sicut velle amare non est actu amare; odium est ipsa detestatio, & dolor oritur à detestatione *Suar. ibidem num. 5. Filliuc. tract. 6. cap. 7. n. 172. ex D.Tho. 3. par. q. 85. art. 2. & Caiet. to. 1. opusc. tract. 4. q. 1. & alijs.*

Ista ergo detestatio secund. *Tolet. citat. nu. 3.* est vt homo velit potius quodcū-
6 que malum subijsse, quàm peccasse: idem dixit per diuersa verba *Valent. vbi sup. versic. diximus præterea lit. 6.* nempè ęsti-
7 matiuè, seù appretiatiuè, quod est ęstimare minus malum, omnem pænam corporalem exoluisse, & ita velle, quàm Deum offendisse: verum non solum non tenetur pænitens, sed non debet descendere ad particularia, vellem st. magis filios amisisse, vel omnia bona, quam peccasse: quia sunt periculosæ collationes *D.Tho. in 4. sent. dist. 17. q. 2. art. 3. ad 4. in fine.* Sed satis est in genere, & in confuso cogitando omnia alia mala detestabilia, quod malit pænitēs carere peccatis, quàm illis, idem Sanct. *Quodlib. 1. q. 5. ar. 9. Valent. & Tolet. locis citat.* qui addit d. n. 3. quod si aliquis eas collationes faceret, bonæ essent, tamen in homine valde spirituali & bene in Spiritu fundato vix admitterem, cum satis apertè optimis rationibus eas generaliter negent ipse *Sanc. dicto art. 9. in corp. Syl. V. contritio num. 2. & alij:* si igitur aliquis eo modo detestetur peccata sua propter amorem Dei, ex supradictis dicitur contritus. Hoc
8 autē quamuis pro certo in hac vita cognosci, seù sciri nequeat, quia in consequentiam esset quis certus in gratia Dei esse, quod est contra tex. sacrum *in c. 9. Ecclesiast. ibi, nemo scit an odio, vel amore dignus sit:* dantur nihilominus de hoc aliquæ proba-
9 bilitates, inter quas illa est præcipua, si quis paratus sit realiter mori potiùs, quàm peccare mortaliter, contritus est, vt docet *Syl. citat. n. 3.* quia mors secund. *Philosophum in 3. Etich. est vltimum terribilium, idem docuere Nau. citat. n. 6. in fine Eman. sà v. contritio num. 3. & alij.*

Vtrum ad perfectam contritionem requiratur, præter detestationem peccatorum, explicitus actus amoris Dei, vel satis sit implicitus, & num teneatur quis pro vera contritione etiam inferni pænas potiùs optare, quàm peccasse?

SVMMARIVM.

1 *Contritio perfecta continere debet detestationem peccatorum, & actum amoris Dei, qui sunt terminus à quo, & terminus ad quem & n. 2. & 6.*

3 *Intentio, & attentio virtuales sufficiunt ad conficienda Sacramenta.*

4 *Taciti, & expressi, siue virtualis, & formalis, idem est iudicium.*

5 *Hypotheca tacita concurrit cum expressa, eandemque vim habet.*

7 *Dilectio cadit etiam super inuisos, virtute praditos, qui propterea possunt etiam hæredes institui.*

8 *Propositum confitendi, satisfaciendi, & Dei mandata exequendi, includitur in detestatione peccatorum, dummodò ad hoc ex inconsideratione, vel alia causa non aduertatur.*

9 *Contritionis essentia, in vnico actū consistit, qui est peccatorū perfecta detestatio cum distinctione vt n. seq. Regulariter duos parit dolores, vnum in voluntate, alium in sensu: prior est necessarius, non autem secundus n. 10. Intensiua recipit magis, & minus n. 11. An debeat esse intensiua, vel sufficiat comparatiua, seù appretatiuà, & quæ tales sint? n. 12. 13. 17. 18. 19.*

14 *Dolor honoris, vel bonorum amissorum est intensior, quam dolor peccatorum.*

15 *Intensio si magis feratur in amicum, quam Patrem, verè tamen magis diligitur iste, quam ille.*

16 *Contrariorum eadem est disciplina.*

20 *Dolor in voluntate est in potestate nostra, & ideo*

ideo necessarius ad contritionem.

21 *Lachrymæ, & singultus non sunt necessaria ad contritionẽ, sunt tamen effectus eius, & ab illa regulariter inseparabilia & n.22.*

23 *Contritionis causæ quæ sint, quæ moueant ad eam? Ad eam perfectè assequendam, num etiam pænas inferni optare potius, quam peccasse quis teneatur? n.24. & 25.*

Resolutio XXXVIII.

1 QVod ad contritionem perfectam cõcurrere debeant detestatio peccatorum, & actus amoris Dei, nemo est qui ignoret, hoc incidenter explicat *D.Th. 1.2.q.113.ar.5.in corp.* per similitudinem rei corporalis, sicut .n. se habet corpus localiter motum ab aliquo mouente ad duos terminos motos, dum recedit à termino à quo, & accedit ad terminum ad quem, ita mens humana, dum iustificatur, per motum liberi arbitrij, recedit à peccato, & accedit ad iustitiam; recessus autem, & accessus in motù liberi arbitrij, accipiuntur secundum detestationem, & desiderium. Idem docuit *in 3.par. q.86. art. 3. in corp.* haneque esse communem sententiam ex quampluribus DD. asserit *Suar. to.4. sect.2. num. 2.* quod

2 etiam confirmatur ex Sacra pagina in *Epist. 1. Paul.ad Corinth.13. ibi si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* & alibi passim, sed quærimus, vt in themate, vtrũ sufficiat virtualis in detestatione inclusus?

Respondetur affirmatiuè ex *Nauar. in man. cap. 1. num. 1.* vbi tradendo diffinitionem contritionis dicit, esse pænitudinem voluntariam cum dolore maximo actuali, vel virtuali peccatorum; idem confirmat *n.5. & 6. & n.11. & 12.* respondet contrarijs

3 n. verò 14. addit in confirmationem, quod ad conficienda Sacramenta requirũtur maximè intentio, & attentio, præcipuè in Eucharistia, & tamen secundum omnes sufficiunt, intentio, & attentio virtuales (vt alibi dictum est à nobis) Idem ante eum docuere citat. *Sanct.n.14.dist.14.q.1.ar.2. quæstiunc.2. Palud. ibidem q. 3. Soto lib. 2. de natura & gratia cap.6. & 16. Vega in Trident. lib. 13. cap. 21. & alij*, probatur, quia dicente solum Dauid, peccaui Domino, quæ verba significant solum detestationem peccati, statim subditur, Dominus quoque transtulit peccatum tuum *2. Reg. 12.* ergo

4 sufficit detestatio, in qua inest virtualiter charitas; tacitum .n. & expressum, siuè virtuale, & formale exequantur *l. cum quod ff. si cert.petat. iuncta l. eos cum Gl.C. qui potior.*

5 *in pign.habeantur*, vbi hypotheca tacita eandem vim habet, quàm expressa, & cum ea concurrit, & idem est facere aliquid iuxta modum ordinatum, vel per æquipollens *l. cum controuersia §.fin. ff. mandati* eo etiam magis, quia in *Trident.sess.14. cap.4.* vbi de contritione agitur, nulla fiat mentio actus amoris.

De quo tamen dubitare videtur *Suar. citat. sect. 2. n.13.* vbi ait, quod licet ista sententia sit probabilis, & aliquando sibi simpliciter placuerit, visum tamen sit ipsi contrariam sententiam eligendam, & consequenter, detestationem supernaturalem vniuersalem, & ex motiuo iustitiæ, quando pænitens dolet super omnia offendisse Deum, quia talis est, infinita st. sapientia, potentia, & iustitia, fere non sufficere ad veram contritionem, nisi addatur illud aliud motiuum, quatenus peccatum est cõtra bonum Dei, eiusque dissoluit amicitiam, aliàs non posse accomodari verba, quibus communiter à cæteris definitur cõtritio, vt st. sit dolor super omnia, offendisse Deum summè dilectum.

6 Quamuis autẽ optimum sit hoc procurare, si tamen detestatio sit ex priori motiuo, adhuc veram esse contritionem non est ambigendum, si .n. displicent peccata super omnia, quia offensus est Deus summè iustus, summe sapiens, &c. virtualiter in-

7 est motiuum amoris; siquidem diligimus homines sapientes, & virtuosos etiam penitus ignotos iuxta *Gl.§. fin.instit. de hered. instit. ibi inuisos diligimus, quos virtus, aut sãguis coniunxit*, qui propterea possunt etiam hæredes institui, solùm amore de audita virtute præconcepto *Lextraneum C. eodem* & consequenter si casù, vel data opera offendantur, displicet postea eos offendisse, quanto magis Deum, qui est infinita sapiẽtia, & omne bonum. Et propterea credendum est in priori motiuo adesse implicitè secundum, licet ad hoc non aduertatur *Tolet.lib.3.cap.4.num.2.* qui definitionem contritionis de verbo ad verbum exponẽs, nullam amoris mentionem facit *Gregor. de Valent. disp. 7. q.8.to. 4. pun.1. versic. dolor verò* idem docet cum communi sententia, adeo quod ita etiam mutato iterũ consilio in melius docuerit *Suar.citat. sect.3. n.7.*

8 Quod

8 Quod quidem motiuum amoris Dei virtuale, non solum includitur in dicta detestatione, sed etiam propositum confitendi suo tempore, & faciendi omnia alia necessaria ad salutem *Nauar. d.c.1. n.11. Tolet. cit. n. 3. in fine Suar. d. n.7. & 8.* vbi
9 concludit essentiam contritionis in vnico actu consistere, qui est detestatio, sub qua omnia prædicta continentur *Bonac. qui moderniores refert to.1. disp.5. de pænit.q.5.sect. 1.pun. 3. n.9. & pun.8. n.2. Catech. Rom. de pænit. n.22.* Tenetur tamen si ad hoc aduertat ad formale propositum confitendi suo tempore, & satisfaciendi *Nauar. d.c.1.n.6. ex Vega,& alijs. Dia.par.3.tract.4.resol.119.* actus n. amoris Dei explicitus non est omnino necessarius, cum tacite includatur in detestatione peccatorum, adhoc enim detestantur, quia displicet offendisse Deum, quem amat, quæ quidem contritio necessaria est, cessante confessione ob inopiam confessarij, *vt per DD.cit. iuncto Syl. v.contritio q. 1. ex Palud. in 4. dist. 17. q. 1. conclus. 5. & alijs*, quia cum confessione sufficit attritio iuxta *Trident. sess.14. c.4.*

10 Aduertendum etiam est, quod ex ipsa contritione, seu detestatione peccatorum duplex oriri solet dolor, vnus in voluntate, qui essentialiter est contritio, quæ nihil aliud est, quam displicentia peccati præteriti super omnia, & vt perfecta sit, debet esse tanta, quanta fuit delectatio in peccatis, vt legitur in *lib.6. reuel. B.Brigit. c. 102. D. Ambros. ad Virgin. lapsf. c.8. Syl. v. contritio n. 2.* Quas tamen doctrinas ait *Suar. disp. 4. sect.4. n.11.* esse intelligendas de remissione culpæ, & pœnæ, sed ad remissionem culpæ tantum, sufficere contritionem, seu displicentiam remissam, non
11 autem intensam; datur n. in ista intensione magis, & minus. Tunc ergo dicitur intensa, quando quis fortiter, & magno conatu aliquid odit, & ex opposito quando fortiter, & magno affectu aliud amat, quibus in casibus odium, & amor dicuntur intensa; si autem parum odit, vel parum amat, tunc ex contrario odium, & amor dicuntur remissa, seu minus intensa,
12 *summa corona par.4.c.6. de pænit. n.20.* Sed quia *Suar. cit. n.9.* docet secundum probabiliorem sententiam, nullam definitam intensionem requiri, sed sufficere substantiam actus, in quocumque gradu fiat, propterea isto modo dicitur contritio, seu displicentia comparatiuè, seu appretiatiuè, vel æstimatiuè, quæ idem sunt inxta eundem *Suar. ibidem n.7. & 8.* & sunt etiam in voluntate *ex D.Tho. 1.2. q.12. art.1. in corp. Catech. Rom. par.2. de pænit. n. 25. ibi monendi sunt fideles, ne arbitrentur eum dolorem corporis sensu percipi; contritio n. est voluntatis actio.*

Si ergo actus voluntatis maior est circa vnam, vel alteram rem, quando st. quis odit, vel amat, magis Petrum, quam Antonium, vel magis hoc, quam illud, tunc amor, & odium dicuntur maiora appretiatiuè respectu huius, vel illius rei, quibus concordat Summa Corona vbi sup. di-
13 cens, dolorem peccatorum opus non esse, vt sit intensus, hoc est, vt voluntas toto suo conatu peccatum odio habeat, quia vis, & magnitudo amoris, & odij ex apprehensione obiecti oritur, & quia res sensibiles, magis mouent appetitũ sensitiuum, quam spirituales intellectiuum (quod prouenit ex defectu nostræ naturæ corruptæ)
14 Hinc sequitur, intensiorem esse dolorem bonorum, vel honoris amissorum, quæ sunt in parte sensitiua, quam dolorem peccatorum, quæ sunt in parte intellectiua, per quæ amittitur Dei amicitia, quæ est bonum sinè comparatione melius, & consequenter si intensiuè contritionis, & doloris quantitas intelligi deberet, quasi nemo saluaretur, cum hanc sufficientiam nemo habere valeat, vnde in *Catech. cit. n.29.* legitur, quod licet nonnulli maiorem ex filiorum obitu, quam ex peccati turpitudine, doloris sensum capiant, si tamen in voluntate firmi sunt, potius amittendi filios, quam Deum, non propterea deficere à vera contritione.

15 Quod confirmatur per *Suar. d. sect.4. n.7.* vbi dicit, quod licet quis fortasse ob consuetudinem, vel delectationem intensius diligat amicum, quam Patrem, nihilominus ex vi amoris Paterni, qui nobilior est, paratus esse poterit ad subueniendum potius Patri, quam amico, si vtrique ex æquali necessitate non possit, ad idem *Bonac. disp.5. q.5. sect.1. pun.7. tr.8. n.3. versic. obijcies 2.* Quæ sententia reprobato Adriano *quodlib. 5. art. 3. est Nanar. in manual. c. 1. n.17. & aliorum per eundem Suar. d.disp. 4. sect.4. n.9.* Et fundatur ratione, præcipuè, quia peccatum mortale, licet committatur voluntate remissa, & nullatenus intensa, tollit tamen gratiã, & charitatẽ; ergo ex contrario contritio quantum-

uis remissa, tollit peccata, cum scriptura
eodem modo, eademque proportione de
vtrisque loquatur iuxta DD. cit. contra-
16 riorum n.eadem est disciplina *l.c. ff. de ys
qui sunt sui. & ibi Bald.n.1.& in l.licet n.1.ff.
locati*.

Concludit ergo Summa Corona loco
17 cit.& affirmant omnes apud *Bonac. cit. n.4.*
sufficere displicentiam peccatorum com-
paratiuè ad alias res pro vera contritione;
quod st. pœnitens taliter peccata detestetur,
vt pro nulla re temporali in genere
considerata,ea perpetrari sinat,& maiorem
displicentiam de offensa Dei, eiusque gra-
tia amissa habeat, quam de iactura cuius-
18 scumque rei temporalis. Ex contratio il-
le addit *d. c.6. post n.* 20. descendendo ad
particularia, quod si quis, ad tollendam
iniuriam, inimicum interfecit, quod po-
stea cogitans, potius complacentiam quã-
dam habet de recuperato honore, seque
mundo strenuum ostendisse, media morte
inimici, quam displicentiam de commisso
homicidio contra legem Dei, vel qui ex
delicto perpetrato examinatus à Iudice
dum veritatem dicere tenebatur, falso iu-
rauit, cogitans postea de offensa Dei, non
tanti eam ęstimat, quanti propriam vitam,
aut bona,quæ amittere potuisset,veritatem
dicendo; isti n.ait ipse non sunt contriti,
nec attriti, vt docet etiam *Nauar. in man.
c.1. n.22.* Quod est verissimum, & propte-
rea diximus debere omnes, seclusis præ-
dictis comparationibus, dolere de pecca-
tis modo, quo supra, quia dictæ compa-
rationes sunt virorum perfectorum, vt
Pauli dicentis, quis me separabit à cha-
ritate Christi,nuditas,an fames,an gladius?
imperfecti autem, & timidi hanc costan-
tiam habere non solent, & his sigillatim
consideratis titubare incipiunt, & propte-
rea vitanda, vt aduertit etiam *Sotus in 4.*
19 *dist.* 17. *art.*4. Adde quod in illa communi,
& breuiori definitione contritionis,
quod st. sit dolor super omnia, offendisse
Deum amabilem super omnia, non potest
considerari dolor vllus intensiuus, sed tan-
tum appretiatiuus, quia st. æstimat quis
maius malum offendisse Deum,quam ami-
sisse omnia in genere considerata absque
descensu ad ista particularia idem *Suar.cit.
d.n.7.* ergo iste sufficit. Alius dolor est in
parte sensitiua, qui causatur ex primo, se-
cundum quod vires inferiores secuntur
motum superiorum, vt ait *D.Tho. in 4.dist.*
17. *art. 3. quæstiunc.* 1. *in corp. cui addit Syl.*
20 *v.contritio n.*2. quod prior solus st. volun-
tatis, tamquam existens in nostra pote-
state, requiritur, & sufficit ad contritio-
nem, sicut complacentia voluntatis requi-
ritur, & sufficit ad peccatum, quia omnis
res per quascumque causas nascitur, per
easdem dissoluitur *c.1. de regul.iur. & l.ni-
hil tam naturale ff.eodem*.
21 Iste ergo secundus, qui sunt lachrymæ,
& singultus, sunt effectus primi, & quia
non sunt in potestate nostra, non necessa-
tio requiruntur, & consequenter hic se-
cundus non est contritio, sed effectus eius,
hancque esse D.Tho. omniumque doctri-
nam testatur *Syl.cit. n.3. in fine*, quo effe-
ctu deficiente non potest voluntati, dete-
stanti peccatum imputari, dum auertitur à
peccato, & conuertitur ad Deum, & con-
22 sequenter per huiusmodi defectum non
tolli sufficientem dispositionem ad gratiã
asserit *Suar. to.4. disp.4. sect.1. n.7. in fine*
subdens, in homine mortali, seclusis mi-
raculis, vix posse hoc accidere, si vere di-
splicent peccata; secus verò in homine
Beato doloris incapace, quod ante eum
docuerunt *D.Tho. in 4. dist.* 14. *q.* 1. *art.* 3.
*quæstiunc.3. Scot.ibidem art.3. Nauar, d.c.*1.
23 *sub n.3. & legitur in Catech. d.n.*29. Causæ
verò mouentes hominem ad contritionem
secundum *Syl.cit.n.6.* sunt sex, peccati st.
recogitatio, & pudoris, detestatio vilitatis
peccati, timor Iudicij,& inferni,considera-
tio amissionis æternæ gloriæ, offensa tanti
Patris, spes veniæ consequendæ, & gratiæ
recuperandæ, quibus addo aliam principa-
liorem, quæ est mortis meditatio, aliam
addit sponsus suæ sponsæ Brigittæ *lib.* 1.
c. 53. *n.* 1. *& lib.4. c.* 101. considerationem
st. intimam passionis eius.
24 Ad secundum, istud dubium mouet
*D.Tho.cit. dist.*17. *q.2. art.3. quæstiunc.*1.sic
arguendo, detestatio peccati, vt perringat
ad veram contritionem, debet esse maxi-
ma, & super omne detestabile, ita vt po-
tius vellet quis quodcumque malum pœ-
næ sustinuisse, quam peccasse, vt suprà di-
ctum est; sed nullus reperitur, qui vellet
pœnam inferni sustinere potius,quam pec-
care,aliàs pauci inuenirentur contriti: ergo
dolor oriens ex detestatione, non est ma-
25 ximus. Respondet idem Sanctus, quod
pœna prædicta, vltra æternitatem, habet
inseparabiliter coniunctam Dei offensam;
& propterea, non solum non est optanda
po-

potius, quam peccasse, sed est fugienda, sicut, & culpa, si tamen ab ea separetur ratio offensæ, & consideretur tantum ratio pœnæ, minus habet de malitia, quam culpa, in quantum est offensa Dei, & propter hoc minus debet displicere; sed hac de causa non debet descendi ad istos actus particulares, qui sunt periculosi, cum sufficiat detestatio super omnia in genere, vt suprà cum communi sententia diximus.

Vtrum ad perfectam contritionem requiratur dolor per aliquod tempus continuatus, vel perficiatur in instanti; & an de omnibus mortalibus sit sigillatim habenda Contritio, vel sufficiat vna pro omnibus?

S V M M A R I V M.

1 *Contritionis actus fit in instanti, absque temporis vlla continuatione, sicuti potest peccatum etiam in instanti committi n. 2. & 3.*

4 *Contritio, vel attritio non sunt necessaria singula pro singulis peccatis, sed sufficit vna pro omnibus in princ. examinis conscientiæ, vel inter illud, vel in fine, & etiam in ipsa confessione, dummodo sit ante absolutionem.*

5 *Contritio perfecta non solum tollit culpam, sed etiam totam pœnam, etiam in vltimo vitæ momento n. 6.*

Resolutio XXXIX.

1 AD primum respondetur nullam continuationē temporis requiri ad cōtritionem, sed perfici in istanti; per vnicum n. istantaneum doloris actum, & absque temporis successione, pænitens ex iniusto fit iustus, vt probat *D. Tho. 1. 2. q. 13. art. 7. in corp. per illud Gl. apud acta Apost. 2. nescit tarda molimina Spiritus Sancti Gratia, & per tex. ibi, factus est repente de Cælo sonus & cæt. & iterum par. 3. q. 89. art. 2. in corp. ibi*
2 *in eodem istanti est gratiæ infusio.* Aliam rationem tradit *Suar. to. 4. disp. 4. sect. 5. n. 4.* quia st. sicut consensus in mortale statim ac emittitur, contrahitur peccatum, absque temporis successione, ita è conuerso, actus contritionis statim, ac elicitur, habet suum esse, & expellit culpam, introducendo gratiam, quod n. disponitur in vno de contrarijs, disponitur in alio *instit. tit. de ijs, qui sunt sui vel alieni iur. Gl. in §. furtorum v. nec manifestum instit. de obligat. quæ ex delicto nascuntur, ita etiam ex Nugn. Pesant. eodem Suar. & alijs reiecta Scoti, & Caiet. opinione docet Bon. to. 1. disp. 5. q. 5. de pænit. sect. 1. pun. 7. n. 2. vbi affert illud Ezechiel. c. 18. & 33. in quacumque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius, quod dictum ait Suar. d. n. 4. intelligi debere etiam de quolibet momento.*

4 Ad secundum, quamuis diligens requiratur examen conscientiæ in perquirendo peccata, vt suo loco dictum est, non tamen de omnibus sigillatim est necessario habenda contritio, vel attritio, sicut volebant *Soto in 4. dist. 17. q. 2. Durand. ibidem q. 2. Adrian. Richar. & alij apud P. Dia. par. 3. tract. 4. resol.* 118. sed sufficit vna contritio generalis de omnibus, si desit Confessarius, vel attritio similiter de omnibus, cum sacramento pœnitentiæ in princ. examinis, vel inter illud, vel post illud, ante confessionem, vel in ea, dummodo ante absolutionem *Nauar. in man. c. 1. n. 24. Tolet. lib. 3. c. 5. n. 2. Suar. cit. sect. 6. n. 2.* vbi dicit omnes Theologos in hoc conuenire *Bonac. vbi sup. pun. 5. n. 1. ex D. Tho. Valent. Regin. & alijs.*

5 Notandum etiā est, tantā posse esse contritionem, vt Deus non solum dimittat culpam, sed etiam totam pænam, sicut promisit suæ Sponsæ Brigittæ *lib. 3. reuelat. c. 26. n. 4.* vt etiam docent *D. Tho. in 3. sent. dist. 19. q. 1. art. 3. quæstiunc. 2. Tolet. lib. 3. c. 5. n. 6. & communiter DD.* quod tamen est semper intelligendum cum sacramento in re, vel in voto, vt sup. pluries diximus;
6 & licet optimum sit contritionis actus sæpe in vita peragere, dum tot bona conferunt, attamen etiam si in vltimo vitæ momento vnus ex eis fiat, licet numquam antea fuerit peractus, sufficit (ò infinita Misericordia) ad salutem, sic legitur apud eandem S. Brigittam lib. 4. c. 51. in fine, & c. 101. & in Sac. pagina apud Ezechiel. loco cit. n. 3.



Quid

Quid sit attritio,& de differẽtijs inter eam, & contritionem, ipsarumque conuenientijs.

SVMMARIVM.

1 *Attritionis definitio, & explicatio. Sine spe veniæ non valet, & æquiparatur attritioni Iudæ n. 2. Qualis sufficiat cum Sacramento, & qualis non, imò sit peccaminosa? n. 3.*

4 *Contritio in quibus differat, & conueniat cum attritione? & n. 5. vsque ad finem.*

Resolutio XXXX.

1 AD primum, attritio est peccatorum imperfecta detestatio,vt percipitur ex *Trident. sess.* 14. *cap.*4. dicitur imperfecta, quia non est ob amorem Dei, saltem implicitum, sicut diximus de contritione, sed ex metù gehennæ, vel aliarum pænarũ,
2 aut ob torpitudinem peccati, dummodo etiam includat spem veniæ, vt ibidem declararunt PP. alias æquiparatur pænitentiæ Iudæ, vt rectè docet *summa Coro. de pænit. cap. 6. n.* 18. Hic tamen metus dupliei
3 modo concipi potest,vel cogitando pænam prædictam inferni,seù alias, quas sibi quisque per peccatum comparauit, & hinc cõcussa anima doleat, & proponat Deum in futurum non offendere, & hic bonus est, & sufficit cum Saeramento ad expellenda peecata, gratiamque introducendam *per d. cap.* 4. *& per DD. mox citandos.* Aut vltra quis progreditur cogitando,quod si infernus non esset, nequequam à peccatis abstineret, & hic non solum non est attritio christiana, sed actus peccaminosus *Tolet. lib.*3.*cap.*4.*num.* 8.*Nauar. in man.cap.*1.*num.* 8. *Regin. lib.*5.*num.*28. *Bonac. de pænit. to.*1. *disp.* 5.*sect.* 1.*pun.* 2.*num.* 4. quod omnes didicerunt ex *D. Tho. eo non citato* 2. 2. *q.* 19. *art.* 4 vbi rationem assignat, quia st. prior fundatur in iustitia, dum adest propositum bonum, & etiam in charitate, licet adhuc imperfecta, dum est ex timore pænæ, nec potest esse malus, cum sit à Spiritu Sancto: secundus verò caret omnibus prædictis, vide etiã latè de his infra res.24.
4 Ad secundum, prima differentia est, quia contritio semper est coniuncta cum gratia, dum peccatorem contritum Dei amicum facit; imo talis, & tanta potest esse contritio, vt eum, deficiente Confessario, sublata non solum culpa, sed etiam pæna, statim, si in eo statu moriatur, ad Paradisum perducat, vt in priori *resol.n.*5. fuit probatum; attritio verò non est coniuncta cum gratia, nisi accedente Sacramento *Trident. de contrit. sess.*14. *cap.* 4. *Suar. disp.*5. *sect.* 1. *num.*8. nec in hoc est controuersia.

5 Secunda est,quod contritio intrinsecè includit formaliter, vel virtualiter dilectionem Dei super omnia,attritio verò nequaquam, sed oritur ex metù gehennæ, vel amissione gloriæ, vel ob turpitudinem peccati, vt docent cit. DD. hinc dixit *August. lib. de vera & falsa pænit. cap.*17. contritionem appellari conuersionem ad Deum, & auersionem à peccatis; attritionem autem auersionem tantum, dum per eam, absque Sacramento, pænitens solùm auertitur à peccatis.

6 Tertiam addit *Bonac.vbi supra n.*11.(quæ tamen percipitur ex definitione) quod cõtritio est dolor perfectus, dum pænitens detestatur peccata, quamuis sint offensa Dei: attritio verò est dolor imperfectus, dum detestatur peccatum ob metum gehennæ, vel aliarum pęnarum.

7 Quartam addit *Bart. à S. Fausto lib.* 3. *quest. moral. q.*102. *ex Trident.dicta sess.* 14. *cap.*4. quia contritio est donum Dei,& impulsus Spiritus Sancti inhabitantis, attritio verò est donumDei, & impulsus similiter Spiritus Sãcti,non iam inhabitantis,sed tantum mouentis, quo pænitens adiutus disponitur ad grariam Dei, in Sacramento pænitentiæ impetrandam.

8 Conueniunt autem primo, quia vtramq; oportet esse vniuersalem de omnibus peccatis, aliàs neutra valet, sed sufficit si facto diligenti examine,quando debet quis confiteri, vel absque eo, si non debet confiteri, conteratur, vel atteratur in genere de omnibus peccatis per vnicum actum, non autem quod sint necessariæ singulæ contritiones de singulis peccatis *Nauar. in man.cap.* 1. *n.*25. *Henriq. lib.*4. *c.*7. *n.* 2. *Valent. to.*4. *disp.*7.*q.* 8. *pun.*6. *in princ.* vt etiam dictum est in priori resol.n. 4. Secundò Conueniũt
9 in intensione, nam sicut ad perfectam contritionem nulla requiritur intensio, vt dictum est in *resol.* 38. *n.* 11. *& seq.* ita à fortiori, nec ad attritionem, quæ est minoris ponderis: idem dicitur de duratione, quæ non requiritur in contritione, vt in priori *resol.*

*resol.n.*1.nec in attritione, sed in instanti potest quis conteri, vel atteri *D.Tho.par. 3.q. 89.art. 2. & 1. 2. q. 113. art. 5. Suar. to. 4.*
10 *disp. 5.sect. 1. n. 6.*Tertio conueniunt,quia vtraque est dolor de peccatis cōmissis,cum firmo proposito actuali, vel virtuali non peccandi de cætero,quibus copulatiuè non concurrentibus, neutra sufficit *DD. apud eundem Fausc.cit. q.*101. sed ex diuersis motiuis,vt supra dictum est,vbi etiam fuit probatum (& est quarta conuenientia) in vtraque concurrere debere spem in diuina misericordia, de remissione peccatorum ex-
11 plicitam. Quinto, & tandem conueniunt, quia vtraque est donum Dei supernaturale, vt legitur *in Trident.dicto cap.4.* & percipitur etiam *ex can.1.& 3. sess.6. de iustific.*

An, & quādo contritio post mortale commissum sit de necessitate medij, vel præcepti, & an ea omissa nouum mortale cōmittatur?

S V M M A R I V M.

1 *Necessarium necessitate medij, vel præcepti quale sit.*

2 *Periurium ob vitam, vel honorem propria, vel aliena tuenda, comite ignorantia inuincibili non est mortale, sed quid de pollutione voluntaria?*

3 *Contritio eundem fere effectū habet, quam attritio cum Sacramento, & an, & quādo obliget.n.4. vsque ad finem.*

13 *Peccatis hærere vsque ad mortē an sit aliud peccatum distinctum, vel solum circumstantia?*

14 *Propositum formale non pænitendi, est magnum peccatum, & distinctum ab alijs.*

15 *Impænitentia finalis est peccatum in Spiritum Sanctum.*

17 *Res semel extincta, amplius reuiuiscere non potest.*

18 *Obligationes vniuersaliter ex quatuor fontibus oriuntur.*

19 *Conueniri nemo potest in iudicio humano sinè prænia obligatione, & minus in Diuino.*

20 *Contritio intensa tollit non solum culpam, sed etiam pænam, & tribuit maius meritum proportionabiliter.*

21 *Contritio est necessaria existenti in mortali, & administranti Sacramenta, quia Sancta sanctè tractanda sunt, sed non propter alias causas ab aliquibus cōsideratas.*

22 *Sacramenta pænitentiæ, & Eucharistiæ sunt recipienda saltem semel in anno,& etiam in articulo mortis,sed hæc obligatio oritur ex alio fonte,vt infra.*

Resolutio XXXXI.

1 PRO cognitione terminorum,illud dicitur necessarium necessitate medij, sine quo salus obtineri non potest, ex quocumque capite omittatur, vt sunt gratia Christi,vel baptismus, & supposito mortali in anima, pænitentia *D. Tho. 3. p. q. 84. art. 5. in corp.* illud verò necessitate præcepti, quo culpabiliter omisso, salus nec attingitur, veluti non adimplendo ex vincibili ignorantia quodcumque præceptum, secus si inculpabiliter per ignorantiam inuincibilem *Gregor.de Valent. to.3. disp.1. q. 2.pun. 2. post initium Bonac. to. 1. disp. 5. de pænit. q. 5. sect. 1. pun. 2. n.1. & 4.* Vnde
2 periurium,ob vitam, vel honorem propria, vel aliena tuenda, & quod plus est pollutio voluntaria, si insit ignorantia inuincibilis in agente, nō erunt mortalia iuxta *Sāch. in summa to.1. lib.1. cap.16. n. 33. in fine ex Vasq. Azor. & alijs*, qui dictam ignorantiam exemplificant, quando agens ante, & post actum, nullum habet scrupulū. *P. Dia. par.3. tract.4.resol.*108. *ex Layman, & alijs* sed circa pollutionem contradicit *D. Tho. relatus sup.resol. 19. nu.* 10. quia est contra Ius naturale de quo non potest dari probabilis ignorantia *Grat. dist.1. in princ. & c.ius naturale eadem dist. inst. de Iure nat. gent. & ciu. in princ.*
3 Præmitto etiam, eundem quasi effectum habere hodie contritionem in casu non habiti confessarij, ac attritionem cum Sacramento pænitentiæ *ex Trident. sess.* 14. *c.* 4. quibus respōdet *Suar.to.4.disp.15. de pænit. sect. 1.n.* 2. supposito mortali, non solum damnari hominem in illo morientem, sed aliud peccatum cōmittere, ex defectū contritionis, modo quo suprà ; & consequenter alterutram esse in speciali præcepto,esseque communem Theologorum sententiam, quorum magnam cateruam ibi refert præcipuè.*D. Tho. in sex locis*, vbi adeo verum est, non dixisse, ex tali defectū nouum peccatum committi, vt contrarium apertè alibi docuerit, sicuti mox dicemus. Citat etiam diuersa loca Sacræ paginæ, nempè *Ezech.cap.18. ibi conuertimini, & agite pænitentiam*

tentiam

tentiam &c. Luc. cap. 13. ibi si pœnitentiam
4 *non egeritis, omnes simul peribitis, &c. cum simil.* concludit tandem post late disputatum articulum vsque ad *sect.6.n.1.* obligare hoc præceptum præcipue in morte, citat eundem *D. Tho. in 4. dist. 17. q. 1. art. 4. Durand. ibidem q. 10. num. 5. & 6. Caiet. in summa V. contritio & alios;* Rationem tradit *n. 2. in fine,* quia st. supposito, quod pręceptum non statim obliget ante mortis artic. nulla est maior ratio designandi vnum tempus, quam aliud, imò neque est ratio designandi aliud, quia in nullo est vera necessitas, præceptum autem affirmatiuum, tantum obligat in artic. necessitatis, hæc ille.
5 Qui addit postea *n. 18. eadem sect. 6.* obligare præceptum prædictum, etiam ex capite dilectionis Dei ante mortis articulum, quia verisimile non est, charitatem Dei, numquam obligare ad ipsum diligendum, nisi in extremo vitæ periculo, quod nequit facere in mortali existens, nisi per alterum ex remedijs assignatis, quod autem semper ante mortem hoc fieri debeat, non solum non aperit, sed ait n. 20. hoc multos DD. ipsumque plurimum contorsisse, & propterea certam regulam assignare non posse, cum non sit aliqua lege præscriptum, ideoque committi posse arbitrio ipsius conterendi, vel alteriùs, qui cognita eius con-
6 scientia, auxilium præstare valeat. Quam opinionem adeo inter modernos secutus est *Coninc. de pœnit. disp. 3. dub. 1. n. 1.* vt ausus fuerit dicere, contrariam D. Tho. communiter reijci; authoritates & fundamenta ipsius sunt eadem relata Suar. & addit n. 33. tempus posse constitui trium, vel quatuor annorum, quibus elapsis, & contritionis actu non elicito, tunc aliud mortale committi, idem in parte voluit *Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 5. sect. 1. pun. 2. num. 4. cum Nugn. Pitig. & alys ibidem relatis.*
7 Alij addunt hoc præceptum obligare etiã in diebus festis, & proinde si aliquis in talibus diebus non conteratur, aliud mortale toties, quoties committere, hi sunt *Angel. V. feriæ 10. n. 41. ex Anton. par. 2. tit. 9. cap. 1. in quam sententiam inclinat Petr. Soto sect. 13. de pœnit. & fauet Scot. in 3. dist. 27. art. 3. §. quantum, ad 2. & dist. 37. §. ad 1.* dum sentiunt, obligari quemquam ad explendum actum dilectionis Dei super omnia, singulis diebus festis, qui tamen expleri nequit sinè præuia, vel comite contritione de peccatis; putant .n. tertium præceptum decalogi esse determinationem præ-
8 cepti dilectionis Dei. Alij hoc extendunt ad tempus vehementis tentationis, & periculi incidendi in aliquod mortale, quia per actum contritionis ista fugātur; hi sunt *Gregor. de Valent. to. 4. disp. 7. q. 8. pun. 4. assert. 5. Coninc. citat. num. 19. & addit Soto vbi suprà,* quando est periculum obliuionis peccatorum; Item quando est facienda publica oratio, ad vitandum aliquod imminens flagellum Dei iuxta *Nauar. in man. cap. 1. num. 27. in fine ex Adrian. & alys, & apud Bonac. cit. num. 6. ex eod. Valent. Zerol. & alys.*

Licet autem isti PP. sint tam Sancti, eximiæque doctrinæ, vt omnibus patet, mouere tamen nō debēt authoritates personarum, sed Iura, & rationes, & cum neutrum ab illis fundetur salua reuerentia, vt infra constabit, meritò ab eis discedo, & dico
9 primo, contritionis actum, deficiente Confessario, vel attritionis cum Sacramento, esse, posito mortali in anima, de necessitate medij ad salutem, hoc constat ex locis scripturæ cit. negatque nullus, cum sit de fide *D. Tho. 3. par. q. 84. art. 5. & alibi.* Si ergo peccator alterutrum ex remedijs prædictis non adhibet, & in tali statù moritur, damnatur ex vi peccati illius, vel peccatorum pænitentia non deletorum, vt generaliter legitur apud *Ezech. cap. 18. act. Apost. cap. 3. & alibi passim,* sed non committit aliud peccatum, ex quo non doluit de commissis, cum nullum de hoc extet præceptum, vt gratis asserunt DD. citat. & statim dicam.
10 Etenim in loco relato apud Luc. cum quo concordant cætera, *ibi si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis,* aut supponimus hoc dictum fuisse iustis, & est impossibile, cum nolit Deus, vel nequeat (vt ita dicam) condemnare eos, qui semper serui fideles habiti sunt, eo vel maximè, quod hoc non offendisse, vel nolle Deum offendere, est magna dilectionis exhibitio, istud docuit ipsa summa sapientia, cum interroganti illi apud Luc. cap. 10. *quid faciendo vitam æternam possidebo? respondit serua mandata;* sed in mandatis non constat de tali præcepto, vt tradunt *Victor. & alij apud*
11 *Suar. dicta disp. 15. sect. 1. n. 1.* ergo. Quod clarius docet *D. Tho. dicta par. 3. q. 84. art. 5. in corp. ex 2. paralip. cap. vlt. ibi tu Domine Deus iustorum non posuisti pænitentiam iustis Abraham, Isaac, & Iacob, ÿs qui tibi non peccauerunt, adde Luc. cap. 5. ibi non egent quì sani sunt medico, sed qui malè habent, non .n.*
veni

ueni vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.

12 Aut dicitur hoc intimatum peccatoribus (quod est verum,) & illa comminatio non potest referri ad noua peccata ex contritionis omissione committenda; etenim dum iam adsunt illa, pro quibus est statuta pæna comminata, & iure damnãtur, grata erit assertio contraria, ex verbis n. prædictis concluditur necessitas medij, vt suprà non autem alterius noui præcepti, aliàs illa vnica contextura verborum importaret mediũ, & nouum præceptũ simul, quod nõ est verisimile, nec litera tex. hoc patitur. Veritas ergo est, quam incidenter docet *D.Tho.2.2. q.14. art. 2. in corp. ibi ex parte verò peccati duo sunt, quæ hominem à peccato retrahere possunt, quorum vnum est inordinatio, & turpitudo actus, cuius consideratio inducere solet in homine pænitentiam de peccato commisso, & contra hoc ponitur im-*
13 *pœnitentia, non quidem eo modo, quo dicit permanentiam in peccato vsque ad mortem, sicut suprà inpænitentia accipiebatur (sic n. non esset speciale peccatum, sed quædam peccati circumstantia,) sed accipitur hic inpænitentia secundum quod importat propositum non pænitendi hac ille.*

Ex quibus (ni fallor) colligitur, actum contritionis ex hoc capite ne quidem in morte esse in præcepto, vt etiam infra *n. 16.* siquidem permanentia in peccatis etiam vsque ad mortem, non est nisi quædam peccati circumstantia intra eandem speciem, non autem peccatum separatum,
14 (bene verum est, quod si quis in morte, vel quandocumque, per actum positiuum distinctum, habeat formale propositum non pænitendi, istud erit peccatum magnum, etiam distinctum, quod vocant in Spiritum Sanctum, & magis in morte, quia tunc dicitur inpænitentia finalis, & pro-
15 pterea D. Tho. ibidem istud connumerat inter sex peccata in Spiritũ Sanctum, quod latius docet idem *Suar.cit.sect.2.n.5.* vbi dicit omnes Theologos in hoc cõuenire. Quæ tamen intelligenda sunt præfato modo, vt st. omissa contritione quis non committat nouum peccatum, sed damnatur moriens in peccatis prioribus; quod si de istis at-
16 tritus fuerit cum sacramento, vel isto cessante, fuerit contritus, non tenetur ex præcepto aliquo ad iterum conterendum ante mortem, vt putant DD. cit. solutione.n.eius quod debetur, omnis tollitur obligatio *instit.quibus modis tollitur obligatio in princ. & l.si pupillus ff. ad l.falcid.*

Quandoquidem, aut supponimus contritionem Confessario non habito, vel sacramentum cum attritione, non sufficere ad extinguendum peccatum, & hoc est hæreticum, vti contra multa loca sacræ paginæ vulgata, & *Trident. sess. 14. c.4.* aut concedimus esse satis, & proinde extin-
17 ctum esse peccatum, & res semel extincta, amplius reuiuiscere non potest *l.qui res §.aream ff.de solut.* Quodsi de hoc esset noua obligatio, oporteret scire vnde orta,
18 etenim ex quatuor fontibus tantum oriũtur obligationes, ex contractu st. vel quasi contractu, ex maleficio, vel quasi maleficio *§.sequens diuisio inst.de obligat.* & si in nullo ex his tenemur, conueniri non
19 possumus, nec condemnari; si ergo in iudicio humano, non nascitur actio sinè obligatione; *instit.de obligat. in princ. à contrario sensu*, multo minus in diuino, cum mitius agatur cum Deo, quam cum homine *l. Celsus ff. de Arbitr. extrau.vnica de Iudæis.*

Non negamus tamen, imo hortamur omnes ad eliciendum, non solum in morte, sed in quolibet vitæ momento con-
20 tritionis actus, per quos, si supponimus sublatam antecedentem culpam, tollitur etiam pœna, secundum proportionem intensionis, & acquiritur maius meritum, vt in priori resol. sed intẽdimus auferre scrupulos sinè fundamento, & in hanc partem inclinat ex modernis *Vasq.3.par.to.4.q.86. art.2. dub. 6. sub n. 6. & clarius ex Caiet. in summa v. contritio docet Hurtado de pænit. disp.3. diffic. 4.* vbi etiam refellit opiniones relatas sup. *n. 7. & 8.* quas ante eum reiecerat idem *Suar. disp.15.sect.6. à n.11. vsque ad 15.* falsas, & sinè fundamento eas appellando, illis n.pro veris datis, infinita fere peccata ex solo antecedẽti commisso, præter voluntatem deriuarentur, videndi sunt etiam *Villalob. in summa to. 1. tract. 9. diffic. 21. n. 4. & 5. P.Dia. par.5. tract.13. resol.33. in fine*, qui idem nobiscum vult, & citat inter alios *Suar. disp. 15. sect. 8.* qui tamen ibi non facit nisi 7. sectiones.

21 Illud autem, quod addunt omnes præcitati DD. vt st. existenti in mortali, & volenti administrare sacramenta, si non potest confiteri, necesse sit conteri, verissimum est, sed impertinens ad materiam

præsentem; cum talis obligatio non nascatur ex præcepto contritionis, vt ipsi credunt, sed ex alijs iuribus mandantibus, quod sanctè sint sacramenta tractanda, vt aduertit idem *Suar. dicta sect.6. n.6.* quod vlterius probat quia, qui non præmissa, contritione eo in casu recipit, vel ministrat sacramenta, non committit duo peccata, vnum omissionis contritionis contra hoc præceptum, alterum indigne tractando sacramentum, sed solum hoc posterius, quod est commissionis contra præceptum negatiuum, non irrogandi iniuriam sacramento.

22 Idem dicitur de sacramentis pœnitentiæ, & Eucharistiæ recipiendis, saltem semel in anno *ex c. omnis de pænit. & remiss.* ac etiam in articulo mortis, saltem Eucharistiam, si mortalia desint, ex Ecclesiæ antiqua consuetudine, de qua testatur *P. Dia. par.9. tr.8.*
23 *resol.46. §. & est antiqua*, sed hoc est ex iure, & consuetudine prædictis, non autem quod separatim post mortale commissum sit sub alio præcepto elicienda contritio, quia hoc reuera nullibi statutum reperi-
23 tur. Non intelligo tamen in hac disputatione comprehendere articulum dilectionis Dei super omnia, de qua apud *Marc. c. 12. & luc. c.10.* tetigitque *Suar. cit. sup. n. 5.* quia hoc est præceptum distinctum, quod inde constat, nam qui illud omittit, non duo, sed vnum solum peccatum committit, omissionis st. præcepti prædicti, vt fatetur idem *Suar. in sæpe cit. disp.15. sect.6. n.19.* licet n. determinatum non sit tempus ad illud implendum, tenemur tamen ad illud in aliquo vitæ tempore, vt declaratum extat *in Bulla Alex. VII.* emanata die 2. Octobris 1665. sicuti ad actum fidei, & spei, vt in eadem bulla *n. 1.* quod totum implere puto eum, qui semel actum contritionis in vita, vel in morte emisit, etiam occasione confessionis tunc factæ, vel faciendæ, contritio enim tunc emissa, si vera sit, includit actus fidei, spei, & charitatis, vt patet, & constat ex dictis *sup. resol. 38. præcipue n.23. & res. seq. n.8.*

Vtrum attritio ex metu gehennæ, aliarumue pœnarum, vt a Deo inflictarum, vel infligendarum, vel ex turpitudine peccati sufficiat ad recipiendum sacramentum cum fructu?

SVMMARIVM.

1 *Argumentum à contrario sensu validum est in iure.*

2 *Attritio ex metu gehennæ, vel aliarum pænarum videtur virtualiter includere affectum ad peccatum, sed contrarium est verum n.11.*

3 *Timor Dei est frenum animæ, & per eum omnis declinat à malo. Gehennæ est laudabilis, & quare? n.4. vsque ad 7. Regulariter introducit charitatem, probatur exemplis, & doctrina Christi n.8. & 9. Si concipiatur, vt causa finalis vltima ad abstinendum à peccatis, est peccaminosus, secus si vt causa finalis proxima, vel vt causa impulsiua n.10.*

12 *Detestatio peccati ob eius fæditatem, prodest cum sacramento, sicuti ob metum gehennæ & n.13.*

14 *Virtutes theologicæ infunduntur à Deo in baptismo, ac etiam morales, quod negare est error hæresi proximus: sed morales acquiruntur etiam ex actuum frequentia; verum illæ per mortale statim amittuntur, istæ verò minimè n. 15. & 19. sunt enim diuersæ speciei n.16.*

17 *Definitio virtutis ex DD. Augustino, & Tho. de Aquino, qua si quis male vtatur tunc desinit esse virtus, cõtra si bene n.18.*

20 *Fides, & spes non amittuntur per quodlibet mortale, sed per solam infidelitatem, & desperationem. Stant simul cum mortali; non tamen ex parte principij, quod est gratia, qua per mortale amittitur, sed ex Dei misericordia n.21.*

22 *Attritio ob peccati fæditatem, quatenus aduersatur virtutibus acquisitis, quæ reperiuntur etiam apud gentiles, non sufficit, etiam cum sacramento ad illud expellendum, secus verò quatenus aduersatur virtutibus à Deo infusis.*

Resolutio XXXXII.

1 Circa primũ difficultas oritur, quia ex metu peccandi ad pænas vitandas, argumentum oritur à cõtrario sensu (quod in iure validissimum est *l.1. ff. de offic. eius*) si pœnæ non essent, peccatum non deseretur; item facit alia regula *c. cum cessante de appellat.* cessante causa, cessat effectus; ergo si cessarẽt pænę, cessarẽt etiã effectus,
2 & voluntas deserendi peccatum, qui actus cum includant saltem virtualiter, & implicitè voluntatem peccandi, certum est, non solum bonos non esse, sed etiam culpæ reos. His tamen, & similibus non obstan-

ſtantibus, contrarium apparet deciſum per *Trident.ſeſſ.6. can.8.& ſeſſ.14. c.4. & can.5.* & ſæpè in ſacra pagina laudatur timor, vt in *pſal. 33. ibi timete Dominum omnes ſancti eius,in pſal.111.beatus vir,qui timet Dominū, in pſal. 118. confige timore tuo carnes meas,*& alibi paſſim,quē timorē *Suar.diſp.5. ſect.2. n.4. to.4. de pœnit. ex Baſil. & alijs* exponit, eſse pænarum, & propterea frenum ani-
3 me, ſicuti etiam docet *ſapiens prouerb. c.15. ibi, per timorem Domini omnis declinat à malo.*

Rationem tradit idem Suar. quam tranſcripſit *Bart.à S.Fauſto lib.3. q.moral.q.109.*
4 *eo non cit.*quia ſt. timor alicuius mali, ſumit rationem ſuam, & honeſtatem ex illo bono, cui tale malum opponitur; malum n. propter quod aufertur bonum, odio habetur, vnde ex amore, vel deſiderio boni, oritur odium, & fuga mali, qualia ſunt timor, ſed bonum illud, cui gehennæ malum opponitur, eſt ipſa vita æterna, de ſua natura amabilis, & optabilis; ergo timor gehennæ, quæ tollit ipſam vitam æternam, eſt bonus. Sed melius reſpondet implicitè
5 *D.Tho. in 4.ſentent. diſt.17. q.2. art.3. quæſtiunc.* 1. vbi ait, quod pœna gehennæ eſt inſeparabilis ab offenſa Dei, proinde quando quis timet peccare ob gehēnæ metum, timet intrinſecè offenſam Dei, illi coniunctam, & conſequenter videtur abſtinere à peccatis, quaſi ob amorem Dei, in quo ineſt contritio, quæ eſt ſuperioris ordinis.

6 Addit *Suar.loco cit. n.5.* ſimilitudinem, duobus ſt. modis poſse quempiam operari ex timore, vno modo, vt ex quadam occaſione excitante hominem ad conſiderandum, ad quod conducat talis operatio, quaſi per modum conſilij cum ſe ipſo initi, qua de cauſa à peccatis abſtineat, & in hoc timore nulla poteſt ineſse malitia, ſcimus n. non ſolum licitum, ſed etiam laudabilem eſse victum ordinatum, cibique parcitatem ad fugandam infirmitatem, ex qua mors oriri ſolet, licet hoc minus principaliter fiat virtutis amore. Sic
7 in propoſito, timor gehennæ hoc modo conſideratus, videtur cauſam dediſse pœnitentiæ Niniuitarum, vt legitur *Ionæ 3. & refertur in Trident. ſeſſ. 14. c. 4.* alioquin *ait D.Hieron. in c.4. ſuper Daniel. relatus in c.quamobrem diſt. 1. de pœnit.* gratis Deus minaretur peccatoribus *apud Luc.c.13.apud Matth. c.12. & alibi ſæpe,* ſi poſtea timor ex hac cauſa conceptus nō poſſet ſaltem cum ſacramento ad vitam perducere.

8 Imo, & quod magis eſt, hic timor ſeruilis regulariter introducit charitatem, & veram contritionem, vt ait *D.Auguſt.in lib. de gratia, & lib. arbit. c. 17. relatus in c.ſicut ſeta de pœnit. diſt.2.* cuius verba ſunt videlicet, *ſicus videmus per ſetam introduci linum,quando aliquid ſuitur,ſeta primum intrat, ſed niſi exeat, non ſuccedit linum, ſic timor primò occupat mentem, non autem ibi remanet timor, quia ideo intrauit, vt introduceres charitatem.* Adde illud *Io.1. n.4. perfecta charitas foras mittit timorem, non vt malum, ſed vt imperfectum iuxta explicationem Gl.in d. c.ſicut ſeta, & c.ſchiſmatici 23.*
9 *q. 6.* Accedat doctrina ſponſi reuelata ſuæ Sponſæ Catharinæ de Senis in ſua vita, *lib. 3. c. 3.* quia ſt. in animam primum intrat timor, qui eam vitijs ſpoliat, poſtea amor eamdem virtutibus induens, ac replens.

10 Alio modo poteſt quis operari ex timore cogitādo ſt.explicitè,vel implicitè quod ſi infernus nō eſſet,peccare non deſineret, & talis timor non ſolum non eſt bonus, ſed eſt peccaminoſus iuxta dicta ſup. *reſol.* 41. *n. 3.* cum communi ſententia, & ratio poteſt eſſe, quia prior timor concurrit vti cauſa impulſiua, poſterior vti cauſa finalis; imo etiam ſi prior adeſſet vti cauſa finalis, non dicitur finalis vltima, in qua aſſiſtere dicatur voluntas conditionata peccandi, ſed tantum, vt cauſa finalis proxima, ex qua hic, & nunc abſque alia conſideratione, impellitur pœnitens ad dolorem peccatorum, vt poſt *Suar. vbi ſup. n. 8. docent Bonac. diſp. 5. q. 5. ſect. 1. pun. 3. n.4. Fauſtus lib. 3. q.89. in fine*; & ex his patet reſponſio ad obiecta.

11 Quod autem diximus de timore gehēnæ, idem intelligitur de timore aliarum pœnarum temporalium, ſi ſumantur, non prout fuerint illatæ, ſeù inferantur ab homine, ſed à Deo, quia ſic exercentur virtutes fidei, & ſpei, (quæ ceſſant ſi ſumantur prout ſimpliciter illatæ ab homine,) vt communiter explicant *PP. ſuper Iſai. c.26. vbi illud à facie tua Domine concepimus, legunt 70. interpretes, Domine in anguſtia requiſiuimus te propter timorem tuum; multaque alia ſimilia loca coacernat Cyprianus lib. 3. ad Quirin. c. 20.* vbi vocat timorem, firmamentum fidei, & ſpei; *Vega lib. 13. in Trid. c. 14.* Quod verum eſſe dicit

eit *Suar. cit. n.15. in fine*, & percipitur ex eodem *Trid.d.c.4. ibi vel ex gehennæ, & pœnarum metu concipitur*, quibus adde *Hurtad. de pænit. disp. 6. diffic.5.* & alios recentiores apud *P. Dia. par. 4. tract. 4. resol. 193.*

12 Quoad secundum, si quis peccatum detestetur ob turpitudinem, seu eius fœditatem, veram esse attritionem non dubitatur ex *Trid.cit. d.c.4. & can.5.* dum dicitur, attritionem esse, siuè timor concipiatur ex causa prædicta, siuè ex gehennæ metu; dubitatio tamen nascitur, quoniam etiam gentiles timuerunt peccare, & doluerunt peccasse ob peccati turpitudinem, habueruntque propositum amplius non peccandi, & sperauerunt veniam à dijs suis, & tamen falsum esset dicere, attritionem ha-
13 buisse. Hinc legitur apud *Senec. lib. 1. ad Neron. de clementia c.22.& lib.3.ad Ebucium de benefic. c.16. videlicet, si scirem Deos ignoturos, & homines non visuros, ne quidem peccare vellem, propter peccati turpitudinē*, itaque hic actus, cum non sit supernaturalis, vt requiritur ad attritionem, & declaratur per idem Trid. esse impulsum Spiritus Sācti, videtur consequenter esse extra sferam attritionis.

14 Pro responsione præmittendum est, quod præter virtutes Theologicas, quæ sunt totaliter ab extrinseco, st. à Deo infusæ in baptismo, vt per *D.Tho. 1.2.q.63. art.1. in corp. in fine, & Lel. Zech. in summa par.1. c.8. n.1.* infunduntur etiam morales, idem *Sanct. art.3. & Zech. d.n.1. in fine* vbi ex Medina,& Valent.testatur, grauissimum errorem esse negare virtutes morales infusas: maiorem verò, imo hæresi proximum negare virtutes Theologicas infusas, quod latius Patrum auhtoritate probat
15 *c.9.n.3.* quæ tamē virtutes morales possunt etiam acquiri ex actuum frequentia, cum hac distinctione; quod morales infusæ, per peccatum mortale statim amittuntur; acquisitæ verò minimè idem *Sanct. loco cit. art.2. ad 2.*

16 Imo sunt diuersæ speciei, vt patet ex definitione, nam vt percipitur ex August. relato ab eod. *D.Tho. q.55. art.4.in corp. &*
17 *initio art.* ita definitur. virtus infusa est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, qua nullus male vtitur, quam Deus in nobis sinè nobis operatur: modo hæc vltima particula (quam Deus) non conuenit virtuti acquisitæ, vt habetur loco cit. vers. sed notandum in fine, quia acquiritur continuatis actibus agentis, licet non sinè vniuersali auxilio Dei; sed quælibet differentia in diffinitione posita, si mutetur, diuersificat speciem; ergo virtus acquisita, non est eiusdem speciei cum infusa, vt arguit *Sanct. q. 64. art.4. in corp. & sequitur Suar. de pænit. disp.5. sect.2. n.11. in fine.*

Verum contra prædictam definitionem, & ad maiorem eius declarationem, sic argui posset, omnis exercens actus fidei, & maximè continuatos, habet virturem fidei; sed qui habet commercium cum diabolis, fidem exercet, dum credit eos reperiri, & à Deo creatos, sed grauissimè peccat cum dicatur etiam de illis quod credūt, & contremiscunt *Iac. Epist. 1. c. 2.* ergo non est verum, nullum virtute male vti, vt in definitione dictum est, ad quod vltra dicta
18 per *Sanct. d.art.4. ad 5.respondet Caiet.ibidem in fine*, quod aut virtutes ordinantur in bonum,& sic nullus eis male vtitur; aut ordinantur in malum, vt in exemplo tradito, & simil. & tunc desinuut esse virtutes (licet per tale peccatum fides non amittatur, sicut per infidelitatem, vt infra, sed tantum mortificetur,) quod fortius procedit in virtutibus moralibus infusis, quæ statim per mortale amittunrur totali-
19 ter, vt diximus. Et propterea differunt ab acquisitis, quæ cum peccato esse possunt, quia habitui non contrariatur directè actus, sed habitus, qui non amittitur per vnicum actum contrarium, vt docet *Sanct. d. q. 63. art. 2. ad 2.* & ratione probatur, sicut n.habitus virtutis non acquiritur per vnicum actum, sed per multos continuatos, teste experientia, ita è contra, nec amittitur nisi per multos cōtrarios, ex regula iuris, quod nihil tam naturale est quam, vt vnumquodque eodem vinculo dissoluatur, quo ligatū est *l.nihil tam naturale de regul. iur.*

20 Quamuis autem fides, sicuti & spes maneāt in peccatore, nisi sit peccatum infidelitatis, vel desperationis vt legitur *in Trid. sess. 6.cap. 15.* hoc tamen est secundum veram rationem habitus infusi, secus est in ra-
21 tione virtutis, quia virtus infusa oritur ex gratia infusa; vnde ex parte principij, peccatum mortale non stat simul cum virtute infusa, quæ est gratia, & ideo, sicuti homo per peccatum mortale amittit gratiam, ita etiam omnes habitus virtutum infusarum, quia propter peccatum meretur homo,

quod

quod Deus ab eo auferat omnes habitus infusos, etiam fidei, & spei; sed ex misericordia seruat in eodem habitum fidei, & spei infusarum, vt facilius conuertatur, vt latius explicat *Zech.loco cit.cap.9.sub.n* 2.

His prælibatis respondeo ad superiorem
22 obiectionem, quod si consideremus fœditatem peccati, quatenus aduersatur virtutibus acquisitis, & nullus in hoc adest actus supernaturalis, nec consequenter attritio; hinc videmus etiam infideles prohibere furtum, homicidium, & similia, vti contra lumen rationis, & aduersantia virtutibus acquisitis, sed dolendo illa commisisse, non dicuntur raptores Christianã attritionem habere; si verò eandem fœditatem consideremus, quatenus refragatur virtutibus infusis à Deo, & propterea peccatum detestamur, hic erit actus supernaturalis, veraque attritio; dum per talem actum, fides exercetur, quod idem, licet sine istis declarationibus docuit *Suar.dicta sect.2.n.12.& 15. in fine.*

Vtrum attritio putata supernaturalis, si talis reuera non sit, sufficiat cum Sacramento ad acquirendã gratiam, vel saltem ad valorem Sacramenti?

SVMMARIVM.

1 *Attritio putata inuincibiliter supernaturalis ex errore facti, vel iuris, si talis reuera non sit, an sufficit ad effectum, vel saltem ad valorem Sacramenti? & nu. 2. & seqq.*

6 *Gratiam Dei habere nemo in hac vita scire pro certo potest, & n. 7.*

8 *Ignorantia inuincibilis, tam secundũ Theologos, quam I.Consultos quæ sit? Item affectata, crassa, & supina quomodo inter se differant? nu. 9. Inuincibilis non potest dari in eo, qui putat acetum esse vinum, vel tetigisse Calicem, & patenam si reuera non tetigit, sicut volebat Suar. sed potius hæc est ignorantia affectata nu. 10. Inuincibilis verè cadit in illis, quæ sunt in potentijs interioribus, vt est attritio, imò est impossibilis certa scientia num. 11.*

12 *Culpa non remittitur sine actù virtutis pænitentiæ, quamuis sit effectus gratiæ operantis.*

16 *Pænitentiæ Sacramentum potest esse informe, quod, accedẽte etiam post confessionem attritione supernaturali, perficitur.*

17 *Materia Sacramenti pænitentiæ sunt contritio, Confessio, & satisfactio; qua deficiente, non est, vbi cadat forma, quæ est absolutio.*

20 *Ignorantia Iuris circa contritionem, seù attritionem non habitam, nullatenus excusat secund. Suar. excusat autem secund. opinionem Authoris, si sit inuincibilis ab iteranda Confessione, sed non ab attritione elicienda, etiam post. Confessionem, & n. 28.*

21 *Confessio absque vllo dolore, etiam si fiat à non errante in iure, neque in facto, dummodo non animo deridendi Ecclessiam, est valida in substantia, non in effectu; secundum Syl. quod tamen author non admittit totaliter.*

22 *Ignorantia inuincibilis datur etiam circa aliqua peccata de natura sua mortalia. Iuris positiui regulariter non excusat, exceptis minoribus, alijsque vt infra n. 23. & seqq. Sed Iuris naturalis neminem excusat n. 29.*

30 *Ecclesia, Ciuitas, Terra, Villa, vel Castrum, & qualibet Resp. habent in integrum restitutionem. Illa restituitur etiam aduersus sententiam Pontificis n. 31.*

Resolutio XXXXIII.

1 SVar.*to.4.disp.20. sect.4.n.16.* constanter docuit, talem attritionẽ non sufficere ad effectum Sacramenti, neque ad eius valorem, etiam si inuincibiliter putetur vera, & supernaturalis, tam ex errore facti quam Iuris, & consequenter repetẽdam Confessionem, citat pro sua opinione *D. Tho.par.3. q.84. art.1. ad.1.q.86.ar.6.q. 90.ar.2. alijsque in locis, Nauar. in c.fratres num.33. de pænit. dist.5. Couarr. Veg.& alios* ea ratione, quia *Trident.sess.14.docet, attri-*
2 *tionem esse donum Spiritus Sancti*, sed in attritione putata, neq; ipse dolor est donum Spiritus Sancti, quia supponitur imperfectus, & merè naturalis, neq; etiã existima-
3 tio, quia est quædã deceptio, ergo. Secũdo, quia Cõcilia dicunt, vinũ v.g. esse materiã Eucharistiæ, & nemo dicere potest, acetú, putatũ inuincibiliter vinum, aliquando sufficere; sicuti in Sacramento ordinis, dum materia essentialis est tactus Calicis, & patenæ, etiam si quis inuincibiliter putet se teti-

tetigisse, si reuera non tetigit, nihil factũ
est, quia ignorantia humana non mutat
materiam, nec Deus supplet essentialem
defectum ob priuatum errorem: ergo idẽ
cum proportione est in præsenti dicẽdum,
alia leuioris ponderis ibidem adducit, vbi
te remitto.
4 Quæ tamen obstare non videntur cum
distinctione, vt infra; siquidem ad primum
respondetur, non negari attritionem esse
donum Spiritus Sancti, sicuti in Concilio
declaratum est, sed non ex hoc sequi quod,
facta per pœnitentem diligentia, quæ iuxta
humanas vires fieri potuit, existimando
inuincibiliter se supernaturaliter attritum,
Confessio sit omninò nulla, & consequen-
5 ter repetenda, quia hoc in Concilio non
legitur; sed ad summum sequi posse, quod
careat effectũ gratiæ, acquirendæ tamen
superueniente attritione vera, etiam post
Confessionem, absque obligatione nouæ
Confessionis eorundem peccatorum, illa
siquidem diligentia præcedens sic exacta,
vt omninò quis putet se verè attritum, licet
realiter non sit, eum excusat à repetitione
Confessionis, eò magis, quod nec
proficeret repetitio, quia si millies repeteretur,
in eadem semper dubietate esset,
cum solus Deus sciat, quis sit supernaturaliter
attritus.
6 Enimuerò si quis comprehẽderet habuisse
attritionem supernaturalem in confessione,
sciret consequenter se absque dubio
in gratia Dei esse, quod est impossibile in
hac vita vt *cap. 9. Ecclesiast. & c. accepimus de purgat. canon*: & propterea dnm Suar.
vult vitare vnum scholium, quod reuera
non, est tale, sed prout ipse deducit ex allegato
Concilio de attritione omninò habita,
& scita pro supernaturali, non contentus
quod sit inuincibiliter, & bona fide
putata talis, vt per DD. infra citandos, in-
7 cidit in scholium maius, quod sequeretur
ex certa scientia attritionis supernaturaliter
habitæ, quod pro certo scire nostrum
non est *Nauar. in man. cap. 9. sub num. 13. & in c. fratres de pænit. dist. 5. num. 33.* vbi latiùs,
alijque per nos infra resol. 132.
Item æquiuocat Suar. supponendo posse
dari ignorantiam inuincibilem in prædictis
8 casibus per eum relatis; hæc .n. est qua
quis ignorat quod non oportet scire, &
qua communiter homines eiusdem qualitatis,
adhibita debita diligentia laborant
vt ex D. Th. alijsque Theologis testatur
idem *Nauar. in man. cap. 23. num. 46.* quæ
secundum leges exemplificatur in illo, qui
adhibet in rebus agendis eam diligẽtiam,
quam diligens Pater familias adhibere solet
in rebus suis *l. si putator §. culpam ff. ad l. Aquil. l. 2. & l. quicquid cum Gl. C. Arbitr.*
9 *tutel.* Et differt ab ignorantia affectata, quæ
est ignorare quod quis scire tenetur, & scire
non vult, vt liberiùs peccet, exemplo
eius, quod dicitur *in psal. 35. ibi, noluit intelligere, vt benè ageret*; Crassa verò, & supina
est ignorare id quod omnes sciunt, vt tradit
idem *Nauar. ibidem n. 45.* quam ignorantiam
vocant *ll. culpam latam l. regula §. sed facti ff. de Iur. & facti ignorant.*, quæ
æquiparatur dolo *l. quod Nerua ff. depositi*.
Alia exempla ignorantiæ, tam facti, quam
Iuris naturalis, Canonici, & Ciuil. habes
latè in *c. turbatur §. notandum 1. q. 4 ibique Gl. & per nos sup. resol. 19.*
10 Ex quibus patet responsio ad 2. argumẽtum
Suar. non .n. potest esse ignorantia inuincibilis
in eo, qui putat acetum esse vinum;
& minus in illo, qui putat tetigisse
Calicem, & Patenam, & non tetigit; imò
potiùs videtur ignorantia affectata, quia
noluit scire, vel tangere; in illis .n. quæ cadunt
sub aliquo sensũ corporeo, & præcipuè
tactus, & olphatus, vt sunt prędicta,
vel visus, nequit cadere ignorantia inuincibilis;
in illis autem, quæ sunt in potentijs
11 interioribus, si sc. dolor attritionis peruenit
ad actum supernaturalem, vel non, non
solùm cadit ignorantia, sed est impossibilis
scientia, vt dictum est, & proinde reiectis
argumentis.
Respondetur ad allegatas doctrinas, &
12 præcipuè D. Tho. vbi solum docet Sanct.
remissionem culpæ non fieri sine actu virtutis
pænitentiæ, licet sit effectus gratiæ
operantis; imò adeo verum est non esse
allegabilem pro eo, quod dicit Suar. vt
apertè docuerit contrarium *in 4. dist. 17. q. 3. ar. 4.* vbi voluit, accedentem ad tale
13 Sacramentum sinè contritione, non teneri
iterare confessionem, sed non percipere
fructum absolutionis, nisi recedente illa
fictione, & proinde valere confessionem
quòad substantiam, non quòad effectum,
vt latius infrà de confessione informi *re-*
14 *sol. 132.* Nauar. verò docuit etiam contrarium
vt ibi legitur, imò in *man. d. cap. 9. num. 13.* voluit indistinctè, non teneri
pænitentem iterare confessionem, etiam
si dolor non peruenerit ad attritionem, esseque

seque hoc absque dubio tenendum; quod tamen nos non admisimus absque distinctione *in citat. resol.* 132. vbi prædicti alij DD. à Suar. relati, fuerūt adducti pro contraria opinione.

Solùm ergo constanter tenemus, talem
15 putatiuam attritionem sufficere ad valorem Sacramenti, non tamen ad eius effectum, ita vt si in tali statù pænitens moriatur, non saluetur, quia deest attritio supernaturalis per Trident. requisita, etiam si inuincibiliter talis putata sit; si verò attritio supernaturalis superuenerit, etiam post confessionem, & absolutionem quandocumque ante mortem, sufficere ad salutem absque noua confessione peccatorum antea confessorum, dummodo in confessione antecedenti præcesserit attritio, inuincibiliter putata supernaturalis, licet reuera talis non fuerit; quod in fortioribus terminis docent *D. Tho. cum Caiet. & Nauar. locis cit. Vasq. de pænit. q.* 91. *ar.* 1. *dub.* 2. *Molfes. tract.* 7. *cap.* 9. *n.* 40. *Soto in* 4. *dist.* 18. *q.* 3. *Tolet. lib.* 3. *cap.* 10. *ante n.* 8. *Henriq. lib.* 4. *cap.* 26. *n.* 2.
16 Ratio est vltra eas, quæ ex supradictis deducuntur, quia hoc Sacramentum potest esse informe, vt in cit. resol. cum D. Tho. & alijs, idest, validum in substantia, inualidum in effectù; sed si attritio requisita in in dicto Sacramento deberet omninò esse supernaturalis, non solum pro consecutione effectus eius, sed etiam pro validitate, numquam daretur Sacramentum informe, quia accedente attritione supernaturali, Sacramentum est omninò perfectum iuxta *Trid. in sæpè cit. sess.* 14. *cap.* 4. ergo attritio inuincibiliter putata supernaturalis, sufficit ad valorem Sacramenti, vt rectè arguit etiam *Bart. à S. Fausto lib* 3. *q. moral. q.* 113.

Ad id autem, quod deducitur ex eodem
17 *Trident cap.* 3. esse st. quasi materiam huius Sacramenti cōtritionem, confessionem, & satisfactionem, & videtur etiam id insinuare *Suar. d. sect.* 4. *num.* 6. addens quod sublata contritione, seù attritione, vti materiæ parte, non est vbi cadat absolutio, quæ est forma; respondetur, certum esse quod imposita pænitenti pænitentia, vt satisfaciat creditoribus, vel restituat ablata, si habuit animum tempore Sacramenti ministrati satisfaciendi, vel restituendi, & postea non satisfaciat, nec restituat, validum fuisse Sacramentū, etiam si haberet, vel habuisset commoditatem satisfaciendi, & restituendi, & tamen etiam satisfactio assi-
18 gnatur pro materia Sacramenti in Concilio *d. c.* 3. quibus adde *Syl. V. Cōfessio* 1. *q.* 22. *&* 23. vbi dixit, deficiente attritione vera, & coneurente sola naturali, adesse mate-
19 riam, sed immundam. Respondetur secūdò differre attritionem vti partem essentialem Sacramenti, ab ea, quæ requiritur ad illud recipiendum cum fructù, quam DD. appellant partem integralem; & ratio est, quia attritio, quæ est pars essentialis Sacramenti, potest esse dolor naturalis, putatus tamen supernaturalis, ea vero, quæ requiritur ad effectum eius assequendum, debet esse supernaturalis verè, vt ex *Caiet. Cano, Ledesma, Soto, Palud., & alys tradunt Henriq. lib.* 4. *cap.* 26. *n.* 2. *lit. D. in fine, & Syl. vbi suprà*, qui plus dixit, & propterea interueniente dicta attritione, inuincibiliter putata supernaturali, sufficit pro materia ad validitatem Sacramenti, licet non ad effectum.

Hęc quoad ignorantiam facti: sed quid
20 si quis ex errore Iuris inuincibiliter putaret sufficere confiteri peccata, absque attritione supernaturali, nec naturali? hoc potest accidere, si confessarius ex verecundia, vel obliuione, timore, aut alia simili causa non doceat pænitentem ignarum. *Suar. d. to.* 4. *disp.* 20. *sect.* 4. *num.* 17. *in fine* docuit, quamuis incidenter, excusari pænitentem à noua culpa mortali, sed inualidam esse confessionem in effectù, & in substantia, quod tamen nulla DD. authoritate probat, ego autem puto validam esse in casibus prędictis quo ad substantiam, inualidam quoad effectum, sicut dictum est de ignorantia facti.

Quod in fortiori casù generaliter docet
21 *Syl. sup. citat. ibi, quando quis non errauit in Iure, nec in facto, & confessus est sua peccata absque vlla attritione, dummodo hoc non egerit animo deridendi Ecclesiam, validam esse Confessionem in substantia, non in effectù.* sed quamuis hoc in dicta resol. 132. dicatur non esse tenendum; potest tamen restringi ad hunc casum, qui vlterius probatur, nam *Sanch. in summa to.* 1. *l.* 1. *cap.* 16. *sub num.* 33. *ex Azor. & alys, & Dia. par.* 3.
22 *tract.* 4. *resol.* 108. *ex Laym. & alys* firmarunt, posse dari ignorantiam Iuris inuincibilem circa peccara de natura sua mortalia, vt sunt periurium ob vitam, aut honorem propria, vel aliena tuenda, aut pollutio voluntaria, & consequenter excusari talia ex inuincibili ignorantia perpetrantem;

tem; ergo etiam excusabitur pænitens, si ex ignorantia Iuris inuincibili, sua confiteatur peccata absque attritione supernaturali, nec naturali, non tamen totaliter, vt posset ex hoc inferri, sed in parte, vt dictũ est (de pollutione tamen volũtaria negat *D.Th.relatus supra resol.19.n.10.* qu ia est prohibita de I. naturali, de quo non datur ignorantia, vt etiam dictũ est *resol.41. n.2.*)

Eo etiam magis, quia dum attritio naturalis non sufficit, vt sup. ex Trid. dictum est. paria sunt eam habere, vel non habere, & circa supernaturalem, cum etiam probatum sit excusari pænitentem illa carentem à repetitione confessionis ex inuincibili ignorantia facti, eodem modo potest

23 dici excusari ex ignorantia Iuris. Nam licet statutum sit, Iuris ignorantiam non excusare *l.1.cum pluribus sequent.ff.de Iur.& facti ignor.* hoc tamen multas habet fallentias, quæ leguntur in *citat.ll.* Vltra quas, excusantur indifferenter minores 25.annis vt in *tit. ff.& C.de in integr.restit.* & mulieres maiores in aliquibus casibus *l. regula*

24 *ff.eo tit.* & præcipuè si in domibus, vel fundis viduarum fabricetur falsa moneta ipsis ignorantibus, licet in proximo habitent, non publicantur eorum bona fisco *l.1.§.viduas autem C. de falsa moneta* (*quod Gl. in d. l. regula V. quibusdam* extendit ad omnes mulieres) sicuti publicantur, si sint aliarum personarum, etiam ignorantium dummodò in proximò habitent *d.l.1.*

25 Item excusantur generaliter fatui, prodigi, milites, aliiq; personæ, quamuis maiores *l.1. de Curat. fur.& prodig. dando l.2. §.fin. C.eod. & toto ferè tit. ff. ex quib. caus. maior.* quibus læsis, vel deceptis datur in integrum restitutio *d.§.fin.& tit.prædict.l.1. C. de Iur.& facti ignor. vbi Bar. n.10.& addit Anton. de butr. Consil. 72.* quem sequi-

26 tur Senat. pedam. *decis.67.* mulieres maiores restitui etiam in inductis ad rigorem Iuris conseruandum, quod exemplificat *Præs. de franch. decis. 229.n. 5. & 6.* ne teneantur vltra vires hæreditarias in casù omissarum solemnitatum in inuẽtario propter Iuris ignorantiam; Quod fuisse postea pluries decisum testatur *Capie. latr. decis. 129.num 38.* vt st.firmum remaneat inuentarium nulliter confectum, concessa restitutione ad conficiendas alias solemnitates à Iure requisitas, quæ in illo omissæ sunt.

27 Eodem modo excusantur in aliquibus casibus rustici, agricultores, aliæque personæ simplices, etiam maiores *l.rum de indebito §.fin autem ff. de probat.Gl. in dicta l. 1. V.armata, & Bart. vbi sup. Grat. discept. for. 797. num. 19.& 20. Reg. de Marin.lib. 2. resol. 136. num.* 10. Sic in proposito, fa-

28 cta confessione à prædictis personis, & similibus absque attritione ex ignorantia Iuris inuincibili, restituuntur non iam ad iterandam confessionem, iam confectam, sed ad solemnitatẽ in illa omissam, & à Iure requisitam, ad eliciendum st. attritio-

29 nis actum ignoranter prætermissum. Eo magis cum non versemur in ignorantia Iuris naturalis, quod neminem excusat, vt per *Grat.dist.1.in prin. iuncto c. Ius naturale ead. dist.& instit.de Iure natur.gent.& ciu.* in princ. (quod si quis obijceret pænitere de peccatis infundi à natura, hoc si concedatur, potuit esse ante aduẽtum Christi, qui dum ordinauit confessionem, potest quis inuincibiliter putare hanc, sufficere absq;attritione) ergo si Imperator terrenus parcit prædictis propter iuris ignorantiam; multò magis credendum est parcere Cælestem, cum mitiùs agatur cum isto, quam cum illo *extrau. vnica de Iudæis & l.Celsus ff.de arbitr.* Sed quia apud Deum non datur exceptio personarum, possent supra dicta extendi ad omnes personas, in quibus potest prædicta ignorantia cadere, si non de Iure, saltem ex misericordia; imò dico de Iure, cum generaliter Ius Canonicum ex iuxta causa concedat etiam maioribus in causa matrimoniali in integrum restitutionem *c. ex literis de in integr. restit.*

30 Quibus addo, quod Ecclesia restituitur in integrum ad instar minoris *c. 1. eod. tit.* sed minores restituuntur in ijs, que ignorauerunt, vel prætermiserunt, vt ait Imperator *in l.minoribus* 8. *C.de in integr. restit.*& supra dictum est; imò quælibet Resp. siue sit Ciuitas, Terra, Villa vel Castrum, etiam Confraternitas laicorum, & quilibet locus pius *Grat. discept. for. cap. 158. n. 24. cap. 481. n. 27. & cap. 517. n. 2.* Quæ quidem Ecclesia restituitur etiam aduersus senten-

31 tiam Pontificis, qui est Vicarius Christi *c. cum ex literis eo. tit.* ergo dum Christus sic mandauit pro Sponsa sua Ecclesia, idem erit seruandum contra ipsum fauore suarum Creaturarum, vt st. citra nouam confessionem restituãtur ad attritionem omissam explendam, quam requiri ignorarunt *l. 1. ff.quod quisq. Iur.in alium statuer. ipse eod. vtat. ibi, quis n. aspernabitur idem Ius* sibi

ſibi dici, quod ipſe alijs dixit, vel dici effecit, vt etiã probatur *reſ.*58.in fine,& propterea eſt omnibus conſulendum, vt ſemper procurent conteri, vel ſaltem atteri, ſecuri alterutro peracto de venia in caſu prædicto.

Num qui inſufficienter dolet in pœnitentiæ Sacramento, ſed dolet maiorem dolorem non habere, dicatur diſpoſitus ad illud, & num attritio fieri poſſit contritio, vna ſemper exiſtens?

S V M M A R I V M.

1 *Attritio non pertingens ad actum ſupernaturalem à Trid. requiſitum, non ſufficit ad effectum ſacramenti conſequendũ, etiam ſi quis vellet eam habere, & doleat non habere, quod exemplis declaratur n.2.*

3 *Dolens quantum poteſt, ſed neſciens an ad actum attritionis ſupernaturalis peruenerit, poteſt probabiliter credere ad eum perueniſſe.*

4 *Actus in dubio eſt interpretandus, vt potius valeat quam pereat, & ita iudicandum.*

5 *Attritum fieri contritum, & attritionem fieri contritionem ſunt diuerſa.*

6 *Frigidus poteſt fieri calidus; ſed frigus non poteſt fieri calor.*

7 *Attritio differt eſſentialiter à contritione, propter diuerſa eorum obiecta & n. 8.*

Reſolutio XXXXIV.

1 AD primum reſpondetur,quod ſi quis cognoſcit probabiliter non dolere ad ſufficientiam attritionis (eſto doleat) non ſatis hoc eſt ad recipiendam gratiam, neque valorem ſacramenti (excepto ſi iuris inuincibili ignorantia laborauerit eo modo, quo in priori reſol.dictum eſt) ducimur authoritate *Trid. ſeſſ. 14. c. 4.* per quod requiritur vera attritio; ſed deſiderium illam habendi, & dolor de non habita, non eſt illam habere :ergo. probatur minor, nam ſi quis vellet vendere rem Titio, vel aſcendere arborem, & non vendat, neque aſcendat, illa voluntas non eſt vendere, nec aſcendere, eſto doleat millies non vendidiſſe, nec aſcendiſſe,vt patet, & tradit *Gl. in l.in vendentis circa finem C. de*
2 *contrahen. empt.* Sicuti velle confiteri, & communicare, & dolere quod neutrum fecerim, non eſt confiteri, nec communicare, vt exemplificaſſe quemdam Doctum Virum Societatis Ieſù, hocque docuiſſe refert *Nauar. in man. c.1. n. 18. idem voluit Fagund. lib. 2. c. 5. n. 13.* quem ſequitur *Bart. à S. Fauſto lib. 3. q.*114. Contrarium omnino docuere idem *Nauar.d.n.*18.dicẽs, eſſe communem opinionem Theologorũ cum DD.Tho.& Bonau. quorum loca non cit. *Syl.v.Confeſſio 1.q.21. Eman.sà v.contritio n.5.*

3 Si verò dolet quantum poteſt, ſed non
cognoſcit an habeat, vel ne dolorem ſufficientem, vt regulariter accidit, dum non poteſt hoc pro certo ſciri, vt in priori reſol. diximus, ſed nihilominus dolet non habere maiorem dolorem, ſicut vellet,hoc ſufficit ad credendum habuiſſe; ſeù habere veram attritionem, & cum ſacramento veniam à Deo habuiſſe *Nauar. d.n.18. in fine*
4 *Tolet. lib. 3. c.4. n. 6. & 9. in fine.* Quibus
adde vniuerſalem regulam iuris, actum in dubio eſſe interpretandum in partem, vt potius valeat, quam pereat *l.quoties 13. de reb.dubijs,de Franch.deciſ.594.n.9.*qui ita dicit eſſe iudicandum, iuncta *deciſ.649.n.9.* quod ſi verè non interuenerit attritio ſupernaturalis, ſalutem non contingere certum eſt, vt etiam in cit. reſol. diximus.

5 Ad ſecundum eſt præmittendum, di-
uerſum eſſe ex attrito aliquem fieri contritum, ſicut vulgariter dici ſolet, & hoc communiter admittitur, vt teſtatur *Suar. to.4. diſp.5. ſect.3. n.* 1. omneſque hoc concedere dicit *Bar. à S. Fauſto lib. 3. q.* 115. ratione præcapta ab eodem Suar. quia st. idem ſubiectum tranſit de vno ſtatu in alium, ex imperfecto ad perfectum, ſicuti ex principijs Philoſophicis, & experientia vere aſſeritur ex frigido fieri hominem
6 calidum, non tamen frigus fieri calorem;
ſic in propoſito pœnitens dolens de peccatis ex metu gehennæ eſt attritus, & conſequenter frigidus in amore Dei, ſed accedente ſacramento, & conſequenter gratia, tranſit de imperfecto ad perfectum, ſeu de attrito fit contritus.

Quod autem attritio poſſit fieri contritio, hoc latè diſputando negat *Suar. loc.cit. n.2. vſq; ad* 15.cuius dictum fuit originale *D.Tho. in 4.diſt.17.q.2.art.1.quæſt.3.* quem *Nauar. in man. c.1.n.38. Tabi. in ſumma v. contritio n. 3. & cæteri relati ab eodem Suar.*
7 *d. n.1. & à S. Fauſto vbi ſup.* ſecuti fuere;
ratio eſt in promptu, quia st. attritio differt

fert essentialiter à contritione, propter diuersa earum obiecta, obiectum n. illius est pæna, istius verò Deus; & consequenter isti
8 actus doloris, cum sint diuersæ speciei, non potest fieri transitus de vna specie in aliam inseparabiliter, sed prior actus remanet attritio, secundus contritio, si talis erit; sicuti equus cum sit diuersæ speciei ab homine, ex equo, vel infinitis equis, non potest fieri vnus homo, & consequenter ex infinitis actibus attritionis non potest fieri vna contritio.

Quot modis attritus transeat in contritum, num quod dicitur per sacramentum pœnitentiæ, quem de attrito fieri contritum, verificetur in alijs sacramentis, num venialia remittantur per attritionem absq; sacramento? & an accedens ad idem sacramentum cũ solis venialibus, indigeat attritione supernaturali, sicuti quando cum mortalibus?

SVMMARIVM.

1 *Attritus duobus modis potest fieri contritus & n. 5. quod verificatur principaliter in sacramento baptismi, & pænitentiæ, accidẽtaliter autem, & secundario etiam in cæteris n.2.*

3 *Sacramenta baptismi, & pænitentia regulariter conferunt primam gratiam, alia verò secundam, seù augmentum primæ; per accidens autem possunt etiam ista conferre primam. Omnia, exceptis baptismo, & pænitentia, non debent dari ijs, quos probabiliter creditur non esse in gratia n.4.*

6 *Venialia numquam remittuntur sinè mortalibus, sed illa non remittuntur per attritionem, etiam supernaturalem absque sacramento secundum aliquos, contraria tamen opinio est etiam probabilis n.7. nisi sint disparata ab attritione n.8. usq; ad finem. Pluribus autem modis tollũtur n.9.*

10 *Infinita distantia est de peccato ad gratiam.*

11 *Attritionem naturalem sufficere cum sacramento ad expellenda venialia probabiliter sustinetur, & n.13.*

Resolutio XXXXV.

1 AD primum *Suar. to. 4. disp. 5. sect. 3. n. 1. & Bar. à S. Fausto lib. 3. q. 115.* docent, hoc posse fieri tribus modis, sed reuera non sunt nisi duo subscripti, quorum vnum diuidunt in alios duos; primus est quando quis dolet de peccatis ob pœnas inferni, & postea ob amorem Dei per contritionem transeundo de illo ad istum, secundus quando in eodem priori dolore imperfecto manens, suscipit sacramentum pœnitentiæ, illoque medio gratiam, & successiuè fit de attrito contritus, vt ex *Trid. sess. 14. c.4.* percipitur, & docent *D. Tho. in 4. dist. 17. q. 2. art. 1. quæstiunc. 1, Suar. vbi sup. n. 15. S. Faustus q. 116.*

Ad secundum respondet affirmatiuè idẽ *Faustus q. 117.* quia (ait) non est maior ratio de vno sacramento, quam de alio, & omnia, & singula conferunt gratiam ex opere operato citat *c. omnia sacramenta 1. q. 1. & Nauar. in man. c. 22. n. 3.* quod tamen ibi non legitur, nec probatur, & Nauar. nimis generaliter loquitur, & quod dicit, non probat; nec ex eo quod omnia sacramenta conferant gratiam ex opere operato, infertur propterea necessario in omnibus hominem de attrito fieri contritum, vt inferius probabitur, alia .n. conferunt primam gratiam, alia augmentum ipsius, prima confertur solum in baptismo, & pænitentia, regulariter loquendo, licet secundario, & per accidens alia etiam sacramenta possint eam conferre, & tunc de attrito quis fit contritus, etiam per alia sacramenta, non autem regulariter; quapropter *D. Tho. par. 3. q. 72. art. 7. ad 2.* loquendo de confirmatione ait, quod si aliquis adultus in peccato existens, cuius conscientiam non habet, vel si etiam non perfectè contritus accedat, per gratiam collatam in hoc sacramento, consequetur remissionem peccatorum, idem ex eodem *D. Tho. Suar. & alijs probat Bonac. de sacram. in genere disp. 1. q. 4. pun. 2. n. 2.* exemplificando in eo, qui existens in mortali accipit bona fide Eucharistiã, vel extremã vnctionem, nõ peccat dum putat esse in gratia, & consequenter recipit primaã gratiã.

3 Alia verò sacramenta, exceptis baptismo, & pœnitentia, illam regulariter au-
4 gent, vt diximus, & propterea non debent regulariter tribui eam probabiliter nõ habentibus, vt idem Sanc. loco cit. paulo ante aduertit, & legitur in *c. unico §. per frontis de sacr. unctione*, vbi dicitur, quod datur ista in augmentum gratiæ, quam non rectè diceretur augeri, si non adesset. Idem

habe-

habetur in *c.2. & c.nouissimè de consecr. dist.* 5. & de Euchatistia, & cæteris notum est, quod ea recipientes in peccato cognito peccant; consequenter falsum erit dicere in istis, regulariter quem de attrito fieri contritum, sicuti in baptismo, & pænitentia, vt putabat Faustus, & si qui sunt alij cum eo. Si .n. ex prædictis non possunt conferri nisi existentibus in gratia, iam eos supponimus contritos, non solum

5 attritos, quia attritio sinè sacramento pænitentiæ non confert gratiam, vt in *Trid. sess. 14. c. 4.* & successiuè inconsequenter diceretur, ex attritis fieri contritos per susceptionem aliorum sacramentorum, quæ omnia confirmare vidétur *DD.apud P.Dia. par. 5. tract. 9. resol.83. in fine* vbi voluit, posse hominem non regulariter, sed per accidens, recipiendo alia sacramenta, ex attrito fieri contritum, vt per extremam vnctionem, quando non potuit recipere sacramentum pœnitentiæ. Quod de eadem sancta vnctione indubitanter docuit ante eum *P.Suar. de pænit. disp. 41. sect. 1. n. 19.* de alijs verò Sacramentis dixit esse probabile, quando tamen non potuit quis recipere sacramentum pænitentiæ, quod est verissimum, quia aliàs frustra esset instituta pænitentia, vt etiam probauimus infra *resol.79. n.10.*

6 Ad tertium præmitto, nos loqui de solis venialibus, quę possunt esse in homine iusto (nam venialia simul cum mortalibus, certum est non posse remitti per attritionē absque sacramento, vt est in confesso apud omnes, rationem tradit *D.Tho.3.par.q.87. art. 4. in corp.* quia st. remissio cuiuscumque culpæ, numquam fit, nisi per virtutem gratiæ, sed ille, qui est in mortali, caret gratia, eaque est incapax; ergo nullum veniale sibi remittitur.) Illa igitur sola non

7 remitti per attritionem absque sacramento docent *Vasq. in 3.par. to.4. disp. 87. art. 16. dub. 1. n.6. Bonac. disp.5. q.6.sect.2.pun. 3. n.8.* & alij, quia st. ex *Trid. sess. 14. c.5.* habetur, expiari venialia per sacramentum pænitentię, & per alia remedia; sed si per solam attritionem, quæ semper cum sacramento requiritur, expiarentur, sequeretur, numquam tolli per sacramentum, dum ante accessum ad illud, supponerentur sublata per attritionem; ergo. quam opinionem omnes tenere, excepto Suar. scribit *Faustus vbi sup. q.119.*

8 Contrariam tamen fundauit prædictus *P.Suar. disp.11.to.4.sect.3.n.11. ex DD. August.Tho.Bonau.Palud. & alijs* & post eū alij moderni, vt infra (dummodo tamen attritio sit vniuersalis; nam attritio vnius peccati venialis, non tollit aliud, etiam si sit cum sacramento, vel extra illud; quodcumque sacramentale adhibitum, cui inest complacentia, vt docet idem *Sanct. cit. ar. 3. ad 2.*) ea ratione, quia dum tolluntur venialia per quemlibet actum Reli-

9 gionis, quo quis intendit placere Deo, cum sint leues offensiones, vt de tunsione pectoris, oratione Dominica, & simil. fatentur omnes, & præcipuè *D.Tho.cit.ar 1. 3. in corp.* ergo à fortiori sufficiet attritio, quæ est actus sublimior argum. *auth. multo magis C. de sacrosanct. Eccles.* dummodo sit supernaturalis, quæ est auersio à priori culpa, & dolor formalis, dum formaliter opponitur etiam culpæ veniali, & natura sua tendit in Deum, vt finem supernaturalem.

10 Certum est n. esse infinitam distantiam de peccato mortali ad gratiam, modo loqueretur, eisdem omnino medijs peccatorem in mortali, gratia carentem expellere mortalia, quam existentem in gratia venialia, dum ex illorum sententia, ita requiritur in istis attritio cum confessione, quam in illis, & sicut ista sola non sufficit ad expulsionem mortalium, ita nec ad venialium, quod tamen durissimum merito appellauit Suar. ibidem post *n. 13. & n.18.* hancque sententiam docuisse *Sotum dist. 15. relatum ab eodem n.14. idem volunt Villalob. in summa to. 1. tract. 9. diffic. 16. n.5. Coninc. de sacram. disp.2. dub.14. n.124.* vsque ad 135. *Filliuc. tract.6. c.5. q.6.n.116.* & alij apud eos. Ad fundamentum con-

11 trariorum respondent posse intelligi Trid. in casu prædicto de attritione naturali tantum (de qua resol. sequenti) dum ibi solū dicitur posse in confessione vtiliter dici etiam venialia, & expiari per alia remedia, vt sunt prædicta leuiora, & propterea *Suar. vbi sup. n. 15.* probabile putat, talem attritionem naturalem sufficere cum sacramento ad expellenda venialia *ex Soto cit. Gabr. Durando, & alijs* volentibus, attritionem naturalem satis esse ad hūc effectum, etiam sinè sacramento, & *Coninc.cit.n.129.* dicit sufficere attritionem virtualem.

Prædictus autem Suar. quamuis illud probabile esse doceat cum sacramento, huic tamen fundamento non adhærere di-

cit sub *d.n.* 15. dum requirit non solum ad effectum, sed etiam ad substantiam sacramenti pænitentiæ attritionem supernaturalem (*sed in disp.seq.quæ est 12. sect.1.n.9.*

12 vel huius assertionis oblitus, vel ab ea discedens, docet sufficere ad fructuose suscipiendum sacramentum pænitentiæ pro solis venialibus, quādo mortalia nō adsūt, quod pænitens accedat dicto sacramento cum voluntate, & desiderio recipiendi sacramentum,& effectum eius, vt iterum dicam *n.* 14.) ratio verò secundum illos est, quia venialia sola habens, habet consequēter gratiā habitualem, quę sufficit cum dicta attritione naturali, dum non requirūt necessario ad effectum predictū actualem dispositionem supernaturalem, sed solum habitualem supernaturalem, & actualem naturalē, ibique *num.*18.*respōdet Suar.* relatæ obiectioni ex Trid. quatenus intelligeretur de supernaturali, quod licet per attritionem supernaturalem, præhabitam in confessione,supponantur venialia sublata, nullum tamen per hoc sequi inconueniens, cum illa attritio hoc non habeat ex se sola, sed ex coniunctione ad gratiam sā-

13 ctificantem, quæ supponitur. Sicuti per simile mortalia iam confessa sunt materia nouæ confessionis, & nihilominus iam supponuntur remissa, cum non sint materia necessaria,& præterea talis attritio cum Sacramento confert ad pleniorem remissionem, etiam quoad pænam, & ad specialem gratiam remissiuam, & præseruatiuam obtinendam *P. autem Dia. par.3. tract. 4. resol.* 117. refert aliquos ex prædictis authoribus, sed ipse neutram approbat, nec reprobat,mihi tamen ista videtur satis pia,& æqua,sed prior magis in iure fundata, & proinde vtraque probabilis,sed illa probabilior.

14 Ad quartum,affirmatiuā strenue tuetur *P. Dia.p. 9.tr.9.resol.*31. §. *sed ego vsque ad finem innixus eidem Trid. sess.* 14. *cap.*3. vbi assignatur pro materia Sacramenti contritio,confessio,& satisfactio,ergo(dicit ipse) requiritur contritio, seu attritio de venialibus, sicut de mortalibus, si clauibus subijciantur; alia affert argumenta, quæ non videtur multi ponderis,propterea breuitatis causa omitto; sed contrariam sententiā ego probabilem puto, quæ est eiusdem *Suar. cit. in 3.par.disp.* 12.*sect.*1.*n.*9. cui licet dixerit non assentiri in priori loco cit. supra n. 12.& probabilem tantum eam vocauerit,vt dixi ibidē, hic tamen eam aperte docet, & probat; dum vult sufficere quod pænitens accedat Sacramento sine actuali complacentia peccati venialis, & cum voluntate ac desiderio recipiendi Sacramentum, & effectum eius.

15 Ratio ex eodem est, quia attritio in homine mortalibus carente, sufficit sine Sacramento, ad tollenda venialia, vt sup. idem docuit, ergo si etiā attritio requireretur, quando clauibus subijciuntur, nihil operaretur Sacramētū, cum iam per ipsam attritionem præcedentem dicantur sublata, & proinde requirendo Sacramentum attritionem, requireret effectum iam secutum, quod est absurdum,citat *D. Tho. Sot. ledesm. & alios*, idem voluit ante eum *Sylu. ab eo non citat.in summa V.peccatū n.*5. *&* 6. *& V.pænit.n.*4.*ex eod.D.Tho.in* 4. *dist.*16. *q.* 2.*ar.*2. *q.*2. *& postea Tamburr. in Methodo exped. confess. lib.*1. *cap.*3. *p.*1. *n.*1. *&* 2. ad argumentū Dia.de Trid.respondetur loqui de mortalibus,vt ibidem legitur ibi (*reconciliatio est cum Deo*) quod verbum supponit auersionem antecedentem,quam non causant venialia,quæ nos non separant à gratia Dei, vt in eod. *Trid.c.* 5. & probatur etiam prius assumptum *in cap.*4.*ibidem*, vbi semper loquitur de mortalibus.

16 Moueor ad hanc sequendā sententiam, quia cum ex *eod. D. Tho. cit. art.* 1. *ad.*1. impossibile sit ab omnibus venialibus abstinere; dum hoc infirmitas huius vitæ non patitur, perdifficile videtur dolorem supernaturalem, vt est attritio, elicere de venialibus,in quæ,vel in eorum aliqua scitur, quem incursurum eodem die confessionis,vel postea;at dicet quis, sufficit dolere de aliquibus, quamuis non de omnibus; hoc non nego fieri posse, & melius esse, sed quia sunt offensiones leues, non omnibus hoc datum est,qui propterea non sunt damnādi de sacrilegio, casu, quo suū posse egerint, vt debent, & ad talem dolorem non attigerint; alias vereor multos, qui de venialibus sæpe confitentur,sacrilegos fore, & in vicem medicinæ ex Sacramento ad hoc instituto, venenum esse reportaturos: Quapropter si vera omnino esset doctrina Dia. vnumquemque puto consulto ab hoc Sacramento recessurum, dum se exponeret periculo sacrilegij, toties quoties committendi pro delendis venialibus,quæ tot alijs medijs deleri possūt. Adde quod illa gratia habitualis, quæ

inest

inest animæ cum solis venialibus existenti, potest dici implicita attritio supernaturalis, quia illa eadem cum otiosa esse non possit, operatur, vt homo semper doleat de peccatis saltē in genere, vt in simili dicitur infra resol. 131. n. 11. de alijs, qui cōfitentur de peccatis etiam mortalibus, in præteritis cōfessionibus remissis, quod non sit necessaria talis attritio, si prior non sit retractata, fallit autem doctrina prædicta *secund. Sylu. dicto V. pœnitentia n. 4. ex D. Bonau. & alijs* in duobus casibus, primo ratione dubij, vtrum st. peccatum sit mortale, vel veniale, ne quis periculo se exponat, secundo quando dubitatur ne ex affectione venialis, quis trahatur ad mortale.

Quid sit attritio purè naturalis? & num sufficiat cum Sacramento pænitentiæ ad expellenda mortalia, gratiamque introducendam?

SVMMARIVM.

1 *Attritio naturalis quæ sit? exemplificatur 4. modis vsque ad num. 5. De peccato quatenus contrariatur virtuti acquisita, absque respectu ad Deum, naturalis est; supernaturalis autem quatenus contrariatur virtuti à Deo infusa n. 6.*

7 *Confessio prout est narratio peccatorum, actus naturalis est.*

8 *Sacramentorum materiæ, & formæ res naturales sunt.*

9 *Attritio licet ex motiuo honesto, & virtutis, merè tamen naturali, non pertingit ad veram attritionem, & consequenter nec cum Sacramento ad expellenda mortalia sufficit n. 10.*

Resolutio XXXXVI.

1 AD primum *Bonac. de Sacram. disp. 5. q. 5. sect. 1. pun. 3. n. 1. & Bart. à S. Fausto lib. 3. Theol. moral. q. 106.* ille implicitè, iste verò explicitè aiunt esse detestationem peccatorum, quatenus sunt contra rectam rationem, vel quatenus sunt offensa Dei, considerati non vt authoris gratiæ, sed naturæ; quod tamen clarius patet
2 ex subscriptis exemplis; dicitur n. primo attritio naturalis, quando quis dolet de peccatis ob finem turpem, quia st. cum sit infirmus, nequit fornicari, furari, aut inebriari; vel si talia fecerit, dolet non ex amore Dei, sed ob infamiam incursam, & detrimentum sanitatis *Tolet. lib. 3. cap. 4. n. 6. Comnc. disp. 4. dub. 5 n. 37.*

3 Secunda est, qua quis dolet de aliquibus peccatis, & non de omnibus, quæ in mente habet, puta si dolet de furtis, vel de alijs similibus, & non de peccatis carnis ob maiorem dilectum, & inclinationem istis, quam illis.

4 Tertia est, qua quis dolet de omnibus peccatis taliter qualiter, sed non habet firmū propositum formale, aut virtuale vitandi ea in futurum, & hanc habent mæretrices, concubinarij, & fœneratores, qui vel non habent propositum prædictum, vel si quodammodo habent, est inefficax, quod potius dicitur, quædam velleitas imperfecta *Coninc. vbi supra.*

5 Quarta est, qua quis dolet de peccatis ob finem naturalem, vt quia sunt contraria dictamini rectæ rationis, vel quia sunt offensa Dei considerati, non vt finis supernaturalis, sed naturalis tantum *Bonac. cit.* vel quatenus repugnant Deo, vt authori naturæ, & fini naturali hominis, hoc est dilecto amore naturali, non autem vt authori gratiæ *Faustus d. q. 103. & 106.* qui hanc solam vocauit attritionem naturalem, quod mihi verius videtur cum distinctione vt infra. Aliæ si quæ sunt includuntur sub istis; discurrendo modo per prædictas nullus dubitare potest, tres priores merè naturales esse, si quis n. ob infamiam, vel sanitatis detrimentum non peccat, aliàs peccaret, vel non dolet de omnibus, aut propositum firmum non habet præcauendi futura, ab affectu naturali trahitur, quia non vult se priuare dilectu, quem sentit in peccatis, qui naturalis omninò est, si quidem trahit sua quemque voluptas.

6 Sed quarta, quam solam ipse appellat naturalem, non transit sinè distinctione; etenim si quis dolet de peccatis, vti contrarijs rectæ rationi, seù virtuti cōtrariæ (quod idem est) quatenus est infusa à Deo, hæc est attritio supernaturalis; si verò quatenus contrariantur virtuti acquisitæ absque respectù ad Deum, est naturalis tantum, cum istam habuerint etiam gentiles ex solis viribus naturæ, vt diximus sup. *resol. 42. n. 22. & docet Filliuc. tract. 6. c. 7. n. 179.* Hinc
7 dixit *Suar. to. 4. disp. 20. sect. 4. n. 2.* confessionem, non prout Sacramentum, sed prout est narratio peccatorum, naturale quo-
8 dam esse, sicuti etiam in alijs Sacramentis mate-

materias, & formas naturales esse, quod probat etiam *n.* 10. *ibi, si dolor procedat ex motiuo mere naturali, & humano, videbitur*
9 *quædam narratio periculi proprij, & incômodi; si verò ex aliquo motiuo honesto, & virtutis, merè tamen naturali, est etiam insufficiens ad veram attritionem, &c.* faciunt quoq; scripta per *D.Tho.3.par. q.* 84. *art.* 1. *ad* 1.& 2.
10 Ad secundû respondetur negatiuè ex sæpe cit. *Trid. sess.*14. *c.*4. *D.Tho.* 1.2. *q.* 109. *art.*6. & 7. *Henriq. lib.*4. *c.*26. *n.*2. *lit.D.* & *P. Valent. to.*4. *disp.*7. *q.*8. *pun.*4. *Bonac.to.*1. *disp.*5.*q.*5.*sect.*1.*pun.*3.*n.*3.*ex Regin.Zerola & alijs per rationes relatas infra resol.* 132. aliasque à prædictis authoribus allatas, qui loquuntur de mortalibus; de venialibus autem si clauibus supponantur, sufficere attritionem naturalem multi docuere relati in priori resol. dummodo tamen sit iuxta exemplum reportatum supra *n.*5.

DEGRADATIO.

Quid, & quotuplex sit degradatio? ad quem spectet degradare? pro quibus delictis fieri possit, a quo Iudice tolli? & de differentijs inter realem, & verbalem degradationem.

SVMMARIVM.

1 *Degradationis actualis definitio, & verbalis n.*2. *&* 3. *Earum solemnitates, quæ sint hodie, & quæ olim n.*4. *Verbalis à quo Iudice fieri possit? n.* 5. *In dubio de qua degradatione intelligatur? n.* 14.
6 *Causa Episcoporum graues non possunt tractari hodie nisi coram Pontifice, imo si est contra eos capienda informatio, nequit capi nisi ex delegatione eiusdem Pontificis.*
7 *Degradatio personæ Ecclesiasticæ actualis in quibus delictis locum habeat? & an possit restitui ab alio, quã à Pontifice n.*9.*&* 19.
8 *Relapsus inhæresim an, & quando sit reconciliandus, vel non?*
10 *Falsificans literas Apostolicas qua pæna puniatur?*
11 *Conspirans in proprium Episcopum, qua pæna puniatur?*
12 *Sodomita si est in sacris est degradandus, & curiæ seculari tradendus.*
13 *Sortilegi an sint degradandi verbaliter, vel actualiter?*
15 *Clericus prima tonsura, an sit degradandus in casibus talem pænam mærentibus; vel absque degradatione consignandus curiæ seculari?*
16 *Degradatio verbalis à quo Episcopo possit tolli, & an ab eodem, qui eam sententiam protulit? Actualis, an & quando possit ab alio, quàm à Pôtifice tolli? n.*17.*&* 18.
20 *Iudex post definitiuam prolatam non potest amplius in causa se intromittere.*
21 *Degradatus, est à Iudice seculari cognoscendus, tam in ciuilibus, quam in criminalibus, depositus autem, seu degradatus verbaliter ab Ecclesiastico & n.*22. *Realis nequit fieri, nisi in delictis qualificatis n.*23. *& quid de verbali n.* 24. *quæ de facili antiquitus imponebatur, sed hodie non est in vsu n.*24.

Resolutio XXXXVII.

1 Degradatio est pæna Ecclesiastica, qua vir Ecclesiasticus priuatur omnino executione ordinis, beneficij administratione, & omni priuilegio clericali absque spe restitutionis, & cum quadam solemnitate *Henriq. lib.* 13. *c.* 55. *n.* 1. *sed breuiùs Tol. lib.* 1. *c.si n.* 1. est suscepti ordinis perpetua depositio; in qua definitione comprehēditur etiam priuatio beneficij, quod sinè ordine, seu saltem clericali tonsura, qui bus degradatus exuitur, haberi nequit.
2 Ad secundum, duplex est degradatio, verbalis st. & realis, seu actualis: ista est modo dicta, illa verò (quæ alias dicitur depositio) est sententia Ecclesiastica, qua
3 persona similiter Ecclesiastica priuatur omni officio, & beneficio in perpetuum, sinè spe illa consequendi, sed non amisso Priuilegio Clericali *secundum Syl.v.degradatio n.*1. *Bon. disp.*4. *sub hoc tit. pun.vnico n.*2.*ex Ber. Diax in pract. crim. c.* 3. *& alijs vbi etiam citat Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q.* 74.*n.*1. qui non addit illa verba, sinè spè illa consequendi, sicuti nec leguntur in *c.degradatio de pæn.in* 6.& proinde sunt tollenda à definitione degradationis verba-
4 lis, cum illis enim est falsa definitio. In eodem tamen textu, & resol. sequenti leguntur solemnitates, cum quibus sit degradatio realis, sed non est necessarium interuenire duodecim Episcopos si procedendum sit contra Episcopum, (quia hæc non potest fieri nisi, à Pontifice, vt statim dicitur) sex si contra præsbiterum, & tres si contra Diaconum, sicut ibi præcipitur, & in

& in *c.felix* 15.q.7. quia sufficit in istis proprius Episcopus cum totidem Abbatibus, vsum mitræ, & baculi ex priuilegio habentibus, si in Ciuitate, aut Diæcesi reperiri, & comodè interesse possint, alioquin cum alijs personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graues, ac iuris commendabiles existant, quando est realiter degradandus Clericus in sacris constitutus, quarum personarum præsentia non est necessaria in captura informationis, vel in sententiæ prolatione, sed solum in degradationis realis actu: si verò verbaliter,
5 satis est Vicarius Episcopi, vt legitur in *Trid. sess.*13. *de reform. c.cum verò* 4. Con-
6 tra Episcopos autem in talibus delictis solus Pontifex hodie procedit; quod si causa necessario extra Romanam Curiam sit cōmittenda, nemini, potest committi, nisi Metropolitano, aut alteri Episcopo informationem tantum capturis, & ad eundem Pontificem eam transmissuris idem *Trid.in c.causæ criminales* 5. *sess.* 24. *de reform.* & est responsio ad 3. quæsitum.

7 Ad 4. Respondet idem *Clar. quæst. 36. n. 36.* non esse clericum in sacris degradandum, nisi in tribus criminibus, st. hæresis, vel hæresim sapientibus dumodo sit relapsus(cum distinctione,vt statim dicam, & res. seq. sed latius infra v.hæresis) quo casu atiam bona fisco applicantur, aliàs sponte se corrigens, pænam euadit *c. ad abolendam, & c.excommunicamus* §. *damnati de heret.* & restituitur etiam ad Ecclesiasticas dignitates, quas prius habebat *D.Tho.*2.2. *q.*11.*art.*4. *in corp. in fine* quod etiam procedit, quando transiuit ad loca hæreticorum, qua de causa fuit priuatus bonis, & dignitatibus, & postea sponte reuersus; tunc .n. restituitur ad illa;alias improprie diceretur restitui,vt dicetur infra *ref.*82.*n.*12.*concordant DD.apud Dia. par.*4. *tr.*7.*ref.*24.vbi dicunt hæreticum pænitentē
8 esse recōciliandum; imo addo ego etiā relapsum, si conuictus,vel vehementer indiciatus de hæresi inparticulari, iterum de ea, sed ex leuibus indicijs inquiratur; sicuti è contra si abiurans de leui, conuincatur postea de vehementi, licet abiuratio præcessisset generalis super omni hæresi, secus si abiurans de vehementi, iterum de vehementi conuincatur, quia tunc non reconciliatur, & punitur, vt relapsus *c.accusatus de haret. in* 6. *Decian. in tract. crim. lib.* 5. *c.* 56. *n.* 16. *Zanard. in direct. Theol. par.*2. *c.*7. *Barb. & alij apud Dia. par.*4.*tr.*8. *resol.* 30. *nisi etiam iste taliter relapsus sponte rediret iuxta Menoch. lib.*1. *consil.*82. *n.*168. *Pegna in direct.inquis.par.*3.*comment.*12. Dicitur autem redditus spontaneus, quando non præuentus à Iudice per capturam informationis, vel per accusationem, aut delationem in iudicio à quocumque contra eum facta, sponte coram Iudice comparet, veniamque petit, vt docent *DD. apud eundem Dia. par.*4. *tr.*7. *resol.*26.

9 Sunt tamen casus aliqui hæreticales in quibus non prodest spontanea reuersio, vel pænitentia de quibus infra *resol. seq. n.* 11. & 12. & *resol.* 84. *n.*20. quibus adde negantes Trinitatem Personarum in diuinis, vel diuinitatem Christi Domini, aut eius conceptionem de Spiritu Sancto, vel eius mortem, & resurrectionem; item negantes Virginitatem Gloriosissimæ Dominæ, & Reginæ nostræ Mariæ. *Sanctar. de heresi c.*42. *dub. unico n.* 5. *Genuens. in praxi Archiep. Neap. c.* 58. *n.*7. *Dia. par.*4. *tract.* 7. *resol.* 24. §.*notandum. Licet autem Sousa in aphor. Inquis. lib.*2. *c.*49.*n.*6. *asserat casus prædictos, & etiam supra cit.* non esse vsu receptos, contrarium tamen vidimus practicatum Neap. ex sententijs generalis Inquisitoris, vt infra *resol seq. & d.resol.*84. *n.*20. vbi agitur etiam de pænis cōtra quoscumque alios de hæresi inquisitos, sed latius referuntur per *Dia. par.*4. *tr.*7. *à resol.* 1. *vsque ad* 36.

10 Secundo falsi commissi in literis Apostolicis *c.ad falsariorum de crim. falsi*, vbi nota acrius hoc crimen punire Principem Ecclesiasticum, quam secularem, qui pro tali delicto imposuit pænam deportationis *l.*1. §.*fin. ff. ad l.Cornel.de fals.* degradatio enim actualis supponit pænam mortis, vt in resol. seq.

11 Tertio conspirationis in proprium Episcopum *c. si quis sacerdotum* 11 *q.*1. (iuxta tamen statim dicenda:)in alijs autem quātum vis maioribus minimè, & hanc esse communem opinionem testatur *Gul.de Bened. in c.Raynutius n.* 3. *de testam. quem enim soller. in pract. crim. can. & alys refert Clar. cit.* qui tamen in praxi refert ibidem §. *pariter etiam* pro alijs enormibus delictis, homicidij nempè proditorij, & similium vidisse Clericos degradari, curiæque seculari tradi, nè quidem expectata in corrigibilitate.

12 Idem pro crimine sodomiæ, vel parricidij,

dij,aut assassinij,vel homicidij in personam
sacerdotis,aut delicti aliàs qualificati testā-
tnr *Diaz.Maiol. & alij apud Sayr.lib.5. c.22.
n.21.*& in specie de sodomia *Nauar.in ma-
nual.c.27.n.249.ex quadā extrau.Py V.*edita
ann.1560.quæ incipit horrendū,cuius ver-
ba ibi recitat quā sententiā ferè innumeri
DD.secuntur, quos refert *Rice.in praxi Ec-
clesiastica res.352.* secundum antiquam im-
pressionem,sicuti etiam de magnofurto, &
alijs delictis *dicetur in res. seq.n. 5.* sed de
simplici conspiratione in Episcopum, nec
in iure, nec in praxi esse veram pænam de-
gradationis probant *Abb. in c. at si Clerici
n. 37. de Iudic. & alij apud Sayr. n. 18. vbi
n. 19.* refert, fuisse degradatos, Curiæque
seculari traditos, & furca suspensos qua-
tuor religiosos Hyspanos Ordinis S.Au-
gust. ex causa homicidij commissi in per-
sonam eorum Magistri Pronincialis.
13 Desortilegis autem fuit dubitatum ex
c.admoneant 26. q.7. vbi præcipitur degra-
dari; in *c.autem si quis Episcopus 26. q.5.*cum
multis sequentibus, suspendi ab officio, &
in aliquo Monasterio detrusos pænitentiā
agere; qua propter ad contrarietatem vi-
tandam rectè dixit *Abb. in d. c.at si Clerici
n.37. & 38. tex.* illum intelligi de verbali,
non autem de reali degradatione, quæ est
in ordine ad mortem naturalem per tradi-
tionem curiæ seculari, quod confirmatur
14 ex *Syl. v.degradatio n. 2.* vbi dicit statuto
imponente pænam degradationis in gene-
re, intelligi debere de verbali, non de rea-
li, ad *tex. in c.in pænis de regul. iur. lib. 6.
idem Abbas loco cit. Felyn. in c.qnaliter, &
quando in fine de accusat. sed de hoc vide etiā
resol. seq. & resol. 84. n. 20. in fine vbi de
15 pæna hodierna ex Bulla Vrb.VIII.* Sed licet
Clericus prima tonsura, vel etiam minori-
bus ordinibus insignitus possit degradari
secundum *Bonac. disp. 4. p. 5. n. 18. ex c.si
quis Episcopus 27.q.1.* hoc tamen mihi verū
non videtur; *tex.* n.loquitur de depositione
non autem degradatione, & in praxi num-
quam vidimus simplicem Clericū degra-
dari, sed tradi absque alia solemnitate
curiæ seculari, habituque clericali exui, in
eriminibus tamen hanc pænam merenti-
bus; imò capiuntur à Iudicibus secularibus
absque remissione, quia amittunt priuile-
gium Clericale in delictis exceptuatis, vt
refert & probat *Sanfel. decis.13.n.17.*
16 Ad 5. Respondetur quod aut agitur de
degradatione verbali, quæ alias dicitur de-
positio, & potest ab eodem Episcopo tolli
*Gl.fin. in c.ideo 2. q.6. Abbas in c.atsi Clerici
§.de adulterijs de iudic. n.14. Barb. de potest.
Episc.3. par. alleg.110. n.29. Tolet. lib.1. c.si
n. 8.* (quod est intelligendum de Episcopo
delegato à Papa, vt dicit alia *Gl.in c.Episco-
pus 65. 11. q.3.* quia post sententiam non
potest vti ordinarius amplius se intromit-
tere *l.diui fratres de pæn.* nisi sententia fuis-
set nulla, vt docet *Gl.cit.* & mox latius di-
cam; à superiore verò Iudice non dubita-
tur per appellationem, quæ est à minori
Iudice ad superiorem facta prouocatio.)
17 Aut de degradatione reali, & iterum di-
stinguo; aut loquimur de degradatione
valida, & rectè fundata in processu pro
causis iustis, & legitimis, & à fortiori ne-
quit ab Episcopo tolli *c.1. cum multis seqq.
dist.50. Gl. in d.c.1. in fine*, sed à solo Pon-
tifice, qui est supra ius positiuum *Gl. in d.
c.Episcopus Tol. cit. & aly*, secus non verifi-
caretur supradicta definitio ibi, *absque spe
restitutionis*; Aut de degradatione iniusta,
puta si lata fuerit iuris ordine non
seruato, vel ex falsis testibus, aut instru-
mentis, vel probationibus veris, sed non
sufficientibus, & debet ab Archiepiscopo,
vel alio superiore, & competenti Iudice
tolli in synodo Prouinciali per remedium
appellationis, vt etiam probatur in *d.c.Epi-
scopus vbi per Gl.* datur quoque modus te-
nendus in restitutione, excepto quod Epi-
scopi, sicuti non possunt ab alijs Episcopis
18 degradari, sicut fiebat de iure antiquo, vt
suprà diximus, ita nec ab ipsis restitui, vt
aduertit *Gl.prædicta ex c.ideo 2.q.6.*

Vnde minus rectè *Bonac.cit.n.20.* decla-
rando modum prædictum, dicit, Episco-
pum debere propè Altare recipere de ma-
nibus Episcoporum anulū,baculum,& alia
insignia Episcopalia, & proinde ex præ-
dictis discedo etiā *à Syl. v.degradatio n. 11.*
19 qui indistinctè tenuit, restitutionem non
posse, nisi à Pontifice fieri ex *l.1. in fine ff.
de quæst.* vbi Præses Prouinciæ restituere
non potest, quem damnauit, nam respon-
det *Gl. cit.* illud intelligi cum petitur resti-
tutio officio Iudicis, non iure actionis, &
propterea de iure communi hoc dictum
Syl.verum non est,hanc tamen Gl.ego neq;
recipio, si loquimur de restit. facienda ab
eodem Iudice degradante, quia post de-
20 gradationem functus est officio suo *l.postea
quam cum concord. ff. de re indic.* nisi agere-
tur de degradatione nulliter facta puta

con-

contra casum legis, tunc n. posset idem Iudex qui degradauit, restituere degradatum arg. *l. 1. §. item cum contra ff. quæ sent. sine appell. rescind. l. 2. C. quando prouoc. non est necess.* & hæc de Iure communi verissima sunt, in praxi tamen solus Papa restituit quemcumque actualiter degradatum, vt in resol. sequenti, sed quoad Episcopos legitur in cit. *Trid. sess. 24. c. causæ criminales 5. de reform.*

Ad vlt. licet differentiæ ex dictis colligantur, attamen pro maiori daclaratione dicimus, primam esse, quia degradatio
21 actualis tollit Priuilegium Clericale canonis, & fori, ita vt eum percutiens, excommunicatus non sit, & multo magis si esset conueniendus, debet conueniri coram Iudice seculari *c. degradatio §. actualis de pæn. in 6. Nau. in man. cap. 27. n. 81. Sylu. cit. n. 8. Sayr. l. 5. c. 20. n. 6.* quid quid in contrarium dixerint aliqui apud *R. de marin. lib. 1. resol. 82. n. 9.* cum quibus ipse pertransit; verbalis autem, siue depositio, ista non aufert, vt dicunt *DD. cit. cum Abb. in c. ad abolendam n. 10. de heret. in c. Ioannes de Cler. coniug. & cap. tua discretioni de pæn. Suar. de Censur. disp. 30. sect. 2. n. 18. Val. to. 4. disp. 7. q. 19. pun. 4. Henriq. lib. 13. cap. 55. n. 3.*

22 Secunda differentia est, quia degradatus verbaliter, qui dicitur depositus non traditur Curiæ seculari, sed actualiter sic *c. nouimus de verb. signif.* vbi etiam habetur, actualem degradationem debere fieri in præsentem reum, qui consignatur Iudici sæculari præsenti, intercedendo efficaciter apud eum, vt citra mortis pænam sententiam proferat; degradatio vero verbalis potest fieri etiam in absentem, eo tamen legitimè citato *Tol. lib. 1. cap. 51. n. 7. Bon. vbi supra n. 3.* & hæc potest esse tertia differentia.

Quarta differentia est, quia degradatio realis non habet locum, nisi in criminibus
23 prædictis, vel illis similibus, aut maioribus, verbalis autē in leuioribus, sed publicis *c. ex tenore, & c. fin. de tempor. ordin.* non autem in occultis, de quibus Ecclesia non iudicat *c. erubescant 32. dist. & dicit Gl. in c. Apostolus. V. & damnatione dist. 81. & 15. q. 8. in summario in fine* quod pro nullo Crimine imponitur pæna depositionis prædictæ, nisi specialiter sit a Iure ordinata, quod etiam tenuit *Imola in l. scimus in princ. C. de Iure delib. per tex. in §. cum igitur auth. de non eligen. secundo nubent.* Quorum criminum 109. numerat *summa astens. par. 2. lib. 7. tit. 17. art. 6.* quæ tamen non esse in Iure fundata vult *Sayr. lib. 5. cap. 21. n. 6.* ex quibus ipse colligit 25. quæ testatur esse in vsu; sed quia talem pænam practicari non vidi, nec audiui, sed potius suspensionem ab officio, vel benefitio, vel ab vtroque, quæ vltima est quasi idem, ac depositio, de qua loquimur, & de illis latè infra V. suspensio dicetur, ideo ad ibi dicēda me remitto. adde quod dixit *Abb. in c. at*
15 *si clerici n. 34. de iudic.* non debere multum attendi ad Canones antiquos in hac materia, quia in illis de facili imponebatur pæna depositionis, ad quod propositum ait *Pelagius Papa in c. fraternitatis dist. 34.* ex defectū nostrorum temporum non solum merita, sed corpora ipsa hominum defecisse, & propterea pænas esse minuendas.

An Iudex secularis secuta sibi traditione rei Ecclesiastici, degradati a Iudice Ecclesiastico possit cognoscere de meritis causæ? & traditur practica degradationis etiam contra sortilegos cum omnibus ad materiam pertinentibus.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia quando procedit ad degradationem videtur implicitè damnare ad mortem, quam explicitè inferre non potest, & licet intercedat apud Iudicem seculare pro degradato, nè pæna mortis puniatur, eius tamen intentio implicita est vt occidatur n. 2.*

3 *Iudex secularis an possit cognoscere de meritis causa degradati, vel statim degradatione & consignatione secutis debeat illum absque vlla causa cognitione morti tradere? & n. 5. vsque ad 9.*

4 *Probationes coram Iudice Ecclesiastico factæ, valent etiam coram Iudice laico.*

10 *Degradatus pro criminibus merè Ecclesiasticis, vt heresis, & similium, & consignatus Iudici seculari, debet statim ad mortem damnari per Iudicem secularem, vti merum exequutorem sententiæ Iudicis Ecclesiastici, nec potest aliquo modo cognoscere de meritis causæ.*

11 *Casus decisio.*

12 *Confessionem sacramentaliter audiēs si non sit Sa-*

sit Sacerdos degradatur, & traditur Curiae seculari in supplicium mortis.

13 *Missam celebrans absque quod sit ordinatus, est realiter degradandus, & consignandus Curiae seculari, qua absque alia causae cognitione illum morti tradit, & sic fuit plurries practicatum Neapoli.*

14 *Sortilegus inquisitus etiam de alijs delictis, fuit degradatus, & curiae seculari traditus.*

15 *Degradatus realiter an validè cōficiat Sacramenta?*

16 *Episcopus realiter, degradatus, an validè conferat ordines, aliaque Sacramenta conficiat?*

17 *Matrimonium an possit validè contrahi degradato praesente, & officium Parochi de eius licentia licentia gerente.*

18 *Paenitentiae Sacramentum à degradato susceptum scienter per paenitentem, est non solum sinè fructu, sed etiam inualidum.*

19 *Degradatus si in sacris erat, an teneatur recitare Diuinum Officium? & quid si solum erat clericus beneficiatus num. 20.*

Resolutio XXXXVIII.

Secuta degradatione personae Ecclesiasticae & consignatione Curiae seculari, dubitari potest, an ipsa Curia possit nouum processum fabricare, vel saltem per alias probationes illum factum ab Ecclesiastico Iudice comprobare, aut debeat statim, & absque alia informatione reum ad mortem damnare, quasi sit mera executrix sentētiae
1 Curiae Ecclesiasticae, quae quando procedit ad degradationē, videtur damnare implicitè degradatum ad mortem, quam ipsa cum non possit explicitè inferre *c. Clericis ne Clerici vel Monac. cum concord. per Innoc. in c. qualiter, & quando n. 6. de accus.* tradit reum Curiae seculari, etenim quaelibet pęna extra mortem naturalem potest per Ecclesiasticum Iudicem imponi, & pro inde si putaret paenam mortis ciuilis, sufficere, ipse per se eam inferret absque traditione praedicta, vt rectè discurrit Abb. *in c. cum non ab homine 2. col. vers. & nota bene, & vers. idem si non potest de Iure, de Iudic. argum. tex. in c. 1. de homic. in 6.* Et addit *Ant. de Butr. in d. cap. cum non ab homine in 6. notabili,* quod Ecclesia intercedendo pro degradato ne pęna mortis puniatur seruata forma *c. nouimus de verb. signif.* hoc non faceret, si non iudicaret hanc paenam mereri. Ad idem *Zabarel in dicto. c. nouimus col. penult. vers. quaero an fiat,* vbi ait, quod quaiscumque sit color, quo traditur reus Iudici seculari, ad hunc finem Ecclesia hoc
2 facit, vt occidatur, quamuis non debeat esse haec intentio Iudicis Ecclesiastici, & subdit *Host. in sūma lib. 5. tit. de Heret. §. qua pana feriatur n. 9.* talem intercessionem esse potius vocalem, & coloratam, quam effectiuam, quandoquidem quidquid dicatur ore, ad hoc fit ista traditio, vt reus morte puniatur, idem voluit *Bal. in l. quid ait §. ignominiae n. 4. ff. de ys qui not.* infam. vbi dixit degradationem aequi parari morti, & esse meri Imperij.

3 Respodeo nunc ad propositam quaestionem cum distinctione, quae authoritate rerum iudicatarum corroboratur; aut n. agitur de crimine laicali, vel mixto, & non debet Iudex laicus secuta sibi traditione rei post degradationem, eum statim ad mortem damnare, sed exhibito processu
4 Iudicis Ecclesiastici (probationes coram quo factae, validae sunt etiam coram illo *ex Sanfel decis. 239. sub n. 3.*) causam examinare circa ea, quae iustitiam concernunt, & secundum suam conscientiam iudicare *ad tex. in §. si quis contra aliquem vers. si verò crimen auth. de santiss. Episc.* Et proinde dicit *Pres. de Franch. ex eisdem Abb. & Butr. cit.*
5 *decis. 571. n. 9.* quod postquam Clericus suis meritis deposcentibus effectus est de foro seculari, pęna non est imponenda ad voluntatem Ecclesiae, sed prout videbitur Iudici seculari, cumque pro magno furto fuisset quidam in sacris constitutus, degradatus, & traditus M.C.V. fuit per ipsam damnatus ad mortem, & admissa appellatione ad S. C. fuit discussum de viribus sententiae, quę quia fuit visa iusta S.C. ex qualitate delicti, fuit confirmata, & executioni demandata, sed non in frustra diuisum eius cadauer, sicuti sociorum, ob reuerentiam sacramenti, & characteris impressi.

Aliud exemplum habes apud *Reg. Tap. in constit. Regni de personis n. 37.* de quodam alio Ecclesiastico, similiter degradato, & curiae praedictae tradito ob homicidium in hac Ciuitate in personam Fabritij de Guido cum scoppittis paruis, quae cum eum ad mortem damnasset, traducta causa ad S.C. per viam appellationis, & postea decisa in Collaterali Concilio, fuit allegatum senten-

sententiam fuisse iniustam, & iniquam, &
6 ex sui facie apparere, ideoque fuit refotmata, rcusque damnatus ad pænam extraordinariam.

Alia similia apud *Sanfel. decis.* 139. & 239. de quodam Monacho Ordinis Carmelitarum nomine Fratre Angelo Degno inquisito de homicidio, commisso in Ecclesia Spiritus Sancti Neap. tempore celebrationis diuinorum, qui post degradationem, & consignationem Regiæ Curiæ, & pro ea Regio Consiliario Palatio delegato, visis sibi probationibus, & processu legitimè instructis, præuia solum monitione ad dicendum, ipsum ad mortem damnauit.

7 Item de Angelo de Rinaldo similiter degradato, & rradito d.M.C. ex quo non erant reperiti Testes per Iudicem Ecclesiasticum, fuerunt repetiti per dictam M. C. datusque terminus super nouis, & damnatus ad mortem, cumque fuisset appellarum ad S.C. quia interim fuit anullata degradatio in Rom. Curia, fuit relegatus teste *cod. Sanfel. d. dec.* 139. *n.* 4. vbi etiam de
8 alio Monacho Ordinis Hæremitarũ S. August. inquisiti, & confessi de assassinio, & furto, cui post degradationem fuit datus terminus aduersus confessionem per R. Consil. Piccolellam, ex quo non erat datus in Curia Ecclesiastica, aduersus quam confessionem, cum nihil fuisset probatum, fuit ad mortem damnatus, & concludit idem Sanfel. *n.* 7. *ex Deciano*, *Carolo de*
9 *Graf. & Tap. cit.* quod degradatione non obstante, poterit Iudex secularis ex defectũ probationum, si sic sibi videbitur, reum extraordinaria pæna punire, vel etiam liberare innocentem repertum, contrarium tamen fuisse per M.C. decisum anno 1629. testatur *R. de marin. lib.* 1. *resol.* 82. *n.* 8. nulla facta mentione de prædictis decisionibus, vbi refert absq; alio termino fuisse degradatũ ad mortẽ damnatũ, sed priori sententiæ ego adhæreo ex rationibus, vt supra.

10 Aut verò agitur de crimine mere Ecclesiastico, vt hæresis, sortilegij & similium; & licet aliqui apud *Sanfel. decis.* 239. *n.* 4. adhuc dubitarint, præualuit tamen opinio dicentium, Iudicem secularem esse in hoc casu merum executorem sententiæ, Iudicis Ecclesiastici, nullamque circa hoc sibi cognitionem competere, tenerique statim suum impartiri officium *R. Tap. in constit. Reg. post mundi machinam n.* 35. *ex c. vt inquisitionis* S. *prohibemus & c. præsidentes de Hæret. in* 6. Cumque accidisset casus contra quendam Frarrem Paulum delle Vergine, laicum Professum Ordinis Conuen-
11 tualium reformatorum in sæculo Nicolaũ Castelluccio inquisitum, confessum, & conuictum de Idolatria, ex quo cum esset simplex laicus ad nullũ ordinẽ promotus, pluries, ac pluries missã celebrauerat, nec non confessiones fideliũ in forma sacramentali audierat, fuit per Tribunal inquisitionis
12 virtute bullarum Summ. Pontif. statim citandarum sententialiter priuatus omni Ecclesiastico Priuilegio, habituque Religionis exutus per Ministros Sancti Officij in Ecclesia S. Hieronymi Neap. ibique consignatus M.C.V. die 13. Decembris 1635. & paulo post per eandem curiam absque alia causæ cognitione, nequidem monitione, decretum furca suspendi pro executione sententiæ declaratoriæ, latæ de mandato Sanctissimæ inquisitionis de Vrbe, prout fuit executum in foro Magno dictæ Ciuitatis. idem procedit in eo, qui confessionẽ sacramentalem audiret, si non sit sacerdos etiam si non celebraret ex *Bulla Clem. VIII.* publicata die 5. Decembris 1601. quæ vtrumque casum alternatiue comprehendit, & fuit confirmata *per aliam Bullam Vrb. VIII.* publicatam die 10. Settembris 1628. quæ extenditur ad Regulares cuiuscumque ordinis, & excludit etiam priuilegium minoris ætatis, dummodo tales inquisiti vigesimum ætatis annum compleuerint.

13 Idem etiam fuit seruatum contra Donatum de feo Villæ de Omignano Diæcesis Capuaquensis, ex quo, dum esset Clericus in quatuor tantum minoribus ordinibus constitutus, pluries missarum celebrationem sibi vsurpauit in pluribus locis, & signanter in Parochiali Ecclesia de Omignano, nec non communionem pluribus cum particulis non consecratis ministrauit, ac etiam in festiuitate Sanctiss. Sacramenti idem Sanctissimũ Christi corpus per dictam Terram de Omignano publicè detulit, pro quibus criminibus, cum esset confessus, & conuictus, fuit declaratus priuatus omni Ecclesiastico Priuilegio, habituque Clericali, & traditus dictæ M. C. V. die 5 Martij 1637. in Ecclesia S. Laurentij Maioris Neap. & postea sub die 13. eiusdem mensis, & anni fuit præuia sententia M.C. similiter absque alia causæ cognitio-

gnitione furca ſuſpenſus in foro magno eiuſdem Ciuitatis.

Idem tertiò fuit factum contra Franciſ-
14 cum Mariam fotum Clericum, inquiſitum de eodem delicto, & inſuper de Sortilegio cum expreſſa dæmonum inuocatione, & veneratione, ad effectum reperiendi theſauros, qui ſimiliter conuictus, fuit Clericali Priuilegio expoliatus ſub die 27. Februarij 1639. in Eccleſia S. Dominici maioris, & traditus dictæ M. C. quæ ſub die primò Martij eiuſdem anni eum ad mortem damnauit; quos omnes caſus ſecutos refert præfatus San. Fel. dicta deciſ. 239. vide alia ad materiam in priori reſol. & *reſol. 84. num. 20. vbi refertur d. bulla vltima Vrb. 8.*

15 Reſtat videre de aliquibus quęſtionibus pro complemento materiæ; & primo an realiter degradatus celebrans conficiat Sacramentũ Euchariſtiæ, aliaque cõferat Sacramenta; ſi daretur caſus, vt hæc perageret; & reſpõdet *D. Tho. par. 3. q. 82. art. 8. in corp.* affirmatiuè, eo quod poteſtas cõſecrãdi Euchariſtiam pertinet ad characterem ſacerdotalis ordinis; character autem quilibet, quia cum quadã conſecratione datur, indelebilis eſt, ſicut & quarũcumq; rerum conſecrationes, perpetuæ ſunt, quæ propterea hec amitti, nec reiterati poſſunt: ergo manifeſtum eſt, quod poteſtas conſecrandi, non amittitur per degradationem, hancq; communem eſſe opinionem Theologorum teſtatur cit. Reg. n. 10.

Idem dicit *Tol. lib. 1. cap. 51. n. 2. ex c. quid*
16 *ſit in fine de cõſecr. diſt. 2.* de Epiſcopo ordinante, quod verè ordines conferat, ſed omnes peccent grauiſſimè, & amplius ordinandus, ſi ſcienter ordines ſuſcipit, rema-
17 near ſuſpenſus *Syl. V. degradatio n. 9. & late infra V. ordo*, idem de Sacerdote intereſſente matrimonio de licentia Parohi docuit *Sayr. ex Aſtenſi Viual. & alijs lib. 5. c. 22. n. 26. de cenſur. nẽpe*, quod verum, & validũ conficiatur matrimonium in ſua præſentia
18 (Sacramentum autem pænitentię ſcienter à degradato ſuſceptum per pænitentem, non ſolum ſinè gratia, ſed etiam inualidũ eſt, quia concurrente peccato, quod cõmittitur inducendo degradatum ad miniſtrandum Sacramentum, deficit per neceſſe contritio, vel attritio, quæ ſunt materia huius Sacramenti, proinde ſublata materia, non eſt vbi cadat forma, niſi ſuſciperetur in art. mortis deficiente non impedito *Trid. ſeſſ. 14. c. 7.*) ex quibus aiunt teneri degradatum, ſi in Sacris ſit, ac etiam Clericum beneficiatum, ad horas canonicas recitandas *Barb. de poteſt Epiſc. 3. par. alleg. 110. n. 5. Sayr. dicto cap. 22. n. 27.* vbi multos eiuſdẽ ſententiæ refert, & inuehit contra Tol. putans contrarium tenere, qui tamen eſt cum ipſo, & cęteris *dicto cap. 51. n. 3. ex c. dolentes de celebr. miſſar.* vbi iniungitur id onus, ſed propter delictũ quamuis ordinatus degradetur, nõ tamen efficitur melioris conditionis, vt ab onere ſoluatur, ergo ita ille.

Licet autem hoc dubitari nequeat de beneficiato, ſi ex fructibus beneficij alatur, vt alibi diximus: de degradato verò in Sacris ſinè beneficio ambigi poteſt, recitatio n. Diuini Offitij non eſt de Iure Diuino, ſed ordinata ab Eccleſia, vel de eiuſdem conſuetudine, quæ ipſum per degradationem liberauit a ſua poteſtate, & vti ſimplicem ſecularem tradidit Iudici ſeculari, aliàs oporteret dicere, degradatum eſſe eodem tempore Eccleſiaſticum, & ſecularem, ſubditum Eccleſiæ, & non ſubditum, quæ vti repugnantia non poſſunt in
20 eodem ſubiecto conſiſtere *l. vbi repugnantia ff. de regul. iur.* quod fortius dicitur de ſimplici Clerico antea beneficiato, qui tenerur quandiu retinet beneficium, vt air *Sylu. d. V. degradatio n. 10.* eo magis, quod *tex. in c. dolentes cit.* obligat ſolum Clericos, & prælatos, qui ſunt ſubditi Eccleſiæ, non autem non ſubditos, vt ibi legitur: non audeo tamen contra tot Patres aliquid affirmare; ſed tu cogita.

SVMMARIVM.

1 *Euchariſtia vnde dicatur, & quid iſtud nomen ſignificet? & n. 3. & 5.*
2 *Nomina debent eſſe correſpondentia rebus.*
4 *Sacramenta omnia conferunt gratiam, ſed Euchariſtia maiorem cæteris, quia ibi adeſt fons gratiæ.*
6 *Euchariſtiam recepturi, mos erat antiquus, vt antea baſiarentur ad inuicem eius definitio num. 7.*

INTRODVCTIO.

1 Euchariſtia eſt nomen græcum, dictum ab eu quod latinè ſignificat bonum, & charis, quod ſignificat gratiam, & ſic dicitur bona gratia *Sylu. V. Eucha-*
2 *riſtia primo n. 1.* omneſq; ſummiſtæ, ſed quia nomina debent eſſe conſonantia, & correſpon-

respondentia rebus iuxta *D. Tho. 3. par. q. 73. ar. 4. iuncto §. est & aliud instit. de donat.* & in hoc Sacramento manet Christus fons gratiæ; ideo dicto nomine græco expressiuo rei, quam continet, Ecclesia opportunè vtitur *Catech. Rom. par. 2. num. 3. cap. 4. hoc tit.* Sic etiam quia confert animæ gratiam, si ex parte sumentis non impedi-
3 tur *Henriq. lib. 8. cap. 1. n. 1.* dicitur etiam viaticum, quia cibus est spiritualis, quo confortatur animus, donec perueniat ad montem Dei Horeb *Tol. lib. 2. cap. 30. n. 3.* vel secundũ eundem Sãct. cit. quia est præfiguratiuũ fruitionis Dei; quæ erit in Patria, vel secundum *Henriq. dicto num. 1. lit. p.* pro quando tribuitur illis, qui proximi morti sunt, quia viam parat ad gloriam, quam præfigurat *Catech. cit. num. 5.* dicitur
4 etiam Sanctiss. Sacramentum per antonomasiam, quia in alijs Sacramentis confertur gratia, in isto autem abundantiùs, cum realiter contineat ipsum fontem gratiæ *D. Tho. cit. ad 2. Tolet. vbi supra num. 4.*
5 Dicitur tandem, alijs omissis, communio, quia vt Damasc. explicat. *lib. 4. orth. fid. cap.* 14. hoc Sacramentum Christo nos copulat, atque eius carnis, & Deitatis participes efficit, nosque inter nosmetipsos in eodem Christo conciliat, ac veluti in vnum Corpus coniungit, ad idem *Henriq. cit. lit. 1.* Hinc ait *Grat. discept. for. cap. 412 n. 17.*
6 *ex Tho Boz. de sign. Eccl. Dei lib. 14. cap. 5.* morem fuisse antiquum, vt illud perciperi, mutuis se antea osculis basiarentur, ducti à Sacerdote celebrante, vt palam fieret per hoc Sacramentum, etiam corpora nostra in vnum spiritum, & corpus con-
7 iungi, vt dictum est. Definitur autem *per Nauar in man. cap. 22. n. 10. ex mente magistri in 4. sent. dist. 8. D. Tho. ibidem, & aliorum, videlicet.* est Sacramentum quod sub specie panis, & vini, vel alterius eorum verum corpus, & sanguinem Iesù Christi continet; & licet alljs parumper dissimilibus verbis definiatur per *Nugn. 3. par. qu. 73 ar. 1. diffic. 3. conclus. 10. Valent. to. 4. disp. 6. q. 1. pun. 1. & alios,* in re tamen concordant, quæ dum alia explicatione non indigent, quero.

Quo die, mense, & Christi anno fuerit hoc Sacramentum institutum, & an sit necessarium necessitate medij, vel præcepti?

S V M M A R I V M.

1 *Christus quo, mense, die, hora, & anno Sacramentum Eucharistiæ instituerit, & detempore mortis eius n. 2.*
3 *Sacramentum Eucharistiæ non esse necessarium necessitate medij in re, neque in voto probatur, & resp. contrarijs n. 5. & 8. vsque ad 10.*
4 *Inclusio vnius, est alterius exclusio.*
6 *Baptismi, & pænitentiæ Sacramenta sunt necessaria de necessitate medij in re, vel in voto ad salutem & n. 7. sed quid de ordine num. 13.*
11 *Christus tripliciter mandicatur.*
12 *Necessarium simpliciter, & necessarium ad bene esse qualia sint?*
14 *Eucharistiæ Sacramentum, est necessarium de necessitate præcepti Ecclesiastici adultis, saltem semel in anno, ac etiam in morte, sed an sit etiam de necessitate præcepti Diuini? n. 15. vsque ad 18. vbi an etiam dannatis ad mortem?*

Resolutio XXXXIX.

1 AD primum respondetur tempus institutionis fuisse iuxta interpretationẽ *Nicolai de lyra tam super c. 26. Matth. quam super cap. 22. Lucæ* sub die 14. primi mensis circa primam horam noctis, qua Christus tradendus erat, in vltima cæna, vltimoq; discessù à suis Discipulis *D. Tho. par. 3. q. 73. art. 5. in corp.* qui mensis erat Martius, à quò illo tempore incipiebat annus, vt probant *Henriq. lib. 8. cap. 2. num. 2. & cap. 11. Suar. to. 3. disp. 41. sect. 1. n. 1. & seq & clarius Bonac. ex multis to. 1. disp. 4. hoc tit. q. 2. pun. 2. n. 3.* leguntur de his aliqua in *Clem. vnica §. transiturus de reliq. & vener. Sanct. & in Trid. cap. 1. & 2. sess. 13.*
2 De anno verò Christi, quo hæc institutio facta est, qui fuit idem suæ Sanctissimæ mortis, vt dictum est, non conueniunt DD. relati per eundem Bonac. alij .n. dixerunt in trigesimo ætatis suæ anno, alij etiam in quinquagesimo, quæ opiniones sunt contra communem, & propterea tenendum est cum *Beda lib. de ratione temporis cap. 7.* ab omnibus secuto, fuisse anno trigesimo tertio, vel cum *Suar. cit. in proam.*

dicta

dicta disp. 41. §. *ex hoc principio* fuisse anno
trigesimo quarto inchoato.
3 Ad secūdum respondetur non esse neces-
sarium necessitate medij in re, neque in
voto *D. Tho. vbi supra art. 3. iuxta exposi-
tionem Caiet. ibidem, Gregor. de valent. to. 4.
disp. 6. q. 1. pun. 5. in princ. & percipitur ex
Trid. sess. 6. cap. 4. &* 14. vbi baptismus,
& pænitentia dicuntur esse de necessitate
medij in re, vel in voto; si n. (ait *Villalob
in summa to. 1. tract. 8. diffic. 34. n. 3.*) esset
etiam necessaria Eucharistia modo prędi-
cto) dictū etiam fuisset in Trid. confirmatur
4 ex *c. nonne de præsumpt. & l. cum prætor ff. de
iudic.* vbi inclusio vnius, est exlusio alterius,
& ita contra cæteros aduersæ opinionis se-
ctatores docent multi apud *Bonac. cit. pun. 3.*
5 *n. 1. & apud Dia par. 3. tract. 6. res. 95. & par.
5. tract. 13. resol. 28.* Contrariū tamen vide-
tur statutū apud *Io. cap. 6. ibi nisi manducaue-
ris carnem filij hominis, & cæt. non habebitis
vitam in vobis.* sed eodem sermone fuit di-
ctū de baptismo, nisi quis renatus fuerit ex
aqua & Spiritum Sancto, non poterit in-
troire in Regnu Dei *Io. 3. & ad Cor.* 15.
& similiter de pænit. apud *Luc. 13. nisi pæ-
nitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* ex
quibus locis statutum est in *Trident. sess. 6.*
6 *c. 4. & sess. 14. c. 2. in fine*, quod sicuti sinè
baptismo in re, vel in voto salus nullomo-
do cōtingere potest: ita etiam sine pœniten-
tia lapsis post baptismū: ergo dum ista sunt
necessaria necessitate medij, ita etiam illud.

Suar. to. 3. disp. 40. sect. 2. §. secundo igitur.
probat ex multis illa verba Io: esse intelli-
genda de necessitate præcepti, non autem
medij; idem n. Christus (ait ipse) dixit
alia similia apud *Matth. cap. 18.* ibi, *nisi ef-
ficiamini sicut paruuli &c.* quę tamen, ait, esse
de necessitate præcepti, & subdit *in* §. *hinc
quarto*, casù quo intelligenda essent de ne-
cessitate medij, omnes iustificatos habe-
re votum huius Sacramenti, votum n.
Sacramenti etiam in baptismo sufficit;
(quod tamen habet difficultatem, namque
7 in tantum sufficit in baptismo votum, qua-
tenus cessat commoditas illum recipiendi
in re, sed Eucharistiam, dicunt omnes, non
esse necessariam necessitate medij in re, ne-
que in voto, *Dia. cit. dicta resol* 28. sed so-
lum præcepti Ecclesiastici, & Diuini vt in-
8 fra dicetur. Bonac. tamen *disp. 4. q. 1. pun. 3.*
sub n. 2. ait, temerarium esse asserere,
quod verba prædicta non intelligantur de
manducatione Sacramentali; cum PP. ita
vnanimiter illa explicent; & immediate
subdit, posse etiam intelligi de commestio-
ne Christi mystica per fidē, & vnionem fi-
delium inter se, & cum Christo eorum
Capite citat multos apud *Henriques lib. 8.
cap. 7. n. 1. & apud Suar. disput. 69. sect. 2.
dub. 2. & alios.*

Quare possumus accomodare sensum
nostrum explicationi SS. PP. qui verba
9 prædicta intelligunr, non solum de
Sacramentali manducatione, sed etiam de
spirituali per fidem, quò sensù ait *D. Au-
gust. super locum prædictum Io. to. 9. cap. 6.
tract. 26. ante finem*, sæpè paruulos mandu-
care, quia per fidem in habitù credunt seù
quia pertinēt ad vnitatem Corporis Chri-
sti, quem secutos fuisse *Cyprian. lib. 3. ad
Quirin. cap. 25. & Innoc. Pontific. Epist. 26.
testatur Suar. disp. 40. sect.* 2. §. ad funda-
menta contrariæ sententiæ. idem voluit
*magist. sent. in 4. dist. 8. §. numquid & §. 1. dist.
9. ibi, quid est Christum manducare? non est
solum in Sacramēto Corpus eius accipere, multi
n. indignè accipiunt, sed in ipso manere, & ha-
bere ipsum in se manētem, spiritualiter n. man-
ducat, qui in vnitate Christi, & Ecclesiæ quam
Sacramentum significat, manet*, & inferius, *vt
quid paras vētrem & dētem, crede & mā luca-
sti.* Vide Gl. ordin. super verbis relatis, &
*Grat. in c. credere de cōsecr. dist. 2. videlicet cre-
dere in Iesum Christum, hoc est manducare panē
viuum, qui credit in eum manducat, inuisi-
biliter saginatur, quia inuisibiliter renascitur;
& qui manducat carnem meam, & bibit meum
sanguinem, habet vitam æternam; participa-
tione n. filij (quod est per vnitatem Corporis
Christi, & sanguinis) homo manducans viuit
non sumens tantum in Sacramento (quod &
mali faciunt) sed usque ad spiritus partici-
pationem, vt in corpore Domini tamquam
membrum maneat, & eius spiritu vegetetur;
quod est dum eius mandata seruat. Ad Altare
Dei inuisibile (quo non accedit iniustus) ille
peruenit, qui ad hoc præsens iustificatus acce-
dit, inueniet illuc vitam suam, qui hic discer-
11 net causam suam* vbi subdit Gl. V. in Sa-
cramento quod à malis manducatur. Chri-
stus Sacramentaliter tantum, à bonis verò
sacramentaliter, & spiritualiter, & ab om-
nibus credentibus spiritualiter.

Quod confirmatur ex *D. Tho. par. 3. q.
65. art. 4. ad* 2. vbi ait, illud verbum Do-
mini esse intelligendum de spirituali man-
ducatione, & non de sola sacramentali.
Idem D. Tho. in corp. latius complectendo
mate-

c.

materiam ita affatur, *neceſſarium reſpectu finis, de quo nunc loquimur, dicitur aliquid dupliciter, vno modo finè quo non poteſt haberi finis, ſicut cibus eſt neceſſarius vita humana, & hoc eſt ſimpliciter neceſſarium ad finem; alio modo dicitur eſſe neceſſarium id, finè quo non habetur finis ita conuenienter, ſicut equus neceſſarius eſt ad iter. hoc autem non eſt neceſſarium ſimpliciter ad finem: primo igi-*
13 *tur modo neceſſitatis ſunt tria ſacramenta neceſſaria, duo quidem perſonæ ſingulari, baptiſmus ſimpliciter, & abſolute, pænitentia autem ſuppoſito mortali poſt baptiſmum; ſacramentum autem ordinis eſt neceſſarium Eccleſiæ, quia, vbi non eſt Gubernator, Populus corruet, vt dicitur prouerb. 11. ſed ſecundo modo ſunt neceſſaria alia ſacramenta hæc ille.*

Ex quibus confirmatur, quod dictum eſt de verbis *prædictis*, & conſequenter
14 non eſſe Euchariſtiam de neceſſitate medij, ſed præcepti Eccleſiaſtici, ſaltem ſemel in anno adultis, vt conſtat ex *c. omnis de pænit. & remiſſ.* ac etiam in morte ex antiqua conſuetudine Eccleſiæ de qua teſtatur P. *Dia. par. 9. tract. 8. reſol. 46. §. & eſt antiqua ex c. quod in te eod. tit.* Imò etiam de neceſſitate præcepti diuini docent, ita verba prædicta interpretando idem *San. 3. par. q. 80. art. 11. in corp. ibi, & ideo manifeſtum eſt, quod homo tenetur hoc ſacramentum ſumere, non ſolum ex ſtatuto Eccleſiæ, ſed ex*
15 *mandato Domini dicentis apud Luc. 22. hoc facite in meam commemorationem Nauar. in man. c. 21. n. 57. Vaſq. 3. par. to. 3. diſp. 69. c. 3. Henriq. lib. 8. c. 3. n. 2. & 4.* Quod præceptum diuinum obligat etiam in morte *Sotus in 4. diſt. 12. ſect. 1. art. 11. Vaſq. diſp. 213. c. 2. Fillius. tract. 4. c. 2. q. 6. n. 47. Henriq. cit. c. 4. Regin. lib. 29. q. 2. ſect. 3. n. 64. ex Duran. Suar. & alij*, vbi ex eodem
16 Suar. docet, tria in praxi eſſe aduertenda, primũ, vt non ſit neceſſarium illud ſumere ſtatim initio infirmitatis, ſed ſatis ſit ante mortem: ſecundum ſi paucis diebus antea quis communicaſſet, non eſſe neceſſarium iterum communicare, niſi ex deuotione: Tertium quod licet præceptum non ſit, conſilium tamen bonum ſit, vt quamuis infirmus non multò ante communicauerit, iterum ſe muniat cum ſacramento prædicto.
17 Extra verò id tempus, an præceptum diuinum obliget multoties in vita, vt Regin. & alij diſputant, omitto, quia ex præcepto Eccleſiaſtico obligamur ſaltem ſemel in anno in Paſchate, cum quò ſatiſfit vtrique præcepto, vt docet *D. Tho. cit.* vbi ait eſſe præceptum Domini, & tempus illud adimplendi in vita, ſtatutum eſſe per Eccleſiam ex *c. omnis cit.* quam ſententiam certiſſimam eſſe apud omnes ſcribit *Dia. par. 9. tract. 9. reſol. 46. §. dicendum* vide etiam infra *reſol. 62. n. 14.* alia ſupradicta tractant, & confirmant recentiores apud eundem *Dia. par. 4. tract. 4. reſol. 197. par. 5. tract. 3. reſol. 33. reſol. 41. 43. & 44. & tract. 14. reſol. 50.* & quod prædictum præceptum diuinum, ſicuti etiam Eccleſiaſticum obligent etiam damnatos ad mortem, qui tenentur, & poſſunt ſaltem eadem die executionis ſententiæ communicare *par. 5. tract. 3. reſol. 38.* etiam non ieiuni *par. 9. tract. 6. reſol. 42. & vide etiam infra reſol. 59. n. 14.*

Num de neceſſitate ſit Corpus Chriſti ſub vtraque ſpecie conſecrandum, & ſumendum?

SVMMARIVM.

1 *Conſecratio ſub vtraque ſpecie non eſt neceſſaria neceſſitate medij, ſed præcepti diuini, & Eccleſiaſtici.*

2 *Chriſtus eſt totus ſub vtraque ſpecie ſtatim prolatis verbis conſecrationis.*

3 *Sacrilegium committit ſacerdos conſecrans ſub vna ſola ſpecie, ſuper quo nec Pontifex diſpenſare poteſt, & n. 8. quod fallit in aliquibus caſibus n. 4.*

5 *Aquam pro vino ſi aliquis celebrans poſuit in calicem, & ideo perturbatus, an poſſit omittere ea, quæ præcipiuntur hoc in caſu in miſſali Romano? & n. 6. & 7.*

9 *Vinum ſi aduertatur poſt conſecratam hoſtiam eſſe veneno infectum, poteſt ſacerdos abſque peccato ſacrific ium perficere, & non ſumere vinum, etiam conſecratum.*

10 *Muſca, vel aranea, aut ſimile, ſi deprehendantur in calice poſt conſecrationem, quid debeat ſacerdos facere?*

11 *Sacerdote mortuo, vel muto facto poſt conſecrationem hoſtiæ, vel alia infirmitate præuentò, eum non poſſit perficere ſacrificium, debet alius loco ſui ſubſtitus ad illud complendum. Sed neque ad ſe communicandum, etiam in articulo mortis, poteſt in vna ſola ſpecie conſecrare n. 12.*

13 *(Omnis) dictio eſt vniuerſalis.*

Cor-

14 *Corpus Christi apparens in hostia, vel in calice non tenetur sacerdos sumere; sed quid debeat in hoc casu facere? & n.15.*

Resolutio XXXXX.

1 D. *Tho. par.3.q.78. art.6.* respondet negatiuè si loquimur de necessitate medij, quia prolatis verbis consecrationis panis, statim est ibi in eadem hostia Corpus Christi, & consecrato vino, sanguis eius, & ex reali concomitantia idem
2 suum Sanctissimum Corpus, ita quod sub vtraque specie est totus Christus: ergo dũ vna consecratio non dependet necessario ab altera, valida est vna sinè altera, & consequenter sumi potest vna sine alte-
3 ra, sed est grauissimum sacrilegium iuxta sententiam Gelasij Papæ *in c.comperimus de consecrat. dist. 2.* Et sic est de necessitate præcepti tantum consecrare, & sumere sub vtraque specie *Azor. 1. par. lib. 10. c. 19. q. 5. Suar. to. 3. disp. 43. sect. 2. §. dico secundo, Regin. lib. 29. n. 12.* Quod tamen præceptum, non esse solum Ecclesiasticum, sed etiam diuinum ex eodem *D.Tho. & alys fundat Suar. cit. sect. 3. §. penult.* & percipitur ex *Trid. sess. 22. c. 1.* ita etiam docent *Regin. vbi sup. n. 13. Bonac. hoc tit. disp. 4. q. 1. pun. 3. n. 5. ex Tabi. v. Eucharistia n. 20. Nauar. in man. c. 25. n. 91.* & alijs.
4 Dantur tamen aliqui casus, in quibus sub sola panis specie sinè peccato consecratur, quorum primus est, quando quis ex inaduertentia inculpabili posuit aquam in calicem, putans esse vinum album; quod ego vidi, dum eram secularis accidere cuidam sacerdoti, qui hoc aduertit post sumptionem hostiæ consecratæ, & aquæ, & seruauit tradita in missali Romano, & per
5 *Nauar. d.n.91. ex D.Tho. ab eo cit. & Scoto in 3. par. q. 85. art. 6.* accedendo ad cornu Altaris, quasi ablutionem accepturus, & sumptis vino, & aqua, vel solo vino cum aqua, quæ remansit in calice, redijt, ad medium Altaris, & ibi consecrauit, incipiendo ab illis verbis, simili modo & cæt. alijs prætermissis, ne populus propter moram, errorem intelligeret, sanguinem Domini cum Reuerentia percepit, & mox purificatione accepta, reliqua prosecutus
6 est. Addit *P.Dia. par. 2. tract. 14. resol. 70. in fine* posse sacerdotem, cui hoc accide- rit, si ex tali accidente perturbatus fuerit, ea omittere sinè mortali, quod didicit ex *Nau. cit. & iste ex Adr.* quem ibidem citat; sed si probabile sit, alij iudicent nam ego contrar. *dicam resol. 60. n. 7.*

7 Secundus est, quando post consecratam hostiam, aduertitur non esse vinum in calice, & non reperiri aliud vinum, vel non posse haberi sinè magno scandalo, aut euidenti vitæ periculo, & tunc sinè peccato potest perfici sacrificium sub vna tantum specie, quia non est verisimile (ait *Suar. cit. sect. 4. §. dico ergo primo,*) hoc præceptum obligare cum tanto discrimine, præsertim, quia in hoc, & sequentibus casibus, formaliter loquendo, sacerdos non consecrat in vna specie, sed permittit vnã speciem solam manere consecratam, & omittit aliam, quia moraliter non potest illam habere. secuntur *Regin. vbi sup. n. 14.*
8 *& aly apud eum*; Quamuis autem certum sit non posse sacerdotem sub vna specie consecrare, etiamsi ei mortis metus inferatur, incipiendo sc. sacrificium, licet communicandi causa infirmum morti proximum, si vinum non reperiretur, aliud tamen est inchoare sacrificium, cum intentione non perficiendi, quod est intrinsecè malum, & contra diuinum præceptum, aliud est nõ posse ex causis prædictis perficere inchoatum, vt bene docet idem *Suar. d. §. dico ergo circa finem,* sed hic casus numquam potest accidere, quia semper vinum ponitur in calicem ante consecrationem hostiæ.
9 Tertius est si post consecratam hostiam aduertat sacerdos, vinum in calicem positum esse veneno infectum, nec aliud reperiatur, vel etiam si hoc accidat post consecratum vinum, non tenetur sumere, & similiter sinè peccato potest perficere sacrificium iuxta DD. cit. sed illud vinum debet conseruari pro reliquia *Sylu. v. Eucharistia 2. n. 13.* debet autem aliud vinum si reperiatur apponi in calicem, & denuo resumi à consecratione sanguinis, & perfici sacrificium *D.Tho. 3. par. q. 83. art. 6.* vbi discurrit de omnibus ferè casibus, qui in hac materia contingere possunt, & præcipuè quando in calice deprehenditur musca, vel aranea, aut simile ante consecrationem, quod effuso vino, & loto calice, aliud ponendum sit, si verò post consecrationem, debet animal caute capi, diligenter lauari, & comburi, ablutio autem cum cineribus in sacrarium mitti, id est secun-

dum

dum *Petr. de Palud. à Sylu. vbi ſup. cit.* in piſcinam, in quam pronunturea, quæ ſpecies ſacramẽti mediatè, vel immediate cõtingunt de vino autẽ cõſecrato nihil dicit Sylu. ſed ex dictis per *D.Tho. d. art. 6. ad 3.* deducitur, eſſe in hoc poſtremo casù ſumendum, vel ſi ſacerdos illud ſumme nauſearet, poſſet idem ſeruari, quod de vino venenato iuxta dicta ſupra *n. 9* extra quos caſus nec Summ. Pontifex diſpenſare poteſt, vt ſub vna ſpecie conſecretur ſecundum *Suar. vbi ſup. §. dico ergo 3.* qui ſolum propter communem cauſam, non autem priuatam appellauit probabilem contrariam opinionem, vide *Bonac. cit. pun. 3. n. 13. ex Soto Nugn. & alijs, ſed Henriq. lib. 8. c. 13.* refert. DD. aſſerenres *Innoc. VIII.* diſpenſaſſe, vt ſacerdos ex magna neceſſitate conſecraret in ſpecie tantũ panis, & antea etiã diſpẽſaſſe *Innoc. IV.* quod tamẽ *Belarm. lib. 4. hoc tit.* nõ credit, *Suar. autẽ diſp. 45. ſect. 2. §. nihilominus dicit eſſe* probabile ſed vix poſſe contingere occaſionẽ, & cauſã rationabilẽ vt talis diſpenſatio licitè cõcedatur.

11 Quartus .n. caſus poſitus à *Suar. cit. §. dico ergo primo in fine*, quando ſacerdos conſecrata hoſtia amiſit iudicium, vel loquelam, aut mortuus eſt ante conſecrationem vini, impropriè ponitur inter prædictos, dum ipſemet ibidem docet debere ſacrificium ab alio ſacerdote perfici; quod non eſt conſecrare ſub vna ſpecie; & propterea dum præter relatos excluduntur omnes alij, fruſtratoria eſt etiam diſputatio *Bonac. diſp. 4. q. 2. pun. 3. n. 14. ex eodem Suar. Azor. par. 1. lib. 10. c. 16. q. 4. &*

12 *Regin. lib. 29. n. 15.* vtrum poſsit ſacerdos pro ſe ipſo communicando in mortis articulo in vna ſpecie conſecrare; etenim cum omnes alij caſus excludantur, nullus includi poteſt ex natura dictionis (omnis,) quæ eſt vniuerſalis *l. moſchis & ibi Gl. in margine de iure fiſci, & in c. 1. §. ipſas omnes*

13 *de reſcript.* De modo tamen ſeruando in caſu mortis, quando ſubſtituitur alius ſacerdos, & ſimilium latè, & diſtinctè ſcribit *Sylu. vbi ſup. n. 12.*

14 Hoc tamen intelligitur humano, & naturali modo; nam ſi miraculosè Corpus Chriſti in altari appareat ſub ſpecie carnis; vel ſanguis ſub ſpecie ſanguinis, quæ non ſunt apta cibo, & potui, tunc non eſſe à ſacerdote ſumẽda ſupradictis nõ obſtantibus docet *D.Tho. par. 3. q. 82. art. 4. ad 3.* quia ea quæ miraculosè fiunt, legibus non ſubduntur; de Conſilio tamen poterit iterato Corpus, & ſanguis Domini conſecrari, & ſumi; factor .n. legis poteſt eam deſtruere *l. Princeps ff. de ll.* quod notat etiã

15 Caiet. ibidem. Sed iſtud procedit in apparitione reſpectu aliorum, & miraculo perſeuerante, nam tunc debent illæ ſpecies in quibus apparuit caro, vel ſanguis in loco ſacro conſeruari ad fidelium deuotionem, ſi vero reducerentur ad priorem formam, vel apparitio fieret alijs, & non ſacerdoti, deberet eas ſumere *Azor. cit. c. 35. quaſt. 4. Suar. diſp. 55. ſect. 4. in princ. ex eodem D.Tho.* qui de hoc etiam egit antea *q. 76. art. 8. facit tex. cum Gl. in c. de hac 76. de conſecr. diſt. 2. vide etiam Henriq. de Miſſa c. 38. art. 2.* ad quod propoſitum Suar. vbi ſupra refert Paſchas. teſtantem, eueniſſe cuidam Sancto viro, celebranti videre talem immutationem ſpecierum, & rogaſſe Dominum, vt ad priorem formam rediret, vt ſumeret, & quod ita factum fuerit.

Agitur de materia ſacramenti Corporis, & Sanguinis Chriſti, & an hoc ſacramentum ſit vnum, vel plura.

SVMMARIVM.

1 *Materia Euchariſtiæ eſt panis triticeus, confectus ex aqua elementari, non roſacea, vel lacte, melle, & ſimilibus, niſi mixtio ſit in modica quantitate, & n. 4. non conſecratur in corrupto n. 5. nec in paſta cruda n. 6. Sed quid de azimo à græcis, vel in fermentato à latinis? n. 7.*

2 *Panes propoſitionis legis veteris figurabant Euchariſtiam.*

3 *Denominatio debet fieri à principaliori parte.*

8 *Materia ſacramenti ſanguinis eſt vinum vitis, & nullus alius liquor, niſi in caſu neceſſitatis muſtum ex vuis expreſſum in calice.*

9 *Vinum ſatis decoctum, vt ſolet fieri in partibus Aprutij, an ſit materia ſacramenti ſanguinis Chriſti? Sed quid de raſpata? n. 10. quid de vino congelato? n. 11.*

12 *Euchariſtiæ ſacramentum eſt vnum formaliter, ſed plura materialiter.*

V *Vnum*

13 *Vnum dicitur non solum, quod est continuum, vel indiuisibile, sed etiam quod est perfectum.*

14 *Laici communicantes in vna specie non recipiunt, cæteris paribus, minorem gratiam sacerdotibus communicantibus in bina & n. 15. 16. 17. & 20.*

18 *Christus totus est in qualibet minima parte, sicut in qualibet integra hostia, idemque sumitur à quolibet pessimo Christiano, sicut ab optimo, sed parit in eis diuersos effectus n. 19.*

Resolutio LI.

1 MAteria sacramenti Corporis Christi est panis ex tritico confectus, vt omnes quatuor Euágelistæ testantur *Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. Io. 6. Trid. sess. 13. c. 14. D. Tho. par. 3. q. 74. art. 3. Catech. Rom. hoc tit. par. 2. n. 12. Belarm. eodem tit. lib. 2. dist. 6. c. 2. n. 3.* & proinde est de fide, & de necessitate sacramenti. Cum .n. Saluator noster in dictis locis de pane simpliciter locutus fuerit, de hoc intelligendum esse probat Catech. quia secundum communem vsum loquendi, panis absolutè mentione facta, de triticeo intelligitur. Eo
2 magis quia panes propositionis, qui hoc sacramentum significabant, ex simila conficiebantur; & dicit *Bal. in l. rogasti n. 4. ff. si cert. petat.* denominationem debere
3 fieri a principaliori parte; quod si frumento tritici sit admistum alind frumentum in modica quantitate, conficitur sacramentum; secus si in magna, vt loquitur *D. Tho. d. art. 3. ad 3.* Ibi *modica permistio non soluit speciem, quia id quod est modicum, quodam-*
4 *modò assumitur à plurimo. Si verò fit magna permistio puta ex aquo vel quasi, talis panis exinde confectus, non erit debita materia huius sacramenti.*

5 Et ex eadem ratione solutionis speciei panis, amidum non dicitur materia apta, secus si panis non esset adeo corruptus, sed haberet tantum aliquam dispositionem ad corruptionem per immutationem saporis, vel coloris, peccaret tamen grauiter propter irreuerentiam sacramenti sacerdos, in istis consecrans secundum eundem *Sanctum ibidem ad 4. Vasq. 3. par. disp. 70. c. 4. n. 23. Valent. to. 4. disp. 6. q. 2. pun. 1. versic. item cōmunis Dia. par. 10. tr. 16. res. 38.*

6 Addit *Tolet. in summa lib. 2. c. 25. sub n. 2.* requiri etiam de necessitate sacramenti, vt panis prædictus sit coctus; pasta .n. cruda non est materia sufficiens, & amplius quod conficiatur ex aqua elementari, non autem ex melle, lacte, vel aqua rosacea, aut similibus, nisi admistio esset in tali quantitate, quod non solueretur species aquæ, vt dictū est de mistione alterius frumenti cum tritico *Henriq. lib. 8. c. 9. n. 2. lit. G. Eman. sà v. Missa n. 4. Vasq. d. c. 4. &*
alij. De necessitate verò præcepti est, quod 7
hoc sacramentum conficiatur ex pane azymo à latinis sacerdotibus, à græcis autem in fermentato; & propterea vterque peccaret mortaliter, contrarium faciendo *D. Tho. vbi supra art. 4. in corp. Catech. n. 14. Bellarm. n. 3. in fine*; imo latinus esset perpetuo suspensus ab officio, & beneficio ex *c. fin. de celebrat. miss. adde Tolet. & Valent. locis cit. iunctis Vasq. disp. 172. & 173. & alijs apud eumdem Henriq. c. 11. n. 6.* qui subdit, hoc fallere quando latinus reperiretur in Ecclesia Græca, vel Græcus in Ecclesia Latina sequitur *Bonac. hoc tit. to. 1. pun. 1. n. 16. DD. apud Dia. par. 3. tr. 6. res. 99.* quod tamen non concordat *cum motu proprio Pij V. anno 1566. relato a Quaranta v. græcorum ritus.*

8 Sed materia sacramenti sanguinis, est vinum vitis, quia in eo Christus illud instituit *Matth. c. 26. Catech. n. 15.* nec alius quilibet liquor est materia apta, vt succus agrestæ, vel acetum, & similia, nisi vinum esset tantum acescens, non acetum, de quo non fit reditus ad vinum, vt ait *D. Tho. art. 5. ad 2.* in casu verò necessitatis, potest adhiberi botrum, idest mustum ex vuarum granis expressum in calice, vt statuit *Iulius Papa in c. cum omne de consecr. dist. 2.* & recitat idem *Sanct. cit. ad 4. Tolet. vbi sup. n. 3.*

9 De vino verò satis decocto dubitarunt multi apud Bonac. cit. pun. 2. n. 3. qui videntur inclinare in partem negatiuam, quia quodammodo mutatur species; sed hoc est intelligēdum de magna decoctione, aliàs in aliquibus locis, & præcipuè in Prouincia Aprutij, vbi generaliter vina coquuntur, vt fortiora fiant, non posset celebrari, quod est falsum.

10 De vineta, quæ post vinum expressum de torculari, aqua supposita exprimitur, quæ aliàs vulgo dicitur raspata, & est liquor habens colorem, & saporem vini, fuit similiter dubitatum apud *Fabie. V. Eucharistia n. 19.* vbi dicit, per mistionem aquę in modica quantitate confici, Sacramētum

sed

ſed non eſſe hoc faciendum, niſi in casù neceſſitatis, ſi verò aqua eſſet nimia, ita vt ad tertiam ſpeciem traheretur, confici minimè poſſet; quod idem vult de admiſ-ſione aquæ ſuper fæces vini argum. *dicti c. cum omne, & c. perniciosus de celebrat. miſſ.* quod ego puto verum, ſi certum ſit ſolutam eſſe ſpeciem vini iuxta doctrinam *D.Tho. par.3.q.74.art.8. in corp.*

Sed non probatur in Iuribus prædictis præcipue *in d.c.perniciosus*, vbi refertur abuſus in aliquibus partibus ponendi plus aquæ, quam vini in calicem, & tamen non dicitur, conſecrationem non fuiſſe factam, ſed ſolum debere apponi in futurum plus vini, quam aquæ, ergo ad ſummum in caſu dicti tex. poterit hoc eſſe in præcepto,
11 non autem quod conſecratio non fiat, *& Regin. lib. 29. cap. 2. ſub n. 25. ex Suar. ibi relatum* dicit eſſe pecatum graue, & tanto maius, quanto maius eſſet dubium, quia conſecrare in materijs dubijs eſt sacrilegium, vt docent *DD.apud Dia.par. 3. tr. 6. reſol.* 100. §. *ſed quia*, vinum autem ſi poſt appoſitum in calicem congeletur, validè conſecrari poſſe non dubitat Regin. cit vbi recitat quod in Miſſali Romano dicitur, ſi contingat st. in calice vinum conſecratum congelari, debere liquefieri, & conſumi, tanquam verum ſacramentum *Eman. sà V.miſſa n.3. Angelus Suar. & alij apud Dia.cit. d.reſ.* 100. *ubi* addit grauiter peccare Sacerdotem in tali materia conſecrantem *Val. to. 4. diſp. 6. q. 2. pun. 1. circa medium, & alij apud Henriq. lib. 8. cap. 12. n.3.*
12. Ad ſecundam difficultas oritur, quia hoc Sacramentum duplicem habet materiam, duplicem formam, & duplicem conſecrationem; & propterea videntur eſſe plura, non vnum; ſed his non obſtantibus, vnum eſſe probat *Catech. cit. num.* 10. alias (ait) oporteret dicere sacramenta eſſe pluſquam ſeptem contra *Trident. ſeſſ. 7. can. 1. Concil. Lateran. & Florent. ibi relata*; quibus in locis declaratū extat, non eſſe plura, nec pauciora, quam ſeptē. ad idem *D.Tho. par. 3.q.73.ar.2. in corp. per hæc verba Sicut dici-*
13 *tur metaph. lib. 5. vnū dicitur, nō ſolum quod eſt indiuiſibile, vel quod eſt continuū ſed quod eſt perfectū, ſicut dicitur vna domus, & vnus homo; eſt autem vnum in perfectione ad cuius integritatem concurrunt omnia, quæ requiruntur ad finem eiuſdem, ſicut homo integratur ex omnibus membris neceſſarijs ad operationem animæ, & domus integratur ex omnibus partibus, quæ ſunt neceſſariæ ad inhabitandū; & ſic hoc Sacramentum dicitur vnum; ordinatur n. ad ſpiritualem refectionem, quæ corporali conformatur; ad corporalem autem refectionem, duo requirūtur, st. cibus, qui eſt alimentum ſiccum & potus, qui eſt alimentum humidum, & ideo etiam ad integritatem huius Sacramenti duo concurrunt st. ſpirituali cibus, & ſpiritualis potus ſecundum illud Io: caro mea verè eſt cibus, & ſanguis meus verè eſt potus: ergo hoc Sacramentum multa quidem eſt materialiter, ſed vnum formaliter, & perfectiue.*

14 Verum ex his videretur quodammodo dicendum, maiorem gratiam recipere Sacerdotem communicantem ſub bina ſpecie, quam laicum ſub vna; propterea Suar. latè diſputando articulum *to. 3. diſp. 63. ſect. 6.* celebrem hanc quæſtionem appellat, & licet per multa argumenta vſque ad finem probare conetur non recipere maiorem gratiam ſacerdotem, quàm laicum; contrarium tamen exiſtimant etiam probabile multi apud *Henriq. lib. 8. cap. 44. num. 5. lit. A.* vbi addunt huius opinionis fuiſse etiam multos Epiſcopos in Trident. quia refectio ſpiritualis, iuxta ſimilitudinē D. Tho, nunc relatam, perfectiùs videtur ſignificari in vtraque ſpecie, quam in vna, & proinde nouus gradus gratiæ, eorum videri confertur priori modo. Imò addunt *DD. apud*
15 *eumdem Henriq. ibidem, Clementem 6. anno 1341. in bulla ad Regē Galliæ dixiſſe, concedimus, vt quotieſcumq; volueritis, liceat communicare ſub vtraq; ſpecie ad augmētum gratiæ.*
16. Idem tamen *Suar. in §. antepenult.* confeſſus eſt, hoc non poſse pro certo ſciri, nec aliqua authoritate probari, ſed ſolùm veriſimilius eſse, æqualem gratiam, cæteris paribus, recipi à ſacerdote, & à laico ex potiſſimo fundamento *Trident ſeſſ. 21. c. 1. ibi nullo pacto ſalua fide dubitari poſſe, quin laicis alterius ſpeciei communio ad ſalutem ſufficiat, quia qui dixit, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem in me manet, & ego in illo; dixit etiam, qui manducat*
17 *hunc panem viuet in æternū.* Quod cōfirmatur ex eodem *D.Sancto q. 80. art. 12. ad 3.* vbi dixit, non exinde ſequi aliquod detrimentum in laicis, quia ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus continetur, & ſacerdos in perſona omnium ſanguinem offert, & ſumit, & in corp. artic. addit non dariſumendum ſanguinem populo, cum conti-

neat senes, Iuuenes, & paruulos, quorum quidam non sunt tantæ discretionis, vt cautelam debitam in potando adhibeant, ideo nè fortè effundatur, hoc non seruatur in eis.

18 Ad maiorem confirmationē dicitur, quod licet hostia diuidatur in plures partes, & in vnaquaq; sit totus Christus, sicuti est in singulis particulis, vel fragmentis existentibus in pyxide, vnum tamen est sacramētum, quia vnus Christus in singulis continetur *Trident. sess.* 13. *can.* 3. possunt tamen dici plura sacramenta in ordine ad communicantes, quia vnusquisque communicans recipit Sacramētum, aliàs oporteret dicere, innumerabilia esse Sacramenta, dum innumerabiles personæ communicant, & est de fide, singulos suscipere Sacramentum, etiam si pessimæ vitæ sint *Tridēt. cit. cap.* 8. *ex c. quid est c. dupliciter & c. in illo de Consecr. dist.* 2. Et propterea sacerdos, qui Hostiam diuisam in tres partes regulariter suscipit, vel etiam si per accidens susciperet aliquando plures, non reciperet maiorem gratiam, quia vnum recipit Sacramentum, vide ad propositum eundem *Suar. disp.* 39. *sect.* 4. *per totam Vasq. to.* 3. *disp.* 168. *cap.* 1. *per totum Regin. lib.* 29. *num.* 6. *ex Epist.* 1. *ad Corinth.* 10. *vnū corpus multi sumus omnes qui de vno pane & de vno calice participamus;* vnde sicut Sacerdos recipiens ter Christum in Hostia tripliciter separata, vel pluries, si plures Hostias in eadem missa per accidens recipere contigerit, non recipit maiorem gratiam, quàm recipiens semel in vna, ita recipiens etiam sanguinem, eadem ratione, quia vnum est Sacramentum.

19

20

An de necessitate medij, vel præcepti sit vino aqua miscenda in Sacramēto Sanguinis? in qua quantitate? quid si totaliter omittatur? & de alijs ad materiam.

S V M M A R I V M.

1 *Aqua quæ vino miscetur in Calice, non est de necessitate Sacramenti, sed præcepti Ecclesiastici an autem sit etiam de Præcepto Diuino? Vera non autem artificialis exiuit de latere Christi, & ideo non satisfit præcepto istam aquam in calicem apponendo num.* 2.

3 *Christus in Sacramentis instituendis quidquid de præcepto mandauit, an supponatur ordinasse etiam de necessitate medij? & num.* 4.

5 *Aqua miscenda vino in Consecratione, quæ quantitas sit de præcepto, & quæ de conuenientia apponenda? & num.* 6. *&* 7. *omissa apponi in Calicē, tam si aduertatur post oblationem, quam post consecrationem, quid sit faciendum? n.* 8. *num Sacerdos omittens eam apponere, peccet mortaliter n.* 9. *&* 10. *num transeat in sanguinem Christi, vel in aquam, quæ de latere eiusdem Christi manauit? n.* 11. *& num transeat immediatè in sanguinem, vel prius in vinum, & postea in sanguinem n.* 12. *vsque ad finem.*

Resolutio LII.

1 AD primum dicitur non esse de necessitate Sacramenti; neque præcepti Diuini aquę mistionem, sed pręcepti, Ecclesiastici, vt declaratur in *Trident. sess.* 22. *cap.* 7. *ibi præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, vt aquam vino in Calice offerendo miscerent, ad idem c. cum Marthæ §. quæsiuisti de celeb. Miss. c. cum omne crimen in fine de consecrat. dist.* 2. *D. Tho. par.* 3. *q.* 74. *art.* 7. *in corp. & ad* 3. vbi dicit solùm non esse de necessitate Sacramenti, nec de eadem necessitate, vt aqua sit naturalis, non autem artificialis, peccare tamen eum, qui aliam aquam misceret, quàm naturalem.

2 Ratio est, quia de latere Christi, cuius mors in hoc sacrificio significatur, aqua vera profluxit, non autem humor phlegmaticus vt quidam dixerunt, ad ostendendum quod Corpus Christi erat verè compositum ex quatuor elementis, idem *San. ibidem ad* 3. sed ex his, & dictis per eundem in art. antecedenti in corp. quod probabile sit, Christum in institutione huius Sacramenti miscuisse aquam vino, vt adimpleretur quod dixerat *prouerb.* 9. *bibite vinum, quod miscui vobis*, videtur dicendum hanc mistionem esse etiam de præcepto Diuino.

3 Cui respōdetur quod dum San. hoc dixit esse probabile, non exclusit probabilitatem contrariæ sententiæ, quam docent multi apud *Suar. to.* 3. *disp.* 45. *sect.* 2. *§. penult.* qui ibidem. *in §. nihilominus* addit quod si hoc esset præceptum Diuinum, vix posset reddi ratio, quare non esset

etiam

etiam de necessitate sacramenti; quia in materia sacramentorum, quidquid ex institutione, & præcepto Christi necessariū est, est etiam de necessitate sacramenti; & proinde, de iure tantum positiuo hoc esse docent etiam *Scot. Durand. Sotus Ledesm. & alij apud eum*. Sed prius *Magister sentent. in 4. dist. 11. c. 7. Vasq. 3. par. q. 79. c. 2.* & dum in Trident. *sess. 22. c. 7.* hoc præcipitur, videtur secundum Suar. non esse de iure diuino, de quo ibi mentio facta fuisset, nec omnia quæ fecit Christus, supponitur vo-
4 luisse Ecclesiæ relinquere de necessitate sacramenti, vel præcepti diuini, cum licet ipse consecrauerit in azymo, non tamen hoc est hodie de tali necessitate, vt in priori resol. dictum est, cum multa alia quoque fecerit, quæ nullo modo sunt vsu recepta, vt etiam fundant idem *Suar. cit. in §. fin. in fine, Coninc. Pitigian. & alij apud Bonac. disp. 4. q. 1. pun. 4. sub n. 1.*
5 Modicam tamen quantitatem vino esse miscendam omnes vno ore affirmant, quia cum sufficiat quælibet gutta sensibilis iuxta multorum opiniones apud *Henriq. lib. 8. c. 12. n. 4. & alios apud Bonac. cit. n. 4.* & ex contrario, si esset in tanta quantitate, vt solueretur species vini, non conficeretur sacramentum iuxta *D. Tho. sententiam 3. par. q. 74. art. 8. in corp.* ideo tutius est paruam quantitatem adhibere, vt idem Sanct. consulit. Sed pro alia sententia affertur
6 *tex. in c. perniciosus. de celebrat. miss.* vbi dicitur plus de vino, quàm de aqua esse ponendum, & addit ibi Abb. non debere apponi guttam, sicut aliqui faciunt, sed aquam minoris quantitatis vino, & in *concil. Triburiensi c. 19.* dicitur debere apponi duas partes vini, tertiam partem aquæ, vt refert *Suar. disp. 45. sect. 3. §. 2.* quod videtur concordare cum tex. prædicto, & conformari Historiæ Passionis Christi, quæ repræsentatur in sacrificio, nam ex illa habemus apud *Io 19.* sicut fluxit languis in magna quantitate, fluxisse etiam aquam.
7 Qua ratione motus, *Layman in Theologia mor. lib. 5. tract. 3. c. 2. n. 9.* existimauit inconueniens, adeo modicam quantitatem, vel guttam tantum aquæ apponi; cum fieri possit, (vt ipse ait) phantasia, & sensu delusis, nihil omninò apponi, sed plures guttas, imo etiam octauam, vel decimam partem proportionabilem esse cōuenienter apponendam; & hoc ego puto esse quam minus apponi possit; etenim dum in tex. & concil. cit. habetur, non debere apponi plus aquæ quam vini, & debere esse tertiam partem, non est dubitandum de octaua, præsertim si vinum sit generosum.
8 Quod si ex negligentia, vel obliuione omittatur aqua post hostiæ oblationem, quando solet apponi, & hoc aduertatur ante consecrationem, debet immediatè apponi, postea verò non est amplius apponenda; quia cum vinum consectatione secuta, sit iam versum in sanguinem Christi, non est illi aqua miscenda *Suar. to. 3. disp. 45. sect. 3. §. penult. Coninc. q. 74. art. 8. n. 142.* sed erit eius omissio mortale *Catech. Rom. hoc tit. n. 17. ex Trid. sess. 22. c. 7. & can. 9.* vltra pænas statutas in *c. cum omne*
9 *crimen in fine de consecr. dist. 2. & c. fin. de celebrat. miss.* per illum .n. tex. est talis sacerdos ipso iure suspensus ab officio, & per istum ab officio & beneficio iuxta *Regin. lib. 29. n. 27.* sed re vera in *d. c. fin.* dicitur sacerdotem celebrasse sine aqua, & igne, idest sine lumine, & cum aperta malitia, vel nimia desipientia; cum ergo iste tex. copulatiuè duo prædicta requirat, nequit practicari pæna contra omittentem aquam solum, & circa priorem tex. non est illa pæna perpetua, neque reseruata, sed peracta pænitentia, tollitur, vt in fine tex. legitur & aduertit *Bonac. hoc tit. disp. 4. q. 2. pun. 4.*
10 *n. 2. in fine*, quod puto verum; dum numquam audiuimus tales pænas ad praxim reductas; in priori verò casu, quando apposuit aquam paulo ante consecrationem, non autem immediatè post hostiæ oblationem, quando solet apponi, erit veniale iuxta DD. cit.
11 Fuit tamen dubitatum an ista aqua transeat in sanguinem Christi, vel in aquam, quæ de latere eiusdem emanauit, vt plene sit veritas, & figura mysterij; & licet aliquibus scholasticis ita visum fuerit vt refert *D. Tho. d. art. 8. ex Innoc. III. in c. cum Marthæ §. quæsiuisti de celebrat. miss.* hoc tamen à neutro reijcitur, sed probabilius dicitur esse, quod conuertatur in sanguinem, eo magis, quod illo admisso non verificarentur totaliter verba formæ (hic est calix sanguinis mei.)
12 Est præterea in quæstione, an aqua transeat prius in vinum, & postea in sanguinē, vel immediatè in sanguinem, casus potest accidere, vel ex paruitate interualli à mistione vsque ad consecrationem, & propter vini debilitatem; vel ex quantitate aquæ;

aquæ; *Suar. cit. sect. 4. §. nihilominus* post reiectas opiniones contrarias docet, non prius conuerti aquam in sanguinem, nisi prius fuerit conuersa in vinum, citat *d.c. cũ Marthæ §. quæsiuisti D.Tho. Catech. & alios*; sed his non obstantibus, conuerti aquam immediatè in sanguinem, casu quo ante consecrationem conuersa in vinum non fuerit, docent quam plures apud *P. Dia. par. 3. tract. 4. resol. 49. & par. 5. tr. 5. resol. 56. in fine*, qui hanc communem opinionem fuisse publicè bis disputatam Romæ, & defensam testantur.

13 Circa verò *tex. in d. §. quæsiuisti*, relatis per Innoc. circa hoc diuersis opinionibus, quas non reijcit, vt notat *Gl. ibidem v. illa probabilior*, nihil aliud oritur iuxta Abb. explicationem ibidem, nisi quod aqua cum vino transubstantiatur in sanguinem, non autẽ quod prius mutetur in vinum. *D.Tho.* non disputat hanc quæstionem *d. art. 8.* vbi citatur, sed aliam, & solum refert opinionem aliorum asserentium, probabilius esse, quod aqua conuertatur in vinum, & vinum in sanguinem; in Catech. autem non inuenio in libro meo id, ad quod allegatur.

14 Et ideo probatur assumptum contrarium superius, nam aut dicitur aquam remanere aquam, & hoc non potest esse, quia per sumptionem illius cum sanguine sacerdos non remaneret ieiunus, & consequenter non posset aliàs missas in die natalis Domini celebrare, vt aduertit *Gl. in §. cit. v. transit*, nec verificarentur verba formę; Vel conuerti in illam, quæ fluxit de latere Christi, & nequidem esse potest, quia pari modo non verificarentur verba formæ; aut dicitur conuerti in phlegma, & hanc opinionem, vti nefariam improbat

15 idem *Innoc. in c. in quadam 8. eodem. tit.* Aut tandem prius conuerti in vinum, & hoc, vel asseritur fieri naturaliter ante consecrationem, & omnes hoc concedunt; aut miraculosè casu, quo ex defectu temporis, vel ex alijs accidentibus, vt supra non fuisset adhuc in vinum conuersa, & gratis asseritur, dum scitum est, etiam in humanis non esse multiplicanda entia sinè necessitate, & consequenter, cum possit vno miraculo mutari aquam in sanguinem, non est cur concedi debeat eorum multiplicatio, prius in vinum, & postea in sanguinem; legimus .n. in Euangelijs, numquam Christum signa fecisse, nisi deficientibus omnino medijs humanis, & magna concurrente necessitate *Ioan. c. 6.* & alibi.

Num quælibet quantitas panis, & vini possit consecrari? quid de guttis vini existentibus intra, vel extra calicem? & an materia debeat esse, & quando dicatur præsens?

SVMMARIVM.

1 *Materia consecrationis corporis Christi, licet valida sit in quauis minima quantitate, dummodo sensibilis sit, sacrilegium tamen esset consecrare in fragmento, sicuti etiam in magna quantitate. Idem dicitur de consecratione vini n. 2. 3. & 4.*

5 *Materia consecrationis debet esse definita in mente sacerdotis, quia indefinita non consecratur & n. 7.*

6 *Voluntas incerta non parit consecrationem; sicuti nec dispositionem testamentariam.*

8 *Sacerdote existimante habere vnam hostiam in manibus ad consecrandam, si postea reperiantur duæ, an ambæ dicantur consecrata, & quid si intentio ferretur ad illam vnam tantum oculis suppositam?*

9 *Hostijs super corporali, vel altari suppositis inscio sacerdote, non fit in illis consecratio. Quæ inualida est materia secundum Dei intentionem absque definitione. n. 10.*

11 *Pixide cum particulis posita ex inaduertentia in cornu altaris, licet in accessu ad illud præcesserit intentio eas consecrandi, an remaneant consecrata absque alio intentionis actu?*

12 *Vini guttis repertis intra, vel extra calicẽ, an in dubio censeantur consecrata? & num sacerdos peccet non porrigendo intentionem consecrandi ad vinum existens in calice per modum continui?*

13 *Sacerdos in dubio censetur habere intentionem consecrandi vinum, quod per modũ vnius intra calicem existit. Abstergens guttas existentes intra calicem separatas à continuo post consecrationem, an peccet mortaliter? n. 14.*

15 *Materia consecranda debet esse præsens, ita vt possit verificari pronomen (hoc) vel (hic) in forma contentum, & quid de materia distanti viginti passibus n. 16. & 17.*

Hostia

18 *Hostiæ cõtentæ in pixide cooperta, & vinũ in calice cooperto possũt cõsecrari. Si existãt in pixide intra custodiam, an possint consecrari? n. 19. 23. 24. & 26. quid de pane, & vino in arca vel vase existentibus n. 20. & 21. vel post pariete n. 22. & 25.*

27 *Sacerdos cæcus an possit consecrare?*

Resolutio LIII.

1 AD primum si de paruitate materiæ loquimur, siuè sit separata à toto, vel parte, siuè coniuncta, E.G. cum hostia, vel eius parte, potest consecrari, dummodò sit sensibilis; quia quantumuis modica sit, dummodò designari possit, panis est & rectè applicantur verba formæ cum pro nomine (hoc;) etenim iuxta verba *D.Tho.* quæ canit Ecclesia, tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur, manet ibi totus Christus, qui non posset manere, nisi præcessisset consecratio; si ergo est in quolibet fragmento post consecrationem, potest etiam in quolibet fragmento consecratio fieri; secus autem si nullo modo sit sensibilis, vt nequeat designari, nec videri.

2 Quod idem procedit in vino absque difficultate, vt ex eodem *San. Duran. Gabr. & alys antiquis firmat Suar. to. 3. disp. 43. sect. 7. §. 1. & post eos Bonac. ex Valent. Henriq. Regin. & alys recentioribus to. 1. disp. 4. q. 2. pun. 5. n. 1.* sed istud est intelligendum de validitate sacramenti; quia tàm circa adeo modicam, quam magnam quantitatem, de qua mox dicemus, esset graue sacrilegium consuetudinem Ecclesiæ sic excessiuè prætereire *Tolet. lib. 2. c. 25. n. 5. Suar. cit. §. dico ergo.*

3 Si verò de magna quantitate sermo sit, siuè in pane, siuè in vino ità scribit *D.Tho. in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. in fine*; Vnde & si aliquis sacerdos intenderet consecrare magnam quantitatem panis, & vini, non ad vsum fidelium, sed in irrisionem, esset consecratum, non tamen dico quod posset consecrare totum panem, qui est in Ciuitate simul, vel qui est in foro, quia ipsa forma prònomine demonstratiuo vtens ostendit, quod materia consecranda debet esse coram sacerdote; vnde sacerdos, existens in domo sua, non posset consecrare panem, qui est in Altari, quod etiam non potest de toto pane, qui est in foro, neque de toto vino, quod est in cellario, sed quan- 8 tacumque sit quantitas panis, & vini, quæ coram sacerdote proponitur, credo quod 4 possit consecrari ab ipso. hæc ille. Idem dixit *par. 3. q. 74. art. 2.* rationem tradit *Suar. vbi sup. §. 3.* quia st. ex fide habemus, dedisse Christum sacerdotibus potestatem consecrandi panem, & nulla authoritate, aut alio principio constat eam limitasse ad certum terminum, sed potius simpliciter, & indefinitè illam tradidisse, & propterea subdit in *§. respondetur ergo*; totam illam quantitatem posse consecrari, quæ potest sensibus demonstrari per pronomen (hoc,) sed est necesse ex parte 5 sacerdotis ad validam consecrationem agendam, vt materia consecranda siuè panis siuè vini sit definita in eius mente, s. n. esset indefinita, seù indeterminata, non posset concludi sub verbis formæ.

Hinc est, quod si quis habeat præsentes octo hostias, & intendat consecrare sex tantum, non determinando illas, sed in confuso, nullæ erunt consecratæ; quod probatur; nam non sunt omnes consecratæ, quia hoc non fuit in intentione, neq; hæ potius, quàm illæ, quia non determinauit, ergo nulla idem *Suar. disp. 43. sect. 6. §. 2. ex Maior. Duran. Ricchar. & alys, & post eos Henriq. lib. 8. c. 14. n. 20. Regin. lib.* 6 *29. n. 18.* quod etiam probatur *arg. l. duo sunt Tity ff. de testament. tutel.* vbi dato Tutore Titio per testatorem, qui habebat Patrem, & filium, & ambo vocabantur Titij, nullus fuit admissus ad Tutelam propter incertitudinem voluntatis testa- 7 toris; Quod autem dicitur de pluribus hostijs, idem erit de vna, si sacerdos intenderet consecrare tertiam, vel quartam eius partem absque determinatione cuius, nam idem ius est de parte quoad partem, sicut de toto quoad totum, *l. quæ de toto ff. de rei vendic.* quod ex alijs medijs probant *Sylu. v. Eucharistia 2. q. 7. Regin. & alÿ locis cit.* secus verò si designaret quantitatem eiusdem hostiæ, quam consecrare intenderet, quia remaneret consecrata, non obstante coniunctione cum alia parte non consecrata *Suar. cit. §. penult. ex relat. Author.* quod meritò tradunt prò communi, cum adsint materia certa, forma & intentio; sed grauiter peccat taliter consecrans propter irreuerentiam, quia vix poterit postea separari pars consecrata à non consecrata.

Item si sacerdos consecrando, putaret habe-

habere vnam hoſtiam in manibus conſecrandam, & poſt conſecrationem inueniret duas, ambò erunt conſecratæ, quia illa eſt priuata deceptio, non tollens intentionem debitam, quæ ſupponitur eſſe conſecrandi materiam præſentem pro vt in re proponitur, ſecus verò ſi præciſam intenſionem haberet cõſecrandi illam vnam, oculis ſuppoſitam *Sylu. V. Euchariſtia 2.qu. 6. Suar. dicta ſect. 6.§.3.* qui idem ex multis addit, miniſtro deferente ad Altare plures hoſtias conſecrandas, ſi poſtea in actuali conſecratione recordetur eius tantum, quam habet in manibus, omnes nihilominus manere conſecratas ex vi intenſionis præcedentis, dummodò ſint ſuper Altare ſacrificij, ideſt ſuper Aram, quod antea docuerunt *Angel. V.Euchariſtia num. 27, Nauar. cap. 25. num. 91. Tolet. cap. 25. lib. 2. num. 8. Henriq. loco cit.& Regin.n.25.*

9 Ex contrario non erunt conſecratæ hoſtię, quas quis inſcio ſacerdote appoſuit ſuper corporale, vel alibi ſuper Altare, quia intenſiò ſacerdotis non fuit ad illas porrecta actualiter, nec virtualiter *Bonac. diſp.4.q.2. pun. 5 num. 8. ex Coninc. Chamer. Nugn. & alys, & communem dixit P.Dia. par.9.tract. 8. reſol. 68. ſed addit rectè Bon.* ex eiſdem non valere conſecrationem illarum hoſtiarum ſecundum Dei intenſionem, ſi plures eſſent coram ipſo, non determinante, quas conſecrare vellet, quia ſacerdos debet habere intenſionem humano modo determinatam, aliàs ſciri non poſſet, quæ eſſent conſecratę niſi per Diuinam reuelationem.

11 Quod ſi ſacerdos ante acceſsum ad Altare habuerit intenſionem conſecrandi particulas poſitas in pixide, quæ ex inaduertentia non fuit poſita ſuper corporale, ſed in cornù Altaris, fuit dubitatum per *DD. apud P. Dia. par. 5. tract.14. reſol. 19.* an remaneat conſecratæ? & quamuis ipſe rationabiliter negatiuam opinionem aſtruat, quam ego quoque latè probabo infra *reſol. 60.n. 19.* attamen multi *in dicta reſol. 19.* affirmatiuam ſunt ſecuti, quam ipſemet. P.non improbat.

12 Ad ſecundum de hoc fuit dubitatum diebus præteritis, & dicebat quidam Theologus, illas guttas non ſolum eſſe ſimpliciter conſecratas, ſed tot peccata committere ſacerdotem, quot guttæ eſſent, cum ſcitum ſit, mortale eſſe conſecrare vinum ſinè aqua, ſed illæ guttæ ſunt ſinè aqua, ergo. verum nimis ſcrupuloſa fuit hæc opinio viſa multis, etenim eſt inconfeſſo apud omnes, vt ait *Coninc. de Sacra. q.74. art. 2. dub.3. n. 43.* guttas extra calicem exiſtentes, non eſſe conſecratas; de guttis verò intra calicem, tam poximis, quam remotis à labro calicis.idem cenſuit *Suar. to.3. diſp. 43.ſect. 6. §. ſed obyciet in fine cum Coninc. citat.* cuius verba recitat *P.Dia.par.2.tract. 17. reſol. 16.* quia niſi conſecrans, aliud ex-

13 preſsè intendat, cenſetur habere intentionem conſecrandi vinum, quod per modum vnius continui intra calicem exiſtit, quod debet ſemper conſultò facere ſacerdos, licet expediens ſit ſecundum eos abſtergere prius omnes guttas, etiam remotas; *Bonac. tamen to. 1.diſp 4.q.2.pun.5 num. 7. ex mente, vt ipſe dicit Tolet. & Coninc.* voluit, guttas intra Calicem remanere conſecratas; ſed *Tolet. cit. ſub n. 5.* loquitur de guttis exiſtentibus extra Caliccm, & quod non ſint conſecratæ, prout etiam Coninc. videtur potius docuiſſe contrarium; ſed nec iſti, nec idem Bonac. aut *Regin. lib.29. cap. 2. n. 19.* quem ipſe impugnat, vel alij dixerunt committi, per hoc tot mortalia, vel vnum mortale; etenim licet tale ſit, quandò non miſcetur aqua in toto vino data opera, vt inpriori *reſol.n. 8.* non ex hoc poterit deduci eodẽmodo committi vnum, vel plura, quando iſtud in guttis euenit ex accidenti, & præter intenſionẽ ſacerdotis, qui ſupponitur velle omnia probe, & rectè

14 gerere. Solùm autem fuit probabiliter dubitatum apud *Dia.dicta reſol.16.* an mortale cõmiſiſſet ille, qui poſt conſecrationẽ abſterſerat guttas, quæ erant intra Calicem ſeparatæ à continuo, & fuit reſponſum negatiuè, ex quò ſupponebantur non conſecratæ, & vtique ſi fuiſſent conſecratæ, potuiſſet mortale contrahi ob irreuerentiam ſanguinis abſterſi, non autem ſi fuiſſent reuerenter cum alio ſanguine aſſumptæ, vt fieri ſolet.

15 Ad tertiũ ait *Suar. to.3. diſp.43.ſect.5.in princ.* hãc quęſtionẽ D.Th.omiſiſſe, fortaſſe quia ex cognitione, ſeu ſcitu formæ pendet ex cuius vi neceſsè omninò eſt, materiã conſecrandam eſſe præſentem, aliàs non verificaretur pronomen (hoc), vel (hic) in illa contentum; & proinde ſublato hoc fundamento ędificium conſecrationis rueret *c. cum paulus 1. q. 1.* ſed quæ, & qualis debeat eſse hæc præſentia, ipſe idem ex *Duran. Palud, & alys in §. ſed quæres in fine* fatetur certam regulam aſſignari non poſſe

ſolum-

ſolumque Chriſtum,qui hoc ſacramentum inſtituit, poſse huius præſentię certum ter-
16 minum deſignare Quamobrem videtur improbabilis opinio *Henriq, lib. 8. cap. 14. num. 2.* vbi voluit poſse conſecrari materiam diſtantem viginti paſſibus; quia non poſset deſignari propriè per pronomen (hoc) ſed potiùs diceretur (illud), per quod verbum dum mutatur forma,certum eſt quod non fieret conſecratio (*Coninc. & Regin. citat.apud Bonac.pun. 6. n.* 11. poſset
17 tamen conſecrari materia,quæ eſset à tergo Sacerdotis, dummodò tangeretur ſaltem digito, quia verè diceretur (hoc eſt) *Gregor de Valent. to. 4. diſp. 6. q. 2. pun. 3. Regin. dicto lib.29.num. 16.& alij.*

Verum ſi materia ſit coram ſacerdote, poteſt conſecrari, etiam ſi actù non tangatur, quia realiter poteſt dici præſens, & quotidie (vt ait Suar. vbi ſupra) conſecramus formulas ſuper Altari exiſtentes,quàuis in manibus non habeamus; non debet autem eſse nimis diſtans, etiam ſi oculis rectè cerneretur, ſed non poſset deſignari, vt dictum eſt, per pronomen (hoc) Hoſtias
18 autem in pixide cooperta contentas, vel vinum in Calice cooperto, non dubitatur conſecrari poſse, dum ex *D. Tho. par. 3.q. 74. art.2. in corp.* habetur poſſe conſecrari vinum in dolio incluſum, & in ſpecie hoc docent *Suar. Henriq.Regin.& Coninc.loc.cit.*

19 Ex quibus à ſimili videretur conſecrari etiam poſſe hoſtias exiſtentes intus cuſtodiam; quod tamen negat *Bonac. cit. num 9. & citat Suar.Coninc.Regin.& Filliuc.* qui videntur contrarium dicere, excepto Coninc. *Suar.n. dicta ſect. 5. §. difficultas verò,* exemplificando dictum pronomen (hoc) in materia,de qua loquimur dicit,quod de argento exiſtente in arca clauſa, & præſenti poteſt verè, & realiter dicere Dominus eius, hoc argentum eſt meum, er-
20 go ſi in eadem arca clauſus eſſet panis, poſſet ſimiliter dicere ſacerdos,(hoc eſt Corpus meum), & dubitando addit,quod ſi hoc ſatis eſt, poſſemus totum panem in aliquo cubiculo clauſum, illo pronomine deſignare, & conſecrare.

Regin. verba lib. 29. cap. 2. ſub num. 16.
21 ſunt videlicet,& ſic panis, vel vinum velo aliquo opertum, aut in vaſe incluſum conſecrari poteſt, quia id non tollit præſentiam ſecundum humanum modum, ita vt ea propriiſſimè deſignari poſſit per pronomen (hoc), ſeruata eiuſdem propria ſignificatione; namque continens, & contentum, quoad præſentiam, per modum vnius deſignantur; ſic n. de ſacculo, in quo quis pecuniam habet,propriè dicit,hæc eſt mea pecunia,& de anphora vini, verè dicit, hoc
22 eſt meum vinum; ſi quidem ſit iuſtus poſſeſſor, panis verò, vel vinum, exiſtens poſt parietem, non poteſt conſecrari ex omniũ DD. ſententia, vt notat Suar. quia rè vera humano modo eſt abſens, nec de eo propriè diceretur, hic eſt,ſed illic eſt vinum, hucuſque Regin.

Filliuc. tract. 4. cap. 3. num. 69. hoc tit. dicit, non eſſe neceſsè vt tota diſtantia pateat oculis; nam etiam ſi formulæ ſint in cuſtodia clauſa,aut occultatæ ſub alijs formulis, aut coopertæ velo, ſatis eſt, non ita ſi paries intercederet, & citat *Henriq. lib. 8. cap. 14. ſub. n. 2.* qui ait de more ſeruari, vt ſacerdos formulas in cuſtodia etiam clauſa incluſas, aut ſub alijs formulis occultatas ſimul conſecret, licet nec panem illum videat, nec tangat, vt poteſt vinum
24 in Calice cooperto; Solùs ergo *Coninc. qu. 74. ſub hoc tit. num. 22.* negat ibi. *idem ob eandem rationem dicendum eſt de pane latente ſub mappa Altaris vel Corporali, vel clauſo in tabernaculo non poſſe st. conſecrari.* Quod tamen dictum ſubſtineri nequit, etenim dum omnes concedunt poſſe, vt dictum eſt, hoſtias in pixide præſenti clauſas conſecrari, quare non poterunt poſitæ ſub mappa vel corporali? vnde tam ex relatis DD; quam principaliter authoritate D.
25 Tho. cit. docentis poſſe vinum, in dolio clauſum conſecrari, ego non dubito poſse etiam hoſtias in cuſtodia clauſas conſecrari, quia ſi loquimur de quantitate, maior quantitas vini eſt in dolio, quam poteſt eſſe panis in cuſtodia; & ſi de clauſura, qua vtrumque recluditur, maior eſt illa, quàm iſta; quinimmo pronomen (hoc) propriùs applicatur iſti, quam illi,vt patet.

Poſt hæc ſcripta gauiſus ſum inueniſse *Leandr. hoc tit. to. 2.tract.7. diſp. 8.q.63.*qui meam opinionem docendo,ita loquitur, *an*
26 *hoſtia exiſtens in ſacrario, aut tabernaculo clauſo poſſit valide conſecrari? probabiliter reſpondeo poſſe validè, quamuis non licitè, ſi alias id ſciret Sacerdos, non ex relatione alterius, ſed ex ſemetipſo; quia ſufficienter demonſtratur contentum per proximum continens, ergo illo demonſtrato, demonſtratur, & contentum; eo magis cum non obſit prohibitio aliqua;* contrarium dicit *P.Dia.par.x.tract.*

16. resol. 40. §. penult. in fine se alibi docuisse, sed non citat locum, nec ego inueni vbi, quãuis suos codices perquisierim.

27 Item cæcus potest materiam sibi præsentem consecrare, licet actù non videat, sed solum tangat, vt dicunt DD. relati, præcipuè à *Bonac. vbi supra n. 5.* estque in Ciuitate Neap. Sacerdos cæcus, nomine Michael Carbonus actù celebrans; nescio tamen si cum assensu Apostolico; ex quibus potest ad aliorum casuum occurrentium decisionem deueniri, cum nequeant omnes vnica, vel multiplicata oratione comprehendi; ex decisione n. vnius infertur ad alium similem, vt dicit *Iulian. I. C. in l. non possunt ff. de legib.* vna siquidem determinatio respiciens plura determinabilia, debet ea æqualiter determinare *l. iam hoc iure de vulg. & pupill.* substit.

De forma Sacramenti Corporis, & Sanguinis Christi, quid illa operetur? & de alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Forma consecrationis panis in Sacramento Eucharistiæ, Qua si mutetur accidentaliter, validum est Sacramentum, secus si substantialiter n. 3. An sit vera? n. 5.*

2 *Particula (enim) omissa in forma consecrationis panis, validum est Sacramentum; & citra contemptum non est mortale.*

4 *Error in grammatica non inualidat formam consecrationis.*

6 *Oratio quando dicatur perfecta, & quando imperfecta?*

7 *Consecrationis vini forma quæ sit? & an omnia illa verba sint de essentia num. 8. vsque ad 10.*

11 *Sacerdos profert verba consecrationis in persona Christi. Quibus prolatis cum debita intentione super debita materia, statim est ibi verum Christi Corpus, sicut est in Cœlo, etiam sub quolibet fragmento, & vini gutta n. 12. cum anima, & Diuinitate ex reali concomitantia num. 13. & 14.*

15 *Pater, & Spiritus Sanctus adsunt in Sacramento Eucharistiæ, sed mediate, verbum autem immediatè ratione vnionis hypostatica per Incarnationem, & n. 16.*

17 *Corpus Christi an sit totum sub quolibet fragmento, etiam ante diuisionem hostiæ? & num. 18. & 19.*

Resolutio LIV.

1 Forma consecrationis panis, est illa, qua Christus vsus est in consecratione eiusdẽ, relata apud *Matth. c. 26. nempe, hoc est Corpus meum*, quam conuenientissimam esse eleganter probat suo more *D. Tho. par. 3. q. 78. art. 2. in corp.* hacque forma perpetuò Ecclesiam Catholicam vsam esse, concurrente innumerabili PP. authoritate testatur *Catech. Rom. hoc tit. par. 2. num. 19. sequitur Belarm. eod. tit. cap. 3.*
2 *num. 2.* Vtrobique habetur, illam particulam (enim) quæ destylo in forma adiungitur, non esse de essentia, sed de consuetudine Ecclesiæ, deriuata à B. Petro Apost. vt idem *San. cit. ad 5.* docet, & propterea, eam omittere, dicunt non esse sine peccato, idem voluerunt *Richar. Victor. Sotus, & aly apud Suar. to. 3. de Sacram. disp. 59. sect. 1. §. sed quæres*; nullus autem ex eis aperit, an sit mortale, nisi solus Marsil. ab eodem relatus; qui tamen consulto mediam viam elegit, quod sc. si hoc fiat citra contemptum, non sit mortale, si secus, contra. idem docet *Henriq. lib. 8. cap. 16. num. 4. ex multis Coninc. & alij apud Bonac. disp. 4. qu. 3. pun. 1. num. 10. P. Dia. p. 2. tr. 17. res. 14. & par. 5. tr. 14. res. 78. S. notandum.*

3 Forma ergo prædicta adhibita super materiam debitam, validè conficitur Sacramentum, etiam si accidentaliter mutetur, non autem si substantialiter. exemplum primæ est si quis diceret (hic cibus est Corpus meum) vel (hæc res est corpus meum) vel (hic est corpus meum) dummodò illud pro nomen (hic) non sumatur aduerbialiter, exemplum secundæ, si quis diceret (hoc fit corpus meum) vel tolleret pronomen (hoc) cum similibus gratia exempli traditis per Suar. loco cit. *sect. 2. & per Henriq. vbi supra num. 2. Dia. p. 5. tr.*
4 *14. resol. 76. 77. & 78.* Facit pro primo assumpto tex. in *l. Imperator Titus cum Gl. ff. de statu homin.* à nemine eorum allegatus, vbi error in grammatica, salua rei substantia, non vitiat, sed grauiter peccat, qui ex contemptu consuetudinem Ecclesiæ mutat, secus si ex ignorantia, quod idem intelligas de mutatione formæ consecrationis vini ex paritate rationis, vt late prosequuntur Authores relati locis cit.

5 Sed

5 Sed fuit dubitatum apud eundem *Sanctum vbi ſupra art. 5.* num hæc locutio ſit vera (hoc eſt Corpus meum)etenim quādo profertur illud pronomen (hoc), adhuc eſt ibi ſubſtantia panis, quia tranſubſtantiatio panis in Corpus Chriſti non fit, niſi in vltimo inſtanti pronuntiationis totius formæ, ſeu illius adiectiui (meum); ergo dum quando profertur pronomen (hoc) non eſt ibi Corpus Chriſti, ſed panis,falsò dicitur (hoc eſt Corpus meum.)reſpondet idem San. reiectis alijs opinionibus, quod hæc dictio (hoc), donec compleatur pronunciatio totius formæ, demonſtrat ſubſtantiam, ſed abſque determinatione propriæ naturæ; ſeù quod (hoc) contentum in generali ſub ſpeciebus panis, & vini (de vtroque .n. procedit dubitatio) eſt corpus meum.

6 Exemplum tradit Caiet. ibidem ex oratione perfecta v.g.Magiſter eſt doctus, ſed finge aliquem dicere (Magiſter)ſeù adiuncta copula (Magiſter eſt) certe nihil ſignificat, & poteſt ſe habere ad plures. & diuerſas ſignificationes, donec perficiatur oratio per adiunctionem prædicati, v. g. Magiſter eſt doctus, vel indoctus, & huiuſmodi; & ſic per pronunciationem illius pronomiuis (hoc) ſeù etiam cum adiunctione copulæ (eſt) adeſt ibi ſubſtantia ſicut in exemplo magiſtri, ſed in generali, donec compleatur oratio per adiunctionē prædicati sc. (Corpus meum;) in quo vltimo inſtanti fit tranſubſtantiatio,determinatur oratio, & verificatur propoſitio; & hoc in effectu, licet latius docent *Suar. diſp. 58. ſect. 7. Henriq. lib. 8. c.19. n.1. Valent. to.4. diſp. 6. q.6. pun.2. & aly* quam plures apud eos.

7 Forma verò conſecrationis vini,eſt v[illegible] hic eſt calix ſanguinis mei, vel hic eſt ſanguis meus, cætera verò, noui & æterni teſtamenti cum alijs,ſunt tantum de neceſſitate præcepti *Tolet. in ſumma lib. 2. c. 26. n.1. Valent. cit. pun. 1. circa finem, Henriq. c.16. n.1. & c.17. n.2. Eman sà v. miſſa n.5. Regin. lib.29. n.61.* & alij, ratio eſt, quia ſicut in conſecratione panis, illa eſt forma ſufficiens, nempe hoc eſt corpus meum, vt modo dictum eſt, ita proportionabiliter in conſecratione vini, eſt prædicta, aliàs rationes, multarumque PP. authoritates re-

8 fert *Suar. diſp. 60. ſect. 1.* Et licet *D.Tho. par.3. q.78. art.3.* voluerit, omnia prædicta verba eſſe de neceſſitate ſacramenti ſecundum expoſitionem eiuſdem Suar. in fine, qui propterea in commentario eiuſdem articuli refert Sotum, Ledeſin & alios Thomiſtas expoſuiſſe ſanctum, vt prima tantum nempe (hic eſt calix ſanguinis mei) dixerit eſſe de neceſſitate ſacramenti, reliqua verò de neceſſitate præcepti, ipſe tamen Suàr. acriter inuehit contra vtroſque, dicens,ideo illos hoc dixiſſe, quia non poterant alio modo defendere ſanctum, quaſi quod locutus fuerit contra

9 communem omnium ſententiam; ſed parcat mihi, nam idem *Sanctus in 4. ſentent. diſt.8.q.2.art.2.quæſtiunc.1.*referēdo opinionem cōtrariam dixit,ſuam eſſe probabiliorem, & ex hoc, & alijs inferunt prædicti Thomiſtæ, dum priorem non negauit ſanctus eſſe probabilem, voluiſſe etiam priora verba eſſe de neceſſitate ſacramenti, cætera verò præcepti.

Accedat quod in *Catech. Rom. ſub hoc tit. par. 2. n. 21. & apud Bellarm. eodem tit. c. 3. n.4.* legitur omnia prædicta verba eſſe de forma conſecrationis, quia omnia vſq, ad ibi (in remiſſionem peccatorum) fuerunt tradita ab Apoſtolis, & à S.Luca, illa verò (æterni & miſterium fidei) ſanctam traditionem Catholicæ veritatis interpretem, & cuſtodem nos docuiſſe. Imo etiam

10 ſubtilis Scotus relatus à Valent. loco cit. dicit eueniente caſu, quo ſacerdos prolatis tantum verbis (hic eſt ſanguis meus) moreretur, adorandum eſſe calicem ſub conditione, cum non exiſtimet pro certo factam eſſe conſecrationem abſque verbis

11 ſequentibus; Quod autem verba vtriuſque formæ proferantur à ſacerdote in perſona Chriſti, non eſt, qui ignoret, dum conſtat ex verbis antecedentibus ſacræ paginæ, vbi prædictæ formæ referuntur, aliàs eſſent falſæ; cum non ſit verum per illarum prolationem adeſſe ibi corpus ſacerdotis, ſed Chriſti, vt docent omnes ex *D.Tho.vbi ſup. art.5.*

12 Formis ergo, vel vna, vel altera, vel ambabus per ſacerdotem prolatis ſuper debita materia cum debita intentione, certum, & de fide eſt adeſſe in vtraque verū Chriſti Corpus, Deum atque hominem, *Trid. ſeſſ. 13. c.1. neque .n. hæc inter ſe pugnant* (aiunt ibi PP.) *vt ipſe Saluator noſter ſemper ad dexteram Patris in Cœlis aſſideat iuxta modum exiſtendi naturalem, & vt multis nihilominus alijs in locis ſacramentaliter præſens ſua ſubſtantia nobis adſit, ea exiſtendi*

ratione, quam & ſi verbis exprimere vix poſſumus, poſſibile tamen eſſe cogitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſſumus, & conſtan-
13 *tiſſimè credere debemus*. Imo totus integer Chriſtus ſub quauis ſpeciei parte exiſtit, corpus quidem ſub ſpecie panis, & ſanguis ſub vini ſpecie, vna cum ipſius anima & diuinitate; ipſum autem corpus ſub ſpecie vini, & ſanguis ſub ſpecie panis, animaque ſub vtraque ex vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quæ partes Chriſti Domini, qui iam ex mortuis reſurrexit, non amplius moriturus, inter ſe copulantur idem *Trid. c.3.& can.1. 2. & 3.* quæ omnia latius explicant *D. Tho. d.3. par. q.76. art.1.2. & 3. Tol. lib.2. c.27. n.4. Gregor. de Valent. to.4. diſp.6.q.4. pun. 2. Henriq. lib. 8. c.25. n.2. c.26. & 27. n.1. Regin. lib.29. n.38. & 39. & alij*.

14 Adde non ſolũ in ſanguine ſub ſpecie vini adeſſe Corpus Chriſti, prout in corpore ſub ſpecie panis adeſt ſanguis vt dictum eſt, & docet *D. Tho. par.3.q.76.art.2. in corp. ibi, nam ſub ſpeciebus panis eſt quidem Corpus Chriſti ex vi ſacramenti, ſanguis autem ex reali concomitantia; ſub ſpeciebus verò vini, eſt quidem ſanguis Chriſti ex vi ſacramenti, Corpus autem Chriſti ex reali concomitantia, ſicut anima & diuinitas, & quia nunc ſanguis Chriſti non eſt ab eius corpore ſeparatus, ſicut fuit tempore paſſionis, & mortis; vnde ſi tunc fuiſſet hoc ſacramentum celebratum ſub ſpecie panis, fuiſſet Corpus Chriſti ſine ſanguine, & ſub ſpecie vini, ſanguis ſine corpore,*
15 *ſicut erat in rei veritate*; *Sed etiam ex vi eiuſdem concomitantiæ adſunt in qualibet ſpecie, vel eius minima parte tres diuinæ perſonæ, Pater st. Filius, & Spiritus Sanctus, cum n. in hoc ſacramento ſit humanitas Chriſti ſuſtentata diuino ſuppoſito, quod identificatur cũ Patre, & Spiritu Sancto, ſequitur adeſſe in eodem ſacramento Patrem, & Spiritum Sanctum, ſed magis præcipue, & immediatè Filiũ ratione vnionis hypoſtaticæ per incarnationem; & propterea quando hoc ſacramentum ſumimus, dicimus comedere Chriſtum Dei Filium, non autem Patrem, & Spiritum Sanctũ* Henriq. *lib. 8. c. 26. n.3. Bonac. to.1. diſp.4. q.3. pun.5. n.16.*

16 Et addit *Suar. diſp. 51. ſect. 6. in fine*, quod quamuis Pater, & Spiritus Sanctus propter naturalem connexionem, quam habent cum perſona verbi mediante diuina natura, neceſſario ſint vbi eſt illa, non tamen terminando eandem vnionem in qua prædictæ denominationes fundantur; Quo circa licet Pater & Spiritus ſanctus dici poſſint eſse hic per concomitantiam, aliter tamen quam verbũ & diuinitas, nam verbũ eſt immediatè tamquã propriũ ſuppoſitum humanitatis, diuinitas verò ſecundum rationem quidem mediatè, ſecundum autem rem, immediatè, quia eſt idem cum verbo; & cum illo verè eſt humanitati vnita, Pater autem & Spiritus Sanctus omninò mediate etiam ſecũdum rem; realiter .n. diſtinguuntur à verbo, & ideo cum humanitate non habent vnionem realem, ſed ſolum intimam præſentiam. vide etiam *Tolet. lib. 2. c. 27. ſub n. 4.* vbi clarius hoc idem docet.

17 Illud autem quod dictum eſt, ſub quauis minima parte ſpecierum panis, vel vini eſſe totum Chriſtum, intelligunt aliqui tam poſt factam diuiſionem ſpecierum, quam etiam antea, nam licet ex *Tridens. ſeſſ. cit. can. 3. ibi (ſub ſingulis eiuſque ſpeciei partibus, ſeparatione facta, totum Chriſtum contineri)* videretur dicendum contratium ante ſeparationem; idem tamen dixerunt multi cum *Suar. diſp.52. ſect.2. §. dicendum verò*, vbi communem eſse ſententiam omnium Theologorum ait, & multis rationi-
18 bus hoc probare conatur. Sed ex hymno eiuſdem D. Tho. quem recepit, & canit Eccleſia ibi, tantum eſt ſub fragmento, quantum toto tegitur, videtur priorem ſententiam cum Trident. amplectendam; etenim ſi tantum eſt ſub quolibet minimo fragmento, etiam indiuiſibili, quantum eſt in toto, ſequitur non eſse in tota hoſtia, niſi ſemel totum Chriſtum, quantum eſt ſub fragmenro idem voluere ex antiquis. *Altiſiodor. lib. 4. ſumma. tract.5. c.4. Albert. in 4. diſt. 13. art.11.* dicentes, eſse st. totum Chriſtum in qualibet minima parte poſt diuiſionem, antea verò totum ſemel in tota hoſtia, quibus fauet Trident. cit. & etiam Florent. hancque ſententiam, neque alios antiquos Theologos damnaſse teſtatur idem *Suar. d. ſect.2. §. ſed quæres*, vbi fatetur, neutram eſse de fide, ſed ſuam probabiliorem, contrariam autem erroneã, vel errori proximam.

19 Verum inter has difficultates ego adhæreo doctrinæ eiuſdem *Sancti 3. par. q. 76. art. 3. & in 4. diſt.10. q.1. art.3. quæſtiunc. 3. ad 1. ibi & ſimiliter, Corpus Chriſti ante diuiſionem hoſtiæ, quamuis ſit totum ſub qualibet parte hoſtiæ, non tamen eſt pluries actu*

ſub

sub partibus illis, sed tantum potentia, nec est inconueniens quod sit ibi infinities in potentia hæc ille. ex vi cuius distinctionis cessat inconueniens, quod oriretur ex priori sententia, quod st. si daretur Corpus Christi esse sub qualibet minima parte totum ante diuisionem, sequeretur reperiri infinities repetitum in eadem hostia, & consequenter infinities recipi singulis diebus à quolibet sacerdote; nam respondet idem San. ibidem non recipi, nisi semel in actu in qualibet hostia, infinities tamen in potentia.

Agitur de transubstantiatione panis, & vini in Corpus, & sanguinem Christi, & quando incipiat, vel desinat esse Corpus Christi sub eisdem accidentibus?

SVMMARIVM.

1 *Transubstantiatio quid sit exemplificatur, quidue transformatio n.2.*

3 *Conuersio partialis, & substantialis quæ sint, & quæ accidentalis n.4.*

5 *Creatio quid sit, & quomodo differat à transubstantiatione, quidue annihilatio n.6.*

7 *Substantiæ panis, & vini, secuta transubstantiatione nihil remanet, sed tota conuertitur in corpus, & sanguinem Christi.*

8 *Species panis, & vini, seu accidentia eorum stant in sacramento sine subiecto, quamuis secundum legem naturæ non possint separari à re, cuius sunt accidentia; quia non possunt esse sine subiecto n. 9. Impropriè hoc nomine vocantur, quia propriè dicuntur accidentia n. 10. item quæ sint in sacramento Eucharistiæ? n.11.*

12 *Christi corpus quando incipiat esse sub speciebus sacramentalibus? & an antea quam proferatur forma consecrationis vini? Item quamdiu ibi maneat post communionem? n.15.*

14 *Speciebus sacramentalibus corruptis, vel combustis desinit esse ibi Christus; ex contrario si in lutum cadant, vel abutantur, illis euomitis, si non sunt consumpta, semper manet ibi Christus; ex contrario à vermibus, vel muribus, vel canibus consumptis.*

17 *Sanguis Christi desinit esse sub speciebus vini quando corrumpuntur per mistionē alterius liquoris, specie distincti; sed manet, ibi si misceatur cum vino non consecrato, etiam magnæ quantitatis.*

18 *Christus non potest videri in sacramento à viatore, neq; à Beato, vel etiam ab Angelo naturaliter, & minus à dæmonibus.*

19 *Substantia Corporis Christi tantum, est in sacramento ex vi sacramenti, accidentia verò eiusdem ex reali concomitantia & n. 20.*

21 *Christus est in sacramento cum extentione partium in ordine ad se, non autem in ordine ad locum; sed est modus valdè supernaturalis & n.22.*

Resolutio LV.

1 Transubstantiatio ex *Trid. sess. 13. c.4. & can.2.* est conuersio, seu transitus vnius, & totius substantiæ in aliam; quod .n. conuertitur (ait *D.Tho.par.3.q.75.art.2. in corp.*) facta conuersione, non manet: exemplum tradit *Bellarm. lib. 2. dist. 6. sub hoc tit. c.4. n.4.* de cibo, & potu, qui per nutritionem conuertuntur in carnem, & sanguinem humanum, aliquo tamen temporis interuallo; quæ tamen conuersio in hoc sacramento fit in istanti, vt infra latius dicetur. Diximus totius substantiæ, ad
2 differentiam conuersionis partialis, per quam non tota substantia, sed sola forma desinit ad positionem alterius formæ, & ista dicitur trasformatio, quæ fit per generationem; substantia .n. corporea necessario habet duas partes quarum vna dicitur materia, altera forma, & in genera-
3 tione fit mutatio solum in forma, non autem in materia, qua manente, formæ mutantur, secus in transubstantiatione, per quam conuersa tota substantia vnius rei, in totam substantiā alterius, necessario fit cōuersio totius materiæ st. & formę.
4 Diximus etiam substantiæ, ad differentiam conuersionis accidentium, per quam vnum accidens desinit ad positionem alterius, sed non substantia, vt quando quis de albo fit rubeus, vel pallidus, & hæc dicitur potius mutatio, quam conuersio *Bellarm. cit. Suar. to. 3. disp. 50. sect. 1. in princ. ex eodem D.Tho. Bonac. to.1. disp.4. eodem tit. q.3. pun.6. §.1. n.1. & 2. ex Henriq. lib.8. c.25. n.1. & alijs.*
5 Hinc quoque patet transubstantiationem de qua loquimur, differre, etiam à creatione, & ab annihilatione;

tion e; quia creatio, non eſt deſitio, ſicut
6 tranſubſtantiatio,ſed poſitio alicuius rei in
eſſe, quæ non erat; annihilatio verò termi-
natur ad nihilum rei præexiſtentis, non
autem ad poſitionem alterius rei, priori
totaliter deficiente, ſicut tranſubſtantiatio
ita Authores cit. cum *Vaſq. diſp.* 83.*cap.*2.
in 3. *par.*
7 Quibus præmiſſis etiam patet, per tran-
ſubſtantiationẽ panis in Corpus Chriſti,&
vini in eius ſanguinem, mediante conſe-
cratione, nihil pænitus remanere de ſub-
ſtantia panis, & vini, ſed totam conuerti
in Corpus, & Sanguinem Chriſti, vt de-
8 claratur in *Trident. cit.* ſolis remanentibus
ſpeciebus panis, & vini abſque ſubiecto;
non n. ſubiectantur in ſubſtantia panis, &
vini, quæ deſijt, neque in ſubſtantia Cor-
poris, & Sanguinis Chriſti, cum non ſint
eius accidentia; ergo ſunt ſine ſubiecto
9 *D. Tho.par.* 3.*q.* 77. *art.* 1. Quod tamen
eſt impoſſibile ſecundum legem naturæ,ex
cuius ordine accidens rei,non poteſt ſepa-
rari à re, cuius eſt accidens, cum non poſ-
ſit accidens eſſe fine ſubiecto, vt patet in
albedine, nigredine, & cæteris accidenti-
bus, quæ non poſſunt ſtare de per ſe;Deus
autem, qui eſt ſuper legem naturæ, opera-
tur in Sacramento,vt ipſa accidentia panis,
& vini,ſecutis conſecratione, & tranſitũ de
tota eorum ſubſtantia, in ſubſtantiam Cor-
poris, & Sanguinis Chriſti remaneant abſ-
que ſubiecto *Catech. Rom. hoc tit. num.* 44.
ex c. nos autem de conſecrat. diſt. 2. *Bellarm.
cit. cap.* 5. *n.* 3. *in fine.*
10 Quæ quidem accidentia promiſcuè
Theologi vocant etiam ſpecies,ſed impro-
priè; cum ſpecies logicè, & propriè lo-
quendo, ſit illa, quæ prædicatur de pluri-
11 bus differentibus numero; in hoc autem
Sacramento accidentia, ſeù ſpecies dicun-
tur color, odor, ſapor, quantitas, & figu-
ra, & iſta non mutantur in aliud,ſicut ſub-
ſtantia, ſed manent eadem poſt conſecra-
tionem, ſicut erant priùs, illo ſolum addi-
to, quod ante conſecrationem erant acci-
dentia ſubſtantiæ panis, & vini, poſtea ve-
ro non ſunt accidentia Corporis & San-
guinis Chriſti, ſed ſolum ſymbola eius,
ipſumque Sacramentum, & ſignum rei Sa-
cræ, vt ex eodem *Catech. cit. n.* 47. *tradit
Bellarm. vbi ſupra d.c.* 5.*n.*2.*&* 3.de quo ta-
men latiùs infrà reſol. 64. n.1.
12 Ad ſecundum reſpondetur, incipere eſ-
ſe Corpus Chriſti ſub accidentibus in eo-
dem inſtanti, quo completur forma ver-
borum: non n. ait *D.Tho.cit. q.*75.*ar.*7. iſta
conuerſio fit ordine ſucceſſiuo,ſicut in na-
turalibus, quæ recipiunt magis, & minus,
vt ſanitas, quæ poſt infirmitatem ſucceſſi-
uè acquiritur, vel aqua, quæ ſucceſſiuè ca-
leſit. Chriſtus n. tum quia nunc non reci-
pit magis, & minus, tum etiam ratione in-
finitæ ſuæ virtutis, ſtatim prolatis verbis
prædictis, eſt in ſacramento ſub accidenti-
bus panis, & vini *Henriq. lib.*8. *cap.* 25. *n.*
1. *& cap.* 28.*num.* 1. *ex eodem ſanc. Soto, &
alys,* ita quod forma conſecrationis panis,
conſequitur ſuum effectum antequam per-
ficiatur forma conſecrationis vini; non
n. ſe inuicem expectant in agendo, vt fal-
sò putabant aliqui relati, & confutati ab
eodem Sacto *q.*79. *ar.* 6. *in corp.*
13 Manet autem Chriſtus in hoc Sacra-
mento quouſque ſpecies Sacramentales
manent, quibus ceſſantibus, deſinit eſſe
Corpus Chriſti ſub eis,non quia ab eis,de-
pendeat, ſed quia tollitur habitudo Cor-
poris Chriſti ad illas ſpecies, per quem
modum Deus deſinit eſſe Dominus Crea-
turæ deſinẽtis,ita idem *Sanc.q.*76.*art.*6. *ad*
3. cui addit Suar.cum cõmuni ſchola *diſp.*
46.*ſect.* 8. §. *dicendum* vſque quo ſubſtan-
tia panis,vel vini poſſet ſub dictis acciden-
14 tibus conſeruari. Et propterea illis corru-
ptis, deſinit ſub eis eſſe Chriſtus; vnde ſi
casù Eccleſia combureretur, in qua eſ-
ſet repoſitum Sanctiſſimum, vt pluries ac-
cidit, diſcederet exinde ante combuſtio-
nem Chriſtus; ex contrario ſi prædictæ
ſpecies, quod Deus auertat, caſu in lutum
cadant, vel quouis modo in malum vſum
adhibeantur, vt faciunt ſtrigones, ſemper
manet ibi Chriſtus, & quoties recipitur in
Sacramento, tàmdiù ibi manet, quàmdiù
ſpecies illæ calore naturali conſumuntur;
15 illis n. conſumptis (quod forte dimidia
horæ quarta ſit), præſentia ceſſat *D.Tho.q.*
80. *art.* 3. *in corp.* vbi docet tàmdiù ma-
nere in ſpeciebus ſacramentalibus Chri-
ſtum, quàmdiù in illis maneret ſubſtantia
panis,ſi ibi adeſſet, ſeù quàmdiù ipſa ſub-
ſtantia panis digereretur per calorem na-
turalem,ſi ibi adeſſet *Tolet lib.* 2. *cap.*29. *n.*
5.*Suar. citat.* §. *ſequitur tertio.*
Qui idem confirmat per *c. ſi per ebrietatem
de conſecrat. diſt.* 2. (*licet ipſe per errorem ci-
16 tet c. ſi quis*) per quod imponitur pœniten-
tia euomenti Euchariſtiam, ſiuè propter
æbrietatem, ſiuè infirmitatem, quam ex
con-

consuetudine Ecclesiæ, ait solere adorari, vt verum Sacramentum; quia licet euomatur, semper tamen manet ibi Christus, donec consumentur species, & quod propterea contrarium asserere, esset hæreticum, vti contra verba eiusdem Christi, qui dixit carnem suam manducari, quod non posset cum veritate dici, si species non intrarent corpus, & consumerentur, sicuti fit de cibo corporali. Sed desinit ibi esse,
17 quando vermes ex speciebus generantur, sicuti etiam desinit sanguis Christi esse sub speciebus vini, quando, per admistionem alterius liquoris specie distincti corrumpuntur; quia soluuntur species vini *Gregor. de Valent. to.4. disp. 6. q.5. pun.3. Henriq. lib.9. cap.28. num.2.* alij que apud eos, & rectè deducitur ex D. Tho. cit; ex contrario, si Sanguis Christi misceretur cum vino non consecrato, maneret idem Sanguis cum Christi corpore, etiam si vinum non consecratum esset in magna quantitate *Henriq. cit. sub lit. l. ex eodem D. Tho. Soto Ledesma, & alys* per rationes vt supra.

Quomodo autem possit fieri, vt Christus sit in hoc Sacramento cum omnibus suis accidentibus, præcipuè cum quantitate
18 (modo tamen, vt infra) licet à nobis non videatur, neque ab oculo glorificato, vel intellectû Angelico naturaliter videri possit, & minus à dæmonibus iuxta *D. Tho. sententiam 3.par.q.76.art.7.& Suar.disp.48. sect. 1. § nihilominus*, & quomodo hæc quãtitas non sit ibi ex vi consecrationis, sed ex reali concomitantia, eleganter, vt solet explicat idem Sanctus dicta *q. 76. art. 4. in corp. videlicet. Dupliciter aliquid Christi est in hoc Sacramento, vno modo ex vi Sacramenti, alio modo ex reali concomitantia; Ex vi quidem Saramenti quantitas dimensiua Corporis Christi non est in hoc Sacramento, ex vi n. Sacramenti est in hoc sacramento illud, in quod directè conuersio terminatur, conuersio autem, quæ fit in hoc sacramento, directè terminatur ad substantiam Corporis Christi, non autem ad dimensiones eius; quod patet ex hoc,*
20 *quod quantitas dimensiua panis, remanet facta consecratione, sola substantia panis transeunte; quia tamen substantia Corporis Christi realiter non denudatur à sua quantitate dimẽsiua, & ab alijs accidẽtibus, inde est quod, ex vi realis concomitantiæ, est in hoc sacramento tota quantitas dimensiua Corporis Christi, & omnia eius accidentia:* quod omnes fatentur teste Bonac. *to.1. hoc tit. disp. 4. q.3. pun. 5. num. 4.* eo non cit.

21 Non est autem Corpus Christi in hoc Sacramento secundum proprium modum quantitatis dimensiuæ, sed magis secundum modum substantiæ; omne autem corpus locatum est in loco secundum modum quantitatis dimensiuæ, in quantum commensuratur loco secundum suam quãtitatem dimensiuam, vt docet idem sanctus art. sequen. & consequenter non est hoc modo Christus in sacramento, quia sic occuparet locum iuxta suam corporalem quantam entitatem, sed priori modo secundum modũ substantiæ, quem vulgariter vocant DD. dimensionem, seù extensionem in ordine ad se, seù ratione partium in se, vel inter se; non in ordine ad locum, qui modus clariùs dicitur vt sit, prout est Christus in Sacramento cum distinctione omnium suorum mẽbrorum, nempe manuum distinctarum à brachijs, istorum à capite, & sic de singulis.

22 Sed quia hoc non est per modum quantitatis dimensiuæ (quam vocant extensionem partium in ordine ad locum) sed per modum substantiæ, vt dictum est, quæ non est in loco circumscriptiuè, ideo remanet quod Christus non sit in Sacramento, sicut in loco, scilicet locum non occupet, quod tamen corpori quantitatiuo, sicut est illud Christi in Sacramento, naturaliter impossibile omnino est, sed vt ait *Suar. disp. 48. sect. 1. §. argumenta*. Diuina virtute fit, & impeditur, ne modo sibi connaturali, & extenso spatium repleat; quod est valde supernaturale mysterium, vt tradunt etiam recentiores apud *Bonac. to. 1. disp. 4. qu. 3. pun. 5. num. 6.*

Vtrum substantia panis, & vini, vel singulorum, secuta transubstantiatione annihiletur? & num species Sacramẽtales possint nutrire, & frangi?

SVMMARIVM.

1 *Substantia panis, & vini licet desinat transubstantiatione secuta, non tamen annihilatur & n. 2. & 3.*

4 *Species sacramentales retinent vim nutriendi sumentem, tamquam si ibi esset substantia panis, & vini, licet non sit sed quomodo hoc fiat explicatur, & n.6. & 7.*

5 *Corruptio vnius, est generatio alterius.*

8 *Quan-*

8 *Quantitas, vel alia accidentia ſeparata à ſubſtantia, nutrire naturaliter non poſſunt.*

9 *Subſtantiam ex non ſubſtantia componi, eſt impoſſibile ſecundum Ariſtot.*

10 *Fractionem ſpecierum ſacramentalium, quæ fit à ſacerdote, aliqui dixerunt eſſe ſolùm apparentem, ſed non realem, quod eſt falſum, quia illæ franguntur, ſed non Corpus Chriſti & n.11.& 12.*

13 *Berengarius abiurauit ſuam hæreſim coram Pontifice.*

Reſolutio LVI.

1 AD primum reſpondet *D.Tho..par.3.q 75.art.3.ad* 1.negatiuè,quia licet facta conſecratione,ſubſtãtia prędicta nõ maneat ſub ſpeciebus ſacramenti,neque alibi, non tamen ſequitur quod annihiletur; conuertitur.n.in Corpus Chriſti; ſicut non ſequitur, ſi aer,ex quo generatus eſt ignis, non ſit ibi, vel alibi, quod ſit annihilatus, idem docuerunr *Magiſter ſentent. in 4.diſt. 11.Suar. diſp. 50. to.3. ſect. 7. §.nihilominus ex pluribus rationibus*. Quarum potiſſima
2 eſt, quia st. actio poſitiua tranſubſtantiationis, ex cuius vi eſſet ſubſtantia panis ad nihilum reſoluenda, neceſſario terminatur ad terminum poſitiuum, non autem ad negatiuum, vt eſt annihilatio, & ſi ex illa ſequitur deſitio ſubſtantiæ panis, vel vini, non poteſt omninò deſtrui totum id, quod per ſe ſupponitur ad talem actionẽ, & ideo non poteſt habere rationem annihilationis.

3 Quæ quidem ratio per Suar. allata, fuit originalis *Caiet. d.art.3. verſic.2. nota, vbi ex D. Ambroſ.* docet, falſum eſſe aſſumptum Scoti, ideo annihilari ſubſtantiam panis, & vini, quia interuenit tranſitus per ſe ab eſſe panis, ad non eſſe panis; nam per ſe terminus ad quem,eſt eſſe Corporis Chriſti; eſt .n. conuerſio iſta inter terminos poſitiuos per ſe primo, hoc eſt ab eſſe panis, ad Corpus Chriſti; & ad illum per ſe primò terminum ad quem, non ſequitur ſola negatio eſſe panis, ſed ſequitur affirmatio, ſeù poſitio eius, quod fuit panis; ſunt .n. poſt conſecrationem propoſitiones iſtæ ambæ veræ, st. panis non eſt, & id quod fuit panis eſt, quia eſt Corpus Chriſti; his tamen non obſtantibus mihi magis placet ſententia Scoti; ſed non audeo diſcedere à D.Tho.

4 Ad ſecundum reſpondet idem *Sanctus q.77. art.6. in corp.* affirmatiuè, quia cibus, qui conuertitur in ſubſtantiam nutriti, nutrit; ſed ſpecies ſacramentales poſſunt cõuerti in ſubſtantiam, & per eandem rationem poſſunt conuerti in corpus humanũ, per quam poſſunt coruerti in cineres, vel
5 vermes, corruptio .n. vnius, eſt generatio alterius (quod etiam probauit art. 4.) ergo manifeſtum eſt quod nutriunt; idem legitur *in Catech. Rom. hoc tit. num. 40. ibi naturalem alendi, & nutriendi corporis vim retinent, ſecuntur Bellarm. eodem tit. c. 5. n. 2. Henriq. Valent. & Regin. apud Bonac. eodem. tit. diſp.4. q.4. pun. 1. n.10.*

6 Quod probat etiam à poſteriori idem ſanctus, quia st. homo diù ſuſtentari poſſet, ſi hoſtias, & vinum conſecratum ſumeret in magna quantitate; nec in hoc eſt contradictio, niſi circa modum, quo iſtud fieri poſſit, dictum .n. pluries eſt, quod facta conſecratione, nihil remanet de ſubſtantia panis, vel vini, niſi accidentia, quæ non ſunr apta ad nutriendum; albedo .n. vel quantitas, ſeparatæ à ſubſtantia, prout ſunt in ſacramento, non ſunr cibus adæquatus corporis humani, ſicuti ſi quis vellet ſe nutrire de vento.

7 Propterea omiſsis varijs intellectibus datis per interpretes doctrinæ D.Tho. tam ibi quam *art. 5. in corp. in fine*, cum inſtitutum noſtrum non ſit diſputare materias ad partes, contentus ero referre ſententiam eiuſdem, quæ ſe habet, quod ſicut ſpecies prædictæ poſſunt corrumpi, ſed nõ miraculosè, præſuppoſito primo miraculo, quod st. retineant eſſe ſinè ſubiecto, quod prius habebant in ſubiecto, ſicut cæcus, qui videt naturaliter, ſi præcedenter fuit miraculosè illuminatus, vt loquitur idem *Sanc. cit. art. 4. ad 3.* ita etiam quidquid poſſet generari ex materia panis, vel vini, ſi adeſſet, totum poteſt generari ex illorum accidentibus, non quidem nouo miraculo, ſed ex vi miraculi prius facti.

8 Suar. autem *diſp.57. ſect.3. §.vnde etiam in fine* negat hoc poſſe fieri abſque nouo miraculo, imo *in §.hæc verò* addit, hanc opinionem ſibi videri falſam, & incredibilem, quia ſola quanritas, quæ eſt accidens, vel etiam alia accidentia non ſufficiunr, ſed eſſe neceſſariam ait aliquam materiam, ex qua hæc generatio fiat, aliás

poſſet

possit vna forma simplex informare aliam, quod est impossibile, sicuti etiam est impossibile ex non substantijs, substantiam
9 componi *secund. Arist.* 1. *Physic.* & propterea concludit, in instanti generationis, quæ fit ex speciebus consecratis, prius natura, quam talis generatio fiat, poni à Deo sub illis speciebus quandam materiam primam, quæ immediatè ante illud instans in rerum natura non existebat.

Circa fractionem autem dubitari poterat, quid frangatur; etenim sub speciebus prædictis, cum adsit Corpus Christi, quod est impassibile, non potest frangi, neque substantia panis, vnita quantitati, quæ, vt dictum est, secuta consecratione, desinit, sicuti etiam substantia vini, neque ipsæ species, seù accidentia, quæ vti separata à substantia, non sunt frangibilia, vt arguit *D.Tho. ex Aristot. par.* 3. *q.* 77. *art.* 7. Et
10 propterea ait Sanctus ibidem in corp. *ex Magistro sentent. in* 4. *dist.* 12. quod opinio antiquorum fuit, non esse in hoc sacraméto fractionem aliquam secundum veritatem rei, sed solum secundum aspectum intuentium, quam ambo reijciunt; quia in hoc sacramento veritatis, sensus non decipitur circa ea, quorum iudicium ad ipsum pertinet, inter quæ est fractio, per quam ex vno fiunt multa; alijsque opinionibus relatis, & reiectis in ea resident
11 sententia, fractionem fieri in sacramento, id est in speciebus sacramentalibus, sicuti, si ibi adesset substantia panis, prout etiam diximus ex eodem principio, retinere vim nutriendi, vt repetitè docet ipse Sanctus *in* 4. *dist.* 12. *q.* 1. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. *in corp. ibi in hoc sacramento quantitates retinent eũdem modum essendi, quem habebant substantia panis existente.*
12 Et addit idem Sanctus *d. art.* 7. *ad* 1. sicut in speciebus sacramentalibus remanet rarum, & dẽsum, ita remanere porositatem & per consequens frangibilitatem, vnde *Apost. in Epist.* 1. *ad Corinth. c.* 10. *ait panis, quem frangimus, quia forma panis ibi frangitur, & in partes diuiditur, Christus verò integer manet, & totus est in singulis, & cæt. Suar. autem to.* 3. *disp.* 57. *in commentario prædicti art.* 7. ait, hanc quæstionem difficultatem non habere, nam res est sensibus nota, cum species sacramentales continuæ sint, & extensæ in se, & in ordine ad locum, & propterea facile possunt discontinuari, & hoc est frangi, dicuntur autem esse subiectum fractionis, quia sunt subiectum motus, quo fractio fit, & terminantur terminis, qui inde resultant.
13 Vide etiam in proposito *c. ego Berengarius de consecrat. dist.* 2. qui cum dubitasset de prædictis, & alijs, abiurata tali nequitia corã Pontifice & 113. Episcopis, confessus est veritatem vbi *Gl. v. dentibus subdit, videlicet nisi sanè intelligas verba Berengarij, in maiorem incides hæresim, quam ipse habuit, & ideo omnia referas ad species ipsas, nam de Christi Corpore partes non facimus.*

De effectibus Sacramenti Eucharistiæ.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentum Eucharistiæ multos parit effectus, inter quos est augmentum gratiæ, obice non existente & n.* 2. *Aliquando confert primam gratiam, licet regulariter secundam n.* 3. *&* 4. *sed an illam conferat etiam existenti in mortali oblito? n.* 5. *&* 6.

7 *Contritio an sit omnino necessaria suscipienti Eucharistiam, si non potuit confiteri, vel sufficiat attritio? & n.* 17.

8 *Ignorantia facti an & quando excuset?*

9 *Obliuio est defectus naturalis, & ideo sẽper excusat, prauia tamen diligenti examine.*

10 *Peccata oblita dicuntur remissa cum alys in Confessione, imo etiam sine ea, nec alio Sacramento & n.* 12. *&* 13.

11 *Ratio vbi est eadem, eadem etiam est iuris dispositio, imo lex loquens de vno casù, comprehendit alium similem ex paritate rationis.*

14 *Ignorantia, seù obliuio inuincibilis, faciunt bonam fidem.*

15 *Contritio perfecta nequit expleri sine speciali auxilio Dei, data copia Confessarij, non sufficit ad recipiendam Eucharistiam, existenti in mortali n.* 16.

18 *Eucharistia præseruat à mortalibus, & liberat à venialibus, non tamen tolluntur ea, in quibus adest actualis complacentia, sed non propterea, alio non obsistente, impeditur augmentum gratiæ, cui non repugnant n.* 19. *Tolluntur regulariter per illam tam ex opere operantis, quam operato n.* 20.

21 *Fomes peccati, licet non extinguatur per Eucharistiam contra Tolet. diminuitur tamen per illam, quæ & multos alios bonos effectùs parit.*

21 *Eucharistia vnit spiritualiter, & corporaliter sumentem cum Christo, vnumque eum facit cum illo, Est Sacramētū,& sacrificium, vtrumque verificatur in Sacerdote; in sumente vero, solùm est Sacramentum n. 24.*

23 *Pœna purgatorij, an & quando remittatur in toto, vel in parte per sacrificium missæ, vel etiam per solam sumptionem Eucharistiæ, & num. 25.*

26 *Eleemosynam tribuens, magis placet Deo per affectum, quam per effectum.*

Resolutio LVII.

1 AD primum respondetur, quatuor saltem effectus principales hoc Sacramentum parere illis, qui probabiliter non indignè accedunt; quorum primus est augmentum gratiæ, vt probat *D. Tho. par. 3. qu. 79. art. 1. ex pluribus*; & præcipuè quia dum in hoc Sacramento continetur Christus, qui sicut in mundum visibiliter veniens contulit mundo vitam gratiæ secundum *Io: cap. 1. ibi gratia & veritas, per Iesum Christum facta est*, ita in hominem sacramentaliter veniens, vitam gratiæ operatur secundum eundem *Io: cap. 6. ibi qui manducat me, viuet propter me.* Sic etiam quia dum hoc Sacramentum traditur per
2 modum cibi, & potus, ideo omnem effectum, quem cibus naturalis facit quātū ad vitam corporalem, quod st. sustentat, auget, reparat, & delectat; hoc totum facit hoc Sacramentum quantum ad vitam spiritualem gratiæ; imo hoc de fide esse probat. *Suar. to. 3. disp. 63. §. 1. sect. 1.* ex eisdem D. Tho. magistro sentent. omnibusque antiquis, secuntur *Henriq. lib. 8. cap. 34. Regin. lib. 29. n. 138. Bonac. disp. 4. q. 4. pun. 1. num. 2 vbi recentiones.*

3 Sed dubitari contingit vtrum hoc Sacramentum conferat primam gratiam, quæ dicitur sanctificans, vel solum augmentum eius, vt dictum est? hic articulus latè disputatur per *Suar. dicta disp. 63. sect. 1.* qui post relatas, & confutatas opiniones hæreticorum, quorum alij falsò affirmabant, non prodesse, nec obesse; alij prodesse, corpori, non animæ, residet in communis-
4 sima sententia, fuisse de per se institutum ad conferendum gratiæ augmentum; iuxta *magist. sen. in 4. dist. 9. & 12. D. Tho. cit. dicto art. 1. & 3.* & innumeros alios relatos *§. 1. qui sect. 2. §. secunda opinio refert multos* DD. docentes, conferre hoc Sacramentum, etiam primam gratiam attritione interueniente habenti conscientiam peccati mortalis, non remissi.

5 Quæ opinio sic indistinctè vera non est, vt ipse rectè probat *§ duo tamen primo*, vbi docet, ad hoc vt istud Sacramentum conferat primam gratiam, necesse esse veram, ac supernaturalem attritionē peccati commissi; nec satis esse ignorantiam, seu obliuionem inculpabilem talis peccati, si rè vera illud habet homo, & non detestatur; & subdit inferius, nec hæc sufficere, sed
6 requiri etiam bonam fidem. quæ per se loquendo, in hoc (suo videri) consistit, vt st. quis ignoret statum suum, & existimet se in gratia accedere, ac denique non habeat conscientiam peccati mortalis, de quo non existimet sufficiētem pęnitentiam
7 egisse. Concludit tandem post late disputatum articul. §. *tertio hoc ipsum*, necessariam esse, (regulariter loquendo) contritionem, quandoquis confiteri non potest, aliàs dum cum obice accedit, effectum Sacramenti recipere non posse, eo magis quia, vt asserit in §. *fin.* est in potestate hominis cum Diuina gratia de peccatis conteri; quę tamen doctrina in multis displicet; etenim quod non excuset sola ignorantia seu obliuio inculpabilis, hoc saltem sic indistinctè non admitto, siquidem ex Sanches, & alijs docet *Dia. in summa V. ignorātia n. 6. vbi allegat seipsum par. 3. tr. 4. res. 108.* sed latius de hoc agit *par. 9. tr. 9. res. 59.* dari st. ignorantiā inuincibilē etiam in peccato molliciei, quæ est ignorantia
8 Iuris Diuini; ergo multo magis excusabit ignorantia facti, quæ regulariter admittitur *l. 2. ff. de Iur. & facti ignor. ibi facti autem ignorantia etiam prudentissimos fallit*, & quamuis in hoc contradicat *D. Tho. relatus supra resol. 41. num. 2.* ibi tamen dictum est etiam posse dari ignorantiam inuincibilem in periurio ex causis vt ibi quæ similiter est ignorantia Iuris, ergo facilius admittetur, ista ignorantia facti.

Fortius excusat sola obliuio vti defectus naturalis *l. peregre ff. de acquir. possess.* nam si ab initio non fuit homo creatus cum isto defectu; dum Deus fecit hominem rectum; saltem est temporalis pœna peccati originalis vt diximus *supra res. 11. in fine ex D. Tho. 1. 2. quest. 85. ar. 3. cor.* vel sicuti Deus scit, & sibi placet, & propterea non est quid imputetur homini cir-

ni circa defectum memoriæ, præuia tamen debita diligentia in conscientiæ examine, vt suppono. Adde *Trident. sess. 14. cap. 3.*
10 *de Confess.* post medium ibi *reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem Confessione inclusa esse intelliguntur*, sed non potest quantum ad hoc caput obliuionis assignati ratio differentiæ inter vnum, & aliud Sacramentum ex allata ratione naturalis defectus, quæ est vniuersalis, ergo sicut per Sacramentum pænitentiæ oblita dicuntur remissa, ita per Eucharistiam, vel quodcumque aliud Sacramentum, vigente n. eadem ratione in
11 vtroque casù, idem Ius statui debet §. *pari ratione instit quib. mod. Ius patr. potest. solu; iuncta l. à Titio in fine de verb. oblig.* & quando ratio est vna, eademque in vno casu, quam in alio, lex non ditur se extendere, sed comprehendere vtrumque *Preses de franch. ex Napod. & alijs decis.* 489. *n.* 14. ad bene esse tamen semper debemus exclamare cum Propheta, ab occultis meis munda me Domine.

12 Imò sine Sacramẽto aliquo sublata censentur, cum nõ adsit culpa, que tolli possit, stante naturali, & inculpabili defectù; aliàs daretur pęna, vbi culpa nõ est, quod etiam apud homines prohibetur *l. culpa caret ff. de regul. Iur.* nisi dicamus, cautius agendo, posito quod per mortale fuit amissa gratia,
13 id eam reuocandam non esse medium sufficiens obliuionem, vel ignorantiã, quantũ vis inuincibiles; qua de causa Propheta dicit *in psal.* 18. *prædicta verba ab occulis meis munda me Domine*; & propterea hoc in casù necessariò esse recuperãdam per quodcũque Sacramentum præuia attritione generali de omnibus peccatis, etiam oblitis, & ignoratis; Quod intelligitur quando post mortalia oblita, vel ignorata, nulla secuta est confessio de alijs peccatis, quia tunc censentur remissa cum alijs, vt supra ex Trident dictum est.

Circa verò bonam fidem, & reliqua re-
14 quisita per Suar. quæ posuit separata ab ignorantia, & obliuione inculpabilibus, etiam fallitur (cum pace) quia talis ignorantia, vel obliuio faciunt bonam fidem, sunt termini notissimi *ex l. bona fidei de verb. signific. iuncto* §. *si quis a non domino instit. de rerum diuis.* & quòd sit in potestate hominis habere contritionem cum Di-
15 uina gratia, hoc si Deus vult, non ambigitur, sed quia sciri non potest, *Ioel Propheta cap.* 2. id reliquit in dubio, ibi *scindite corda vestra in fletù & planctù, quis scit an Dominus conuertatur & ignoscat*, aliàs si esset in potestate hominis contritio, semper contereretur ad salutis æternæ certitudinem, quæ tamen in hac vita haberi non potest *Eccles. cap.* 9. *ibi nemo scit an odio, vel amore dignus sit*, quæ etiam sunt satis probata ex eodem Suar. & cæteris supra V. contritio.

Et quod tandem requiratur regulariter
16 contritio, quando quis confiteri non potest, hoc verum est regulariter, cessante copia confessarij, vt ipse rectè dicit, alias nemo potest Eucharistiam sumere, quantum vis contritus sit, sine præuia confessione, si mortale aliquod animæ insit, verba sunt *Trident. sess.* 13. *cap.* 7. *& can.* 11. alias frustra esset institutum pænitentiæ Sacramentum, si cum alijs Sacramentis pos-
17 sent regulariter peccata deleri; in articulo tamen mortis, hoc Sacramentum susceptũ in illa extrema necessitate, & alijs in casibus sine præuia confessione ob in opiam confessarij, vt supra, sufficit cum supernaturali attritione, ad expellenda omnia mortalia, hoc in puncto scribit *Tolet. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 2. *imò idem Suar. tom.* 4. *disp.* 41. *sect.* 1. *num.* 19. pro certo tradit de extrema vnctione, & de alijs probabile, quod etiam sine difficultate, incidenter tamen docent P. *Dia. par.* 5. *tract.* 9. *resol.* 83. §. *fin. & alij apud eundem par.* 11. *tract.* 8. *resol.* 45. §. *sed hic*, latius tamen de hac materia agitur inf. *resol.* 79. *num.* 9. *&* 10. *vbi videas.*

18 Secundus effectus huius Sacramenti, est præseruatio à mortalibus, & liberatio totalis à venialibus, (quorum tamen non adsit actualis complacentia; impossibile n. est quem liberari à peccatis, in quibus actualiter delectatur vt *docet D. Tho. par.* 3. *qu.* 87. *art.* 3. *ad* 2.) *Trident. sess.* 13. *cap.* 2. *idem Sanctus cit qu.* 79. *art.* 4. *&* 6. *ex Io. cap.* 6. *ibi hic est panis de Cœlo descendens, vt si quis ex ipso manducet, non moriatur*; quod exponit Sanctus de morte spirituali per pręseruationem à mortalibus; & de liberatione à venialibus *Vasq. tom.* 3. *disp.* 205. *num.* 2. *Gregor. de val. tom.* 4. *disp.* 6. *quæst.* 5. *pun.* 1. *versic. secundus effectus. Regin. lib.* 29. *num.* 141. Imò, & quod magis est, quamuis venialia, in quibus adest actualis complacentia, non tollantur per hoc Sacramentum, neque per aliud, non tamen propterea impeditur augmentum habitualis gratiæ, & charitatis, vt docet

Sanc. cit. art. 8. *in corp.* & ratio eſt, quia venialia non ſunt incompatibilia cum gratia, dum nõ ſeparãt nos ab amicitia Dei, *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *ibi nam venialia, quibus à Dei gratia non excludimur, &c.* ſed ſolum impediunt maiorem feruorem charitatis vt loquitur Sanc. 2. 2. *q.* 71. *art.* 4. *idem*

20 *Valent. loco cit. pun.* 3. Et non ſolum remittuntur venialia ex actibus pænitentis, ſeù opere operantis in hoc Sacramento, ſed etiam ex opere operato *Suar. to.* 3. *diſp.* 63. *ſect.* 9. §. *dico ſecundo Nugn. q.* 77. *art.* 4. *concluſ.* 1. rationem tradit *Bonac. hoc tit. to.* 1. *diſp.* 4. *q.* 4. *pun.* 1. *num.* 6. quia st. remiſſio venialium ex *Trident dicto cap.* 2. tribuitur huic Sacramento tãquam proprius eius effectus; Sacramenta autem producunt ſuos effectus ex opere operato; ergo per hoc ſacramentum remittuntur venialia etiam ex opere operato.

21 Tertius eſt, quia licet non tollat omninò, diminuit tamen fomitem peccati ex quadam conſequentia, in quantum auget charitatem *D. Tho. d. q.* 79. *art.* 6. *ad* 3. vnde minus rectè pace ſua dixit *Tolet. lib.* 2. *cap.* 29. *num.* 4. quod extinguatur, vide etiam *Suar. diſp.* 64. *ſect.* 1. §. *dico ſecundo*, vbi ait ex communi modo loquendi Theologorũ, hoc ſacramentum ardorem concupiſcentię extinguere, fomitem minuere, deuotionem augere, alioſque bonos effectus gignere, & addit *Bonac. vbi ſupra num.* 7. depellere etiam tentationes, quia dæmones effugiunt Chriſtum præſentem, & cætum Angelorum eum comitantium.

22 Quartus effectus huius ſacramenti eſt vnio realis, & ſpiritualis inter corpus, & animam Chriſti; & corpus, animan ſuſcipientis, quam vnionem declarat *Auguſt. in c. Chriſtus de conſec. diſt.* 2. *videlicet humana Caro, quæ erat peccato obnoxia, & ideo mortua, carni eius mundæ vnita, incorporata, vnum cum illo effecta, viuit de ſpiritu eius, ſicut viuit corpus de ſuo ſpiritu, &c. deinde in c. in Chriſto Pater eodem tit. circa medium ibi quod autem in nobis naturalis hæc vnitas ſit, ipſe ita teſtatus eſt, qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, in me manet, & ego in eo.* iſtud idem innumeris aliorum PP. authoritatibus firmat *Suar. in cit. diſp.* 64. *ſect.* 3.

23 Sed dubitatur vtrum digne ſuſcipientibus hoc ſacramentum relaxetur pęna purgatorij, ſiuè pars, ſiuè tota? reſp. *D. Tho.* 3. *par. q.* 79. *art.* 5. *in corp.* quod hoc ſa-

24 cramentum ſimul eſt ſacrificium, & ſacramentum; ſed rationem ſacrificij habet in quantum offertur, rationẽ autem ſacramẽti in quantum ſumitur, & ideo effectum ſacramenti habet in eo, qui ſumit; effectum autem ſacrificij in eo, qui offert, vel in his, pro quibus offertur; ſi igitur conſideretur vt ſacramentum, habet effectum dupliciter, vno modo directè ex vi ſacramenti, alio modo quaſi ex quadam conco-

25 mitantia. Ex vi quidem ſacramenti directè habet illum effectum, ad quem eſt inſtitutum; non eſt autem inſtitutum ad ſatisfaciendum, ſed ad ſpiritualiter nutriendum per vnionem ad Chriſtum, & ad mẽbra eius, ſicut, & nutrimentum vnitur nutrito; ſed quia hæc vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis conſequitur remiſſionem, non ſolum culpæ, ſed etiam pænæ, inde eſt quod ex conſequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum, homo, conſequitur remiſſionem pænę, non quidem totius, ſed ſecundum modum ſuæ deuotionis, & feruoris.

26 In quantum verò eſt ſacrificium habet vim ſatisfactiuam; ſed in ſatisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis; vnde & Dominus dicit de vidua, quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus miſit; quamuis ergo hæc oblatio ex ſui quantitate ſufficiat ad ſatiſfaciendum pro omni pæna, fit tamen ſatiſfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus ſecundum quantitatem ſuæ deuotionis, & non pro tota pæna. hæc ille quibus adde Sotum *in* 4. *diſt.* 11. *q.* 2. *art.* 1. *& recentiores apud Bonac. diſp.* 4. *q.* 4. *pun.* 1. *num.* 9. *to.* 1. *hoc tit.*

Quo tempore Euchariſtiam ſumens, gratiam, vel eius augmentum conſequatur?

SVMMARIVM.

1 *Tempus in quo confertur gratia ſumenti Euchariſtiam ex opere operantis, & operato, eſt in inſtãti manducationis, & eius progreſſu ſecundum aliquos, & n.* 2. *&* 3.

4 *Chriſti præſentia quamdiù duret in ſpeciebus ſacramentalibus? & quomodo multiplicatis actibus ſumentis, ſemper augeatur gratia, etiam ex opere operato? vnde diſtracto, vel ſomnolento non augetur & num.* 5.

6 Eu-

6 *Euchariſtiam ſumens, & mortaliter peccans, vſque dum manet ibi Chriſtus, grauius peccat, quā ſi extra illud tempus peccaret.*
7 *Contrariorum eadem eſt diſciplina, quia idem operatur propoſitum in propoſito, ſicut oppoſitum in oppoſito.*
8 *Priuilegia Principum ſunt latè interpretanda contra ipſos concedentes & n.9.*

Reſolutio LVIII.

1 Reſpondetur, tempus collationis gratiæ per hoc ſacramentum tam ex opere operantis, vt tradunt *Victoria in ſumma ſub hoc tit. n. 76.* & alij, quam ex opere operato, vt in priori reſol. dictum eſt ex D.Tho. & alijs, eſſe iuxta *Maior. in 4. diſt.9.q.1.* tam in inſtanti manducationis, non antea, vt verificentur verba Chriſti apud *Io. c.6. qui manducat me, & ipſe viuet propter me*; quàm in progreſsù manducationis, ſi in in ipſo progreſsù augeatur diſpoſitio ſuſcipientis; Et propterea cum hoc ſacramentum conferat maiorem gratiam magis diſpoſito, maiorem conſequenter gratiam recipiet in fine manducationis, quàm in principio, ſi magis di-
2 ſpoſitus erit. Quæ tamen diſpoſitio duobus modis poteſt creſcere, vel per maiorem intenſionem actuum amoris Dei, vel per continuationem eorumdem actuum, etiam ſi eſſent æquales, non ſolum ratione multiplicationis, ſed etiam ratione perſeuerantiæ; iſta autem manducatio iuxta *Suar. to. 3. diſp.63. ſect. 4. §.1.* non intelligitur, quando hoſtia eſt in ore, dum non traijcitur, nec quando eſt in ſtomacho, quia tunc non manducatur, dum traiecta eſt, ſed in illis temporis inſtantibus, quibus actualiter deglutitur; & tunc operatur ſacra-
3 mentum. Et addit *Bonac. cit. pun.2. n.3.* recipientem plures hoſtias, recipere totum effectum in ſuſceptione primæ, etiam ſi ſucceſſiuè ſumantur, poſtquam ſt. ſacerdos communicauit alios.

4 Sed iſtæ opiniones mihi videntur valde reſtrictiuæ diuinæ liberalitatis, & proinde conſtantiſſimè teneo, quandiù durat præſentia Chriſti in ſpeciebus ſacramentalibus, ſiuè ſit in ore, ſiuè in ſtomacho ſumentis, ſemper maiorem gratiam conferre, dummodo actus amoris Dei, vel doloris peccatornm, aut huiuſmodi multiplicentur, vel ſaltem continuentur (etenim ſi in ſumptione, vel poſtea quis diſtrahitur, vel dormit, certum eſt eo tempore gratiam non conferri, vt latius dicetur infra *reſ.61.*
5 *n.42.*) Quod procedit tam ex opere operantis, cui etiam extra ſumptionem ſacramenti per ſimiles actus gratia confertur, & augetur; quàm etiam ex opere operato virtute ſacramenti; eo magis, quia Chriſti præſentia tamdiù intra nos durat, quamdiù ſpecies ſacramentales calore naturali conſumuntur, (quod eſt per dimidium quarti horæ vt docet *Tolet. lib.2. c.29. in fine* quamuis Suar. *d.diſp. 63. ſect. 7. in fine* aſſerat hoc eſſe valde incertum.)

Quam veram & piam ſententiam ex pluribus probarunt *Palud.in 4.diſt.17. q.8. n.30. Caiet. ad D.Tho.par.3. q.79. art.1.* & ante eos *Auguſt.ſuper verbis Io.6. tr.26. ibi qui mãducat me, viuet propter me, & cat. & ipſemet Suar.in cit.diſp.63.ſect.7. §.dico 3.* valde probabilem appellat, multiſque medijs
6 probat. Dum enim rationabiliter contrarij aſſerunt, durante Chriſti præſentia, & ſumente mortaliter peccante, grauius eſſe peccatum ob realem præſentiam Chriſti; quare ex contrario ſi ſe in bonis actibus exerceat, gratiam maiorem non ac-
7 quiret. ſiquidem contrariorum eadem eſt diſciplina *l.fin. de legatis 3. §. fin.* vbi quod operatur propoſitum in propoſito, operatur oppoſitum in oppoſito, & ex Ariſtot. docet *Gl.in §.1. inſtit. de ijs qui ſunt ſui* vlterius ſi ſumens ſciret eo tempore nullum gratiæ effectum conſecuturum, fruſtra ſe occuparet in ſe excitando ad actus bonos, & conſequenter hoc poſſet eum inducere ad minorem deuotionem tanti ſacramenti, quod eſt ſummè cauendum, & illud vti abſurdum vitandum.

8 Addo tandem, alijs omiſſis, priuilegia Principum terrenornm latè eſſe interpretanda contra ipſos concedentes, quia ſic conuenit eorum maieſtati *Pref.de Franchis deciſ. 129. n.4. ex l.fin. C. de legib. & conſtit. princ.* ſi ergo hoc ſeruatur in iſtis, qui reſpectù Dei ſunt tamquam non eſſent; multo magis erunt amplianda priuilegia Principis Cæli, & Terræ *auth. multò magis C.de ſacroſ. Eccleſ.* aliàs ſi diceremus, vt male ſentiunt DD. cit. in illo tantum inſtanti, quo ſpecies ſacramentales diglutiuntur, gratiam conferri, verba Chriſti potius eſſent reſtricta, quàm ampliata, & ſucceſſiuè liberaliores dicerentur Principes Terræ quàm Rex Cælorum, quod eſſet maximum
9 abſurdum; interpretemur ergo latiſſimè hoc

hoc Priuilegium contra ipſum Chriſtum (vt ita dicam) concedentem, quia ſic ei libet vt multiplicentur actus amoris eius. ad idem ſupra *reſol.43. n.31.*

De miniſtro Euchariſtiæ cum diſpoſitionibus requiſitis in eo.

SVMMARIVM.

1 *Euchariſtiæ miniſter eſt ſolus ſacerdos, quamuis excommunicatus, vel hæreticus, aut degradatus n.2. licet grauiſſimè peccet, ſicuti communicans ab eo, ſi hoc ſcit, ſecus in caſu neceſſitatis n.3.*

4 *Diaconus poteſt in caſu neceſſitatis Euchariſtiam miniſtrare, laicus autem nequidem ſeipſum, cõmunicare quamuis in articulo mortis, licet deſit omnino Miniſter; ſed contrarium dicunt aliqui n.5.*

6 *Sacerdos poteſt communicare ſeipſum etiam extra miſſæ celebrationem, præciſo tamen ſcandalo, ſicuti poteſt etiam in miſſa, parte hoſtiæ ſibi ſumpta, aliam alij, vel alijs diſtribuere, quamuis ob ſolam deuotionis cauſam.*

7 *Euchariſtiam miniſtraturus, debet probabiliter exiſtimare ſe eſſe in gratia, aliàs tenetur conteri, cum non ſit neceſſaria Confeſſio, ſicuti celebraturo; quod ſi non conteratur, vnum ſolum mortale committit, licet multis adminiſtret.*

8 *Conſuetudo vniuerſalis Eccleſiæ eſt, vt Euchariſtia ſumatur à ieiunis, quamuis Chriſtus communicauerit Apoſtolos non ieiunos, quod ieiunium debet eſſe naturale, & qualibet parua res, per modum cibi, vel potus prius ſumpta, eſt mortale, niſi ſit aliqua gutta aquæ, occaſione abluendi os, vel ſimile & n.10.*

11 *Viaticum infirmis datur non ieiunis, ſed an poſſit repetitis vicibus in eadem infirmitate tribui? n. 12. verum non quando poſſunt illud cõmode recipere ieiuni n.13. eſt tamen eſt concedẽdum etiam damnatis ad mortem, quamuis non ieiunis, & etiam vna hora ante mortem, & ſi ob ſolam deuotionem.*

Reſolutio LIX.

1 MIniſter Euchariſtiæ tam in conſecrando, quam in adminiſtrando eſt ſolus ſacerdos *Catech. Rom. hoc tit. n.67. Bellarm. eodem tit. tract.2. c.1. ex Trid. ſeſſ. 13. c.8. D.Tho. par. 3. q. 82. art. 1. & 3. in corp.* quia ipſe conſecrat, & non alius in perſona Chriſti, qui dixit Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, vt ſunt ſoli ſacerdotes, hoc facite in meam commorationem; & quia ſicut ipſe Chriſtus poſt conſecrationem ſui Sanctiſſimi Corporis in Cœna, alijs ſe ſumendum tradidit, ita eiuſdem diſtributionẽ ſolis ſacerdotibus competere voluit DD. cit. Quod verum eſt etiam ſi

2 ſint excommunicati, vel degradati, vel hæretici, aut ſchiſmatici; ratio eſt, quia poteſtas conſecrandi pertinet ad characterem ſacerdotalis ordinis, qui poſtquam eſt ſemel in ordinatione ſuſceptus, eſt indelebilis, & propterea validè conſecrant, & diſtribuunt; licet ipſi grauiſſimè peccent; ſed communicantes ab eis in caſu neceſſitatis, validè & fructuosè communicant, pro vt etiam ignorantes, ſecus ſcientes, vel extra neceſſitatem, qui non ſolum infructuosè, ſed etiam cum peccato communicant *D. Tho. cit. art. 7. 8. & 9. Grego. de Valent. to.4. diſp. 6. q. 10. pun. 1. Victor. hoc tit. n. 92. & alij.*

3 Nec in *c. accedens 50. diſt.* inuenio, quod dicit Bonac. *diſp.4. q.5. pun.1. ſub n.2. eodem tit.* irritas st. eſſe conſecrationes hæreticorum, imò in *c. ex Catholica 1. q.1.* cum multis ſequent. legitur ex Auguſt, omnia ſacramenta per ſuſpectos confecta valida eſſe, ſicuti erãt antequã ab Eccleſia exirẽt;

4 etenim ſol non maculatur, licet per lutum tranſeat; Diaconus autem in caſu neceſſitatis poteſt etiam Euchariſtiam miniſtrare, *Tolet. lib.2. c.28. n.3. & Suar. diſp.72. to.3. ſect.3. in fine*, vbi hoc extendit ad laicos in articulo mortis, vt se. poſſint communicare ſe ipſos deficiente omninò miniſtro habili, vt refert egiſſe Reginam Scotiæ, quæ martyrium ſubitura, priùs ſacramentum, quod apud ſe habebat, proprijs manibus ſumpſit.

5 Sed hoc non poteſt adduci in exemplum nam ſicuti neceſſario dicendum eſt habuiſſe licentiam à Pontifice illud aſportandi, aliàs non potuiſſet, ſicuti fertur etiam habuiſſe S. Ludouicum Regem Galliæ, quando bellabatur contra Turchas, ita etiam illud ſumendi, & proinde conuenio cum *Henriq. lib.8. c.54. Eman. sà V. Euchariſtia n. 4. & 32. & alijs apud eos*, aſſerentibus, numquam poſſe laicum hoc ſacramentum miniſtrare, neque ſibi ipſi, cum non ſit ſacramentum neceſſitatis.

6 E' contra aduertunt multi apud Bonac. vbi

vbi supra n. 13. & 14. posse sacerdotem,
præciso scandalo, absque missæ celebra-
tione se ipsum communicare, cum non sit
diuersa ratio de se ad alios; sicuti etiam
posse *parte hostiæ* in celebratione sumpta,
aliam partem alij, vel alijs præbere, etiã ob
7 solam deuotionis causam *P. Dia. par. 3. tr. 4.
resol. 34.* sed requiritur, vt sacerdos existi-
met probabiliter, quod sit in gratia, alio-
quin id faciens in mortali, grauissimè pec-
cat, nec sufficit contritio, data copia Con-
fessarij, vt declaratum extat *per Trident.
sess. 13. c. 7. & can. 11.* secus si esset admi-
nistraturus tantum sacramentum alijs, quia
tunc sat erit conteri; quo non acto, etiam
mortale committit, vnum tamen numero
*secundum Suar. to. 3. disp. 16. sect. 4. §. secun-
do argumentor*, non autem quot successiuè
communicauerit, vt putauit *Bonac. cit. pun.
2. n. 5.* quod alibi probauimus verum non
esse ex *D. Tho. in 4. dist. 5. q. 2. art. 2. q. 4. sed
Vasq. in 3. par. to. 2. disp. 136. c. 3. n. 38.* di-
cit probabilius esse, quod nullo modo
peccet; quod probabile existimat *Dia. par.
2. tract. 14. resol. 23. & par. 5. tr. 14. res. 56.
§. non tamen,* de quo vide latius infra *resol.
140. n. 18.*
8 Præterea suscepturus hoc sacramentum,
debet esse ieiunus, vt omnes sciunt, & do-
cet *D. Tho. 3. par. q. 80. art. 8. in corp. & ad
1.* vbi respondet *tex. Luca 22. & Apost. 1.
Corinth. 11.* quibus in locis constat Chri-
stum post Cœnam hoc sacramentum di-
scipulis tradidisse, quod latiùs prosequi-
tur Suar. in *eadem 3. par. disp. 68. sect. 3. per
totam,* vbi refert multa concilia, in quibus
hoc postea ab Ecclesia fuit mutatum, imo
fuisse illud ab Apost. ordinatum, probat
August. in c. liquido de consecrat. dist. 2. vbi
addit esse vniuersalem consuetudinem Ec-
clesiæ vt videmus, *Henriq. lib. 8. c. 49. n. 2.
lit. L. ex Tertull. Theophyl. & alijs antiquis,*
9 quod nullus negat. Debetque hoc ieiu-
nium esse naturale, non Ecclesiasticum,
adeo quod quælibet parua quantitas traie-
cta per, os, impedit, sumptionem huius sa-
cramenti, & contra faciens peccat morta-
liter *DD. apud Dia. par. 4. tract. 4 resol. 195.
& par. 5. tract. 5. resol. 12.* Reliquiæ tamen
cibi remanentes in ore, si casualiter diglu-
tiantur, non impediunt, quia non traijciun-
tur per modũ cibi, sed saliuæ, & eadẽ ratio
est de reliquijs aquæ, vel vini, quibus os
abluitur, dummodo non traijciantur in
quantitate, sed permistæ saliuæ, quod vi-
tari non potest, verba sunt eiusdem *Sancti
cit. ad 4.*
10 Suar. vbi *sup. sect. 4. §. 3. infertur & §.
dices ergo* hoc extendit ad eos, qui degu-
stant ius, vel aliquid simile condimentum,
vt saporem percipiant, & statim expuunt;
licet. n. contingat remanere aliquid saliuæ
permistum, & cum ea deglutiant, non per
hoc soluitur ieiunium, quia illa non est
commestio, nec sumitur per modum cibi,
secus verò est in eo, qui mittit in os pau-
lulum sacchari, vel huiusmodi nocte ante-
cedenti, quod tamen duret vsque ad ini-
tium diei sequentis; quia elapsa media
nocte, quantum vis paululum deglutia-
tur, frangit hoc ieiunium *Vasq. 3. par. to. 3.
disp. 211. c. 3. n. 31. Regin. lib. 29. n. 119. Syl.
Coninc. & aly apud Dia. p. 2. tr. 14. res. 51.*
11 Ex causa tamen grauis infirmitatis po-
test non ieiunus communicare per modum
viatici, *idem Sanct. d. art. 8. in corp. in fine
Tolet. lib. 2. c. 28. n. 6. P. Dia. par. 4. tract. 4.
resol. 195. §. notandum est,* sed semel tantum
in eadem infirmitate hoc concedit *Vasq.
cit. c. 4. n. 38.* verum *Ludouic. de S. Iuan in
summa to. 1. q. 7. art. 10. diffic. 4. relatus à
P. Dia. par. 3. tract. 4. resol. 44.* testatur, so-
litum fuisse illud tribuere singulis tribus
diebus, addit Layman in Theol. moral.
lib. 5. tract. 4. cap. 5. n. 20. posse solitis com-
municare singulis diebus tempore sani-
tatis, dari etiam singulis diebus infir-
mis in periculo mortis existentibus.
12 Sed hęc opinio in praxi non videtur re-
cipienda, sed potius prior Ludouic. de
S. Iuan ob reuerentiam sacramenti, & reij-
cienda prior Vasq. non solum ex commu-
ni sententia, sed etiam *ex Ritual. Roman. sub
hoc tit. ibi quod si æger sũpto viatico, per dies
aliquot vixerit, vel periculum mortis euaserit,
& communicare voluerit, eius pio desiderio
Parochus non deerit, & cæt.* prius tamen as-
13 sumptum procedit, quando infirmus non
potest commodè recipere hoc sacramen-
tum ieiunus, quia si secus, debet vti iure
communi, vt de praxi, Ecclesiæque solito
testatur *Cardin. de Lugo sub hoc tit. disp. 15.
sect. 3. n. 58.* communemque esse opinionem
*ex Suar. Gran. Coninc. & alys testatur
idem Dia. par. 11. tract. 6. resol. 16. in fine
contra solum Hurt. ibi relatum.*
14 Est etiam hoc sacramẽtum tribuendum
damnatis ad mortem *ex c. quæsitum 13. q. 2.
Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 99. n. 3.* qui
ita seruari testatur in plerisque Romani
Impe-

Imperij Ciuitatibus, sed non in Gallia, neque in Hyspania, & Ducatu Mediolani, & addit non debere dari eodem die, quo est mors inferenda; sed hoc non solum negant pleriq; casistæ, sed aiunt posse tribui etiam non ieiunis, & etiam vna hora ante mortem, si non potuit priùs, ac etiam ob solam deuotionem eadem die mortis, licet pridie communicauerit, vt testantur multi apud *Dia. par. 3. tract.6. resol.59. & par.5. tract. 3. resol. 38.* imo quia est præceptum Diuinum, tenentur sub mortali, & isti cõmunicare vt dixi *supra resol. 49. in fine*, quod intelligitur, si per ipsos non stet, quia si à Iudice hoc non permittitur, certum est istum peccare, & illos excusari quia ad impossibile nemo tenetur *l. impossibilium cum simil. de regul. Iur.*

Agitur de casibus, in quibus potest Sacerdos, non ieiunus cõsecrare, & communicare, & de intentione ad consecrandum requisita.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos si post sumptionem sanguinis, & ablutionem videt in patena, vel corporali fragmenta, potest ea statim sumere, quod si sumat post recessum ab Altari, peccat mortaliter & n. 2.*

3 *Incontinenti facta, censentur inesse.*

4 *Stipulatio est nulla, si inter stipulationem, & promissionem interueniunt actus extranei, exceptis necessarijs naturæ.*

5 *Fragmentum in Calice remansum post sanguinis sumpsionem non est digito admouendum ad sumendum, sed iterum est vinum apponendum, & sumendum.*

6 *Hostijs in Altari, vel alibi repertis, si dubitetur an sint consecratæ, quid agẽdum?*

7 *Sacerdos, qui apposuit aquam in Calicem pro vino, quid debeat facere ad complendum Sacrifficium? & n. 8. Non ieiunus cui minatur mors, nisi celebret à potente eam inferre, an excusetur celebrãdo? n.9. Metus autem debet esse cadens in constantem virum, & qui talis sit n. 10. sed si post consecrationem, vel antea recordetur non esse ieiunum, an possit complere sacrificium num. 12.*

11 *Constitutus in articulo mortis, siue naturali, siuè violentæ, potest etiam non ieiunus celebrare sinè peccato, si modo desit, qui ei det viaticum, & an possit pro tribuendo idẽ viaticũ infirmo morti proximo? n. 14.*

13 *Sacerdote mortuo post ineaptum Sacrificiũ, sed ante completum an sit alius loco sui substituendus ad illud complendum?*

15 *Intentio qualis debeat esse ad sacrificium Missæ peragendum, & n. 16. & 18. cum sequent. vsque in finem.*

17 *Subdiaconatum suscipiens, licet non cogitet super voto castitatis in illo clauso, censetur tamen ei consentire.*

19 *Materia consecranda debet esse certa, & definita indiuidualiter, aliàs non fit Consecratio & num. 20.*

21 *Intentionem habens Consecrandi quinque hostias ex decem, quas in manibus habet, si non designet quales, nulla erit Consecrata, & an sufficiat eam explere in Sacristia, dum vestibus sacerdotalibus induitur absque eiusdem renouatione in Altari? num. 22. & 23. si nullo modo eam habeat sacerdos, cui mors minatur ab heretico, vt consecret totum panem in foro existentem, excusatur n. 25.*

24 *Sacramenta omnia sunt conficienda de materia certa, determinata, & præsenti, excepto matrimonio, quod validum est etiam inter absentes.*

Resolutio LX.

1 MVlti sunt casus, in quibus potest sacerdos non ieiunus, consecrare, & Eucharistiam sumere, quorum primus est, quando post sumptionem sanguinis, & ablutionem videt in patena, vel corporali fragmenta potest licite illa sumere, quia pertinent ad idem conuiuium, non dum absolutum, dummodò hoc faciat incontinenti ante recessum ab Altari *Nauar. in summa cap.25. n. 90. ex Caiet. & alijs, sequitur Henriq. lib.8. cap.50. n.2. & pro communi tradit P. Dia. par.2. tr.14. resol.66. §. secundus casus*, quod si hoc faciat post recessum ab Altari, peccat mortaliter, quantum vis minima sint fragmenta, idem *Nauar. cit. ex Palud. in 4. dist.6.q.1. in fine, & Rosella V. Eucharistia 3. §. 13.* volens conseruanda esse ad sumenda altera die, aut ministranda alicui ad communicandum dispositο.

2 Sed *Fagund. pr. 3. lib. 3. cap.5. num.3.* licet hanc sententiam cum cæteris amplectatur, limitat tamen ex aliquo accidenti, quando st. non possent sine maiori irreuerentia con-

conſeruari, vt putaſi id accidat in aliqua Eccleſia, vbi vna tantum Miſſa celebratur, & ibi non ſeruetur ſacramentum,tunc poſſe illud fragmentum, vel plura ſi adſint ab eodem ſacerdote non ieiuno ſumi, ſi modo non adeſſet alius ſacerdos,vel etiam laicus non ieiunus, paratus ad communicandum; quia illa eſt vera cõmunio, vt docet etiam *Suar. to.3. diſp. 68. ſect.6.* §.1. Primum dictum eſſe in praxi recipiendum vult idem *Dia. par.3. tract.4. reſol45.* quod corroboratur legibus citat. ab eodem Nauar. ibidem; nempe *l. lecta ſi cert. pet. & l. continuus de verb. obligat.* in prima probatur, pactum poſt certæ quantitatis ſtipulationem appoſitum, haberi, ac ſi initio appo-
3 ſitum fuiſſet, quia quæ incontinenti fiunt cenſetur ineſſe. in ſecunda non debere inter ſtipulationem, & promiſſionem actus
4 extraneos interuenire, niſi neceſſarios naturæ, aliàs inualidam eſſe ſtipulationem, ſed iſtæ rationes videntur militare, tam in priori casũ per Nauar. conceſſo, quàm in ſecundo negato, ſi modo ſacerdos ſtatim poſtquam fuerit ad Sachriſtiam reuerſus, hoc aduerterit, & ſumpſerit, antequam ad alios actus diuerterit, non eſt tamen à priori ſententia diſcedendum.

Eſt tamen notandum, quod ſi ſumpto
5 ſanguine, aliquod fragmentum, in Calice remanſerit, non debet cum digito admoueri, & ſumi (ſicut voluit *Scotus in 4. diſt. 8. q. 3.*) propter irreuerentiam vitandam, ſed vinum in eundem Calicem infundi, & poſtea ſumi ſimul cum fragmento,ſicut ſolitum fuiſſe facere teſtatur Nauar. de ſe ipſo loco cit. ex doctrina *Angeli V. Miſſa §.20. & Sylu.V.Euchariſtia 2.q.9.& 3. q.8.* immò addit Suar. vbi ſupra poſſe, & debere in casũ relato apponi vinum iterum, atque iterum, ſi opus fuerit,quia hoc pertinet ad idem ſacrificium cum maiori reuerentia, quam digito appoſito, perficien-
6 dum. Quod ſi ſacerdos reperiat particulas in Altari, quas dubitat ſint, vel ne conſecratæ, ſumere poteſt poſt ſumptionem Euchariſtiæ, & ſanguinis, ac etiam poſt ablutionem vt *ex Sylu. Nauar. Henriq. & alijs ſcribit Bonac. to.1.diſp.4.q.6.pun.2.n.16.* hoc tit;ſed de hoc vltimo dubito, quia ſcimus in die Natalis Domini, ſi in prima, vel ſecunda Miſſa incaute ſumatur ablutio, non poſſe dici tertiam ſine mortali, ergo idem eſſet, ſi ille particulæ eſſent conſecratæ, quæ propterea ſumendæ eſſent ante ablutionẽ, & differt iſte caſus à priori ſub n. 1. quia ibi illud eſt ex accidenti, hic autem data opera,nec iſtud poteſt pertinere ad idem conuiuium vt diximus ibi.

7 Secundus caſus eſt quãdo ſacerdos aquã poſuit in Calicem, putans eſſe vinum album, & illam etiam ſumpſit, tunc, vel de nouo debet conſecrare aliam hoſtiam, & vinum, vt docet *D.Tho. 3.p.q.83. art.6. ad 4.*& mandat etiam Clem. 8.in rubr. general. miſſalis,incipiendo ab illis verbis (qui pridie quam pateretur &c.); vel ſaltem vinum propter integritatem ſacrificij, incipiendo ab illis verbis (ſimili modo &c.) iuxta *Nauar. in ſumma cap.25.n.91.ex Scoto in 4. diſt. 8. q. 3.* Quod idem citat. Pontifex approbat,& videtur magis conueniens ad maius ſcandalum aſtantium vitandum ex Nauar. ibidem, & propterea ſubdunt *Henriq. lib. 6.cap.37.num.3.Nugn. in 3.par. to. 1. q. 83.art.6. dub. 2.Concluſ.1.* Sententiam D. Tho. eſſe ſeruandam caſũ, quo
8 miſſa celebraretur in loco ſecreto; quibus addit *P. Dia.par.2.tract.14. reſol.70.in fine,* non peccare mortaliter ſacerdotem, cui hoc acciderit, ſi ex tali nouitate perturbatus, neque vinum conſecraret, quod tamen ego non admitto, niſi in casũ ignorãtiæ inuincibilis; hoc n. eſſet relinquere ſacrificium voluntariè imperfectum, quod de natura ſua eſt mortale, vt etiam ſupra dictum eſt *reſol. 50. n. 6.*

9 Tertius eſt quando ſacerdoti non ieiuno inijceretur metus mortis, niſi celebraret, & ratio eſt quia lex Eccleſiaſtica, mandans hoc ieiunium naturale, non cenſetur obligare cum tanto rigore, dummodò tamen non fiat in contemptum Eccleſiæ, ſed ad audiendum ſacrum ob deuotionem; quia eo casũ cum illud ſit intrinſecè malum, debet ſacerdos mortem potiùs ſubire, quam celebrare, vt docent multi cum. *P.Dia.par.5.tract.3.reſol. 39.* ſed hoc difficiliter, ſi non impoſſibiliter euenire poteſt, cum nequeat effingi deuotio in eo, qui eſt paratus occidere ſacerdotem innocentem, vt Miſſam audiat; dato tamen,quod ſucce-
10 deret, debet eſſe metus cadens in conſtantem virum, maioris st. rei impetus, qui repelli non poſſit *l. 2. & l. metum autem ff. de eo quod metus cauſa de quo alibi latius dixi.*

Quartus eſt quando Sacerdos reperitur
11 in articulo mortis naturalis, vel violentæ, & non poteſt alio modo habere viaticum, quàm celebrando, tunc etiam non ieiunus

poteſt celebrare, vt cõmunicet per viaticũ; quod, dum ſupra dictum eſt, poſſe tribui alteri, non ieiuno ſiuè ſeculari, ſiuè Eccleſiaſtico in tali art. conſtitutis, poteſt etiã ex paritate rationis ipſe ſumere, quia non eſt plus celebrare, quam communicare abſque ieiunio, ita *Layman lib. 5. tract. 4. c.6. n.20. Dia. par. 5. tract. 3. reſol. 36.* ſed hic caſus videtur ſimilis ſuperiori; quomodo .n. poterit proximus morti: ſiue naturali, ſiue violentæ celebrare?

12 Quintus eſt quando celebrans poſt conſecrationem recordatur ſe non eſſe ieiunũ, tunc poſſe perficere ſacrificium docent *Vaſq. in 3. par. to.3. diſp. 211. cap.5. Villalob. in ſumma par. 1. tr.7. diſp.39. n.12. Coninc. q.80. ſub n.63. P.Dia. par.2. tract.14. reſol.66. in fine*, quod eſt rationabile, etiam ſi hoc aduertat ante conſecrationem iuxta DD. *apud eundem Dia. par.4. tract. 4. reſol. 104. §. tandem* ex cauſa ſcandali aſtantium vitandi, & reuerentia Sanctiſſimi, licet hoc non legatur in *c.nihil. 7. q. 1.* à ſupra dictis DD. allegato, ſed potius contrarium, & ſolum ibi permittitur, quando ſacerdoti celebranti acceſſit ſubita infirmitas, quæ, impediat complere ſacrificium, vt poſſit alius perficere; Si tamen nullus aſtaret in priori caſu, niſi alius, & ſolus ſacerdos ieiunus, puto poſſe conuenientius compleri ab iſto cum ceſſet ratio ſcandali, & ceſſante ratione legis, ceſſat lex *c.cum ceſſante de appell.* & ſi de hoc recordetur ante conſecrationem, & ſit ſimiliter ſolus, puto ſimiliter decentius eſſe ceſſare vt ſtatim in

13 alio caſu ſimili dicetur. Sed non dubitatur in casũ mortis ſacerdotis poſt conſecrationem, perfici poſſe à ieiuno *Sylu. v. Euchariſtia 2. §. 12. Tolet. lib. 2. c. 9. n. 1. Coninc. cit.* parumque refert in casũ neceſſitatis, quod perficiatur ſacrificium ab vno, vel à duobus; cum .n. ſimus omnes vnum in Chriſto, nihil contrarium, perſonarum diuerſitas format *d.c. Nihil Nauar.in ſumma c. 25. n. 86.* vbi addit debere relinqui imperfectum ſacrificium, ſi hoc accidat ante conſecrationem.

14 Verum non poteſt ſacerdos, non ieiunus celebrare ad communicandum infirmum, etiam morti proximum, licet ſpes alia non adeſſet Euchariſtiam illi tribuendi, quia quamuis hoc ſit præceptum Diuinũ, & Eccleſiaſticum, vt ſupra dictum eſt, non tamen obligat infirmum, quando nequit reuerenter ſuſcipi *Henriq. lib. 8. c. 46. n.1. & c.50. n.1. ex Nauar. in man. c. 21. n. 53. Sylu. & alijs*, quod pro communi tradit *Dia. par.2. tract.14. reſol.66. §.2.* contrarium tamen defendit *Maior in 4. diſt.19. q.3. ad 5. & probabile eſſe dicit Filliuc. tr.4. c.8. n.242.* ſed probabilius oppoſitum; alij tamen apud eundem *Dia. par.5. tr.3. reſol.35. §.2.* docent poſſe pro communicando infirmum non valentem aliud ſacramentum recipere, quia non poteſt aſſignari diuerſa ratio, quare poſſit ſacerdos pro communicando ſeipſum celebrare non ieiunus vt ſupra *n.11.* diximus, & non pro communicando infirmum in eadem neceſſitate exiſtentem.

15 Requiritur vlterius in miniſtro debita intentio ſaltem virtualis, quia habitualis non ſufficit, & actualis non eſt neceſſaria, de quarum ſingulis latè alibi etiam dictum eſt, & nunc addo *P.Dia.par.2.tract.17 reſol. 32.* vbi refert DD. explicantes triplici modo intentionem virtualem, quartum addit *Suar.to.3.diſp.13.ſect. 3. §.hic verò in fine*, de ambulante, qui licet non cogitet de ambulatione, hæc tamen actio non dubitatur, quod procedat ex antecedenti intentione ambulandi, & ſi in actu ambulationis alia cogitet; ſic in propoſito ſi quis veſtibus ſacris ſe induat, intendens celebrare, licet poſtea ſe diuertat, extranea cogitando; illi actus conſecrationis, ac etiam totius ſacrificij diſtracti, emanant à priori intentione, & hanc eſſe ſententiam communem, veram & magis ſecurã teſtatur *Vaſq. in 3. par. to.2. diſp.138. c.6.*

16 Quod ſi ſolum veſtibus ſacris induatur, & abſque alia intentione celebret, & in ſacrificio ſe diuertat, dicunt etiam iſtum habere intentionem virtualem; exemplo ducto à ſuſceptione ſubdiaconatus, qui

17 ſecum trahit votum caſtitatis, licet ad hoc non cogitet in actu ordinationis, vel ante; videtur .n. conſentire, intentionemque habere, etiam vouendi, & quia veſtes ſacerdotales, ſunt ab Eccleſia ordinatæ ad ſacrificium peragendum, ideo in earum indumento, dicunt ineſſe intentionem actualem celebrandi, cuius virtute fit poſtea ſacrificium, etiamſi ad alia intellectus applicetur, niſi contraria intentio ſuccedat *Regin. lib.26. c.3. n.38. & alij*. Immò

18 *Henriq. lib.1. c.10. n.2. in fine* ait, ſufficere intentionem ab initio confuſam, quando st. quis ordinatur, vt fiat ſacerdos, & miniſter Eccleſiæ, quod poſtea abſque alia intentione, etiam cum mentis diſtractione

poſſit

poſſit alia ſacrificia conficere; ſed hæc opinio nullatenus eſt ſequenda, cum potius iſta dicatur intentio habitualis, quam omnes dicunt non ſufficere: imo hoc dictum Henriq. eſt contra ſe ipſum in eodem *n*. 2. vbi docuit, intentionem habitualem non ſufficere, & propterea credo fuiſse errorem impreſsoris; impoſſibile .n. mihi videtur hominem, adeo doctum, ſibi incontinenti contradixiſse, vel in re tam clara erraſse.

19 Vtcumque tamen ſit, prædicta de intentione, licet tot, & tantorum virorum, ſalua eorum omni reuerentia, valde dubia, nè dicam parum in iure fundata mihi videntur; etenim indubitatum eſt apud omnes DD. iūcto Suar. ſibi quodammodo cōtrario *to.3. diſp.43. ſect.6. in princ.* materiam conſecrandam debere eſſer certam, & definiram in indiuiduo; quia actiones circa particularia verſantur; vnde niſi in particulari definiatur materia à conſecrante, nihil eſt quod conſecrari poſſit; intentio .n. operantis, debet eſse practica, & operatiua, quæ talis non erit, niſi verſetur circa determinatam materiam; nec forma ſignificabit effectum, non demonſtrando materiam, quam conſecrare intendit *Vaſq. ſibi etiam contrarius in 3. par to.3. diſp.71. c.1. n.6. Coninc. diſp.64. n.63.*

20 Quod clarius patet ex *D.Tho. in 4. diſt.11. q.2. art.2. Soto diſt.9. q.1. art.2. Victor. in ſumma hoc tit. n.58.* omnibuſque ſummiſtis teſtantibus, neceſsariam eſse ſenſibilem præſentiam huius materiæ; illa .n. pronomina formæ (hoc) vel (hic) deſignant rem ſenſibus præſentem, hoc st. vinum, hunc panem; voluntas namque ſacerdotis non poteſt ferri in incognitum ex principijs notis, idem *Coninc. in 3. par q.47. art.2. dub. 3. n.39.* Imò, & quod magis eſt, ſiquis

21 habeat 10. vel. 8. hoſtias præſentes, & intendat conſecrare 5. tantum, vel 6. ex eis, non determinando quales, nulla ex illis erit conſecrata; quia tunc tam intentio cōſecrantis, quàm materia conſecranda ſunt vagæ, & incertæ *Suar. d. ſect.6. §. & hinc Filliuc. tract.4. diſp.3. n.72. hoc tit. Henriq. lib.8. c.14. in fine, Tolet. lib.2. c.25. in fine, nec vllus in hoc contradicit*, & dictum etiam eſt *ſup. reſol.53. n.5. & 6.*

22 Ex quibus dicendum videtur, non ſufficere ad conſecrationem, vt quis ſacris veſtibus ſe induens, intentionem dicatur habere virtualem conſecrandi, ſiquidem etiam ſi actualem tunc haberet, nequidem ſufficeret, cum obſtent omnia prædicta, præcipuè in conſecratione vini, quod in Altari eſt miſcendum cum aqua; etenim non poteſt dici totum vinum, & aquam in vrceolis exiſtentia eſſe conſecrata, cùm hęc non fuit, nec debuit eſſe intentio ſacerdotis, nec vnam partem illorum, potius quā alteram, quia eſſet materia omninò vaga, & incerta; nec poteſt dici quod feratur intentio ad ea, quæ quis in manibus habebit tempore cōſecrationis, ſiquidem hoc modo domi exiſtens, poſset conſecrare panem in foro manentem, quod nullus dicit, quia materia debet eſse præſens, vt verificentur pronomina (hic) vel (hoc) in forma contenta *D.Tho. in 4. diſt. 11. q. 2. art.1. in fine*.

Vix ergo admitto, poſse in ſacriſtia, viſis hoſtijs in Pixide, vel patena, & expleta ibidē intentione eas conſecrandi, remanere, poſtea conſecratas, prolata tempore cōſecrationis debita forma, licet intentio nō renouetur, quia tunc dicitur adeſse virtualis, idem dico de vino aqua permixto poſt ſemel expletam in Altari debitam intentionem, quæ confirmantur ex obſeruantia ſa-

23 cramenti baptiſmi cum valeat argumentū de vno ad aliud *D.Tho. in 4. diſt. 30. q. 1. art. 1.* etenim ſi quis haberet intentionem baptizandi hominem, & non hunc hominem, nihil ageret; quia intentio debet ferri circa materiam certam, determinatam, & præſentem *Suar. d. ſect.6. §.1. in fine Bo-*

24 *nac. diſp.4. q.2. pun.5. n.3.* Idem de omnibus ſacramentis (excepto matrimonio, quia eſt contractus, qui etiam nutù, ſolo conſenſù, & abſque verborum forma contrahi poteſt, & etiam inter abſentes per procuratorē, vel epiſtolā vt infra v. matrimonium late, & partim *in reſol. ſequenti. n.19.*) teſtatur *Henriq. lib.8. c.14. n.2. in fine*,

25 vbi multi. His tādem adde quod piè ſcripſit *Sancius in ſelectis diſp. 35. n.6.* poſse st. ſacerdotem ob timorem mortis, ſibi incuſſum ab hæretico, vt conſecret totum panem in foro exiſtentem, non habere intentionem conſecrandi, ad vitandum illud tam magnum inconueniens.

Agitur de ſuſceptore Euchariſtię, & diſpoſitionibus ad hoc requiſitis.

SVMMARIVM.

1 *Euchariſtiam ſi ſuſcipiat infidelis, quid in ea ſuſcipiat?*

2 *Chriſtus manet ſub ſpeciebus ſacramentalibus; quamdiu non conſumuntur à ſumente, etiam ſi recipiantur à mure, vel alio quolibet irrationali.*

3 *Confirmatus, qui non eſt, licitè & proficuè ſuſcipit Euchariſtiam, alio impedimento non obſiſtente, non ſic catechumenus.*

4 *Rationis vſus quando ſupponitur accedere minori?*

5 *Euchariſtiam in qua ætate teneantur pueri ſuſcipere ex Eccleſiæ præcepto, & n. 7. vſque ad 11.*

6 *Hæreditas poteſt per pupillum ſeptennio cõpleto adiri, etiam ſinè Tutoris authoritate, adito tamen Prætore.*

9 *Infantibus olim Euchariſtia concedebatur, licet rationis vsũ carentibus.*

12 *Amentibus, qui numquam habuerunt rationis vſum, numquam eſt danda Euchariſtia, ſi verò aliquando, & poſtea amiſerunt, eſſe ſolum dandam in articulo mortis dicunt aliqui, quod Author negat & n.13.*

14 *Fatui vnde dicantur, qui tales ſint, & an poſſit eis Euchariſtia concedi, vel extrema vnctio? & quid de furioſis? n. 15. vel ſemifatuis? n.16.*

17 *Surdis, & mutis non eſt deneganda Euchariſtia, ſicuti neque pœnitentiæ ſacramentum; poſſunt ꝗn. hæredes inſtitui, hæreditatem adire, atque alios contractus gerere, præter ſtipulationem n. 18. matrimoniumque contrahere n.19.*

20 *Euchariſtia an & quando poſſit concedi vomitum, vel magnam tuſſim patientibus, ita quod cibum retinere nequeant?*

21 *Species ſacramentales ſi per vomitum emiſſæ fuerint, ſunt in aliquo loco ſacro reponendæ, & poſt quam fuerint corruptæ, in ſacrarium proijciendæ.*

22 *Obſeſſis à Dæmone ſeù energumenis non eſt Euchariſtia deneganda, niſi adeo vehemens ſit obſeſſio, vt omninò impediatur [illegible] vſus.*

23 [illegible] *aqua de Cælo cadens, ſi caſualiter in os ingrediantur, communionem non impediunt.*

24 *Ieiunium incipit à media nocte, qua pulſata ſecundum horologium Hiſpanorum, ſi reperiatur buccella in ore, eſt proijcienda, alias frangitur naturale.*

25 *Euchariſtiam ſumpturus, ſi dubitat an cœnauerit poſt mediam noctem, depoſito practice dubio, ſi probabilitatem non habet contrarij, poteſt eam ſumere.*

26 *Somnus etiam nullo modo captus, vel totalis indigeſtio, non impediunt Euchariſtiæ ſumptionem.*

27 *Tabachij ſumptio, tam in puluere quam in fumo non impedit communionem, ſecus ſi ſumatur per os in folio, & aliquid in ſtomachum traijciatur etiam per nares ante miſſam, Fuit prohibita ſub pœna excõmunicationis in certis Prouincijs n. [illegible] & 29. Non poteſt ſumi in Eccleſijs S. Petri, & Ciuitatis Hiſpalenſis cum ſua Diœceſi ſub pœna excommunicationis, in alijs autem Eccleſijs eſt ſaltem veniale n. 30.*

31 *Excommunicatio non poteſt infligi, niſi pro mortali.*

32 *Excommunicatus, vel interdictus perſonaliter, aut alia cenſura ligatus neque poteſt ſacrum facere, vel communicare.*

33 *Contritio, vel ſaltem attritio, confeſſione comite, neceſſario requiritur in Euchariſtiæ ſuſcepturo, ſi conſcientiam mortalis habet, deficiente verò confeſſario an ſufficiat attritio, ſi neceſſitas vrgeat?*

34 *Pollutio nocturna an & quando ſit mortale; & ſi talis non ſit, an & quando impediat acceſſum ad communionem.*

35 *Copula coniugalis ex ſola delectatione, an ſit veniale, & an impediat Euchariſtiæ ſumptionem, ſi ſecuta fuit nocte præcedenti? Illicita, vel quoduis aliud mortale noctis antecedentis, ſecuta attritione, & confeſſione, non impediunt communionem ſequentis diei n.36.*

37 *Venialia ſicuti omittuntur in confeſſione ſinè culpa, ita etiam ſine culpa acceditur cum illis ad communionem, per quam etiam tolluntur, ſi actualiter non placeant & n. 39.*

38 *Euchariſtiam ſumens, datur caſus, in quo nec gratiæ augmentum ſuſcipit, nec peccatum committit & n.40.41. & 42.*

43 *Hæreditas ſolo animo aditur, ſed aliquo modo declarato.*

Reſo-

Reſolutio LXI.

VTrumque caput declaratur, & com-
prehenditur his verſibus.
Lotus, diſcretus, ſanus Ieiunus, & aptus
Contritus ſaſſus, mundus, recteq; paratus
1 Primo ergo requiritur Baptiſmus, nam
infidelis, ait *D. Tho.par.3. q. 80. art. 3.ad
2. & 3.* ſumens ſpecies ſacramentales,
Corpus Chriſti ſub Sacramento ſumit,
eumque ſacramentaliter manducat, ſi ly
Sacramentaliter determinat verbum ex
parte manducati, ſi autem ex parte man-
ducantis,tunc propriè loquēdo nō mādu-
cat ſacramentaliter, quia non vnitur ei,
quod accipit,vt Sacramento, ſed vt ſimpli-
ci cibo; idem dicit *in 4. diſt.9.q.1. art. 2.*
2 *quaſtium. 2. in corp.* Quam Theoricàm ex-
plicans *Suar. to. 3.diſp. 62. ſect. 1. §. tertio
rurſus, & ſect.2. §. fin.* dicit Chriſtum ma-
nere ſub ſpeciebus,quandiù ſpecies conſe-
cratæ durant, tam ſi ſumantur ab infideli,
quam etiam à Bruto, quia certum eſt poſſe
illas à mure, vel alio Bruto manducari, ſi-
cut alium panem, vt experientia docet, &
intrare Corpus Chriſti, quò intrant ſpe-
cies, ſed iſtam ſumptionem formaliter, &
ex intentione ſumentis non eſſe ſacramen-
talem, quia qui caret fide, & cognitione;
ex parte,& intentione ſua, non recipit ſa-
cramentum, ſed dicitur per accidens man-
ducare Corpus Chriſti, ex neceſſitate st.
3 rei manducatæ. Validè autem, ac etiam
proficuè ſuſcipitur à baptizato, licet non
confirmato, vt ex *Præpoſ. contra Sotum in 4.
diſt. 7. q.vnica art. 7.* (qui putabat, ſaltem
eſſe veniale) docent multi cum *P.Dia.par.
4. tract. 4. reſol. 50. §. nota ſecundo*, non
autem à Catechumeno, vt docent idem
*Soto cit. diſt.18. q. 1. art.3.Bonac.ſub hoc tit.
diſp. 4. q. 6.* in princ. quidquid in contra-
rium dixerit Suar. etiam cit. *diſp. 69. ſect.
2. §. 1. in princ.*
Secundo requiritur diſcretio, ideſt ra-
4 tionis vſus,qui ſolet oriri in ſeptēnio com-
pleto iuxta *tex. in cap. 1.de delict. puer.* vbi
Gl. V. grandiuſculus docet in tali ętate con-
ſtitutos, mentiri, verum dicere, confiteri,
& negare poſſe, ex traditis per *Auguſt. in
Epiſt. ad Renatum Epiſcop.* & ſubdit ex dia-
logo Gregor.de puero quinque annorum,
qui iurans, deteſtans, & blaſphemans; fuit
5 à dæmone raptus: concordat tex. *in cap.
omnis de pænit. & remiſſ.* vbi generaliter iu-
betur omnibus fidelibus tam confeſſio,
quàm communio poſtquam ad annos diſ-
cretionis peruenerint. Facit etiam *tex. in
l. ſi infanti §. fin.C. de I. delib.* vbi ſtatuitur,
poſſe poſt ſeptennium completum, quan-
do terminatur infantia, pupillum Tutore
carentem adire hæreditatem, ſola Prætoris
authoritate; ergo ſupponitur in ea ętate
ſufficiens diſcretio,& propterea puto ſatis
7 probabiliter docuiſſe *Sancium in ſelectis
diſp. 26.* ligari hoc præcepto pueros eo
ipſo, quo confiteri tenentur, quia non mi-
nor diſcurſus in confeſſione,quam in com-
munione requiritur; imo maior ibi, cum
diſtinguere oporteat culpas, & præcepta,
non tamen ſubiacere excommunicationi,
alijſque pænis canonicis, ſi non communi-
cauerint.
8 Quam opinionē probabilē appellat etiam
Dia.par.3. tract.6.reſol.70. n. 7. licet ab ea
ipſe diſcedat, ſed pro certa eam ante San-
cium docuit *Palud.in 4. diſt.12.q.1. n. 25.*
quando n. (ait ipſe) poteſt quis mortaliter
peccare, obligatur ad confeſſionem, & cō-
munionem; ſed in ſeptimo anno comple-
to poteſt peccare *dicto c. 1.*ergo tunc etiam
obligatur ad prædicta, ſequitur *Tabie. V.
communicare n.3. ex D. Anton. par. 3. tit. 9.
cap.8. §. 2. & par. 3. tit. 14. cap. 12. §. 5.
idem voluit Caſtro Palaus to.1. tract. 3.diſp.
1. pun. 24. §. 2.* Adde *Trid. ſeſſ.13. can. 9.*
9 vbi idem generaliter mandatur, quod fuit
ſtatutum in cit. *c. omnis, imò in Catech.Rom.
hoc tit. n. 62.* legitur fuiſſe olim conſuetu-
dinem, vt etiam infantibus Euchariſtia
præberetur, hodie tamen tribui, quando
vſus rationis adeſſe ſupponitur, ſi guſtum
& deſiderium illius ſumendæ teneant, &
diſcernere nouerint hunc à communi &
profano pane, & *Bellarm. lib. 2. diſt. 6. cap.
3. eod. tit.* ait hanc cognitionem importa-
re, quod ibi contineatur realiter corpus,
& Sanguis Chriſti, quod conferat gra-
tiam, quod cultus,& veneratio illi debea-
tur, & tandem quod neceſſaria ſit præpa-
ratio antequam ſumatur, quibus per ipſos
pueros ignoratis, curare debere Patrem,&
confeſſarium eos illa docere, vt valeant
Eccleſiæ præcepto ſatisfacere.
10 Suar. tamen cit. *diſp. 70. ſect. 1. §. fin.*
exiſtimat, hoc præceptum obligare in
articulo mortis, tam ex parte dantis quàm
ſuſcipientis, omnes rationis vſum haben-
tes, ſicuti obligat pænitentiæ Sacramen-
tum; extra quem minimè, niſi à decimo
anno ſupra quod etiam docent *Vaſq.*
in 3.

in 3. par. tom. 3. disp. 214. cap. 4. Granad. & alij cum P. Dia. vbi sup. & par. 5. tract. 14. resol. 50. asserentes hanc esse hodiernam consuetudinem Ecclesiæ. Sed ego non video, quare puer in eadem ætate constitutus teneatur ad hoc præceptum in articulo mortis, & extra eum minimè, cum experientia doceat, non solum minores, sed etiam maiores, vti mortis doloribus vexatos amittere potiùs, quam acquirere in illo articulo rationis vsum; verum quia ita quoque voluit ante eos *D. Tho. communis Mag. in 4. dist. 9. q. vnica art. 5. quæstiunc. 4. ab eis non citat.* ideo caput, & genua flecto.

12 Amentibus autem si numquam habuerunt rationis vsum, numquam est Eucharistia præbenda, nisi constiterit aliquando illum habuisse, tuncque deuotionem huius sacramenti demonstrasse, & postea eundem vsum amisisse; eoque in casu solum in articulo mortis, etiam quod in amentia constituti reperiatur, tribui posse, nisi forte timeatur periculum vomitus, vel expulsionis docent *D. Tho. par. 3. q. 80. art. 9. ex c. is qui 26. q. 6. cũ distinctione, vt infra Regin. lib. 29. n. 79. Catech. Rom. eodem tit. num.* 64. ex decreto Concil. Cartagin. Bellarm. eod. tit. lib. 2. dist. 6. cap. 3. Bonac. hoc tit. disp. 4. q. 6. pun. 1. n. 4. & 5. Sed addit *Dia. par. 2. tract. 14. resol.* 78. non esse in prædictis casibus exceptis absolutè negandam, sed faciendam experientiam cum hostia non consecrata, & si illam suscipiendo decenter se gesserint, tradendam esse consecratam, sed hoc valde periculosum existimo, cum possit accidere, vt illam non euomant, vel expuant, & istam sic, vt solent facere rationis vsù carentes, & *Catech. cit.* docet, dandam esse Eucharistiam, si nullũ omnino periculum timeatur; & propterea hoc intelligunt DD. cit. de illis amentibus, qui propter magnam febrem solent delyrare, seù in phrenesim conuerti, vt loquitur præcipuè D. Tho. quia furiosis nullatenus est hoc sacramentum tribuendum.

14 Quid dicendum de fatuis; hi sunt iuxta *Esai. cap. 32. & Hierony. to. 2. Epist. 85. ad Eudgium Episcop. relatum per Grat. in c. legimus dist. 93.* qui fatua loquuntur, & addit *Bar. to. 10. tract. de testib. num.* 98. dici à fando, hoc est loquendo, quia loquendo suam fatuitatem ostendunt, sed Vlpian. *in l. 4. ff. de ædil. edicto,* hos esse docet, qui propter febrem loquuntur aliena, vel per vicos more insanorum deridenda; si ergo isti in infirmitate eodem modo se gerunt, non sunt propter relata pericula communicandi, sed quia solent aliquando rectè loqui, licet alia verba fatua interserant iuxta *Bart. cit. ex l. quidam in suo testamento ff. de condit. instit.* vbi facto rectè testamento, adiecit Testator fatuus conditionem, velle st. Titium suum hæredem esse, si reliquias suas in mare abijceret, quæ vltima verba iuxta tex. indicant fatuitatem, & ideo obseruandum est tempus rectæ locutionis, & tunc tribui Eucharistia poterit.

15 Quod autem subdit *Dia. in cit. resol.* 78. *in fine ex D. Anton. Palud. Ledesma Henriq. & alys,* posse st. non solum istos, sed etiam furiosos extrema vnctione muniri, & si resistant, ligari, in secreto tamen ad tollendum scandalum, si modo constet, vel probabile sit, non in mortali in furorem incidisse, puto sinè vllo scrupulo fieri posse, quia cessant omnia pericula, & potest sacramentum prædictum recipientibus maxime prodesse; semifatuos verò, hoc est

16 habentes imperfectum rationis vsum, esse etiam tempore Paschatis ad communionem admittendos, & fortiùs in articulo mortis, ac etiam aliquando in vita infra annum, non tamen frequenter, nisi aliter prudenti confessario videbitur, salua tamen sacramenti reuerentia, rectè scribit ex Posseuin. *Bonac. cit. disp. 4. qu. 6. pun. 1. num.* quod idem est dicendum de pænitentia, vt infra V. pænitentia.

Item surdis, & mutis etiam a natiuitate, si ex signis percipiant mysterium Eucharistiæ non est deneganda, sicuti nec pænitentia, licet difficilioris cognitionis videatur,

18 sicuti n. possunt hæredes institui *l. 1. §. mutus de hæred. instit.* & hæreditatem adire *l. mutum ff. de acquir. hæredit.* si tamen intelligunt quod agunt, vt ait Imperat. *in §. fin. in fine instit. de hæred. qualit. & differ.* item manumittere seruos *l. 1. ff. qui & à quibus & l. surdi de manum. vind.* ita etiam sacramenta sumere, ex ratione, & regula generali *tex. in l. vbi non voce de regul. Iur.* Imo docet *Bart. ex l. 1. n. 11. de verb. oblig.* surdum, & mutum omnes contractus posse iure facere, præter stipulationem, quæ requirit pro forma loquelam stipulantis, & stipulari ex dicta *l. 1. vbi n. 7.* testatur de quodam Nello de Gabrielis surdo, & muto, & tamen tantæ perspicaciæ, vt homines quantumcumque secretè loquentes, ex labio-

ſolo labiorum motu intelligeret, quatenus tamen eius viſus protenderetur. Idem
19 voluit *Sanch. de matrim. to. 1. lib. 1. cap. 8. ſub n.* 12. vbi dixit tales regulariter eſſe perſpicacis ingenij, & facile apprehendere quæcumq; ſibi per nutus, & ſigna demonſtrantur, pro vt etiam ſuos conceptus alijs manifeſtare, & proinde matrimonium validè contrahere, ergo eodem modo, vel à fortiori poterunt alia ſacramenta licitè, & proficuè ſumere vnde *P. Dia. ex Henriq. Zambr. Palao & alijs par. 5. tract. 6. reſol.* 7. rectè probat debere prædictis, non ſolum in morte, ſed etiam pluries in vita ſacramenta concedi, ſi ea per ſigna petierint.

20 Tertio requiritur ſanitas, & propterea ijs qui patiuntur vomitum, vel magnam tuſſim, ita quod cibum, quantumuis modicum retinere nequeant, ſed ſtatim illum in propria ſpecie euomunt, vel ex vehementia tuſſis expellunt, Euchariſtia non eſt danda; quod ſi vomitus ceſſauerit per ſex horas, tribui poſſe vult *Sancius in ſelect. diſp. 38. n. 2. & addit Dia. cit. tract. 3. reſol.* 55. ſufficere vnam horam iuxta prudens Conſilium Medici, & hoc eaſu erit neceſſaria experientia de prius danda particula non Conſecrata, quod ſi præuijs diligentijs prædictis contingat, ſtatim ſumpta conſecrata vomitum, vel tuſſim redire; per accidens erit, & euenire poſſet, etiam ſi infirmus numquam vomitum paſſus fuiſſet,
21 eoque in caſu Euchariſtia per vomitum emiſſa in aliquo ſacro loco eſt conſeruanda, & poſtquam corruptæ fuerint ſacræ ſpecies, in ſacrarium proijciendæ.

Item non eſt deneganda Euchariſtia obſeſſis à dæmone, ſeù energumenis, quibus ait *D. Tho. par. 3. q.* 80. *art. 9. ad 2. ex Caſſiano*, à ſenioribus noſtris numquam fuiſſe interdictam; hoc tamen intelligendum eſt, niſi adeo vehemens ſit obſeſſio, vt impediatur rationis vſus; quo in caſu eſſet practicandum, quod dictum eſt de amentibus ſeù phreneticis *Regin. cit. num.* 80. *Bonac. diſp. 4. q. 6. pun. 1. num. 6. ex Suar. & alijs*.

Quarto requiritur, vt ſumens ſit ieiu-
23 nus, alias peccat mortaliter, vt dictum eſt in antepriori reſol. cum limitationibus ad regulam; quibus adde non impedire communionem ſi muſca, vel aqua de Cælo cadens, caſualiter in os ingrediantur, *Bonac. cit. pun. 2. ſub n. 6. Granad. Henriq. & alij apud Dia. p. 5. tract. 8. reſol. 12. in fine*; quod ieiunium incipit à media nocte illius diei, quo eſt ſumenda Euchariſtia, vt omnes
24 ſciunt, & docet *Suar. cit. §. dices ergo*. Et addit *Dia. par. 3. tract. 4. reſol. 36. §. notandum*, poſt primã pulſationem horologij mediæ noctis ex 12. hiſpanorum, adeo eſſe prohibitam manducationem, etiam immediatè, vt ſi quis bucellam ante pulſationem ad os poſuerit, & ante deglutionem, horologium pulſauerit, proijcere eam debere, ſi vult communicare, niſi in eadem Ciuitate plura eſſent horologia, & ſtare vellet potius vni, quam alteri, quia eo eaſu haberentur, vt plures opiniones probabiles, quarum quamlibet ſequi non eſt prohibitum, niſi falſitas eorum eſſet manifeſta *Sanch. de Matrim. to. 1. lib. 2. diſp. 41. n. 4. & 40. idem Dia par. 4. tract. 3. reſol.* 19.

25 Dubius autem an aliquid cibi, vel potus traiecerit poſt mediam noctem, vel etiam ſi ſit dubius de cæna poſt mediam noctem, puta quando dubitatur an ſit pulſata hora mediæ noctis, licet *Sanch. dicto num.* 40. voluerit quod non poſſit eadem die communicare, tanquam non ieiunus, quia poſſeſſio eſt pro præcepto communicandi ſeruato ieiunio naturali; probabilem tamen exiſtimant contrariam opinionem *Sancius in ſelect. diſp. 42. Laiman in Theolog. moral. lib. 1. tract. 1. cap. 5. §. 4. n. 36. Dia. cit. par. 3. tract. 4. reſol.* 29. dummodo deponat dubium practicè, iudicans probabiliter, quod
26 hic, & nunc ſibi liceat cõmunicare, & nihil guſtaſſe poſt initium mediç noctis; nihil autem refert nõ dormiuiſſe, vel non digeſſiſſe, etiam ſi parum ante mediam noctem ſit cæna facta, quia nullo Iure prohibita eſt eadem die communio *Suar. loco cit. §. ſed quid, & alij communiter*.

28 Tabachij verò ſumptio in puluere, vel in fumo licet *Antonius de Leone par. 2. §. 4. num.* 10. multis medijs probare conetur, quod ſit ieiunij naturalis fractio; contrarium tamen tenent communiter DD. quia dum prohibetur ſolum cibus, & potus, qui ſumuntur per os, & tranſmittuntur ad ſtomachum pro vitali actione comeſtiua, & potatiua, vt ait *Fagund. pr. 3. l. 3. cap. 5. n.* 14. & tabachium ſumitur per nares, conſequenter non frangitur ieiunium, ſi autem ſumatur in folio per os, & in ſtomachum tranſmittatur, quia hoc eſt per modum cibi, frangitur, vt docent *Præpoſ. 3. par. q. 80. art. 8. dub. 1. n. 39. Alphonſus de Leone Io: delacrux & alij apud. Dia. par. 5. tract. 13. reſol.*

29 *reſolut.* 1. Qui quidem P. in iſto caſu tan-
tùm eſt eiuſdem opinionis ibidem §. *verũ*
modo, ſed in alijs ſupradictis negat frangi,
& inuehit contra cit. Anton. qui pro ſua
firmãda ſententia refert duo concilia pro-
uincialia, Limenſis st. & Mexicani confir-
mata per S. Congregat. in quibus ſub pœ-
na excommunicationis latæ ſententiæ fuit
prohibita ſumptio tabachij ante miſſam
in certis Prouincijs, quibus reſpõdet Dia.
dicens in illis partibus prohibitã fortaſſe
fuiſſe, quia ad vomitum prouocet; & licet
hæc videatur diuinatio, non propterea re-
cedo à communi opinione, cum Concilia
ſint localia, & ſumptionem in ſolio per os
tantum omninò fugiendam eſſe ante miſ-
ſam puto; irreuerentia namque magna o-
ritur, ex tali ſumptione in illo ore, in
quod ſtatim, vel paulo poſt intrare debet
ſanctiſſimum Chriſti Corpus.
30 Etenim ſola eius ſumptio etiam per
nares in Eccleſia Sancti Petri Romæ, & in
Ciuitate Hyſpalenſi cum eius Diœceſi fuit
prohibita ſub pœna excõmunicationis, ip-
ſo facto incurrendæ ex decreto Vrbani 8.
confirmato ab Innocentio X. vt refert *Dia.*
cit. part. 10. *tract.* 16. *reſol.* 23. quam pœnã
Paſqual. in quæſt. can. cent. 2. *q.* 175. exten-
dit ad omnes Eccleſias, ſaltẽ quo ad mor-
tale contrahendum, non quia prohibita,
ſed quia mala, ex circumſtantia loci; quod
licet neget *Cardin. de Lugo in reſponſ. mo-*
ral. lib. 1. *dub.* 9. *nu.* 7. concedit tamen non
poſſe accipi in Eccleſijs ſine magna irre-
uerentia, & propterea monet omnes, ne il-
lud ibi, vel in earũ ambitu ſumant. Funda-
31 mentum tamen Paſqual. eſt, quia excom-
municatio non poteſt infligi, niſi pro cau-
ſis ſecum trahentibus mortale, vt legitur
non *in c. Romana, & c. dilecto de ſentent. ex-*
com. in 6. *cit. à Diana dicta reſol.* 23. *ſed in c.*
nemo 41. *in ordine* 11. *q.* 3. *& Gl. in c. ex par-*
te verb. pro contumacia de ſentent. excomm.
ergò cum ſit inflicta excommunicatio ſu-
mentibus tabachium in locis prædictis, ar-
gumentum eſt, talem ſumptionem in om-
nibus Eccleſijs eſſe de natura ſua mortale,
aliàs excommunicatio infligi iure non po-
tuiſſet, & conſequenter dum hoc prohi-
betur omni tempore in Templis prędictis,
tàm ſi ſumatur in puluere, vel in fumo,
quã in ſolio ſub pœna excõmunicationis
ratione irreuerentiæ, multo magis dicendũ
eſt eſſe prohibitum in alijs Templis ſacris,
ſaltem ſub veniali quomodocunque ſu-
matur. Verùm ſi ſumatur per os in folio
ante communionem, puto frangi ieiunium
naturale, & ideo non eſſe ita ſumendum
dixi, & iterum dico.
32 Quinto requiritur, vt ſumens Eucha-
riſtiam ſit aptus, hoc eſt non ligatus ex-
communicatione, vel interdicto perſonali,
aut alia cenſura; tales enim in eo ſtatu hęc
menſa non admittit, vt ſuis locis cum li-
mitationibus ad regulas dictum eſt, Sextò
33 vt ſit contritus, vel ſaltem attritus: ſi
conſcientiam habeat, vel dubium peccati
mortalis (venialia enim non impediunt) vt
pluries dictum eſt, & patet ex Tridẽt. ſeſſ.
14. cap. 5.) quod neque eo caſu ſufficit in-
diſtinctè vt ſtatim dicitur. Septimò vt ſit
confeſſus, quia, quantumvis ſit contritus,
non poteſt communicare, niſi præuia cõ-
feſſione ſacramentali, excepto ſi neceſſitas
vrgeret, & copia Cõfeſſarij deficeret (quo
casù poſtea quamprimum confiteri tene-
tur Trident. ſeſſ. 13. cap. 7. & can. 11.) quæ
particula *quamprimum*, non intelligitur;
quando ſacerdos ſuo tempore cõfitebitur;
ſed antea vt fuit declaratum *per Alex.* 7. *in*
ſua bulla emanata 23. *Martij* 1666. *ſub nu.*
38. *&* 39. vbi licet ſermo ſit de ſacerdoti-
bus, idem erit ſeruandum in cæteris ex
paritate rationis *l.* 3. *§. proinde. ff. de in rem*
verſo, & §. pari ratione inſtit. quib. modi ius
patr. pot. ſolu. & vide etiam infrà reſol. 63.
nu. 2. & licet *Caiet. in ſumm. verb. Commu-*
nio 2. voluerit ſufficere in omni caſu con-
tritionem, non tamen meruit reprehendi
à Dian. in ſumma, v. Communionis, num. 63.
cum ſcripſerit ante Trident. quo tempore
multi idem docuerunt; deficiente vero
Confeſſario, & neceſſitate vrgente, aliqui
dicunt ſufficere attritionem, quos refe-am
cum mea opinione infra *reſ.* 79. *num.* 9. *&*
10. *vbi videas.*
34 Octauò, vt ſit mundus, ideſt non pollu-
tus, quod ſi hoc accidat voluntariè, certũ
eſt non poſſe communicare, quia commu-
nicaret in mortali, & conſequenter ſacrile-
gium committeret, niſi præcederet con-
feſſio; ſi verò inuoluntariè per pollutionẽ
nocturnam, & tunc ſi præceſſerunt cogi-
tationes turpes, ei cauſam dantes, idem
eſt, etiam præciſa pollutione, ſed ex vi
ſolarum turpium cogitationum, ſi fuit illis
præſtitus conſenſus: ſi verò minimè, ſed
hoc accidit ex nequitia dœmonum, vel ex
debilitate, aut ſuperfluitate naturæ, non
35 debet propterea abſtinere. Si verò ex ſu-
per-

perfluitate cibi, idem eſt iudicandum, quod de coniugatis, qui ſi nocte antecedenti coitum exercuerunt, non cauſa reddendi debitum, vel prolis generandæ, ſed ſimplicis delectationis prohiberi debent, ne accedant ad Sacramentum, vt docet *D. Thom. p. 3. qu. 80. art. 7. ad 2.* Sed etiam in iſto caſu, ex congruentia tantùm propter reuerentiam Sacramenti conſulit idem Sanctus ibidem *ad* 1. vt abſtineant, quia vt addit *ad* 2. *ex Hieron. ſup. Matth.* dum panes propoſitionis comedi non poterant ab illis, qui tetigerant vxores, multò minus iſte panis; qui de Cœlo deſcendit, ſed nihilominus in tali ſtatu accedere, verum puto culpam venialem non eſſe, licèt præceſſerit illa corporalis immũditia iuxtà *Sancium in ſelect. diſp. 23. n. 30.*

36 Poſito enim, quod quis peccaret mortaliter in eodem genere peccati, vel aliàs, & eadem nocte, ſi poſtea contritus, & confeſſus, ſacrum conficit, vel communicat, non propterea aliud mortale, vel veniale committit communicando iuxta doctrinam eiuſdem Sancti cit. ad 4. & percipitur etiam ex *Trident. cit. c. 7.* conſcius .n. mortalis peccati, ſi per confeſſionem ſe purget; non eſt cur abſtinere debeat à cõmunione, aliàs oporteret dicere peccatum non eſſe remiſſum, quod eſſet hæreticum, vt rectè arguit Sancius citatus apud *Dian. part. 3. tract. 4. reſol. 30.* Et conſequenter reijciendæ ſunt opiniones tàm *Nauar. in c. 1. de pœnit. diſt. 6.* volentis mortale aliud committi ab accedente ad Euchariſtiam ante diẽ integrum poſt quodcunque mortale, etiam contritum, & confeſſum, quam *Villalob. in ſumma tom. 1. tract. 7. difficul. 37 num. 11.* & aliorum, dicentium eſſe veniale ratione prædictæ corporalis immunditiæ, quos rectè impugnat Sancius vbi ſupra. Et propterea dato ſine præiudicio veritatis illos actus coniugales, vel ex ſuperfluitate cibi occurrentes, & præceden-

37 tes eſſe venialia; iſta poſſunt etiam in confeſſione omitti citra culpam *Trid. ſeſſ. 14. cap. 5.* igitur etiam citra culpam acceditur cũ illis ad Euchariſtiam, cuius proprium munus eſt illa tollere, ſi adeſſent, dummodò actu non placeant, vt generaliter ait *D. Tho. in 4. diſt. 12. q. 2. art. 2. quæſtiunc. 2. in corp.* etenim ſi poſt mortale cõmiſſum, confeſſione ſecuta, licitè & cum profectu acceditur ad communionem; multo magis poſt veniale, quod confeſſione non indiget, vt dictum eſt, à quibus conſequenter non ſolùm non diſcordat, ſed potius concordat idem Sanctus citat. dum nullo modò dicit hoc eſſe veniale.

38 Nonò, vt ſit rectè paratus, ideſt deuotus, & attentus ad maiorem gratiam recipiendam; etenim ſi indeuotè hoc Sacramentum ſumit, neque maiorem gratiam ſuſcipit, neque mortale committit; deuotionem autem impediunt venialia, quæ actu delectant, & voluntariæ diſtractiones; imò nec venialia impediunt ex toto effectũ huius Sacramenti, qui eſt augmentum gratiæ, ſed ſolùm illa, quæ tollunt actualem deuotionem, requiſitam in hoc Sacramento; quo in caſu contrahitur alterũ veniale, ex quo quis imparatus accedit, vt docet *D. Tho. cit. art. 1. quæſtiunc. 3. in corp. & ad 3. & part. 3. quæſt. 79. art. 8. in corp.*

39 vbi addit venialia actu exercita, tollere etiam illam ſpiritualem dulcedinem, quã conferre ſolet hoc Sacramentum, ſed non augmentum gratiæ habitualis. Quod tamen eſt intelligendum, ſi aliundè adſit aliqua actualis deuotio, & ſic vtraque doctrina Sancti concordat, vt etiam docent *Caiet. d. art. 8. Sylu. Palud. Durand. & alij apud Suar. to. 3. diſp. 63. ſect. 3. §. 1.* licet ipſe à prædictis recedat, cum inferius aſſerat, ad augmentum gratiæ conſequendum

40 per hoc Sacramentum neutram diſpoſitionem neceſſariò requiri, ſed ſolùm ſtatum accedentis ad illud in gratia; eſſe tamen prædictas diſpoſitiones valdè vtiles ad maiorem gratiam conſequendam.

Non primam ſt. carentiam venialium, etiam actualium, quia iſta, cum non pugnent cum gratia, non poſſunt illam impe-

41 dire, nec ſecundam ſt. actualem diſpoſitionem, ſeù deuotionem, cum nullibi ſecundum eum conſtet hoc fuiſſe præceptum, ſed tantùm requiri *ex Trident. ſeſſ. 13. c. ſi non decet 7.* carentiam mortalium, & PP. qui de hoc ſunt locuti illam conſuluiſſe ſolùm ad maius bonum; quod vlterius probat; quia dum Eccleſia ſolet tribuere hoc Sacramentum infantibus, amentibus, & phreneticis, qui probabiliter talem diſpoſitionem non habent, inrationabiliter ageret, ſi ſciret eſſe incapaces effectus eius, ſt. gratiæ, quod non eſt præ-

42 ſumendum. Quæ opinio ſi videtur probabilis, alij iudicent, ego adhæreo ſententiæ Palud. Sylu. & aliorum ſupra citat, & ſufficiat ad eius confirmationem tot, &

tantos PP. locũ *D. Pauli epiſt. 1. ad Corint. cap. 11. & Trident.* ita interpretatos fuiſſe; impertinens enim videtur, & à verbis, & mente eiuſdem Trident. alienum (ibi cauere debet, ne abſque magna reuerentia, & ſanctitate ad id percipiẽdum accedat,) vt volũtariè diſtractus, qui actualiter peccat venialiter ſic accedens, vt ſupra *nu. 38. in fine*, & dicunt *Regin. lib. 29. num. 100.* & alij apud eum, & ſtante diſtractione, non ſolùm non cupiat, ſed nec petat augmentum gratiæ, & tamen ſibi concedi dicatur.

43 Facit, quia licet hæreditas nobis ab inteſtato, vel ex teſtamento deferatur, ſi tamen eam non petimus ſaltem animo, aliquo modo declarato, nullatenus nobis acquiritur *l. gerit de acquir. hæredit. l. potuit C. de iur. delib. & l. quemadmodum de acquir. poſſeſſ.* ſic in propoſito, hæc hereditas gloriæ, ſeu ipſius augmentum, quàm gratia mediante comparamus, licet deferri nobis dicatur ex promiſſione Chriſti, & gratis, vt ipſe varijs in locis dixit, acquiri tamen non poteſt, niſi petatur, & expetatur; Infantibus autem non concedit Eccleſia hoc Sacramentum; niſi vſum rationis habentibus, quando ſupponitur actualem deuotionem habere; & quoad amẽtes, & phreneticos, conceditur cum diſtinctione, vt ſup. num. 12. ſi deuotionem huic Sacramento tempore ſanitatis oſtenderint: Et propterea *Syluest. cit. verb. Euchariſtia* 4. in fine, explicando doctrinam Sancti vbi ſupra rectè ait, quod licet venialia, etiam præſentia non tollant augmentum gratiæ; ſecus tamen illa, quæ faciunt mentis diſtractionem, & tollunt deuotionem actualem.

Agitur de tempore, & loco ſacrum faciendi, vel communicandi.

SVMMARIVM.

1 *Euchariſtiam ſumere ſaltem ſemel in anno omnes fideles tenentur ex præcepto Eccleſiæ (quod adimpleri ſolet tẽpore Paſchatis) ac etiã in mortis articulo, & n. 14. Eã ſumere omni tempore licet, tàm ſacerdotibus, quàm ſecularibus, exceptis feria 6. & 7. Hebdomada ſancta; nu. 2. illis ſi celebrare volunt, iſtis autem feria 6. tadtùm, & n. 5. & 6. an illis celebrare liceat etiam in Sabato ſancto? n. 3. & 4. & an omnibus ſacerdotibus in die Iouis ſancti? n. 7. ſumere an liceat illã omnibus in miſſa Natiuitatis, quæ canitur poſt mediam noctẽ, & num etiam poſt meridiem, quando non licet ſacrificium offerre? num. 8. Et num ſecularibus quotidie? num. 9.*

10 *Miſſæ priuatæ an poſſint dici nocte Natalis, ſicut dicitur ſolemnis? & de hora celebrandi in alijs diebus n. 11. quam an poſſint Epiſcopi anticipare, vel poſtponere? n. 13.*

12 *Aurora quando incipiat?*

15 *Mortis tempore omittens ex negligentia communicare, non ſolùm peccat mortaliter, ſed dicitur ſuſpectus de fide, & vnde hæc conſuetudo ortum habuit? n. 16. quod ſi nequeat hoſtiam ſacram deglutire, an teneatur communicare in ſpecie ſanguinis? n. 18. Sed quid de Neophytis? n. 19.*

17 *Communicatus in Paſchate, ſi poſt 8. dies in circa incidat in mortis periculum, non tenetur de præcepto communionem iterare, ſed de Conſilio.*

20 *Euchariſtiam ſumere in omni Eccleſia licet, etiam in oratorio propria domus, ſi adſit licentia ibi celebrandi, excepto tempore Paſchatis, quando hoc eſt faciendum in Parochia, præciſa licentia Parochi.*

21 *Miſſam non licet dicere in mari, vel in flumine abſque Papæ venia, ſed licet abſque ea deferre in nauigijs Sanctiſſimum in loco decenti, & num. 22.*

23 *Celebrare an liceat in priuatis domibus cũ licentia Epiſcopi, vel alijs in locis, etiam abſque eius venia? nu. 24. & 25. an vbique Epiſcopis n. 26. & an Regularibus itinerantibus? n. 27.*

28 *Lampas accenſa ante Sanctiſſimum ſemper debet eſſe, adeo quod ſi ex negligentia omittatur per diem continuum, mortale committatur. Secus ſi per horam n. 28.*

Reſolutio LXII.

1 POſtquam dictum eſt in priori *reſol. nu.* 5. obligari omnes fideles ex præcepto Eccleſiæ ſtatim, ac ad annos diſcretionis peruenerint ad confitendum, & communicandum, ſaltem ſemel in anno *per c. omnis de pænit. & remiſſ.* addendum eſt, debere

debere illud adimpleri in Paſchate, quod tempus iuxta hodiernam conſuetudinem incipit à Dominica Palmarum vſque ad Dominicam in albis incluſiuè, & etiam paulò plus, vt notat *Dia. in ſumma. verb.*
2 *communionis neceſſitas n.*2. extra verò obligationem, licet quolibet anni tempore ſecularibus communicare, & ſacerdotibus celebrare, *c. viſum de conſecr. diſt.*1. *& cap. iteratur eod tit. diſt.*2. exceptis tamen feria 6.& 7. Hebdomadæ ſanctæ, in quibus diebus celebrare eſt prohibitum *ex c. ſabbato, diſt.* 3. *eodem.* Ait enim ibi Innocentius I. traditionem Eccleſiæ ſe habere, in illo triduo Sacramenta pœnitus non celebrari, iuxta quam declaratum fuit per S. Congr. ſub die 9. Maij 1606. & iterum ſub die 19. Februarij 1622. ordinatum ſeruandam eſſe conſuetudinem vniuerſalis Eccleſiæ nō miniſtrādi, niſi infirmis in die Paraſceue, vt teſtatur *Barb. de poteſt. Paroch. c.*20. & in Miſſali Romano dicitur videlicet, hodie, ideſt feria 5. Sacerdos conſecrat duas hoſtias, quarum vnam ſumit, alteram reſeruat pro die ſequenti, in quo non conficitur Sacramentū, reſeruat etiam aliquas particulas conſecratas, ſi opus fuerit pro infirmis.

3 Quibus ſe opponit in parte P. *Dia. par.* 4. *tract.*4. *reſol.* 237. *& par.*9. *tract.*7. *reſol.* 24. *ex Suar. Vaſq. & alijs quamplurimis*, volens poſſe miſſam priuatam dici in Sabbato ſancto, ſecluſo ſcandalo, poſt cæptam miſſam ſolemnem, quia vſque ad illud tēpus memoria realis Paſſionis ab Eccleſia colitur, imò ſubdit ex Garzia, & alijs, poſſe etiam ante miſſam ſolemnem, quod eſt contra expreſſum *text. d. c. ſabato, & ibi Gl.*
4 *verb. non celebrari.* Sed Nauar. *in man. cap.* 25. *n.* 88. addit, ne quidem miſſas ſolemnes dici in relatis diebus, quia quæ dicitur in ſabbato, non eſt eiuſdē diei, ſed noctis reſurectionis, vt ſignificat collecta, quæ incipit Deus, qui hanc ſacratiſſimam noctem, in 6. verò feria neque dicitur, ſed ſolùm ſuſcipitur hoſtia, quæ præcedenti die remanſit conſecrata; & ita in praxi ſeruari videmus iuxta tex. prędictum, & quādo occurrit feſtum Annunciationis B. Mariæ, vel aliud in dictis diebus, transfertur.

Rurſus idem Pater ad dicta in Miſſali reſpondet, quod dum mandat, vt reſeruetur Euchariſtia pro infirmis, non prohibet reſeruari pro ſanis, quod tamen eſt contra text. *in c. nonne, de præſumpt. & l. cum Prætor ff. de iudic.* vbi incluſio vnius, eſt alterius excluſio; ſi enim hoc generaliter voluiſſet concedere, gratis fuiſſet additū pro infirmis; ad text. verò cit. *in d. c. Sabbato* reſpondet loqui de celebratione, 5
non autem de communione, quod eſt cōtra alium tex. *in §. eadem ratione inſtit. quod cum eo, qui in aliena poteſt.* vbi ex identitate rationis, caſus non expreſſus, comprehenditur in caſu deciſo. *Præſ. de Franch. dec.*489. *nu.*14. *ex Napod. & alijs.* Ratio- 6
nes autem quibus innititur Eccleſia prohibendo celebrationem, ſunt ex illo text. mærores, quibus afficitur propter Chriſti Paſſionem illis diebus ſecutam, *ibi nam vtique conſtat Apoſtolos biduo iſto, & in mærore fuiſſe, & propter metum Iudæorum ſe occuluiſſe*, quibus importunè miſcerentur conuiuia, quorum appellatione venit, tàm ſacrificium, quàm ſimplex communio, cū vtrumque incluſerit Eccleſia in illis verbis: (*ò Sacrum Conuiuium*) ergo vtrumque prohibitum cenſeri deberet; adhærendo tamen declarationibus relatis S. Congreg. affirmandum eſt, poſſe in Sabbaro ſancto vnumquemque fidelem communicare, nō autem ſacrum conficere, quia dum ibi prohibetur, licet implicitè in die Paraſceue ſola communio, in cæteris intelligitur cōceſſa ex *d. c. nonne*.

7 In die autem Iouis ſancti, omnibus tàm publicè, quàm ſecretè celebrare licere, teſtatur *Nauar. loco cit.* cum nullo iure id prohibitum reperiatur, licet omnes abſtinere ſoleant, non quia de conſuetudine, ſed quia illa die Sachriſtę altaria denudāt; & aliqui ſacerdotes falsò putant non licere; alij ad confitendum applicantur, ſequitur P. *Dian. d. reſol.* 24. *§. notandum in fine, ſed Bonac. to.*1. *diſp.*4. *q.*7. *pun.*2. *ſub n.* 17. *ex Azor.* 1. *part. lib.*10. *cap.*24. vult non poſſe in dicta die miſſas celebrari à ſingulis ſacerdotibus, ex recepta conſuetudine Eccleſiæ vnam tantùm miſſam in quacunque Eccleſia Cathedrali, vel Parochiali celebrandi, quod verius eſt.

8 Item poſſe in Miſſa Natiuitatis, quæ poſt mediam noctem canitur, vel in alijs, quæ poſtea dicuntur (vt ſtatim dicam) etiam laicos ſacram Euchariſtiam ſumere docet idem P. *modo cit.* (quidquid in contrarium dixerit *P. Bordonus tom.*2. *reſol.*56.
9 *n.*161.) ſicuti etiam poſse in alijs diebus etiam poſt meridiem, vel veſperas dummodo ſint ieiuni, & præciſo ſcandalo, quia

hoc non reperitur prohibitum, sed solùm sacrum conficere. *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 25. q. 7. Suar. tom. 3. disp. 69. sect. 4. §. tandem ex Angel. verb. Eucharistia 3. n. 39. & Sylu. eodem 3. q. 14. & alijs.* Sed *Coninch. de Sacrament. q. 80. art. 10. nu. 85.* licet hoc non neget, asserit tamen ex reuerentia tanti Sacramenti non esse faciendum extra necessitatem, concordat *Dian. part. 11. tract. 7. resol. 22. & addit resol. 15.* non esse tàm facile permittendum laicis quotidie communicare, sed considerandas circumstantias, eorumque vitæ bonitatem per pios, & prudentes Confessarios.

10 Quod autem possint dici non solùm missa solemnis in nocte Natalis Domini, completo matutino, vt in tota Ecclesia Catholica seruatur (non tamen ante mediam noctem) sed etiam aliæ missæ ad libitum sacerdotum, videtur dicendum ex *c. nocte sancta dist. 1.* & posse sine scrupulo fieri testatur *Suar. tom. 3. disp. 80. sect. 4. §. 3. inquiri circa finem.* Sed *D. Thom. 3. p. qu. 83. art. 2. ad 2. & 4.* interpretatur text. præd. vt vna sola missa possit dici in media nocte, alia in Aurora, tertia in clara die, aliàs esse mortale dicunt *Syluest. verb. Missa 1. num. 6. & Nauarr. in sum. na cap. 25. n. 87.* reliquo anni tempore; nisi adsit

11 priuilegium, non possunt missæ celebrari ante auroram secundum *D. Thom. 3. par. q. 83. art. 2. ad 4. & Sylu. citat. & vide resol.*

12 *121. n. 2.* Quod tempus ait *Suar. etia n. citat. in §. 2. inquiri, & §. 3. exceptio*, esse duabus horis ante ortum Solis; regulariter autem debent missæ terminari, vel inchoari vsque ad meridiem. *Io. Andr in c. 1. de celebrat. miss. Durand. lib. 2. de ritibus Ecclesiæ cap. 7. Suar. vbi supra, §. dico secundo.* & patet ex rubricis Missalis, vbi legitur, missas priuatas esse dicendas ab aurora vsq;

13 ad meridiem, sed Episcopi possunt super vtrũque tẽpus dispensare pro se ipsis, & pro alijs sibi ministrantibus, *Gl. in c. fin. de priuil. in 6.* esseque hoc communiter receptum scribit Suar sæpè cit. *in §. 3. exceptio*, sed quod non possint hoc generaliter concedere, quamuis in locis suæ iurisdictioni subiectis, cum spectet ad solum Pontificem.

14 Redeundo nunc ad propositum dicimus, quod, non solùm in vita, vt dictum est, sed etiam in articulo, vel periculo mortis, est de necessitate quoque præcepti Eucharistiam sumere, quod, siue sit de iure diuino *ex Io. cap. 15.* ibi, *nisi manducaueritis carnem filij hominis &c. & D. Thom. cit. supra resol. 49. n. 14.* vbi etiam de hoc actum est, siue de antiquissima consuetudine Ecclesiæ, vt docent *D. Bonauent. in 4. dist. 20. art. 3. qu. 1. Durand. dist. 9. qu. 2. art. 2. & aly*, certum est hodie vniuersaliter in Ecclesia seruari, quotiescumque aliquis in tali periculo, vel articulo constitutus reperiatur, communicare solere. Quæ consuetudo commemoratur in diuersis Concilijs valde antiquis, vbi refertur, diligentissimè semper ab Ecclesia curatum esse, nè morientes sine viatico decedant, vt patet *ex Concil. Niceno can. 13. Agath. can. 11. Ancyr. can 22. Arausic. cap. 13. Arelat. 2. cap. 12. Aurelian. cap. 24. Carthagin. 4. cap. 77. & 78.* ex quibus etiam constat sermonem esse tam de infirmis ad sumendum, quàm de ministris ad ministrandum obli-

15 gatis. Quamquidem consuetudinem ita receptam esse, vt sine magno scandalo violari non possit, testatur *Suar. tom. 3. disp. 69. sect. 3. §. 1.* vbi subdit, merito suę salutis negligentissimum, & de statu animæ suæ, ac etiam de fide suspectum haberi, qui voluntariè in mortis articulo viaticũ negligit, & proinde eius omissionem, etiam ex negligentia, speciale peccatum mortale esse, quia materia grauis est, & ad salutem animæ summopere pertinens; qua de causa dicitur necessarium viaticum in præfato tempore *ex can. de his 26. qu. 6. & clarius ex c. omnis de pœnit. & remiss.*

16 Cũq; talis consuetudinis ignoretur initium; & semper ita seruatum videatur, asserendum est ortum habuisse ab Apostolis, vel ex plenarijs Concilijs, vt generaliter scripsit *D. August. in Epist. 118. ad Ianuar. cap. 1. relata per Grat. in can. illa autē dist. 12.* qua de re, si quis communicauerit in Paschate, & post aliquod tempus in mortis periculum incidat, non satisfaciet huic obligationi, si iterũ non communicat secundũ *Hurtad. hoc tit. disp. 10. difficult. 2. & alios relatos per P. Dian. part. 5. tract. 3. resol. 42. contra Sylu. verb. Eucharistia 3. in princ. Armill. verb. communio n. 4. & alios.*

17 *Suar. tamen cit. §. rogabis* docet, Communicatum 8. diebus ante periculum prædictum non teneri de præcepto, sed solùm de Consilio ad eius repetitionē, sequuntur *Henriq. lib. 8. cap. 5. num. 3. Regin. lib. 29. n. 65. Granado de Sacram. 3. part. controu. 6. tr. 10.*

*tr.*10.*disp.*3.*n.*9. hancq; sententiam etiamsi si per 15. dies ante præcessit communio, probabilem appellat idem *Diana citat. resol.*41. *licet resol.* 33. §. *verum*, strenuè defenderit contrariam, teneri scilicet talem infirmum ad iterandam communionem eodem die, quamuis manè communicauerit, si tunc non erat in tali periculo cōstitutus, quia cum non communicauerit per modum viatici, vt moriturus, supponitur nihil de morte cogitasse; quod tamen est valde pium, & propterea de Cōsilio, vt diximus, sed non est discedēdum à sententia Suar. & aliorum, vt supra.

18 Sed pone, quod talis infirmus, etiam laicus impotens sit ad deglutiendam Eucharistiam, etiam cum aqua, vel vino non consecratis, num teneatur communicare in specie sanguinis propter præceptum implendum? hic casus cum difficultate occurrere potest; respondet tamen *Fagundez de præcept. Eccles. par.*3.*cap.*4.*nu.*20. *Siluius in 3. part. qu.*80. *art.*12. negatiuè, quia eo casu ius diuinum secundum eos non obligat ad sumptionem Sacramenti, *Ochāuia tamen de Sacram. tract.*2.*q.*18.*num.*9. *& post eum Nugn. in 3. part. tom.* 1. *q.* 80. *concl.* 3. probabilius putant cum alijs recentioribus contrarium, quia in tali articulo præceptum diuinum communicandi est præferendum humano de non sumenda specie vini consecrati à laicis, sed consultò esse sumendum consensum Episcopi. Neophy-

19 tos etiam idest nouiter ad fidem conuersos, & baptizatos, si statim occurrat mori siue naturaliter, siuè violenter, teneri ad Eucharistiam suscipiendam *ex Sancio in select. disp.* 4. *num.* 3. *& seq.* rationabiliter scripsit idem P. *Dian. part.*5.*tract.*3.*resolut.* 45. quia non potest assignari differentia inter istos, & supradictos.

20 Ad secundum, locus communionis est quælibet Ecclesia secularium, siuè regularium, imò etiam oratorium propriæ domus, si adsit bulla Pontificis ibi celebrandi, excepto tempore Paschatis, quando vnusquisque tenetur in sua Parochia præcisa licentia Parochi; *Suar. citat. disp.* 72. *sect.*2.§. *hinc sequitur. Dian. par.*3.*tr.*2.*resol.* 12. §. *nota etiam, & part.*4.*tract.*4.*resol.*14.

21 Verum autem in mari, vel in flumine super aliqua naui possit sacrum confici, & Eucharistia dispensari? idem elaboratus P. quam plurimos DD. adducit pro, & contra *par.* 5. *tract.* 3. *resol.* 40. sed verior videtur opinio negatiua circa celebrationem, quam videmus practicari, & tenent *Nauar. d. cap.*25. *num.*82. *Suar. disp.*81. *sect.*

22 3. §. 3. *exceptio.* Non dubitatur tamen posse Pontificem licentiam concedere (non autem Episcopum, cum non habeat iurisdictionem in mari, sicut Pontifex, licet *Granado in 3. part. de Sacram. controuer.* 6. *tract.*14. *disp.*13. *num.*6. teneat contrariū;) quia ad vitandum periculū effusionis sanguinis ex nauis continuo motu (qua de causa hoc prohibetur) potest adhiberi alius sacerdos, qui manu firmiter teneat calicem à consecratione vsque ad sumptionem iuxta relatos DD. sacram verò Eucharistiā licere deferre in nauigijs, & dispensari communicare volentibus, quia cessat periculum, dummodò in loco decenti, & separato reponatur ex eodē *Granado num.*2. *Durando, & alijs firmat, citat. P. ibidem in fine.*

23 Extra ergo Ecclesiam, vel oratorium, ad hoc ab Episcopo deputatum, sacrum hoc regulariter conficere non licet *cap. nullus is. de consecrat. dist.*1. *D. Thom. ex August. par.*3.*qu.*83. *art.*3. *ad* 1. si secus mortale committitur, vt de communi docet *Suar. dicta disp.*81. *sect.*3. *in princ.* alios per multos eiusdem sententiæ refert *P. Dian. p.* 2. *tr.*14. *resol.*38. licet autem de iure communi dubitari posset, an Episcopi concedere possint licentiam consecrandi in priuatis domibus, non consecratis, nec benedictis, vel vbi ipsi permiserint *ex c. missarum eod. tit.* (& si contrarium videatur statutum *in cap. antecedenti, quod incipit si-*

24 *cut.*) Hæc tamen quæstio sublata videtur ex diuersis Concil. relatis per Suar. ibidē, & præcipuè *Trid. sess.* 22. *sub decreto de obseruand. & euitand. in celebratione missæ*, vbi mandatur Episcopis, nè patiantur in priuatis domibus, atque omninò extra Ecclesiam, & ad diuinum tantùm cultum dedicata oratoria ab eisdem ordinarijs designanda, & visitanda, sanctum hoc sacrificium à secularibus, aut regularibus quibuscumque peragi, cuius decreti virtute videmus à Pontifice tantùm concedi facultatē celebrandi in domibus priuatis, & solùm Dominis titulis decoratis, & in declarationibus eiusdem Concilij *loc. cit. lit.*6. dicitur hanc facultatem ab Episcopis concedi non posse, sed post concessionem Pōtificis, posse ipsos visitare, vel visitare facere loca; in quibus celebrandum sit, vt

vt cum omni maiori decentia adaptentur.

25 Excipiuntur ab hac generali regula caſus neceſſitatis, vt quando magna multitudo reperitur in locis remotis ab Vrbibus, ſeù Terris, & eſt dies feſtus, nec adeſt Eccleſia, tunc licet erigere Altare in aliquo loco decenti, ibique miſſam dicere, ſicuti etiam in bello ſub tentorio, vel ſub dio, dummodò tabula altaris cõſecrata, cæteraque ſacra miniſteria ad illud officium pertinentia ibi adſint *c. concedimus, & cap. 1. de conſecr. diſt. 1.* quod etiam probat D. Thom. cit. ex eo, quod hoc Sacramentum eſt repræſentatiuum Dominicæ Paſſionis, ſed Chriſtus non fuit paſſus in domo, ſed ſub dio, ideſt ſub aere, vt explicat *Gl. in d. c. concedimus in fine*, ergo ſaltem in caſibus neceſſitatis licebit. Quibus addit, ſed ſine cauſa, Suar. vbi ſupra §. *3. exceptio*, petendam eſſe veniam ab Epiſcopo ſi fieri poteſt; nã aut ſupponimus Epiſcopum eſſe in Ciuitate vicina, & ſumus

26 extra caſum neceſſitatis, aut adeſſe etiã Epiſcopum in locis remotis, & hoc eſt ſibi permiſſum de iure communi, etiam extra caſum neceſſitatis *ex cap. quoniam, de priuil. in 6.* quod priuilegiũ exercere poſſe vbique locorum, Vrbe excepta, deducitur *ex l. 2. ff. de offic. procon.* quia iuriſdictio voluntaria (vt iſta ſupponitur) poteſt etiam extra diœceſim exerceri, *Sanch. lib. 3. de matr. diſp. 19. n. 7. Dian. part. 4. tract. 4. reſol. 15. & part. 5. tract. 2. reſol. 77.*

27 Quod Epiſcopi priuilegium extendi ad regulares itinerantes; poſſeque celebrare in domibus ſecularium in altari portatili extra cameras, vbi dormiunt, & in plateis, caſtris, & grangijs, ſeruata debita decentia, Epiſcopo loci non contradicente ſcribit ex Portell. & alijs idem *Diana part. 3. tract. 2. reſol. 80.* quod tamen numquam vidi, nec audiui ſeruatum. Et obſtat *Trid. cit. n. 24.* quod generaliter loquitur. No-

28 tandum etiam eſt, oportere ſemper conſeruari lampadem accẽſam ante Sacramẽtum, quod ſi omitteretur per diem integrum, vel paulò minus, etiam ex negligentia, mortale committeretur, non ſic per horam, vt probat *Quintanaducnnas in Theol. moral. tom. 1. tract. 4. ſingul. 1. num. 2.* quem refert, & ſequitur *Dian. relatus par. 9. tract. 6. reſol. 34.* quod etiã probatur *arg. c. ſanè de celebr. miſſ.*

Quibus in caſibus poſſit quis in mortali exiſtens ſacrum conficere, vel communicare cum ſola contritione, confeſſione poſt poſita?

SVMMARIVM.

1 *Celebrare in multis caſibus, vel communicare poteſt in mortali exiſtens omiſſa confeſſione; ſed poſtea data opportunitate quãprimum eſt facienda confeſſio; ſemper tamen eſt neceſſaria contritio, & n. 2. & 5. vſque ad finem.*

3 *Determinatio reſpiciens plura æqualiter determinabilia, debet ea æqualiter determinare.*

4 *Sacerdos ſi inchoata miſſa recordetur alicuius mortalis, an teneatur ab incepta deſiſtere?*

Reſolutio LXIII.

1 PRæmitto, in mortali exiſtentem non poſſe quantumuis contritum celebrare, vel communicare ſine præuia confeſſione per Trident. requiſita *ſeſſ. 13. c. 7. & can. 11.* vbi excipitur ſola neceſſitas in genere, confeſſario deficiente, ſed hæc multis in caſibus exemplificatur, quos ex communi colligit *Bonac. tom. 1. hoc tit. diſp. 4. q. 6. pun. 1. num. 13.* quorum primus eſt, quando quis habet neceſſitatem celebrandi, vel communicandi, ſed non poteſt cõfiteri abſque ſcandalo, tunc ſufficit contritio; ſed ſacerdos celebrans confeſſione omiſſa, tenetur poſtea data opportunitate confiteri ex præcepto, non Conſilio iuxta declarationem Alexandri VII. in bulla emanata ſub die 23. Martij 1666. num. 38. Laicus verò cõmunicans non tenetur ſtatim, quia præceptum poſitiuum complectitur ſolùm eos, de quibus loquitur; Trident. autem loquitur ſolùm de ſacerdotibus, ergo. ita arguunt *Suar. diſp. 66. ſect. 7. & Regin. lib. 29. num. 110. quod vocat probabilius P. Dian. par. 11. tr. 8. reſol. 45. §. notandum.*

2 Contrarium autem rectè docet *Nauar. in man. cap. 2. n. 10.* dicens, vtrumque ad hoc ſtatim teneri, quia ſi illi PP. de hoc fuiſſent interrogati, idem veriſimiliter reſpondiſſent. citat *Gl. in l. tale pactum §. fin. de pact.* quod probatur etiam in text. & in *l. ſi*

l. si totas. C. de inoffic. dotib. sequuntur Henriq. lib. 8. cap. 45. n. 4. Azor. par. 2. lib. 10. cap. 31. q. 9. Vasq. to. 3. disp. 208. cum quibus e-
3 go conuenio; nam vna determinatio respiciens plura æqualiter determinabilia, debet ea etiam æqualiter determinare *l. iā hoc iure ff. de vulgar. & pupill.* cumque non possit diuersa ratio assignari de vno casu ad alium, non potest diuersum ius statui, *l. 3. §. proinde, & §. quoties ff. de in rem verso*; imò identitas rationis operatur, quod casus non expressus, sit comprehensus in casu deciso *tex. cum Gl. magna in fine §. 1. instit. quod cum eo Præf. de Franch. decis.* 489. *nu.* 14. *ex Napod. & alijs.* vide si conferunt dicenda infra *resol. 79. num. 9. & 10. & cit. bulla Alex. VII. emanata sub die 2. Octobris* 1665. *vbi n.* 11. fuit damnata contraria opinio sub pœna excommunicationis, cuius absolutionem sibi reseruauit, & mandauit, quod peccata in confessione omissa, seu oblita ob instans periculū vitæ, seu ob aliā causam teneamur in sequenti confessione exprimere, & licet ad hoc posset responderi intelligendam esse bullam de confessione sequenti, idest in Paschate, sub num. tamē 39. declaratur non esse taliter intelligendam, vt diximus *supra resol. 61. sub n. 33.* vbi etiam quod amplectatur tàm sacerdotes, de quibus loquitur, quàm cæteros iuxta dicta etiam hic num. 2. supra.

4 Secundus est, quando sacerdos inchoata missa recordatur alicuius mortalis, vel etiam esse excommunicatum, non enim tenetur inchoatam missam omittere, neq; vocare confessarium ad altare ex eadem ratione scandali vitandi, *D. Thom. par. 3. q. 83. art. 6. ad* 2. vbi addit, quod si hoc ei acciderit ante consecrationem, tutius reputaret missam incæptam deserere, nisi graue scandalum timeretur, *Nauar. cap. 21. in summa n. 49. Tolet. lib. 2. cap. 1. sub num. 10. Suar. d. disp. 66. sect. 4. §. difficultas, Henriq. cit. cap. 46. n. 3.* quibus addit *Bonac. vbi sup. n.* 15. cessante scandalo teneri sacerdotem vocare facere confessarium ad altare, etiam si de peccato recordaretur post consecrationem, si tamen commodè potest, cui contradicit *Dian. part. 2. tract. 14. resol.* 61.

5 Tertius est, quando laicus præmissa cōfessione recepturus Eucharistiam, accessit cum alijs ad linteum; & recordatur alicuius peccati obliti, non tenetur recedere, & adire confessarium ad vitandam infamiam, quæ oriri posset per implicitam indicationem alijs se esse aliquo mortali ligatum; cum venialia non impediant. *Nauar. d. n. 49. ex Scoto in 4. dist. 6. Sylu. verb. Eucharistia 2. q. 7. Henriq. cit. lit. K. Regin. lib. 29. n. 105. Bonac. cit. nu.* 17. vbi addit, præciso scandalo teneri præmittere confessionem, quod existimo verius, cum hic casus differat aliquo modo à priori, & propterea sit minus excusabilis.

6 Quartus est, quando Parochus non habet copiam confessarij, potest enim sacrum conficere citra confessionem ratione necessitatis satisfaciendi proprio officio, nè Parochiani missa careant in die festo, hácque necessitatem maximè considerasse Trident. vbi supra, dicit *Suar. d. sect. 4. §. vltima causa*, & posse hoc accidere, & permitti non solùm vna, sed pluribus vicibus ob absentiam confessarij in Parochis plebicolis, qui tamen debent procurare hoc ad possibile vitare, ne sumant hinc occasionem faciliùs peccandi, quia tunc adesset dolus, & consequenter duplex peccatum, *Henriq. cap. 46. n. 5. Regin. n.* 107. vbi idem dicit, quando adesset confessarius, sed excommunicatus, vel non approbatus ab Ordinario; paria enim sunt non habere confessarium, vel impeditum. *Azor. 1 par.*
7 *lib. 10. cap. 31. q.* 2. Idem dicendum est de quocunq; sacerdote, cui hoc non incūberet ex officio, sed nihilominus multi carerent missa in die festo; quia non esset alius sacerdos; posset enim celebrare cum sola contritione (quamuis non adesset eo casu obligatio audiendi sacrum propter impotentiam,) vt probabile existimat *Diana par. 2. tract. 14. resol. 64.* sed contrarium cessante scandalo docet *Suar. d. sect. 4. §. sed quares.*

8 Quintus est, quando pœnitens timet, eum Confessarium, qui solus adest, non obseruaturum sigillum, aut aliam graue iniuriam sibi audita confessione illaturum, tunc potest eam omittere, si solum illud peccatum habet, quod timet reuelandum, si verò alia, de quibus non est talis timor, tenetur ea confiteri, illo omisso. *Nauar. in summa cap. 7. n. 3. ex Innoc. in c. omnis de pœnit. & remiss. & iterum n. 6. ex Maior. in 4. dist. 17. q.* 5. cum proposito tamen illud confitendi data opportunitate, *Sylu. ver. confessio* 1. §. 2. Sed hic timor debet esse verus, non autem imaginarius, vt rectè addit *Suar. cit. §. tertius magisque*, & eo etiam inter-

interueniente, nec sufficere, si probabiliter existimet non esse contritum, sed tantum attritum, hoc enim pluries diximus, est omninò necessarium, prout in omnibus casibus supra dictis. *Regin. nu.* 108. *Nugn. Filliuc. & alij apud Bonac. n.* 28. Quod si ha-
9 bens solùm peccata, quæ timet pandenda, vellet (illa tacendo) confiteri venialia, (quod etiam potest) sufficeret attritio, vt *ex Granad. 3. par. de Sacram. contron. 7. tract. 9. disp. 5. sect. 3. num.* 23. docet implicitè *Dian. part. 5. tract.* 13. *resol.* 9. & explicitè *ibidem resol.* 10. *in fine*. sed circa hæc videas infra *resol.* 79. *n.* 9. & 10. Item sacer-
10 dos, iter faciens obligatus in die festo missam audire, si non habet à quo confiteatur, & in mortali existat, potest contritus celebrare, *Tolet. lib. 2. cap. 1. sub nu.* 10. *Henriq. lib. 8. cap. 48. num. 8. Sylu. verb. Eucharistia* 2. §. 7. *Dian. d. tract.* 14. *resol.* 63. quã opinionem *Suar. vbi supra*, §. *penult. in fine.* appellat probabilem, sed contrariam securiorem; Quæ verò dicatur iusta distantia inter pœnitentem, & confessarium, vt legitimè excusetur à confessione, idem *Suar. d. sect. 4. §. ex his igitur*, ait, non posse eandem regulam pro omnibus tradi, cum vnus possit cum magna, alter cum parua difficultate, vel repugnantia ambulare, sed regulariter esse trium, vel quatuor milliarium, idem volunt *Henriq. Rodriq. & alij apud Bonac. loco cit. n.* 30.

11 Sextus est, quando non habet, nisi solum peccatum, vel plura reseruata superiori; quem adire non potest, & interim necessitas vrget sacrum faciendi, tunc non tenetur confiteri, sed conteri, secus si haberet alia non reseruata, quia tunc teneretur omnia confiteri, etiam non habenti potestatem absoluendi à reseruatis, de quibus indirectè ab illo, vel illis absoluitur, cum proposito tamen adeundi superiorem *Soto in 4. dist. 17. q. 2. art. 5. Armill. Palud. & alij apud Suar. disp. 66. sect. 4. §. quartus casus*, vbi subdit non esse in consideratione, quod iterum eadem peccata reseruata superiori confiteatur *Eman. Sà v. Eucharistia n.* 13. *Regin. cit. num.* 103. *Bonac. disp. 4. hoc tit. q. 6. pun. 1. n.* 31. *Dia. par. 2. tr. 14. resol.* 65. vbi citat Suar. in contrarium, qui in libro meo hoc non dicit, sed vt retuli. vide eumdẽ *Dia. par. 5. tr. 13. resol.* 10.

12 In primo autem casu, quando non adsunt, nisi reseruata, probabilis existimatur sententia DD. relatorum per eundem *Dian. vbi supra resol.* 9. volentium, debere saltem confiteri venialia, vt indirectè à reseruatis absoluatur, donec adeatur superior; hocq; in casu satis esse attritionẽ; quia verum etiam dicunt, posse in casu prædicto dimidiari confessionem, explicando venialia, vel etiam mortalia non reseruata, si adsunt, tacendo reseruata, si non potest superior adiri, vt docet ex Hurtad. & alijs. *Dian. cit. resol.* 8. & 10. cum onere tamen illum statim data opportunitate in vtroque casu adeundi, alias eo non adito, si adiri potuit, aliud mortale committatur *dicta resol.* 10. §. *respondeo*, sed ego me remitto in hoc dubio ad dicenda infra resol. 164. per totam.

13 Verum difficultas est, si nõ adest necessitas sacrum faciendi, vel communicandi, nisi timor mortalis peccati reseruati, in quo quis existit, & nõ habet cõmoditatem adeundi superiorem, vt ab eo confiteatur, vel veniam impetret alteri confitendi, quæ mora dicatur sufficiens, vt possit absolui à non habente potestatem cum onere tamẽ prędicto? respondet *Suar. apud Dian. d. resol.* 8. requiri longam moram aliàs posset quis semper confiteri confessario non habenti potestatem absoluendi à reseruatis, & consequenter frustratoria esset dispositio *Trid. sess.* 14. *c.* 7. mandantis in casibus reseruatis nihil posse confessarios non
14 habentes potestatem. Sed probabilis etiam reputatur à prædictis sententia *Hurtadi in 2. 2. disp. 84. sect.* 7. dicentis vnam noctem esse sufficientem moram ad dandã absolutionem tali pœnitenti, qui in eadẽ nocte posset ad tartara duci, nec valet dicere, posse conteri, cum hoc difficile existimetur ex eodem *Dia. d. resol.* 90. attritio autem, quæ cum confessione sufficit, faciliùs obtinetur; ad obiecta verò in contrarium respondẽt non inferri ex hoc præiudicium superiori; si istud fiat cum vera intentione, & proposito illum adeundi quàm citiùs possit, & cum effectu adeatur, aliàs aliud mortale committatur, vt dictum est.

15 Etenim si iuxta illorum sententiam potest dari absolutio, longa mora interueniente, eidẽ esset dicẽdum de parua, cum magis & minus nõ varient in hoc principalẽ dispositionem, siquidẽ in primo casu istud permittitur, ne quis in peccato moriatur, quod quia potest euenire etiam in momẽto, militat consequenter in vtroque casu

ea-

eadem ratio, & proinde idem ius statui deberet *ex §.pari ratione eum concord.instit. quib.mod.ius patr. pot.soluit.* sed ego vt dixi me remitto ad dicẽda in dicta resol. 164.

Agitur de speciebus sacramentalibus, & alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Species sacramentales impropriè tales appellantur, propriè autem accidentia, sed hac quid sint, & vnde talia dicantur? Vocantur etiam symbola, seu signa, ac etiam panis, & vinum, & retinent vim nutriendi etiam post consecrationem. n.2.*

3 *Accidentia panis, & vini ante consecrationem sunt verè talia, qua sequuta, nequaquam, nec sunt accidentia Corporis Christi, & proindè manent sine subiecto contra omnem natura legem. Sequuta consecratione non mutantur in aliud, sicut substantia eorum, sed fiunt sacra, imò ipsum Sacramentum. n.4.*

5 *Sacramentum tantum, res sacramenti, & res, & sacramentum considerantur in Eucharistia, & qua ista sint?*

6 *Species sacramentales, seu accidentia significant sub ipsis latère corpus Christi, sed non sunt corpus Christi & n.7.*

8 *Christi corpus latet realiter sub speciebus sacramentalibus, idem de Virgine natum, cum ossibus, & neruis, anima, & Diuinitate, sicut sedet ad dexteram Patris, imò sub quolibet fragmento.*

9 *Christus existit in Cœlo modo naturali, & propterea est ibi visibilis, tangibilis, & extensus, secus in Eucharistia, vbi existit sacramentaliter sub accidẽtibus velatus, & n.10. & 11. Est in Eucharistia verè, realiter, sacramentaliter, & substantialiter, sicuti est in Cœlo n. 12. & 17. Non est in Sacramento sicut in loco, sed substantialiter, quod quomodo fit, explicatur n.13.*

14 *Substantia rei, ita est in magna quantitate, sicut in parua.*

15 *Christus est in Sacramento, non vt magnus, vel paruus, seu visibilis, sed vt est substantia & n. 16.*

18 *Christus, hostia diuisa non diuiditur, sed totus manet in qualibet hostiæ parte, nec desinit esse in Cœlo, eo quod sit in terra in penè infinitis hostijs.*

19 *Ex tribus modis, quibus, possit esse in Sacramento, in nullo potest esse, nisi per transubstantiationem.*

Resolutio LXIV.

1 Species prædictæ propriè loquendo vocantur accidentia (vt etiam dictum est supra resol. 55. n. 10.) quæ in genere loquendo adhærent substantiæ, & non sunt substantia; sunt enim conditiones, seu qualitates, quæ illi inhærent, veluti color, & similia; & proinde accidentia, seu species panis, & vini sunt color, odor, sapor, quantitas, & figura; dicuntur autem accidentia ab accidendo, quia substantiæ accidunt; sicuti etiam dicuntur minus propriè species, quia imaginem substantiæ sensibus representant, & omne quod sensibus aliquid representat, à Logicis voca-
2 tur species. Vocantur etiam symbola, quia sunt veluti signa, vel indicia significantia ibi adesse Corpus Christi; & tandem vocantur panis, & vinum, non quia post consecrationem remaneat ibi aliquid de substantia panis, & vini, sed quia habent speciem, & similitudinem, seu apparentiam panis, & vini; & quia nec post consecrationem amittunt vim nutriendi, vt ex *D. Tho. resol. 56. n. 4. dictum est*, cui adde *Trid. sess. 13. cap. 1. & can. 2. & 3. Catech. Rom. hoc tit. n. 26. & clariùs Bellarm. lib. 2. eodem tit. dist. 6. cap. 5.*

3 Quamuis autem ante consecrationem essent accidentia substantiæ panis, & vini, non tamen post consecrationem sunt accidentia Corporis Christi, & cum nec sint accidentia panis, & vini substantiæ, quæ totaliter desijt per trãsubstantiationem in Corpus, & Sanguinem Christi, consequẽs est, vt sine vllo subiecto existant; quod est summè miraculosum, & contra omnem naturæ legem, secundum quam accidens non potest separari à re, cuius est accidẽs.
4 Nec ista accidentia panis, & vini mutantur in aliud, sicut substantia eorum in corpus Christi, vt dictum est; sed eadem manent sicut prius, hoc solùm addito, quod sunt sacra, imò ipsum Sacramentum, cum sint signum rei sacræ, significans contentũ sub ipsis accidentibus esse corpus Christi. *c. nos autem de consecr. dist. 2. c. cum marthæ, §. quæsiuisti de celebr. miss. D. Tho. in 4. dist. 8. q. 2. art. 1. quæstiunc. 4. ad 1. circa finem ibi (hoc contentum sub his speciebus est Corpus meum) & part. 3. q. 77. art. 1. Catech. cit. n. 44.*

n.44. ex Trid.d.can.2. idē Bellarm.vbi ſup.
5 Vlterius in Euchariſtia conſiderantur
tria, primò Sacramentum tantùm, de cu-
ius ratione eſt (vt ex definitione conſtat)
eſſe inuiſibilis gratiæ, viſibile ſignum, &
proinde accidentia prædicta, quæ ibi vi-
dentur, ſunt Sacramentum, id eſt ſignum
rei ſacræ, dum præter ſpeciem, quam ſen-
ſibus ingerunt, aliquid aliud faciūt in co-
gnitionem venire, ſignificant .n. ſub ipſis
6 latère corpus Chriſti, ſed non ſunt corpus
Chriſti. *Bellar. vbi ſupra ſub cap. 1. ibi ſi-
gnificant, & non ſunt res ſignificata.* Secun-
dò res Sacramenti tantùm, quæ eſt gratia,
ſeù refectio ſpiritualis, quia gratia eſt tā-
tùm res ſignificata, & nihil ſignificat in
Sacramento. Tertiò res, & Sacramentum,
& hæc ſunt corpus, & ſanguis Chriſti, quia
& ſignificantur ab accidentibus, ſeù ſpe-
ciebus (quod eſt de ratione eorum, vt
dictum eſt, & ſignificant gratiam, ſeù re-
fectionem ſpiritualem, *magiſt. ſentent. in 4.
diſt.8. in princ.*
7 Licet autem perceptio Sacramenti, ſeù
communio; imò ipſum corpus, & ſanguis
Chriſti, quæ in Euchariſtia continentur,
& accidentia prædicta promiſcuè vocen-
tur Sacramentum, minus tamen propriè
antecedentia hoc nomen aſſecuntur, &
ſolùm poſtrema, nempè accidentia verā,
& abſolutam Sacramenti nominis rationē
habent, vt ex prędictis conſtat, & docet
Cathec. loco cit. n.8. ex Trident ſeſſ.13. can.1.
8 *& 4. D.Tho. ibidem relat.* Ergo ſub dictis
accidentibus latet realiter verum Chriſti
Domini Corpus, idem de Virgine natum,
quod ſedet ad dexteram Patris *d.can.1. &
Catech.n.26. & 33.* vbi addit, cum oſſibus,
& neruis, & quibuſcumque ad hominis
perfectionem pertinentibus, vnà cum di-
uinitate; imò non ſolùm ſub dictis accidē-
tibus, ſed etiam ſub eorum quolibet mi-
nimo fragmento, *Trid. cit. can.3. Catech. nu.*
9 *36.* vt autē hoc aliquo modo percipi poſ-
ſit, ſciendum eſt, Chriſtum habere tripli-
cem modum eſſendi, naturalem st. & iux-
ta hunc eſt viſibilis, tangibilis, & fuit
paſſibilis, & mortalis; glorioſum, & per
hunc habet claritatem, ſubtilitatem, agi-
litatem, & impaſſibilitatem; & denique
ſacramentalem, & iuxta hunc exiſtit ve-
latus, ſeu latens ſub accidentibus panis,
& vini.
Hoc declarat Bellarm. cit. ſub *cap. 6.
ex Trid. & Catech. ibi relatis*, exemplo
Regis, qui poteſt triplicem etiam modum
exiſtendi habere, naturalem, dum exiſtit
iuxta naturam hominis; Regium dum
ſedet in throno cum ſceptro, & diadema-
te; & ſeruilem ſub amictu pauperis laten-
tem; & ſicut iſte ſemper eſt idem Rex in
quolibet habitu conſideretur; ita Chriſtus
10 idem eſt, ſiuè conſideretur in Cœlo glo-
rioſus, vbi exiſtit modo naturali, ſiuè in
terra in Sacramento, vbi ſub amictu pau-
peris, & etiam vt Rex, vt ſtatim dicam.
Sed cū hac differentia, quod in Cœlo vbi
exiſtit modo naturali, eſt viſibilis, tangi-
bilis, & extenſus in loco, vt st. ſit talis, &
tantus; & quia eſt etiam glorioſus, vide-
tur etiam eius gloria, & maieſtas; in Eu-
11 chariſtia autem, vbi habet eſſe ſacramē-
tale, ita eſt velatus, & latens ſub acciden-
tibus, vt nec ipſe, nec eius gloria videri
poſſit; ſed eſt tamquam Rex latens ſub
veſtimentis ſerui, & hic modus nullo mo-
do eſt naturalis, neque glorioſus, ſed ſum-
mè miraculoſus
Quem exiſtendi modum ait *Trid. d. ſeſſ.
13. cap.1.* etſi verbis exprimere vix poſſu-
mus, poſſibilem tamen eſſe Deo, quod co-
gitatione per fidem illuſtrata, aſſequi poſ-
ſumus, & conſtātiſſimè credere debemus,
& paulò ante clarius explicat modum
12 relatum, quo Chriſtus eſt in Euchariſtia
st. verè, realitèr, ſacramentaliter, & ſub-
ſtantialiter, verè ad denotandum non eſ-
ſe imaginationem, Chriſtum ibi eſſe, ſed
ſimplicem, & puram veritatem, realiter
ad denotandum non eſſe tantummodò fi-
guram, vel imaginem, vmbram, ſimili-
tudinem, ſignum, apparentiam, aut re-
præſentationē Chriſti, ſed ipſummet Chri-
ſtum *D.Tho.3.par. q.75.art.1.* ſacramenta-
liter, ad differentiam modi naturalis, quo
exiſtit in Cœlo, vt dictum eſt; ſubſtanti-
aliter ad denotandum, quod tota Chriſti
ſubſtātia in Euchariſtia continetur, & hoc
verbū declaratur *per Catec. ſub eod. tit. n.43.*
ſubſcriptis verbis *ex eod. D.Th. cit. q.76.a.1.*
13 *Deinde doceant, Chriſtum in hoc ſacramē-
to, vt in loco non eſſe; etenim locus res ipſas
conſequitur, vt magnitudine aliqua præ-
ditæ ſunt; Chriſtum verò Dominum ea ratio-
ne in Sacramento eſſe non dicimus, vt magnus,
aut paruus eſt; quod ad quantitatem attinet,
ſed vt ſubſtantia eſt; ſubſtantia .n. panis in
Chriſti ſubſtantiam, non in magnitudinem, aut*
14 *quantitatem conuertitur, nemo verò dubitat,
ſubſtantiā aquè in paruo, atque in magno ſpa-
tio*

tio contineri; nam, & aeris substantia, totaque eius natura, sic in parua, vt in magna aeris parte, itemque tota aquæ natura non minus in vrnula, quam in flumine insit necesse est. Cum igitur panis substantiæ, Corpus Domini nostri succedat, fateri oportet, ad eundem plane modum in Sacramento esse, quomodo panis substantia ante consecrationem, ea verò vtrum sub magna, an sub parua quantitate esset, nihil ad rem omninò pertinebat. Idem docet

15 *Bellarm. d. c. 6.* quod st. Corpus Christi est in Sacramento nō vt magnum, vel paruum, seu visibile, sed vt est substantia, & tali ratione, sicut ante consecrationem, substantia panis erat sub eius accidētibus; ex quo fit, vt Philosophis patet, quod in quacumque minima particula, sit tota corporis Christi substantia, ad quam nihil refert an sit magna, vel parua.

Etenim quantitas est accidens, quod non est de natura substantiæ; & hoc in aere, aqua, & similibus manifestè apparet, quia substantia, & natura aquæ ita est in gutta, sicut in toto mari, & substantia ignis ita est in candela, sicut in fornace accensa;

16 & corpus infantis in vtero matris, vel modogeniti, ita habet substantiam, & naturam corporis humani, sicut in ætate virili; & tamen quantitatem, ita magnam non habet; & propterea quantum ad substantiam rei, nihil refert ad rationem substantiæ, an sit in magno, vel paruo loco, an videatur in die, vel non videatur in nocte, an aliqua, vel nulla veste tegatur, & consequenter idem omninò Christus

17 est in Cœlo, & in Eucharistia; licet modus essendi aliqua ratione sit diuersus, *Bellarm. cit. ex eodem D. Tho. part. 3. q. 76. art. 3. in corp.*

Quæ diuersitas consistit, quia secundū modum naturalem, quo est in Cœlo, est visibilis, tangibilis, & cæt. quas qualitates non habet in Sacramento; sed conueniunt modus naturalis, & sacramentalis, quia ita Christus verè est in Sacramento, sicut in Cœlo; ita verus est homo regali habitu indutus, sicut seruili; ita in luce positus apparens, sicut in tenebris latens; ita tota substantia Christi est in Sacramēto, sicut in Cœlo; quod si desinit visibilitas, quantitas, &c. ista non sunt de substantiæ ratione, vt dictum est. Et proinde totus Christus est sub quauis minima particula, sicut substantia aquæ est in toto mari, prout in gutta, factaque diuisione hostiæ, non sequitur diuisio per modum quantitatis in corpore Christi, cum non adsit ibi vt quantitatiuus, sed totus in qualibet parte manet sine vlla Domini nostri mutatione, vel augmento, aut decremento, nec desinit esse in Cœlo, eo quod sit in Terra in vna, vel penè infinitis hostijs *Catech. cit. n. 37. Bellarm. eod. tit. cap. 5. versic. Corpus Christi ex D. Thom. loco cit. & art. 4.*

19 Et ad maiorem declarationē addit ibidem Catech. quod dum secundum veritatem confitemur sub accidentibus prædictis adesse verum corpus Christi, hoc vno ex tribus modis contingere potest, vel loci mutatione, vel creatione, vel alterius rei in ipsum mutatione; non potest priori modo, quia à Cœli sedibus abesset, cum nihil moueatur ex vno in alterum locum, nisi deserat priorem, à quo mouetur; nec secundo modo, quia creari corpus Christi, minus credibile est, nec in cogitationē cadere potest: remanet ergo vt panis in ipsum conuertatur, & propterea nullam panis substantiam remanere necesse est.

Vtrum Corpus Christi in Sacramento possit videri ab oculo glorificato, vel ab Angelis, siuè bonis, siuè malis?

S V M M A R I V M.

1 *Surrecta corpora Sanctorum cum Christo, veriùs est iterum obijsse.*

2 *Corpora glorificata conformantur corpori claritatis Christi, sed an ipse in Eucharistia possit ab illis videri? & n. 3. 4. & 5.*

6 *Angeli si corpus assumant, non possunt videre Christum in Sacramento, & absque eo, neque eum vident naturaliter, & n. 10. & 12.*

7 *Naturalia, & supernaturalia, quæ dicantur tàm Angelis, quam hominibus?*

8 *Fidei quæ sunt, dicūtur esse supra naturalē cognitionem Angelorum, sicut supra naturalem rationem hominum.*

9 *Angelis non sūt inditæ species omniū specierum, sed possunt videre in speciebus sacramentalibus absentiam substantiæ panis.*

11 *Substantia, vt sic, non est visibilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui,* vel

vel imaginationi, ſed ſoli intellectui.
13 *Dæmones nullo modo vident Chriſtum in Sacramento, ſed ſolùm credunt, & contremiſcunt.*

Reſolutio LXV.

1 AD primum hoc de ſola Virgine ſan-
ctiſſima dubitari poſſet, vt arguen-
do loquitur *D. Thom. in 4. diſt. 10. q. 1. art.*
4. quæſtiunc. 1. argum. 1. quia, licet multa
alia corpora Sanctorũ Chriſto reſurgente
ſurrexerint, vt teſtatur *Matth cap. 27.* ea
tamen illos iterùm depoſuiſſe abſque ite-
rato mortis dolore, & expectare eum alijs
reſurrectionem, & iudicium teſtatur eadē
Virgo apud S. *Birgittam lib. 6. cap. 94.* &
multis medijs probat, contrarijs reiectis,
Durand. ibid. nota 2. licet alij contrarium
aſſerant. Ratio ergo dubitandi poteſt eſſe,
quia Chriſtus in Sacramento videt ſe ip-
2 ſum ibi corporali oculo; ſed corpora glo-
rificata conformantur corpori claritatis
Chriſti, vt docet *Apoſt. ad Philipp. cap 3.*
ergo pari ratione oculus glorificatus Vir-
ginis poteſt ipſum videre, ſicuti etiam
alia corpora glorificata, ſi adeſſent ſecun-
dum aliam opinionem; cui reſpondet
Sanc. cit. & par. 3. q. 76. art. 7. ad 2. diuerſam
eſſe rationem, quia oculo Chriſti, prout eſt
in hoc ſacramento, non conformatur a-
lius oculus glorioſus; imò quod ſi ocu-
lus eiuſdem Chriſti eſſet extra ſpecies Sa-
cramenti, nec videret ſubſtantiam ſuam
intra ſpecies contentam ex natura gloriæ,
niſi miraculosè.
Secundo arguit Sanctus, ideò Corpus
Chriſti ſub alia ſpecie proponitur, vt fides
habeat meritum, ſed illi, qui ſunt in glo-
ria, non habent fidem; ergo ipſi ad ſub-
ſtantiam corporis eius videndam pertin-
gunt corporali oculo, etiam ſecundum
quod eſt ſub Sacramento; Et reſpondet
3 quod quamuis prædicti comprehenſores,
non videāt corporali viſione corpus Chri-
ſti ſub Sacramento, vident tamen viſione
intellectuali plena, ideſt oculis mentis, &
ideò non oportet, quod habeant de eo fi-
dem, ſed perfectam cognitionem; addit
tamen *in 4. diſt. 10. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 1. ad*
1. non abſolutè, ſed per verbum (fortè)
quod miraculosè, non autem naturaliter
poſſit Beata Virgo, ſinè alia corpora
glorioſa illum videre.
4 Verum *A[illegible] x. [illegible] par 4. q. [illegible] membr. 3 ar.*
8. §. 2. vult, Beatam Virginem ſpeciali
priuilegio videre hic corpus Chriſti, cui
eum quadam declaratione aſſentit *Suar. to.*
3. diſp. 53. ſect. 5. §. 1. in fine; quod tamen
generaliter negant *Palud. & Capreol. d. diſt.*
10. q. vltima, & Riccard. art. 5. q. 2. quia
corpus Chriſti, vt eſt in Sacramento, non
eſt obiectum viſibile. idem *Suar. cit. ſect. 4.*
§. dico ergo cum, §. ſeq. generaliter loquen-
do, ita diſtinguit, aliud eſt quærere, an
corpus Chriſti cum modo ſacramentali,
quo ibi eſt, videri poſſit oculo corporali,
aliud eſt, an quamuis modus ipſe ſit inui-
ſibilis, corpus tamen ipſum precisè, &
ſecundum ſe videri poſſit, non viſo modo
& concludit, modum, quo hic exiſtit cor-
pus Chriſti, omninò inuiſibilem eſſe ocu-
lo corporali glorioſo, non ſolùm ex natu-
ra rei, ſed etiam de potentia abſoluta.
5 Sed videre ipſum corpus, prout eſt i[illegible]
ſe modo non viſo, dicit etiam eſſe im-
poſſibile naturaliter (niſi loquamur d[illegible]
apparenti viſione, quia nihil rep[illegible]
Deum imprimere in oculo ſpeciem [illegible]
poris Chriſti, per quam videretur [illegible]
eſſet præſens, & extenſum in tali di[illegible]ta-
tia, vt etiam ante eum docuit *D. Tho. in*
diſt. 10. q. 1. art. 4. quæſtiunc. 2. in corp. [illegible]
naturaliter autem, & intellectualiter [illegible]
de propria, & vera viſione, quæ r[illegible]
tet rem, prout re vera in ſe eſt [illegible]
Suar. *ibidem ſect. 5. §. 1.*
6 Ad ſecundũ Angeli Sancti ſi corpus aſ-
ſumant, non vident per illud Chri[illegible]
Sacramento; ſi verò intellectualiter, & [illegible]
loquimur naturaliter, & neque ill[illegible]
dent; ſolæ .n. res, pertinentes ad ope[illegible]
ſex dierum, fuerunt productæ, à Deo [illegible]
mentibus Angelicis ait *Caiet. in 3. par. q. 76.*
ar. 7. verſic. ad euidentiā, & quod quæcu[illegible]
7 que non ad naturæ, ſed gratiæ ordinem
per ſe ſpectant, eximuntur à naturali co-
gnitione Angelorũ, & conſequenter quod
oculi dati cæconato, & vinum factum in
nuptijs, differebant ab alijs oculis, & vi-
nis ſecundum naturale, & ſupernaturale,
quoad modum fiendi tantùm.
Hinc etiam infert, incarnationem Chri-
ſti, Chriſtum eſſe ſub ſacramento, lumen
gloriæ, & ſimilia differre a virtutibus na-
turalibus, & alijs, quæ entia naturalia vo-
cantur, penes ſuper naturale, & naturale,
quantum ad ipſa entia: ſunt enim illa ſu-
pernaturalia entia, quæ nec Angelis poſ-
ſunt eſſe, aut fieri connaturalia, imò ait
D. Tho.

D. Tho. d.art.4. quæstiunc.4. in corp. ipsum
8 credere, quod omnia, quæ sunt fidei, sint supra naturalem cognitionem Angelorũ, sicut supra rationem naturalem hominũ.

9 Quod confirmat idem Caiet. cit. versic. ad vltimam confirmationem dicens, quod Angelis non sunt inditæ species omnium specierum, sed earum tantùm, quæ ad naturalem ordinem vniuersi spectant: & propterea fidem, spem, & caritatem non per naturalem cognitionem in proprio genere nouerunt, nisi habentes illas in seipsis vtpote ad eos spectantes; dicit tamen Henriq. & communem appellat *lib. 8. c.27. sub n.6. lit l.* quod Angeli possunt in Eucharistia videre absentiam panis substantiæ.

10 Si verò loquimur supernaturaliter, & non solùm Angeli, sed etiam Beati intellectualiter vident Christum in Sacramẽto, dœmones autẽ, quia dona supernaturalia, nempè gratiã, & cętera huiusmodi amiserunt cum solis donis naturalibus remanẽtes, illũ nullo modo vident, sed credunt, & contremiscunt, vtrumque declarat *Sanc. d.*
11 *art. 7. in corp. videlicet Corpus Christi est in hoc sacramento per modum substantiæ: substãtia autem in quantum huiusmodi, non est visibilis oculo corporali, neque subiacet alicui sensui, nec etiam imaginationi, sed solùm intellectui, cuius obiectum est, quod quid est, vt dicitur in 3. de anima; & ideò propriè loquendo corpus Christi secundum modum essendi, quem habet in hoc sacramento neque sensu, neque imaginatione, perceptibile est, sed solo intellectu, qui dicitur oculus spiritualis. Perci-*
12 *pitur autem diuersimodè à diuersis intellectibus, quia .n. modus essendi, quo Christus est in hoc sacramento, est penitus supernaturalis, à supernaturali intellectu, sc. diuino secundum se visibilis est; & per consequens ab intellectu Beati, vel Angeli, vel hominis, qui secundum participatam paritatem diuini intellectus videt ea, quæ supernaturalia sunt visione diuinæ essentiæ; ab intellectu autem hominis viatoris, non potest conspici, nisi per fidem, sicut & cætera supernaturalia, sed nec etiam intellectus Angelicus secundum sua naturalia sufficit ad hoc intuendum. Vnde dæmones non*
13 *possunt videre per intellectum Christum in hoc sacramento, nisi per fidem, cui non voluntariè assentiunt, sed ad eam euidentia signorum compelluntur, prout dicitur in Epistola Iacobi 2. quod dæmones credunt, & contremiscunt; addit autem Henriq. cit. multos voluisse, sc. Scot. Caiet. & alios ibidem relat. lit.* K. posse dæmones cernere substãtiam corporis Christi in Sacramento, nisi specialiter à Deo impediantur, quod tamen ex prædictis est falsum, vt idem Henriq. ibidem fatetur.

Vtrum quãdo in Eucharistia apparet miraculosè caro, vel puer, sit ibi verè Corpus Christi?

SVMMARIVM.

1 *Apparitiones diuersæ, quæ in Eucharistia aliquibus in locis visæ sunt, referuntur. Sed an fiant veræ, vel falsæ? & qua de causa fiant? n.2.15. & 17.*

3 *Angeli laudantes Dominum aliquando auditi sunt in Eucharistia.*

4 *Christus semper manet in sacramento, donec species Sacramentales ibi conseruentur, secus si corrũpantur, vel in lapidem vertantur, & n.14. An maneat ibidem, quando aliquibus ibi apparet sub specie pueri, vel carnis, vel alio modo? n. 5. & 6. 11. & 13.*

7 *Corpus gloriosum potest se demonstrare oculis non glorificatis in toto, vel in parte, & in effigie propria, vel aliena, parua, vel magna. Potest videri in duobus locis eodem tempore. n.8.*

9 *Corpus Christi non potest in propria specie videri in Sacramento varys ex causis, & num. 10.*

12 *Miracula regulariter non multiplicantur sine necessitate.*

16 *Mendacium non est, quod dicitur, vel fit in figura veritatis, licet tale exterius appareat.*

18 *Speciebus sacramentalibus, quæ adoratio debeatur, quando ibi apparent caro pueri, vel aliud multo maioris quantitatis, quam ipsæ species, eo quod supponitur non adesse ibi tunc Christum, An & quando possint, vel debeant à sacerdote sumi, & si sumi non possint, num teneatur iterum consecrare, vel satis sit sumere alteram speciem, quæ immutata non fuit? n.19.20. & 21.*

Resolutio LXVI.

1 PRæmitto, negari non posse, quin multoties tales apparitiones acciderint, vt scribitur in vita S. Ludouici Regis Gal-

liæ,

lię, & alibi hoc etiam tradunt *Paschas. lib. de Eucharistia*, *Guitmundus lib. 3. eodem tit. & alij*; imò etiam adhuc extare vestigia apparitionum, quæ ante multos annos miraculosè visæ sunt in Hispania, & alijs locis scribit *Suar. to. 3. disp. 55. sect. 1. in princip.* vbi ex multis subdit, apparitiones prędictas si à Deo sunt, ordinari ad confirmandam fidem de reali præsentia Christi in Sacramento. Interdum autem fiunt ad
2 confusionem infidelium, hanc veritatem impugnantium; interdum ad terrendos peccatores indignè communicantes, (quibus, fuisse aliquando Eucharistiam versã in lapidem, tradit ibidem *Suar. ex Cypriano Niceph. & alijs*, vt etiam loquitur *Henriq. lib. 9. cap. 38. n. 1. in fine.*) vel ad confirmandos debiles, ac infirmos in fide; sæpè verò ad amicos consolandos, ac recreandos; qua de re cum possint hæc signa, etiã dæmonum opera contingere, ponderandi sunt fructus visionis, dispositio, & vita videntis, si præcipuè crescat in caritate, cum alijs circumstantijs iuxta prudentis Confessarij consilium.
3 Rursus aliquando, circa species sacramentales apparuit splendor, vel auditi sunt Angeli laudantes, & adorantes Dominum, vt apud eumdem *Cyprian. lib. de lapsis, & apud Chrysost. lib. 6. de sacerdotio.* aliquando etiam ipsæmet species consecratę, visæ sunt suo impulsu moueri, vt quando ab infidelibus proiectæ sunt in ignem, & ipsæ absque vlla læsione sunt sursum sublcuatæ; interdum etiam conculcatæ, & lapidibus contusæ, integrè, & intactæ permanserunt; aliquando tandem ita patenæ adhæserunt, vt nec frangi, nec diuelli potuerint propter indispositionem indignè
4 accedentis; sed his in casibus semper ibi manere corpus Christi, excepto quando species corrumperentur, vel in lapidem verterentur, cum non possit tunc sub eis esse substantia panis, sed lapidis, rectè docent *Suar. dicta sect. 1. §. 2. & 3. & Henriq. citat.*
5 His prælibatis docet *D. Tho. part. 3. q. 76. art. 8.* duobus modis posse hoc contingere, vno ex parte videntium, altero ex parte obiecti visi, st. Eucharistiæ; primo modo quãdo ab vno videtur sub specie carnis, vel pueri, ab alijs sicut prius sub specie panis; vel quando ab eodem videtur sub specie carnis, vel pueri, & post modum sub specie panis; & quia per hunc modum, nulla fit immutatio ex parte Sacramenti, sed tantùm in oculis videntium; quorum oculi immutantur, ac si expresè viderent carnem, vel sanguinem, vel puerum, manifestum est, quod non desinit Christus esse sub sacramento tali apparitione facta.
7 Altero modo quando apparitio non fit per solam immutationem videntis, sed ab omnibus videtur, & non ad horam, sed ad longum tempus ita permanet; & hoc casu magis dubitatur, quid sit, quod ibi appareat, & quæ immutatio fiat in speciebus; Quo circa idem Sanctus refert opiniones aliquorum, dicentium, quod sit propria species corporis Christi, nec obstare quod quandoque non videatur ibi totus Christus, sed aliqua pars carnis, vel etiã videatur, non in specie iuuenili, sed in
7 effigie pucrili; quia in potestate corporis gloriosi est, quod videatur ab oculo non glorificato secundum totum, vel secundum partem, & in effigie propria, vel aliena, vt se ostendit Magdalenæ, & Discipulis euntibus in Emaus.
Ex quibus hoc etiã docent *Alens. 4. part. q. 53. memb. 4. art. 3. Gabriel. lect. 51. in Ca-*
8 *non. & alij*; eo etiam magis, cum possit idem corpus gloriosum videri eodem tẽpore in duobus locis, vt docet etiam *Suar. vbi sup. sect. 2. in princ.* & hoc maximè cõuenire corpori Christi, qui quandam omnipotentiam participat circa corpus suum; sed has opiniones reijcit Sanctus ibidem dicens, hoc videri inconueniens, primo
9 quidem, quia corpus Christi, non potest in propria specie videri, nisi in vno loco, in quo definitiuè continetur; vndè cum videatur in propria specie, & adoretur in Cœlis sub propria specie, non videtur in hoc sacramento.
Secundo quia Corpus gloriosum, quod apparet vt vult, post apparitionem cum voluerit disparet, sicut dicitur luc. vltimo, quod Dominus ex oculis Discipulorum euanuit; hoc autem quod sub specie carnis in hoc Sacramento apparet, diù
10 permanet; quinimò legitur, quandoque esse inclusum, & multorum Episcoporum cõsilio in pixide reseruatum, quod nephas esset de Christo sentire secundum propriam speciem; Et ideo dicendum est, quod manentibus dimenrionibus, quæ prius fuerant, fit miraculosè quædam immutatio circa alia accidentia, puta figuram,

ram, colorem, & alia huiusmodi, vt videatur caro, vel sanguis, aut etiam puer, nec hanc esse deceptionem, quia fit in figuram cuiusdam veritatis, ad ostendendum st. per hanc miraculosam apparitionem, quod in Sacramēto est verè Corpus & sāguis Christi; idem dixit *in 4. dist. 10. q. 1. art. 4. quæstiunc. 2. in corp.* vbi tamen confessus est esse difficilem quæstionem.

Hoc idem ex eodem. *D. Tho. Richar.*
11 *Durand. Palud. Carthus. Marsil. & alijs testatur Suar. dicta sect. 2. §. 1.* dicens communem esse opinionem, in huiusmodi apparitionibus, non videri Christum Dominum in se, nec carnem eius, & sanguinem ex eisdem rationibus D. Tho. vbi in fine ait, quis facile credat, quando visus est sanguis ab hostia fluere, illum esse Sanguinem Christi, & in terram, vel linteum cadere; & similiter quando Calix visus est repleri Christi sanguine, ibi esse verum sanguinem Christi extra venas Corporis ita, vt & tangi & bibi posset? Et simile est quando apparet quasi frustum Carnis, quod illa sit vera caro Christi; nam per se apparent indecentiæ, siuè mul-
12 to, siuè breui tempore durent, & nulla est necessitas tot multiplicandi miracula; & inferiùs subdit in huiusmodi apparitionibus, id quod videtur, non solum non esse carnem, & sanguinem Christi in propria specie, sed nec veram carnem, aut sanguinem hominis, aut alterius animalis.

Enimuerò, aut talis apparentia citò
13 transit, & non est immutatio, nisi in oculis videntis, vt dictum est; aut diù permanet, & non est ad hoc apta vera caro, aut sanguis, quæ cito corrūperentur, nisi nouo miraculo conseruarentur; quod non est supponendum absque necessitate, & proinde satis est, vt in prædictis accidentibus objiciatur aliquid, affectum colore, & figura Carnis; qui color, & figura adherent ipsismet speciebus Sacramentalibus, quādo quod apparet, est eiusdem figuræ, & magnitudinis, cuius erant sacramentales species. Si verò est in multo maiori magnitudine addit *Suar. dicta sect. 2. prope finem*, necessariò dicendum esse, vel immutationem factam esse in Corpore circumstante, vel species sacramentales fuis-
14 se corruptas; quia quotiescumque fit tāta immutatio in qualitatibus harum specierum, vt sub eis non possit conseruari substantia panis, & vini, non manet sub eis Christus, veluti quando ita immutantur color, sapor, & aliæ qualitates panis, & vini, quod nullo modo possent compati naturam panis, & vini; quod idem procedit ex parte quantitatis, putà si puluerizetur panis, vel vinum in tam minutas partes diuidatur, vt iam non remaneat species panis, & vini, idem *Sanctus 3. par. q. 77. art. 4. in corp. in fine, à quò hoc didicit Suar. cit. sect. 3. §. 1. quibus concordant Henriq. lib. 9. cap. 38. sub n. 1. & Filliuc. tract. 4. cap. 5. n. 145.*

Ex dictis arguit *Suar. sect. 1. §. fin. ex eodem D. Tho. dicta qu. 76. art. 8.* (cuius est
15 etiam subscripta responsio): ergo omnes apparitiones, quæ hoc modo fiunt, opera dæmonis efficiuntur, cum sint deceptoriæ; solum n. sunt quædam sensuum illusiones; sed respondetur, si loquimur de apparitionibus, quæ breui tempore durant, vel sunt solum in oculis non omnium, sed aliquorum, & nullam esse deceptionem, aut mendacium; quia hoc fit in figura veritatis, ad ostendendum st. per hanc miraculosam apparitionem esse in sacramento verè corpus, & Sanguinem Christi; Hoc in simili docet *D. August. in lib. contra mendacium to. 4. cap. 10. post ini-*
16 *tium ex histor libri Genes cap. 27.* de dictis à Iacob Patri suo Isac, se esse Esaù, non fuisse mendacium, sed mysterium; eo magis cum nulla sit deceptio ex parte agentis, sicut non decipit Pictor, quando adeo perfectè depingit imaginem, aut florem, vt alteri veram rem esse appareat; benè tamen verum est, posse etiam fieri apparitiones prædictas dæmonis opera; & propterea necessariam esse spirituum discretionem, & orationibus ad Deum, & prudentum Consilio vti; cum possint etiam accidere ex vehementi imaginatione, aut læsione, vel debilitate phantasiæ; vt etiam docet *Alexander Alens. par. 4. qu. 53. membr. 4. art. 3.*

17 Aut verò loquimur de apparitionibus, quæ ab omnibus videntur, & longo tempor durāt, & multo minus potest esse deceptio ex eadem ratione, quam in vtroque casù tradit *D. Th. dicto art. 8. in corp. ex eodē August. lib. 2. quæst. Euang. c. vlt. circa princ. to. 4.* & quia non permitteret Deus illudi generaliter Ecclesiā suā; hocque in casu, quādo id, quod apparet, est multo maioris
18 magnitudinis ipsis speciebus sacramentalibus; quia tunc vt diximus non adest

ibi

ibi Christus, debet adorari ille sanguis, vel alia res miraculosa apparens, sicut adoraretur vestis Christi, cui concordat, *Suar. cit sect. 3. in princ.* Idem Sanctus addit *in 4. dist. 10. q. 1. art. 4. q. 3. in corp.* quod
19 quando Christi Corpus in specie propria, vel in specie carnis cruentatæ apparet, vel in simili specie, cum non habeat rationem cibi, non debet sumi ab eo, cui sic apparet, vt etiam probatur *in c. de hac de consecr. dist. 2.* sed ab alio, cui sub specie panis apparet, nisi (addit rectè *Suar. dicta sect. 4.*) ad priorem formam redeat, vt ex Paschas. refert accidisse cuidam S. Viro, qui cum similem visionem inspexisset, rogauit Deum, vt ad formam sacramenti rediret; quod cum ita factum esset, ipse idem assumpsit.

20 Quando autem omnibus sub specie carnis, apparet, tunc debet cum reliquijs poni, vt *in cit. quæst. nunc. 4.* & in tali casù consulit *Sanctus dicta p. 3. q. 82. art. 4. ad 3.* vt Sacerdos iterum consecret, & sumat ad perficiendum sacrificium, non tamen tenetur; quia quæ miraculosè fiunt, legibus non subduntur, vt repetit Caiet. ibid. licet *Antonin. ex Alberto & alijs apud cit. Suar. §. fin.* voluerit esse de præcepto iterum consecrare, & sumere; quibus fauere eundem Sanctum testatur idem Suar. cit. sect. 4. sed istud in cit. loco non legitur, cum apertè dicat Sanctus, hoc tantùm esse consilium, non præceptum. Bene
21 tamen verum puto, quod si post perfectam Consecrationem vtriusque speciei, talis accedat immutatio, & in aliqua parte nihil sit immutatum, illud consumi possit, & satis erit ad perfectionem sacrificij, vt docet Suar. ibidem, quæ omnia ex innumeris pene D.D. confirmat Henriq. lib. 9. cap. 38. num. 2. dicens contentum esse posse Sacerdotem sumptione vnius speciei, quæ immutata non fuit.

Quid fiat de Corpore Christi cum in Eucharistia desinit esse per accidentium, seù specierum consumptionem?

SVMMARIVM.

1 *Corpus Christi consumptis speciebus sacramentalibus desinit esse sub illis, sed quæritur vbi postea sit? licet tamen desinat ibi esse, non tamen mutatur de esse ad non esse n. 2. Quando vero desinit esse sub speciebus, illis consumptis, desineret totaliter esse, si alibi non existeret secundum aliquos (quod non est verum) num. 3.*

4 *Resolutio compositioni opponitur.*

5 *Christus, consumptis accidentibus, statim auolat in Cælum, vbi propterea habet præsentiam toties repetitam, quoties fuerūt consecrationes ab initio factæ secundum aliam opinionem, quæ reijcitur. Nihil aliud amittit per desitionē ab hostijs consecratis, nisi præsentiam localem, quam ibi habebat ante consumptionem num. 6.*

7 *Angelus existens in loco adæquato, potest relinquere partē eius, & in alia manere, sicuti etiam existens in locis partialibus distantibus, potest vnum omittere, & in alio solo manere.*

8 *Anima rationalis quādo abscinditur aliqua pars corporis, quod informat, amittit illam partialem vnionem, nec aliam acquirit.*

9 *Christus quādo venit ad species sacramentales per transubstātiationē, non descendit de Cælo, quia numquam relinquit Patris dexteram; & licet existat in pluribus hostijs, & altaribus, vnus tamen est, & singuli communicantes illum totum recipiunt, & n. 11.*

10 *Substantia sine quantitate est indiuisibilis.*

12 *Anima Christi in Sacramento non est ibi ex vi consecrationis, sed per concomitantiam.*

13 *Corpus Christi quo modo sit in sacramento non est curiose inquirendum.*

Resolutio LXVII.

De hac quæstione, cum difficilis existimetur, pauci scripsere, qui tamen in tres sententias diuersas abierunt, qua-
1 rum prima est, corpus Christi, quando desinit esse sub speciebus, nullo modo mutari, sed mutationem fieri circa species, per quarum consumptionem desinere esse Christum in illis, non quia ab eis dependeat, sed quia tollitur habitudo corporis eius ad illas, sicuti desinit Deus esse dominus creaturæ desinentis, vt percipitur ex *D. Tho. 3. p. q. 76. art. 6. ad 3. vbi Caiet. addit, species ergo sacramentales mutari possunt de esse ad non esse, vt ad sensum patet,*
2 *sed Christus sub ipsis existens, non mutatur*

de esse

de eſſe ad non eſſe, licet tunc ſub illis deſinat
eſſe. concordant Alex. Alenſ. 1. par. qu. 45.
memb. 1. ar. 2. Marſ. in 4. qu. 7. art. 1.
ad 6.
Secunda ſententia refertur per *Suar. to. 3.*
diſ.54. ſect. 1. §. 1. quam ipſe non ſequi-
3 tur, ſed eſt priori contraria, quæ ſe ha-
bet, corpus Chriſti per talem deſinen-
tiam, amittere præſentiam localem in ſpe-
ciebus, & ex vi huius deſitionis, dum
non transfertur in alium locum, ita deſi-
nere eſſe in ſpeciebus, quod ſi alibi non
eſset, prout eſt in Cælo, & in alijs ho-
ſtijs conſecraris, deſineret ſimpliciter eſse;
implicat n. ſubſtantiam manere, & nullibi
exiſtere: ſiquidem efficitur corpus Chri-
ſti in ſpeciebus de earum ſubſtantia per
tranſubſtantiationem, quæ reuera dat ſub-
ſtãtiale eſse, ergo idem proportionabiliter
4 dicendum eſt de deſitione, quia reſolutio
compoſitioni opponitur cum debita pro-
portione, & contrariorum eadem eſt di-
ſciplina *inſtit. de ys qui ſui, vel alie. Iur.*
ſunt in princ. proinde ſequitur illud eſse,
amittere corpus Chriſti per deſitionem in
hoc ſacramento, quod per eius effectio-
nem acquiſierat.
Tertia ſententia eſt Chriſtum ſtatim ac
5 deſinit eſse ſub ſpeciebus, aſcendere in
Cælum iuxta *Gl. in. c. tribus gradibus V.*
miſcere in fine de conſecr. diſt. 2. & Marſ.
cit. dicto art. 1. ex quo ſequeretur, Chri-
ſtum habere in Cælo præſentiam toties
repetitam, quoties Euchariſtia conſum-
pta eſt, ex quo fuit inſtituta, imo repe-
tendam eſſe vſque ad finem ſeculi, quouſ-
que hoc Sacramentum durabit, & à ſu-
mentibus recipietur; nec defuiſse Theo-
logos, qui hanc ſententiam publicè de-
fẽderint, ac docuerint teſtatur *Suar. vbi ſu-*
pra §.2. Quam tamen ipſe ibidem cum ſe-
cunda diuerſis medijs, & inconuenienti-
bus, quæ inde ſequerentur reijcit, & pri-
6 mæ inhærere videtur; clarius tamen eam
declarando *in §. penult.* vbi ait, nihil aliud
amittere Chriſtum per talem deſitionem
à ſpeciebus, niſi præſentiam illam, quaſi
localem, quam habebãt in illis ante con-
ſumptionem earum, nec aliquid noui ac-
quirere, quod probat exemplis; etenim
Angelus exiſtens in loco adæquato, po-
teſt relinquere partem eius, & in alia par-
7 te manere, nihil de nouo acquirendo, &
tunc fit in eo aliqua mutatio; nam aliter ſe
habet quã prius, & tamen illa non poteſt
eſſe, niſi mutatio localis, qua amittit, &
non acquirit aliquid loci; idemque erit,
ſi fortaſſe Angelus ſimul eſſe poſſit in par-
tialibus locis diſtantibus; nam poteſt vnũ
omittere, & in alio ſolo manere: & hoc
non eſſe Deo impoſſibile *ex Scoto, & alys*
docet etiam poſt Suar. Henriq. lib. 9. cap. 38.
num. 3.
8 Quod idem eſt de anima rationali, quã-
do abſcinditur pars corporis, quod infor-
mat, nam deſinit ibi eſſe amittendo illam
partialem vnionem, & præſentiã, nec aliam
acquirendo, & conſequenter aliquo mo-
do mutatur, cum aliter ſe habeat, quam
prius. idem voluit *Filliuc. tract. 4. cap. 5. nu.*
143. dicens, dari mutationem accidenta-
lem, priuatiuam sc. loci in Chriſto, quan-
do deſinit eſſe præſens in Sacramẽto, quia
præſentia eſt aliquid accidẽs reale; muta-
tionem autem ſubſtantialem omnes Theo-
logos reijcere, cum non ſit decens, neque
conſentanea dignitati corporis Chriſti;
ſcimus etiam D. Anton. de Padua præ-
dicaſſe eodem tempore pluribus in locis,
& poſt expletam concionem amiſiſſe illã
replicationem præſentiæ, nec aliam acqui-
ſiuiſſe.
9 Cõcordat *Sylu. v. Euchariſtia 4. nu. 1. vi-*
delicet. corpus Chriſti exiſtẽs in Cælo localiter,
incipit eſſe in altari abſque quod de Cælo de-
ſcendat, quia non incipit eſſe in altari per ſui
mutationem, ſed quia aliquod in altari exi
ſtens cõuertitur in illud, ſicut ignis incipit eſſe
in aere, quando aer in ignem conuertitur, item
quia *quotquot hoſtiæ, in Chriſti corpus con-*
uertantur, ipſum tamen non augetur, nec
10 *mutatur, quia illud, quod ei additur, eſt*
ſubſtantia ſine quantitate, & conſequenter
eſt indiuiſibilis ex 2. phyſ. & propterea non
augetur, ſicut nec punctum additum lineæ, vel
color additus ligno; quibus adde *Catech.*
Rom. de Euchariſtia num. 41. ex D. Ambroſ.
lib. de ſacram. c. 4. ibi neque n. Chriſtus aut
generatur. aut mutatur, aut augeſcit, ſed in
ſua ſubſtantia totus permanet.
11 Item docet Sylu. ibidem, quod quam-
uis in multis Altaribus ſint multæ hoſtiæ
conſecratæ, & in qualibet integrum cor-
pus Chriſti, illud tamen eſt vnum tantum,
quia vna eſt ſubſtantia, in quam omnes
hoſtiæ conuertuntur, & illa eſt in multis
locis, quia ibi eſt quantitas multarum ho-
ſtiarum conuerſarum, & in qualibet parua
hoſtia, ſiue fragmento, eſt verè corpus
Chriſti cum carne: & oſſibus, totuſque

Christus indiuisus, sicut substantia aeris, est sub qualibet parte aeris, siuè continua, siue diuisa; & sicut anima est in qualibet corporis parte; quod confirmatur *ex Catech. cit. nu.43. ibi, itemque tota aquæ natura, non minus in vrnula, quam in flumine inest, & propterea corpus Christi, quod est in Sacramento solum per modum substantiæ, totum est sub qualibet particula, seu fragmento.*

Vnde non est minoris virtutis, aut efficaciæ hoc Sacramentum, si sumantur mille hostiæ, quam si vna sola iuxta *D. Thom. cit. ab eod. Sylu. d. n.* 1. vbi etiam docet, quod quamuis substantia panis conuertatur in substantiam corporis Christi, vt dictum est, non tamen conuertitur in animam ra-
12 tionalem Christi, & consequenter anima, vt anima non est ibi ex vi Sacramenti, sed concomitanter, vt etiam legitur *in Trid. sess. 13. cap. 3.* Qua de causa rectè infert *Filliuc. tract. 4. cap. 5. n. 133. ex eod. D. Thoma.* quod si in illo triduo, quo Christus fuit in sepulchro, aliquis Apostolus cõsecrasset sub specie panis, non fuisset illius anima in sacramẽto, quia nõ erat in corpore ipsius, fuisset tamen diuinitas, quia hæc numquam fuit, nec est separata. Conclu-
13 do cum *Catech. vbi supra nu. 42. ibi non esse curiosius inquirendum quo pacto hæc fieri possint; nec .n. percipi à nobis possunt, nec in naturalibus mutationibus, aut in ipsa rerum creatione, eius rei exẽplum aliquod habemus; verum quid hoc sit, fide cognoscendum est, suntque Christiani illa voce præmuniendi. non erit impossibile apud Deum omne verbum.*

SVMMARIVM.

1 *Excommunicationis Etymologia. Olim priuabat Communione solum Eucharistiæ, non aliorum bonorum, vt hodie n.* 2. *sed an sit de Iure Diuino, vel positiuo num.* 5. *&* 6.

3 *Excommunicatio proprie non fuit in statu legis naturæ, neque in lege scripta apud Iudæos, vel gentiles.*

4 *Excõmunicandi potestas fuit Ecclesiæ tradita à Christo.*

7 *Excommunicationis maioris definitio, & quod priuet consortio fidelium, participatione sacramentorum, communibus Ecclesiæ suffragijs, & alijs vt infra.*

8 *Excommunicatione simpliciter, & absolute prolata, siue à Iure, siue ab homine intelligitur de maiori.*

INTRODVCTIO.

1 Qvoad etymologiæ nomen attinet, dicitur excommunicatio, quasi extra communionem, siue exclusio à communione *Sylu. V. excommunicatio* 1. *num.* 1. fideles enim in Eucharistiæ participatione maximè vniuntur; adeo quod antiquitùs illam suscepturi, mos erat, vt antea ad inuicem basiarentur, vt ex Grat. retulimus supra *V. Eucharistia in princ.* cumque communio, licet generale nomen sit, huic tamen sacramento communirer
2 attribuatur, proinde quando quis olim excommunicabatur, hac communione tantùm priuatus erat; quod magna pœna existimabatur, quia Christi fideles erant perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus act. 2. Sed refrigescẽte feruore erga communionem iuxta *Henriq. in sum. lib. 13. cap. 1. & alios ibidem. lit. L.* adiecit Ecclesia priuationem aliorum sacramentorum, Ecclesiæ communium bonorum, & communionis fidelium, vt mox dicetur, & legitur in *c. Engeltrudam 3. q. 4. & c. si quem de sentent. excomm.*

3 Quamuis autem in statu legis naturæ, excommunicatio propriè in vsu non fuerit, dicitur tamen per similitudinem, quod sicut Adam fuit prohibitus, & excommunicatus ab esu ligni vitæ. ita excommunicatus prohibetur à communione corporis, & sanguinis Christi, & fidelium, *c. ad mensam §. euidenter versic. hæc sententia* 11. *q.* 3. *& addit D. Hieronym. super Oseam cap.* 6. eiectionem excommunicatorum ab Ecclesia, similem esse eiectioni Adæ de Paradyso. Sed neque apud Gentiles, aut Iudæos, propria excommunicationis ratio vmquam fuit, vt scribunt *Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. Henriq. citat. cap. 2. in fine*, cum talis potestas à clauibus dependeat, quam legis naturæ, aut scriptæ sa-
4 cerdotes non habebant, eamque Christus Ecclesiæ suæ tradidit *apud Matth. cap. 18. v.* biloquendo de correctione fratris addit, si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi, sicut Ethnicus, & publicanus, ex quo tex. DD. trahunt originem, seù principium excommunicationis. *D. Thom addit. 3. par. q. 19. ar. 1. q. 21. ar. 2. & q. 22. art. 1. Durand. in 4. dist. 18. q. 3. n. 6. Adrian. ibidem tract. de clauibus art. 3.*

5 Vndè

5 Vnde iure merito Apostoli postea talē potestatem exercere cæperunt, vt legitur *in epist. 1. ad Corinth. c. 5. epist. 1. ad Timot. c. 1. ad Thess. 1. cap. 3. & c. sicut Apostoli 11. q. 3.* ex quibus orta est difficultas inter DD. an excommunicatio sit de iure diuino, vel positiuo; ratio dubitandi nascitur ex verbis *D. P. ad Tit. cap. 3. ibi hæreticum hominem post vnam, & secundam correctionem deuita.* qua propter licet aliqui voluerint esse de iure positiuo, quos refert *Nauar. de orat. & horis Canon. cap. 22. n. 9.* vbi dicit opinionem esse probabilem; prout etiam *Couar. in c. alma mater. par. 1. §. 1. n. 1. de sent. excō.*

6 *in 6.* His tamen non obstantibus præualuit alia opinio, cum distinctione, quam tuentur *Abb. in c. cum desideres n. 3. eod. tit. Sotus in 4. dist. 22. q. 1. art. 1. vers. ex his autem, Hēriq. cit. cap. 2. §. 3.* vbi quamplures. omnes vno ore docentes, potestatem excommunicandi vtique de iure diuino esse, quia Christus eam dedit Ecclesiæ apud Matth. cit. cap. 18. modum autem seu formam excommunicandi, eius effectus, hos, aut illos cum omnibus alijs ad hanc materiam attinentibus (de quibus infra) de iure positiuo, vt etiam probatur *in extrauag. 1. §. est autem de maior. & obed.* quod cum sic experientia quoque doceat, non est hic amplius immorandum; In dic enim videmus, etiam hæreticos, & hæresiarchas non solùm à Pontifice, & suis Inquisitoribus, sed etiam ab Episcopis excommunicari, & puniri authoritate Apostolica, & tamquā Sedis Apostolicæ delegatis *Trid. sess. 5. cap. 2. §. si verò, de refor.*

7 Definitur autem excommunicatio, quod sit censura ecclesiastica, qua homo baptizatus priuatur aliquibus bonis communibus, consortio st. fidelium participatione Sacramentorum, & communibus Ecclesiæ suffragijs. *Gregor. de Valent. to. 4. disp. 7. q. 17. pun. 1. ex D. Tho. 3. p. suppl. q. 21. ar. 1. & alijs. Fillinc. tract. 12. cap. 1. q. 3. Bonac. de censur. disp. 2. q. 1. pun. 1. nu. 2. ex Nauar. cap. 27. n. 1.* dicitur censura loco generis, quia in hoc conuenit cum alijs censuris, suspensione st. & interdicto *c. quærenti de verb. signif.* dicitur ecclesiastica, quia non potest secularis excommunicare. *Tolet. lib. 1. cap. 5. n. 4.* dicitur homo baptizatus, quia infidelis non potest excommunicari, vt dictū est supra *V. censura in eius introduct. nu 10.* dicitur aliquibus bonis, quia non priuat omnibus, sed tantùm prædictis, vt infra

8 sigillatim dicetur. Quæ quidem excommunicatio diuiditur in maiorē, & minorē, sed simpliciter loquendo, intelligitur de maiori, quæ parit relatos effectus, tàm si proferatur à iure, quàm ab homine. probatur in *c. penul. & ibi. Gl. & Abb. n. 2. de verb. signif.* verba enim sunt accipienda in propria significatione *l. non aliter ff. de legat. 3.* minor verò fertur à iure tantùm *Nauar. in manual. cap. 27. n. 25.*

Quot effectus pariat excommunicatio maior.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus priuatur forensi communicatione tàm actiua, quàm passiua, impetratione gratiarum, & est inhabilis ad beneficia. Item consortio fidelium, quod habuit originem ab Apostolis n. 2. Illi communicare in multis casibus est mortale. n. 3. & seq. sed regulariter veniale, nisi sit per contemptum n. 5. aliquando nec est veniale. n. 6. & seq.*

4 *Superiori debetur honor, & reuerentia, & qui ei resistit, Deo resistit.*

7 *Creditor excommunicatus non potest conuenire suum debitorem iudicialiter, neque reconuenire.*

9 *Matrimonium contractum cum excommunicato, vel excommunicata est validum.*

10 *Excommunicatio minor non contrahitur per communicationem cū aliquibus personis excommunicatis ratione vtilitatis, etiamsi sit in diuinis, sed non in crimine.*

11 *Sacramenta non possunt ministrari à filio, patri excommunicato, nec è contra, licet possint in alijs diuinis licitè communicare.*

12 *Regularis subditus, an possit licitè communicare cum superiore excommunicato, & num teneatur illi obedire? & quid de tolerato tantùm? & an possit superior communicare cum subdito excommunicato. n. 13.*

18 *Excommunicatio, an contrahatur, si quis per metum communicat cum excommunicato in diuinis?*

19 *Metus non excusat à peccato fornicationis, vel adulterij, aut ab alijs peccatis, & num. 21.*

20 *Peccatum veniale neque ob metum mortis, est committendum.*

22 *Argumentum de minori ad maius, vel è*
contra non procedit, quando caſus ad
quem eſt facienda extenſio, reperitur de-
ciſus à iure in contrarium.
23 *Excommunicati tolerati qui ſint, & qui nõ*
tolerati? & an poſſit cum toleratis com-
municari etiam in diuinis? & num. 24.
& 25.

Reſolutio LXVIII.

1 DIctum eſt ſupra in introduct. num. 7.
eſſe tres, ſub quibus tota ferè hæc
tractatio verſatur, ſed ſub primo includũ-
tur priuatio iudicialis, ſeù forenſis com-
municationis tàm actiuæ, quàm paſſiuæ,
(de qua in ſequenti reſolut.) inhabili-
tas ad iudicandum, ad beneficia obtinen-
da, & ad gratias impetrandas, præcipuè
eccleſiaſticas, ſub ſecundo participatio,
etiam actiua ſacramentorum; & ſub tertio
priuatio omnium aliarum rerum ſacrarũ,
2 & eccleſiaſticæ ſepulturæ, à primo ergo
incipiendo, quod excommunicati priuen-
tur conſortio fidelium, vt dicebamus *d.n.*
7. affirmant originem habuiſſe ab Apoſto-
lis, ſiue ſtatuendo, ſiue declarando, vt
dictum eſt ſupra *n.6.* & legitur *in cap. ſicut*
Apoſtoli 11. *q.3.* & *in c. excommunicatos cum*
2. *ſequent. eod. tit.* vbi prohibetur commu-
nio cum ipſis in oratione, cibo, potu, oſcu-
lo, locutione, & ſalutatione.
3 Quãdo autem talis communio ſit mor-
talis DD. conſentiunt in tribus caſibus,
qui ſunt participatio in diuinis. *D. Thom.*
quodl. 11. *art.9. Nauar. cap.27. nu.* 29. *& alij*
communiter, communicatio in crimine cri-
minoſo, *c. nuper. §. in ſecunda verò de ſentent.*
excomm. & c. ſi concubinæ eod. tit. vbi cogno-
ſcentes concubinas, quæ propter concu-
binatum fuerunt excommunicatæ, in ean-
dem etiam excõmunicationem ipſo iure
incurrunt; & communicatio in contem-
ptum Eccleſiæ, ſeù excommunicationis
idem *Sanc. loco cit. facit cap.10. Lucæ ibi. qui*
4 *vos ſpernit, me ſpernit, & Pauli ad Rom.* 13.
ibi qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi re-
ſiſtit, & ſibi ipſi damnationem acquirit, &
c. 2. de maior. & obed. Nauar. vbi ſupra. Hen-
riq. lib. 3. cap. 8. & 9 Sayr. lib. 2. de cenſur c.
11. *n.* 3. 5. *&* 12. vbi penè innumeros an-
tiquos, & modernos affert, extra quos ca-
ſus, alios tres addit Nauar. ibidem, qui
videntur includi ſub iſtis.
Addit alium *Henriq. d. cap. 9. n.* 3. quando
quis ab excommunicato Iudice petit actũ
iudicialem, vel ſententiam in re graui,
quia inducit eum ad faciendum actum de
ſe nullum in præiudicium tertij, de qua
5 quæſtione infra latiùs; in alijs ergo caſibus
erit regulariter veniale communicare cũ
excommunicatis *d. §. in 2. verò*, & *§. fin. cap.*
à nobis de except. D. Thom. cit. etiam ſi fre-
quentiſſima eſſet communicatio, non ta-
men, ſi ex contemptu, vt ſupra *Regin. lib.*
31. *cap.* 13. *n.* 92. *& alij quamplures apud P.*
Dian. par.5. tract.9. reſol.2. §.1. ſunt tamen
6 multi caſus in quibus etiam veniale vita-
tur, qui includuntur ſub infraſcripto ab
omnibus relato verſu; in ſequenti verò re-
ſol. n. 8. de alijs caſibus etiam extraiudi-
cialibus, in quibus non datur excuſatio,
& aliquando etiam mortale committitur.
Vtile, lex, humile, res ignorata, neceſſe.
per (vtile) intelligitur vtilitas ſpiritualis,
ſeu temporalis excommunicati, vel cum
eo communicantis, *c. cum voluntate de ſent.*
excomm. vbi legitur excuſari loquentem
cum excommunicato de ijs, quæ ad ſuæ
animæ ſalutem pertinent; item ſuadere
eidem, vt ſatisfaciat creditoribus, vel par-
ti offenſæ, petere conſilium, ſiue medici-
nam ab eo, ſi eſt legiſta, vel medicus, dum-
modo non adſint alij æquè docti. *Suar. to.*
5. *hoc tit. diſp.* 15. *ſect.* 3. *n.* 9. item petere ſuũ
creditum ab eodem *c. ſi vere eod. tit. & cap.*
intelleximus de iudic. vel ſatisfacere eidem,
ſi eſt creditor, cui tenetur non obſtante
cenſura Eccleſiæ, quæ non poteſt tollere
obligationem iure naturali ortam de ſol-
uendo debitum. *Henriq. lib.* 13. *cap.* 7. *ſub n.*
4. *lit. F. ex Caiet. Sylu. Nauar. & alijs. Regin.*
lib. 32. *tract.* 1. *cap.* 15. *n.* 115. *Bonac. de cenſ.*
7 *diſp.2. q.2. pun.6. §.2. n.7.* licet iuridicè ex-
communicatus non poſſit ſuum debitorem
conuenire *c. excommunicamus §. credentes de*
haeret. imò neque reconuenire. *c. cum inter*
in fine de except. alios caſus his ſimiles af-
ferunt DD. ſed quia difficile eſt de omni-
bus meminiſſe, propterea melius erit in
facti contingentia ex relatis inferre ad a-
lios ex paritate, vel maioritate rationis,
iuxta *l. non poſſunt ff. de ll. l. iam hoc iure, ff.*
vulg. & pup. & auth. multo magis C. de
ſac. S. Eccleſ.
8 Per particulam (lex) intelligitur lex
matrimonialis, vt ſcilicet vxor, vel vir
excommunicata, vel excommunicatus
non peccent communicando ad inuicem
cap. quoniam multos 11. *quæſt.* 3. (niſi ex-
com-

communicatio fuisset lata ob matrimoniũ illegitimè, & inualidè contractum, tunc enim dicerentur communicare in crimine criminoso, essetque mortale, vt supra dictum est, & docent *Sylu. verb. excomm. 5. sub n.4. Suar. cit. disp.15.sect.4. n. 5.& 15. Sanch.lib.9. de matr. disp.14. n.9. Regin. lib. 32. n.101. Bonac. d. §. 2.n.19. Dian.par.5. tract.9. resol.122.*)illa tamen communicatio licita est (quamuis matrimonium fuisset contractum cum excommunicato, vel excommunicata ex alia causa, quod validum est, vt infra resol.seq. n.13.)quia posito matrimonium esse validum, necessariò sequitur redditio debiti, & communicatio licita DD. apud *Bonac.n.* 18. *& Dia. vbi supra, §. sed difficultas.*

9

10 Per (humile) intelligitur subiectio filiorum, famulorum, & omnium de familia, qui possunt loqui cum parentibus, & dominis, *d. c. quoniam multos*, vbi includũtur etiam ignorantes, vt mox dicetur, sed de prioribus intelligitur, dummodo non communicent in crimine *c. inter alia in fine de sent. excomm. Sylu. cit. Bonac.n.* 25. *Dia. vbi supra resol.* 118. *& addit resol.*119.etiã pupillam cum tutore excommunicato; si habitent in eadem domo, vel etiam extra domum, loquendo de negotijs attinentibus ad tutelam; quæ quidem communicatio, excepto pupillo, extenditur etiam ad simul interessendum diuinis. *Caiet. Nauar. & aly apud Henriq. lib.13. cap.22. n.3.*

11 *lit. G. & H.* & consequenter possunt filij famuli, & vxores cum cæteris missam audire cum parentibus, dominis, & maritis, *Bonac. vbi supra n.37. Dia. cit. resol.* 124. *prope finem*; non tamen poterit filius, vel pater ministrare sacramenta, vel alia diuina facere coram patre, vel filio excommunicatis iuxta *Suar. cit. sect.5. n.22. Coninc. disp. 14. dub.12. n.132. & alios relatos à Bonac. d. num.* 37.

12 An autem hoc liceat (præcisa communicatione in crimine) etiam religiosis subditis, & vtrum teneantur suis superioribus excommunicatis obedire? *Bonac. loco cit. n.* 26. refert pro affirmatiua, quam tuetur, Sotum, Vasq. Auil. & alios, sed contrarium docent alij apud *Dian. d. tract.9. resol.*127. admittendo solùm communicationem, quæ ratione habitationis vitari moraliter non potest, perinde sr. ac esset quilibet ex eadem familia excommunicatus, & tãto minus tenentur eis obedire, dum iurisdictionem amittunt, vt dicemus inferius, quod est adeò verum, vt fuerit hoc dubitatum etiam de excommunicato tolerato, seu non declarato, & negatiuam etiam in hoc casu amplexus est *Villalob. in summa to.1. tract. 17. diffic.14. n.1.* cuius verba refert Dian. ibidem, ac etiam opinionem contrariam: *Megal. in 3. par. lib.2. cap.5. q. 4. n.50.* quæ verior est in hoc casu, vt di-

13 cetur inferius, superiori verò licere inhumanis communicare cum subditis excommunicatis docet *Henriq. lib.13. cap.22. sub n. 3.* Sed Vassalli eximuntur ab obsequijs Principi excommunicato debitis, nõ

14 obstante iuramento, circa hoc fortasse præstito *c. nos Sanctorum 15. qu. 6.* & à iurisdictione subiectionis, ad quam non tenentur; dum in excommunicatione manent; excusantur tamen, si ex subtractione obedientiæ, immineat eis periculum grauis damni. *Henriq. cit. cap.7. nu.4. Suar. disp. 15. sect. 6. & 7. Fillinc. tract.13. cap.6. q. 9. & aly*; non tamen communicando in tribus casibus supra n.3 notatis.

15 Sequitur (res ignorata,) quando st. quis communicat cũ excommunicato ex ignorantia iuris, vel facti iuxta dicta *supra resol.*19. prçipuè quando ageretur de mortali contrahẽdo in illis tribus casibus paulo ante relatis, in quibus sola ignorantia probabilis excusat, in alijs verò dum agitur de veniali, videtur sola ignorãtia crassa, & supina, vel affectata causare veniale ex Nicolao Papa *in cap. excellentissimus 11. q. 3.* vbi adduxit verba *psalmi 35. ibi noluit intelligere vt benè ageret.* Et licet ibidem dicatur generaliter quod absoluantur, qui excommunicatis communicant ex ignorantia, quasi quod omnes peccent; hoc tamen est intelligendum iuxta *Gl. ibidem, verb. absoluantur*, quod st. absoluti iudicẽtur, si non sit ignorantia modo dicta, concordat *c. quoniam multos eod. tit. vbi Gl. V. ignorantia, & c. Apostolica de Cler. excõ-*

16 *minist.* & propterea dicit *Fillinc. de censur. tract.13. cap.6. q.11. n.* 128. quamcumque ignorantiam, modo non sit affectata, excusare saltem à minori excommunicatione; ad cautelam tamen posse recipi absolutionem; concordat *Coninc. disp.14. dub. 12. n.*124. quidquid in contrarium dixerit *Bonac. disp.2. q.1. pun.6. §.2. sub n.*41.

17 Sequitur vltima particula (necesse,) hoc est

est necessitas, tàm excommunicati, quàm cum eo communicantium, *c. quoniam multos 11. q. 3. & c. inter alia de sent. excomm.* etenim dum excusat vtilitas in casibus relatis, à fortiori necessitas *argum. auth. multo magis C. de sacros. Eccles. Sayr. lib. 2. cap. 14. n. 29. vbi alij.*

18 Verum autem communicatio cum excommunicato ex metu cadente in constãtem virum excuset *Innoc. 3. in c. sacris de sentent. excomm.* ait nullum metum excusare à culpa, & consequẽter nec ab excommunicatione; quem text. indistinctè procedere volunt *Abb. ibidem Palud. in 4. dist. 18. q. 7. art. 3. conclus. 1. Adrian. ibidem, & quodl. 1. art. 3. vers. ad quintum, alijque apud Sayr. d. cap. 14. n. 36.* ea ratione, quia

19 sicut nullus metus excusat à fornicatione, vel adulterio, ex quo semper consentitur in actum prohibitum, qui intrinsecè malus est, & non tollitur per circumstantiam metus, ita nec excusat à communicatione directa cum excommunicato, cõsentiendo principaliter in peccatum, quod intrinsecè malum est. & contingit in tri-

20 bus casibus supra n. 3. relatis, extra quos est veniale, quamuis fiat ex metu, vt docet *D. Tho. quodl. 11. art. 9. vbi addit ad 3. & in 3. part. suppl. qu. 23. art. 3. ad 1.* ita esse intelligendum tex. cit. & nec veniale ob metum mortis esse committendum.

21 Comprobatur *ex cap. 6. & 7. Machab. lib. 2.* vbi septem filij cum vtroque parente fuerunt occisi, ex quo noluerunt comedere carnem porcinam, quæ tunc à lege diuina prohibita erat; ergo metus mortis non excusat, si operetur contra eam. contra quæ arguuunt *Sayr. d. cap. 14. n. 40.* & alij apud eum, quod dum ius Pontificium permittit communicationem cum excommunicatis ex leuioribus causis, nempe vtilitatis, subiectionis, & necessitatis; vt supra *ex cit. c. quoniam multos 11. q. 3.* à fortiori videtur idem permittere ex causa grauiori, vt est metus mortis ad tex. citat *in auth. multo magis C. de sacros. Eccles. cum similibus.* Sed respondetur illam communicationem in humanis, quæ aliàs non est nisi veniale, permitti ob bonum finem ex causis prædictis, & si permittitur in diuinis cum solis Parentibus, & coniunctis, vt diximus supra n. 10. est ex causa subiectionis, & coniunctionis naturalis, quo-

22 dammodo inseparabilis. Et vlterius argumentum non procedere, quoties casus ad quem est facienda extensio, reperitur prouisus per alias ll. quæ impediunt extensionem, vt in casu nostro ex *dictis c. sacris c. si concubina, & c. significauit de sentent. excomm.* & ita per omnia docet *Hostiens. relatus, sed non totaliter sequutus à Sylu. V. excomm. 5. n. 23.* qui tamen est intelligendus iuxta dicta supra *resol. 18. à nu. 5. ad finem*. vbi eum ad hoc propositum retulimus, vide etiam *Nauar. cap. 27. nu. 33. Henriq. lib. 13. c. 23. Sayr. d. cap. 14. n. 41. 42. & 43.*

23 Est tamen principaliter aduertendum, quod communicatio, quæ prohibetur in omnibus casibus relatis, & infra dicendis, intelligitur cum excommunicatis declaratis, seu denunciatis, non autem cum toleratis, vt sunt omnes ante declarationem, qui sunt solùm excommunicati in conscientia *Nauar. d. cap. 27. nu. 35. Sylu. V. excommunicatio 5. n. 6. Sayr. lib. 2. c. 12. n. 6. ex extrau. ad euitanda scandala,* cuius verba ibidem eundi recitant; idem volunt *Bonac. disp. 2. q. 2. p. 6. §. 1. n. 1. Dian. part. 5. tract. 9. resol. 117. §. 1.* qui etiam ci-

24 tant, & se fundant super dicta extrau. absque citatione tit. quam propterea cum pluries reuoluissem Codicem nostrum, inuenire nequiui. Fuisse tamen editam in Concil. Constantiensi authoritate *Martini V. & confirmatam per Concil. Basiliense, & per Eugenium IV.* testantur Authores fide digni, qui prædicto Concilio interfuerunt, refert *Sayr. loco cit. ex D. Anton. 3. par. tit. 25. cap. 2. Adri. in 4. sent. tract. de confess. q. 9. tract. de claub. qu. 3. & tract. de Euchar.*

25 *qu. vlt.* licet autem possit cum talibus non declaratis communicari absque scrupulo, etiam in diuinis orando eum eis in Ecclesia, non tamen posse eisdem licitè ministrari, vel ab eis recipi Sacramenta, docet rationabiliter *Sylu. cit. sub nu. 9.* & addit *Nauarr. d. nu. 35. vers. nota secundò*. præd. extr. nihil prodesse ipsis excommunicatis occultis, seu toleratis, & proinde eos teneri ad vitandũ alios, sicut antea. Et multò magis abstinere à ministrandis, vel recipiendis Sacramentis, (nisi in casu necessitatis, vel scandali vitãdi, vel si tenerentur ignorantia iuxta *DD. apud Dian. par. 5. tr. 9. resol. 81.*) in quibus tamen casibus valida est Sacramentorum ministratio, & perceptio, sed illicita, vt idẽ docet *in sum. v. excomm. effectus n. 13.* excepto Sacram. pœnitentiæ, de quo vide *infra resol. 72. n. 10.*

Num

Num, & in quibus casibus excõmunicatus priuetur communicatione forensi, seù iudiciali, vel extraiudiciali; & an, & quando gratię ab ipso impetratæ sint validæ?

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus non potest in iudicio conuenire suum debitorem, neque reconuenire; sed potest excipiendo se defendere per procuratorem, ac etiam per se ipsum, verum nequit esse testis, aut aduocatus, tutor, aut curator. n. 3. sed an procurator n. 4. an iudex n. 5. an arbitrator, vel arbiter num. 6. & an Notarius n. 8. vsque ad 11.*

2 *Acta per excommunicatum facta, donec repellatur (quod potest à iudice etiam ex officio fieri) an valeant? & an peccet mortaliter, agendo, quousque non repellatur?*

7 *Sententia plurium iudicum, quorum vnus erat excommunicatus, an valeat?*

12 *Contractus sunt de iure gentium, solo consensu perficiuntur, & regulariter nõ requirunt scripturam, cum non sit de essentia,*

13 *Matrimonium contractum cum excommunicato, vel excommunicata, an validum sit tàm in ratione contractus, quàm Sacramenti?*

14 *Testamentum non prohibetur condi ab excommunicato, nisi in duobus casibus.*

15 *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.*

16 *Cardinalem percutiens, vel hostiliter insequens, est excommunicatus in bulla Cœnæ, & intestabilis actiuè, & passiuè.*

17 *Vsurarij manifesti sunt intestabiles.*

18 *Excommunicatus impetrans aliquam gratiam à Pontifice, an sit valida, & quid ab inferioribus ab eo, vel à Principe seculari? num. 19.*

Resolutio LXIX.

1 SEquitur videndum iuxta ordinem Rubr. antecedentis de priuatione cõmunicationis forensis, seu iudicialis, & etiam extraiudicialis in alijs casibus vltra dictos in priori resol. & primo de iudiciali; Excommmunicatus enim, vt dixi ibidem *n. 7.* non potest suum debitorem conuenire in iudicio, neq; reconuenire creditorem, si fuit ab eo conuentus, quod docet etiam *Dian. par. 5. tract. 9. resol. 110.* cui nunc addo, neque accusare iuxta *Bonac. de censur. disp. 2. q. 2. pun. 7. n. 6.* vbi alij, sed potest appellare à sententijs quibuscumq; contra se latis, quia non priuatur ijs, quæ ad defensionem pertinent *cap. intelleximus de iudic.* & generaliter, nec alia exceptione, vt de cõmuni testatur *Sanfel. dec. 55. n. 22. Suar. tom. 5. de censur. disput. 16. sect. 4. n. 2.* Et consequenter non solùm potest per procuratorem se defendere, sed etiam per se ipsum, vt ex *Abb. Host. alijsque penè innumeris testatur Sayr. de censur. lib. 2. cap. 8.*
2 *n. 19. & 20.* imò & quod magis est, si agēti in iudicio non fuit oppositum de excõmunicatione, acta sunt valida, vt percipitur *ex c. decernimus de senten. excomm. in 6. Filliuc. tract. 12. cap. 7. n. 178.* Potest tamen iudex ex officio eum agentem repellere *c. 1. in fine de except. in 6.* sed an peccet mortaliter agendo in iudicio, donec repellatur, sunt videndi *DD. apud Bonac. vbi supra n. 11.* qui inclinant in affirmatiuam, si frequenter agat.

3 Quod autem dictum est de excommunicato in agendo, idem dico in testificando, vel patrocinando ex *cit. cap. decernimus Dia. par. 5. tract. 9. resol. 113. & 114.* & de tutore, & curatore *Sayr. cit. cap. 8. à n. 1. ex eodem Abb. Tab. Henriq. & alijs. Bonac. vbi supra n. 14.* ex multis; imò *Suar. de censur. disp. 16. sect. 7. n. 3.* docet aduocatum casu, quo non repelleretur à patrocinando, non teneri ad restitutionem pecuniæ pro patrocinio receptæ, sequitur *Bonac. cit. ex Auila 2. part. disp. 7. dub. 3. & alijs,* licet contrarium teneant *Host. & alij ab eodem Bo-*
4 *nac. citati.* Procurator verò si tempore cõstituti mandati erat excommunicatus non admittitur. *c. post cessionem de probat.* secus autem si excommunicatio superuenit post litem ceptam, quia acta valent, licet repelli possit *argum. dict. cap. decernimus. Abb. Io. And. & Feliu. in dicto c. post cessionem Bal. in l. quamuis quinta quæst. C. de procur. Filliuc. cit. n. 193. Sayr. lib. 2. cap. 8. n. 10. Diana vbi supra resol. 114. §. 1. vbi ex Præpos. Cornejo, Turr. & alijs,* docet etiam in priori casu acta fortasse facta valere, donec repellatur, & hoc esse probabilius.

5 An autem excommunicatus possit constitui

ſtitui iudex? idem *Filliuc. tract.12.c.7. nu.* 171. arguit hinc indè, & tandem concludit, quod validè, ſed non licitè eligitur, quod exiſtimo verius, loquẽdo præſertim de iudice laico *ex Suar. dicta diſput. 16. ſect. 2. n. 3. Coninc. & alijs per Bonac. citat. num.* 4. quamuis contrarium velit *Rouit. in pragm. 1. n. 5. de Eccleſ. perſ. ex Andr. in c. 1. nu. 34. de ſtatut. & conſuet. contra Eccleſiaſt. libert.* omnes tamen cum eodem Rouit. concordant acta à iudice excommunicato confecta, nulla eſſe *ex c. 1. de offic. Vicar. c. præſidẽtes, de hæret. & c. ad probandum de ſentent. & re iudic.* Quòd dicit procedere tàm in iudice eccleſiaſtico, quàm ſeculari. *Sayr. lib. 2. c. 6. n.* 1. vbi ferè innumeros de more refert, alios habes apud *Dian. cit. reſol.* 108.

6 ampliatur ſecundò etiam in arbitro, non autem arbitratore, *Sayr. ibidem n. 22. & 23. Bonac. n.* 2. ampliatur tertiò, etiamſi ſentẽ-
7 tia fuerit lata à pluribus iudicibus, quorũ vnus eſſet excommunicatus, *d. c. ad probandum, & facit tex. in l. ſi in tres de recept. arbit.* quod tamen in praxi non vidi ſeruari in foro ſeculari; nam vno iudice collega excommunicato exiſtente, latis quotidie decretis per collegas cum eodem excommunicato, fuerunt abſque dubio executioni demandata.

8 Quod autem attinet ad extraiudicialem communicationem, incipiendo à Notario *Filliuc. cit. cap. 8. n. 184. ex Suar. diſp. 16. ſect. 5. n. 5. & 9.* ait, quod ſi tractetur, an validè excommunicatus conſtituatur notarius, ſit affirmatiuè reſpondendum, quia collatio iſtius muneris nullo iure irritatur, contrarium volunt *Socc. in c. ſacris de ſent. excom. n. 406. Sayr. lib. 2. cap. 5. n. 39. ex Abb. in cap. ſicut te n. 14. ne Clerici, vel monachi, Auil. & alij relati, ſed non ſequuti à Bonac. diſp. 2. q. 2. pun. 7. ſub n. 4. de cenſur.* Poſito autẽ valere
9 creationem, quod verius puto, inſtrumenta tamen in tali ſtatu confecta, nequaquã in foro exteriori valent, ſed ſolùm in interiori, ſi fiant de conſenſu partium, & in priori caſu peccat Notarius mortaliter. ſecundo verò minimè, ſi illa faciat requiſitus, iuxta *Suar. dicta diſp. 16. ſect. 5. n. 4. & 5. Filluc. & Bonac. vbi ſupra.* qui multos hinc inde refert *Dian. par. 5. tract. 9. reſol.* 112. ego verò puto, quod ſi à Notario excommunicato, nõ tamen tolerato conficiãtur, ſemper ſint nulla *ex text. in c. nullus 6. in ordine 3. qu. 4.* vbi indiſtinctè mandat Pontifex, quod à nemine credãtur inſtrumenta ab anathematizatis confecta *Gl. in cap. decernimus verb. & teſtificando circa finẽ de ſent. excomm. in 6.* & addo etiam peccare
10 mortaliter, tàm ob ſcandalum publicum, quàm ob graue damnum, quod infertur partibus; ſunt enim res magni momenti, vt ſcribit Dia. cit. circa finem.

11 Sed an contractus cum excommunicatis valeant? reſpondetur, licitos non eſſe, dum Eccleſia eis interdicit communicationem, ſed validos ſic, ita communiter ſcribentes *in c. ſi verè de ſentent. excomm. Abb. in cap. veritatis, n. 35. de dolo, & contum. Syluv. v. excommunic. 3. nu. 7. Dian. vbi cæteri,*
12 *par. 5. tract. 9. reſol.* 128. ratio potiſſima eſt à prædictis non allata, quia contractus sũt de iure gentium §. *ius autem gentium inſtit. de iure natur. gent. & ciuil. ibi, & ex hoc iure gentium omnes penè contractus introducti ſunt, concordat text. in l. ex hoc iure ff. de iuſt. & iure,* ſed excommunicatio eſt de iure poſitiuo, quo ad eius effectus, vt dictum eſt ſupra *in introd. num. 6.* ergo non poteſt anullare contractus, qui ſunt de iure gentium, niſi fierent à Notarijs excommunicatis, quia obſtarent prædicta, & ratio differentiæ eſt, quia Notarij exercendo proprium eorum officium, continuò iſtis incumbunt, & hoc agunt, vt perſonæ publicę, quibus hoc interdictum eſt ratione continui ſcandali, vt dictum eſt de aduocatis, & ſimilibus nu. 3. ſecus partes contrahentes, quæ tarò, & quando contrahunt, agunt vti priuatæ perſonæ, nec dubitatur poſſe ipſos ſine Notario cõtrahere; quia ſolus conſenſus ſufficit abſque ſcriptura regulariter, quæ fuit inuẽta ad futuram rei memoriam, non quod ſit de eſſentia *l. conſenſu ff. de act. & oblig. l. 1. §. penul. de pact. l. 1. de verb. oblig. & inſt. de oblig.*
13 *ex conſenſu per totum.* Hinc eſt, quod matrimonium, prout eſt contractus, valet inter excommunicatos, *c. ſignificaſti vbi Gl. magna in fine de eo, qui duxit in mat. quam poll. per adult.* ſicuti etiam prout eſt Sacramentum, ſed peccant mortaliter, ex quo iſtud recipiunt in excommunicatione *Diana part. 5. tract. 9. reſol. 85. ex Præpoſ. in 3. part. q. 2. dub. 8. n.* 51. Parochus autem excommunicatus, benedicens, ſeu aſſiſtens matrimonio, illicitè, ſed non inualidè aſſiſtit, quia quamuis ex Trid. ſit neceſſarius miniſter, non tamen iuriſdictionem aliquã in illo actu exercet, & proinde non poteſt actum prædictum inualidare, vt rectè do-

docent *Sanch.lib.3.de matrim.disp.*1.*Coninc. & aly apud Dian.cit.resol.*78.§.1 quidquid in contrarium voluerint Auila *par.2.cap.6. disput.3. dub.*1.*concl.*5.*& aly.*

14 Idem quod dictum est de contractibus, dicitur de testamentis. *DD. apud Dia. ubi supra resol.* 129. valet enim argumentum de illis ad ista,& è contra *l.pactũ ff.de pact. l.fin. C.de legat. & instit.de lege fusia canin.* nec reperitur in iure talis prohibitio:fallit

15 tamen regula in duobus casibus (& istæ exceptiones firmant regulam in contrariũ in alijs casibus non exceptis *l.nam quod liquide ff.de pen.legata,& §.ex his, ubi Gl.instit. per quas personas nobis acquir.*) Primus in est hæreticorũ fautoribus,qui postquam fuerint ex hac causa excommunicati, intestabiles sunt actiuè, & passiuè, *c. excommunicamus* 13.§. *credentes,de haret.* non dico de hæreticis, quia eorum bona acquiruntur fisco, & proinde non habent, de quibus testentur, nec habent factionem, testamenti passiuam, vt infra V. hæresis) fautorum autem bona non confiscari dicunt *Farin.de haresi q.* 82.*n.*55. *& Cantera in qq. crimin. c.*1.*de haret. n.*55. *in fine*, sed contrarium defendit *P.Dia.par.*4. *tr.* 7.*res.* 21.§.1.*in fine. ex constit.Py V. qua incipit si*

16 *de protegendis.*secundus in persequẽtibus, vel percutientibus,aut hostiliter capientibus Cardinales;illorũq; socijs,fautoribus, consulentibus, mandantibus, ratũ habentibus, aut receptantibus, qui propterea sunt excommunicati in bulla cœnæ,& intestabiles similiter actiuè, & passiuè, vltra alias pœnas, quas incurrunt, & leguntur *in c.fœlicis de pœnis in* 6. addit tertium *Filliuc.tract.*12. *cap.*8.*n.* 206.in vsu-

17 rarijs manifestis, qui similiter intestabiles sunt *ex c. quamquam de vsur. in* 6. non tamen excommunicati, sed excommunicandi *c. præterea eod.tit.*

18 Circa verò impetrationem gratiarum à Pontifice obtentarum, esse inualidas legitur *in cap.*1. *de rescrips.in* 6. vbi excipitur solum, si impetratio sit pro causa excommunicationis, vel appellationis, quę cum sint species defensionis non possunt impediri; aduertit tamen *Bonac. disput.* 2. *quast.* 2. *pun. vlt.sub num.*1. *ex Coninch. & alys.* hoc parum referre, quia in rescriptis apostolicis, quæ modo obtinentur, regulariter præponi solet absolutio ab omnibus censuris, vt efficaces sint, sicuti dicit etiam *Filliuc.tract.*12.*c.*9.*ante n.* 211. *ex Nauar.in c.ita quorumdam nu.*14. *de iu-*

19 *dic.* Sed gratiæ obtentæ ab inferioribus Prælatis, suo noie carent effectu,sicuti nec obtentæ à Principe seculari, idem *Filliuc. ibidem ex Nauar.in consil.*44.*de sentent. excom. Suar. disp.*17.*sect.*1.*n.*12. & ita fuisse decisũ *in S.C. quo ad gratias Principis secularis testatur Sanfelic. dec.*55. *in fine*, quod autẽ attinet ad beneficia dicetur in seq. resol.

Nũ possint conferri beneficia excõmunicato?& quid si nõ erat excõmunicatus tempore collationis, sed solùm tẽpore acceptationis?& an idẽ sit de pensionibus? Secũdò an excõmunicatus sit capax electionis, vel postulationis, aut præsẽtationis? Tertiò,si de facto fuerit confirmatus, vel electus, præsentatus, aut postulatus, quis possit dispensare?

SVMMARIVM.

1 *Beneficia, vel pensiones si conferantur excommunicato, an valida sit collatio?quid si per ignorantiam? nu.* 2. *& an si erat toleratus? n.* 3. *vel si sententia excommunicationis erat iniusta, aut nulla? nu.* 4.*& quid si post collationem fuit absolutus n.*6. *&* 15. *vsque ad finem.*

5 *Excommunicatus nulliter si celebrat non efficitur irregularis.*

7 *Possessio est quid facti.*

8 *Beneficiorum permutatio inter excommunicatos, vel alterum illorum nulla est.*

9 *Collatio pensionis de re ecclesiastica in personam excommunicati non subsistit; si verò non sit excommunicatus, sed tantùm clericus, tenetur recitare officium B.M.V. alias amittit fructus pro rata tẽporis, verũ si nubit,statim vacat n.*10.

11 *Electio tàm actiua, quàm passiua ad dignitates ecclesiasticas denegatur excommunicatis. fallit in Pontifice, & Cardinalibus, & nu.*12.

13 *Electio, & postulatio parificantur, & quid vtraque sit?*

14 *Nominatio in personã excõmunicati nõ valet.*

16 *Collatio beneficy,seu institutio,cõfirmatio,& præsentatio licet aliquo modo differãt, in iure tũ canonico,vnum pro alio sumitur.*

Resolutio LXX.

1 AD primum respondetur negatiuè, imò conferentes priuantur collatione aliorum beneficiorum, donec veniam

uper hoc fuerin t cõsequuti, *c. postulastis de Cler. excom. vel depos. ministr. Sayr. de censur. lib. 2. cap. 5. n.* 1. vbi penè innumeros istius sententiæ refert, communemque esse ait *Filliuc. tract. 12. cap. 5. n. 113. & 115. ex Richa. Palud. & alijs. Suar. tom. 5. disp. 13. sect. 1. num. 2. Nauar. in man. cap. 27. n. 273.* vbi subdit, quod neque ignorantia excusat ita vt faciat excommunicatum capacem beneficij *ex Gl. in cap. solet. §. fin. v. admittatur hoc tit. in 6. Less. lib. 2. cap. 34. dub. 22. num. 127. Coninc. disp. 14. dub. 9. n. 70.* Rationem
2 tradit *Sayr. cit. n.* 8. quia licet ignorantia excommunicationis, si sit probabilis, excuset ad effugiendas pænas statutas à iure contra excommunicatos, aliquid prohibitum agentes, non tamen excusat, vt faciat validam collationem beneficij, de natura sua inualidam in personam excommunicati, Quod procedit tàm in excommunicatis à iure, quàm ab homine ex generalitate *d. c. postulastis*, & tàm si collatio fuerit facta ab Episcopo, quàm ab alio superiore, *Sayr. n. 4. & 5. ex Abb. & Imola, Rota Romana decis. 363. in antiquis*, nisi fuerit facta à Pontifice cum clausula, absoluentes ab omnibus censuris quo ad effectum præsentium, sicuti apponi solet, vt docet etiam *Nauar. d. n.* 273. & dictum est in priori resol. *n.* 18.

3 Quod ampliatur etiam si excommunicatus non esset declaratus tempore collationis beneficij, sed toleratus *Abb. in d. c. postulastis n. 4. & in c. pastoralis, §. verum n. 15. de appellat. Henriq. lib. 13. cap. 7. §. 2.* quia in ijs, quæ tendunt ad fauorem excommunicati, nulla est differentia inter excõmunicatum occultum, & manifestum, ad hoc enim non suffragatur eis extrauag. ad euitanda scandala, de qua supra in ante priori *resol. n. 23. & tradit Sayr. cit. n. 9. vbi alij Regin. lib. 32. tr. 1. cap. 8. sub. n. 44.*

4 Ampliatur secundò, etiam si excommunicatio diceretur iniusta; quia siue iusta, siue iniusta, timẽda est, donec talis declaretur *sentẽtia c. 11. q. 3. Couar. in c. alma mater, par. 1. §. 7. n. 7.* (non tamen si nulla, quia, quod nullum est, nullum producit effectũ, *l. eius qui in Prouincia ff. si cert. pet.*
5 imò si talis excõmunicatus nulliter, celebraret, non efficeretur irregularis, *Rebuff. in d. cap. postulastis n. 67. Archid. in c. licet de sent. excomm. lib. 6.* debet tamen abstinere in publico ad vitandum scandalum, vt alibi fuit dictum) quod si postea excommunicationis sententia fuerit declarata iniusta, valida remanet collatio, *Innoc. Io. Andr. & Host. in c. dilecti de appellat. Abb. in cap. ita quorumdam in fine de Iudæis. Sayr. lib. 2. cap. 5. n.* 10.

6 Ampliatur tertiò, etiam si post collationem beneficij, sequuta sit absolutio *cap. non firmatur de Regul. iur. in 6.* quæ enim ab initio non valent, tractu temporis non conualescunt, *c. placuit §. potest versic. quæ enim 16. q. 3. & l. quæ ab initio ff. de regul. iur. Henriq. lib. 13. c. 13. §. 1.* vbi cæteri, ibique §. 3. rectè addit, quod si quis tempore collationis non erat excommunicatus, valida est collatio, licet tempore acceptationis, seù captæ possessionis esset excommunicatus. *Couar. vbi supra n. 4.* ratio est, quia
7 ille actus possessionis est quid facti, *l. 1. §. si vir, ff. de acquir. poss.* & proinde dum non adest antecedenter ius resistens, non impeditur, facit *tex. cum Gl. in l. ex facto §. si quis rogatus 2. v. liber factus ff. ad Trebell.*
8 Ampliatur quartò, vt nec permutatio beneficiorum inter excommunicatos, vel alterum illorum valeat, & ratio est, quia cum in permutatione interueniat mutua collatio, & consequenter noua acquisitio, sicuti non valet collatio, ita neque permutatio, *Gl. in Clem. 1. v. obtinenda de pænis Auchar. ibidem n. 10. Couarr. vbi supra n. 2.*
9 Ampliatur quintò, vt nec pensio de re Ecclesiastica conferri clerico excommunicato possit *Henriq. d. c. 13. nu. 2. Suar. tom. 5. disp. 13. sect. 1. n. 9. Filliuc. tract. 12. cap. 5. q. 4. Bonac. disp. 2. q. 2. p. 4. §. 2. n. 4.* illam tamen habens, si non sit excommunicatus, tenetur recitare officium B.M.V. aliàs amittit fructus, seù pensionem pro rata temporis, *Henriq. cit. lit. P. vbi Nauar. & alij. Sayr. d.*
10 *cap. 5. n.* 15. Sed matrimonium contrahẽs, illam amittit totaliter *Henriq. ibidem.* quod limitat *Sylu. v. beneficium 3. nu.* 22. si contraxit per verba de futuro, quia dissolutis sponsalibus, retinebit pensionem, *argum. tex. in l. ea, quæ ff. ad municip.*
11 Ad secundum excommunicatus non potest eligere, nec eligi ad quamcumque dignitatem ecclesiasticam *c. constitutis 23. vbi Gl. verb. excommunicationis de appellat. faciunt tex. in c. cum dilectus 8. §. quia nobis. ibique Gl. v. à suspensis de consuet. & c. cum inter 56 §. fin. cum Gl. v. à suspensis, de elect.* vbi electio facta à suspensis est irrita; ergo à fortiori ab excommunicatis, quæ est cẽsura maior. *Nauar. in man. c. 27. sub nu.* 21.

Sylu.

Sylu.v.electio 1.*n.*15.*Sayr.d.cap.*5.*n.*16.fallit in S. R. E. Cardin. qui possunt eligere, & eligi, censuris non obstantibus, *Clement ne Romani*, *§.caeterum. de elect.* quod statutum est secundum Gl. ibidē propter necessitatē Ecclesiæ tunc carentis Christi Vicario, vt citius eligatur.

12 Ampliatur primo, vt neque possit postulari, *argum.c.*1.*de postul.Prælat.* vbi violans interdictum est inpostulabilis; ergo à fortiori excommunicatus ex maioritate rationis, *auth.multo magis C. de Sacr. S. E. Couar.in d.c.alma mater par.*1. §.7.*nu.*1.*de sent.excomm.in* 6.& ait *Gl.in cap.si postquam*
13 *§.fin. v. prouisione de elect. in* 6. quod iura canonica parificant electiones,&postulationes; ergo dispositum in vno habet locum in alio, *l. non possunt. ff. de legib. l.iam hoc iure, ff.de vulg. & pupilla.* Postulatio verò de qua loquimur, est petitio gratiæ factæ à superiore; electio autem est alicuius personæ ad superiorem, vel societatem fraternam assumptio. *Gl. in Rubr.de postul. Prælat.* vbi latè, *& in d. c.*1.*v.vera postula-*
14 *tio*; quod idem docet *Sayr.d.c.*5.*n.* 18.*ex Rebuff. Vgol. & alijs* de nominatione, quæ neque valet, si fiat de excommunicato.

15 Ampliatur secundò, vt neque possit præsentari ad beneficia ecclesiastica, siue præsentatio fiat à patrono ecclesiastico, siue seculari, *Henriq.lib.*13.*sub nu.*1.*ex eodē Couarr. Nauarr. & alijs*, vbi ait sufficere, si ante acceptationem absoluatur; sed hanc limitationem ex dictis n.6. multi nō recipiunt, quia requiritur etiam dispensatio, vt infra, secus si absoluatur ante præsentationem, collationem, vel institutionem,
16 seù confirmationem, quæ licet aliquo modo differant, vt statim dicam; vnum tamen in iure multoties pro alio sumitur, dispositumque in vno, intelligitur dispositum in alio. Et proindè quod dictum est supra non valere collationem beneficij in personam excommunicati, procedit etiā in præsentatione,& institutione,seu confirmatione,nisi antea absoluatur,vt docet *Gl. in c. cum in illis in Gl.magna circa finem,vers. nota ibi, de præbend.& dignit.in* 6. ibidemq; addit, quod præsentatio dicitur electio personæ, vt præsentetur superiori, & instituatur, seu confirmetur, & ista præsentatio cōputatur inter iura patronatus, per quam non acquiritur ius in beneficio, sed solum ius, vt patronus non possit variare, siuè sit patronus ecclesiasticus, siue secularis, nisi cumulatiuè; institutio autem dicitur; quæ fit a superiore ad præsentationem patroni in beneficium instituti,quę alio modo dicitur confirmatio; Collatio verò dicitur, quando prouisio alicuius beneficij spectat pleno iure ad Diæcesanum.

17 Ad tertium respondetur quod si de facto fuerit collatum beneficium in excommunicatū, obtēta prius absolutione ab eo, cui ius dandi est, & sequuta dispensatione, poterit beneficium retinere, *c. postulastis de Cler. excomm.vel depos.minist.* Sed difficultas est, quis poterit in hoc dispensare? Gl. enim ibidem v. dispensatum, dicit primò, quod cum in tex. non dicatur à quo, videtur relicta potestas dispensandi Episcopis argum. *c.nuper de sent. excom.* & postea se remittit ad dicta, *in c. clerici, v.*
18 *monitis eod. tit.* vbi voluit, non posse Episcopum, sed solum Pontificem *ex c. cum æterni de sent. & re iudic. & in c.cum medicinalis de sentent.excomm.lib.* 6. sed istud cap. loquitur de alio casu,& illud non includit specialiter Episcopos, sicut requiritur *ex cap.quia periculosum eod.lib. & tit.Sayr.lib.*2. *de censur.c.*5.*n.*21.22.*&* 23. innixus primis verbis Gl. alijsque ab eo relatis tenuit pro Episcopis, siue collatio fuerit facta ab eis, siue ab alijs, ad quos fortasse spectabat, & eo magis in foro cōscientiæ ex *Trid.sess.*24. *cap.* 6.vt voluit etiā *Henriq.lib.*13.*c.*14.*n.*3.

19 Sed ego sequor *Sylu. v. excomm.*3.*sub n.* 2. *§.* 9. *vbi ex Host. Palud. & alijs*, rectè ait, quod si beneficium fuit ignoranter collatum ab alio, vel etiam ab Episcopo ei, qui erat excommunicatus,poterit idem Episcopus dispensare; si verò scienter nequaquam, sed Pontifex,quod omnes docere ait *Nauar.d.cap.*27.*n.*273. facit ratio vniuersalis *dict. c. postulastis*, ibi, *illi verò, qui scienter beneficia talibus contulerunt, tandiù debent à beneficiorum collatione suspendi, donec super hoc veniam consequi mereantur, vt puniantur in eo, in quo delinquere præ-*
20 *sumpserunt.* Ratio primi dicti est, quia ignorantia facti, si non sit crassa, vel affectata,regulariter excusat; vt *supra resol.*19. latè dictum est; ratio secundi, quia alias aperiretur via fraudibus, quod leges non permittunt *l.qui autem §.hoc edictum, & §. simili modo cum toto ferè tit.ff. quæ in fraud. credit. l.penult. C. de reuoc. ijs, quæ in fraud. credit. §. item si quis instit.de action.* vnusquisque n. Episcopus,si vellet,facilè conferret beneficia excommunicatis, sciens

posse postea statim dispensare.

An quis priuetur fructibus beneficij, & distributionibus quotidianis, si post illa obtenta, incidit in excommunicationem, & dato quod priuetur, an ea recuperet post absolutionem, & interim, si est pauper possit ex illis alimenta saltem percipere?

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus excommunicatione durãte, an fructus beneficij faciat suos, tàm in foro exteriori, quàm interiori, & quid si fuit in mora petendi absolutionem? & nu.2.*

3 *Beneficij fructus si beneficiarius est excõm. cui debeantur, tàm si tempore collationis erat excommunicatus, quàm si postea in illam incidas; & quid si excommunicatio eras iniusta? & nu.4. quid si illos assignauit suo creditori n. 5. an possit ipse si est pauper, ex illis saltem ali? quid de pensionibus, vel distributionibus, quotidianis, aut bonis patrimonialibus etiam ad titulum clericatus habitis? n.6. & 7.*

8 *Ecclesiastica personæ si ex infirmitate, vel alia iusta causa impediuntur seruire Ecclesiæ, non propterea amittunt distributiones quotidianas.*

Resolutio LXXI.

1 QVo ad primum respondet Pontifex *in cap. pastoralis 53. §. fin. in fine de appellat.* affirmatiuè ibi prouentus ecclesiastici merito subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur, *Abb. ibidem n.17. Sylu. v. clericus 4. n. 17.* qui hoc dicit verum, si fuit in mora petendi absolutionem, sicut scripsit etiam *Nauar. in man. cap.25. n.124.* ibi hoc intelligendum est de excommunicato, per quem stat, quo minus absoluatur. E. g. fuit quis excommunicatus ob concubinæ detentionem, non vult eam relinquere, non facit fructus suos, quia culpa sua non absoluitur, *Henriq. lib. 13. cap. 13. n. 4.* addens hanc moram operari, vt in neutro foro faciat fructus suos; quod si pœniteat, & per eum non stet quò minus absoluatur, licitè retinet fructus in conscientia. Verum in foro fo-

2 ri non priuatur fructibus ante sententiam declaratoriã, quia ista est pœna, & pœnæ regulariter non debentur ante sententiam, etiam si lex eam imponens, diceret nulla expectata declaratione, *Dian. par. 1. tr. 10. resol. 23.* quod vlterius probatur, quia licet ob percussionem Clerici quis sit excõmunicatus à iure *c. si quis suadente 17. q. 4.* attamẽ vt dicũt omnes, requiritur declaratoria Iudicis, ante quam non est vitandus, nisi factum esset notorium, licet in foro poli sit excommunicatus, quod confirmatur per *Gl. in dicto §. fin. v. subtrahuntur ex l. deportatorum C. de pœn.* vbi relegato ad tempus, non subtrahuntur bona, nisi in sententia exprimatur; sed excommunicatus comparatur relegato ex eadem Gl. ibidem, ergo sicut isti non tolluntur, nisi per sententiam declaretur, ita nec illi *Coninc. disput. 14. dub. 9. n. 80. Vasq. de benef. cap. 4. §. 3. dubio 4. n. 129.* (probabilem tamen existimo opinionem contrariam ex *Sayr. lib. 2. de censur. cap. 5. n. 30. Suar. tom. 5. disp. 13. sect. 2. n. 4. & Regin. lib. 32. tr. 1. c. 7. nu. 36.*

3 Hæc tamen procedunt, quando post obtentum beneficium, aut præbendam fuit contracta excommunicatio; nam si nulla fuit collatio ab initio iuxta dicta in priori resol. numquam facit fructus suos, *idem Henriq. cap. 14. n. 1. ex Palud. Nauar. & alijs. Suar. cit. sect. 1. n. 2.* ratio est; quia quod nullum est, nullum potest parere effectum, & illa collatio habetur pro non facta, sicuti facta contra legem prohibentem argum. *l. non dubium C. de ll. Sanfel. decis. 195. n. 14.* vbi dicit, quod quando lex prohibet aliquid per verba negatiua, actus non obstante prohibitione sequutus, est nullus, quod si inualiditas prædicta tollatur per dispensationem eo modo, quo etiam dictum est ibidem, poterit retinere fructus, qui deberentur successori, & quia sequuta reualidatione tituli, ille habetur

4 vti successor, propterea eidẽ debẽtur. Verum si excommunicatio fuit iniusta, nullo in casu tenetur ad fructuum restitutionẽ, & si ei fuissent ablati, debent restitui absolutione sequuta *c. super causa 2. qu. 5. & facit tex. in l. penult. ff. de re milit. Palud. in 4. dist. 18. q. 4. versic. secundus casus. Henriq. c. 13. n. 4. in fine ex Sylu. Couarr. & alijs.* Si verò fuit iusta, non restituuntur, nisi secundum declarationes supradictas, vt etiam docet *Gl. in d. §. fin. v. subtrahuntur vers. sed*

num-

numquid, Eman.Sà v.beneficium,n. 48. *alijq; permulti apud Bona. disput.*2. *q.*2.*pun.*4. §.2. *num.*5.

5 Quibus addit *Sayr. vbi supra sub n.* 25. *ex Abb. Vgol. & alijs,* quod si beneficiarius antè excommunicationem, alicui suo creditori fructus beneficij assignasset, non propterea iste amittet fructus prædictos, quia culpa debitoris nō debet afferre dānum creditori ex regula *c.nō debet de regul. iur.* quod tñ procedit, si talis opinio sequēda esset, omni dolo, & fraude cessantibus, quæ nemini debent prodesse, vt constat
6 ex resol. antecedenti n.20. Quod si beneficiarius excommunicatus est pauper, & non habet aliud, vnde viuat, debet ex fructibus beneficij ali, ne cogatur in cleri opprobrium mendicare, *c.diaconi* 93. *dist.facit text. in l. inter eos in fine ff. de re iudic.& in specie, Gl.cit.in princ.* quod extendit *Henriq. lib.*13.*cap.*14. *in fine*, etiam ad excommunicatum tempore collationis beneficij, siuè iustè, siuè iniustè, si modo debitum seruitium beneficio annexum exhibuit.

7 Vlterius quod dictum est de fructibus beneficij, procedit etiam in pensionibus, & alijs redditibus Ecclesiasticis, & multo magis in distributionibus quotidianis (nō autem Patrimonialibus, etiam habitis in titulum Clericatus iuxta *Gl. in cap. tuis ibique Abb.n.*6.*&* 8. *de præben.*) quibus priuantur excommunicati, & solis interessētibus distribuuntur,& accrescunt, *c.*1.*vbi DD.de Cler. non resid. in* 6. quod si excommunicatio declaretur postea iniusta, excommunicatus recuperabit dictas distributiones quotidianas, si modo antè excommunicationem solitus erat assistere *Felin.in c.apostolicæ n.*13. *de except.* quia per ipsum non stetit quo minus assisteret, vt rectè ait *Henriq.c.*14.*n.*4.*in fine exCouar.& alijs,* sed melius probatur *in l.qui operas ff. locati.* Item *in c.ad audientiam de Cler.non resid.& d. cap.*1. *eod.tit. in* 6. vbi Canonici
8 non residentes, si propter infirmitatem, aut seruitium Ecclesiæ, vel aliam iustam causam, non intersunt, lucrantur etiam dictas distributiones, sicuti statutum reperitur in Iudicibus secularibus, quibus debetur integrum salarium, si propter infirmitatem, vel similem causam fuerunt impediti, *dicta l. qui operas, iuncta l. diem functo ff.de offic. assess.Nauar.de orat.& horis canon.c.*11. *n.*10.*alijque apud Sayr. d. cap.*5. *num.*27.

Vtrum excommunicatus non solùm illicitè, sed neque validè administret, vel recipiat Sacramenta? an per hoc fiat irregularis? & de alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus peccat mortaliter recipiendo, vel ministrando Sacramenta, etiā si sit occultus, & quamuis non fuerit in mora petendi absolutionem, ac etiam, si excommunicatio sit iniusta, non tamen nulla, sed validè ea administrat, & recipit, excepta pænitentia n.*3.*&*10.*vsque ad finem.*

2 *Ignorātia iuris, vel facti, an & quādo excuset excommunicatum à Sacramentis recipiendis? & n.* 12.

4 *Excommunicatus sumens Sacramentum ordinis est irregularis, idem in ordinante, sed à quo possint dispensari? & quid de regulari n.* 5. *&* 6.

7 *Excommunicato communicans in diuinis vltra alias pænas relatas, contrahit excommunicationem minorem, & est ei interdictus ingressus Ecclesiæ, & si sic ministrat sacramenta, est etiam irregularis.*

8 *Sacramenta recipiens non excommunicatus ab excommunicato extra casum necessitatis peccat mortaliter.*

9 *Concubinarij publici scienter missam audiens, est excommunicatus, nisi ille sit ab Ecclesia toleratus.*

Resolutio LXXII.

1 Sequitur videndum iuxta posita supra initio huius tractatus de secundo effectu excommunicationis, qui est priuatio Sacramentorum, tàm actiuè, quam passiuè, & quod vtrumque non solùm sit illicitum, vt probatur *in c. si celebrat,§.peccat de clerico excom.minist. & c. Engeltrudam* 3. *q.*4. sed etiam sacrilegium committat excommunicatus recipiens, vel ministrans Sacramenta *D.Thom.in addit.*3.*part.qu.*21. *art.*1. *Filliuc.tr.*12.*c.*3.*n.*53. vbi citat *eumdē Sanctum* 2.2.*q.*49.*ar.*1. vbi hoc non legitur, sed probatur etiam *in* 3.*par.q.*64.*art.*6. vbi dicit, quod in mortali existens, peccat mortaliter recipiendo, vel ministrando Sacramenta; ergo à fortiori excommunica-

ca-

tus *Henriq. lib. 13. c. 4. & 7. §. 1. Sayr. de cen-*
sur. lib. 2. cap. 1. n. 2. vbi DD. ad nauseam
vsque refert, quod procedit etiam in ex-
communicato occulto; & quamuis per ip-
sum non stet, vt absoluatur, ac etiam si
excommunicatio sit iniusta, non tamen
nulla *Regin. lib. 32. tract. 1. n. 1.* ex graui verò
necessitate propria, vel proximi si ab isto
sit petitus talis occultus, seu toleratus li-
citè celebrat, & ministrat *per extr. ad eui-*
tanda scandala, vt docent multi apud *Dia.*
par. 5. tract. 9. resol. 83. §. notandum, sed si
quis nullo modo excommunicatus admi-
nistrat ea excõmunicato à Pontifice; excõ-
municationem contrahit *cap. significauit, de*
sent. excomm.

2 Excusatur autem excommunicatus, si
laboret ignorantia inuincibili, siue iuris,
puta si ignorabat non licere excommuni-
cato accedere ad Sacramenta, siue facti,
quando ignorabat se esse excommunica-
tum *Regin. ibidem n. 2. ex Caiet. Soto, Nauar.*
& alijs, & patet ex latè dictis supra resol. 19.
de ignorantia, qui propterea non solũ non
peccat, sed alio obice non existente reci-
pit gratiam, idem *Regin. cit. ex eodem Caiet.*
Palud. Adr. Nauar. & alijs, vbi n. 3. rectè
addit, quod si excommunicatus occultus
petit in publico sibi administrari aliquod
Sacramentum, puta Eucharistiæ, possit
ei ministrari absque scrupulo, ne diffame-
tur, quod probat authoritate Christi Do-
mini, qui idem Sacramentum dedit Iudæ,
quamuis sciret indignè sumere, quod ante
eum docuit *Suar. disp. 10. sect. 2. n. 13. in fi-*
ne, ipse tamen petens, peccat mortaliter;
3 vt supra. Tam ergo sumptio, quàm admi-
nistratio valida sunt generaliter loquendo
(excepto Sacramento Pœnitentiæ, de quo
mox dicemus) vt probat ex multis *Sayr.*
lib. 2. cap. 1. n. 4. vbi de singulis sacramen-
tis discurrit, sicuti & *Filliuc. tract. 12. cap.*
3. n. 57. Henriq. lib. 13. cap. 10. n. 1. Regin. v-
bi supra n. 4. ratio tradita per istos, & om-
nes communiter est, quia iura de quibus
supra, & alia prohibent solùm excommu-
nicatis participationem Sacramentorum,
sed non irritant; ergò non est gratis indu-
cenda nullitas, eo magis, cum tractetur
de materia odiosa, & odia sunt restringẽ-
da non amplianda *c. odia de regul. iur. in 6.*

4 Sacramentum tamen ordinis, licet vali-
dè recipiatur ab excommunicato, cõtrahit
tamen irregularitatem, *c. cum illorum, §.*
si autem de sent. excom. dispensandã ab Epi-
scopo proprio, si non fuit ipse, qui ordina-
uit, & ordinatus laborauit ignorantia pro-
babili; à Pontifice autem si ignorantia
fuit crassa, vel affectata *Sylu. v. irregulari-*
tas, n. 9. Sayr. cit. n. 11. vbi cæteri, sed pro-
batur *in c. cũ clericis de ordin. ab Episc. qui re-*
5 *nunc.* Cũ regularibus autem in casu igno-
rantiæ dispensat suus superior *d. §. si autem*
Couar. in c. alma mater part. 1. §. 6. nu. 6. de
sentent. excomm. in 6. Vgol. de censur. tab.
1. cap. 13. n. 5. in fine, quæ dispensatio sem-
per est necessaria, licet adsit ignorãtia pro-
babilis, vt benè ex multis fundat Couar.
ibidem, quamuis contrarium teneat in
ordinato ignoranter ab Episcopo excom-
municato, sed non denunciato *Sayr. cit. n.*
14. ex Tab. v. excommunic. 1. n. 12. & alijs.

6 Episcopus autem excommunicatus cõ-
ferens ordines; est similiter irregularis,
sicuti etiam administrans quæcumque alia
Sacramenta, *c. si quis Episcopus damnatus,*
& c. si quis Episcopus in Concilio 11. qu. 3. Gl.
in c. 1. in fine. v. in tot. de sentent. excom. in 6.
imò etiam si faciat coram se celebrare au-
thotizando, secus si simpliciter assistendo,
licet etiam hoc casu grauiter peccet, non
tamen efficitur irregularis, *Sylu. v. irre-*
gularitas n. 15. ex Gl. in Clem. 2. d. priuil. &
Abb. in c. illud n. 8. de Cler. excom. minist.
in casibus tamen, in quibus potest dispen-
sare pro alijs iuxta *Trident. cap. liceat 6. sess.*
24. de reform. poterit etiam dare alteri sa-
cerdoti authoritatem, vt secum dispen-
set; vbi verò non potest, adeundus est Pon-
tifex *Sylu. cit. n. 9. & n. 15. in fine. P. Dia.*
par. 3. tr. 4. resol. 14. §. his tamen & in summa
v. absoluere n. 6.

7 Verum vltra peccatum mortale, quod
committit, non solùm Episcopus, sed qui-
libet administrans Sacramenta excommu-
nicato, vt supra diximus, ac etiam in
resol. 68. n. 3. ex D. Thom. quodlib. 11. art. 9.
Nau. & alijs cõtrahit quoque excommuni-
cationem minorem (quam incurrunt om-
nes communicando cum excommunicatis
vitandis, etiam extra diuina, vt notum
est) item est interdictus ab ingressu Ec-
clesiæ, donec cum eo fuerit dispensatum
c. Episcoporũ de priuil. in 6. excipitur tamen
sacerdos assistens matrimonio excommu-
nicatorum, qui non dicitur propriè mini-
ster Sacramenti; sed potius ijdem sponsi
vt infra *resol. 107. n. 4. & 5.* & tradit *Bonac.*
8 *disp. 2. q. 2. pun. 2. §. 3. n. 2.* Si quis autem
non excommunicatus recipit sacramenta

ab

ab excommunicato vitando, vel etiam tolerato extra necessitatem, peccat mortaliter, quia primo casu facit contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui communicando in diuinis cum tali excommunicato. vt dicunt DD. & probatur *in c. vestra, & cap. fin. de cohabit. Cleric. & mulier.* vbi pro-
9 hibetur audire missam à concubinario publico, etiam sub pœna excommunicationis *c. nullus, & c. præter hoc 32. dist.* nisi sit ab Ecclesia toleratus, *d. cap. vestra in fine*; ergo à fortiori ab excommunicato argum. *auth. multo magis C. de sacros. Eccl. & vide supra resol. 2. n. 5.* Secundo verò casu, quia inducit talem toleratum per administrationem Sacramentorum, ad peccandū mortaliter; secus in priori casu, quando eum non inducit, sed tantùm audit missam, quod potest *ex cit. c. vestra, & extr. ad euitanda scandala vt infra n. 15.*
10 Restat videndum de Sacramento pœnitentiæ, ad quod accedens excommunicatus maiori excommunicatione, si scienter faciat se absoluere à peccatis sine absolutione ab excōmunicatione, præcipuè quādo nequit ob defectum potestatis, quia forte erat absolutio reseruata superiori, irrita est confessio, & tenetur eam iterare; ratio est, quia vel non confitetur peccatū, pro quo fuerat excommunicatus, & confessio non est integra; vel confitetur, & tamen vult absolui, & etiam confessio est nulla, non solùm quia verisimiliter non adest dolor requisitus, & propositum dum renuit adire superiorem, & procurare absolutionem, sed etiam quia *Triden. sess. 14. cap. 7. de casuum reseruat.* declarat irritas
11 tales absolutiones. Et propterea sicut peccat mortaliter confessarius absoluendo, dum facit Sacramentum irritum, fortiùs peccat pœnitens, qui est causa talis sacrilegij; *Couarr. in c. alma mater par. 1. §. 6. n. 7. vers. 4. conclusio. Henriq. lib. 13. cap. 12. n. 2. Sayr. lib. 2. cap. 2. n. 2. ex Palud. in 4. dist. 22. q. 3. concl. 1. Soto ibidem q. 1. art. 1. cap. 1. circa finem Nauar. in c. fratres de pœnit. dist. 5. n.* 48. qui n. causam damni dat, damnum dedisse videtur, *l. 1. §. deiecisse*
12 *ff. de vi, & vi arm.* Sed fallit ex capite ignorantiæ probabilis, tàm iuris, quàm facti pœnitentis, quo casu accedente quādocumque scientia, tenetur solùm confiteri peccatum omissum, pro quo erat excommunicatus, eiusque absolutionem à superiore petere absq; obligatione repetitionis aliorum peccatorum confessorū in præcedentibus confessionibus *DD. cit. arg. c. apostolicæ de Cler. excom. ministr. Hugol. de censur. eccl. tab. 2. cap. 7. §. 2. n. 5. & 6. Nauar. in man. cap. 9. n. 4. & 5. Eman. Sà v. absolutio n. 16. Valentia tom. 4. disp. 7. q. 11. pun. 3. circa princ. Bonac. disp. 2. q. 2. pun. 2. §. 1. n. 1. vers. respondeo ex Suar. Vasq. Filliuc. & alijs.*
13 Idem procedit in casu necessitatis, quādo quilibet sacerdos potest hoc sacramentum necessitatis ministrare *Triden. sess. 14. c. 7. de cas. reseru. Palud. in 4. dist. 24. q. 6. art. 2. Sylu. v. Confessor 1. §. vlt. Henriq. lib. 6. cap. 11. §. 8.* quod etiam antea docuit Gl. tàm de hoc Sacramento, quàm Baptismi, vti necessarijs *in cap. non est vobis 11. v. Baptismum de sponsal.* extra verò casum neces-
14 sitatis non valet absolutio ab excommunicato denunciato, scienter tributa, qui etiam sacrilegium committit, quamuis ignorantia probabilis intercesserit pœnitentis, (qui casus est diuersus à priori, vbi agitur de excommunicatione pœnitētis, non confessarij.) Ratio est, quia hæc censura priuat vsu iurisdictionis, sine quo istud tribunal non consistit, idem *Henriq. lib. 13. cap. 10. n. 2.* sed propter bonam fidē pœnitentis, donec scientia superuenerit, (quando est repetenda confessio) toleratur, & interim defectum istum supplet Ecclesia *argum. l. Barbarius ff. de officio prætor. Palud. in 4. dist. 17. art. 1. concl. 4. Bonac.*
15 *cit. §. 2. n. 4. in fine, & nu. 6.* Sed confessio facta excommunicato tolerato, comite ignorantia probabili pænitentis, valida omnino est, quamuis confessarius peccet mortaliter *Nauar. in man. cap. 9. n. 9. Henriq. lib. 13. cap. 10. n. 3. Sayr. d. cap. 2. n. 7. & 8. Valentia to. 4. disp. 7. q. 7. pun. 2. versic. alias autē.*

Quod ampliatur, etiam si cessaret ignorantia secundum *Sanch. lib. 7. de matr. disp. 9. n. 8. in fine ex extrauag. ad euitanda scandala,* vbi hoc dicit procedere in suscipiēte Sacramentum à paratis conferre, quando illi valdè vtile est; quia non inducit Sacerdotem ad peccandū, sicuti nec recipiēs nummos ad vsuram ab vsurario parato, & cum hac distinctione, quæ probabilis videtur, cessantibus alijs confessarijs non impeditis, sunt intelligendi *Nauar. cit. n. 10. & Henriq. lib. 13. cap. 6. n. 4.* vnde *Bonac. de cēsur. disp. 2. q. 2. pun. 2. §. 3. n. 4.* qui contrariā
16 opinionem tenuit, malè allegauit pro se Sanch. vbi supra; excommunicatus autem quantumuis toleratus, peccat mortaliter, reci-

recipiẽdo tàm hoc, quàm alia Sacramẽta, etiam à confessario non impedito *Henriq. lib.13. cap.7.n.2. Bonac.cit.§.1.n.4. ex D.Th. Nauar. Suar. & alijs.*

De tertio principali effectu excommunicationis, qui est priuatio communium Ecclesię suffragiorum?

SVMMARIVM.

1 *Suffragia Ecclesiæ in tria genera diuidũtur, quæ sint, & de quibus excommunicatus priuetur & n. 2.*

3 *Excommunicatus est membrum diaboli, sed an si sit contritus, & per ipsum non stet vt absoluatur, sit excommunicatus apud Deum n.4. vsque ad 6. an lucretur indulgentias, vel iubilæum n.11. & 12.*

7 *Excommunicatis toleratis, an prosint sacrificia, & alia Ecclesiæ suffragia si offerantur pro eis? & n.8.*

9 *Lex noua corrigens legem veterem, est intelligenda, vt corrigat, quam minus possit.*

10 *Ecclesia orat implicitè in hebdomada sancta, etiam pro excommunicatis.*

Resolutio LXXIII.

1 SVb hoc tertio effectu diximus supra *res.68.nu.1.* includi priuationem omnium rerum sacrarum, & Ecclesiasticæ sepulturæ; de quibus dicemus hic, & in sequenti resol. possunt ergo hæc suffragia ad tria genera reuocari, primò ad sacrificium missæ, quod offertur Deo nomine totius Ecclesiæ, secundò ad orationes, seu horas canonicas, vel processiones, & alia opera spiritualia, quæ Clerus, & omnes Regulares faciunt in persona Ecclesiæ. Tertiò (& hæc sunt priuata) ad orationes particulares, eleemosynas, ieiunia, & similia, quæ vnusquisque in particulari agit, non autem tamquam Ecclesiæ minister, *Fillinc. tract.12.cap.2.n.32.& 33. Bonac. disp.2.q.3.pun.1.n.1. ex Auila, Hugol. & Suar.*

2 Duobus prioribus Ecclesia potest priuare, sicut de facto priuat excõmunicatum, adeo quod si quis missam obtulerit, vel pro eo publicè orauerit, aut cum eo in diuinis participauerit, veluti audiendo simul missam, licet priuatè, mortale committit ex intentione Ecclesiæ id prohibentis *D. Tho. quodlib. 11. art. 9. Nau.in man. cap.27.n.35. & 36. Suar.to.5. de censur. disp.9. sect.1.n.4. Fillinc. cit.n.37.*

3 Et propterea dici solet excommunicatum esse membrum Diaboli, vti separatum ab Ecclesia, & consequenter ab eius sponso Christo, vt legitur *in cap. omnis 11.q.3.*

4 Sed *Nauar.cit.n.18. Couar.in c.alma mater par. 1. §.6. n.4. ibique aly* docent, hoc non esse intelligendum de excommunicato contrito, procurante toto conatu absolutionem, *ex cap. à nobis 28. de sentent. excom. c.dixi, & c. magna pietas de pœnit.dist.1.* nec de excommunicato absque iusta causa, vel ob non solutionem pecuniæ, aut non restitutionem rei, quas non habet, qui omnes cum non sint excommunicati quo ad Deum, consequenter secundum ipsos non priuantur suffragijs generalibus Ecclesiæ.

5 Contrarium tamen volunt *Soto dist.22.q.1. art.4. Suar. vbi cæteri disp.9.sect. 3.n.2.* ea ratione, quia censura non tollitur per solam internam pœnitentiam, cum sit inflicta ab Ecclesia, quæ non iudicat de internis *c. 1. §. porro vt Ecclesi.benef.sine dimin. Confer.* ista ergo censura manente, quæ non tollitur, nisi per absolutionem legitimi superioris, necessariò parit suos effectus, qui sunt priuatio prædictorum suffragiorum, quam sententiam tenendam esse docet *Fillinc. tract.12.cap.2.n.45.* non negando priorem esse aliquo modo probabilem, sed parum in iure fundatã.

6 Verum non priuantur isti communione interiori caritatis, & gratiæ, quibus efficiũtur membra corporis Christi, à quo solùm mortale nos separat *c.resuscitatus §. cum enim de pœnit. dist 1. Nauar. vbi supra n.17.* priuatis autem suffragijs nullus excommunicatus exuitur, vt docet *D. Tho. in 4. dist.18. q.2.art.1. quæstiunc.1.* imò in ipsa missa potest orari pro excommunicato nõ publicè, neque offerendo illius valorem, sed solùm vt persona particularis in precibus missæ orando Deũ, vt conuertatur ad ipsum *Nau.tr.cit.n.36. versic. duodecimo ad primum,* vbi sic declarat doctrinam Diui Thomæ *in quodlib. supra cit. Coninc. disp. 14. dub.6.n.37. Fillinc. cit.n.51. Bonac. qui cæteros refert. disp.2.q.2.pun.1.§.3.n.6.*

7 An autem pro excommunicato tolerato, seu non adhuc denunciato possint offerri communio, & publica suffragia, discusio est inter DD. *Sayr. enim lib.2. de cẽsur cap.*

cap.4. nu. 6. ex Henriq. lib.13. cap.11. §.2. Hugol.tab.2.§.2.n.3.& antea Nau.d.cap.27. n. 36. vers. ad secundum respondent affirmatiuè,sicuti post longam disputationẽ voluit *Coninc.cit.* n.40.vbi dicit hanc esse probabiliorem sententiam, moti ex pluribus rationibus, quas non refero. Ego verò sequor opinionem negatiuã *Suar. disp. 9.sect.2.n.17.Vasq.tom.4.in 3.par.de excom. dub. 2. aliorumque communiter apud Bonac.*
8 *disp.2.q.2.pun.1.§.1. n.1.* Ratio est, quia Concilium Constantiense,ex quo processit extr. ad euitanda scandala, de qua in priori resol.concessit communionem cum istis in diuinis, sed externam, nempè audiendo simul missam, & orando etiam simul, vel loquendo, sed ad vitanda scandala, modo offerre sacrificium missæ pro ipsis, & alia communia, & publica suffragia, non solùm nequit dici opus externũ, sed potius interna mentis operatio, imò non potest hic applicari ratio finalis tex. quæ est ad vitanda scandala, dum potius ista parantur,orando in publico pro excõmunicato, quam tollantur, & omnia iura
9 antiqua hoc prohibent, lex autem noua correctoria veteris,debet intelligi,vt eam quam minus possit,corrigat *Præs. de Frãc. decis.666.n.4.ex l.sancimus C. de testam.& l. præcipimus C. de appell.* Accedat, quod in cit.tex. permittitur communicatio cum talibus toleratis, non ad subleuandum eos, sed ad tollendum scrupulos aliorum, modo si liceret pro eis sacrificare, & in publico orare, illa lex operaretur effectum contrarium contra *text. in l.legata inutiliter*
10 *ff.de adimend.legat.* Excipitur vnus casus, qui est in feria sexta Hebdomadæ sanctæ, quando licet non explicitè oretur pro excommunicatis toleratis, & non toleratis, fit hoc tamen implicitè, dum oratur prò hæreticis, qui sunt excommunicati *c. excommunicamus de hæret.* ac etiam pro infidelibus, vt obseruat Ecclesia ad imitationem sponsi sui Christi Domini, qui tempore suæ Passionis in eadem feria sexta orauit etiam pro suis inimicis *D.Tho.in addit.3. par.q.21.art.1. ad 1. Sotus in 4. dist. 11. quæst.2.art.7. ad 2. & dist.22. quæst. 1. art.1.dub.1. Rich.ibidem dist.13.art.2. qu.4. Sayr.lib.2.cap.4.n.7. ex Hugol. tab.2. cap. 9. §.2. n.4. & alijs.Filliuc.tract.12.cap.2.n.38. Regin. lib.32.n. 17.*
11 An autem indulgentiæ, seu iubileus possint lucrari per excommunicatos contritos, qui procurarunt ad totum posse absolutionem? *Suar.de indulg.disp. 52.sect. 2.& de censur. disp.12.sect.3.n.7.*negat, sequitur *Bonac. disp.2. q.2.§.3.pun.1. n.9.* ex generali ratione,quod veniant appellatione suffragiorum communium, quibus non gaudent excommunicati; contrariam opinionem, contritione interueniente ego amplector; quia possunt præstare opera iniungi solita in iubileo, vel alijs indulgẽtijs, nempe orare in Ecclesia priuatim, ieiunare,eleemosynasque pauperibus erogare, & propterea non est credendum piam matrem Ecclesiam velle eis denegare tàm magnum auxilium, cum sint absoluti apud Deũ vti obedientes eidem Ec-
12 clesiæ. Et quod attinet ad confessionem, & communionem non videntur in hoc casu necessariæ, cum per ipsos non stet, sicuti in casu necessitatis, quando certum est sufficere contritionem cum proposito, seu voluntate confitendi, vel poterunt cautiùs agendo, commutari in aliud opus pium à confessario, vt docent *Boss.in tract. de triplici Iubil.sect.4.casu 22.§. 1.n. 12. Eman.Sà v.indulgentia n.3. Henriq.lib.7.cap. 2.lit.H.ex Nauar.& alijs.*(qui casus est diuersus à superioribus, vt consideranti patet) negatiuam tamen sequitur *P.Dia.par. 5.tract.12.resol. 13.* quam dicit probabiliorem, & priorem probabilem.

Vtrum excommunicatus peccet audiendo missam, assistendo diuinis officijs, alijsque rebus sacris? an Ecclesiastica sepultura priuetur? & de minori excõmunicatione.

SVMMARIVM.

1 *Excommunicatus audiens missam, vel diuinis assistens,peccat mortaliter, & si celebrat fit irregularis, & n.2.Iterum excommunicari potest n. 3. Toleratus peccat etiam mortaliter assistendo diuinis, sed si contritus sit, potest causa vitandi scandali, & infamia assistere n. 4. imò in casu magnæ necessitatis,etiam celebrare,quod alij extẽdunt ad denunciatum ex graui metu inductum, dummodo non fiat in contemptum Ecclesiæ n.5. Sed potest sacram concionem cum alijs in Ecclesia audire, ibique priuatim orare, tempore quo diuina non fiunt. n. 6. Si ha-*

Ee *bet*

bet beneficium, vel in sacris, aut Religiosus est, tenetur priuatim recitare officium diuinum; sed non potest associatus cum alio n.7.

8 *Celebrans scienter coram excommunicato uitando, non est irregularis, sed peccat grauiter, aliasque pœnas incurrit, non sic coram tolerato.*

9 *Excommunicatus diuinis assistens, est monendus vt exeat ab Ecclesia, quod si nolit, potest per vim expelli, sed si hoc fieri nequeat, quid agendum? si tamen superueniat, dum missa incœpta erat, an possit compleri, aut cessari debeat; si exire non vult? n.10.*

11 *Cadauer excommunicati, si asportetur ad Ecclesiam, dum sacerdos celebrat, num possit missam complere eo non obstante?*

12 *Sepelientes cadauera excommunicatorum declaratorum in Ecclesijs, vel alijs locis sacris, sunt excommunicati; (secus si non erant declarati) pro quibus in tali statu mortuis, non potest in publico orari; imo si ignoranter fuerint sepulta in locis sacris, debent exhumari, & proijci, si discerni poterunt ab alijs cadaueribus, alias minime, & post exhumationem est* Ecclesia *recõcilianda, ante quam reconciliationem, si quis ibi celebrat, peccat grauiter n.13. & 14.*

15 *Excommunicati absoluti in articulo mortis in foro conscientiæ, possunt in loco sacro sepeliri, si verò solùm signa contritionis dederint, & per ipsos non stetit quò minus absoluerentur in vita, possunt absolui post mortem, & similiter ibidem sepeliri, quod si defacto fuerint ante absolutionem sepulti, possunt absque exhumatione super sepulturam absolui.*

16 *Excommunicatio minor contrahitur communicando in humanis cum excommunicato vitando scienter, (in diuinis enim est mortale) sed an talis excommunicatus priuetur passiua, vel actiua Sacramentorum participatione? Non tamen priuatur communicatione cum alijs tàm in diuinis, quàm in humanis, nec iurisdictione, aut electione actiua, sed passiua tantum. n.17. Potest ab eadem censura absolui per quemcumque Confessarium, ac etiam simplicem sacerdotẽ, si non habet nisi venialia, vel mortalia, aliàs rite confessa n.18.*

Resolutio LXXIV.

1 DIximus in antecedenti resol. peccare
mortaliter audientes missam cum
excommunicatis, vel quomodocumque
communicantes in Ecclesia cum eis in diuinis
officijs, nunc à fortiori dicimus peccare
ipsos sxcommunicatos talia peragentes.
probatur in *c. latores de Cler. excom. vel depos. minist. c. fin. §. penult. & fin. de sent. excomm. in 6. & alibi passim Bonac. disp. 2. q. 2,*
2 *pun. 3. §. 1. n. 2.* sicuti enim celebrando fiunt
irregulares, imò deponuntur, vt *in d. cap. latores, & c. illud §. fin. vbi Gl. v. canõ. eod. tit. & in Clemen. 2. V. celebrare de priuil. & excess. Prælat. Sylu. v. irregularitas, n. 15. Toles. lib. 1. cap. 67. n. 3.* Ita assistendo peccant,
vt ex multis tradit etiã *Sayr. de censur. lib. 2. cap. 3. n. 15. ex cap. Episcoporum de priuil. in 6. cap. is, qui, & cap. fin. vers. excommunicatis prorsus exclusis eod. lib. Henriq. lib. 13. cap. 7, n. 2.* sed non incurrunt irregularitatem, vel
aliam pœnam, quia non reperiuntur à iure inflictæ; verum, si admoniti vt ab Ecclesia
exeant, nolint obedire, aliam contrahunt
excommunicationem Pontifici reseruatam *Clement. 2. in fine de sent. excom. vbi*
3 *Gl. v. excommunicationis* notat excommunicatos,
iterum excommunicari *ex c. Engeltrudam 3. q. 4. & cap. quorumdam de Iudais.*

Non solùm autem excommunicatus vitandus, peccat mortaliter audiendo missã,
vel assistendo horis canonicis, aut alijs diuinis, vt probant iura, & DD. citati, sed
4 etiam toleratus, seu adhuc non denunciatus
Syl. v. excommunicatio 3. §. 5. versi. quidam tamen, Couar. in c. alma mater par. 1. §. 2. n. 11. de senten. excomm. in 6. Henriq. lib. 13. cap. 7. n. 2. ratio est; quia extr. ad euitanda scandala pluries commemorata emanauit potius in odium, quam in fauorem excõmunicatorum, vt patet (ibi per hoc tamen huiusmodi excommunicatos suspensos, interdictos, seu prohibitos non intendit in aliquo releuare, nec eis quomodolibet suffragari.) Et hanc esse communissimam sententiam scribit *Sayr. cit. n. 26. vbi n. 29.*
5 addit posse talem excommunicatum toleratum
ad vitandum graue scandalum, & infamiam, fraude tamen, & dolo cessantibus, petitaque humiliter, & pluries absolutione, præuia peccatorum contritione, missæ, & alijs diuinis assistere, & aliquã-

do

do celebrare sine mortali, neque irregu-
laritatis periculo, ea ratione, quia duobus
concurrentibus præceptis incompatibili-
bus, maiori est obediendũ, *c. solitæ de maior.
& obed.* sed maior est obligatio honorem
proprium conseruandi, & non scandalizã-
di proximum, quã à prædictis abstinendi;
ergo. facit doctrina *D. Tho. in 4. dist. 17. q. 3.
ar. 3. q. 4. ad 5.* quam opinionem docuere
antea *Præpos. in 3. par. q. 2. de excomm. dub. 8.
nu. 44. & alij multi apud P. Dia. par. 5. tract.
9. resol. 81. 82. & 83. §. notandum.* imò ad-
dit idem Præp. cit. cum Cornejo, & eodem
Dia. quod sacerdos, ex graui metu coa-
ctus, licet excommunicatus nominatim
possit celebrare absque peccato, dummo-
do metus nou inferatur in contemptum
Ecclesiæ, seu Religionis, vt infra *resol. 83.
circa princip.* vide etiam *dicta supra resol.
18. à n. 5. ad finem, & resol. 68. nu. 18.*
6 Potest autem quilibet excommunica-
tus, etiam denunciatus sacram concionẽ
cum alijs in Ecclesia audire *cap. responso de
senten. excomm. Nauar. in man. cap. 27. n. 36.
versic. ad 5. in fine. Tab. v. excommunicatio
1. n. 5. Henriq. lib. 13. cap. 12. n. 4. Coninc. disp.
14. lib. 7. n. 58. Fillincc. tract. 12. cap. 4. nu.
86. Regin. lib. 32. tr. 1. cap. 4. n. 20.* Item pri-
uatim orare, etiam in Ecclesia, tempore
tamen, quo diuina non celebrantur; elee-
mosynæ, ieiunia, & similia sibi etiam
proderunt *D. Thom. in 4. dist. 15. q. 4. art. 3.
Sayr. cit. vbi DD. caterua cap. 3. n. 3.* Imò si
7 habet beneficium, tenetur priuatim dice-
re officium, sicuti si est sacerdos, aut re-
gularis *Coninc. cit. sub n. 53. Sayr. & alij vbi
supra Bonac. disp. 2. q. 2. p. 3. §. 2. n. 3.* sed nõ
potest cum alijs *c. excommunicatos 11. qu. 3.
& c. nuper de senten. excomm. Couar. in c. alma
mater par. 1. §. 3. n. 8. Suar. to. 5. disp. 12. sect.
2. Coninc. cit. n. 52.*
8 Sed celebrans sciẽter coram excommu-
nicato vitando, licet irregularis non fiat
c. is, qui de senten. excomm. in 6. grauiter ta-
men peccat, estque ei interdictus ingres-
sus Ecclesiæ *cap. Episcoporum de priuil. eod.
lib. & tit. Henriq. lib. 13. cap. 7. n. 2.* quod si
post huiusmodi interdicti pœnam incursã
celebrauerit, tunc irregularitatem incur-
rit *Gl. in d. c. Episcoporum v. ingressum ex c.
is cui de senten. excomm. eod.* si vero celebrat
coram excommunicato tolerato, non pec-
cat, neque pœnam aliquam incurrit *Hen-
riq. vbi supra, & cap. 10. nu. 14. Suar. & alij
9 apud Bonac. cit. §. 1. n. 11.* Sed est monendus
excommunicatus vitandus, vt exeat ab
Ecclesia tempore, quo missa, vel alia di-
uina celebrantur; quod si exire renuit, po-
test per vim expelli sine scãdalo aliorum,
si verò hoc fieri nequeat, omittendum
est diuinum officium, & etiam missa in-
choata, si modo Canon missæ non sit in-
cæptus *Gl. in Clem. 2. v. inexpleta de senten.
excom. & in c. nuper. eod. tit. argum. c. illud 7.
q. 1. & c. sicut Apostoli 11. q. 3.* Si verò Ca-
10 non fuerit inchoatus, posse prosequi sa-
crificium, existimat probabile *Coninc. d.
dub. 7. n. 51.* quod tamen alij negant, testan-
tes hoc solùm licere, quando fuit incæp-
ta consecratio, vel completa, & tunc pos-
se prosequi vsque ad sumptionem, alios
tamen adstantes exire debere, solo clerico
missæ inseruiente remanente, qua sumpti-
one completa, debere sacerdotem in sa-
christiam se recipere, ibique postcommu-
nionem, & orationes cum cæteris legere
*Nauar. de orat. & horis canon. cap. 16. n. 60. ex
D. Thom. 3. par. quæst. 83. art. 6. ad 2. Sot.
in 4. dist. 22. qu. 1. art. 4. concl. 2. Maiol. lib. 3.
de irregular. cap. 24. nu. 4. Henriq. lib. 13. cap.
10. n. 4. Regin. cit. lib. 32. n. 71.* qui licet tene-
at priorem opinionem, fatetur tamẽ istam
Nauarri esse satis probabilem, & addit
Bonac. cit. n. 11. quod sacerdos, si secus fa-
ciat, mortaliter peccat.
11 Quod si dum sacerdos celebrat, ingre-
diatur in Ecclesia cadauer excommunica-
ti vitandi, non tenetur missam deserere;
non enim potest dici, quod communicet
cum excommunicato (quod prohibetur)
quia sufficit hoc in casu habere intentio-
nem non communicandi cum illo, & vlte-
rius ratio principalis, ex qua communica-
tio prohibetur, ea esse videtur, vt excom-
municati viui, videntes cessari à sacrificijs
propter eorum pręsentiam, citius rubore
suffusi procurent absolutionem, satisfaciẽ-
do Deo, & hominibus argum. *c. pia in
princ. de excep. in 6. Abb. in c. ad hæc n. 2. de
priuil. & excess. prælat. Maiol. lib. 3. de irregul.
cap. 24. n. 5. Henriq. lib. 13. cap. 7. num. 2. lit. P.*
Non potest tamen sacerdos aqua lustrali
illud aspergere, benedicendo, vel cruce-
signando, quia tunc diceretur cum ipso
communicare, & consequenter grauiter
peccare; imò tunc excommunicationem
12 incurreret, sicuti qui scienter ea sepeliunt
in Ecclesijs, vel alijs locis sacris *ex Clem.
1. de sepult. vt dicunt Abb. & Maiol. cit. Re-
gin. lib. 32. nu. 85. Hugol. de censur. tab. 2. cap.*

23.n.8.& alij, ex quibus rectè infert Bonac.d.§.1.n.15.non teneri existentes in Ecclesia, ab illa exire, dum ad eam affertur cadauer excommunicati, sed non posse publice orare pro eo, aut aliud opus simile exercere.

13 Ad secundum respondetur affirmatiuè, vt modo dictum est ex d. Clement.1. imò si fuerunt ignoranter tumulati, debent exhumari, & proijci, si discerni poterint ab aliorum corporibus, aliàs nequaquam, quia non debent fidelium corpora cum excommunicatorum ossibus iactari cap.sacris §. 1. de sepult. si verò scienter sepulta fuerint, sepelientes, sunt etiam excommunicati d. Clement. 1. secus si non erant excommunicati declarati, sed tolerati, Suar.to.5.disp.t2.sect.4.n.4.& 5.Henriq. & Regin. loc. cit. cum alijs apud eos. Siuè ergo

14 scienter, siuè ignoranter fuerint excommunicatorum declaratorum cadauera sepulta, postquam exhumata fuerint, debet Ecclesia, vel cæmeterium, vbi sepulta erant reconciliari aspersione aquæ, solemniter benedictæ, sicut in dedicationibus Ecclesiarum fieri solet; vt ait Innocent.3.in c. consuluisti de consecr. Ecclesf. vel alt. quod si post prædictam pollutionem, ante reconciliationem quis in illis celebrare præsũpserit, grauiter peccat, dum facit contra legem in re graui, sed irregularis propterea non est, cum hoc in iure decisum non reperiatur, vt legitur in c. is qui de senten.

15 excomm. in 6. Si autem tales excommunicati fuerint in foro poli absoluti in articulo mortis, possunt in loco sacro sepeliri DD. apud Bonac.citat. pun.3.§.3. n.7.cum Hugol. de censur. tab. 2. cap.9. §. 5. quod si solùm signa contritionis dederint, & per ipsos non steterit, quo minus absoluerentur in vita, possunt absolui post mortem, & sepeliri in loco sacro, vbi si ante absolutionem, de facto fuerint sepulti, non debent exhumari, sed absolui super eadẽ sepultura Gl. in c.ad hac v.eijciantur de priuil.ex c.à nobis 2.de senten. excomm. Sayr.de censur.lib.2. cap.4.n. t3. ex Innocent.Socc. & alijs.

16 Ad tertium, minor excommunicatio, quæ contrahitur, communicando scienter in humanis cum excommunicato vitãdo c. cum desideres de senten.excomm.(in diuinis enim esset mortale, vt pluries supra dictum est) priuat hominem passiua participatione Sacramentorum, adeo quod qui in tali minori scienter illa reciperet, peccaret mortaliter, qui verò solùm ministraret, venialiter tantum c. si celebrat de Cler.

17 excomm.minist.vbi etiam legitur non priuari iurisdictione, vel electione, seu communione cum alijs in diuinis, vel humanis, sed solùm electione passiua ad beneficia, seu dignitates ecclesiasticas, Sylu.v. excomm.4.n.3. Tol.lib.1.cap.18. nu.2. Nau. in man.cap.27.sub nu.24.vbi tamen fallitur in eo, quod dicit ministrantem in tali excommunicatione non peccare, sed solùm recipientem, quia in d.c.si celebrat ab ipso quoque cit. dicitur apertè contrarium.

18 Talis autem excommunicationis minoris absolutio spectat ad quemcumque cõfessarium ordinarium, siue delegatum c. nuper §.in secundo de senten.excomm. imò ad quemcumque simplicem sacerdotem, si modo taliter excommunicatus, non haberet, nisi venialia, vel mortalia alias ritè confessa Tol.d.cap. t8.n.4.Nauar. cap.4.n.6. & cap.27.n.39.Tab.v.absolutio 2.n.5.ex D. Tho.in addit.3.par.q.24.art.1.Regin. lib.32. n.154. versic. verumtamen, ratio est, quia cum hæc excommunicatio non importet nisi veniale; vt dictum est supra resol. 68. n.5.à quo potest ille absoluere iuxta communem sententiam, meritò poterit ab ista, multos alios refert Henriq.lib.13.cap.28.n. 5.lit O; quamuis ipse contrarium teneat, sicuti etiam Sayr.lib.2.cap.23.n.8.& 9.vbi quamplures eiusdem sententiæ sectatores adducit, & post eos Bonac.cit.n.t2.ex Suar. Filliuc.& alijs, sed ego priori inhæreo.

EXTREMA VNCTIO.

SVMMARIVM.

1 *Extrema vnctionis sacramentum quare sic appelletur? fuit à Christo institutum, & à B. Iacobo promulgatum nu.3. 5. & 7. Alleuiat infirmum, & remittit peccata n.6.Definitio n.8.*

2 *Vnctiones variæ recensentur, quæ fiunt in collatione aliquorum Sacramentorum.*

4 *Gratia vel confertur, vel augetur per extremam vnctionem, si recipiens non sit imparatus.*

INTRODVCTIO.

1 QVia vt diximus supra de Euchar. in princ.nomina debent esse correspõden-

dentia rebus, propterea hoc Sacramentum meritò dicitur extrema vnctio ad significandum tempus, in quo tribuitur, in extremo sc. vitæ termino, vt de consuetudine seruatur, & docent omnes scribentes. Item vt distinguatur ab vnctionibus aliorum Sacramentorum, qualis est primò ea,
2 qua baptizatus vngitur in vertice, secundò qua confirmandus vngitur in fronte ab Episcopo conferente sacramentū confirmationis, tertiò qua idem Episcopus cū consecratur, vngitur in capite, & manibus, & Sacerdos dum ordinatur in manibus, de quibus sigillatim verba facit *Innocent. 3. in c. vnico de sacra vnct.* iterum de istis tractant alij Pontifices *in dist. 64. & 65.* de illa in c. 2. §. 1. cum pluribus sequent. dist. 95. Quod autem sit sacramentum, sicut cæ-
3 tera, latè contra hæreticos disputando firmat *Suar. to. 4. disp. 39. sect. 1.* item an fuerit institutum à Christo, vel ab Apostolis ibidem *sect. 2.* non est tamen hic immorandum, cum Patres declarauerint in *Trid. sess. 14. c. 1. & can. 1. sub hoc tit.* esse verum Sacramentum, & fuisse à Christo institutum, & à Beato Iacobo Apost. promulgatum, ita interpretando verba eiusdem Apost. in sua Epist. Cathol. *cap. fin. ibi infirmatur quis in vobis, inducat pr sbiteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittentur ei*; quæ verba ad idē repetuntur per Gelas. Pap. *in c. præsbiteros §. sed istud dist. 95.*

Et confirmatur doctrina *in d. cap. vnico §. 1. de sacra vnct. ibi, vnctio visibilis, & exterior, signum est interioris inuisibilis vnctionis, vnctio verò inuisibilis, & interior non solùm est signum, sed etiam sacramentum,*
4 *quia si dignè sumitur, vel agit, vel auget absque dubio, quod designat*; Vndè non habet
5 hodie locum doctrina *Magistri senten. in 4. dist. 23. cap. 2.* vbi dicit esse sacramentum, sed institutum ab Apostolis, quod tamen Doctor Angel. ibidem *art. 1. q. 1. quæstiunc. 3. & par. 3. in supplem. q. 29. art. 3. in corp.* quasi præsagus declarationis tunc faciendæ, & postea factæ per S. Ecclesiam non admisit, sed pari modo dixit institutum à Christo, & promulgatum ab Apostolis.
6 Hodie ergo, qui pertinaciter hæc negauerit, vel affirmauerit non conferre gratiam, sicut cætera, aut non remittere peccata, nec alleuiare infirmum, aut iam cessasse quasi olim fuerit gratia curationum tantum, esset hæreticus iuxta disposita *in Trid. tit. cap. 1. & 2. Catechis. Rom. hoc tit. par. 2. c. 6. n. 3. Nauar. in man. cap. 22. nu. 15. Suar. cit. sect. 2. n. 2. & 8. Regin. lib. 28. cap. 8. num. 47.*

7 De tempore verò institutionis huius Sacramenti non constat; conceditur tamen ab omnibus vnctionem illam relatam apud *Marcum cap. 6.* non fuisse hoc Sacramentum, sed solùm gratiam concessam Apostolis à Christo per illam vnctionem præstandi sanitatem corporalem infirmis, quia nec ibi constat de benedictione olei per Episcopum, nec de forma verborum, nec de spirituali effectu, vel eius promissione, ideoque sicut probabile valde est, non fuisse ante cænam institutum, cum nō sit verisimile illud ante Eucharistiam, & pœnitentiam Dominum instituisse, ita certum est ante ascensionem ad Cœlum institutum, vt ex multis probat *Suar. cit. sect. 2. n. 4. & 5. & ex Soto, & alijs Bonac. disp.*
8 *7. q. vnica pun 1. nu. 3.* Quibus generaliter præmissis ita definitur *per Nauar. cit. n. 12.* quem sequūtur *Regin. etiam cit. n. 44. Bonac. n. 4. & aly.* Est Sacramentum, quo præsbiter vngit oleo consecrato certas corporis partes infirmi probabiliter periclitantis, certa verba cum debita intentione proferendo. *Bellarm. lib. 2. dist. 8. cap. 1. nu. 2.* est Sacramentum à Christo institutum, vt sacra vnctione, & oratione sacerdotis salus efficiatur, tum animæ, tum corporis eorū, qui cum periculo vitæ ægrotant; quę tamen non placet, quia non semper salus corporalis obtinetur ex causis, vt infra *resol. 80. n. 14.* alias nullus inūctus moreretur, quod experientia docet esse falsum, & propterea in parte, non est vera definitio, sed ex eisdem definitionibus ad partes declaratis ibidem per eosdem, licet constet de materia, forma, subiecto, & ministro huius Sacramenti, pro maiori tamē declaratione quæritur.

De materia, & forma Sacramenti Extremæ vnctionis.

SVMMARIVM.

1 *Materia Sacramenti extremæ vnctionis remota, est oleum oliuarum.*
2 *Denominatio debet fieri à nobiliori, potentiori,*

tiori, & principaliori parte; quia nobiliora præferuntur. n.3.

4 *Oleum sanctum per quod conficitur Sacramentum extremæ vnctionis, consecratur ab Episcopo in die Cœnæ Domini, nec potest à sacerdote, nisi administrari, & plures bonos effectus parit, vt infra n.5. Est singulis annis conficiendum, & renouandum n.6. differt à Chrismate, quia istud conficitur ex oleo, & balsamo, illud ex simplici oleo oliuarum n. 7. Si eo alterius anni Parochus vngit, cõficit Sacramentum, sed peccat, nisi excusetur à necessitate n. 8.*

9 *Oleo consecrato, potest in casu necessitatis addi aliud non consecratũ modicæ quantitatis, ita quod consecratum sit in maiori quantitate non consecrato. sicuti potest aquæ benedictæ, addi alia non benedicta in modica quantitate n. 10.*

11 *Materia proxima sacramẽti extremæ vnctionis est vnctio, quæ repræsentat gratiam Spiritus Sancti. Eius forma tàm hodierna, quàm antiqua tempore Diui Ambrosij n. 12. qua mutata, an sit mortale, vel irritum Sacramentum nu. 13. Sed an subsistat per modum indicatiuum n. 14. & quid si illi addatur deprecatiuus? n. 15. & 16.*

Resolutio LXXV.

1 Materia Sacramenti prædicti est duplex, sicuti cęterorum Sacramentorum, remota scilicet, & proxima; illa est oleum oliuarũ, quod est propriè oleũ; alia enim dicuntur impropriè olea, vt docet *D.Tho.par.3. in supplem. q.29.art.4.* Et
2 propterea ex quo denominatio debet fieri à nobiliori, potentiori, & principaliori parte *l. præ ipimus C. de appell. Bal. in l. rogasti n.4. ff. si cert.petat. & in l. quæritur n.1.ff.de*
3 *statu homin.* quia nobiliora præferuntur *§. fin. cum Gl. instit. de iur.natur. gent. & ciuil.* ideò, oleo nominato in genere, intelligẽdum est de prædicto oliuarum, tamquam alijs meliori, & potentiori. Quod tamen
4 debet esse benedictum, seu consecratum ab Episcopo in die Cœnæ Domini, non autem à quocunque sacerdote, idem *Sãct. ibidem art.4. Trid.sess.14.cap.1. Catech.Rom. sub eod.tit.n.5. Tolet.eod.tit.cap.1.n.1. Belar. cap.1.n.5. lib.2.dist.8.* vbi rationem assignãt, quare Christus talem materiam instituit, quia st. sicut oleum ad mitigandos cor-
poris dolores magnopere proficit, ita hu-
5 ius sacramenti virtus, animæ tristitiam, ac dolorem minuit, & præterea sanitatem restituit, hilaritatem affert, & lumini tamquam pabulum præbet, tum tandem ad recreandas defatigati corporis vires maximè accõmodatũ est, verba sunt *Gregory lib. 4. super primo Regum cap.4.* quam quidem consecrationem ab Episcopo faciendam, vt dixi, & esse de necessitate Sacramenti rectè probat *Suar. disp.40.to. 4. sect.1.n.3.* cõtra *Victor.in sum.de Sacrã.n.216.* & alios putantes esse solũ de necessitate pręcepti.
6 Est autem tale oleum sanctificandum per singulos annos, & de anno in annum renouãdum in die Cœnæ Domini, vt mãdat Fabianus Papa *in cap. literis de consecr.*
7 *dist. 3.* qui licet loquatur de Chrismate, quod conficitur ex oleo, & balsamo, idem tamen de hoc sancto oleo sensijsse communiter, Patres testatur *Suar.cit.sect.1. nu.*
8 *10. & 11.* Quod si Parochus oleum alterius anni adhibeat, non per hoc Sacramentum est inualidum, quamuis à peccato nõ excusetur, nisi in casu necessitatis, *Bonac. disp.7. q. vnica pun.2.num.6. ex D.Tho. Nauar. Possen. & alijs P. Dian. par.9. tract. 6. resol. 44. & resol. 46. §. item poterit, par. 10. tract. 16. resol. 81. §. puto etiam, & par.*
9 *11. tract. 5. resol. 15.* Nec irritatur Sacramentum, si oleo consecrato addatur aliud non consecratum modicæ quantitatis, vt legitur *in cap.3. §. fin. de consecr. Eccl. vel altar.* secus si maior esset quantitas non consecrati *Suar.disp.40.to.4.sect.1.num.12. Dian. cit.* sed quia verum est sufficere ad hoc Sacramentum conficiendum, simplex oleum benedictum, seu consecratum, ideò differt à confirmatione, in qua necessariũ est Chrisma confectum ex balsamo, & oleo, *Suar. cit.n.11.* & nos supra de confirmatione.
10 Ex quibus idẽ dicendũ est de aqua benedicta secundum eosdem ex paritate rationis, cui si parua quantitas addatur, erit tota benedicta ad regul. iur. vbi militat eadem ratio, eadem est iuris dispositio *l. à Titio circa finem ff. de verb. obligat. §. cum autem versic. pari ratione instit. quibus mod. ius patriæ potest. solu.* concordat ius ciuile circa mistiones prædictas, *vt in l. quia ff. de acquir. rerum domin. l. quæ Religiosis de rei vend. & §. si duorum materiæ instit. de*
11 *rerum diuis.* Materia verò proxima extremæ vnctionis est vnctio, quæ est etiam

de

de necessitate Sacramenti *Tolet. vbi supra n.2. ex Scot. in 4. dist. 32. q. vnica*, *Suar. cit. sect. 2. n. 2. Bonac. etiam cit. num. 9.* talis enim vnctio, ait Trid. *d. cap.* 1. aptissimè Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.

12 Ad secundum forma Sacramenti prædicti est talis (per istam sanctam vnctionẽ, & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Deus, quidquid per visum deliquisti amen,) quæ repetitur in vnctionibus aliorum sensuum, expresso nomine singulorum idest, per auditum, quando inunguntur aures, per odoratum, quando inũguntur nares; per oris vitium, quando inungitur os; per tactum, quando manus, per incessum, quando pedes, & per ardorem libidinis, quando renes ita *Nauar. in summa cap. 22. sub n. 13. Tolet. hoc tit. cap. 1. n. 3. Bona. ead. disp. 7. pun. 3. n. 1.* & hac vniuersalem Ecclesiam Romanam hodie vti ex Concil. Florent. & Trident. testatur *Suar. to. 4. disp. 40. sect. 3. n. 1. & 2.* vbi refert alias formas, quæ erant in vsu tempore Diui Ambrosij in Ecclesia Mediolanensi, & Veneta, ibique *n. 4.* latè examinat verba prædicta, quę etiã leguntur in Rituali Romano; sed nõ est necessariũ vngere omnes partes prædictas; vt dicetur in seq. resol.

13 Hanc ergò formam, siquis aliquo modo mutaret, in graui culpa esset; quia operaretur contra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem in re graui, sed solùm de necessitate Sacramenti sunt hęc verba (per istam vnctionem indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti) ea tamen repetendo in singulis sensuum vnctionibus, & sic cætera prædicta, sunt de necessitate præcepti tantum; DD. cit. quibus adde *Catech. vbi supra n. 6. Bellarm. eod. tit. n. 6. Regin. lib. 28. cap. 9. n. 56.* & ratio est, quia sensus verborum formæ, est cõpletus, & subsistit alijs omissis, vt fundat pręcipuè *Suar. n. 12. sequitur Pater Dian. par. 3. tract. 4. resol. 175. §. notandũ.*

14 An autem proferendo formam prædictam modo indicatiuo subsistat Sacramentum, contentio est inter Doctores, veluti siquis dixerit, vngo te oleo sancto in nomine Patris, &c. aliqui affirmant, quos refert idem Dian. cit. in princ. quia in alijs Sacramentis dicendo, ego te baptizo, vel te absoluo, vel consigno te Chrismate, validum est Sacramentum; ergo eodẽ modo deberet valere istud; sed hi communiter reprobantur, quia ista verba non sunt deprecatiua, sicut instituit Christus per Iacob. in sua *Epist. cap.* 5. vt diximus initio huius tractatus, & legitur *in c. vnico §. 1. de sacra vnct. c. Præsbiteros §. sed istud versic. oleo verò dist. 95. Trid. sess. 14. cap. 1. eod. tit.*

15 Maior tamen difficultas est, vtrum valeat, si modo indicatiuo addatur deprecatiuus, nempe, vngo te oleo sancto, vt Deus tibi remittat quidquid deliquisti, & quãuis omnes præcitati *cum Regin. vbi supra n. 55. Layman. in Theolog. mor. lib. 5. tract. 8. cap. 3. n. 1.* & alijs concludant grauiter peccare tali forma vtentem, sed subsistere Sacramentum; Contrariũ tñ dicunt *Nugn. in addit. ad tertiam par. q. 26. art. 7. & alij apud Dian. cit.* vbi addunt nullum vmquam ausum fuisse dicere, hanc formam sufficere, sequitur *Bonac. supra n. 3.* dicens, talem loquendi modum sibi non videri continere formam deprecatiuam versus Deum.

16 Sed priorem sententiam amplexi sunt *Nauar. d. cap. 22. n. 15. in fine ex Palud. in 4. dist. 23. Suar. disp. 40. sect. 3. n. 8. P. Dian. & alij per eum loco etiam cit. §. his ita*, ratio est, quia non mutatur substantialiter sensus verborũ formæ, nec est alicuius cõsiderationis differentia, quã sibi constituit Bonac. inter illa verba (Indulgeat tibi Deus) quæ sunt in cõmuni forma Ecclesię, & illa (vt Deus tibi remittat) quæ sunt in ista vltima, cum vtraque eundem sensum habeat, & proinde hanc ego quoque sequor sententiam, quam etiam docuit *Tolet. dicto cap. 1.* circa finem, eo magis cũ D. Thom. non dicat id, ad quod per eos allegatur.

In quibus partibus corporis extrema vnctio sit facienda, & an sufficiat vna gutta in qualibet parte?

SVMMARIVM.

1 *Extrema vnctio in quibus corporis partibus sit facienda tàm secularibus, quàm sacerdotibus? ac etiam feminis, & n. 2. vsque ad 4. an prius vngendi de necessitate sint oculi, postea aures & cæt. nu 8. & 9.*

5 *In casu necessitatis quo modo sit conferenda, vt omnibus illã suscepturis prosit? & an virgula argẽtea, vel lignea n. 7. 15. & 16.*

6 Te-

6 *Testamentum tempore pestis, si est magna valet cum duobus testibus, & etiã causas profanas per quemcumque conditum sit.*

10 *Peccata odij, superbiæ, & similium perficiuntur simplici voluntatis consensu absq; sensuum opera.*

11 *Vnctio extrema potest omitti in oculis cæci nati, & quare? contrarium sub nu. 14.*

12 *Significat remissionem omnium peccatorum, licet non commissorum per medium sensuum, quamuis forma huius Sacramenti ad illa tantum videatur extendi.*

13 *Intellectus nihil apprehendere potest, nisi per aliquem ex sensibus exterioribus.*

14 *Peccatum nullum est in homine, quamuis per solam voluntatem perficiatur, quod non sit totius hominis, quia necessariò originem trahit ab aliquo ex sensibus.*

Resolutio LXXVI.

1 AD primum *Nauar. in summa cap. 22. nu. 13.* dicit faciendam esse in oculis, naribus, auribus, ore, manibus, pedibus, & renibus propter visum, odoratum, auditum, gustum, tactum, incessum, & delectationem in renibus vigentem: sacerdotes tamen non vnguntur in palma, in qua fuerunt inuncti in susceptione ordinis sacerdotalis, sed in superiori versa parte manus *Bonac. disp. 7. q. vnica pun. 5. n. 19.* Verum *Suar. to. 4. disp. 40. sect. 2. n. 8.* post relatas opiniones aliquorum modernorũ, docentium ad essentiam Sacramenti vnicã vnctionem sufficere (cum quibus concordant *Becan. & Syluius relati per Dian. par. 3. tract. 4. resol. 179.* à quibus ipse discedit) refert etiam antiquos *in 4. dist. 23.* asserentes saltem quinque in quinque sensibus corporis, exclusis pedibus, & renibus esse de necessitate Sacramenti. Sed quamuis
2 ibi asserat Suar. has quinque esse de necessitate præcepti, disputat. tamen 41. *sect. 2. n. 12.* videtur docuisse esse etiam de necessitate Sacramenti, ne contradiceret doctoribus prædictis antiquis, præcipuè *D. Tho. par. 3. in supplem. quæst. 29. art. 2. in corp. in fine, ibi, quia curatio interiorum vulnerũ non potest perfectè significari, nisi per appositionem medicinæ ad diuersas vulnerum radices, & ideò plures vnctiones sunt de perfectione huius sacramenti*, quam sententiam vltra vniuersalem Ecclesiæ consuetudinẽ, communiter recepere moderni apud eundem *Dian. cit. §. 1. ibi vnde si infirmus moreretur ante quintam vnctionem, non reciperet gratiam*, cui etiã ipse se subscribit, quod latius probatur in seq. resol. n. 5.

3 Licet autem in Catechismo Rom. *sub hoc tit. n. 10.* habeatur vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem seruare vngere etiam pedes; & renes, quod confirmat *Bellarm. dist. 8. cap. 1. n. 2.* si tamen talis vnctio prætermittatur, non per hoc Sacramentum irritatur, alias feminæ, in quibus propter honestatẽ in dictis partibus omittitur iuxta Suar. *d. 40. sect. 2. n. 6.* numquam reciperent hoc Sacramentum, quod est absurdũ dicere, & propterea posset etiam hoc excusari in hominibus, qui corporalibus doloribus vexati, difficiliter terga vertere possent, imo Suar. ibidem ex Gabr. Sot. Victor. & alijs affirmat, regulariter conuenientius esse vnctionem in renibus omit-
4 tere. In tribus tamen casibus probabilis existimatur sententia DD. relatorum per eundem *Dia. par. 5. tract. 3. resol. 89. & par. 10. tract. 12. resol. 31.* docentium sufficere vnicam vnctionem in qualibet parte, temporis st. pestis, vel cum adest probabilis timor infirmum ante completas quinque vnctiones decessurum, aut eum timetur alios ægrotos, qui etiam vngendi essent, absque vlla vnctione morituros; Quibus
5 in casibus cautius agendo, iniuncta singulorum sensuum vnica parte, vnicam formã proferre complectentem plures partiales formas magis expediret, dicendo in vnctione oculi, auris, naris, oris, & manus, per istas sanctas vnctiones, & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Deus quidquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti *Suar. Possen. Filliuc. & alij apud Bonac. hoc tit. pun. 3. nu. 5. Dian. par. 3. tr. 4. resol. 168. ex Victo. Zambr. Coninc. Layman. & alijs*, quibus in casibus adhuc est sub conditione, saltem in mente retenta Sacramentum tribuendum, ex qua non fit iniuria Sacramento, vt etiam dicitur *in seq. resol. n. 3.*

6 Probatur prius assumptum, quia licet regulariter ad validitatem testamenti septem testes requirantur *l. hæredes §. in testamentis ff. de testam.* tempore tñ pestis duo tantũ sufficiunt, etiam ad causas profanas per quemcumque conditum sit, si pestis est magna, vt de communissima sententia cum rerum iudicatar. authoritate fundatum est infra *resol. 204. n. 15. & seq.* ex qua

recte

rectè infertur ad alios duos casus ex paritate rationis iuxta *tex. in l. non possunt ff. de ll. & §. pari ratione instit. quib. mod. ius po- tr. potest. solu.* vna enim determinatio respiciens plura determinabilia, debet ea æqualiter determinare *l. iam hoc iure ff. de*
7 *vulg. & pupill.* Potest etiam tempore pestis ad contagionem vitandam vngi infirmus virgula argentea, vel lignea, sicut fuit in præterito contagio seruatum, quæ postea debet, si est argentea purgari, & si lignea, cremari *Marchin. de peste par. 3. cap. 5. nu. 5. alijque apud Dian. par. 3. tract. 4. resol. 167. &*
8 *par. 5. tr. 3. resol. 79.* Ordinem autem talium vnctionum non esse de essentia Sacramenti, vt st. prius vngantur oculi, postea aures, &c. ex omnium DD. suppositione rectè docuit *Suar. cit. disp. 40. sect. 2. n. 9.* nō posse tamen sine peccato præteriri, quia dicit ipse, & rebus ipsis consentaneus est, & sic se habet Ecclesiæ consuetudo. sequitur *Regin. lib. 28. cap. 9. n. 53. in fine.*
9 Hic autem dubitare contingit, posito quod istæ vnctiones ideo fiant in quinque sensibus, quia ex istis proueniunt peccata, & rogatur Deus, dum vngitur ægrotus, vt in forma de qua supra (indulgeat tibi Deus quidquid per visum deliquisti) &
10 sic de singulis, si demus ægrotum habere peccata superbiæ, vel odij inimicorum, aut alia, quæ perficiuntur simplici voluntatis consensu absque sensuum opera, videtur dicendum esse ista exclusa à remissione, cum pro istis Deus non rogetur. Ad-
11 de quod aliquando homo caret aliquo sensu, vbi fit inunctio, vt cœcus à natiuitate, & consequenter in illo peccare non potuit, ergo vel forma quo ad illam partem est falsa, vel inutilis: quod confirmatur ex *P. Dian. par. 3. tract. 4. resol. 179. in fine,* vbi ait, eo casu non oportere vnctionem fieri in oculis.
12 Optimè tamen respondet doctus *Suar. cit. disp. 41. sect. 2. n. 14.* per illas st. formas & vnctiones sufficienter significari remissionem omnium peccatorum, quia prima radix eorum est cogitatio; omnis autem cogitatio à quinque sensibus originē ducit, cum nihil sit in intellectu, quod prius
13 non fuerit in sensu, & ideò sub peccatis per quinque sensus commissis, omnia peccata simpliciter comprehenduntur, quia licet non omnia peccata executioni mandentur per aliquem sensum, neque omnia pro obiecto habeant aliquid per se cognoscibile aliquo sensu, vt sunt relata, nullum tamen est in homine peccatum, quod non ducat originem ab aliqua specie per aliquem sensum accepta; intellectus enim, & voluntas non feruntur ad incognita.
14 Præterea nullum peccatum est in homine, quod sit solius animæ, & non totius hominis, quantūuis peccatum spirituale sit, & ideò nullum est peccatum, cuius curatio per corporis curationem significari non possit, optimè ergo significatur per radicem eius, quæ est in sensibus. Ad casum verò cœci nati, & similium respondet idem Suar. esse accidentalem, & præterea formæ verba esse conditionalia, quæ nullum producunt effectum conditione non existente *l. id quod ff. de constit. pecun.* & tandem licet cœcus numquā malè vsus sit oculis, tamquam illis priuatus, fieri tamē posse, vt peccauerit per internam potentiam illi respondentem, *Eman. Sà hoc tit. n. 3. Bonac. disp. 7. q. vnica pun. 5. n. 16. in fine,* qui propterea volunt etiam cęcum vngendum esse in oculis.
15 Ad secundum respondet *Suar. cit. disp. 40. sect. 2. n. 4.* quamlibet quantiatem olei sufficere, etiam si minima sit, dūmodo verā rationem vnctionis attingat iuxta cōmunem morem, nec satis esse vnicam guttam olei stillare, quia id, vel non est vngere, vel certe est res, aliquo modo dubia, sed oportere partem corporis oleo linire, id per illam diffundendo, quod est propriè in rigore vngere, hæc ille; vnde videtur corruptè citatus *à Dian. par. 3. tract. 4. resol. 177.* vbi tenendo probabiliter vnam guttā in qualibet parte sufficere, adducit Suar. cit. & *Regin. tom. 2. lib. 28. cap. 9. nu. 53.* argum. ducto à Baptismo, in quo vnam guttam in casu necessitatis sufficere dictū est supra resol. 6. n. 12. secundum nonnullorum opinionem, dummodo sit fluxibi-
16 lis. Verba verò Regin. sunt videlicet vnā quamque talium vnctionum tantum olei requirere, quantum sufficit vt ipsum applicetur cum fluxu, seu extentione in parte corporis, cui applicatur, perinde st. ac de aqua baptismi lib. 27. n. 14. dictum est, vbi n. 15. in fine, ait, loquendo de baptismo, non sufficere si minutim tantùm aquę gutta, vel etiam aliquot paucis guttulis quis aspergatur, hæc ille, qui propterea ambo tenent contrarium. Quod autem illi dixerunt de baptismo in casu necessitatis, non potest extendi ad alios casus, &

magis,quia illud est Sacramentum necessi-
tatis, quod non est istud, & propterea
melius est cum Sacramento illo dubio ali-
quem mori, quàm nullo modo illud su-
scipere, nihilominus etiam in hoc, si ne-
cessitas vrgeret, quando non adesset ma-
ior quantitas olei, puto posse sub condi-
tione saltem in mente retenta fieri vnctio-
nem, quia per conditionem nulla infertur.
iniuria Sacramento, & existente valido
confert effectus infirmo, de quibus infra
vide etiam *Filliuc.to.1.tract.3.cap.4.n.78.*

Vtrum sit de necessitate saltem præcepti in extrema vnctione ministranda facere vnctiones in modum crucis? & an in vtroque organo vnius sensus? item an sufficiat vna vnctio? & dato quod non sufficiat, in qua vnctione hoc Sacramentum conferat gratiam, & tandem an sit iterabile?

SVMMARIVM.

1 *Parochus conferens extremam vnctionem non in modum crucis, peccat mortaliter, licet alij negent, secluso contemptu, & scandalo.*

2 *Crucis signum est necessarium in multis casibus, vt infra.*

3 *Extremæ vnctionis Sacramentum conficitur per vnctionem vnius ex organis cuiuslibet sensus, sed peccat mortaliter Parochus agens contra consuetudinem Ecclesiæ, quod fallit tempore contagij, & nu. 4. Perficitur in vltima vnctione, quæ regulariter est quinta, & ante illam non confertur gratia n. 5. & 6. Non imprimit characterem, & ideò potest iterari, sed an in eadem infirmitate? num. 7.*

8 *Sacramenta, quæ non habent effectum perpetuum, vt est extrema vnctio, & alia possunt iterari & n. 9.*

Resolutio LXXVII.

1 AD primum respondent *Becan. de Sacram.cap.27.q.3.n.3. Laymã in Theol.
moral.lib.5.tract.8.c.3.n.7.Filliuc.apud Dia.
par.3.tract.4. resol.178.*vbi alij secluso cõ-
temptu, & scandalo, non esse peccatum,
quia nullum est expresse latum de hac re
præceptum; sed ego teneo grauiter pec-
care Parochum crucem omittẽtem in vn-
ctionibus infirmorum, quia ita se habet
communis consuetudo Ecclesiæ, contra
quam agere mortale est; & vlterius, quia
ita statuit *Gregor.3.in Epist.4.ad Bonifac.in
c. numquid de consec.dist.5.videls. Numquid.
2 non omnia Chrismata sacerdotalis mysterij.
crucis figura perficiuntur? numquid baptis-
matis vnda, nisi cruce sanctificata, peccata
relaxantur, & vt cætera prætereamus, sine
crucis signaculo quis sacerdotis gradus ascen-
dit* Cuius opinionis sunt *Sylu.v.vnctio §.
2.Nugn.in addit.ad 3.par.q.29.art.6.Bonac.
disp.7. q.vnica pun.2.n.9.Suar.tamen tom.4.
disp. 40.sect.2.nu.3. in fine,* voluit nullum
peccatum committi, si ex iusta causa o-
mittatur, vt securius, & breuius agatur,
quam opinionem falsam,& improbabilem
appellat Nugn. vbi supra.

3 Ad necessitatem autem Sacramenti non
pertinet vtrumque organum vnius sensus
vngere, quia significatio istius Sacramen-
ti saluatur per vnctionem vnius organi;
est tamen de præcepto seruare locorum
consuetudinem, quæ vim legis habet *E-
man.Sà hoc tit.n.12.Nald.eod.v.n.2.Bonac.d.
q.vnica pun.5.n.21.* vbi subdit consuetudi-
ne etiam receptum esse, vt in dictis orga-
nis duplex crux adhibeatur, vnica forma
prolata, citat etiam *Suar.disp.40.sect.2. nu.*
5. qui tamen dicit, si ob necessitatem in
quolibet sensu vna fiat vnctio,verum fieri
Sacramentum, & Parochum non peccare,
*Diana verò, & alij apud eum par.3.tract.4.
4 disp.* 168. volunt contagij solùm tempore
posse vnum organum cuiuslibet sensus
perungi absque peccato,vnum st.oculum,
vnam aurem &c. quod in priori resol. n.
4. probatum fuit sufficere, ad quam me
remitto.

5 Ad secundum patet responsio ex dictis
in priori resol.propterea circa tertium di-
citur, gratiam conferri per hoc Sacramen-
tum in vltima vnctione, quæ est quinta
iuxta superius dicta cum *P.Diana par.3.tr.
4.resol.168.*vbi *ex Filliuc.Villalob.Ledesma,
Nugn.& alijs* docuit non recipere gratiam
infirmum morientem ante quintam vncti-
onem, vt dicit etiam *Bonac.cit.pun.6.nu.2.*
ea ratione, quia proprium est Sacramen-
torum vnicam gratiam producere in eo
instanti, in quo perficiuntur, ac etiam
quia peccatum vnius sensus, non remitti-
tur sine remissione alterius, & omnes vn-

ctio-

nes institutæ sunt ad eundem effectum, completum, & ordinantur ad vnam integram totius hominis vnctionem, aliàs si in prima vnctione gratia produceretur (sicut voluit Becã. relatus à Dia. vbi supra, cuius opinionem probabilem appellat Siluius ibidem) oporteret consequenter dicere, in prima etiam vnctione perfici Sacramẽtum, & cæteras sine causa applicari, quod in d. priori resol. probatum fuit esse

6 falsum. Alia ratio percipitur ex *D. Thom. par. 3. in supplem. q. 29. art. 2. in corp.* quia sic. sicut non solùm tantum, vel parietes conficiunt domum, sed parietes, & tectum simul cũ solo, nec aliqua ex his partibus de per se potest dici domus, ita nec vna, vel duæ vnctiones, possunt dici Sacramẽtum, vsquequo non compleantur omnes quinque; si ergo illæ vnctiones partiales non sunt Sacramentum, consequenter nõ possunt conferre gratiam *Catech. Rom. sub hoc tit. par. 2. cap. 6. n.* 4. & successiuè licet sint plures vnctiones, vnum tamen Sacramentum est, vt fundat etiam Sanctus ibidem.

7 Ad vltimum respondent communiter DD. relati per *Suar. disp. 40. sec. 4. nu. 4. & per Bonac. disp. 7. q. vnica pun. 6.* 4. ex quo hoc Sacramentum non imprimit characterem, posse iterari, & patet ex *Trid. sess. 14. cap. 3. hoc tit.* sed dubium est, vtrum in eadem infirmitate? & respondet *D. Th. in 4. dist. 23. q. 2. art. 4.* quod nullum Sacramentum, quod imprimit characterem, nec sacramentale, quod habet effectum perpetuum, debent iterari, vt vnctio altaris, quæ non iteratur, nisi altare fractum fuerit, quia ostenderetur Sacramentum non fuisse efficax ad faciendum illum effectũ, & sic fieret iniuria illi Sacramento. Sa-

8 cramentum autem, quod habet effectum non perpetuum, potest iterari sine iniuria, vt effectus deperditus iteratò recuperetur; & quia sanitas corporis, & mentis, quæ sunt effectus huius sacramenti possũt amitti postquam fuerunt per sacramentum effecta, ideò potest hoc sacramentum sine sui iniuria iterari.

Idem Sanctus sub. ibidem in fine, quod hoc sacramentum non respicit tantum infirmitatem, sed etiam infirmitatis statum, quia non debet dari, nisi infirmis, qui secundum humanam estimationem, videntur morti appropinquare. Quædam

9 enim infirmitates non sunt diuturnæ, vnde si in eis datur hoc Sacramentum, tunc, cum homo ad illum statum perueniat, vt sit in periculo mortis, non recedit à statu illo, nisi infirmitate curata, & ita iterùm non debet inungi; sed si recidiuum patiatur, erit alia infirmitas, & poterit fieri alia inunctio: quædam verò sunt ægritudines diuturnæ, vt ethica, hydropisis, & huiusmodi, & in talibus non debet fieri inunctio, nisi quando videntur perducere ad periculum mortis, & si homo illum articulum euadat, eadem infirmitate durante, & iterum ad similem statum per illam infirmitatem reducatur, potest iterum inungi, quia iam est quasi alius infirmitatis status, quamuis non sit alia infirmitas simpliciter. hæc ille, quem sequuntur omnes præcitati, & multi alij, quos refert, & sequitur *P. Dian. par. 5. tract. 3. resol. 96. & par. 10. tract. 11. resol. 11.* d. Sancto, cuius est doctrina non citato, vide etiam *Trid. sess. 14. cap. 3. sub hoc tit.*

Agitur de ministris extremæ vnctionis, & num Parochus teneatur cum periculò vitæ peste grassante hoc Sacramentum ministrare.

SVMMARIVM.

1 *Extremæ vnctionis ministri sunt soli, & omnes sacerdotes in casu necessitatis, extra quam non possunt licitè, nisi de licentia Parochi, vel Episcopi. Per laicum administrata, vel etiam per diaconum non conficitur sacramentum, etiam in casu necessitatis, & de licentia Papæ. n. 2. Sed validè à sacerdote excommunicato, degradato, vel quomodolibet suspenso. grauissimè tamen peccat; n. 3. 5. & 7.*

4 *Regulares extremam vnctionem ministrãtes non regularibus, sunt excommunicati, fallit in vno casu.*

6 *Attritum quem fieri contritum num etiam procedat in hoc Sacramento? quod si nolit Parochus ministrare absque legitima causa, nec licentiam ministrandi tribuere, potest quicumque sacerdos etiam regularis ministrare, dummodo non sit canonicè impeditus n. 8.*

9 *Parocho absente, & necessitate vrgente, tenetur quilibet sacerdos vngere sub mortali, dummodo canonicè non sit impe-*

ditus, & casu, quo non posset infirmus recipere Sacramentum pœnitentiæ.

10 *Extrema vnctione tribui incæpta per Parochum, sed non completa ob eius mortē præsecutam, num possit alius sacerdos prosequi inceptam, vel ab initio incipere repetendo vnctionem in partibus innunctis? quando periculum est in mora, potest à pluribus sacerdotibus simul eidē infirmo conferri, prolata per singulos debita forma, & vno vngente independenter ab alio, sed absque necessitate est mortale, licet validum sit sacramentum n. 11. Sed non conficitur sacramentum, vno sacerdote vngente, & altero formā proferente n. 12.*

13 *Irregularitas non contrahitur à Parocho, si inter renoluendum infirmum, vt oleo sancto vngat, moriatur. Nec si pulsando campanam, tintinnabulo ex pulsatione cadente, aliquis ex illo percussus, moriatur n. 14.*

15 *Pœnitentiæ* Sacramētum *tenetur* Parochus, *etiam cum periculo vitæ ministrare.*

16 *Contritio est difficilis actus, quantum est ex parte hominis, maximè in vltimo vitæ termino.*

17 *Viaticum non tenetur* Parochus *ministrare, cum periculo vitæ, sicut nec extremam vnctionem, & nu.* 18. *excepto vno casu num.* 19.

Resolutio LXXVIII.

1 MInistri huius Sacramenti sunt sacerdotes, vt fuit declaratū per *Trid. sess.* 14.*cap.*3.*sub hoc tit.* per eamdem Iacobi authoritatem, de qua supra *in introd. n.* 3. *ibi inducat præsbiteros, &c.* ita etiam *D. Tho.par.*3.*in suppl.qu.*31.*art.*3.*Catech.Rom. hoc tit. n.*13.*Tolet. eod. tit.cap.* 2. *n.*1. vndè si laicus, vel etiam diaconus illud administraret, sacramentum non conficeret, quamuis in casu necessitatis idem *Sanctus ibidem art.*1.*&* 2. dicat, & certum est valere baptismum ab ipsis collatum, differētiæque notam rationem assignet, quarè etiā licitè conferatur, & nō extrema vnctio, quia st. baptismus est sacramentum necessitatis, quod non est vnctio. Imò addunt
2 *Nugn.& alij apud Bonac.disp.*7.*q.vnica pun.* 4.*n.*2.nec posse prædictos etiam de licentia Episcopi, vel Pontificis, quia Christus ipse instituit pro ministris dicti sacramenti sacerdotes, & non alios, quod generaliter ex *DD. Ambr. Hieron. Layman. & alijs* docuit etiam *Regens cap.latr.decis.*12. *n.* 12. & licet de quibusdā in Aegypto legatur oleum ad infirmos per non sacerdotes misisse, & eos vnxisse; illas tamen vnctiones non fuisse sacramentales, sed fuisse vnctos ex quadam recipientium deuotione testatur *Sauc. d. art.* 1. *ad* 2. adeo quod de fide hoc esse asserat *Bellarm. sub eod. tit. num.* 4.

3 Quamuis autem quilibet sacerdos validè administret hoc sacramentum etiam
si sit excommunicatus, vel degradatus, vt
obseruat *Bonac.cit.n.*3. grauissimè tamen
peccat iuxta *Henriq. lib.* 3. *cap.*13. *n.*3. sicuti
grauiter quoque peccaret, si non excommunicatus,
vel nullo modo à iure suspensus, vel impeditus facultatem mini-
4 strandi ab Episcopo, vel proprio Parocho
non haberet; Imò sacerdotes regulares
non regularibus ministrantes, excommunicationē
ipso facto incurrerent ex *Clem.* 1. *de priui. Sotus in* 4.*dist.*23. *q.*2.*art.*1. *Tolet.cit.cap.*2.*n.*2. *Sylu. v.vnctio nu.* 4. *Tabie.*
5 *eod. n.* 6.*Bellar.vbi supra* Sed posse quemlibet
istorum licitè ministrare in casu, quo
moribundus pœnitentiam, vel Eucharistiam
suscipere non posset ob grauitatem
infirmitatis nec adesset Parochus, vel alius,
non impeditus, qui hoc facere posset,
docet cum multis *P.Dian.par.*5.*tract.*3.
*resol.*89. *& tract.*10.*resol.* 77. *& ante eum Valent.to.*4.*di.*8.*q.*1. *pun.*2. *Henriq.& alij
apud Bonac. cit. n.* 6. quia dum ex impossibilitate,
vt supponitur recipiendi alia Sa-
6 cramenta, non potuit ex attrito fieri contritus,
posset hoc consequi per istud, &
propterea ob salutem æternā infirmi permittatur;
imò etiam si moribundus fuerit
confessus, & ideo hoc Sacramentum, non
esset simpliciter necessarium iuxta *Præpos. & alios apud eumdem Dian.par.*5.*tract.*3.*resol.*81.
*& tract.*9.*resol.*83.§. *igitur*, quia etiam
isto casu prodesset ad resistendum
diabolo, & ad remissionem venialium
postea fortasse commissorū, quibus adde
Coninc.quæst. 64.*art.* *dub.*2. *n.*48. *in fine.*
7 Contrarium omnino docent *Suar.disp.*44.
*sect.*2. *n.*6.*Ochau. hoc tit.q.*10. *n.*3. *Villalob.
in summa to.*1.*tract.* *diffic.*6. *n.*6. *Filliuc.
to.*1.*tract.*3.*n.*97.*& alij* asserentes, hoc nullo
modo permitti excommunicatis, & alijs
impeditis, vt supra, quia non est sacramentum
necessitatis, & dum videmus
Ecclesiam non permitti dari, vel accipi
tem-

tempore interdicti, à fortiori videtur negare eius administrationem excommunicatis, cum excommunicatio sit omnibus alijs censura durior.

8 Si autem Parochus nollet hoc Sacramentum ministrare, nec vellet licentiam ministrandi alijs concedere, essetque periculum in mora, asserendum sine dubio est posse quemcumque sacerdotem, canonicè tamen non impeditum, illud ministrare exquirentibus, quia Parochus eo casu iniquè agere videretur, cui non est fauendum, vt rectè docet etiam *Suar. d. sect. 2. n. 3.* addens si hoc posset fieri sine violentia, vel scandalo; *Henriq. lib. 3. cap. 13. n. 4. ex Caiet. Nauar. Cardin. & alijs, Layman. lib. 5. tract. 8. cap. 6. n. 2. Regin. lib. 28. n. 61.* & alij volentes posse inferiorem sacerdotem, etiam regularem, renitente Parocho hoc officium in casu prædicto exercere sequitur *P. Dian. par. 3. tract. 4. resol. 170. §. notandum, & par. 5. tract. 3. resol. 82.*

9 Imò & quod magis est, si infirmus ex alio impedimento confiteri, & communicare non potuisset, necessitas vrgeret, & Parochus absens esset, tenetur simplex sacerdos infirmum vngere sub mortali, & necessitate non adeo graui existente, sub veniali *Henriq. cit. & Layman. tract. 7. cap. 7. nu. 3.* ex Palud. & alijs, quos etiam sequitur idem *Dian. d. resol. 170. §. ad secundum, & par. 9. tract. 7. resol. 43.*

10 Quod si Parochus morte, vel alio morbo præuentus, nequeat sacramentum cæptum complere, non debet alius sacerdos partes inunctas iterum inungere, sed solum reliquas partes non inunctas *D. Tho. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. quæstiunc. 2. ad 3*: quia quamuis in Eucharistia, si post consecrationem panis, moriatur sacerdos, possit alius sacerdos consecrationem vini incipere, vbi ille dimisit, vel etiam incipere à capite supra aliam materiam, tamen in extrema vnctione non potest à capite incipere, sed debet semper procedere; quia vnctio in eadem parte facta idem est, ac si consecraretur bis eadem hostia; quod nullo modo faciendum est, nec tamen ministrorum pluralitas tollit vnitatem sacramenti, quia instrumentaliter tantùm operantur, mutatio autem malleorum nō tollit vnitatem operationis fabri. idem volunt *Sotus ibidem Tolet. cit. nu. 4. Filtiuc. tract. 3. cap. 5. n. 134. Molfes. to. 1. tract. 4. cap. 3. n. 54.* quibus propterea minus rectè contradicunt Doctores aliqui apud *Dian. par. 5. tract. 3. resol. 87.*

11 Potest autem idem Sacramētum à pluribus sacerdotibus, si periculum esset in mora conferri, vno vnam, altero, alteram partem vngentibus, prolata in singulis vnctionibus debita forma, ob necessitatem suscipientis, & timorem ne tempus, & subiectum deficiant, vno tamen vngente independenter ab alio *Suar. disp. 43. sect. 2. n. 8.* at verò sine necessitate hoc facere illicitum esset *Tabien. & Tolet. cit. ambo n. 5. Bonac. pun. 4. n. 7.* vbi addit esse mortale, id agere sine necessitate.

12 Item notandum inualidum esse sacramentum, si vnus sacerdos vngeret, & alius formam proferret, quia non verificaretur sensus verborum formæ supra relatæ ibi (vngentes eum, orent) ergo idem sacerdos, qui vngit, debet formam proferre, vt in simili dictū est supra resol. 7. n. 5. de baptismo, qui inualidus est vno effundente aquam, altero formam proferente, vt de communi tradunt etiam *Suar. vbi supra n. 2. & 3. Nugn. par. 3. q. 31. art. 3.*

13 Sed pone quod sacerdos dum mandat reuolui infirmum ad vnctionem peragendam in renibus, inter reuoluendum moriatur, num ipse sacerdos sit irregularis, quasi causam dederit accelerandæ mortis *Bonac. ex Soto Possen. & alijs d. pun. 4. n. 10. in fine.* respondet negatiuè, quia irregularitatem nullus contrahit, nisi in iure exprimatur, sed fallitur, quia benè contrahitur ab inferente mortem, vel eam quomodocumque accelerante, vt infra v. irregularitas; sed ratio vera est, quia sacerdos dat

14 operam rei licitæ; Etenim si sacrista pulsando campanam, illa propter pulsationē cadente, vel tintinnabulo, quis ex alterntro percussus moriatur, irregularitas non cōtrahitur *c. Ioannes, & cap. significasti de homicid.* qui est fortior casus, ergo multo minus contrahi poterit rem exercendo sanctiorem, qualis est sacramenti confectio ad bonum eiusdem infirmi.

15 Ad secundum huius quæsiti occasione quærit *Suar. disp. 44. sect. 3. nu. 1.* etiam de pœnitentia, & viatico, & circa illud Sacramentum, cum sit necessitatis, communem dicit esse opinionem *ex D. Tho. Adr. & alijs*, affirmatiuam, quod verissimum arbitror; ratio est, quia cum pœnitentia sit medium necessarium ad salutem, non potest Parochus, cui ex officio commissa

est

est salus animarum suos subditos deserere in extrema spirituali necessitate laborantes; nec valet dicere posse talis sibi per contritionis actum subuenire, nam ista est
16 difficilis, quantum est ex parte hominis, vt percipitur *ex Ioele Propheta cap. 2.* eum includere debeat saltem implicitè Dei dilectionem super omnia, vt dictum est supra v. contritio, & erescit difficultas eo tempore propter corporis debilitatem, salutisque corporalis solicitudinem, & applicationem, nimiumque timorem, ex quo potius tunc homo mouetur, quam ex amore, vt benè discurrit *Suar. ibidem nu. 4. 13. 14. & 15.*
17 De Viatico autem etiam affirmatiuam amplectitur ibidem *n. 17.* sed nullum doctorem pro hac sua opinione affert, quæ propterea corruit ex ratione à contrario supra relata casus antecedentis, quia st. non est sacramentum necessitatis; quod implicitè fatetur idem Suar. ibidem *n. 20.*
18 vbi rectè docet non teneri Parochum cũ periculo vitæ ministrare Sacramentum extremæ vnctionis contagij tempore eadē supradicta ratione, quia non est necessarium ad salutem, sed viaticum, neque est necessarium, vt dictum est; ergo sicuti nō tenetur ad illud, neque ad istud; vbi enim est eadem ratio, eadem est iuris dispositio §. *pari ratione instit. quib. mod. ius patr. potest. soluitur*, & §. *si igitur in fine instit. quod cum eo qui in aliena potest.* Huius opinionis fuit *Maior. dist. 23. q. 1.* & confert doctrina *D. Tho. opusc. de perfect. vitæ spirit. cap. 14.* sed plus hoc, nempe neque teneri ad pœnitentiam ministrandam in casu prædicto dicunt *Armil. v. Episcopus n. 6. Tabi. eod. v. n.*
19 *5. vbi alij*, quod ego non recipio, vt supra dixi; verum si tales infirmi ob aliquid accidens non potuissent recipere pœnitentiam, quia per viaticum possent fieri de attritis contriti, recipiendo primam gratiam, vt dicetur *in seq. resol. n. 9. & 10.* tunc dico obligari sub mortali Parochum ad dandum viaticum, vel sacramentum vnctionis.

Agitur de subiecto Extremæ Vnctionis.

SVMMARIVM.

1 *Extrema vnctio quibus, & in quo vitæ statu conferenda sit? & an sanis collata conficiatur Sacramentum? nu. 2. Non est tribuenda præliaturis, vel per mare ituris, nec ad mortem damnatis, nec mulieribus prægnantibus, nisi quando in periculo mortis constituantur num. 3. Nec pueris, vel furiosis rationis vsu carentibus, nisi isti antequam in furorem inciderint, eam explicitè, vel implicitè petijssent: quo casu posset dari in furore constitutis, & etiam resistentibus ligari n. 4. 5. & 6.*
7 *Attritio non sufficit regulariter ad suscipiendam extremam vnctionem cũ fructu, quãdo quis pænitentiæ sacramentum non suscepit, secundum Bonac sed fallit in furiosis, & quando sanus ob aliquod impedimentũ non potuit confiteri n. 9. & 10.*
8 *Extrema vnctio supponit per se gratiam in subiecto, quia est sacramentum viuorum, nec est instituta ad primam gratiã tribuendam, sicuti baptismus, & pænitentia. Est conferenda sub conditione, si viuit, quando vngendus grauì morbo laborans, dubitatur an sit viuus, vel mortuus. n. 11. si infirmus eã recipere nolit ex contemptu, vel cum aliorum scandalo peccat mortaliter, secus si ex negligentia n. 12.*
13 *Minister extremæ vnctionis debet esse distinctus à suscipiente, aliàs non conficitur sacramentum. sed an licitè possit conferri, & suscipi ante pænitentiam, vel Eucharistiam, si præcedat contritio n. 18. & sub n. 19. & quid de consuetudine Ecclesiæ n. 14. vsque ad 18.*
16 *Erubescimus cum sine lege loquimur, & consuetudo est pro lege seruanda.*
19 *Attritum quem fieri contritum, an verificetur etiam in sacramento extremæ vnctionis.*
20 *Contritio non sufficit secundum Trid. absque confessione ad Eucharistiam suscipiendam, nisi deficiente copia confessarij.*
21 *Extrema vnctione in suscipienda requiritur actualis deuotio, sicuti in Eucharistia.*

Resolutio LXXIX.

1 SVbiectum huius sacramenti sunt omnes, & singuli homines christiani de vita corporali periclitantes, & rationis vsum habentes; vndè solum viatores, qui sunt capaces gratiæ, vel eius augmenti, non

non autem illi, qui sunt in termino id accipere possunt, nec illis qui sano corpore sunt est tribuendum, vt *ex Apost. docet Catech. Roman. sub hoc tit. par. 2. cap. 6. n. 9.* quia cum non modo animæ, sed etiam corpori medicinam afferat, certum est, eos tantum qui morbo laborant, curatione indigere, imo, & quod magis est, si graui, seu lethali morbo, non affecto tribuatur sacramentum, nec confici docent *Suar. to. 4. disp. 42. sect. 2. n. 4. aliique apud Dian. par. 9. tr. 6. resol. 45. Bonac. disp. 7. q. vnica pun. 5. nu.*

2 5. Sed non est expectanda vltima hora, quare in eod. Catech. subditur grauissimè peccare eos, qui illud tempus ægroti vngendi obseruare solent, cum iam omnis salutis spe amissa, vita, & sensibus carere incipiat; Constat enim ad vberiorem sacramenti gratiam percipiendam, plurimũ valere, si ægrotus cum in eo adhuc integra mens, & ratio viget, animique religiosam voluntatem afferre poteſt, sacro oleo liniatur *Trid. sess. 14. cap. 3. hoc tit. D. Tho. in 4. dist. 23. q. 2. art. 2. Suar. cit. sect. 1. n. 1. Sylu. v. extrema vnctio n. 5. Molfes. to. 1. tract. 4. cap. 3. n. 35.* quod si infirmus reperiatur in illo vltimæ horæ statu, non propterea est sacramentum denegandum sub pœna nouæ culpæ *Suar. ibidem n. 9. in fine.*

3 Item non est tribuendum periculosam nauigationem subituris vel prælium inituris, etiam si certa mors immineat, vel ad mortem a iudice damnatis, etiam si tũc ad supplicium rapiantur *D. Tho. cit. & par. 3. in supplem. q. 32. art. 1. Catech. vbi supra Belarm. lib. 2. dist. 8. cap. 2. Suar. in d. sect. 2. n. 6.* vbi ait omnes hoc dicere addit Bonac. n. 4. mulieres prægnantes; sed non esse denegandum tàm istis parientibus in vitæ periculo existentibus, quam illis, qui post prælium ex vulneribus acceptis in simili vitæ periculo constituti reperiantur; cessat enim his in casibus ratio denegandi, & consequenter eius dispositio *l. adigere §. quamuis ff. de iure patron.* quod etiam aduertit *Suar. d. n. 6. in fine.*

4 Diximus non esse conferendum rationis vsu carentibus, pueris st. infra septemnium, vel furiosis, nisi interdum isti rationis vsum habuerint, eoq; tẽpore pij animi significationem dederint, vt sacro oleo vngerentur; etenim qui ab ipso ortu, nũquam mentis, & rationis compotes fuerunt, vngendi non sunt, quia isti nihil differunt à pueris *D. Tho. in 4. dist. 23. qu. 2. art. 2. quæstiunc. 3. & par. 3. in supplem. q. 32. art. 3. & 4. Catech. & Belarm. locis cit. Bonac. d. pun. 5. n. 2.* & addit P. *Dian. par. 5. tract. 3. resol. 84.* casu, quo in statu sanæ mentis hoc expressè, vel etiam implicitè petiissent, vt est per receptionem aliorum sacramentorum, (vel erant bonæ vitæ secundum *Sylu. hoc tit. sub n. 5. ex D. Thom. ibidem cit.* quia supponitur petituros si valerent) posse postea in furore manentes ligari, & fortiter teneri, si restiterint, vt Sacramentum prædictum recipiant, seclusis tamen laicis ad tollendum scandalum, cum certum sit, eo in statu aliud sacramentum recipere non posse, & fortè cum isto saluos futuros ex attritione saltem præcedenti in sta-

5 tu sanitatis; Pueris tamen si dubitetur, an lumen rationis accesserit, est tribuendum cum conditione, si sunt capaces DD. apud eundem *Dian. par. 5. tract. 3. resol. 85. ex Sancio disp. 27. nu. 17. Lugo de Eucharist. disp. 13. sect. 4. n. 41. & alijs.*

6 Ergo si constet illos amisisse rationis vsum in statu mortalis, non est tribuendũ; nam tunc esset graue peccatum dare sacramentum homini habenti obicem, vt loquitur *Suar. d. sect. 1. n. 8.* quia non sunt administranda sacramenta indignis *Filliuc. tract. 3. cap. 6. n. 135. Pitigian. Possen. & aly apud Bonac. disp. 7. pun. 5. sub n. 1.* qui addit sub n. 2. non eandem dispositionem sufficere ad recipiendum hoc Sacramentum cum fructu, quando recipitur ab eo, qui est mentis compos, & quando ab eo

7 qui rationis vsu caret; Nam in primo casu ait, non sufficere attritionem, si recipiens sacramentum, aduertat se habere conscientiam peccati mortalis, quia ponit obicem ad gratiam, in secundo verò casu sufficere citat *Henriq. lib. 3. cap. 10. n. 2. cap. 11. n. 9. & alios.* sed cum idem obex ad gratiam videatur poni tàm in primo, quàm in secundo casu, non assignat rationem diuersitatis, licet doctrina in se vera sit, vt infra.

8 Eam tamen rectè tradit *Suar. disp. 41. sect. 1. sub n. 19.* dicens, quod ideo in primo casu non sufficit, quia hoc est Sacramentum viuorum, licet debilium, quod propterea supponit per se gratiam, nec ex directa intentione institutum est ad illam primo conferendam; est ergo contra institutionem huius sacramenti, quod quis sciens, & videns se esse in statu mortalis, illud

lud ſuſcipiat, quantumuis attritus. Item ſecluſo ſacramento pœnitentiæ, aut baptiſmi obligat naturale præceptum contritionis, quia illud erat per ſe medium neceſſarium ante ſacramentorum inſtitutionem ad remiſſionem peccatorum, quæ neceſſitas non ceſſat, niſi interueniente alio medio ad eũdem finem per ſe inſtitutum, quod de hoc ſacramento, ſicut de illis dici non poteſt, alias eſſet per ſe inſtitutum hoc ſacramentum in remedium peccati, ſicut pœnitentia; quòd planè falſum eſt.

9 Atque hinc fit, vt regulariter, & per ſe loquendo, neceſſaria diſpoſitio ſit, ſtatus gratiæ, & conſequenter, vt is, qui cõſcientiam habet mortalis, prius dignè cõfiteatur, vt infra. In ſecundo verò caſu, ideò ait Suar. ſufficere attritionem ante furorem expletam, quia non eſt amplius durante furore furioſus in ſtatu confitendi, vel conterendi, & propterea dũ impoſſibilia ſunt ei alia remedia, rationabile eſt ſuccurri eo modo, quo poſſibile ſit, & hoc in caſu de attrito fieri contritum, etiam per hoc ſacramentũ, ſicuti & quando nõ furioſus probabiliter putauit ſe cõtritũ, deficiẽte confeſſario, vel putauit ſufficere attritionem, quod de hoc ſacramento dicit *d. n. 19. in princ.* eſſe certum, de alijs probabile.

10 Idem pro abſoluto, cum eadem attritione putata contritione, quando infirmus non poteſt ex quocumque accidenti ſuſcipere pœnitentiam docet tàm de iſto Sacramento, quàm de alijs *Henriq. lib. 3. cap. 9. n. 1. lit. D. ex D. Tho. Nauar. Soto, & Victor. & cap. 10. n. 2. lit. C. ex Palud. & alijs*. ſed clarius idem probant *Coninc. de ſacr. in genere q. 62. dub. 2. n. 42. & 43. Regin. lib. 26. c. 6. ſub n. 45. P. Dia. par. 5. tr. 13. reſ. 31.* qui hoc extẽdit ad omnes caſus, etiã extra periculum mortis, dummodo attritio ſit putata contritiò, vt dictum eſt, ſed adeſt doctrina *D. Tho. à predictis non cit. in 3. par. q. 72. ar. 7. ad* 2. vbi hoc docere videtur de cõfirmatione, ſed quia ratio quã adducit, eſt generalis, poteſt intelligi de omnibus Sacramentis, quã doctrinã interpretãdo dico attritionem ſufficere, quãdo ex defectu confeſſarij, & mortis vrgente periculo non poteſt ſuſcipi pœnitentiæ Sacramentum, & tunc quodcumque aliud ſufficere, aliàs ſi generaliter hoc eſſet verum, fruſtra eſſet inſtituta pœnitentia, obſtante maximè *Trid. ſeſſ. 13. cap. 7.* vbi præcipitur, quod nemo mortalis conſcius ad Euchariſtiam accedat abſque præmiſſa ſacramentali confeſſione; idem ex prędictis dico; quãdo ob aliquã iuſtã cauſam puta ob vitãdum graue damnum propriũ, vel ne detegatur complex, & ſimilia taceatur aliquod peccatum in confeſſione.

Imo ſufficere ſolam attritionem, ſi neque ſit putata contritio, docet ex *Dicaſt. idem P. par. 11. tract. 8. reſol. 45. §. ſed hic*, & rectè ſubdit ibidem *§. notandum ex Suar. & alijs*; teneri poſtea pœnitentem tranſacto periculo de peccato, ſeu peccatis non confeſſis confiteri, ſicuti etiam in priori caſu ob defectum confeſſarij, vt docet *Regin. d. n. 46. in fine*. vbi ait obligare præceptum ad illa ſubijcienda clauibus data poſtea opportunitate, perinde ac cum extra Sacramẽtum, eadem remittũtur per actum perfectæ contritionis, cum eadem obligatione poſtea confitendi, & ſicuti in iſto caſu, ſi mors ſequeretur, confeſſario non habito, ſalus omninò contingeret, ita in illo, de quibus dictum eſt etiam ſupra *reſol. 45. n. 2.* Quod autem dicunt præcitati DD. & alij, *D.* Tho. excepto, de dicta attritione putata contritione, Ego vt verum fatear, non capio, etenim ſi quis cum putata attritione accederet ad Sacramentũ pœnitentiæ, gratiam non acquireret, ceſſãte vera attritione, quia vt dictum eſt ſupra v. contritio, illa eſt priuata deceptio, & Trid. requirit attritionem veram, non putatam, ergo idem proportione ſeruata, eſt dicendum de hac attritione putata contritione, vt ſr. ſalutem non operetur in caſibus, in quibus requiritur contritio, & propterea D. Tho. cit. loquitur de imperfecta contritione, quæ dicitur attritio, vt etiam docet *Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. de pœnit.*

11 Quod ſi dubitetur, an vngendus viuus ſit, vel mortuus, adminiſtrandum eſt Sacramentum ſub conditione, ſi viuit, nam ſi obijſſet ante quintam vnctionem, non eſſet Sacramentum confectum idem *Henriq. cit. cap. 12. num. 4. Eman. Sà, hoc tit. num.* 15. ſi autem infirmus non ſuſciperet hoc Sacramentum ex contemptu, vel cum ſcandalo aliorum, mortaliter abſque dubio peccaret *Trid. ſeſſ. 14. hoc tit. cap. 3. in fine*. ſecus verò ſi ex negligentia, cum nullus extet præceptũ, obligans ſub mortali ad illud ſuſcipiendum *Suar. to. 4. diſp. 44. ſect. 1. à n. 1. vſque ad 8. Henriq. cit. cap. 10. n. 3. ex magiſtr. ſentent. in 4. diſt. 23. Eman. Sà vbi ſupra n. 5. ex D. Tho. in eod. 4. diſt.*

dist. 23. art. 1. q. 3. ad 1. Tolet. hoc tit. cap. 3.
13 *n. 7.* Item notandum est ministrum huius sacramenti, debere esse distinctum à suscipiente, sicut dicunt omnes de baptismo, non enim potest quis dicere vngo me, sicut nec baptizo me, quia non verificarentur verba formæ, ibi orent super eum, vngentes eum &c. *DD. apud P. Dia. par. 5. tract. 3. resol. 94.*

14 Vltimo quæritur, vtrum peccet mortaliter suscipiens, vel etiam conferens hoc sacramentum ante pœnitentiam, vel Eucharistiam exceptis casibus prædictis? respondet *Suar. cit. n. 8. & 9.* de consuetudine Ecclesiæ seruari præmitti huic sacramento illa; vnde videtur hoc etiã sub præcepto cadere; quod tamen in discursu materiæ negat, dicens consuetudinem non esse sub hac obligatione receptam, præcipuè circa Eucharistiam, & proinde posse vnctionem ante illam conferri, & suscipi; ante verò pœnitentiam regulariter minimè, sed non ex vi ordinis sacramentorum, cum ad hoc suscipiendum sufficiat contritio, nec reperiatur speciale præceptum, vt confessio ante illud præmittatur, idem voluit de vtroque sacramento *Bonac. hoc tit. to. 1. disp. 7. q. vnica pun. 5. nu. 15.* ea ratione, quia potest infirmus per contritionem se disponere ad suscipiendum hoc sacramentum.

15 Sed in Catech. Roman. *sub eod. tit. n. 12.* legitur seruandam esse Ecclesię consuetudinem perpetuam, vt ante extremam vnctionem, pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentum administretur, idem docet *Bellarm. lib. 2. dist. 8. n. 3.* ex quibus videtur non posse regulariter conferri, nec suscipi absque peccato, illis non præcedentibus; scitum est enim, operari contra consuetudinem vniuersalem Ecclesiæ, maximè in materia graui, vt est Sacramentorum, mortale esse; nec prodest dictum Suar. non fuisse receptam sub hac obligatione; gratis enim hoc asserit, nec oportet dicere, sed probare; quia erubescimus
16 cum sine lege loquimur §. *consideremus auth. de trient. & semisse*; *ibique Gl. v. erubescimus, & in extrauag. execrabilis v. sublimitatem in margine de præben.* consuetudo n. antiqua pro lege seruatur *cap. in his dist. 11. cap. diuturni dist. 12. & cap. conquestus 9. q. 3.* & in specie quãdo est generalis cõsuetudo Ecclesiæ, ita mandat *Grego. in c. contra morem dist. 100.* ergo multo magis cõsuetudo immemorabilis, de qua testatur Catech.

17 Et quod vlterius addit *Suar. d. n. 8. circa finem* esse intelligendum Catech. de sola pœnitentia, non de Eucharistia, vel quod loquatur de consuetudine Ecclesiæ maiori ex parte, non autem de omnibus eius Prouincijs, & Regionibus, manifestè refellitur; primum enim gratis dicitur cum Catechismus loquatur expressè de vtraq; & secundũ est contra *l. de pretio ff. public. in rẽ act.* vbi lege nõ distinguẽte, nec nos distinguere debemus, & alia Iuris principia, per quę ẽt si locutio esset indefinita, ęquipolleret vniuersali *l. si necessarias §. si annua ff. de pignor. act.* magis ergo in casu isto, vbi est definita; siquidem prius debent suscipi, & conferri sacramenta necessaria, vt est pœnitentia, & etiam Eucharistia, quæ est in præcepto, & postea vtilia, vt est vnctio, quæ dicitur Sacramentum consummatiuum aliorum *Henriq. lib. 3. cap. 10. nu.*
18 *4. & aly lit. L.* Fallit tamen hæc regula loquendo de Eucharistia propter vomitũ infirmi, si talis esset, vt non posset particulam retinere, aut si de alia simili irreuerentia dubitaretur, vel si post primam vnctionem morte dilata, iterum esset suscipienda; quibus in casibus rectè loquũtur *ijdem Suar. & Bonac. cit. sequitur Filliuc. to. 1. tract. 3. cap. 5. n. 114.* Et similiter fallit in pœnitentia, quotiescumque infirmus ita fuerit morbo præuentus, vt loquelam amiserit, *Barbos. Filliuc. & aly apud Dia.*
19 *par. 5. tract. 3. resol. 92.* Et tunc procedit consequenter prædicta regula ex attrito quem fieri contritum etiam per hoc sacramentum, vt diximus supra n. 10.

Confirmatur *ex Apost. ad Corinth. c. 11.* vbi loquens de Eucharistia ait, qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi mãducat, & bibit; idem legitur *in c. qui scelerate, & c. timorem de consecr. dist. 1. & in Trid. sess. 13. cap. 7.* ex illis verbis eiusdem Apost. *ibidem probet autem se ipsum homo & cæt.* eam probationem declaratur necessariam esse, vt nullus sibi conscius morta-
20 lis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat, modo non desit copia con-
21 fessarij. Sed simile est de hoc sacramento, & de extrema vnctione, quæ exigit actualem deuotionem, sicut illa, ait *Tabie. v. vnctio sub n. 7. ex mente & verbis D. Tho-*

*D.Tho.ibidē cit.*ergo sicut in illa prærequiritur confessio, ita in ista; ex vno n. casu infertur ad alium similem *l.non possunt ff.de legib.* & quod disponitur in vno de æquiparatis disponitur in alio *l. 3. §. proinde ff. de in rē verso,§.cū autem versic.pari ratione instit. quib. mod. ius patr.potest.solu.* Quod autem subditur de illa, quod deficiente copia Confessarij sufficiat contritio, aut attritio, vt supra, numquam, vel rarissimè potest huic vnctioni applicari, quia idem sacerdos, qui vngit; potest confessionem audire, vt ait idem *Suar. d.n.7.* (nisi morbus impediret loquelam, quæ est fallentia regulæ, vt etiam supra dictum est) non enim potest non sacerdos vngere, vt supra *resol. 78. n. 1.* regulariter ergo verum est non esse recipiendum Sacramentum vnctionis ante pœnitentiam, & Eucharistiā, nisi in casibus supra notatis.

De effectibus Sacramenti Extremæ vnctionis, & de ritibus, & cæremonijs illius.

SVMMARIVM.

1 *Extremæ vnctionis effectus varij recensentur & n. 2. 6. & 8. vsque ad 14. Eius ritus, & cæremonia n. 15.*

3 *Peccata commissa faciunt hominem pronio. rem ad malum, & tardiorem ad bonum, & quæ dicantur peccatorum reliquiæ? num. 4.*

5 *Fomes peccati, habitusque mali ab eo prouenientes si non tolluntur radicitus per sacramentum vnctionis secundum aliquos, saltem debilitantur potentius per istud, quam per cætera sacramenta.*

7 *Mortis timor, naturaliter est insitus homini ob triplicem causam, & angeri solet in illo instanti.*

9 *Diabolus numquam magis fortius insistit, vt animas perdere faciat, quam in vltimo conflictu.*

16 *Orationes in Rituali Romano scriptæ circa administrationem sacramenti vnctionis, an possint absque peccato omitti ab illud conferentibus? & n.17,& 18.*

19 *Extremam vnctionem Parocho ministrante, si desit Clericus, num peccet mortaliter recitando absque eo preces? & quid si recitet cum femina, vel sine indumētis consuetis,& quid si fine luminibus? & num. 20.*

Resolutio LXXX.

1 QVis sit proprius, & primarius effectus huius Sacramenti latè disputant DD. *in 4. dist. 23. & summista v. vnctio*; alij enim dixerunt esse remissionem venialium, alij tollere reliquias præcedētium, tàm originalis, quàm actualium mortalium, & venialium; alij institutum ad exhilerandum animum infirmi, alij tandem ad disponendam animam ad introitum Gloriæ, omissis cæteris, de quibus infra; Verum quia omnes concordant facere hoc sacramentum effectus relatos, omissa disputatione qualis st.relatorū sit effectus primarius Sacramenti, & qualis secundarius, vti non necessaria, aliqua secūdum nostrū institutum in eorum cōfirmationē illis reassūptis breuiter adducemus.

2 Quod ergo tollat venialia certū est *ex Trid. sess. 14. hoc tit. c. 2. & can. 2. Catech. Rom. par. 2. eod. tit. n. 14. Bellar. lib. 2. dist. 8. c. 3.* Ad remissionem n. mortalium vtrobique legitur institutū esse baptismum, & pœnitentiam, vt in priori resol.sed remittuntur venialia tàm per istud, quàm per cætera Sacramēta non ponenti obicem, potentius autem per istud, vt infra *Suar. to. 4. disp. 41. sect. 1. n. 16. & 21. & DD. communiter.*

Secundo liberat animam à languore, & infirmitate, quam ex peccatis contraxit, & à peccatorū reliquijs; etenim 3 peccata commissa reddunt cor hominis magis pronum ad malum, & minus ad bonum; quæ debilitas animæ, iam pænitentiæ Sacramento sanatæ, dicitur reliquię peccatorum, quæ in hoc Sacramento saltem debilitantur, vt statim dicam *Trid. Catech. & Bellarm. loc. cit. D. Tho. Albert. & alij apud Suar. cit. n. 10. Bonae. to. 1. disp. 7. q. vnica n. 1. ex Valent. Pitig. Nugn. & alys*: Sunt etiam istæ reliquiæ iuxta eundem Suar. fomes ex peccato originali oriens, & remanens post baptismum, & habiens praui, & phantasmata relicta ex peccatis actualibus, à quibus pronenit pronitas ad malum, & torpor ad bonum, quæ non tolluntur radicitus per hoc Sacramentum, præcipue si salus corporalis recuperetur, sed verum est confortare animum ad hæc vincenda, sicuti cætera sacramenta per collationem gratiæ, quæ est fundamentum, & principium totius roboris, & fortitudinis spiritualis, hocque docet experientia, cum videa-

videatur post infirmitatem redire ad hominem oleo sacro vnctum tàm fomitem, quàm habitus prauos, & phantasmata, sed quia tot, & tanti DD. præcipue *D.Tho.in 4.dist.23. q.1.art.2. quæstiunc.1. in corp.in fine*, tribuunt effectum prædictum huic Sacramento in particulari, dicendum est saltem, istud potentius, quam alia hoc operari, quod idem dici potest de venialibus, vt supra.

6 Tertio iuuat, & confortat animum ægrotantis contra difficultates illi occurrẽtes in articulo mortis, & propter hoc esse principaliter institutum contendit *Suar. cit.n.11.* innixus verbis Iacobi supra relatis ibi, *& alleuiabit eum Dominus*, & rationi, quia per reliqua Sacramenta sufficienter subuẽtum erat hominibus pro necessitatibus omnibus, in decursu huius vitæ occurentibus, & solùm supererat necessitas articuli mortis, quæ cum maxima sit, viribus præsertim corporis deficientibus, propterea fuisse hoc sacramentum institutum ad confortandum animum infirmi in tali

7 periculo constituti. Quæ tamen difficultas in eo consistere videtur, quod cum hominibus naturaliter insitus sit timor mortis; ob triplicem causam is augeri solet, primò ex naturali conditione, secundò ex memoria præteritorum scelerum iuxta illud *Sapient. c. 4. in fine venient in peccatorũ suorum cogitationem timidi*, tertiò, quia cogitant paulo post redituros rationem ante Tribunal Christi, etiam de omni verbo otioso, ex quibus, virtute huius Sacramenti liberantur *Catech. Roman. & Bellar. loc. cit.*

8 Quartò non solùm liberat hoc sacramẽtum à dictis timore, tristitia, & perturbatione, sed etiam gaudium, & lætitiam infirmo confert, præmij spem auget, & confirmat, eumque paratum reddit ad depositum animæ suæ reddendum, si repererit Dominus voluerit; qua hilaritate roboratus, morbi incommoda, dolores, & labores lenius sustinet *Trid. cit. ex Epist. similiter citat. Iacobi c.5. Catech. & Belarm. vbi supra Suar. disp.41. sect.1.n.13.*

Quintò subministrat arma, & vires, quibus antiqui hostis vim, & impetum frangere, eique fortiter contraire quis pos-

9 sit, nam & si quo ad viuimus, numquam desinat de interitu, & exitio nostro cogitare, nullo tamen tempore, vt nos omnino perdere faciat, ac si fieri possit, spem diuinæ Misericordiæ eripiat, vehementius omnes neruos contendit, quã cum supremum vitæ diem appropinquare aduertit *Catech. cit. n. 15. ex Cyrill. Alex. in lib. de exitu animæ Gregor. lib. 4. moral.c.17. & 18. Io. Clim. in lib. de triginta gradib. gradu 7. Bellarm. vbi supra ex Trid.d.c.2.*

10 Sextò disponit animam ad introitum gloriæ, eam perfectè sanctificãdo per gratiam, auferendo ab ea omne malum ex peccato proueniens, & perseuerantiam tribuendo in bono vsque ad mortem, dũmodo obicem resistentem non inueniat (& propter hoc fuisse secundario specialiter institutum, non sine ratione dicit idem

11 *Suar. cit. n.14.* imò tollit peccata ipsa non solùm venialia, sed etiam mortalia, secundum tamen distinctionem *prioris resol. n. 4. 9. & 10.* quoad omnem culpam, & etiam pœnam, si non totalem, saltem partialem iuxta contritionis, vel attritionis actum remissũ, vel intensum, non solũ, quia verba formæ sunt generalia ibi (quidquid deliquisti,) & lex generaliter loquẽs, generaliter debet intelligi *l. de pretio ff. de public. in rẽ act.* sed etiam quia verbũ delinquere, magis appropriatur mortalibus, quam venialibus *D. Tho. in 4. dist. 33. q. 1. art. 3. q. 2. argum. 2. ex Tob. cap. 4.* Et iuxta

12 prædicta verificantur verba D Iacobi supra pluries relata (*si in peccatis sit, remittẽtur ei*) etenim si eueniret aliqua peccata non fuisse remissa ex casibus supra consideratis, in huius Sacramenti collatione remittentur; quod licet probabile sit de omnibus sacramentis, de hoc tamen longe certius est, quam de cæteris (exceptis baptismo, & pænitentia) nam in cæteris non est ex speciali concessione, sed tantùm generali quadam ratione; de hoc autem est aliquo modo ex propria institutione, & probabili coniectura, tum ex verbis prædictis Iacobi, tum etiam ex Trid. citati interpretatione, & probat *Suar. disp. 41. sect. 1. nu. 16.* vbi merito addit fuisse ordinatum Sacramentum istud ad delenda peccata non omnino per accidẽs.

13 Septimò confert hoc Sacramentum sæpè salutem corporalem *D.Tho. 3. par. q. 30. art. 2.* quod si aliquando non confert ex triplici causa prouenire potest; quia st. vel ad salutem animæ, vel futuram gloriam non expediat (licet pro certo salus animæ tribuatur obicem non ponenti) vel quia suscipiens, infirmus in fide sit; fides enim viua in omnibus requiritur, quia do-

dominus multas virtutes apud suos non fecit propter incredulitatem eorum, vt legitur apud *Matth. c. 13. & Marc. c. 6.* vel tandem, quia modo non sunt necessaria miracula, sicut fuerunt initio nascentis Ecclesiæ, & ideo non semper, vel nõ frequenter restituitur sanitas corporis in hoc Sacramento.

14 Si enim omnis oleo sancto vnctus, sanus fieret, nullus moreretur; certæ autem spei niti debent fideles, se huius sacri olei virtute spiritualem sanitatem consecuturos esse, futurumque vt si eos vita decedere contingat, præclaræ illius vocis fructum percipiant, qua scriptum est, beati mortui, qui in Domino moriuntur; ita percipitur ex citat. verbis *Iacobi*, *ibi*, *& alleuiabit eum Dominus*, *legitur in Trid. d. c. 2. & tradunt Catech. Rom. n. 16. Bellar. d. c. 3. Bonac. to. 1. sub hoc tit. disp. 7. q. vnica pun. 6. n. 1. vbi alij.*

15 Circa secundum respondetur standum esse Rituali Romano, vbi scriptæ sunt preces, & cæremoniæ in hac actione seruandæ, & consuetudinibus locorum, si quæ essent, legibusque Episcoporum in suis Diæcesibus, quibus prætermissis, si periculum non esset in mora, peccaret grauiter Parochus vngens *secundum Bonac. cit. n. 1.* vbi excipit recitationem septem psalmorum, quia solent omitti à sacerdotibus vngentibus absque scrupulo mortalis, nisi tamẽ ab aliquo Episcopo hoc sub præcep-

16 to mandaretur. Quibus videntur quodammodo contradicere *Catech. Rom. cit. nu. 7. ibi nullum est aliud Sacramentum, quod pluribus precibus conficiatur, & Bellarm. d. c. 3. n. 5. Henriq. tamen lib. 3. c. 12. nu. 5. & alij apud eum* non aperiunt, an talis omissio sit mortale, vel veniale, dicunt enim ad Ritum huius sacramenti pertinere orationes psalmorum pœnitentialium, & alias, quæ dicuntur ante, vel post vnctiones, nisi acceleratio mortis cogat dici tantùm necessaria Sacramenti, videtur propterea probabilis opinio *Granad. in 3. par. D. Thom. controuers. 8. tract. vnico disp. 8. n.* 8. qui citat eundem Henriq. & sic loquitur.

17 Si extra casum instantis mortis omitterentur, non credo peccari mortaliter seclusio contemptu, quia non est in manuali verbum, quod indicet hoc esse graue preceptum, vt patet ex Rituali Romano, edito iussu Pauli 5. anno 1617. quod ab omnibus seruari hortatur, licet non pręcipiat; si verò in aliqua synodo sub grani pręcepto id statueretur, obligaret sub mortali extra casum necessitatis, aut magni periculi prouenientis ex cõtagioso morbo hæc

18 ille. Quæ opinio in hoc posteriori casu communiter recipitur, quia potest in suos subditos superior legem ferre maximè iustam, vt est ista, sed in priori ego eam recipio circa omissionẽ psalmorum, & litaniarum, non cæterarum precum in Rituali existentium, & dici solitarum, alias sequeretur nullas preces esse necessarias, saltem necessitate præcepti, & gratis esse scriptas in Rituali, quod vltra absurditatem, esset etiam apertè contra Catech. & Bellarm. cit. conuenio ergo cum Bonac. similiter citato, qui rationabiliter n. 8. excipit in omni casu necessitatem vrgentem.

19 Licet autem Parochus debeat secum habere vnum saltem clericum, cum quo recitet orationes pręmitti solitas ante vnctionem, si tamen ex aliquo casu necessitatis, iste desit, potest solus illas recitare *ex c. quæsiuit de verb. signif. vbi Gl. in v. solus.* imò si femina responderet sacerdoti vngenti in casu similitèr necessitatis, contemptu secluso, non peccare mortaliter ipsam, neque sacerdotem *ex Leandro de sacram. to. 1. tract. 4. disp. 10. q. 22. docet P. Dian. par. 9. tract. 6. resol. 46. §. sed an in*

20 *casu.* Et tandem propter eandem necessitatem dicunt multi DD. posse sine super pelliceo, & stola licitè hoc Sacramentum administrari, quos refert idem *Dian. cit. §. item administranda;* sed hoc negat *Bonac. vbi supra n. 9. ex Suar. & alijs;* Ego verò puto hoc licere, si infirmus esset in statu, vt non posset aliud Sacramentum recipere iuxta documentum *Amic. to. 8. disp. 19. sect. 14. nu. 113.* Sed sine lumine, & absque causa esse tantum veniale notat *idem Leander apud Dian. cit. in fine.*

HAERESIS.

Quid sit hæresis, quot modis quis hæreticus dicatur, à quo possit absolui, an dubius in fide sit hereticus, quique dicatur dubius & de alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Hæresis vnde dicatur? Eius definitio n. 2.*

3 *Hæreticus an dicatur, si quis conculcat (quod absit) hostiam consecratam, vel vescitur*

tur sine necessitate carnibus tempore prohibito, & huiusmodi? Requiritur voluntas, & pertinacia n.4.& 5. Nec talis dicitur, qui totam Christi fidem negat, sed infidelis n. 6.

7 *Error in fide potest esse triplici modo, & quando dicatur heresis & n.9.*

8 *Marcellinus quando thura idolis obtulit, an verè fuerit hereticus?*

10 *Christum ore negans ex timore, vel alia causa, in corde autem eum confitens, non dicitur hereticus, sed peccat grauissime, an autem sit excommunicatus, & dicatur hereticus in foro exteriori? n.11.*

12 *Intrinseca dignoscuntur ex actibus extrinsecis.*

13 *Heresis interior tantum, vel fortius interior, & exterior faciunt hominem verè hereticum, sed an semper sit absolutio reseruata Pontifici, vel eius Inquisitoribus? & n.15. vsque ad 18.*

14 *Occultum dicitur, quod non potest probari per duos testes.*

19 *Papa numquam intendit iuri alterius derogare, & quando gratiam alicui concedit, semper intelligitur sine tertij praeiudicio.*

20 *Regulares si contraxerunt heresim occultã, an possint à suis superioribus regularibus absolui in foro conscientiae?*

21 *Hereticus occultus si nequit absolutionem obtinere ab Inquisitore in foro conscientia, an dum Romam petat, possit ad vitandum scandalum, vel infamiam praeuia contritione celebrare, & n.22.*

23 *Dubius in fide est hereticus, & qui talis dicatur? sed non est talis si paratus sit corrigi, & à quo sit corrigendus? n.24.*

25 *Hereticus an dicatur qui monitus ab Episcopo, vel Inquisitore de suo errore, adhuc persistit in sua falsa opinione, & quid si erret in articulis fidei, vel praeceptis Decalogi? & n.26.*

27 *Ignorantia an excuset in rebus fidei?*

28 *Hereticus an dicatur qui in comedia representat personam Tyranni, loquitur contra fidẽ, vel si in partibus infidelium adhibet eorum vestes.*

Resolutio LXXXI.

1 AD primum dicitur *in c. heresis 24. q. 3. ex D. Hieron. quod heresis grecè ab electione dicitur, quod st. eam sibi vnusquisque eligit disciplinam, quam putat esse meliorem, quicumque igitur aliter scripturam intelligit, quam sensus Spir. Sancti flagitat, quo scripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hereticus appellari potest, & de carnis operibus est, eligens qua peiora sunt,* quem tex. in parte transcribit, & comprobat *D. Tho. 2.2.q.11.art.1. argum.1.* vndè genericè potest phylosophorum aliqua secta dici hæresis, vt *ex Cicer. 14. lib. Epist. ad At-*
2 *tic. epist. 312.* Quamuis malè *Azo. in summa de heretic.* putauerit ab ercisco, quod est diuido, hæreticũ dici, quod reprobat *Petr. Greg. lib. 33. syntag. vniuer. iur. c.4.* de quibus latissimè *Farin. tr. de heret. q. 188. n.30. & seq.*

Definitur autem communiter à Doctoribus, videlicet. est error voluntarius in intellectu hominis Christiani cum pertinacia contra aliquem articulum fidei *Sylu. v. heresis 1. nu. 1. Tol. lib. 4. c.3. n.2. Sanch. in summa lib. 2.c.7.n.1.* dicitur error,
3 idest existimatio veri pro falso, aut falsi pro vero; vndè si quis (quod absit) conculcat hostiam consecratã, vescitur carnibus tempore prohibito, spernit imagines, vel huiusmodi, peccat mortaliter, imò sacrilegè, sed non dum est hæreticus; si tamen existimet ista iure facere, quia credit Christũ nõ esse in sacramento, vel nõ posse Ecclesiam, certis temporibus prohibere esum carnium, aut imagines non esse colendas, errat, & hæreticus est *Trid. sess. 13. c.1. & can. 1. cum multis seq. de sanctiss. Euchar. Sacr. & sess. 25. tit. de inuoc. & vener. & imaginib. sacris,* quod si non sic existimat, sed potius omnia credit iuxta Ecclesiæ traditionem, aliqua tamen ira correptus, illa patratur, non est hæreticus, quia non errat in intellectu, sed præsumitur exterius talis *Tol. cit. n.3.*

4 Dicitur volũtarius, quia sicut assensus fidei oritur ex pio voluntatis affectu, ita hęresis est erroneus assẽsus ex volũtatis electione profectus; Dicitur hominis Christiani, quia infideles, vel catechumeni, qui non sunt baptizati, non dicuntur hæretici, vt cõstat ex *D. Ioan. ep. 1. c.2. & D. Paul. ad Titũ. cap. 3. & ex Tertull. alijsque notat cit. Petr. Greg. c.5. & seq.* Dicitur cum pertinacia, quia licet quis teneat aliquid contra aliquos fidei articulos, vel contra scripturam sacram, sed per simplicitatem, vel ignorantiam, paratus credere quod Ecclesia docuit, & docet per viros sanctos, & doctos; non est hæreticus, quia non habet electionem contradicentem

Ec-

Ecclesiæ doctrinæ, vt patet *ex c. qui in Ecclesia & c. dixit. 24. q. 3. & Clem. 1. §. porrò de summa Trinit. iuncta l. 2. C. eod. tit.* vbi hæresis dicitur obstinatioris animi demētia, ac peruicax temeritas, idem docet *D. Tho. 2. 2. q. 11. art. 2. ad 3.* vbi hoc comprobat authoritate D. Hieron. ad Damasum Papā to. 2. in expositione symboli in fine per hæc verba: *Hæc est fides Papa Beatissime, quam in catholica didicimus Ecclesia, in qua si minus peritè, aut parum cautè forte aliquid positum est, emendari cupimus à te, qui Petri fidem, & sedem tenes, si autem hæc nostra confessio Apostolatus tui iudicio comprobatur, quicumque me culpare voluerit, se imperitū, vel maleuolum, vel etiam non catholicum, non me hæreticum comprobabit.* Quare non rectè videntur contradicere aliqui apud *Gregor. de Val. ad D. Tho cit. ar. 1. vers. sed occurrunt, & apud Farin. tr. de hæret. q. 188. n. 16. & seqq.* vbi omnium opiniones refert, & hæretici requisita latè explanat.

5 Vndè *Caiet. d. art. 2. ad 3.* dicit, quod hæc pertinacia non sumitur pro obdurratione, seu ostinatione, vt distinguitur contra infirmitatem, passionem, vel transitorium, seu leuem consensum, sicut dicitur aliquem fornicari ex passione, vel ex cholera consensisse in malum aliquod, & non pertinaciter; sed sumitur pertinacia, vt æquiualet vero consensui, præsupposita notitia, quod sit error, & quod sit in fide; siue n. ex passione, siue ex infirmitate, siue ex quacumque alia causa peruenıatur ad verum consensum in assensum propositionis contrariæ fidei cum cognitione, quod sit contraria fidei, vera hæresis contrahitur à Christiano; nam talis verè pertinax pro tunc est *Sotus in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. Sanch. in summa lib. 2. cap. 7. nu. 5.*

6 Dicitur tandem contra aliquem articulum fidei, quia errans in scientijs geometricis, vel alijs, quæ non sunt fidei non est hæreticus, vt docet D. Tho. d. art. 2. in corp. nec dicitur talis, qui totam fidem Christi negat, sed solùm qui negat aliquem fidei articulum; negans autem totum, dicitur apostata à fide, seu infidelis *Tol. lib. 4. c. 4. n. 4. Sanch. cit. n. 1.* ex qua definitione, dum dicitur hæresim consistere in errore intellectus, quia secundum Caiet. statim citan-

7 d. potest esse aliquando exterior tantum, aliquando interior tantum, & aliquando coniunctus, dubitari potest an semper sit hæresis.

Qua de re primum exemplificat *Caiet. cit. q. 94. art. 1. vers. ad euidentiam* (habito pro vero de 2. & 3. nullam esse quæstionem vt infra n. 13.) in muliere, quæ exosam habet libidinem, ex timore autem permittit cognosci, vel in homine exosum habente furtum, compulso tamen à Domino, consentit in exteriorem actum furti, & similiter quando retinens perfectam intus fidem, timore victus, consentit in exteriorem actum negandi fidem, vt fecit Petrus, aut despiciens Idola in mente sua, timore tamē thura exterius illis of-

8 fert, vt fecit Marcellinus, & concludit, quod quemadmodum nō excusatur in foro conscientiæ à furto, fornicatione, negatione fidei, & idolatria, qui ex alieno affectu hos actus perniciosos exterius committit, quia voluntariè actus exteriores talium vitiorum peragit, ita non excusatur in eodē foro conscientiæ ab Ecclesiasticis censuris, latis contra committentes talia crimina, ita quod si esset lata excom nunicatio contra fures, ille, qui in solum exteriorem furti actum consensiendo, furatus est, procul dubio esset excommunicatus in foro conscientiæ, quia voluntariè furtum commisit; similiter Christianus, qui in solum exteriorem actum negandi fidē consensit, est in foro conscientiæ excommunicatus, quia voluntariè consensit in actum infidelitatis, & illum exercuit, negando Christum verbis, vt Petrus fecit.

9 Verum hęc doctrina cōmuniter, & iure reprobatur, quia est contra relatam definitionem hæresis à *D. Tho.* vbi supra, & ab alijs traditam; dicitur n. ibi esse errorem intellectus, modo qui talia facit exterius, habens sanam fidem interius, non errat in intellectu ergo. nec similitudines homicidij, fornicationis, vel furti sunt applicabiles, quia ista in exteriori commissa, sunt iam in suo genere perfecta, & completa, nec aliud remanet agendum ad illorum complementum, secus est in hæresi, quæ requirit errorem in intellectu; qua de re *Tol. lib. 4. c. 4. n. 6.* dicit non esse audiendum Caiet. quia licet talis in foro exteriori reputetur excommunicatus, secus tamen in foro interiori, & propterea possit à quolibet Confessario absolui, quia non peccauit contra fidem, sed solùm cōtra confessionem fidei, sequitur *Sanch. lib. 2. summ. c. 7. n. 8. in fine ibi, hæresis sola externa absque errore interno non subiacet ex-*

com-

excõmunicationi (licet impropriè iste doctor,& alij talem errorẽ externũ vocẽt hęresim,cũ potius dicatur blasphemia hęreticalis *Iul. Cl.in pr.cr.§. hæresis n.3.* vbi ait, quod qui metu tormentorum, vel alia ex causa ore Christum negat, corde tamen credit, peccat, grauissimè, non tñ est hæreticus *Regin.lib.9.n.236.latè Calderin.consil.4.de haret. apud Gran. consil.* 202. *à n.* 7. *Farin sup.cit.*

Hãc sẽtẽtiã docent etiã *Franciscus Syluius ad* 2.2.*D.Tho.q.*11.*ar.3.concl.*2.ibi,hæ-
11 reticus solo actu externo, quamuis grauiter peccet, non est excommunicatus, neque incurrit alias pœnas ecclesiasticas in hæreticos latas, & per consequens potest à quolibet confessario absolui, quamuis pro hæretico in foro externo reputetur; imò, & pro excommunicato geri debet apud eos, qui nouerunt peccatum externum, & nesciunt animum semper mãsisse catholicum; si tamen hic casus non sit Episcopo reseruatus, cui tunc competeret absolutio, verum non prohibentur Inquisitores, vel Episcopi procedere, constito ibidem de actu exteriori contra fidem; Ecclesia enim iudicat de externis *c. erubescant dist.*32. *P. Dia. p.* 4.*tr.* 4.*resol.* 240. *in fine*, vbi addit, quod Ecclesia illum præsumit hæreticum, & excommunicatum, nisi aliunde constiterit oppositum.

Difficultas ergo est quomodo possit constare, cum sit actus internus soli Deo notus, vt in *d. c. erubescant*;etenim ad effugiendam pœnam contra tales statutam, possent semper isti dicere se aliud in mente sensisse, & ex metu, vel alia causa hos actus exteriores peregisse; regula tamen
12 est, quod ex extrinsecis dignoscuntur intrinseca §. *pauonum*, *& ibi Gl. v. desierint instit. de rerum diuis.* quæ regula licet faciat pro inquisitoribus, dum habent in probatis actus exteriores, facit etiam pro inquisitis, qui si alias solebant defendere articulos fidei. vel indoctos in illis instruere, præsumitur contrarium,quia ex actibus cognoscuntur habitus,vt docet *Syl. v. hæresis* 1.*n.*8. in istis ergo dubijs,deuenitur ad torturam, vt *resol.seq.n.*17.

13 Hæresis autem interior, quamuis sine exteriori, vel fortius interior cum exteriori faciunt hominem verè hæreticum, vt probat relata definitio; per istos enim actus amittitur fides interior, sed interior tantùm non subiacet excommunicationi, sicut nec alteri pœnę exteriori ex *d. c. erubescant*;cogitationis n.pœnam nemo in foro exteriori patitur *l.cogitationis ff. de pæn. latè D. Thom.*1.2.*q.* 91. *art.*4.*cor.& q.*100. *art.* 9. *cor.* & propterea potest absolui à quocumque confessario habente authoritatem absoluendi a peccatis, quia nullam habet reseruationem *Tol. lib.*4.*c.*4. *n.* 4.de hæresi autem interiore,iuncta cum exteriore, est reseruata absolutio Pontifici, & eius Inquisitoribus (si talem potestatem habent (de quo non dubitatur, vt testantur penè innumeri *DD. apud P. Dia. par.* 1. *tr.* 5.*resol.* 3. totum ergo dubium vertitur, quando est occulta, etiam si nulli sit cognita, sed soli committenti, vt dicit *idem Tol.n.*5.vel etiam si sit nota quinque, vel sex,adhuc potest dici occulta secundũ *Fagund. de prae. Eccl.tr.*2.*lib.*8.*c.*8. *n.*32.*&* 33. *sed Sanch.de matrim.lib.*2.*disp.*37.*n.*11.
14 vult illud dici occultum, quod non potest probari per duos testes omni exceptione maiores ex *c.quoties de testib.& Mascard. de probat. concl.* 410. *nu.9. &* 19. an possit inquam absolui ab Episcopis in foro conscientię iuxta potestatem illis traditam *in Trid. sess.*24. *c.liceat* 6. vel sit etiã reseruata Pontifici.

15 P. Dia.*p.*1.*tr.*5.*res.*2.*& p.*4.*tr.*4.*res.*239. quam plures authores refert asserentes posse etiam hodie Episcopos absoluere ex Trid.cit. ea ratione, quia cum istis ibi concedatur expressa potestas absoluendi, quãuis in Bulla cęnæ ea tollatur generaliter Episcopis, non tamen fit expressã mẽtio de Trid. cui propterea non intelligatur derogatum *ex c.ex parte de cappell. monach. & ibi Gl. v. nulla mentio tuncto c. nonnulli de rescript. vbi iterum Gl. v. fecerunt mentionem*, & debere intelligi Bullam Cęnæ de absolutione ab hæresi, quando publicum est delictum, non autem quando occultum, de quo loquimur; istæ tamen mihi videntur infirmitates intellectus, dũ contrarium in dies practicatum videmus, & de iure est etiam certum vt infra.

16 Nauarr. enim *in man, cap.*27.*n.* 275.dicit, quod nullus præter Papam sine eius speciali commissione potest absoluere ab hæresi, & censura ei annexa,etiam occultissima, quia Papa illam reseruat in bulla Cœnæ,quamuis Trid.concedat Episcopis, vt possint absoluere,quia Greg. 13.& Pius 5. adeò id expresse declararunt, vt etiã sum-

summo Pœnitentiario illam facultatem negauerint, nisi cum certis declarationibus, imò addit, nec virtute Iubilęi, aut Bullæ Cruciatæ, in quibus non datur specialis facultas absoluendi ab hæresi, posse quem absoluere ab ea; licet expresse detur facultas absoluendi à casibus Bullæ Cęnę (sed in hoc casu ego dissentio à Nauarr. quia data potestate absoluendi à casibus Bullę Cænæ, intelligitur ab omnibus; indefinita n. ęquipollent vniuersali, *l. si necessarias* §. *si annua ff. de pignor. act.* & ita fuit practicatum in iubilęo concesso nouissimè per sanctiss. Clem. 9. hodie regnantem) & Grat. qui fuit magnus Aduocatus in Curia Romana, & per plures annos ita de hac re loquitur *discept. for. c.* 414. *n.* 20.

17 Notandum est hodie hanc potestatem, quam à Trid. habebant Episcopi, esse illis sublatam per Bullam in Cęna Domini, nedum in casu hæresis, sed in alijs casibus in d. Bulla reseruatis, prout pluries S. C. Concilij resoluit, & in sacro foro pœnitentiariæ est conclusum, & quotidie seruatur; Vnde quidquid prius Concilium Episcopis concederet facultatem absoluēdi hæreticos occultos, stante bulla in Cæna Domini, talis potestas expirauit, quod erit etiam extendendum ad alios casus in Bulla reseruatos, in quibus idem statui debet, quod in hæresi occulta. idem dicitur *in declar. eiusdem Concil. sup. d. c.* 6. *n.* 7. *ibi, Episcopus, aut Inquisitor absoluere iam non possunt hominem hæreticum in foro conscientiæ, licet hæc facultas à Concilio sit ipsis tradita. item Congregatio censuit præsenti decreto esse derogatum Concilio, non tantum in crimine hæresis, sed in omnibus casibus comprehensis in Bulla Pij* 5. *idem etiam docuit P. Dian. cit. locis*, quamuis contrariam opinionem probabilem appellet, quæ nouissimè fuit damnata *ab Alex.* 7. *in sua bulla emanata sub die* 2. *Octobris* 1665. *n.* 3.

18 Ad argument. in contrarium respondetur, quod lex generaliter loquens, generaliter debet intelligi *l. de pretio ff. de public. in rem act.* nec obstat *cit. c. ex parte*, cuius casus est, quod cum aliqui monachi assererent, sibi fuisse concessum in quibusdam literis, vt singuli in singulis prioratibus commorarentur, si pluribus non sufficerent facultates, dicit Papa assertas literas non credere ab Apostolica sede emanasse, eo magis, cum obstarent Lateranensi Concilio, de quo nulla mentio erat facta in literis prædictis; dubitabatur ergo de illis, & veritate earum, & præterea erat contra *tex. in c. fin. eod. tit. & c.* 2. *de statu monach.* vbi prohibentur monachi habitare soli in Conuentibus, ne soli inter seculares homines spiritualium hostium conflictum expectent, & dicit *Gl. in d. c. ex parte, v. nolumus in margine*, propter periculū peccati carnalis concupiscentiæ, quod imminet specialiter, & est sequela solitariæ vitę Religiosi inter homines conuersantis.

In d. verò *c. nonnulli* præcipitur, ne trahantur rei pro causis ciuilibus ad remotos iudices vltra duas dietas, & literæ alias impetratæ non valeant, nisi de ista constitutione expressa mentio fiat; ratio est, quia agitur de interesse partium in extrahendo eas ad loca remota, easque expensarum multitudine vexando, quod prohibetur *per c. olim de exception.* & alia iura similia.

19 & Papa numquam intendit iuri alterius derogare *c. dilecto filio* §. 1. *de verb. signif.* imò si alicui gratiam concedit, non vult vt ea vtatur in præiudicium alterius *c. ex suarum in fine de author. & vsu pall. c. licet de offic. ordin.* & ideo iura prædicta non sunt applicabilia, quæ tamen sint dicta ad exuberantiam, quia in supra cit. decis. S. Congreg. & bulla relata fit expressa mentio, & derogatio Concilij, & vide etiā infra *resol.* 104. *n.* 10.

20 Ex prædictis tamen sequitur, quod dū Episcopi potestatem non habent absoluēdi suos subditos ab hæresi occulta, nec eā habent superiores regulares erga subditos suos in eadem causa hæresis, quia summū, quod dicunt omnes, qui tenent pro Prælatis regularibus, est ipsos habere potestatem quasi episcopalem, sed Episcopi eam non habent, ergo nec Regulares, & propterea de hoc non esse amplius dubitandū, rectè docet *P. Dia. p.* 1. *tr.* 5. *resol.* 6. *in fine, cum ita declaratum sit per S. Congreg. sub die* 17. *Nouembris* 1628. & nouissimè *per d. bullam Alex.* 7. *n.* 4.

21 Quod si talis hęreticus absolutionem ab Inquisitore specialem potestatem habente obtinere non possit (extra tamen tempus mortis, quando quilibet sacerdos ab omni crimine quantumuis reseruato, vel etiam hæresi absoluere potest iuxta *Trid. sess.* 14. *c.* 7. *& DD. communiter apud Dia. cit. resol.* 5.) ire, vel mittere tenetur ad Vrbem ad maiorem pœnitentiarium, & interim dum talis facul-

tas

tas expectatur, & conceditur, potest secundum *Nau. in man.c.27. n.239.* ad vitãdam granem notam infamiæ, vel scandali præuia contritione celebrare, vel communicare.

22 Quia tamen eodem modo dicit Nauar. excusationem dari, si quis irretitus sit papali censura, vel simplici excommunicatione, consonans est huic casui doctrina *Henriq. lib.6.c.15.n. 7.ibi. Si homo excõmunione ligetur, & nisi Eucharistiam sumat, aut celebret, grauissimi criminis infamiam incurret, de quo suspectus est, ex Piæ matris Ecclesiæ intentione colligitur licere ei missam facere absque noua culpa, aut pœna pro summo iure tuendo, idque multo magis, si non excommunicatus, sed irregularis sit.* At sanè non minus licere huic ex interpetrata ratihabitione Papæ recipere Sacramentũ absolutionis cũ onere præsẽtandi se superiori, vult *Regin. lib.8. n.87.* quando pœnitens fecit quidquid potuit, & per ipsũ non stetit vt absolueretur ab eo, ad quem spectat, & hoc sufficere etiam in casu hæresis, licet infamia, & scandalum absint, docent *Fagund. de præc. Eccl. tr.1. lib.3.cap. 12. n. 12.* quæ tamen doctrinæ non placet *Dia. p.1. tr.5. resol. 4. in fine*, nec mihi in dicto casu hæresis, præcipuè cessantibus infamia, & scandalo ex supra dictis, & vide infra res. 164. in fine.

23 Dubius autem in fide est sine dubio hæreticus, & excommunicatus *c. 1. de hæret.* etiam si titubet in ea *c.aperte 24.q.1.& docet D.Athan. in symbolo ibi, quam nisi quisque firmiter, fideliterque crediderit, &c.* idem est de eo, qui nec credit articulis, & rebus fidei, nec decredit, sed adhuc remanet suspensus, & hoc quia non reputat talia esse certissima vt sunt, *Tol. lib.4.c.4.n.8.* vbi rectè addit duo esse necessaria ad constituendum hominem ex dubio in fide hæreticum, vnum vt sciat aliquid esse de fide, dicique ab Ecclesia, & tamen dubitet; alterum vt dubium sit voluntarium; fundatur n. in quodam indicio hæretico virtuali, puta res fidei non sunt omninò certæ, & infallibiles, quod indicium, error, & hæresis aperta est, etiam si non dissentiat positiuè, hoc est illas minimè neget, imò malit mori, quàm negare, ratio est secundum *Regin.lib.9. sub n. 237.* quia talis dubitatio tollit quoque fidem, cum essentialem eius firmitatem, & infallibilitatem secum pati nolit *Sanch. in summa lib.2. cap.7. num.12. in fine, & 29. Bonac. to.3.disp.1. q.2.p.1. n.3.* & proinde talis dubius si concurrat pertinacia, vt statim dicam, vti verus hæreticus incurrit excommunicationem latam contra hæreticos in bulla Cœnæ Domini. Regin cit. qui dubius vocatur hæreticus priuatiuus, non autem positiuus per *Dian. in summa v. hæresis n.2. vide Caramuel in Theol. fundamen. fundam.46.concl.1352. casu 1. & seqq.* Hinc

24 *Sylu. v. hæresis 1.n. 6.* addit, quod dubitans contra suam voluntatem, non est hæreticus, vt ex definitione supra, quia sicut nullus credit, nisi volens; ita nec efficitur infidelis, nisi volens; quin imò si recedit ab illa dubietate, resistendo meretur; sunt enim vt plurimum sugestiones Dæmonum, & si patienter propter Deum ferantur, materia sunt magni, & continui meriti, & in illis permittit sæpè Deus probari suos fideles, velut in camino ignis ardentis *Tol. cit.*

25 Insuper si dubitet, & sit paratus corrigi, nequidem est hæreticus, vt dictum est supra n.4. de hæretico positiuo, & legitur *in c. 2. §. in nullo de summa Trinit. & fide cath.* siquidem talis est dubius ex ignorantia, quæ neque admittitur in notis, vt infra n.26. & 27. Quare dubius in fide sine pertinacia, vt supra, & infra, vel per simplicitatẽ, aut si in rebus fidei pro maiori dilucidatione dubia proponit, non est hæreticus, vt amplè tractant *Decian. tr. crim.lib.5. cap. 18. Zecchin.p.1. rubr. de fide c.11. n.6. Pegna ex direct. Inquis.p.2.c.1 tit. de hæret. Farin. cit. q.178. §.4.à n. 97.* Cõtra in dubitante pertinaci, nolente corrigi à superiore, qui est Pontifex, vel eius Inquisitor secundum *D.Tho. relatum supra n. 4. ex c.quoties 24.q.1.* nam si disputatur inter aliquos, & vnus nolit se submittere alteri, putans suam opinionem esse veram, non propterea dicitur hæreticus, nisi disputatio esset de rebus, aliás ab Ecclesia declaratis, & tunc corrigitur ab Episcopo loci, cuius censuræ si acquiescere nolit, est vitandus, tamquam hæreticus *Gl. in d. c. quoties, v. nisi ad Petrum ex c.ad abolẽdam, de hæret. Sylu.d.n. 6.& facit d.c.2.de summa Trinit. & fide cath.Sanch. in summa lib. 2.c. 7.n.28. sed Dia. p.4.tr.7. resol.36. §.fin.* dicit placere sibi opinionem Meroll. Suar. Vasq. & aliorum ab ipso relatorum, & dicentium non esse hæreticum in foro interiori, admonitum de suo errore ab Episco-

sco-

scopo, vel Inquisitore, si existimet suam opinionem non esse aduersus sensum Romanæ Ecclesiæ, & Episcopum, vel Inquisitorem decipi: in foro verò exteriori sic, nec opus esse adire semper Pontificem in quacumque difficultate, sed oportere esse peculiares Iudices, quorum iudicio causa finiatur, præsertim cum hi prudenti sëper, & maturo iudicio procedant, nec nisi in certis, & manifestis sententiam proferant.

26 Hoc tamen non est intelligendum de articulis fidei, vel præceptis decalogi, aut alijs veritatibus diuulgatis, quas quilibet scire debet, in quibus magis inexcusabiles sunt peritiores iuxta *Simanc. tit. 28. nu. 13. & propterea Sylu. v. hæresis n. 1. vbi alij* dicit hæc limitanda esse in ijs, quos probabiliter præsumitur non verè, & perfectè scire catholicas veritates, puta quia simplices erant, & rustici, aut quia dogma non erat de articulis fidei, qui in Ecclesia solent publicari, addit tamen debere puniri arbitrio Iudicis, non vt formaliter hæreticos, sed tamquam de hæresi suspectos, & abiurare de leui, sed etiam hoc dicunt *Angel. v. fides n. 6. Tabi. eod. n. 7. Sanctarell. hoc tit. c. 1. dub. 6. n. 20.* esse intelligendum de illis simplicibus, qui non sunt parati corrigi ab Ecclesia.

27 Ad hoc propositum Inquisitor S. Vincente in suis manuscriptis c. 2. §. 16. ita loquitur. *Algunas propositiones ay que aunque sean formalmente hereticas, dichas por personas ignorantes de poca capacidad, y pusilanimas y lebadas de malinconia, y falta de instrution, que por estas, y otras causas parece que non se puede reputar, ni presumir vehemente que sean herejes, si no erraticas, y ansi confessando hauerlas dicho, y que sabian eran contra lo que tiene la yglesia, negando la pertinacia, y dando alguna razon natural, que les mouio à dezir, y creer dichas propositiones, como vna muger de quince años, que io conoci, que dixo que non creya, que Nuestra Señora puedisse quedar virgen despues de hauer parido, y otra que dixo, que la Santissima Trinidad era vna buena vieja, y que nõ puedia creer, què nuestro Señor estuuiesse ben la hostia, porque no podia caber en ella, y anzi suele darseles algunas penitencias ligeras, ò absoluerles ad cautelam, ò abiurar de leui, y algunas veces non siendo tanta la ignorancia podria hauer abiuracion de vehementi.*

28 Hinc dubitari potest, an pro hæretico habeatur, qui in comœdia v. g. cum sit Christianus, contra Christi fidem, & articulos, fingens Tyrannum obloquitur; Item an ad vitandam propriam, & personalem capturam, liceat vestibus infidelium, & hæreticos demonstrantibus vti, asserendo se esse lutheranum, & similia. Nam ex dictis patet, quod si ita reuera sentit, verè est, proptereq; hæreticus, sed si ita non sentit, quamuis hæreticus nõ sit, tamen de hæresi suspectus est secundũ aliquos, quia semper propositio quæ fidei articulis opponitur, est hæreticalis, & veritati diuinę opposita, licet in lapide reperiatur scripta. Sed *Aegid. Conimb. tr. de fide disp. 15. dub. 2. n. 13.* distinguit, an adstantes verè colligant ex factis, & verbis fidẽ negare, & tunc non licet, vt in casu negantis se esse Christianum. An verò simulatoriè sciant fieri, vt de recitante in Theatro diximus, & tunc licebit. Vide *Caramuel. d. fundam. 46. concl. 1359.*

Agitur de delictis hæreticalibus, vel hæresim sapientibus.

SVMMARIVM.

1 *Delicta hæreticalia sunt ferè innumerabilia, & ideò assignantur aliqua regulæ ad ea scienda.*

2 *Hæreticus est, qui malè sentit de quocumque fidei artic. in intellectu, & cum pertinacia, vel de Sacramentis Ecclesiæ n. 3. vel si nouas opiniones de rebus ad fidem pertinentibus gignit, vel sequitur. n. 4. vel si malè sentit de sacra scriptura. n. 5. cum seq. vbi hoc declaratur per exempla & n. 8. & 9.*

6 *Blasphemans realiter, vel verbaliter super ijs, quæ sunt circa fidem, idem pertinaciter sentiens in intellectu, est hæreticus, vtrumque exemplificatur, sed pro priori fuit in foro exteriori practicata pœna mortis, & n. 7.*

10 *Animam vllam si quis asserat cum pertinacia non detineri in purgatorio vltra decem, vel 20. annos est hæreticus.*

11 *Papam quendam Innocentium detinendũ in purgatorio vsque ad diem Iudicij, quidam referunt.*

12 *Apostasia est triplex, sed apostata à fide punitur per Inquisitores.*

13 *Renegati dum erant apud Turcas, si postea*

ad

ad nos redeant, quomodo contra eos sit agendum & n.14. quod si non sponte, sed coactè fuerint ad S. Officium asportati, vel delati, erunt torquendi super intentione & n.16.

15 Metus causa, si quis (quod absit) fidem negauit apud infideles, an debeat abiurare de vehementi?

17 Apostata à Religione, vel ab obedientia, qui sint, & an contra eos procedant Inquisitores?

Resolutio LXXXII.

1 HOc est mare magnum, & spatiosum, cum ferè innumeri sint casus hæreticales, vel ad hæresim reducibiles; *Decian. enim in tract. crim. to. 1. lib. 5. c. 16.* cumulauit casus 161. in quibus Christianus dicitur hæreticus, alios per multos, siue inde transcriptos, siue additos notat *Ricc. in prax. crim. hæresis per totam, incipiendo à resol. 671. secundum primam impressionem, & Dia. in summa v. Inquisitor. iurisd. à n. 56. vsque ad n.* 103. alijs prætermissis; verum ne in tanta multitudine studiosi defatigentur, & fortasse etiam illis scitis, multo plures remaneant sciendi, assignantur aliquæ regulæ, ex quibus non solùm casus in diem occurrentes; sed etiam in futurum occurrendi, facilè comprehendi poterunt, & si non omnes expressè, saltem ex illatione, quia, vt dicit *Iulian. I.C. in l. non possunt ff. de ll.* non possunt omnes articuli singulatim, aut legibus, aut Senat. Cons. comprehendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet; vna n. determinatio respiciens plura determinabilia, debet ea æqualiter determinare *l. iam hoc iure ff. de vulg. & pupill. c. vnico tit. de Sacram. non iterand.*

2 Propterea regula prima est, quod malè sentiens de quocumque fidei articulo in intellectu, & eum pertinacia, hæreticus est *c. 1. & 2. de summa Trin. & fide cath. c. dicimus 24. q. 1.* imò & deuians à minimo fidei articulo *l. omnes §. hæreticorum C. de hæret. Sylu. v. hæresis 1. n. 2.* quæ pertinacia semper requiritur ad constituendũ hæreticũ iuxta dicta *in priori resol. n. 2. & seq.*

3 Secunda est, si male eodem modo sentit de Ecclesiæ Sacramentis *c. ad abolendam de hæret.* & in multis locis Trid. veluti *de sacr. sess. 7. can. 1. & seq. de confirm. can. 1. 2. & 3. de pœnit. Sacram. sess. 14. can. 1. & seq. & de extrema vnct. can. 1. & seq. Sylu. cit. & Farinac. q. 178. §. 1. refert ita statutum per Martin. 5. in const. inter cunctas ex Pegna, & Albert. in tract. de hæret.*

4 Tertia si nouas opiniones de rebus ad fidem pertinentibus, cum sit priuatus, vel gignit, vel sequitur *c. hæresis, & c. hæreticus 24. q. 3. iuncto. c. relatum dist. 37. vide latè Turrecrem. in d. c. hæreticus, de hac re disputantem.*

5 Quarta qui malè sentit de veritate sacræ scripturæ, quod intelligunt alij apud eundem Sylu. cit. in pertinentibus ad fidem, vel bonos mores, seu necessaria ad salutem, vel etiam contra sacros canon. de eadem fide loquentes iuxta *Cardin. in Clem. vnica. §. fin. de vsur. & Sylu. cit. Canonistæ ex 24. q. 3. c. hæresis, vbi Archidiac. n. 2. Turrecr. n. 1. alijque apud Farinac. d. q. 178. §. 2. n. 51.* docent hæreticum esse aliter interpretari sacram scripturam, quam Ecclesia interpretatur.

6 Quinta est quando aliquis blasphemat realiter, vel verbaliter super jis, quæ similiter circa fidem versantur *Ricc. in cit. praxi post n. 1. vers. blasphemia hæreticales.* Vndè si quis cum pertinacia dixerit (quod absit) Christum non esse natum de Maria Virgine, vel non fuisse Crucifixum, mortuum, & resuscitatum, vel huiusmodi, idem sentiens in intellectu, est hæreticus, & cõprehenditur sub prima regula, si affirmauerit Sacramẽta non esse septẽ, vel plura, aut non fuisse omnia à Christo instituta &c. est similiter hereticus, & includitur sub secunda regula; si similiter contendat hominẽ in præsenti vita talem, & tantum perfectionis gradum assequi posse, quod reddatur penitus impeccabilis, & amplius in gratia proficere non valeat, est etiam hæreticus, vt in Clem. ad nostrum de heret. & comprehenditur sub 3. & 4. regula, si exercere vsuram, vel simplicem fornicationem, non esse peccatum mortale, vel similia, est similiter hæreticus, quia in sacra pagina dicitur mutuum dantes, nil inde sperantes *Luc. c. 6. c. consuluit de vsur.* & fornicatio prohibetur in decalogo, quæ propterea includuntur sub 4. regula.

7 Si tandem quis blasphemando dicat (quod absit) etiam si Deus nolit, hoc eueniet, vel (al dispetto di Dio), quasi

quod non possit Deus illud impedire, cum sit omni potens, quæ est blasphemia verbalis, vel aliquam Dei, vel Sanctorum imaginem iniuriosè percusserit, quæ est blasphemia realis, est similiter hæreticus (nisi calore iracundiæ hoc egerit) vt statim dicam, primo enim casu remigationis pœna, vt in *Reg.pragm.5. de blasphem.* in secundo mortis punitur, vt fuit practicatum Neap. anno 1592. contra quendam, qui occasione pecuniæ in ludo amissæ incidit faciem Beatissimæ Virginis Mariæ, & Saluatoris nostri, quem in brachijs tenebat cum cultro, amputata prius manu dextera, cum qua deliquerat, vt refert *Præs. de Franc.decis.* 504. verum tamen est talem hæreticum non esse, quia hæresis, vt diximus, requirit principaliter pertinaciam, sed qui hæc facit propter iracundiam, non est pertinax. quidquid in contrarium dixerint *Ricc.cit.& alij ibidem*: si verò affirmet imagines ita debere iniurijs affici, sine dubio est hæreticus, & comprehenditur sub 5. & vltima regula; Quod si talia non affirmet, sed assiduè blasphemet, est suspectus de hæresi secundum *Menoch.de præsumpt.præs.6.lib.5.* quem refert, & sequitur *Rouit. in pragm. sub rubr. de blasphem.n.7.Dian.p.4.tr.7.resol.8.& 9.& tr.8.resol.87*

8 Sunt tamen alij casus hæreticales, qui videntur includi sub regula 3.& 4. vti cōtra scripturam, & sacros canon. & fuerunt damnati *per Clem.5. in d.Clem. ad nostrum*, quorum primus est notatus supra sub 5. regula, secundus est, quod ieiunare non oporteat hominem, nec orare postquam gradū perfectionis huiusmodi fuerit assecutus, quia tunc sensualitas est ita perfectè spiritui, & rationi subiecta, quod non potest liberè corpori concedere quid quid placet, tertius, quod illi, qui sunt in prædicto gradu perfectionis, & spiritu libertatis, non sunt humanæ subiecti obedientiæ, nec ad aliqua Ecclesiæ præcepta obligantur, quia vbi spiritus Domini, ibi libertas, quartus quod homo potest ita finalem beatitudinem secundum omnem gradum perfectionis in præsenti assequi, sicut eam in vita obtinebit beata, quintus, quod quælibet intellectualis natura in seipsa naturaliter est beata, quodque anima non indiget lumine gloriæ, ipsum eleuante ad Deum videndum, & eo beatè fruēdum, sextus, quod se in actibus exercere virtutum, est hominis imperfecti, & perfecta anima licentiat à se virtutes, septimus, quod mulieris osculum, cum ad hoc natura non inclinet, est mortale peccatum, actus autem carnalis, cum ad hoc natura inclinet, peccatum non est, maximè cum tentatur exercens, octauus, quod in eleuatione Corporis Iesu Christi, non debent homines assurgere, nec eidem reuerentiam exhibere, quia esset imperfectionis eisdem, si à puritate, & altitudine suæ contemplationis, tantum descenderēt, quod circa ministerium, seu Sacramentum Eucharistiæ, aut circa Passionem humanitatis Christi aliqua cogitarent. Item &

9 alij tres casus similiter damnati in extr. 2. de hæretic. primus est, quod confessi fratribus, habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata confiteri proprio sacerdoti, de quo meminit *Dia.p.4.tr.8.resol.*102.secundus, quod Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio sacerdoti confiteri, imò nec Deus possit hoc facere, tertius, quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi confessiones, imo nec Deus, sed confessus habenti licentiam, teneatur eadem confiteri proprio sacerdoti, vti proprio Curato.

10 Præterea asserētes nullam animam detineri in purgatorio vltra decem, aut viginti annos, sunt similiter hæretici, si se non retractant, & ideo dicitur fuisse correctū Sotum, qui hoc docuit *in 4.dist.19.q.3.ar.2.* quē propterea impugnāt *Bellar.de purg. lib.2.cap.9. Cordub.lib. 5. q. 22. Coninch. de sacr.disp.*1 t. *dub.* 4. *n.*38. *Molfes. in summa to.1.tract.t.c.26.n.*312. ratio est, quia ista doctrina est contra morem Ecclesiæ, quæ pro defunctis, & pro certa anima celebrat missas anniuersarias, & officia vltra 200. annos; Nec rigor Dei est iniustus, si ab anima, quæ non satisfacit, sed satis patitur, exigat longas pœnas, sicuti pro culpa vnius mortalis exigit æternas, quare illam sententiam quidam insignis prædicator à sacro Inquisitionis senatu compul. sus est retractare, eo quod retrahat viros ab operibus satisfactorijs, & missis offerendis pro suis defunctis, & quidam Patres significant, quarumdam animarum pœnas duraturas ad diem vsque iudicij. verba sunt *Henriq.lib.7.c.16.n.4.vbi in comment.*

11 *ment.lit.1.in fine ex Surio in vita S.Luzbergæ* tefert de quodam Innocẽtio Papa detinendo in purgatorio vsque ad diem Iudicij. Alios hæreticales casus enumerant *Farinac.d.§.2.Afflict. in constit. regn. de heret. rub.1.n.29. & Decian.supra n.1.cit.*

12 Item apostatæ, qui tripliciter dicuntur tales datur n. apostasia à fide, à religione, & ab obedientia, vt dicit *Gl. in c. 1. v. Apostasia de apostat. Paul. Langell. instit. can. lib.4. tit.4.vbi Ricci. ex Afflicto in constit.R. apostatantes.* prima, quæ dicitur, etiam perfidię, est quando quis recedit à fide, cum sit antea baptizatus *c. non potest 2. q. 7.* vt fuit Iulianus Apostata *cap. Iulianus 11. qu. 3.* & talis dicitur, quando in totum recedit à fide per transitum spontaneum ad Iudæos, vel Saracenos, aut Turcas, & huiusmodi, ad differentiam illius, qui non totam fidem, sed aliquem eius articulum negat, qui dicitur hæreticus, & de quo dictum est supra *Sylu.v.apostasia n.4.* sed tam iste, quàm ille puniuntur per Inquisitores *ex c.contra Christianos de heret. in 6. Filliuc. to.2.tr.12.cap.5.n. 145.*

13 Apostatæ ergo à fide, quando ad nos redeunt, vel quia illinc fugiunt, vel redimuntur, dubitatur, quomodo sit procedendum, & dicit *Sylu. cit. quem sequitur Ricc. etiam cit.resol. 671. versic. renegati vbi alij*, quod si ibi adorauerint Idola, vel sepulchrum Machometti, sed ex timore cadente in virum constantem, non dicuntur Apostatæ, aut hæretici, nec sunt excommunicati, sed peccant mortaliter, & possunt propterea absolui ab Ordinario, si verò spontè hæc fecerint, cognoscuntur ab Inquisitoribus, Verum *Pegna in direct. Inquisit. par.1.comment.59.* docet cognitionem vtroque casu spectare ad Inquisitores, & primo casu abiurare debere, vti vehementer de fide suspectos, alijsque pęnitentijs salutaribus affici; secundò verò, si dicant hæc fecisse, quia ita tunc credebãt cogẽdos esse, ad abiurandum vti formales hæreticos, seu Apostatas, grauiusque puniendos, etiã si metu sic sceleste se gesserint; Regulariter verò considerandam esse qualitatem personæ, si mulier, si vir, si doctus, si imperitus, si laicus, si Clericus, si Religiosus, si minor, vel maior cum qualitate metus; quo cessante, vel interueniente; sed non cadente in constantem virum, si non spontè venerint, post abiuratam hæresim, vel apostasiam, debere ad perpetuum carcerem detrudi ad pœnitentiam peragendam iuxta *sex. in c. penult. §. fin. de heret.*

14 Idem dicit Episcop. *Ricciull. in tract. de iure person.lib.6.c.5.n.7.* ibi cumque animus lateat, de quo Ecclesia non iudicat *c. erubescant 32.dist.* merito asserens in foro exteriori, se negasse Christum per vim, siue metum, redditur suspectus de vehementi, vel leui, perpensis coniecturis personarũ, Erit quidem de vehementi suspectus, si vi, vel metu cessante, nihilominus in negatione fidei perseuerauit, quia diuturna continuatio, demonstrat actum ex corde processisse; Item si persona sit grauis, veluti Prælatus, Monachus, Theologus, aut alius vir grauis, & prudens, & metus nõ fuerit mortis, vel tormentorum, sed famę, vel exilij, fustigationis, carceris famis, vel alterius generis non cadentis in constantem virum, in his casibus suspitio est ita vehemẽs, vt merito indici possit eis abiuratio; & similiter si metus fuerit reuerentialis, de leui verò erit suspectus, si negatio fuerit facta à personis non benè fidei causam callentibus, & qui verisimiliter scire non poterant, quam graue delictum sit negare fidem, cuiusmodi sunt pueri, feminę, rustici, & alij, quos minor metus auertit; diluet autem omnem suspitionem apostasiæ, si statim vi, vel metu cessante doluerit, & pęnitentiam egerit. hęc ille, de pœnis autem istorum, & aliorum Inquisitorũ ex similibus delictis hæreticalibus vide supra verbo degradatio per totum.

15 Verum ego puto falli istos DD in metus explicatione; etenim metus seruitutis vel famæ, aut carceris perpetui regulatiter excusat, redditque actum nullum *l.4. l. isti quidem §. fin. & l. qui in carcerem, ff. quod metus causa*, sed existente aliquo penes Turcas, vel similes, interueniunt ex natura rei ad minus isti metus, ergo datur excusatio, si non in toto, saltem in parte; siquidem licet illa negatio, mortalis sit, vt supra diximus, attamen reditus postea spontaneus ad Episcopum, vel Inquisitorem, quia indicat defuisse animum negandi, dum erat apud hostes, operatur vt possit reconciliari Ecclesiæ, præuia abiuratione, non tamen de vehementi, vt rectè dicunt Sylu.& Ricc.cit. Quod si non

16 spontè, sed coactus fuerit ad Tribunal allatus, tunc torquendus erit ad sciendum,

an

an negatio exterior fuerit coniuncta cum interiori, & si perstiterit in negatione, tūc quia indicia dicūtur purgata, vt est regulare de omnibus delictis iuxta *Alberic. Hippol. & alios apud Praes. de Franch. decis. 577. n. 3.* erit liberandus in forma, non autem ad triremes damnandus, vt dicit *Dia. p. 4. tr. 7. resol. 3. §. neque aduersus in fine,* vbi neminem allegat, sed solùm dicit ita consuluisse, & factum fuisse; etenim si verum esset, quod ipse dicit, idem operaretur negatio fidei apud Turcas ex dicto metu facta, & intentione in tortura negata, quod operatur confessata, cui maiori pœna non datur *c. excommunicamus 15. §. fin. de haeret.* quod esset absurdum.

17 Apostata verò à Religione, non est nouitius, sed monachus professus in Religione approbata, exiens à monasterio sine licentia superioris, cum intentione non redeundi, sed viuendi irreligiosè, siue laicorum, siue clericorum more *c. fin. dist. 50. c. 1. & fin. de apost. Innoc. in c. fin. de renunc. & in c. intelleximus de aetate, & qualit.* si verò intrat monasterium laxius, & viuit sub obedientia illius Superioris, non est verè Apostata, sed potest capi à priori Prelato, vti fugitiuus secundum *Sylu. v. Apostasia n. 9.* si autem arctius, non peccat, etiam licentia petita, & non obtenta à suo superiore *c. licet de regular.* hoc tamen videtur hodie aliquo modo innouatum ex decreto S. Congreg. Vrb. 8. iussu edito 21. Septembris 1624. vbi ordinatur, quod nullus de cetero permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius superiori legitimè constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petit, tūcque Regularis rectâ se transferat via ad arctiorem, contra apostatam, ergo primo modo sumptum, si per annum in apostasia perstiterit, quia est excōmunicatus, statim ac deserit Religionem animo, quo supra *c. vt periculosa ne cler. vel monachi in 6.* qua de re dicitur suspectus de fide, procedit S. Officium Inquisitionis *Sanctarell. de haeresi c. 41. dub. 3. Laurent. de Peyrinis in privil. minim. to. 2. const. 2. Pauli 5. §. 2. n. 13.* & magis si in eo statu existens, vxorem ducit, quo casu est puniendus pœna triremium, & alijs, vt infra *resol. 100. nu. 10. Zanard. in direct. Theol. par. 2. prac. 1. c. 5. §. 19.* quod si annus à die fugae non effluxerit, & fugitiuus fuerit captus ab Episcopo, vel superiore regulari, & nihilominus esset incorrigibilis, itaut eijciendus esset; seruanda sunt ante sententiam eiectionis ea, quae latè in dicto decreto ordinantur, transcripta infra *resol. 195. n. 11.* vbi nota differentiā inter fugitiuum, & eiectū, quia ille est ipso facto excōmunicatus, vt hic, iste verò excommunicandus, vt ibi.

18 Apostasia verò inobedientiae est, quando quis non obedit Papae, vel canonicis institutis, de qua *in c. 1. & c. illud de maior. & obed. Gl. in c. 1. v. apostasia de Apost.* Verum quando haec inobedientia venit ex eo, quod quis non credit Papam habere potestatem condendi canones, & tunc tāquam haereticus est puniendus, vt *in c. nulli §. fin. dist. 19.* cum verò oritur ex audacia, & contemptu, quia non vult obedire, & tunc efficitur infamis, repellitur à testimonio, & est excommunicandus, vt notat *cit. Ricc. §. Apostata;* De omnium autē pœnis vide etiam eundem *post Abba. & Cano. in tit. de Aposta. c. 1.*

Agitur de superstitione, eiusque varijs speciebus, & de scientia Diaboli.

SVMMARIVM.

1 *Superstitio quid sit, & qua indebiti cultus n. 4. in genere plures sub se species continet, & qua ista sint, & qua Idolatria? num. 2.*

3 *Vana obseruantia qua sit? & qua diuinatio? n. 5.*

6 *Pactum cum Dæmone potest fieri expressè, & tacitè, quod exemplis demonstratur, & n. 7. cum multis seqq.*

10 *Cogitationes hominum an diabolus scire possit?*

12 *Diabolus triplici modo cognoscit veritatem per naturam, reuelationem, & experientiam, & propterea potest incognita, seu ignota hominibus reuelare, quibus vult permittente Deo. & nu. 13. & 14. Eius potentia est tanta, quod si non refrenaretur à Deo, posset etiam montes, Vrbesque subuertere, nec datur potentia super terram, qua ei cōparetur n. 15. & 16. Eius motus est adeo celeris, vt in tempore inperceptibili se conferre possit ab Oriente ad Occidentem, nullo medio pertransito, alia quoque mirabilia facere potest, n. 17. veluti inducere Deo per-*

permittente infirmitates in corpus humanum, eique nocere in rebus suis, & similia. n. 18. Non potest mutare corpus humanum in bestiale, nec mortuum vivificare, nisi apparenter, & quomodo hoc fiat? n. 19.

20 *Samuel an verè, & realiter apparuerit Sauli, vel potius phantasma ex machinatione diaboli. & n. 21.*

Resolutio LXXXIII.

1 SVperstitio est etiam delictum hæreticale, definitur, à *D. Thom. 2. 2. qu. 92. art. 1. in corp. in fine, videlicet. est vitium Religioni oppositum secundum excessum*, sed illud *secundum excessum* dicit intelligi, non quia plus exhibeat in cultum diuinum, quam vera Religio, sed quia exhibet cultum diuinum, vel cui non debet, vel eo modo, quo non debet, sic dicta superstitio à superfluo, quasi superflua institutio. *Vmbertin. in indic. inquis. v. hæresis n. 5. & Arnald. Albert. de hæret. in 6. in rubr. q. 11. n. 1.* superstitionem putat à superstitibus dici, nempè à senibus, qui multis annis superstites per ætatem declinant, & errant. de quibus vide etiam *Azor. par. 1. moral. lib. 9. c. 11. q. 1. Sanch. lib. 2. summæ c. 37.* ex quibus dicit *Sylu. v. superstitio n. 1.* duas esse species superstitionis, quarũ prima consistit in exhibendo Diuinum cultum Deo vero, modo indebito, & dicitur superstitio indebiti cultus; secunda verò in exhibendo cultum diuinum ei, cui non debetur, sed hanc secundam, quam ipse vocat speciem, & dicit continere sub se alias species, non est diuisio boni philosophi, vt ipse est, quia sub specie non continentur aliæ species, sed indiuidua.

2 Propterea *D. Tho. cit. q. 93. art. 2. in corp.* priorem vocat speciem superstitionis, & secundam quam Sylu. vocat etiam speciẽ, ille appellat genus, quod continet sub se allas species; prima est idolatria, quæ diuinam reuerẽtiam indebitè exhibet creaturæ, secunda est diuinatio, per quam dæmones quis consulit per pactum tacitũ,
3 vel expressum, tertia est vana obseruantia, quando quis in suis actibus omittit dirigi à Deo, vt petit cultus diuinus, hunc tribuens creaturæ, petens directionem ab ipsa *D. August. in c. illud 26. q. 2. Sanch. in summa. lib. 2. cap. 37. sub n. 1.* quarta est magia; quinta est maleficium *Tol. lib. 4. cap. 14. n. 6.* de quibus etiam in seq. resol.

4 Superstitionem autem indebiti cultus exemplificat *Sanct. cit. q. 93. art. 1. in corp.* si per cultum exteriorem, aliquod falsum significetur, quod contingit dupliciter; vno st. modo ex parte rei significatæ, à qua discordat significatio cultus, & hoc modo, istoq; tẽpore nouę legis, peractis iã Christi mysterijs, perniciosum est vti cæremonijs veteris legis, quibus Christi mysteria figurabantur futura. Quare suspecta est sententia eorum, qui putabant, quod potest licitè quis hodie circũcidi ad Christi imitandam humilitatem, nam ex dictis reijcienda est iuxta ea, quæ disputat *Sot. in 4. sent. d. 3. q. vn. art. 3.* Alio modo potest contingere falsitas in exteriori cultu ex parte colentis, & hoc præcipuè in cultu communi, qui per ministros exhibetur in persona totius Ecclesiæ; sicuti enim falsarius esset, qui aliqua proponeret ex parte alicuius, quæ non essent ei commissa, ita vitium falsitatis incurrit, qui ex parte Ecclesiæ cultum exhibet Deo contra modum, diuina authoritate ab Ecclesia cõsuetum. quod extendit *Sanch. cit. n. 7.* in ijs, qui inter diuina officia profana, vel turpia miscerent, & huiusmodi.

Circa verò alias superstitionum species, omissa idolatria, de qua *D. Tho. cit. qu. 94. art. 1. 2. & 3. Tol. vbi supra n. 5. & Sanch. cit. c. 37. n. 21.* vbi ex eodem Sancto dicit esse eam per quam tribuitur honor creaturæ, sicut Deo, quia ad laudem Dei
5 omnipotentis, est remota à nostris regionibus, sequitur diuinatio, quæ sumpsit exordium à Persis, vt dicit *August. in cap. igitur 26. q. 3.* & definitur, quod sit prænunciatio futurorum, aliquo dæmonum consilio, vel auxilio, vt percipitur ex eodem Sancto cit. *q. 95. art. 3. in corp.* cum futura sint soli Deo nota iuxta *Isai. c. 41. ibi annunciate quæ ventura sunt in futurum, & sciemus, quia Dij estis vos*, proinde sequitur, quod attribuens creaturis, quæ soli Deo competunt, iniuria fit Deo, & propterea hæc diuinatio, est superstitio, & peccatum magnum iuxta *D. Tho. cit. art. 1. & 2.* & puniendum ab Inquisitoribus, vt in seq. resol.

6 Hoc autem dæmonum auxilium potest accedere cum pacto expresso, vel tacito inuocantis, si expresso, fit etiam dupliciter, primo modo, si expresè inuocetur, secundo cum aliquid fit, quod scitur ex dæ-

dæmonis virtute operari, vt faciant incantatores; vtrique namque dæmonem expressè inuocant ex intentione, verbo, vel facto, quia licet pactum non sit factum hic, & nunc cum inuocante, est tamen factum cum alio, qui assistit illis operibus, ostendendo, vel operando *Caiet. 2. 2. q. 95. art. 3. in princ.* Verum ab alijs tale pactum dicitur tacitum, vt *Martin. del Rio 2. disq. magi. q. 4. v. Pactum tacitum duplex*. Ideo clariùs *Tol. lib. 4. cap. 14. n. 8.* ibi pactũ est promissio facta ab homine dæmoni, & à dæmone homini; promittit n. homo obedientiam dæmoni, & negationem diuinorum præceptorum, & Sacramentorum, promittit dæmon se omnia illa facturum, & quo magis promittit homo, eo etiam

7 dæmon. Hoc autem pactum dupliciter fit, aliquando cum ipsomet dæmone, qui visibiliter apparet, & fœdus init, aliquando fit medio aliquo homine, vt cum quis per aliquem magum, tale facit pactum; sed priùs etiam dupliciter solet fieri, vno modo solemniter; vt cum dæmon apparet visibiliter in solio suo sedens cum caterua aliorum dæmonum, coram quibus fit talè pactum. Altero modo priuatim, vt cum fit pactum absque solemnitate; sed nouũ intercedit pactum. hucusque Tol. varios etiam paciscendi modos solemniter, habes latè, exẽplis quoque adductis apud *Martin. del Rio lib. 2. disquis. magica q. 4.* vbi docet, quę sint substantialiter requisita, ex SS. Patribus collecta, & quatenus soleat quandoque dęmon istos paciscentes signo impresso munire. *Paul. Grillan. tract. de sortil. q. 7.*

8 Vide etiam *Suar. to. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 9. n. 14.* circa dictum pactum tacitum, ibi quippe intendens varijs medijs scire superantia humanam cognitionem, id non curat via inuentionis, eo quod inepta ei inuentioni media sint; quærit ergo via disciplinæ, & magister illius, non est Deus per se, vel per bonos Angelos, vtpote qui his vanis non intendit, nec præsumitur reuelatio diuina, nec etiam est alius homo, cum humanam cognitionem superet ijs medijs improportionatis eam scientiam habere, ergo magister est dæmon; Quod si doctrina illa per modum alicuius artis inuenitur tradita in aliquibus libris, est tradita à dæmone per aliquem eius ministrum, & subinde à dæmone discitur, & ideò interuenit pactum tacitum cum illo, idem ante eum *Sylu. v. maleficium n. 5.*

9 Quod verò ex pacto procedant magicæ operationes constat *ex l. multi C. de malefic. & mathema. ex D. Cypria. lib. de duplici martyr. & D. Aug. lib. 2. de doctri. Christia. c. 19. vt refertur in c. illud 26. q. 2.* vbi in fine dicitur. Omnes artes huiusmodi, vel nugatoriæ, vel noxiæ superstitionis, ex quadã pestifera societate hominum, & dęmonũ quasi pactã infidelis, & dolosæ amicitiæ constituta. idem patet ex *Bulla Sixt. V. cõtra Astrologos. & alia bulla Vrban. 8. contra eosdem prolata die 10. Aprilis 1631.* Quamquam pactum præstare, vel fallere, dæmoni sit liberum, cum ab homine ad obseruantiam cogi non possit, & alioquin dæmon sit fallacissimus, vt notat *Martin. del Rio 2. disquis. magic. q. 4. ex Euang. Ioan. 8. vers. 44.* tacita autem inuocatio dæmonũ, tunc solummodo est, quando aliquis talibus se implicat, vt dignum sit dæmonem se illis immiscere, quamuis hoc sit præter intentionem talis hominis. *Caiet. cit. ex eod. D. Thom.* ibidem, quam doctrinam de tacita inuocatione exemplificat *Nauarr. in summa cap. 11. n. 25.* quoties quis enititur efficere aliquod per causas, quæ nec virtute sua naturali, neque diuina, aut Ecclesiastica dispositione possunt illud efficere, vt etiam *ex Victor. & alijs docet cit. del Rio q. 5.*

10 Et primo quando vtitur verbis sacris hac conditione, vt sint scripta in illa, vel illa materia, vel tali tempore, aut hora, & alijs huiusmodi, quæ neque ad diuinũ cultum, vel eius honorem, neque ad rectam rationem pertinent, vel si ijsdem verbis sacris ad inanem effectum vtitur, veluti ad mouendum anulum supra filum, vel ad mouendum cribrum, quæ non verba sacra, sed ipse diabolus mouet, vt per illa verba honoretur, aut vtendo causis naturalibus ad effectum supra naturalem, veluti ad subito medendum, vel ad agno-

11 scendas hominum cogitationes, quas tamen an diabolus scire possit, colligitur ex responsione ipsius ad Virginem, quæ iussit ei dicere in hoc veritatem, vt refert *S. Birg. lib. 6. reuel. cap. 39. ibi, illas solummodo scire possũ, quas ex exteriori operatione hominis, & ex dispositione eius perpendere possum, illas, quas ego personaliter immitto cordi eius, quia licet ego perdidi dignitatem meã, tamen ex subtilitate naturæ meæ adhuc remã-* *sit*

sit mihi sapientia tanta, quod ex dispositione hominis intelligere possum statum mentis, sed omnes cogitationes hominis cognoscere non possum.

12 De scientia verò dæmonũ dicit *D. Tho. par. 1. q. 64. art. 1. ad 5. & lib. 2. sent. dist. 18. q. 2. art. 1. & 3.* quod tripliciter cognoscunt veritatem st. per naturam, reuelationem, & experientiam, per experientiam, quia sciunt hominum inclinationes, & modos superandi illos, quia omnia tentandi genera, insidiasque deprimendi, vsu ipso vetustatis didicerunt, per reuelationẽ, quantum Deo placuerit reuelandi (quod fit per Angelos sanctos, cum ad malum pęnæ inferendum vti soleat Deus dæmonis ministerio, dictæquè pęnæ durationis tempus certo scire possunt, & reuelare diuinatoribus) *Sanch. in summa lib. 2. cap. 38. nu. 7.* per naturam autẽ, quia à princ. suę creationis statim cognouerunt omnes species rerum creatarum à Deo per species inditas idem *Sanct. cit. q. 89. art. 3.* ex quibus dicit *Sylu. v. maleficium n. 1. in fine*, quod quilibet diabolus perfectè cognoscit virtutes omnium Angelorum, stellarum, volucrum; animalium, piscium, arborum, metallorum, herbarum, lapidum, & elementorum; vnde sciunt quæ hominibus prodesse, vel obesse possunt, & propterea quia possunt subito à longissimis partibus ea afferre, & visibiliter, & inuisibiliter locis opportunis applicare, non solùm exterius, sed etiam interius inferendo per os, cum homo dormit, aut putat se bibere, vel quid aliud sumere, hinc est, quod Vetula, aut alio incãtante, sanãtur infirmitates, & malefico torquente imaginem, torquetur homo multum distans, quia hoc diabolus operatur ex pacto tacito, vel expresso cum prędictis *idem Sylu. d. n. 5. imo addit v. diuinatio nu. 1.* secundum omnes Theologos, quod sciunt omnia nobis occulta, præter mentium cogitationes, & affectiones.

13 Et proinde omnia ista, quæ homines latent, possunt diuinatoribus communicare, vt prædicant. *Sanch. in summa lib. 2. c. 38. n. 8.* vbi ait, talem communicationem à dæmone fieri, vel se aspectabilem diuinatoribus offerendo, verbisque illa manifestando; vel absque vllo aspectu, formatis in aere verbis, vel immisso scripto aliquo, vel in somnis, aut vigilia afficiendo, & commouendo phantasiam, quæ probabilissimè coniectans prædicere potest. quia vt dicit *Christus sponsæ suæ Birg. lib. 4. c. 38.* in princ. diabolus ex subtilitate scientiæ suæ, & motibus exterioribus hominis deprehendit interiora. Et addit idẽ *Sanch. cit. n. 7. ex cit. del Rio lib. 4. disquis. magic. cap. 2. q. 2. Perein. lib. 3. de mag. cap. 5. num. 35.* quod cum ingenio angelico, & tam exacta omnium naturalium cognitione, ac tam longa experientia prædictus sit, sagacissimus est ad pręsentienda ex his futura, cumque omnium hominum temperamenta, affectusque optimè noscat, & quod ex ipsis oriri soleat, potest ex his pendentia à libero arbitrio optimè coniecturare, & inde contingit, vt sæpè vera annuntiet; Item potest ex clandestinis concilijs scriptis deliberationes hominis futuras solertissimè conijcere, vtpotè cras talis homo talem noceat, vel ut talis Regno deponatur; Item quod talis Rex moturus sit bellum alteri, quia scit ita determinasse in consilio, & non esse leuem, neque mutabilẽ; præterea si morbus euiuslibet sit ex maleficio, qui ex pacto cessaturus est, sublato signo, potest certum morbi finem prædicere *Sylu. d. v. maleficiũ sub n. 5. et Sanch. cit.*

14 Circa verò præterita potest ea omnia; quæ aliquando aliena relatione accepit, vel coram ipso gesta sunt, certo annuntiare, quippe ea omnia memoriæ retinet, & circa præsentia, si illa in actu externo cõsistant, possunt certissimè dæmoni nota esse vt occultissima furta; res perditę, thesauri olim defossi, item ob incomparabilem sui motus celeritatem, potest denuntiare gesta in remotissimis partibus, atque ita diuinatores, ea à dæmone accipientes denunciant multo ante, quam humano modo sciri valeant *Greg. de val. 2. 2. disp. 6. q. 12. pu. 3. col. 1. Syl. cit.* potentiã autem dæmonis tantam esse dicit *Christus eidem suæ spõsæ lib. 1. cap. 60. n. 2.* quod nisi de voluntate, & potestate sua refrenaretur, etiam montes, Vrbesque subuertere posset, &

15 *Iob cap. 41.* scribit non esse potentiam super terram, quæ comparetur ei, *David in Psal. 71* vocat eum potentem per antonomasiam ibi, *quia liberauit pauperem à potente, vt explicat D. Greg. lib. 33. moral. cap. 17.* hanc autem potentiam exercere contra homines nequit, vt diximus, nisi Deo permittente, *D. August. lib. 7. de Ciuit. Dei c. 35. & lib. 10. c. 21.* vbi affirmat hanc dę-

monibus à Deo permissam potestatem, non solùm non esse perniciosam, sed Ecclesiæ proficuam, vt martyrum numerus impleatur, quos Ciuitas Dei tanto clariores habet, quanto fortius aduersus impietatem potestatum, etiam vsque ad san-
16 guinem certant. Itē dicit *Syl.d.v.maleficiū n.2. ex D. Tho.* multis in locis, quod diabolis obediunt omnia corpora inferiora ad nutum, quantum ad motum localem, ita quod sicut anima humana se habet ad mouēdum vnū solum corpus sibi vnitum, ita illi tanquam eleuatiores se habent ad mouendum omnia inferiora, excepto quod nō possunt mouere totam terram, sed benè possunt mouere turrim, aut montes.
17 Præterea tanta celeritate se mouere naturaliter possunt, vt in tempore inperceptibili ab oriente in occidentem, & à Cœlo ad terram, vel à terra ad Cœlum se transferant nullo medio pertransito, vt probat *D. Tho par.1.q.53. art. 1. & 2.* & consequēter dicit Sylu.cit. possūt aliquod corpus celerrimè secum transferre, & facere omnia, quæ fieri possunt per motum localem, aut per applicationem virtutum actiuarum naturalium, vt pluuias, ventos, & huiusmodi, & similiter condensare aerem, & in eo apparere in forma viri, vel mulieris, aut bestiæ, vt fecerunt S. Hilarioni, & alijs; possunt etiam mutare nostram voluntatem non directè, quia hoc ad solum Deum pertinet, sed persuadendo, & concitando passiones *D. Thom. 1.2. q.9. art.6.* & proinde inclinant vehementer hominem ad peccandum, commouendo phātasiam, & appetitum sensitiuum, & obtenebrando intellectū, vt voluntas absque aliquo rationis discursu consentiat peccato idem *Sanctus cit. q. 80. art. 2.* quod faciūt aliquando per exteriora, assumendo corpus humanum, sicut tentarūt Christū verbotenus, offerētes ei omnia Regna mūdi *Matth. 4.* & alios Sanctos in forma pulchrium mulierum.
18 Et tandem omissis alijs dicit *Sylu. cit. n. 3. in fine*, quod possunt inducere infirmitates in corpus humanum, applicando virtutes corporum inferiorum, quæ sibi notæ sunt, vt dictum est, & nocere etiam rebus; vtrūque enim fecerūt Iob, in cuius damnum, cum ceciderit ignis de Cælo, eiusque familiam cum gregibus pecorum vno impetu consumpserint dicit *D.Tho. 1. p.q. 114. art.4. incorp. ex D. August.* fuisse opera vera Sathanæ, non autem phantasmata, quæ tamen constat ex eodem contextu sacræ paginæ non fecisse, nisi Dei præcedente licentia, vt *in lib. 1. eiusdem Iob c.1.* concludit rū *D.Tho. cit. ibidem*. quod materia corporalis non obedit Angelis bonis, seu malis ad nutum, vt dæmones sua virtute possint transmutare materiam de forma in formam, sed possunt adhibere quędam semina, quæ in elementis mūdi inueniuntur ad huiusmodi effectus complendos, & proinde omnes transmutationes corporalium rerum, quæ possūt fieri per aliquas virtutes naturales, ad quas pertinent prædicta semina, possunt fieri per operationem dæmonum, huiusmodi seminibus adhibitis, sicut cum aliquæ res transmutantur in serpentes, vel ranas, quæ per putrefactionem generari possunt.
19 Illę verò transmutationes corporaliū rerū, quæ nō possūt virtute naturæ fieri, nullo modo, operatione dęmonū secūdum rei veritatē perfici possunt, sicut quod corpus humanū mutetur in corpus bestiale, aut quod corpus hominis mortuū, reuiuiscat; & si aliquādo aliquid tale, operatione dęmonum fieri videatur, hoc non est secundum rei veritatem, sed secundum apparentiam tantum, quod quidem potest dupliciter cōtingere, vno modo ab interiori, secundum quod dæmon potest mutare phantasiam hominis, & etiam sensus corporeos, vt aliquid videatur aliter, quam sit, alio modo ab exteriori; cum enim ipse possit formare corpus ex aere cuiuscumque formæ, & figuræ, vt illud assumens, in eo visibiliter appareat, potest eadem ratione circumponere cuicumque rei corporeæ quamcumque formam corpoream, vt in eius specie videatur hęc ille, De quibus illusorijs transformationibus habes *in c. Episcopi 26.q.5. D. August. lib. 8. de Ciuit. Dei c. 8.* variaque exempla scitu digna refert *del Rio 2. disquisit. magic. q.8.* vbi de transmutatione Nabuchodonos. Regis agit ex *D. Gregor. 5. moral. 8. & Michaele Medin. lib. 2. de recta in Deum fide cap. 7.* cōcordat tamen doctrina D.Thomæ cum alia eiusdem *2.2.q.95.art.4.ad 2.* vbi men-
20 tio fit de apparitione Samuelis Sauli opera mulieris habentis spiritum Pythonis, vt legitur *1. Reg. c. 28.* quem text. soluit Sanctus videlicet.

Non est absurdum credere aliqua dispen-

fatione permissum fuisse, vt non dominante arte magica, vel potentia, sed dispensatione occulta, quæ Pythonissam, & Saulem latebat, se ostenderet spiritus iusti aspectibus Regis, diuina eũ sententia percussurus, vel non verè spiritus Samuelis à requie sua excitatus est, sed aliquod phantasma, & illusio imaginaria diaboli machinationibus facta, quam scriptura Samuelem appellat, sicut solent imagines, rerum suarum nominibus appellari, quem locum commentans, Caiet. ibidem dicit, quod neutra ex his expositionibus videtur certa, licet vtraque habeat pro se fauorem; quod n. verè fuerit anima Samuelis, patet *ex Eccl. c. 46.* ibi *post hac dormiuit, & notum fecit Regi, & ostendit illi finem vitæ suæ*; & ita constanter tenet *Martin. del Rio 2. disquis.magi.q.26. sect.4. & q.4.*ex veteribus Rabbinis Iosepho, sanctis Patribus, alijsque contra *Leloyerium lib.4. de spectris. c.1. qui adducit D. August. lib.de cura pro mortuis cap.15.* quod verò fuerit dæmon in forma Samuelis, constat *ex c.nec mirum 26. q.5.* concludit ergo Caiet.quod adhuc sub iudice lis sit.

21 Sed ego puto litem, si antea erat, fuisse decisam per D. August. cuius est tex.prędictus, qui optimè exponit locum cit.sacræ paginæ, & probat aperte fuisse diabolum in forma Samuelis, pręcipuè quia nõ permisisset iste adorari à Saule, dũ prædicauerat Deũ solũ esse adorandũ, & ideo in forma Samuelis fuisse Sathanam adoratum, quẽ propterea habuisse fructum suę fallaciæ, nec mirum fuisse, si imminentem mortem Saulis dæmon prædixisset, cum signa quędam soleant prope morituris apparere, quæ facilè ipse ex sua scientia cognoscere potuit, & concludit August. ibidem circa finem, quod si dæmones videntur sanare languidos, aut lædere sanos, & huiusmodi, Dei permissu hoc fiat, vt illi, qui hæc audiunt, vel vident, probentur, & appareat qua fide sint, vel deuotione erga Deum. De quibus omnibus alijsq; innumeris eruditè, lateq; discurrit *cit.del Rio, à q.6. per 24.alias quæst.vsq;ad libri finẽ.* nempè an dæmon possit vnũ corpus in duobus locis distinctim, vt duo corpora in eodem loco constituere, aut ex vna in aliam speciem commutare, aut bruta loqui, aut brutorum voces intelligi facere, aut seni iuuentutem reddere, & alia innumera.

Agitur iterum de diuinatione, & reliquis superstitionum speciebus.

SVMMARIVM.

1 *Diuinationis genus est triplex, & quæ ista sint?*

2 *Diuinatio per pactum explicitum cum dæmone semper est mortale, nec admittitur ignorãtia, sicuti per pactum tac.tum, si non sit crassa, vel affectata, & n.3. Per sortes, an & quando sit licita, vel illicita? & quibus modis fieri possit? num.4.*

5 *Sorti, seu fortunæ commissio alicuius negotij, an & quando sit licita?*

6 *Superstitionis species est vana obseruantia, quæ multis modis fieri potest, & nu.7. 8 & 9.*

10 *Somniorum obseruantia an, & quando sit peccatum? & n. 11.*

12 *Magia quid sit.*

13 *Maleficium quid sit, & quibus modis fiat? & n. 14. Est duplex amatorium, & veneficum.quæ sint, & quos effectus pariant? cum eorum pœnis n. 15. permittitur diabolo à Deo magis in actu potentiæ generatiuæ, quam in alijs, & quare? n.16.*

17 *Lamiæ, seu striga multa diaboli opera facere solent, & propterea puniuntur ab Inquisitoribus n. 18. & in quo hæc secta consistat? n. 21. 22. & 23.*

19 *Diaboli inuocatio, seu illi traditio sui ipsius multis modis fit, vt infra, & est casus S. Officij.*

20 *Sortilegium, seu factura fuit inuenta penes quendam reum, qui propterea cum torqueretur, non sentiebat tormenta. referuntur verba, & signa facturæ cum pœnis illis debitis, & n.21. & 22.*

Resolutio LXXXIV.

HAEc diuinatio vltra dicta in priori resol. multis modis fieri potest, de quibus latè D. August. *in c.igitur, & c.sciendum 26. q. 3. & D. Thom.2. 2. q.95. per totam,* præcipuè verò art. 3. quos longum esset sigillatim recensere, concludit tamẽ

1 ibidem in corp. in fine triplex esse diuinationis genus, quorum primum est per

festam dæmonum inuocationem, quod pertinet ad Necromanticos, secundum est per solam considerationem dispositionis, vel motus alterius rei, quod pertinet ad augures, tertium est, dum facimus aliquod, vt nobis manifestetur aliquod occultum, quod pertinet ad sortes, quæ diuinationum genera ibidē sigillatim explicat, & addit ad 1. quod in omnibus prædictis est eadem generalis ratio peccandi, sed non eadem specialis; multo enim grauius est dæmones inuocare, quam aliqua facere, quibus dignum sit, vt se dæmones ingerant.

2 Quod explicando *Caiet. ibidem art. 2. versic ad euidentiam, & Sanch. in summa lib. 2. c. 38. nu. 17.* dicunt, quod diuinatio per pactum explicitum cum dæmone, siue verbis, siue facto, semper est mortalis, nec inter fideles potest quis ex ignorantia excusari, cum res præseferat malitiam inexcusabilem; etenim ab ipso mundi exordio Deus inimicitias posuit inter homines, & dæmones, omnesque in baptismo illis, & pompis eius renunciant, & quia sunt etiam cum Deo inimici; quando ergo homines pactum cum illis ineunt, crimen læsæ Maiest. diuinæ contrahunt, multo magis quam Vassalli alicuius Regis, quando conuersantur cum eius inimicis, *ex l. 1. & toto tit. ff. ad l. Iul. Maiest.* vel vti desertores militiæ cęlestis, & accessores ad inimicum Dei Cœli, desertores n. militiæ terrestris, seu transfugæ, ad furcam damnantur *l. desertorem §. is, qui ad hostes ff. de re milit.*

3 Diuinatio vero per pactum tacitum cū eodem dæmone, est etiam mortalis, sed habet locum ignorantia, nisi sit affectata, vel crassa, *Caiet. & Sanch. cit. vbi n. 20.* addit quod si intentio diuinantis, nō sit superstitiosa, sed solū iocosa oblectationis gratia, vel obseruentur somnia, auguria, haruspicia, & reliqua, per quæ diuinatur, non habendo illis fidem, tamquam certis, sed solùm timorem quendam concipiendo, esse regulariter venialia, verum fatetur *n. 21. in fine*, esse rés valdè periculósas eo magis (dico ego) quia diuinatio in genere est omni iure prohibita, & primo de iure naturali, quo tenemur seruare reuerentiam, & fidem Deo, quæ rumpitur adhęrendo, vel tacitè suo inimico *Syl. v. maleficium sub n. 8. de iure diuino Deuteron. cap. 18. leuit. 20. Num. 25. Esaia 8. Ecclesiast. 34. de iure can. c. non obseruetis 27. q. 7. cum multis alys, & in tit. de sortileg. Item de iur. ciuili l. nullus l. nemo, & l. culpa C. de malef. & mathem.* de cuius tamen quæstionis veritate vide infra *n. 10. & 11.*

4 Potest etiam hæc diuinatio fieri per sortes; propterea dubitari potest an tali modo sit licita, fieri n. solet ad aliquod futurum, vel occultum sciendum per taxillorum emissionem iuxta *Gl. in l. sed cum ambo v. forte de iudic.* vel aliquarum chartularum scriptionem, plumbi, vel ceræ liquefactionem, aut huiusmodi, vt tradit *Tol. lib. 4. c. 15. n. 8.* quod tripliciter potest contingere; siquidem ait *D. Thom. 2. 2. qu. 95. art. 8.* si quæratur iudicio sortium, quid cui sit adhibendum, siue illud sit res possessa, siue sit honor, seu dignitas, seu pœna, aut actio aliqua, vocatur sors diuisoria, si autem inquiratur quid agere oporteat, vocatur sors consultoria, si verò quid sit futurum, vocatur sors diuinatoria; diuisoria iuxta eundem Sanctum cit. est licita, si expectatur exitus à fortuna, vel ex aliqua spirituali causa dirigente, quod dicit fieri solere, quando aliqui non valentes aliquod concorditer diuidere, sortibus ad diuisionem vtuntur, quasi fortunæ exponentes, quis quam partem accipiat, quod probatur etiam *in l. sed cum ambo, & l. si qua sunt ff. famil. ercisc.* nisi quis putaret effectum hunc oriri secundum dispositionem stellarum; quia tunc ex quo actus hominum, qui requirūtur ad sortes, non subduntur dispositioni stellarum; nec etiam euentus ipsorum, tale sortilegium esset superstitiosum, & illicitum, quia cum assumptum sit vanum, & falsum, non caret dæmonum ingestione idem Sanctus ibidem, cui adde *D. August.* epist. 20. ad Honoratum, & lib. 7. de doctr. Christ. c. 8. Bed. in c. 1. Actor. & nouissimè Mart. del Rio lib. 4. disquis. magic. qu. 1.

5 Si verò ex spirituali causa expectetur sortium iudicium, & iterum distinguit D. Tho. aut à dęmone, & tales sortes sunt illicitæ, imò addit *Tol. cit.* quod semper est peccatum mortale, quia saltem tacitè ille inuocatur, aut expectatur à Deo, & nō sunt malæ iuxta illud *prou. 16. sortes mittūtur in sinum, sed à Domino temperantur, & Gl. super psal. 30. ibi in manibus tuis sortes meæ* dicit, quod sors non est aliquid mali, sed res in humana dubitatione diuinam in-

dicans voluntatem, alia exempla sunt *in lib. Iosuè 7. 1. Reg. 14. Ionæ 1. & tandem act. Apost. 1. vbi Matthias sorte ab Apost.* ad Apostolatum fuit electus, addit tñ Sãct. vbi supra posse in hoc quadrupliciter peccatũ incidere primò, *si absque vlla necessitate ad sortes recurratur, quia videtur ad Dei tentationem pertinere, secundò, si quis etiam in necessitate absque reuerentia Dei sortibus vtatur, vnde oportet præcedere orationem, vt fecerunt Apostoli ante sortium emissionem pro electione Matthiæ, tertiò, si diuina oracula ad terrena negotia conuertantur, quartò si in electionibus Ecclesiast. quæ Spirit. Sanct. inspiratione fieri debent, aliqui sortibus vtantur*, hæc ille; & ratio potest esse, quia ad dignitates debent eligi viri docti, & probi *c. cum in cunctis de elect.* vnde in talibus electionibus prohibetur generaliter sortiũ emissio *c. 3. de sortil.* sors autem consultoria sẽper est illicita, & peccaminosa, cũ iudiciũ expectetur à dæmone, vt percipitur ex eodem D. Thom. & tradit *Tol. d. n. 8. & 9.* (secus si à Deo per supradicta,) & idem dicitur de diuinatoria, vt ẽt supra dictum est, et latè *Sanch. lib. 2. summa c. 38. n. 56. & seq.* Hinc patet graue peccatum esse diuinationis genus, vnde *in c. 2. de sortileg.* Clericus qui per Astrolabium conatus fuerat furem occultum nosse, etiam sine intentione dæmonem inuocandi, vt grauiter peccans, ab altaris ministerio fuit per annum suspensus. Vide *Canonistas in 26. qu. 5. c. si quis Episcopus.*

6 Tertia superstitionis species est vana obseruantia, quæ secundum *Tol. cit. c. 16. n. 1.* continet sub se quatuor species infimas, prima dicitur ars notoria, quę continet orationes quasdam, & ieiunia ad consequẽdas sciẽtias absque vllo labore, sicuti quãdo infunduntur à Deo, qui solus potest, & solet hoc facere, vt fecit Salomoni *3. Reg. c. 3. & 2. paral. c. 1.* & Apostolis, vt etiam legitur apud *Lucam c. 21. & 1. ad Corinth. 12.* illa autem semper est illicita, & inefficax, quia non habet virtutem causandi scientiam, & per consequens procedit ex pacto expresso, vel tacito cum dæmone: fit n. vt docet *D. Tho. 2. 2. q. 96. art. 1. in corp.* inspectione quarumdam figurarum, prolatione quorumdã ignotorum verborum, & alijs huiusmodi *Sylu. v. superstitio nu. 10.*

7 Secunda est obseruantia sanitatum, cum quis ad illam obtinendam media vana, atque inutilia adhibet, quæ naturaliter tales effectus causare non possunt, vt hi, qui aliquibus orationibus sanant dolores capitis, vel retinent sanguinis fluxum, & cætera huiusmodi *Tol. cit. & proinde dicit D. Thom. vbi supra art. 2. ad 1.* quod si simpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non est superstitiosum, vel illicitum; si verò adiungantur, vel characteres aliqui, vel aliqua nomina, vel aliæ quæcumque vanę obseruationes, quæ manifestum est efficaciam non habere, superstitiosum est, & illicitum, quia censentur ex dæmonis opera causari, ad superstitionem n. pertinent omnia remedia, quæ medicorum disciplina condemnat Sylu. cit. ex eod. D. Thom. si autem tales orationes immunes sint ab omni mala circumstantia, sed contineant Passionem, & Crucem Christi, & huiusmodi, non peccat mortaliter illas cũ reuerentia recitans, vsque adhuc prohibitum sit ab Ecclesia; melius tamen erit ab illis abstinere, & vti Euangelio à sacerdote prolato, vel alia oratione Ecclesiæ ex deuotione Deo fusa Sylu & Tol. cit.

8 Tertia est obseruantia futurorum euentuum, quæ ordinantur ad præcognoscendum aliqua fortunia, vel infortunia, & vt dicit *D. August. in c. illud 26. q. 2.* ad hoc genus pertinet, cum singultienti dicitur, vt dextera manu, sinistrum pollicem teneat, aut si iunctim ambulantibus amicis, lapis, aut canis, aut puer medius interuenerit, limen calcare eum ante domum suam trãsit, redire ad lectum, siquis dum se calceat sternutauerit, redire domum, si procedens offenderit, si vestis à soricibus roditur, plus timere superstitionem futuri mali, quam præsens damnum, quæ transcribit *D. Thom. cit. art. 3. in corp.* vbi addit esse introducta ex vanitate humana, cooperante Dæmonum malitia, qui nituntur animos hominum huiusmodi vanitatibus implicare, & proprerea esse superstitiosas, & illicitas, imò quasdam Idolatriæ reliquias, secundum quam obseruabantur auguria, & quidam dies fausti, vel infausti, quæ tamen cessante omni cum dæmone pacto; veniale non transcendunt secũdum *Tol. d. c. 16. n. 2.* nisi quis pertinaciter istis adhæreat post admonitionem.

9 Quarta est obseruantia reliquiarum, vel diuinorum verborum ad collum appensorum,

sorum, de quibus D. *Tho. cit. d. q. 96. ar. 4. in corp. ita loquitur. dicendum, quod in omnibus incantationibus, vel scripturis suspensis, duo cauenda videntur, primo quidem quid sit, quod profertur, vel scribitur, quia si est aliquid ad inuocationes dæmonum pertinens, manifestè est superstitiosum, & illicitum, similiter etiam videtur esse cauendum, si contineat ignota nomina, ne sub illis aliquid illicitum lateat; vnde Chrysost. dicit super Matth. quod Pharisæorum magnificantium fimbrias suas exemplo, nunc multi aliqua nomina Hebraica Angelorum confingunt, & scribunt, & alligant, quæ non intelligentibus metuenda videntur, est etiam cauendum, ne aliquid falsitatis contineat, quia sic eius effectus non posset expectari a Deo, qui non est testis falsitatis; deinde cauendum est secundo ne sub verbis sacris, contineantur aliqua vana (puta aliqui characteres inscripti) præter signum Crucis, aut si spes habeatur in modo scribendi, aut ligandi, aut in quacumque huiusmodi vanitate, quæ ad diuinam reuerentiam non pertineat, quia hoc indicaretur superstitiosum, alias autem est licitum; vnde in decretis dicitur 26. q. 5. c. non licet Christianis, &c. nec in collectionibus herbarum, quæ medicinales sunt, aliquas obseruationes, aut incantationes licet attendere, nisi tantum cum symbolo diuino, aut dominica oratione, vt tantum Creator, & Deus omnium adoretur, & honoretur, hæc ille Syl. d. n. 10. in fine, Tol. vbi supra*; & latè de omnibus prædictis vanis obseruantijs *Sanch. in summa lib. 2. c. 40. per totum*, latissimè vero deque singulis huius vanæ obseruantiæ modis peragit *Mart. del Rio 3. disquis. mag. q. 4. sect. 3. & seq. vide cit. tex. in c. nō licet 26. q. 5. & q. 7. c. nō obseruetis, & Mart. de Arles de superst. tr. 10. Nau. c. 11. n. 35.*

10 Quibus adde pro vana obseruātia somniorum doctrinam eiusdem D. *Thom. 2. 2. q. 95. ar. 6. in corp. ibi sciendum est ergo*, quod somniorum quidē *quandoque est causa interior, quandoque exterior, interior autem somniorum causa est duplex. vna quidem animalis, in quantū st. ea occurrunt homini phātasiæ in dormiendo, circa quæ eius cogitatio, & affectio fuit immorata, vt vigilando, & talis causa somniorum non est causa futurorum euentuum; vnde huiusmodi somnia per accidens se habent ad futuros euentus, & sic si quādoque simul concurrant, erit casuale. Quandoque verò causa intrinsica somniorum, est corporalis, nam ex interiori dispositione corporis formatur aliquis motus in phantasia, conueniens tali dispositioni, sicut homini, in quo abundant frigidi humores, occurrunt in somnijs quod vel sit in aqua, vel niue, & propter hac medici dicunt esse intendendum somnijs ad cognoscendum interiores dispositiones, causa autem somniorum exterior similiter est duplex, st. corporalis, & spiritualis, corporalis quidem in quātum imaginatio dormientis immutatur, vel ab aere continenti, vel ex impressione cælestis corporis, vt sic dormienti aliqua phantasia appareant conformes cælestiū dispositioni; spiritualis autem causa est, quādoque à Deo, qui ministerio Angelorum aliqua hominibus reuelat in somnijs, secundū illud Num. c. 12. si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum; quandoque verò operatione dæmonum aliqua phantasiæ dormientibus apparent, ex quibus quandoque aliqua futura reuelant his, qui cum eis habent pacta illicita; sic ergo dicendum quod si quis vtatur somnijs ad præcognoscenda futura secundum quod somnia procedunt ex reuelatione diuina, vel ex causa naturali intrinseca, siue extrinseca, quantum potest se virtus talis extendere, non erit illicita diuinatio, si autem huiusmodi diuinatio causetur ex reuelatione dæmonum, cum quibus pacta habentur expressa, quia ad hoc inuocantur, vel tacita, quia huiusmodi diuinatio extenditur ad quod se non potest extendere; erit diuinatio illicita, & superstitiosa*, quem locum commentans Caiet. ibidem in fine dicit, quod author in littera duobus modis superstitionem esse in somnijs concludit, quando st. est expresa inuocatio dęmonū, vel quādo oīa extenduntur ad ea, ad quæ se non possunt extendere, vt sunt habere certitudinē de cōtingentibus, & alijs, quæ subterfugiunt etiam cælestia corpora, tunc n. est tacita cum dæmone societas. vide eundem *cit. del Rio lib. 4. q. 6.* vbi quando diuina, quando dæmoniaca sint explanat quibusq; ex causis somnia fiant.

11 Quam tacitam societatem, seu pactum clarius explicat *Nauarr. in man. c. 11. n. 33.* dicens, tunc esse, seu præsumi, quando quis propter somnium credit illud, ad quod vis somnij extendi non potest, veluti se numquam fore interficiendum, vel quod thesaurum inueniet, vel scire quam vxorem sit ducturus, quamuis credere aliquid, quod in somnijs accepit, dum existimat esse reuelationem diuinam, vel causam, aut signum naturale sufficiens ad signi-

significandum aliquod,non sit peccatum, vt probatur *in Genes.40. & 41.* vbi Ioseph interpretatus est somnia pincernę Pharaonis, & eiusdem Pharaonis, & Daniel somnia Regis Babilonis *Dan.2.& 4. item in Iob 33.* dicitur per somnium in visione nocturna, quando irruit sopor super homines, & dormiunt in lectulo, tunc aperit Deus aures virorum, & erudiens eos instruit disciplina; & tandem dicit *Sanch. lib.2.cap 38.n.12.* esse solùm veniale,quando obseruantur somnia, non habendo illis fidem, tamquam certis, sed solùm timorē quendam concipiendo, quia deficit perfecta superstitionis ratio. De his tamen alijsque innumeris diuinandi modis accuratè, & subtiliter agit *del Rio per totum ferè 4. librum disquis.magic.*

12 Quarta superstionis species est magia, quæ quid sit, & quatenus soleat variè vsurpari, tract ant exactius Victoria *in relect. de magia nu.8. Angles. in 2. dist.7.cit.del Rio lib.1.c.2.* vbi hębraica nomina funditus de hac re declarat. & à *Tol.cit.c.14.nu.6.* describitur, quod sit potestas inordinata faciendi, quod supra naturam est, & dicitur inordinata ad differentiam illius, quæ fit ex diuino fauore, & quia latè diximus de diuinatione *supra à nu.1.* & in priori resol. quæ pro eodem à DD. sumitur, ideo ibi, & ad relatos DD. me remitto; remanet ergo agendo de vltima, quæ est maleficium, quod secundum *Sylu. v. maleficium n.1.* dicitur à malefaciendo, & describitur per *Tol. cit.c. 16. n.2.* quod sit ars nocendi

13 alijs ex dæmonis potestate, cui ergo hoc nocumentum fit, dicitur maleficiatus, & si maleficium est perpetuum, separatur matrimonium, etiam per verba de præsenti contractum, vt in *c.sortiarias 23. q.1. Gl.in c.constituimus v. malefici 3. q. 5.* (de qua tamen materia vide infra *resol. 106.n. 26.& seqq.*) qui autem illud facit opera diaboli per pactum expressum, vel tacitū, dicitur maleficus,quod pactum fit eo modo, quo diximus *supra in priori resol. nu.6.* & vlterius solet infigi gladius intra circulum,vel fieri imago cerea cum acubus infixis, vel alio modo in signum fędetis inter diabolum, & maleficum Sylu. cit.

14 Solent etiam in istis maleficijs res sacras miscere, aquam st. benedictam, oleum sanctum, ceram benedictam,& quod magis est sanctissimum, quia dæmon inimicissimus rerum sacrarum, & Sacramentorum conatur homines ab istis auertere, & propterea persuadet istis abuti, & vim maleficiorum in istis abutēdis esse *Tol. cit. post n.8.* Itē Solet à maleficis pactum cum dæmone iniri, vt quamdiù ligatura aliqua fuerit, vel dum res aliqua in tali loco defossa permanserit, aut quid simile, duret maleficium, & ijs ablatis cesset, quo pacto obligatur dæmon nocere, eo signo durante, & cessare, eo ablato *Sanch. in summa*

15 *lib.2.cap.41.n.18.* Item duplex datur maleficium, vnum dicitur amatorium,alterū veneficum, illud est,quo malefici vtuntur ad flectendos animos hominum ad amorem carnalem, inclinando ad vnum, vel diuertendo ab alio, verum non potest per hoc voluntas hominis cogi ad amandum, sed tantum persuaderi, mouendo phantasmata, & hominis imaginationem, vt voluntas magis afficiatur ad amandum, faciendo apparere mulierem pulchriorē, & irritando appetitum carnis, semper tamen manet libera voluntas,& propterea rectè dicit *Tol.cit.n.5.* non excusari istos à peccato, quamuis dicant se trahi inuitos ad amorem, vel odium, quia solùm Deo permittente tentantur,sed non coguntur; quod etiam probatur *in l.eorum C.de malefic. Nahum.3.* & ex SS.Patribus, alijsque docet *del Rio lib.3.q.2.sect.2.* qui species,& modos ea conficiēdi declarat, quare amatoriū maleficium est,quidquid dicitur,fit, datutue eo fine, vt in amorem quis Venerisque furias pertrahatur, soletque appellari Philtra, seù Charitesia, aut Tegularia, quæ vel fit intra corpus maleficiati per cibum, vel potum, vel extra corpus per aliquas rerū mixturas, aut ab extrinseco, aut ab ipsis maleficiatis,acceptas. de quibus singulatim tractat *Grillan. de sortil. q.3. & q.5. l. 3.* deque eorumdem pœnis vide *l.si mulierem ad l.Corn.de sicar. & l.Cicero.de pænis,Gloss.in c.accusatus §.sanè v.saperēt de heret.in 6.& infra n.20.in fin.* Quatenus autem remedijs occurri possit,vide *cit.del Rio sect.3.* hæc tamen omnia sapiunt hæresim, & puniuntur malefici per S.Officium, vt benè dicit *Dia.p.4.tr.7.resol.10. §.sed oritur,& tr.8.resol.15.*

Veneficum autem est, quo solent nocere hominibus, vel in propria persona, occidendo, infirmitates,aut dolores causando, vel in rebus destruendo vineas, arbores, animalia, subuertendo ædificia, vt fecit Iob excitando ventos,grandines,ingentesque

tesque tempestates, sed semper Deo permittente, alias nihil possunt, vt supra diximus, & docet etiam Tol. vbi supra; dicit autem *D. Tho. in 4. dist. 24. art. 3. ad* 1. quod
16 maleficia permittuntur dæmonibus à Deo in actu generatiuæ potentiæ, magis quam in alijs, quia per eam peccatum originale transfunditur; potest n. copula ex maleficio multipliciter impediri, & primo impediendo motum localem corporum, ne mutuo sibi propinquent, se interponendo directè, vel indirectè, corpore assumpto, secundo illa infrigidando, adhibendo occultè virtutes, ad hoc validas. tertiò turbando imaginatiuam, & æstimatiuam, vt reddant mulierem exosam, quarto prohibendo directè eleuationem membri, sicut & motum localem cuiuscunque organi, quinto prohibendo emissionem spirituum ad membra, in quibus est virtus motiua, quasi intercludendo vias seminis, ne descēdat ad vasa generationis, vel ne emittatur *Sylu. v. maleficium n. 6.*

17 Quę quidem maleficia fiunt opera dæmonis ex lamijs, seu strigis, quæ tales dicuntur per similitudinem, quam habent eum lamia; quæ est bestia monstruosa, habens humanam speciem, & corpus bestiale, & ita est crudelis, vt filios suos sæpè dilaniet *Gregor. in lib. 34. moral.* strix verò à strido, quæ est auis nocturna, talis dicta à sonu vocis, quia quando cantat, stridet, & inde dicitur striga, quia nocte pręcipuè versatur in maleficijs; istæ *in c. Episcopi §. illud 26. q. 5.* appellantur mulieres sceleratæ, retro post Sathanam conuersæ, dæmonum illusionibus, & phantasmatibus seductæ, credentes, & profitentes, se nocturnis horis cum Diana Dea paganorum, vel cum Herodiade, & innumera multitudine mulierum æquitare super quasdam bestias, & multarum terrarum spatia intempestæ noctis silentio pertransire, eiusque iussionibus velut dominæ obedire, & certis noctibus ad eius seruitium euocari, sed concluditur in text. has esse illusiones dæmonum in somnis, qui faciunt hæc apparere, non autem quod realiter in corpore de loco ad locum asportentur.

Syl. aūt v. hæresis 3. n. 4. dicit istas, de quibus tex. loquitur esse de alia secta, quia secundum oēs Theologos, quos citat n. 6. nō dubitatur posse hoc dæmones agere, quia materia corporalis inferiorum corporum angelicis Spiritibus siue bonis, siue malis obedit ad nutum, quantum ad motum localem, eo modo, quo humanum corpus mouetur ab anima; vnde possunt strigæ asportari corporaliter à dæmone ad loca, vbi cum eo, & alijs nocte iocentur, alioquin oporteret dicere penè infinitos Inquisitorum processus esse falsos, in quibus hęc patent, imò quod deferantur aliquando et de die inuisibiliter, quod etiam posse diabolum affirmat, scimus enim Angelum bonum asportasse Abachuc de Iudæa in
18 Chaldæam per capillos, quam opinionē rationibus, & exemplis comprobant *Grillan. 2. de sortil. 7. & del Rio 2. disquis. 16.* vbi cit. text. explicant; istæ ergo lamiæ, quia delictum est hereticale, puniuntur per Inquisitores, imo si quomodocumque abutantur sanctiss. (vt intellexi de quodam sacerdote in partibus Germaniæ, qui fuit coactus à dæmone ad consecrandum, & iniuriam post consecrationem inferendam Sanctissimo) traduntur Curiæ seculari, vt docent DD. apud *Dia. par. 4. tr. 7. resol.* 10. *§. fin.*

19 Accidit in M.C.V. quod quędā Iacinta Miranda hispana ob carceris vexationē, inuocando dæmonem, sitæ potestati se tradidit per cedulā sanguine scriptam, & fuit remissa ad Iudic ē Ecclesiasticum, habito pro vero, hoc crimen sapere manifestā hęresim, vt testatur *Sanfel. decis. 233.* vbi idem dicit *nu. 6.* quando maleficus membrum, aut membri partē dæmoni in pignus tradidit, cuius occasione ex *multis DD. addit n. 3.* quod quædam ordinantur directè in dęmonum reuerentiam, qualia sunt eos adorare, oblationes, & sacrificia offerre, inuocare ad futura prænoscenda, tribuere illis aliquod, quod solius Dei sit, & hæc omnia præcipuè si pacto roborata sint, sapiunt manifestam hæresim, quædam fiunt oblique ad eorum reuerentiam, vt curiosi, & perditi homines aliquid sciant, & operentur eorum ope, inuocantes dæmones ad quæstum faciendum, vel ad pudicitiam mulieris tentandam, vel simile; quod si fiat per modum proprium officium, quæ si fiant per modum imperij, non venerando dæmonē, quasi Deum, vel infallibilem veritatem, non sapiunt manifestam hęresim, vt etiam tradunt quamplures DD. *apud Dia. cit. in §. sed oritur*, vbi contrarium *in §. sequenti* dicunt, si fiat per modum deprecationis, quam distinctionem ridiculam esse ibidē dicit Dia. & vtroque casu sapere manifestam

stam hæresim, quia nullam homines habēt potestarem eos imperandi, nisi quando sacerdotes exorcizanr obsessos, & tunc fit ex potestate, & in nomine Christi.

20 Alius casus similis accidit in eadem M. C. V. quem refert idem *Sanfel. decis. 265.* de quodam inquisito pro graui delicto, qui cum tortus acerrimè, nihil confessus esset, fuit inuenta penes eundem quædam schedula cum multis signis crucis tenoris sequentis.

† Iesus † Maria † Ioseph † Eructauit cor meum verbum bonū Ego † non dicā opera † mea mala Iudici † Hymas gestas, & in medio Diuina Maiestas † hoc † est † enim † corpus meum † tamquam surdus † non audiebam, & sicut mutus † non aperiens os suum † os non comminueris † ex co† Iesus † Maria † Ioseph †††

Hinc dicit *Tol. lib. 4. c. 16. sub n. 8.* maleficijs sæpe adhiberi verba sacra, & verba cōsecrationis, & proinde addit *Sanfel. nu. 3.* verbis schedulæ consideratis non fuisse dubitatum superstitionem esse, sed tātùm, an saperet manifestam hæresim, ex quo non constabat de inuocatione dæmonum refert tamen fuisse inquisitum ad relegādum per quinquennium pro omnibus dānatum, sed addit non fuisse schedulam consideratam ad effectum punitionis criminis sapientis expressam hæresim, quia hoc à Iudice laico fieri non poterat, & propterea à Iudice Ecclesiastico, quādo sūt veri sortilegi, tradi solent Curiæ seculari, vt fuit dictum supra *resol. 48. n. 13.* vbi sortilegium erat coniunctum cum alio delicto, sed ex bulla *Vrban. 8. edita die 10. Aprilis 1631.* in confirmationem *bullæ Sixti V.* tradi mandātur Curiæ seculari, etiam pro isto solo delicto, præcipuè si diuinationes prędictæ fierent de vita, vel morte summi Pontificis; quos vltimi supplicij pęna puniri mandat vltra excommunicationem, & alias pœnas ecclesiasticas, priuationem beneficiorum quorumcunque cum perpetua inhabilitate ad ea; de pœnis autem contra sacerdotes celebrantes, vel confessionem sacramentalem audientes, qui degradantur, & traduntur Curiæ seculari, vide *d. resol. 48. n. 11. & 12.* & de omnibus pęnis contra quoscunque inquisitos pro delictis hæreticalibus, ne aliorum laboribus induar est videndus *Dian. in summa v. hæreticorum pœna vbi latissimè.*

Aliud factum mirabile narratur à Iodoco Damhaudero *in prax. crim. c. 37. nu. 21. apud Dian. par. 4. tract. 6. resol. 37.* videlicet.

21 *Ipse vidi cum in Ciuitate Burgensi essem à cōsilijs in muliercula admodū annuqua tū habitu, tū victu, tū incessu, tū moribus, & fucata sāctimoniæ specie ab omnibus venerabatur veluti vera Christi Apostola, quod muliarum, matronarum filias, & filios quasi miraculosè curaret, gibbos liberaret, crura tibiasque confractis illico restitueret, idque non arte, aut externo medicamine aliquo adhibito, verum ut olim Apostoli pietatis aliquo exercitamento nempe in uno, duobus, vel tribus diebus ieiunarent in pane, & aqua, vel ut ter legerent orationem Dominicam, aut inuiserent aliquas Ecclesias, vel ut sacrum unum, aut alterum religiose audirent, aut aliquas preculas persoluerent agri; His rebus iniunctis, ritè expletis illico, aut certe intra pauculos dies à morbis liberabantur, & firmæ valetudini restituebantur, cum istius mulierculæ ea facta in vulgus latius spargerentur, à Senatoribus intempesta nocte iussa fuit ex lecto comprehendi; & carcere mancipari, postridie cum ab ijsdem Senatoribus perquireretur quomodo, quibus medijs, quo fœdere, quaque fiducia freta suas curas perageret, intrepide semper respondit se piè cuncta exercuisse, & bonis, & pijs orationibus, atque ideò sese non debuisse tàm ignominiosè comprehendi; his non obstantibus ex certis indicijs per Senatum adiudicatur torturæ, ad quam cum venisset, & verbis persuasorijs examinaretur, constanti vultu, & animo semper perdurauit in ea sententia se nihil eorum quæ fecerat, dæmonis ope peregisse, sed omnia pio; & licito modo.*

22 *Interim ob constantē negationē, torturæ tradita est, illa autem non lamentationes, aut clamores edidit, sed horum loco subridere cœpit, & quamuis ligata, digitorum tamen cōplosionibus, indicibus ipsis insultabat, & posita super scamno, aut risit, aut dormiuit; hinc factum, ut è scamno, & tortura relaxaretur, & iterum in carcerem reciperetur, postea noua indicia habita, torturæ iterum tertio adiudicatur; Verum priusquam scamno imponēretur totius corporis pilos, & crines abradi curauimus, postea scamno imponitur, acerrimè torquetur, nihil tamen fateri voluit, tandem quibusdam astantibus succurrit eam non esse tonsam in pudendis, & sub axillis, vbi per tonstrices illi quoque crines abrasi fuerunt, & inter radendum reperta fuit pergamena in pudendis inserta, cui inscripta fuerant aliquot peregrina vocabula dæmonum crucibus, ali-*

quot inter se distincta, hac pergamena Senatoribus exhibita occasionem præbuit, vt rursus scamno traderetur torquenda, vbi facta plenè passibilis, omnia nude fatebatur quæcumque prioribus informationibus fuerunt proposita; cum autem rogaretur cur prius fateri noluit, nisi à me inquit omnes crines, atque etiam hanc schedulam abstulissetis, numquam à me perquirere quicquam potuissetis, vt qua per illam facta eram impassibilis, &c.

23 Addit etiam *Sylu. v. hæresis 3. sub nu. 1.* consistere hāc sectam in credendo, se verè cū diabolo voluptuosè versari, & eo vti vt incubo quo ad mulieres, & succubo quo ad viros, & operari scelera multa, sed præcipuè tria, quia diabolum scienter inuocat, fidem negans, conculcat, & contemnit sacra, puta crucem, & Sacramenta, & homines percutit morte, vel ægritudine per virtutem propriam, vt per fascinationem, & per actiua naturalia, sicuti docta est à dæmone, & per virtutem dæmonis consistentis, & cooperantis virtute propria, vt in reseratione portarum, præcipitatione; & huiusmodi, quæ motu locali perficiuntur, aut virtute actiuorum naturalium, quæ visibiliter, aut inuisibiliter applicat, sicut cum vetula torquente, aut pungente imaginem ceream, vel similem (de quibus supra in ante priori res. n. 14.) torquetur, aut pungitur homo; Item differre istas lamias inter se, quia quædam nocent, sed non curant, quædam è conuerso curant, sed non nocent, quædam verò vtrūque efficiunt, de dictis tamen diabolis incubis loquitur Christus sponsæ suæ Birgittæ, quod incubuerant cuidam scelestæ feminæ, quæ postea confessa est peccatū, & remissionem obtinuit, vt legitur in reuelat. eiusdem *lib. 6. c. 8 t.* & de succubis loquitur *Durand. ibidem cap. 67. nota 2. circa finem.*

Vtrum liceat maleficiatis tollere sibi facere maleficium per aliud maleficium, & maleficis, vel alijs retinere acquisita per magiam?

SVMMARIVM.

1 *Maleficium an liceat tolli facere per aliud maleficium, & quid quando maleficus scit illud tollere modo licito, & illicito? & n. 2. 3. & 6.*

4 *Mutuum ad vsuras licet petere ab vsurario ad fænerandum parato.*

5 *Medicinam superstitiosam nemini licet accipere, vel modo illicito tollere maleficiū.*

7 *Malus non licet cui non licet minus.*

8 *Diaboli opera si aliqua scientia, vel sanitas corporalis sit acquisita, vel pecunia, aut alia bona num liceat sine peccato ea retinere? & n. 9.*

Resolutio LXXXV.

1 AD primum si loquimur de iure ciuili videtur hoc esse permissum, dum *in Leorum §. nullis C. de malef. & mathem.* mandatur nulla pœna puniendos esse, verum *Nicol Remigius Petrus Gregor. & Godelmannus* putant id à Tribuniano homine sceleſtiſſimo scriptum, vbi *Leonis const. 65.* fuerat abrogatum, sicuti & *Caroli V. const.* iubetur arbitrariè puniri. Bar. autem ibidē dicit hoc procedere in foro ciuili, secus in foro conscientiæ, & allegat D. Tho. in genere, qui hoc dicit *in 4. dist. 34. q. 1. art. 3. ad 4. & probatur in c. qui sine Saluatore, & c. illos 26. q. 2. c. admoneant. & c. non obseruetis 26. q. 7. c. exterarum tit. de sortileg. D. Chrysost. hom. 8 ad epist. ad Coloss. D. Leo serm. 19. de passi. Domi. D. August. tract. 5 1. in Ioan. Io. Maior. d. dist. 34. q. 2. Sylu. v. maleficium n. 9. in fine. Nauarr. in manual. c. 1 1. nu. 29. Tol. lib. 4. c. 16. nu. 9.* qui omnes affirmant esse mortale, & posse solūm tolli orationibus, & alijs pijs operibus, Deo effusis, Sanctorumque, vel piorum hominum intercessione, ex quibus infert *Sanch. lib. 2. summa c. 41. n. 4.* peccare etiam mortaliter Iudices, qui curiositatis causa, aut verificandi delicti, aut ob quemcunque alium bonum finem efficiunt, vt coram illis malefici exerceant aliquid maleficij opus, vt facere subito apparere sibi ranas, vel similia. Vnde errauit Paracelsus contrarium asserens: errauit Nicol. Remig. posse id licitè à magis extorqueri vi, & verberibus: errarent iudices id imperantes, etiam si benedictione dicerent tolli. quia cum rectius à sacra persona funderetur, opus erit benedictionem illam à diabolo fuisse ordinatā cogitare. Vide *del Rio 6. disquis. q. 2.* qui latè argumentis satisfacit prædictor.

2 Maior tamen difficultas est quando maleficus scit tollere maleficium, non solūm per medium illicitum, vt supra, sed etiam licitum, an possit quis tunc petere ab eo ma-

maleficij dissolutionem absque peccato, &
Suar. to. 1. de relig. lib. 2. de superstit. c. 18. n. 9.
dicit; quod quando petens credit pro-
babiliter fore, vt maleficus modo licito
soluat, aut dubius est; vtro illorum soluat,
licitum est petere absolutè dissolutionem,
quia petitio est ex se indifferens, & perso-
na à qua petitur, potest licitè id exequi,
ideò cessat mortale periculum; quando au-
tem petẽs est certus, vt medio illicito ma-
leficus soluat, etiam licere dicunt *Au-
reol. in 4. sentent. d. 34. q. 2. Angel. v. supersti-
tio §. 13. & Sanch. to. 2. de matr. lib. 7. c. 95.
n. 12. & in summa lib. 2. to. 1. n. 12.* ea ratio-
ne, quia secundum omnes, vt ipse dicit,
potest licitè peti mutuũ ab vsurario, quã-
do petens eo indiget; nam iste licitè quæ-
rit, & ille culpa sua illicitè agit; ità in casu
nostro, petitur à malefico solutio malefi-
cij, quod potest licitè facere, auferendo
signum, quod si alio maleficio faciat, sibi
imputandum esse, ergo concludit, vel ille
casus negandus est contra omnium men-
tem, vel iste concedendus.

3 Sed ego contrariam sententiam sequen-
dã omnino esse in hoc casu puto, ex *D. Th.
D. Bonau. & alijs in 4. dist. 34. Domi. Sot. lib. 8.
de iust. q. 3. art. 2. Nauar. c. 11. n. 29. Angles.
q. de arte magica art. 6. diffic. 2. del Rio 6. dis-
quis. q. 2.* qui cautiones dat, quando modo
licito destrueretur siue ab eodem, qui fe-
cit, siue ab alio. quibus addo, quod pro-
hibetur simpliciter recursus ad magos, &
ariolos, non solùm in locis à DD. n. 1. re-
latis, sed etiam in leuit. *c. 19. & 20. & deu-
teron. c.* 8. etiam si sint parati ad hoc malum
agendum, & petens quacunque necessi-
tate ducatur, vt dicit *Caiet. in suis opuscul.
to. 2. tract. 12. de malef.* vbi ait esse commu-
nem Theologorum; ratio est secundum
eum, quia non licet vti iniquitate alterius
parati ad peccandum, sed tunc solum
quando potest hoc fieri absque participa-
tione in crimine, quædam n. sunt quæ de-
formitatem peccati habent necessario an-
nexam, ita quod etiam ab eisdem paratis
non possunt fieri, vt est maleficium, vel
actus meretricitis, & similia, quædam ve-
rò sunt quæ secundum se bona, vel non
mala sunt, quæ tamen ex voluntate operã-
tium habent annexum peccatum, vt est
mutuum vsurarij; mutuare n. secundum
se, non est peccatum, sed est bonum, quia
subuenitur necessitati proximi; sed vsura-
rius annectit ex malitia sua deformitatem
vsuræ.

Ex quo sequitur, quod priores actus
nullus potest facere, vel petere, aut con-
sentire, vt ab alio fiant, quia sunt secun-
dùm se mali, & Apost. ad Rom. c. 1. dicit
dignos esse morte, non solùm, qui talia
agunt, sed etiam, qui consentiunt fa-
cientibus; secundos verò generis actus li-
citè potest quis petere, eisque consentire;
quoniam deformitatem peccati non ex se
trahunt, sed voluntatem alterius adiun-
ctam sustinent, & proinde in primis acti-
bus non licet vti iniquitate alterius, quia
hoc non potest fieri absque propria, in se-
4 cundis verò licitè potest quis vti iniquita-
te parati, quia petens quærit actum ex se
bonum, puta mutuum ad sibi succurren-
dum in necessitate existenti, mutuans verò
adiungit iniquitatem sibi ipsi per vsuras;
quod etiam Sanch. concedit in summa
cit. n. 5. & de matrim. etiam loco cit. nu. 7. vt st.
nequeat à parato maleficia efficere, soluti-
onem petere per alterius maleficium, ad-
dit autem, quod quãdo scit maleficus mo-
dum soluendi licitè, & illicitè, & tamen
scit etiã petens modo illicito esse malefi-
cum vsurum ad illud tollendum, quod
possit petere solutionem, sed hoc negatur
5 ex supra dictis. Eo ẽt magis quod in locis
citat. nempe in summ. n. 15. & de matrim.
n. 12. in fine, vult hoc neque licere, si ma-
leficus applicare velit medicinam aliquã
vanam, & superstitiosam, quia esset istis
vti, nullam vim sanandi habentibus, nisi
ope, & inuocatione dæmonis; quod est in-
trinsecè malum, & consentiens medici-
nam illam sibi applicari, reuera vtitur ea,
atque ita medio superstitioso, quasi quod
sit differentia in consensu ad applicationẽ
talis medicinæ superstitiosæ, & in volũtate
expressa, vt tollatur maleficium, etiam
modo illicito petentis; cum verum sit ta-
citi, & expressi idem esse iudicium, vt idẽ
Sanch. fatetur *lib. 1. disp. 65. sub nu. 1. & lib.
4. disp. 6. n. 36. de matrim. ex l. de quibus in
fine ff. de legib. & l. cum quid ff. si cert. pet.*

Item negat Sanch. multa alia, quæ vi-
dentur esse minoris ponderis, quam supra
dicta, quæ concedit, vt est videre apud
eum *d. lib. 2. in summa c. 41. n. 6. & seq. &
de matrim. lib. 7. cap. 95. nu. 13.* non licere
6 st. petere à malefico, vt soluat maleficium,
quod modo licito cõstat solui posse, si ille
hunc ignorat, imò nec licere quando du-
bium est, si ignorat, & quod ad tollendũ
dubium, sit interrogandus maleficus de

medijs ad hoc adhibendis, & si renuat ea explicare, præsumptio fit contra eum, quod medijs illicitis vtatur, & propterea prohibitum tunc esse opera malefici vti, si verò explicet, considerandum, an illa media sint licita, & tandem non licere petere ab alio mago, qui author maleficij non fuit, vt id destruat, quando nil de illo, aut de loco, vbi sunt eius signa nouit, quia præsumitur velle illud tollere per aliud maleficium; si ergo per ipsum non licet, quādo maleficus ignorat medium licitum, vel ignoratur à petente si hoc sciat, vel quando sola præsumptio adest, quod tollatur maleficium per aliud maleficium, quo pacto licebit, quando certè scitur maleficium illud sublaturum per aliud male-

7 ficium, quod ipse concedit. Cui enim non licet minus, nec licebit maius *c. cum illorum §. 1. de sent. excomm. ibi cum maiora intelligantur illis prohibita, quibus vetita sūt minora Gl. in c. cui licet v. cui licet de regul. iur. in 6.* Sed *cit. del Rio contra Ioan. Hasself. in q. sent. in prelect.* disputat posse licitè, maleficij signum destrui, in quo vis erat damnificandi, puta illud comburendo, soluendo ligulas, amouendo ex certo loco, & similiter; non solùm si ex odio in maleficas, & diabolum fiat; sed etiam solummodo liberandi maleficiatum. vbi 14. argumentis contrariæ opinionis respondet. Quæ autem sint remedia siue supernaturalia, siue naturalia ad maleficium tollendum ordinata, amplè recensent *Zacchar. Vicecomit. tract. de remed. corporal. p. 1. Lullus lib. 2. de Quint. essent. Victor. de magi. q. 6. del Rio 6. disquis. q. 3.* vbi contra multos dari huiusmodi remedia naturalia probat, non quidem directè dæmonem expellentia, sed Dei, vel Angeli boni virtute, qua res aliquæ ab initio insita adhuc pollent.

8 Ad secundum distinguo aut n. loquimur de bonis internis nempe quacunque sciētia naturali, aut sanitate, vel huiusmodi semel dęmonis opera acquisitis, & quamuis in acquirendo mortale grauissimum fuerit patratum, nihil obstat, quominus postea quis possit licitè illis vti, dummodo effectus naturalis sit, nec pręsētem dæmonis concursum requirant, quia illa bona naturalia sunt, & quamuis malè parta sint, iam illud malæ acquisitionis peccatum transiuit, nec indè aliquod vitiū, sciētia, aut virtus naturalis cognitæ contraxerunt *Victor. de magia q. 4. n. 15. Greg. de Val. in 2. 2. disp. 6. q. 13. pun. 2. vers. quarto neque Suar. to. 1. de relig. lib. 2. de superstit. cap. 15. n. 24. in fine, & cap. 27. n. 1. & 2.* Aut lo-

9 quimur de bonis externis, nēpè pecunijs, aut vestibus, vel gemmis, & similibus à dæmone acquisitis, & quamuis, vt plurimum sint elusoria, quia apparenter videntur talia, sed postea conuertuntur in carbones, vel totaliter euanescunt, & si vera sunt, retineri etiam licitè possunt, dummodo non constet esse alterius, quia potuit ea dęmon alijs surripere; quo casu restituenda sunt veris Dominis; licet n. Deus hoc permiserit, non propterea permittit iniustam retentionem, sicuti quando permittit furtum, sed non propterea potest de bonis furtiuis acquiri dominiū etiam à tertio per donationem, vel emptionem *l. incivilē C. de furt.* & quia potuit etiam dæmon pecunias, vel gemmas ex mare, seu littore maris, vel ex terra, vbi forte latebat thesaurus, ea desumere, pro inde poterunt etiam licitè retineri. *Suar. cit. cap. 17. nu. 3. Sanch. in summa lib. 2. disp. 41. num. 2.*

Agitur de adiuratione an sit liceat adiurare Deum, vel Sanctos, vel dæmones, aut etiam creaturas irrationales cum alijs ad materiam, & quando talis adiuratio sit culpa mortalis.

SVMMARIVM.

1 *Adiurationis definitio traditur. Est duplex deprecatiua, & imperatiua. item licita, & illicita, n. 2. in quo differat ab oratione nu. 3. Imperatiua, seu coactiua adhibetur licitè à superioribus erga subditos, sed an differat à præcepto obedientiæ? num. 4.*

5 *Adiurare non licet diabolum in corpore ab eo obsesso per modum deprecationis, sed compulsionis.*

6 *Exorcizare cuius officium olim, & cuius hodie sit, & an liceat exorcizanti interrogare diabolum de curiosis, & ad expulsionem non attinentibus? vel petere à diabolo in corpore obsesso signa, ex quibus appareat exitus? n. 7.*

8 *Diabolus in corpore obsesso an possit percuti, vel conspui ad ignominiam, vel ei statuij terminus iudiciarius ad comparen-*

rendum, vel exeundum?

9 *Adiuratio an licitè fiat contra creaturas irrationales, veluti locustas, seu brucos, & quando licet quomodo fiat? n. 10.*

11 *Locustæ, vel bruci an possint excommunicari? vel iudicium instituere, sententiasque proferre contra similia animalia num. 12.*

Resolutio LXXXVI.

QVia in adiuratione potest interuenire aliqua societas cum dæmone, vt infra, & cum supra loquuti simus de maleficijs, in quibus talis societas expressa, vel tacita regulariter interuenit, vt etiam supra dictum est, merito aliqua de adiuratione breuiter hic subnectemus,
1 quam definit *Sylu. v. adiuratio n. 1. ex mente D. Tho. 2. 2. q. 90. art. 1.* videlicet, est aliquam personam, imperando, vel obsecrando inducere ad aliquid faciendum, vel non faciendum ex inuocatione alicuius sacræ rei, sicut *Apost. ad Rom. c. 12. adiurat eos dicens, obsecro vos per misericordiã Dei, & cæt.* Ecclesia adiurat Christum dicens per crucem tuam, &c. sequũtur *Sanch. lib. 2. summa c. 42. n. 1. Regin. lib. 18. c. 9. num. 105.*

2 Quæ quidem adiuratio est duplex deprecatiua st. & imperatiua, item licita, & illicita, deprecatiua dirigitur ad omnes subiectos; & non subiectos, imperatiua ad subiectos tantùm, qu m licet adhibuerit Caiphas, quando dixit Christo apud *Matth. c. 26.* adiuro te per Deum viuum, vt dicas si tu es Christus, iure tamen hoc non fecit, sicuti tot alia, quæ sibi nõ licebant, deprecatiua tamen, & licita censetur, quando bonum habet obiectũ tã remotũ, quod est persona, quæ adiuratur, quam proximum, quod est res, de qua adiuratur, & fit cum reuerentia, bono fine, & nõ nisi exposcente necessitate, vel magna vtilitate; imperatiua verò, & illicita est, quæ caret obiecto bono, siue proximo, siue remoto Regin. cit. illa adhibetur licitè deprecando Deum, vel Angelos, & Sanctos, atque etiam homines superiores; cũ hac tamen differentia, quod adiurando homines, eorum voluntatem per reuerẽtiam rei sacræ immutare intendimus, quod quidem non intendimus circa Deum, cuius voluntas est immutabilis, sed quod à Deo per æternam eius volũtatem aliquid obtineamus, non ex meritis nostris, sed ex eius bonitate ita *D. Tho. 2. 2. q. 90. art. 1. ad 3.* & hoc facit Ecclesia, quando in orationibus addit per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum, &c. *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 4. de adiurat. cap. 2. num. 3.*

3 Angeli, & Sancti etiam adiurantur deprecatiuè, vt dictum est, sed vti intercessores apud Deũ, cum n. fint conciues nostri, licet nobis eorum suffragia expetere, quos Deus vti suos seruos, & amicos facilius exaudit; debent autem peti licita, & honesta, vel vtilia, alioquin si rogarentur Deus, vel Sancti ad prosperandum contractus vsurarios, vel huiusmodi, esset peccatum magnum, quia existimaretur Deum esse authorem mali, quod est impossibile, de quo ipse conquæritur in *psal. 49. ibi, existimasti inique, quod ero tui similis,* & idem de Sanctis, quia inuocarentur, vt intercessores ad malum; si verò adiuratio esset de re veniali, esset veniale *Sanch. in summa lib. 2. c. 42. n. 5. & ante eum Sylu. v. adiuratio q. 5. in fine*; differt autem adiuratio ab oratione, quia per orationem aliquod à Deo petitur, sed per adiurationem vt sic, non petitur à Deo, sed propter Deum, si autem petitur ab hominibus, non est oratio aliqua, maximè quando imperatur inferioribus *Sanch. cit. num. 1. in fine.*
4 Adiuratio imperatiua, seu coactiua competit solis superioribus erga subditos in ijs, in quibus illi subduntur pro causa tamen iusta; possunt enim superiores, prædicta potestate vti, vt diuini nominis reuerentia per adiurationem interposita impellantur magis subditi ad præceptum exequendum iuxta eundem *Sanch. cit. n. 13.* quod tamen non est intelligendum, vt idem rectè concludit *n. 14.* quod sit grauius peccatum transgredi præceptum cum adiuratione impositum, ex virtute Religionis, sed vt quodãmodo sit grauius intra eandem obligationis præcepti speciem; tota ergo difficultas, si in ista materia adest, potest esse circa adiurationem erga obsessos à dæmone, an st. & quando liceat, & pro quibus causis eos adiurare, de qua re scribunt *Sylu. Reg. Suar. Sanch. & alij* latissimè locis citat. sed ferè omnia per eos, & alios disputata concluduntur, vel inferuntur ex doctrina *D. Tho. 2. 2. q. 90. art. 2. in corp.* quam propterea transcribo videlicet.

Duplex est adiurandi modus, vnus quidem
per modum deprecationis, vel inductionis ob
reuerentiam alicuius sacri, alius autem per
5 *modum compulsionis; Primo autem modo non*
licet dæmones adiurare; quia ille modus adiu-
randi videtur ad quãdam beneuolentiam, vel
amicitiam pertinere, qua non licet ad dæmo-
nes vti; secundo autem adiurationis modo, qui
est per compulsionem; licet nobis ad aliquid v-
ti; & ad aliquid non licet; dæmones in incur-
su huius vitæ nobis aduersarij constituuntur;
non autem eorum actus nostra dispositioni sub-
duntur, sed dispositioni diuinæ, & Sanctorum
Angelorum, quia vt August. dicit in 3. de Tri-
nit. Spiritus desertor regitur per spiritum iu-
stum; Possumus ergo dæmones adiurando per
virtutem Diuini nominis, tamquam inimicos
repellere, ne nobis noceant spiritualiter; vel
corporaliter secundum potestatem diuinam da-
tam à Christo secundum illud Luc. 10. Ecce de-
di vobis potestatem calcandi supra serpentes,
& scorpiones; & suprà omnem virtutem ini-
mici; & nihil vobis nocebit; non tamen lici-
tum est eos adiurare ad aliquid ab eis addi-
scendũ, vel etiam ad aliquid per eos obtinen-
dum, quia hoc pertineret ad aliquam societatẽ
cum ipsis habendam, nisi forte ex speciali in-
stinctu, vel reuelatione diuina aliqui sancti
ad aliquos effectus dæmonum operatione vtan-
tur, sicut legitur de Beato Iacobo, quod per
dæmonem fecit Hermogenem ad se adduci.

Hæc tamen potestas expellendi dæmo-
nes, quando Deus permittit expelli, non
innititur sanctitati ministri exorcizantis
obsessum, sicut nec Sacramentorum effica-
cia ab eo pendet; sed ex Ecclesiæ potesta-
te, sibi à Christo tradita, vt ex *D. Tho. Suar.*
6 *& alijs notat Sanch. cit. n. 6. vbi nu. 18. addit*
ex Victor. Sylu. & alijs, hanc potestatem
non esse omnibus traditam, sed solis exor-
cistis, quando adiuratio fit publicè, & so-
lemniter; si verò priuatè omnibus Chri-
stianis, quod tamen hodie certè non est in
vsu, cum exorcistæ sint simplices Clerici,
vt plurimum indocti, & propterea hoc fit
semper per sacerdotes doctos, & bene fũ-
datos in virtutibus, vt sciant quantum
possibile sit eos rectè adiurare, & respon-
dere falsis eorum doctrinis, & deceptio-
nibus; Non licet autem obsessum adiu-
rare, vt dicat curiosa; & nihil ad expulsi-
onem pertinentia, etiam si hoc faciat non
credendo illi, sed ex leuitate; qui tamen
hoc faceret, peccaret venialiter, nisi cre-
deret eius dictis, vel adiuratio esset de-
precatiua, aut longa sermocinatio vana,
vel nisi hoc fiat animo, vt dæmon aliquod
occultũ alicuius peccatum detegat, quibus
in casibus esset mortale *Sylu. cit. n. 3. in fine.*
Valent. 2. 2. disp. 6. q. 8. pun. 1. col. vlt. vers. ad 3.
Armill. v. adiuratio in fine. Sãch. vbi sup. n. 25.

Sed licet adiuranti interrogare dæmo-
nem imperatiue de omnibus, quæ ad ex-
pulsionem faciunt, veluti vt dicat nomen,
& societatem suam, caussamque vexandi
obsessum, vt possit facilius, & nominatim
ei imperari exitus, quamuis non sit illi
credendum, si dicat hoc accidisse ob ali-
quod peccatũ obsessi, ad eũ ad pænitentiã
mouendum, sed deseruiet ad cautelam
adiurantis, vt docent *Sylu. cit. d. n. 3. & San-*
ch. in summa lib. 2. disp. 42. n. 23. qui etiam
7 addit *à nu. 2. vsque ad 34.* non esse super-
stitiosum petere signum à dæmone, quan-
do dicit velle de corpore exire, veluti per
extinctionem luminis, vel alicuius lampa-
dis ruptionem, quia si hoc improbaretur,
improbanda etiam esset interrogatio de
eius nomine, quod permitti solet; sicuti
8 etiam, quod leuiter percutiantur dæmoni-
aci alapis, vel flagellis, non quod dæmones
ex his corporalibus affligi, seu dolere pos-
sint, sed fit hoc in eorum opprobrium, si-
cuti multos Sanctos in eos conspuisse te-
statur; Item quod sit vanum vti terminis
iudiciarijs contra dæmonem, præcipiendo
ei, vt nunc exeat, vel iterum tali die in
iudicio compareat, quia exorcista non est
eius iudex, sed in hoc audiui aliquando
seruatum contrarium; & male, quia nul-
lus exorcista humanus est eius iudex, vt
dicetur infra n. 12.

9 Ad vltimum respondet *D. Thom. 2. 2. qu.*
90. art. 3. in corp. videlicet adiuratio, qua
quis vtitur ad irrationalem creaturam, potest
intelligi dupliciter, vno modo vt adiuratio
referatur ad ipsam irrationabilem creaturam
secundum se, & sic vanum esset irrationalem
creaturam adiurare, alio modo vt referatur
ad eum, à quo irrationalis creatura agitur, &
mouetur, & sic dupliciter adiuratur, vno quidẽ
modo per deprecationem ad Deum directè,
quod pertinet ad eos, qui diuina inuocatione
miracula faciunt, alio modo per modum com-
pulsionis, qua refertur ad diabolum, qui in
nocumentum nostrum vtitur irrationabilibus
creaturis, & talis est modus adiurandi in
Ecclesiæ exorcistis, per quos potestas dæmonum
excluditur ab irrationalibus creaturis; adiu-
rare autẽ dæmones ab eis auxilium implorãdo

non

10 *non licet*: Quam doctrinam dicit *Sanch. lib.2.summa c.42.n.37.* esse ab vniuersis receptam, & addit, quod quia nobis non constat an à Deo, vel dæmone moueantur, vtitur Ecclesia vtriusque exorcismis, nempè orando Deum, & imperando dęmoni, item *Greg. de Val.2.2. disp.6.q.8.pun.2. ad finem*, ibi quare, & si in exorcismis, quando verba adiurationis ad ipsasmet creaturas irrationales diriguntur, non est intentio dirigendi, quasi ipsę adiurationi conniuere debeât auertendo malum, sed verè adiuratio ad motorem dirigitur, ad ipsas autem aliquo modo, vtpote in quibus recipitur illa operatio, seu effectus aduersus quem per adiurationem euertere conamur.

11 Imo dicit *Nauar.in man.c.27. nu.13.* superstitiosum esse credere, quod possint excommunicari locustæ, bruci, aut aliud genus vermium, & animalium irrationabilium, quamquam religiosè vti possimus contra ea aqua benedicta, precibus, adiurationibus sanctis fundatis in diuina bonitate, & misericordia, & suis sanctissimis verbis, ex institutione Ecclesiæ Catholicę, quibus solis vtinã vterentur, qui audacter promittunt se eiecturos ea ab illa, aut illa regione, si illud, vel illud sibi detur, quandoquidem nihil, quod superat vires naturales, effectumque Sacramentorum, & institutionis Ecclesiæ potest promitti tam certo, sicut ipsi promittunt, nec pretium peti sine specie cuiusdam simoniæ. Super-
12 stitiosi etiam sunt horum adiuratores, quando se iudices constituunt ad dirimẽdam litem inter hæc irrationalia, & plebẽ, cui nocent, instituuntque iudicium cum aduocato, accusatore, ac etiam cum Procuratore irrationalium, dantque accusationis copiam, & audiunt rationes vtriusq; partis; quibus auditis, & compilato processu sententiam proferunt esse ab illa regione discedenda; etenim si lis contra irrationalia intentatur, sunt litis, & sentẽtię incapacia, & si aduersus dęmones, à quibus mouentur, nil refert illos accusare, aut defendere, cum soli Deo subditi sint *Sotus l.5. de iust. q.12. art.2. in fine, & lib. 8. q.3. art. 3. in fine* nec obstat, (concludit *Sanch. citat. n.39 in fine ex eod. Nauar. Suar. to.5. in 3.p. disp.5. sect.1. in fine, & alijs*,) sæpè hæc sententiæ obedire, ac nocere desinere, quia id non oritur ex virtute sententiæ, sed ex potestate dæmonis, auferentis ea animalia nocẽtia, vt vel sic vana hæc, & superstitiosa hominibus persuadeat.

Agitur de materia torturæ inferendæ indiciatis de hæresi?

SVMMARIVM.

1 *Tortura an possit inferri in delictis occultis, vbi indicia non sunt adeo vrgentia; sicuti requiruntur?*

2 *Testes minus idonei admittuntur in delictis occultis, quando alij habiles, nec actu, nec habitu inueniri possunt.*

3 *Tortura non est inferenda, quando delictũ est probatum, sed deficientibus indicijs sufficientibus ad eam, quomodo sint inquisiti expediendi? sine illis nec Rex potest de authoritate regia mandare inquisitum torqueri, sed qua pæna veniat puniendus iudex, qui sine illis torturam intulit? n.4.*

5 *Confessio in tortura illata non præcedentibus indicijs nulla est, etiam si postea illa superuenerint, quamuis ageretur de crimine læsæ Maiest.*

6 *Indicia ad torturam sufficientia, quæ sint? multi multa dicunt, sed regula est certa requiri semiplenam probationem, quæ ex quibus oriatur, vide n.7.*

8 *Indicium aliud dicitur proximum, aliud remotum, vt infra, sed quot testes requirantur ad vnumquodque probandum?*

9 *Mulier an admittatur in testem in criminalibus, & si admittitur, quam fidem faciat, etiam si asserat à Confessario sollicitatam?*

10 *Infames non admittuntur in testes, & quã do admittuntur, si veritas aliter haberi non potest, non probant sine tortura.*

11 *Testes singulares non probãt, sed tantum probat vnus, quantum mille, quam singularitatem Bal. comprobat per decem prædicamenta, & n.12. & 13.*

14 *Delictum in genere, vel in specie quomodo probetur? & n.16.*

15 *Iul. Cl. errauit in explicatione delicti in genere.*

17 *Confessio extraiudicialis quomodo debeat esse, vt faciat indicium, & quot testibus non singularibus comprobanda?*

18 *Socij criminis de iure communi non probant, etiam si essent mille, verum fallit in cri-*

crimine hæresis, & in Regno Neap. in latronibus, sed neque in his casibus absque tortura probant & n. 20.

19 *Tortura non potest inferri ex sola depositione vnius socij criminis, nequidem in crimine lesæ Maiest. sed alia adminicula concurrere debent; ex lamiarum tamen depositionibus, etiam si plures sint, non potest contra nominatos ab eis.*

21 *Fama publica, an faciat indicium ad torturam? & an inconstantia rei, vel mendacium, aut fuga eiusdem, vel variatio, & quomodo fama probetur n. 22.*

Resolutio LXXXVII.

1 DE hac re fusissimè tractant *Farinac. de hæret. q. 158. cum sequent. Mascar. de probat. concl. 857. Decian. tract. crim. l. 5. c. 35. Simanch. Cathol. instit. tit. 51. rub. de probat. Zecchi. in summa p. 1. tit. de fide rubr. de hæret. s. 11. Pater Dia. par. 4. tract. 6. per totum.* sed in prima resol. ait, quod Iudices debent esse proniores ad torquẽdum reos huius criminis, quam aliorum, cum sit suapte natura occultum, & facultas probationis deesse soleat; sed ego dico, quod non debet Iudex in hoc habenas nimium laxare; ne innocẽtes torqueat; quã-
2 uis enim de testibus dicatur, quod admittuntur minus idonei in delictis occultis *l. consensu §. super plagis C. de repud.* quando tamen idonei actu, & habitu inueniri non possunt, vt in delictis patratis in nemore, vel in monte iuxta scripta per *Cappell. tholos. decis. 4. n. 6. & addentes ad Clar. in pract. crimin. §. fin. q. 24. n. 123.* tortura ta-
3 men regulariter nõ potest inferri, nisi præcedentibus legitimis indicijs, de quibus intra, nec ad rem pertinet, quod delictum sit occultum, vel publicum, quia si occultum requiruntur indicia sufficientia, & si publicum, nequit deueniri ad torturam, quando potest probari per testes; fatuus n. esset Iudex, qui habendo testes de visu in probationem delicti, hoc torturæ committeret, quæ iuxta documẽtum *l. cons. in l. 1. §. quæstioni ff. de quæst.* fragilis res est, & periculosa, veritatemq; sæpè fallit, cum plerique ita tormenta cõtemnant, vt exprimi ab eis veritas nullo modo possit, alij tanta sint impatientia, vt in quouis potius mentiri, quam pati tormenta velint, & ita fit, vt etiam vario modo fateantur, vt non tantum se, verum etiam alios criminentur; ex quo sequeretur innocentes, vel in se, vel in alios confessos, esse ad mortem damnandos; cum tamen etiam in dubio potius debeat absolui nocens, quam condemnari innocẽs, *l. Arrianus C. de act. & obligat.* & propterea deficientibus indicijs sufficiẽtibus ad torturam, expediuntur inquisiti per purgationem canonicam, de qua *in c. quoties de purgat. canon.* vel per abiurationem de leui, iuncta cum aliqua etiam leui pœna corporali.

4 Quod est adeo verum vt olim responderit Affl. Regi Federico de hoc eum interroganti, quod etiam de authoritate Regia non poterat mandare hominem torqueri, contra quem non extarent indicia sufficientia, & idem respondisse Gramm. Cardinali Columnæ, vt *in suo voto 32. n. 3. refert Iul. Clar. in pr. crim. §. fin. q. 64. nu. 13.* & propterea si iudex istis nõ præcedẽtibus aliquem ad torturam ponat, est capite puniendus secundum *Marsil. in l. quæstionis modum n. 72. de quæst. & in l. 1. §. præterea nu. 7. in fine C. ad l. Cornel. de sicar.* quod tamen non seruari in praxi dicit *Cl. cit. nu. 12.* nisi quando reus in tortura indebitè illata moreretur, & iudex hoc fecisset propter inimicitiã, aut pecunia corruptus, alias erit extra ordinem puniendus, vt tradunt et *DD. apud Menoch. de arbitr. lib. 2. centur. 4. casu 350.*

5 Imo & quod magis est, si reus in tortura non præcedentibus legitimis indicijs inflicta, delictum confiteatur, talis confessio est nulla, etiam si in illa perseueret, probatur *in l. 1. in princ. l. maritum, & l. quæstionis, & vtrobique Gl. de quæst. Gramm. in consil. 21. n. 19. & 20. & consil. 37. n. 6. & in voto 6. n. 10. Boer. decis. 259.* vbi hoc extendunt etiamsi post huiusmodi confessionem legititima superuenerint indicia *Cl. cit. q. 55. n. 14. in fine Dia. vbi suprà resol. 2. §. vnde in fine.* quam conclusionem idem *Cl. q. 64. n. 9. in fine*, ampliat etiam in crimine læsæ Maiest. vt est hæresis, sequitur *Ronit. in pragm. 1. de bonis prodit. n. 23. & 36. ex l. si quis alicui cum Gl. 1. ad l. iul. maiest.* ratio est, quia tortura est pœna grauior, quam vtriusque manus incisio, *§. fin. auth. vt nulli iudic.* quia supremas angustias sustinere potius est mori, quam
8 viuere *Capic. latr. decis. 132. n. 16.* quamuis nullam irroget infamiam, vt probat *Reg. de mar. l. 1. resol. quotid. cap. 287. n. 9.*

Qua-

6 Qualia autem debeant esse indicia prędicta, vt legitimè deueniatur ad torturã, descendendo ad particulare, latissimè, & suo more practicabiliter, tractat *Farinac. de hæret. q. 187. per plures §§.* vbi explanat dispositionem *text. in l. 2. in fi. C. de hæret. Decia. tract. crim. lib. 5. cap. 20. Carrer. de hæret. n. 116. Pegna in direct. inquis. p. 3. qu. 87. comment. 136. Scaccia de Iudic. hæret. c. 59. del Rio 5. disquis. magic. sect. 13.* alii dicunt in causis fidei sufficere leuiora, alii ex cõtrario valdè vrgentia, quos refert *Dian. d. resol. 2.* vbi ipse concludit non posse in hoc assignari certam regulam, sed esse in arbitrio Iudicis, habita ratione qualitatis personæ, delicti, suspitionum, aliarumue circumstantiarum, de quibus multas cumulat *R. Tap. in suo iure Reg. lib. 5. sub tit. de quæst. à n. 1.* quas si Iudices obseruarent bene facerent; placet tamen mihi regula certa in hac materia adhibenda, ne nimis largæ habenæ Iudicibus parum timoratis tribuantur, & hæc est, vt nequeat tortura inferri, nisi saltem semiplena probatio cõtra reum sit in probatis *Cl. cit. q. 62. in princ. ibi si semiplena tantum resultat contra eum probatio, est torturæ subÿciẽdus, quæ oritur ex vno teste de visu, omni exceptione maiore Ant. Capic. decis. 126. n. 1. ex Bar. Bal. & Angelo Grat. discept. for. c. 192. n. 14. quibus rectè addit Gram. decis. 28. n. 24. si cum d. teste adsint alia adminicula ex l. maritum, & ibi Gl. fin. ff. de quæst.* (*quidquid in contr. dicat Dia. p. 4. tract. 6. resol. 6. in fine*) quod dictum sit gratia exempli; nam ex alijs indicijs oritur etiam semiplena probatio, vt ex inimicitia capitali antecedenti cum occiso, vel minis illatis à solito illas exequi, & huiusmodi, quæ cumulant DD. præcipuè *Clar. cit. q. 21. n. 2. 30. & 37.*

7 Sed ista indicia vti remota à maleficio non sufficere singula ad torturam, docent communiter *DD. apud Clar. cit. quæst. 64. n. 14.* vbi licet in fine cõcludat in Ducatu Mediolani, vt plurimum seruari, vt reus subijciatur tormentis ex vno quoque indicio, siue proximo, siue remoto, se tamen remittit ad dicta prius *q. 21. vbi n. 30.* docuit communem esse opinionem, quod ex sola inimicitia, etiam capitali nõ subijciatur reus tormentis *ex Gramm. in consil. crimin. 3. n. 16.* licet in eodem Ducatu asserat vidisse practicari, quod quando delictum fuit clam commissum, & nullus alius imputatur, tortura ex sola inimicitia capitali inferatur, & propterea dixi vnum indicium cum alijs adminiculis, quamuis ista adminicula ad aliud indicium non attingant, sufficere ad torturam *Dia. verò cit. resol. 4.* ex Farin. & alijs vult requiri omnino ad minus duo indicia, quę opinio est fauorabilior reis, sed nõ iuridica.

8 Dubitari tamen potest, per quos testes vnumquodque indicium sit probandum, & placet distinctio *Iuly Clar. cit. q. 22. sub n. 2.* quod aut loquitur de indicio proximo, vt quando adest vnus testis, deponens de ipso delicto, puta quia vidit Titium vulnerantem Seium, & tunc vnus testis sufficit, dummodo sit omni exceptione maior; quod didicit *ex Gl. in l. 3. v. conuictus C. ad l. Iul. Maiest.* (vnde quia

9 mulier, quantumuis bonæ famæ non est testis omni exceptione maior; imò quod nec admittitur in criminalibus in testem, dicit *Gl. in c. quoniam v. mulieres de testib.* esseque communem opinionem dicit *Abb. ibid. n. 2.* quem cum alijs refert, et sequitur *Cl. in d. §. fin. q. 24. nu. 4. sed Baiar. ad eũ n. 8.* dicit hoc in terris Ecclesiæ de facto nõ seruari, præcipuè quando veritas aliter haberi non potest; verum quod nec tres feminæ conuincant Reum, & propterea non potest ex vnius depositione asserentis solicitatæ à Confessario deueniri ad torturam, vel carcerarionem ipsius Confessarij docet Dia. & practicari dicit in Tribunali Inquisitionis *p. 4. tr. 6. resol. 21.*) Aut de indicio remoto, veluti de inimicitia præcedenti, minis, vel fuga delinquẽtis, & requiruntur duo testes ad vnumquodque indicium probandum iuxta aliã *Gl. in l. inter omnes v. vel indicÿs C. famil. ercisc.* quam Bar. ibidem appellat singularem, & de hoc vide *seq. resol. n. 3.*

Istam autẽ distinctionem licet approbẽt multi cum *Dia. cit. resol. 3.* eam tamen destruunt in fine, dum dicunt sufficere in isto casu duos testes etiam infames, vel alios defectus patientes; etenim infames, siue

10 infamia iuris, siue facti, nec admittuntur in criminalibus ad testificandum, nisi quãdo aliter veritas haberi non potest; & tũc cum tortura ad purgandam infamiam, alias fidem non faciunt, vt de communi docent *Alber. in tract. de testib. lib. 1. §. consequenter n. 7. & Clar. cit. q. 25. nu. 1.* hinc est, quod quia socij criminis sunt infames, non admittuntur in testes contra socios, *c.*

veniens 10. *de testib. & l. quoniam liberi C. eod.tit.*& si recipiantur,fidē non faciunt sine tortura, vt docet *Sanfel.decis.* 382.*n.*1. & propterea testes ad probandum indicia etiam remota,debent esse integri.

11 Posito igitur requiri duos testes ad probandum indicium remotum, & vnum ad probandum proximum, duosque de visu ad conuincendum, si sint omni exceptione maiores; non sufficit, si sint singulares, quia regula est tales testes non probare; habemus exemplum in Susanna apud *Daniel.c.*13.vbi ex singularitate,&variatione loci, quamuis concordarent in facto, fuerunt reprobati testes contra eam, licet vti seniores, omni exceptione maiores viderentur, idem legitur in *c. cum dilectus §. nos verò de elect. ibi, probatio insufficiens eo, quod singuli essent in suis testimonijs singulares, & in c. nihilominus* 3. *q.*9. *D. Tho.* 2.2. *q.*70. *art.* 2. *ad* 2. *Bal. in l. iurisiurandi n.*9. *C. de testib. ibi, ratio est, quia ibi non est numerus testium, vnde tantum probant mille, quantum vnus; imo quandoque singularitas operatur, quod minus probet per multos, quam per vnum solum, & quod ex hoc in testibus præsumatur dolus,vel repugnātia, vt in Susanna Affl. decis.*364. *n.* 4. *ex Gl.in l. fin. C. famil. ercisc. Grat. discept.for. cap.* 78. *n.* 24.*ibi tantum valet probatio facta per vnum testem, quantum per plures singulares idem Grat. cap.* 562. *n.*20.

12 Verum Bal. repetendo altius materiam *in l. testium n.* 21. *C. de testib.ita loquitur.in adde quod decem modis, sicut sunt decem prædicamenta, testes sunt singulares videlicet in prædicamento substantiæ, vnus deponit de Titio, alter aduersatiuè de Seio, vnus deponit, quod cum lapide, alter quod cum ferro, similiter in prædicamento quātitatis, vnus deponit de quinque, alterde decem, vt in l. diem §. si plures ff de arbitr. similiter in prædicamento qualitatis, vnus deponit de die, alter de nocte;nam ista est qualitas in maleficijs, vt l.furem ff de sicar. similiter de prædicam.* (*vbi*) *vnus dicit sub pino,alter sub cupresso, vt in Susanna, & idem in alijs prædicamentis; nam quomodocunque sit differentia probanda, ea reddit testes singulares*. hæc ille, ex quibus tota hæc materia clarior redditur.

13 Quamuis autem *Cappella Tholos. dec.* 11. *n.*1. referat fuisse conclusum, quod si testes discordent in tempore super actu non reiterabili, vt homicidium,non valeat eorum depositio, si verò de actu reiterabili, vt adulterium sic, hoc tamen non intelligitur, vt testium dicta coniungantur, sed vt vitetur periculum, vt ibidem declaratur sub n.2. ibi, *& crederem dicendum, quod si per reductionem testium ad concordiam per diuersitatem actuum, non remanet integra probatio super quolibet actu, tunc bene fit reductio, non vt probent, sed vt euitent periurium*; quod ad summum intelligitur, vt illi plures testes valeant vt vnus, sicuti declarat *Capic. Latr. decis.* 132. *n.* 11. *Ricc. in coll.* 127.*ex Ant.Fabro decis.*51.vult quinque testes singulares plenè probare in actu reiterabili, sed priorem esse communem opinionem testatur *Cl. in pr.cr. §. fin. q.*53.*n.*18.vbi quamuis asserat tales testes singulares facere indicium ad torturam, se tamen remittit ad dicta *in q.*21.*nu* 2.vbi vult vnum testem de visu, quod est indicium proximum iuxta supra dicta facere indicium ad torturam. loquitur ergo de testibus sup. indicijs proximis,& sic habet pro vero testes singulares cuiusuis numeri, non probare plusquam vnū, vndè in indicijs remotis, vbi requiruntur duo testes contestes, singularitas impedit probationem (verum in crimine solicitationis in confessione sacramentali probant testes singulares concurrentibus tamen præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis, ex quo delictum est difficilis probationis, vt *in bulla Greg.*15. *edita die* 1. *Septembris* 1622.§. 5.vbi hanc facultatem cōcessit DD. Cardinalibus, Generalibus, Inquisitoribus.)

14 Quod autem addit *Clar. d. nu.*18. hanc conclusionem de plano procedere; quando est probandum delictum in specie, puta aliquem esse hæreticum, vel adulterū, vsurarium, aut blasphemum; explicando postea quid sibi velint DD. in ista locutione probandi st.delictum in genere,vel in specie, asserit ipsum putare, tunc probari delictum in specie, quando agitur de puniendo aliquem criminaliter, & tunc testes singulares non probare, & ita vidisse semper practicari, allegat *Simanc.de heresi c.*62. *n.* 24. dicentem hanc opinionem vsū iudiciorum S. Inquisitionis comprobasse, tunc verò in genere, quando agitur ciuiliter, & hoc casu coniungi dicta testium singularium, quod etiam restringit, sed nequidem in causa ciuili testes singulares probant, vt dicunt omnes supracitati. Ve-

15 rum distinctio prædicta de delicto in genere,

nere, & in specie, cum pace tanti viri dixerim vera non est, generaliter loquendo; delictum enim in genere, est corpus delicti. V. g. homo occisus, seu cadauer, delictum autem in specie est, per quod peruenitur ad particularem scientiam, & cognitionem delinquentis, vt pro absoluto tradit *Muscat. in pr. cr. in proæm. n. 13. & 34.* sed in delictis prædictis hæresis, vsuræ, aut blasphemiæ non potest dari delictum in genere, qui non confundatur cum delicto in specie, vt docet idem *Muscat. n. 22. & 23.*

16 Verũ in materia hæresis, tũc probationẽ in genere, si fiat per testes singulares, valere dicit idem *Bal. in l. vnic. n. 2. C. qui num. tutel.* quando vnus testis deponit audiuisse aliquem dicentem, non credo in vnum Deũ, alius deponit, audiui eundem dicentem, non credo in Ecclesiam catholicam, isti, dicit Bal. probant, quia sunt contestes in genere, concordant *Ricc. resol. 127. ex Mysinger: centur. 3. obseru. 76. & Sanfel. Bal. non cit. dec. 337. n. 17.* vbi hoc exemplificat in adulterio; testes n. singulares super eo deponentes probant mulierem esse inhonestam in genere, vt ipse dicit, sed non quod adulter possit ex talibus singularib. depositionibus adulterij pęna puniri, ratio est, quia cum sint singulares de loco, & tempore non possunt conuincere talem reum in specie, sed ex facto Susannę constat testes singulares de loco tantum, licet in alijs concordarent, non probasse in genere, neque in specie, dum illa fuit absoluta, vti innocens, sicuti in veritate erat, quamuis testes, qui contra eam deposuerant, concordassent in facto, & tempore, vt ex historia supracit. Si ergo testes singulares etiam de visu regulariter non probant ad finem coniungendi eorum dicta, quamuis agatur de indicijs proximis, hec possunt probare in indicijs remotis, pręcipuè quando agitur de tortura inferenda, quæ est tanti præiudicij, vt supra, quia idem ius est de toto, quo ad totum, sicut de parte quoad partem l. quæ de tota ff. de rei vend. quod etiam in particulari supra fuit probatum, quamuis incontrarium scripserint multi cum P. *Dia. p. 4. tr. 7. resol. 5.* sed ex prædictis veritas apparet.

17 Hinc est, quod licet confessio extraiudicialis rei de delicto commisso, sit sufficiens indicium ad torturam, dummodo sit verisimilis, sit facta serio non iocosè, vel calore iracundiæ, non sit generalis, sed; specialis, vt dicunt add. ad Cl. cit. q. 21. n. 122. debet tamen probari per duos testes contestes, etiam de loco, & tempore, alias non sufficit, vt docent communiter DD. præcipuè *Farinac. de testib. q. 64 n. 145. & q. 82. n. 45.* & sic fuisse bis decisum per S. C. etiam in causa ciuili, quæ est minoris præiudicij testatur *Affl. decis. 364. nu. 4. vbi ait Paul. de Castro contrarium dicentem in cons. 378. non bene dicere, & iterum decis. 375. Grat. discept. for. cap. 144. n. 51. ibi, tamquam singulares non probant confessionem, nec coniunguntur, cum tantum probet vnus, quantum mille testes singulares, & n. 53. ibi testes singulares etiam integri deponentes de confessione non probant, neque possunt coniungi, quidquid alij contrarium dicant, cum eorum opinio non seruetur in Rota Romana*; sed; hæc non placent *P. Dia. p. 4. tr. 6. resol. 12. in fine*, vbi sequitur *Sousa in aphor. inquis. lib. 2. cap. 21. n. 10.* qui vult testes singulares de confessione extraiudiciali coniungi, & sufficere ad inferendam torturam.

18 Item quamuis socij criminis regulariter fidem non faciant *c. 1. de testib. l. fin. §. nemo tamen C. de accusat. & l. sicuti C. de quæst.* quodque hoc sit de iure expeditũ, etiam si essent mille dicit *Præs. de Franch. dec. 570. n. 1. in fine*, attamen in crimine hæresis fidem facere iussit *Alex. 4. in c. in fidei de hæret. in 6.* prout etiam contra latrones cõsocios, in Reg. Neap. ex *c. frequens, & inef frenata*, per quod statuitur tres socios fidem facere, tamquam duos integros testes, si tamen inquisiti sint leues, & infamatæ personæ, vt dicit aliud cap. quod incipit *constitutionem Diuæ Memoriæ*, quæ capit. practicata in eod. Regno referunt idẽ *Præs. cit. & dec. 577. Sanfel. dec. 37. & Capic. Latr. decis. 132. n. 2.* Verum ad torturam

19 inferendam non sufficit depositio vnius socij criminis, sed alia adminicula cum illa concurrere debent, vt fuisse conclusũ per nostros sapientes dicit *Affl. in constit. Reg. si damna clandestina vers. & vltimo nota*, etiam si ageretur de crimine læsæ Maiest. sequitur *Clar. in §. fin. q. 21. n. 8. de Franch. in cit. decis. 577. n. 1. & Capic. Latro. cit. n. 22.* quod in propria materia hæresis dicit rectè procedere *P. Dia. par. 4. tr. 6. resol. 7. 8. & 9.* verum si sociæ criminis sint lamiæ, seu strigæ non potest, etiam si plu-

si plures sint ex earum dictis procedi ad torturam aliorum nominatorum ab ipsis, maximè si bonæ famæ sint ex doctrina *Farin. de haresi q.* 185. §. 8. *n.* 151. *in fine, sequuntur Dia.& alij apud eum p.4.tr.6. resol. 30. dicit tamen Foller. in pr. crimi v.& si confitebuntur n.*135. quod ipsæ lamiæ, seu strigæ possint ex sola sua confessione damnari, alijs in contr. non apparentibus, quod non puto verum, sed vt extraordinarie puniantur, alijs indicijs, & probationibus nō concurrentibus.

20 Generaliter autem socij criminis non probant absque tortura ad purgandam eorum infamiam ex crimine contractam, vt dicunt de *Franch.d.decis.*570.*n.*1.*& alij cit.* quæ tamen tortura est leuissima, vt ego vidi practicari, sed non potest omitti, alias nulla est illa depositio, quia quamuis in cit. *c. in fidei* statuatur socios criminis fidem facere, dicitur tamen hoc procedere, quando ex verisimilibus coniecturis, & ex numero, & qualitate testium falsa non dicere præsumuntur, & propterea tex. iste interpretat. recepit, vt fidem faciant cum tortura, vt docent *Marcus Ant. Genuens. in praxi Archiep.cap.*68.*n.*11. *Ricc. p.*3.*decis.*298. *Triuis. lib.*2.*dec.*39.*n.* 7. *quidquid in contr. dicat Dia.cit.resol.*10.§.

21 *sed his.* Cæterum vel fama publica, vel mendacium, inconstantia, variatio, seu titubatio inquisiti, vel fuga eiusdem (si tamen fuga sit ante accusationem, seu captam informationem, quia postea minus indicium facit vt ex communi dicit *Cl. d. q.*21. *sub n.* 22.) minimè faciunt indicium ad torturam de per se sola, nisi sint duo ex prædictis, vel saltem vnum iunctū cum alijs adminiculis, vt dictum est sup. n. 7. & latè *Cl.d. q.*21.*nu.*1. 18. *&* 39. vbi omnes, ibique docet quomodo sit probanda fama publica, vt aliquam fidem faciat, *addentes tamen ibidem n.*9. dicunr in statu Eccles. robariæ, incendia, & alia grauia maleficia, vel damna in terra, vel in mari, quæ committuntur de nocte, probari per publicam famam, quā haberi pro plena probatione *ex constit. March. lib.* 4. *c.*22.

22 Sed hęc constitutio mihi summoperè displicet, est enim fama, res fragilis, & vt plurimum per clientelas voces artificiosè transmissa, vt dicit *Drogh.in addit. ad eundem Cl. q.*6. *n.* 2. imo dicit *Gramm. in consil.* 42.*n.* 8. toto tempore vitæ suæ non vidisse processum, in quo fuerit probata fama publica propter multa, quæ ad ipsius probationem requiruntur, præcipuè, vt testes de ea deponentes, dicāt personas particulares, à quibus delinquentem nominatum audiuerint, alias non probant; vnde in vita Pauli Emilij ait ad hoc propositum *Plutarc. sed cum Paulo post author nūcij quæreretur, inuentus est nemo, sed alter alterum allegabat, tandem verò quia in plebem, velut in vastum quoddam Pelagus sermo inferebatur, apparebatque nullum certum habuisse principium, subito huiusmodi fama prolapsa cecidit;* si tamen esset fama vehemens dicit *Gramm.dec.*34.*n.*52. quod etiam sola faceret indicium ad torturam, citat *Bar. Bal. Felin.& Alex.* & de his agit etiam *P. Dia.cit.resol.*13.14.*&* 15. vbi rectè concludit in crimine hæresis de se solam famam, vel fugam, aut alia prędicta non sufficere ad torturam sine alijs adminiculis, idem de fama prædicta docet *Sylu. v. indicium n.* 5. de qua materia, & de numero testium necessariorum ad famam probandam, vide & *Farinac. de hæres.q.*185. *à n.*48.*& q.*187.*à n.* 53.

An reus tortus ex indicijs sufficientibus ad torturam, & non confessus, possit iterum torqueri nouis superuenientibus indicijs, vel possit, tortura non obstante, extraordinariè aliquando puniri, etiam absque alijs indicijs.

SVMMARIVM.

1 *Indicia superuenientia differre oportere specie, & substantia, vt possit repeti tortura, sicuti dicunt DD. quomodo intelligatur?*

2 *Tortura illata ex indicijs ad illam sufficientibus an possit repeti, vel alias puniri reus nouis superuenientibus indicijs, tam si agatur de indicijs proximis, quàm remotis & n.*3. *vsque ad* 7. *Illata, & reo non confesso est liberandus in forma, illa enim non solùm tollit indicia, sed eneruat probationes n.*5.

8 *Rei non debent torqueri ad sciendum delicta probata, vel confessa, sed alia delicta, vel qualitates illorum, aut complices, & fautores, aut si constet de hæresi exteriori ad sciendum, an fuerit con-*

inn-

iuncta cum interiori.

9 *Socij criminis, si aliquos in tortura, vel extra nominauerint, sunt isti nominati, citandi ad videndum illorum iuramenta, & comprobanda est depositio in tormentis, aliàs illa nominatio non nocet nominatis. num. 10.*

Resolutio LXXXVIII.

1 AD primum respondent *Pegna in direct. inquis. par. 3. comment. 39. n. 156. & alij apud P. Dia. par. 4. tr. 6. resol. 16.* noua indicia intelligi debere, quæ à primis differant specie, & substantia, non tamen si eadem coadiuuarentur nouis testibus; quod magis explicando, dat exemplum Dia. ibidem, quando quis fuit tortus ex indicio famæ, & deinde superueniunt alij testes, probantes famam, vtique in tali casu non debet reus torqueri, nisi alia noua indicia superuenirent prçter famam, & hunc dicit esse sensum DD. & addit in fine, quod quando tortura repetenda est ex nouis indicijs, tunc danda erit copia indiciorum, & audiendus reus, quemadmodum ante primam torturam factum est; nam in vtroque casu militat eadem ratio, de quo vltimo non dubitatur, quia hic est nouus processus, in quo, dubio procul est audiendus Reus ex integro, vt docet *Præs. de Franch. decis. 587. sub. n. 1.*

2 Difficultas tamen est in priori casu, quæ bene resolnitur per dictum Præs. citat. vbi cum quis de furto inquisitus, fuisset tortus ex depositione vnius socij criminis, iuncta cum alijs adminiculis, & non confessus, fuisset liberatus in forma, superueniētibus postea contra eundē duabus alijs depositionibus aliorum sociorum criminis de eodē furto, licet potuisset ex istis iterū Reus torqueri, fuit tamen vigore, earumdem nouarum depositionum, seu indiciorum damnatus ad triremes, ergo quamuis noua indicia non differant à primis specie, nec substantia, potest illorum virtute procedi ad torturam, vel ad pœnam ordinariam, vel extraordinariam iuxta qualitatē indiciorum, licet autem hoc procedat solùm de iure Regni ex ordinationibus nostrorum Regum, & in certis delictis in *priori resol. n. 18.* commemoratis, quia de iure communi socij criminis non probant, vt etiam ibi fuit dictum: attamen idem procedit de I. communi in crimine hæresis ex c. in fidei de hęret. in 6. vt ibidem fuit dictum.

3 Fædere tamen distinctionis hoc dubium resoluitur, aut n. loquitur de indicijs remotis, vt sunt fama publica, vel inimicitia capitalis cum occiso, fuga delinquentis, & similia, de quibus in resol. prædicta (dicuntur enim remota, quia non influunt immediatē, & directē in delictum, vt docet *Cl. q. 64. n. 14. ibique Baiard. n. 58. & dec. pedemōt. n. 15. & 16.* vbi etiam de indicijs proximis) & in istis vera est regula à DD prędictis tradita noua indicia superuenientia, oportere differre à primis specie, & substantia, aliter nihil operari; ratio est, quia si indiciū pręcedēs sit fama publica, iūcta cū alijs adminiculis (idem est de alijs indicijs remotis) cuius virtute fuit illata tortura, oportuit ad illam iure inferendam, vt legitimē fuerit probata, alias inferri nō poterat, si ergo erat legitimè probata, quando superueniunt noui testes deponentes sup. eadem fama prędicta, nihil addunt primæ, sicuti quādo vas, est aqua plenū, si alia superaddatur, nihil addit; quia nō potest fieri vas plenius; Vnde tortura illata ex fama publica pręcedenri sustulit hoc indicium, vt docet idem de Franch. cit. n. 3. meritò non potest de hoc amplius tractari, etiam si mille testes super eadem fama superuenerint, nisi deponant super alijs indicijs remotis, vel etiam proximis, vt statim dicitur.

4 Aut verò agitur de indicijs proximis, & influentibus directè, & immediatè in delictum, vt sunt testes de visu, & tunc verū est non oportere, vt noua indicia differant ā primis specie, vel substantia, quod hoc sit certissimum, & verissimum demōstro. fingamus contra reum adesse vnum testem de visu, qui cum alijs adminiculis sufficit ad torturam, vt in dicta priori resol. si iste torquetur, & negat, est liberādus in forma, quia iam sublatum fuit indicium prædictum, si postea superuenerit alius testis de visu, vel duo, vel tres, aut sufficiunt ad pœnam ordinariam irrogandam, & ad illam iure damnatur, aut ad torturam, & etiam inre infertur, nulla habita ratione de pręcedentibus indicijs iam extinctis per torturam pręcedētem, vt rectè docent, & practicatum referunt *Præs. de Franch. cit. & Capic. Latr. dec.*
5 *132. n. 15. 16. & 26.* alias oporteret dicere quod quamuis post torturam præcedentē

illa-

illatam, delicta probarentur apertè per indicia proxima, puniri nullo modo possent delinquentes, quod esset maximum absurdum, & contra omnes leges *l. ita vulneratus ff. ad l. Aquil.* & propterea practici Iudices, quando illata tortura iudicant, non liberant reum simpliciter, sed in forma; vt dixi, & ista liberatio est sub cautione, vt se præsentet nouis superuenientibus indicijs; quæ omnia notissima sunt, sed dixi ad tollendam dubitationem, quæ oriri poterat ex dicta resol. P. Dia.

5 Ad secundum respondetur, quod illata tortura reus non confessus, est regulariter liberandus sub cautione de se præsentando nouis superuenientibus indicijs, vt dictum est, quia per torturam dicuntur eneruata, seu sublata indicia in processu existentia, vt ait *Gram. decis. 8. n. 1. & 9. & decis. 96. n. 2. & ex Alber. in l. edictum n. 2. ff. de quaest. addit Iul. Cl. in §. fin. q. 64. n. 38.* quod ita seruat totus mūdus, imo ex eod. Alber. docet *Praes. de Franch. decis. 577. n. 3.* quod tortura tollit etiam probationes, ita vt si reus conuictus, ex Iudicis ignorantia torqueatur in seipsum (non ad sciendos complices, & fautores, quod potest tunc fieri) probatio dicitur etiam eneruata, & non potest amplius ad pœnam ordinariam condemnari, ad quam potuisset conuictus ante torturam, vt fuit seruatum per M. C. V. & S. C. in quodam inquisito, conuicto de homicidio per quinque testes de visu ex incuria torto, & negatiuo, condemnato ad triremes per quinquennium, vt refert idem *Gramm. d. dec. 8. n. 5.*

6 Extra verò hos casus, quando solùm adsunt indicia, & sunt valdè vrgentia, post grauem torturam, & perseuerantiam rei in negatiua dicit *Cl. d. q. 64. sub n. 38.* solere illum Senatum condemnare reum non ad pœnam ordinariam, sed extraordinariam, puta triremium ad tempus, vel etiam in perpetuum. sed hoc vltimum non placet; etenim quamuis adsint vrgentissima indicia, non potest quis ex illis damnari ad pœnam mortis, quia non faciunt plenam probationem, nec ad istum finem possunt cōiungi in criminalibus, sed tantum ad augēdā pœnam extraordinariā *Angel. & Dec. apud Vrsyll. ad Affl. dec. 12. num. 4. Praes. de Franch. decis. 537. n. 16. ex eod. Cl. ibidem relato*, ergo si ante torturam potuisset reus ad summum damnari ad triremes in perpetuum, post eam non potest damnari ad illam, nisi ad tempus, vel aliam pœnam mitiorem, alias tortura nihil operaretur contra supradicta, & probata.

7 Verum est igitur posse quem post torturam, quando indicia sunt vrgentia damnari ad aliquam pœnam, sed mitiorem, quā fuisset damnandus ante torturam, & ita dicit etiam *Praes. de Franch. cit. in fine ibi, quia apud nos est seruatum vrgentibus grauissimis indicijs, etiam bis reo torto eum condemnare ad pœnam extraordinariam tolerabilem*, quod confirmatur per dictam aliam *decis. 577. in fine.* idem post factam paritatem votorum fuisse seruatum in Collaterali concilio testatur *Capic. Latr. decis. 132. n. 29.* & propterea non displicet votum *P. Dia. p. 4. tr. 6. resol. 33. §. sed ego*, quod quādo reus fuit tortus in Tribunali Sancti Officij eum plusquam semiplena probatione, non absoluitur simpliciter, licet negauerit, sed aliqua pœna arbitraria punitur.

8 Solent etiam rei torqueri, non ad sciēdum delicta, de quibus conuicti, vel confessi apparent, quia hoc esset eneruare probationes, vt supra dictum est, sed ad sciendum complices, & fautores, vel receptatores, aut alia delicta per ipsos commissa, vel qualitatem eorumdem delictorum, v. g. si constet occidisse hominem, possunt interrogari, an mediante pecunia, vel huiusmodi, si constet de hæresi exteriori, an fuerit coniuncta cum interiori, & sic de singulis, sed debet præcedere protestatio Iudicis, quod tortura infertur ad sciendas istas qualitates, non autem delicta de quibus sunt conuicti, vel confessi, & citra præiudicium omnium apparētium in processu ad fisci fauorem, super quibus non sunt postea interrogandi; quia quamuis præcedat hæc protestatio, si tamē ex actis, vel in promptu constet fuisse de eisdem probatis, vel confessis interrogatos, iam dicuntur euacuasse indicia, si in tortura negatiui perstiterint, quia illa protestatio, vti contraria facto non releuat *l. non solum §. morte ff. de noui oper. nunciat ita Cl. in §. fin. q. 64. nu. 8. Praes. de Franch. & Capic. Latro. cit. vnde dicit Genuens. in pr. C. Arch. Neap. cap. 68. n. 8.* quod suspectus vehementer de hæresi, torquetur sup. intentione, & complicibus, & si neget, adhuc cōpellitur abiurare de vehementi, & pro facto hæreticali solet condemnari ad triremes, sequitur *Dia. par. 4. tra. 6. resol. 32.*

9 Vt autem possit postea procedi contra vo-

vocatos ab ipsis complicibus, seu socijs criminis, alia circumstantia requiritur, quæ est adeo substantialis, vt ea omissa totus processus vitietur, hæc est, quod postquã ipsi socij criminis, alios nominauerint suos correos, sunt isti citandi ad videndum iuramenta eorum, qui contra ipsos deposuerunt, & sunt isti deponentes, non solùm iterùm examinandi, sed etiam ratificanda eorum depositio iterum in tormentis, quia dum deponunt, vti testes contra socios criminis, eorum testimonium non est integrum, cum sint criminosi, & infamia ex crimine contracta, est purganda cum tortura, & iuramento de veritate dicenda, vt dictum est in priori resol. nu. 18. & 20. debetque fieri hæc repetitio cum omnibus illis qualitatibus, quæ requirerentur, si isti testes repetendi, numquam fuissent examinati; nam illa tortura, & nominatio, sociorum ante litis contestationem, nõ habetur in consideratione, quo ad præiudicium nominatorum *Iul. Cl. in pr. crim. §. fin. q. 45. n. 13. & vide resol. seq. n. 8.*

10 Hinc dicit *Rouit. in pragm. 1. n. 11. de perseq uen. mal. fact.* quod cum aliqui socij criminis, alios nominassent in tortura, vti suos socios in eodem crimine, & isti nominantes fuissent pro delictis proprijs ad mortẽ damnati, nec factæ diligentię prædictæ ante sententiæ executionem, cum ageretur de puniendo nominatos eadem pœna, vti socios criminis, & fuissent etiam ad mortem damnati per Tribunal Cãpaneæ, detecto hoc defectu, qui non poterat reparari ob mortem nominantium sequutam, fuerunt ipso patrocinante liberati, & addit *nu. 12.* has solemnitates requiri de iure in qualibet cõfessione socij criminis, & in quolibet delicto. citat *Farin. in pract. crim. par. 1. q. 43. n. 140. Peguer. decis. 5. num. 35. & alios. idem Rou. in Pragm. 6. num. 1. & 5. de recept. delinq.* quæ omnia confirmat *Capic. Latro decis. 132. nu. 8. ex Consil. Theod. alle gat. 97. eodem Rou. cit. & alijs.*

Agitur de modo interrogãdi reos in tortura, de ratificatione confessi, an nolentes ratificare confessionem factam in tormentis, sint iterum torquendi, & tandem an possint torqueri ex processu informat?

SVMMARIVM.

1 *Interrogatoria sugestiua qua sint? inualidant depositionem testium, sed non principalium reorum, & quomodo sint interrogandi n. 2.*

3 *Tortus, & cõfessus debet post 24. horas cõfessionẽ ratificare, aliàs nõ valet cõfessio n. 4. quod si ratificare nolit, an possit secũdo, & tertio, vel vltra torqueri? n. 5. eo autem persistente in negatiua damnari an possit ad pœnam extraordinariam? num. 6.*

7 *Tortura an possit inferri inquisitis ex processu informatiuo? n. 8. & 9.*

10 *Defensiones sunt dandæ inquisitis etiam in crimine hæresis cum copia indiciorum absque nominibus testium examinatorum.*

Resolutio LXXXIX.

1 AD primum respondet *P. Dia. par. 4. tr. 6. res. 19. ex Io. Roias de heret. p. 2. n. 295. & alijs*, quod Inquisitores fidei cautè in tortura reos interrogare debent, ne occasio mentiendi conra se, & alios detur, & ideo generaliter, & non particulariter, vel nominatim sunt interrogandi, videlicet *vt veritatem dicant de omnibus, de quibus sũt accusati, & nullo pacto falsum cõtra se, vel alios proferant; nam si particulariter interrogẽtur de re aliqua, vel persona, esset potius ad falsum incitare, & suggerere, quam inquirere*; sed hæc doctrina pace tantorum virorum dixerim, sic indistincta, vera non est; etenim testis, vel socius criminis, quãdo interrogatur vti testis, de quibus diximus in prioribus resol. non possunt interrogari in particulari, neque in generali de persona aliqua, alias interrogatoria dicuntur sugestiũa, & tota depositio inualida omnino est, vt fuit semper practicatum, & mox probabo.

Prin-

2 Principalis autem reus est interrogandus in particulari de crimine, de quo apparet inquisitus, & si ipse in tali interrogatione non solum fatetur delictum, de quo interrogatur, sed etiam nominat alios non est culpa interrogantis, sed interrogati, & valida est depositio; audi Iure Consult. Vlp. hæc omnia explicantem *in l. 1. §. qui quæstionem ff. de quæst. qui quæstionem habiturus est, non debet specialiter interrogare an Lucius Titius homicidium fecerit, sed generaliter quis id fecerit. alterum enim magis sugerentis, quam requirentis videtur, & ita D. Adrian. rescripsit D. Adrianus Calphurnio Celeriano in hæc verba rescripsit. Agricola Pompei Valentis seruus de se potest interrogari, & si dñ quæstio habebitur, amplius dixerit, rei fuerit indicium non interrogantis culpa*, quæ omnia in praxi quotidie seruantur, alias acta omnino nulla sunt, & multos processus ex his defectibus nullos declarari vidi.

3 Ad secundum si tortus, fuerit confessus opus est, vt ratificet confessionem, quæ alias, non valet, cum præsumatur facta metu tormentorum, verum ista ratificatio, non est statim facienda, quia præsumitur durare idem metus, & dolor tormentorũ, sed expectandus est dies vnus integer horarum 24. vt dicit *Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 64. n. 41.* quamuis autem non sint in puncto 24. horæ, sufficit, si nox intermediet, & regulariter parum plus, vel minus 24. horarum solet decurrere; quia tortura de mane, infertur ante prandium; nec potest post prandium, & sequenti mane fit ratificatio, vt ego seruaui, & semper seruari vidi, quæ quidem ratificatio fit à reo ad bancum Iuris extra locum tormentorum, non in carcere, nec cum funibus, aut catenis ligato, sed in sua omnino posito libertate *Bar. in l. 1. §. Diuus seuerus n. 3. ff. de quæst. Bal. in consil. 85. in fine lib. 1. Cl. cit. n. 42. P. Dian. par. 4. tract. 6. resol. 22.*

4 Quod autem dicunt *Foller. in prac. crim. v. et si confitebuntur n. 82. & multi apud addentes ad Cl. dicta q. 64. n. 135.* quod st. non requiratur ratificatio, quando confessioni factæ in tortura, præcedit alia confessio extraiudicialis, verum non puto, quia semper vidi in praxi ratificationem fieri post confessionem factam in tormentis, & ita dicit semper etiam practicasse *Baiar. loco cit. n. 136.* imò aduersus confessionem, etiam ratificatam, est impartiendus terminus, alias condemnari nequit; potest n. in termino probare confessionem fuisse ex errore factam; quo casu esset liberandus, alias si nihil probauerit in termino, iure licito ex confessione damnatur *Iul. Cl. cit. n. 44. Dia. par. 4. tr. 6. resol. 22. in fine.*

5 Ad 3. respondetur affirmatiuè ex *Bar. in l. vnius §. reus in fine. ff. de quæst.* & hanc esse communem opinionem testatur *Boss. in tit. de tortura n. 34.* & quod ita absq; vlla hæsitatione practicatur, quod confirmat *Simanc. de heresi c. 65. n. 34. addit tamen Cl. cit. quæst. 21. n. 36.* DD. testantes, posse iterari hoc in casu torturam, vt in ipsa cõfessione perseueret, esse sano modo intelligendos, vt st. possit de nouo torqueri, tamquam si vnum aliud nouum indicium superuenisset, quale in rei veritate est illud confessionis, quamuis non ratificatæ, non autem, vt tandiù torquendus sit, donec in ipsa cõfessione perseueret, quia non potest hoc fieri, quin imò, si reus iterũ positus in tormentis confiteatur, & deinde in ratificatione iterum neget, prout alias cõtigit, dicit Cl. non esse procedendum in infinitum ad nouas torturas, sed ipsum credere, quod repeti possit vsque ad tertiam vicem, & vbi deinde ductus ad ratificandum negaret, esse absoluendum, idem dicit *quæst. 64. in fine.* vbi ad prædictum locum se remittit.

6 Quæ doctrina fuit in parte practicata in S. C. Neap. vt refert *Sanfel. decis. 252.* dum fuit ter repetita tortura, verum non fuit liberatus inquisitus, sed punitus extraordinariè ex doctrina Affl. *in constit. Reg. si damna clandestina n. 44. & 45. in fine, & Farin. de indic. & tortura q. 38. n. 96.* ea ratione, quia ex confessione, quamuis non ratificata, non docto de errore, oritur nouum indicium, & propterea potest extraordinariè puniri, concordant DD. apud *Dian. p. 4. tr. 6. resol. 23.* dicentes, quod possit secunda vice repeti tortura ex eadem antedicta ratione, sed negant posse repeti tertio, quod tenendum esse putat ibidem resol. 24. & tamen eadem ratio militat, & magis in hoc tertio casu, quam in secundo, quam ipse amplectitur dicta *resol. 23.* sed nihil respõdet *d. res. 24.* vbi hoc negat, & minus quod possit puniri pœna extraordinaria, sed iuridicè loquendo, rationes adductæ per Sanfel. sunt in iure fundatæ.

7 Ad vltimũ regula est negatiua ex *Bar. in l. si quis adulteriũ in princ. de adult.* quia torquere reum ex processu informatiuo, est torquere eo inaudito, & nullis datis defensionibus, sed defensio est de iure naturali *l. vt vim ff. de iust. & iure Vrsill. ad Affl. decis.* 391. *n.* 1. ergo tolli non potest, & consequẽter prohibita est tortura ex processu informatiuo. Vnde sequitur quod si in tali tortura, reus fateretur delictũ, nulla esset confessio, tãquam ex vi tormentorũ, nulliter datorum extorta *Iul. Cl. in pract. crim. §. fin. q.* 55. *nu.* 14. quia a tortura non est inchoandum *l.* 1. *in princ. ff. de quæst. ibi non esse à tormentis incipiendum D. Augustus constituit*, & proinde est danda copia indiciorum reo, aduersus quæ valeat se defẽdere *l. vnius §. fin. eod. tit. ibi, quamuis defensionem quocumque tempore postulante reo negari nõ oporteat, c. 1. de ca. possess. & propr. ibi nec nos contra inauditam partem aliquid possumus diffinire, & c. pastoralis de re iudic.*

8 Et in propria materia hæresis, confessioni rei, qui ante defensionem, quæstionibus fuit submissus, standum non esse, nullumque robur, seu vires confessionem habere, imò reijciendam, & excludendam tamquam iniquam, & iniustam, nihilque ei nocere docet *Simanc. contra hæreses tit.* 65. *de torment. n.* 64. quia quidquid ex iniuria Iudicis manat, iniustum est, & ex iniuria ius nasci non potest, sequitur *Reg. Tap. in suo iure Reg. lib.* 2. *sub tit. de off. mag. iust. in c. Reg. si cum sceleratis n.* 15. quibus adstipulatur, quod etiam testes examinati parte non citata fidem non faciunt *c.* 2. *de testib. l. si quando C. eod. tit. Affl. d. decis.* 391. *n.* 4. vbi dicit hoc magis procedere in causa criminali, in qua de maiori agitur præiudicio, eo fortius, quia vt refert *Cl. q.* 64. multi ex vi tormentorum fatentur crimina à se numquam cõmissa, & hoc accidisse in duobus, qui in tortura cõfessi fuerant occidisse quendam nobilem eorum inimicum, qui deinde repertus fuit viuus, & illi propter confessionem fuerunt vltimo supplicio affecti.

9 Est tamen verum, quod in aliquibus locis infertur tortura ex processu informatiuo contra disrobatores stratarum, vel homicidas, fures, seu latrones insignes, vel aliorũ facinorũ similiũ inquisitos, vt in *Reg. Neap. ex c. Reg. incip. si cum sceleratis addit Afflict. n.* 10. incendiarios, vel alia grauia crimina committẽtes, prout ego quoque practicaui, & practicari vidi in Regijs Audientijs Reg. prædict. hanc eandem consuetudinem in Aetruria adesse, & in Ciuitate Lucana in causis à Republica delegatis, testatur *Ioseph Ludou. concl.* 38. *post illationem* 96. *vers. & si Princeps*, & in Ciuitate Ferrariæ testatur *Hyppol. Riminald. consil.* 290. *ante n.* 1. *lib.* 3. *vt refert Farin. in praxi crim. tit. de indic. & tortura qu.* 39. *nu.* 30. eundem vsum esse apud hyspanos *post Auẽd. in c.* 16. *nu.* 9. *lib.* 2. *refert Azeued. lib.* 4. *noua recoll. tit.* 10. *lib.* 3. *num.* 16. *additque Boss. in tit. de indic. ante torturam nu.* 127. & 128. Ius commune in hoc malè seruari, sed istud non procedit contra Neapolitnisi in crimine Lesę Maiest. vt testatur *de Franch. dec.* 143. *n.* 3. & vide etiam infra resol. 91. n. 3.

Extra ergo hos casus, & loca, certum est antequam ad torturam, vel ad condẽnationem procedatur, dandas esse defensiones reo cum copia indiciorum, testiumque nominibus, vt valeat se defendere, illosque repulsare si potest, verum in cri-

10 mine heresis difficultas est de nominibus testium ex *c. fin. de hæret.* vbi legitur, quod quando graue periculum imminet, si contingat ea publicari propter potentiam personarum, contra quas inquiritur, non publicè, sed secretè coram aliquibus personis ibi descriptis explicari solent, cessante verò hoc periculo, accusatorum, & testium nomina, prout in alijs fit iudicijs publicari debent; *Sacra tamen Congregat. hoc immutauit sub die 14. Maij 1556. per hæc verba. Illustrisi. Cardinales, Inquisitores generales in Congr. ordinaria decreuerunt dari nuda testium dicta, prout huc vsque obseruatum fuit absque nominum publicatione, aliarumque circumstantiarum, propter quas posset deueniri ad ipsorum testium notitiam, & quoad responsiones testium super rei interrogatorijs, pariter decreuerunt non esse dandas, si ex illarum publicatione deueniretur in notitiam, quinam fuerint testes ipsi, vide Dian. part.* 4. *tract.* 6. *resol.* 28.

§. *his tamen.*

An possint torqueri minores absque curatore præsenti in tortura,& an dentur personæ quæ ex aliqua causa torqueri nequeant?

SVMMARIVM.

1 *Iudicium cum minore etiam criminale est nullum sine authoritate curatoris,& an tortura possit ei inferri absque curatoris authoritate? & n.2.& 3.*

4 *Minores 14. ann.non possunt torqueri, sed quid in crimine læsæ Maiest.? & vide alias personas, quæ à tortura excusantur n.5. vsque ad finem.*

Resolutio LXXXX.

1 AD primum respondetur minores nõ posse esse in iudicio, præcipuè criminali absque authoritate tutoris, vel curatoris *l. clarum 4. C. de authorit. præst. vbi dicit Gl. fin. nullam esse ipso iure sententiam sine tutoris, vel curatoris authoritate, Bald. ibidem sub n. 3.* dicit,quod si minor ante torturam fuit examinatus cum curatore, & processu,& causa cognita, tunc valet confessio facta in tortura per minorem, quia(dicit ipse) tortura tunc est quædam executio præcedentis cognitionis legitimè factę. fuit conclusum per S.C.*Neap.vt testatur Affl. decis.208.n. 5.* quod si minor confessus est delictum in iudicio sine curatore, & postea allegat se læsum ex dicta confessione, & petat restitui in integrum aduersus dictam confessionem, talis confessio nihil sibi noceat, sed *Cappella Tholos. decis.176.n.3.* dicit confessionem prædictã sine authoritate curatoris esse ipso iure nullam *ex d.l.Clarum*, & ita voluisse *etiam Angel. & Bar. in l. fin. §. 1. ff. de verb. obligat.*

2 *Vrsyll. ad Affl. d. decis.208.sub n.2.* post allegatos DD. hinc inde dicit valere confessionem minoris factam in tormentis, quando curator præstitit authoritatem adulto de veritate dicenda,etiam quod ipse non interueniat in ipsa confessione, quia debet interuenire curator, si est facienda interrogatio, non autem vt ipsum instruat quomodo respondere debeat, tenetur n. respondere ex propria scientia, sin autem non interuenit authoritas Curatoris in aliqua parte iudicij, iudicium sit nullum, & si sequuta sit confessio; minor restituatur, vt supra per Affl. concludit tandem *ex Bar. in Lauxilium §. in delictis ff. de minor.* Minores aduersus suas confessiones in atrocioribus restitui non debere, & ita fuisse obseruatum per M.C.V. sub die 20. Mens. Nouemb. 1554. quæ sine aliquo Curatore torturam intulit cuidam minori, quem confessum, statim condemnauit ob delicti, astutè commissi atrocitatem, non obstante minori ætate, vide etiam *addentes ad Cl.in pr.crim. §.fin. qu.60.num.19. & 20.*

3 *Sansel.decis.57. n.6.* dicit practicari in Regno dationem Curatoris, & si non fuerit datus, & petat minor, vti læsus restitui, confessionem non nocere iuxta decis. Affl. relatam, attamen si datus fuerit reo per iudicem legitimus procurator, sufficere *ex Farin. de reo confesso, & conuicto q.81.limit.4.n. 365.* & ita fuisse seruatum in casu per ipsum relato:in quo fuit datus Aduocatus pauperum, qui pro minore fortiter fuit patrocinatus,& in cunctis auditus, insuper addit in atrocioribus nõ requiri dationem Curatoris, nec minorem restitui iuxta relatam decis. Vrsill. eo magis,quãdo confessio fuit iuxta indicia, quo casu nec restitui minorem, cum faciat id quod quilibet maior facere tenetur ex eodem *Farin.cit. cap.10. nu. 386.* ex quibus non placet, quod dicit *Dia.p.4.tract.6.resol.31.* nullatenus st.requiri in tortura Curatorẽ, sed tantùm in decisione articuli, si debet torqueri, vel non;etenim in prolatione decreti interponendi,sicut etiã in omnibus actis quilibet etiam maior est audiendus,vt patet ex *l. de vnoquoque cum similibus ff. de re iudic.*præterea in interrogationibus faciendis minori in tortura pẽdenti,debet interuenire Curator,sicuti in omnibus interrogationibus,illam pręcedentibus,vt dictũ est, & si verum esset,quod dicit Dia. nullũ priuilegium daretur minori, nisi sensus eius esset,quod in atrocioribus omitti possit Curaror iuxta supra dicta, quod tamen ipse non dicit.

Hæc autem, quæ diximus, intelliguntur de minoribus 25. annis,qui de I. communi vsque ad eam ætatem sunt sub Curatore,de I. verò Reg.Neap.vsque ad ann. 18. *ex pragm.2. de minor.* sed tortura non

4 potest inferri minoribus 14. annis,vt legitur *in l.1. §.impuberi ff.ad S.C.Syllan.videli-*

cet

cet. impuberi autem in supplicio tantùm parcimus, an verò in quæstione? & magis est, vt de impubere, nec quæstio habeatur, & altas soles hoc in vsu obseruari, vt impuberes non torqueantur, terreri tamen solent, & habena, vel ferula cædi, DD. in l. impubes ff. ad Syllan. l. de minore, & l. ex libero §. 1. *ff. de quæst.* & ita dicit in illo Senatu seruari *Iul. Cl. cit. q.* 64. *n.* 21. sed in crimine læsæ Maiest. torqueri posse, quãdo crimen tangit propriã personam Principis scribunt *Anton. Capic. dec.* 130. *n.* 55. *& Brun. tract. de indic. & tortu. p.* 2. *q.* 4. *n.* 16. *arg. tex. in l. nullus C. ad leg. Iul. Maiest.* dicit tamen *P. Dia. par.* 4. *tr.* 6. *resol.* 29. §. *dicendum*, in Tribunali S. Inquisitionis omnes personas priuilegiatas torqueri, exceptis minoribus ann. 14. seni-
5 bus, & prægnantibus, imò istas neque terreri posse, decrepitos autem, & minores terreri, sed torqueri nequidem leuiter posse, & addit in §. penult. & fin. laborantes febre quartana torqueri leuiter posse, sed non in die febris, item nec torquẽdos laborantes morbo gallico, brachio debilitatos, patientes crudationem venæ, vel difficultatem anhelitus, & tandem leuius esse torquendos nobiles, quàm plebleios, vt autem de prædictis maior notitia habeatur, dicendum est senem in ordine ad torturam euadendam, dici in anno 70. quando incipit decrepitas, non antea, vt fundat *Grammat. dec.* 34. *nu.* 5. *ex l.* 3. §. *ignoscitur ff. ad S. C. Syllan. & ita fuisse seruatum in Collaterali Conf. refert Sanfel. dec.* 355. *n.* 5. *sed addentes ad Cl. qu.* 64. *n.* 69. *in fine*, referunt fuisse tortos senem 73. annorum; & alium 80. vt incendiarium, & confessum, suspensum.

6 Mulier autem prægnans nõ solùm torqueri nequit *l. prægnantis ff. de pœn.* quamuis esset prægnans decem, vel viginti dierum, vndè confessio à prægnante in tormentis facta, nõ valet. *Bal. in l. Imperator. la* 2. *ff. de stat. homi. arg. l. ex seruorũ* §. *ven. ff. de eod. tit.* sed etiam si ex alio, quam viro, licet in carcere concepisset ex dolo, & causa vitandæ torturæ, cùm id non tàm mulieris causa, quàm ipsius fetus concedatur, quippe nõ ipse peccauit, alioquin periculum esset abortus, *Bal. cit. Io. de Anania in c. intelleximus n.* 7. *de ijs, qui filios occider.* item nec post partum, nisi elapsis 40. diebus, imò nec lactentes torquẽtur secundum *Gl. in d. l. prægnantis, quam tenent Andr. de Pisis, aliyque apud Brun. de Indic. & tortura p.* 2. *q.* 4. *nu.* 2. quia infra illud tempus propter debilitatem, periculum mortis subesset. & ita seruari dicit Mediolan. *Iul. Cl. q.* 64. *n.* 23. circa verò nobiles videtur etiam negare *tex. in l. nullus C. ad l. Iul. Maiest.* excepto crimine læsæ Maiest. in Gallia tamen, & Ducatu Mediolani non seruari hanc legem, sed bene in Hispania dicit idẽ *Cl. cit. n.* 19. generaliter autem non subijci nobiles quæstionibus plebeiorum dicunt *addentes ibidem n.* 65. *in fine ex l. desertorem.* §. 1. *ff. de re milit.* & alijs, quando autem nobilis est torquendus, requiruntur grauiora indicia *Tapia. in cap. Regni tormentz n.* 4. *in fin. sub tit. de quæst. lib.* 5.

7 Item DD. torqueri non posse secundũ communem opinionem dicit idem *Clar. cit. n.* 16. & ita seruatum fuisse in facti cõtingentia in Senatu præd. licet alij ibidem relati asserant hoc de consuetudine non seruari, & *Baiar. n.* 63. asserit vidisse DD. torqueri in crimine homicidij, & fortius in delictis grauioribus hoc asserunt *Gramm. voto* 25. *Decian. in cõsil.* 93. *n.* 135. *vol.* 2. *Cephal. in consil.* 164. *n.* 8. *vol.* 2. Personas autẽ positas in dignitate, siue vti principales, siue vti testes, nec torqueri posse, esseque communem opinionem dicit *Bossius in tit. de tortura testi. num.* 7. & propterea mandasse Senatum Mediolan. esse abstinendum à tortura contra quendam fæudatarium testatur *Cl. cit. num.* 17. de quibus pro, & contra *Odofred. & Gandi. apud cit. Brun. n.* 21. vbi latissimè de militibus Decurionibus, surdis, mutisque, alijsque an, & quando torqueri possint, agnnt.

In quibus casibus, & ex quibus indicijs possit procedi ad torturam? an à decreto torturę admittatur appellatio? & num nolente reo respondere interrogationibus Iudicis possit torqueri absque processu?

SVMMARIVM.

1 *Torturæ pro quibus delictis, & ex quibus indicijs inferri possit, & an à decreto torturæ detur appellatio. n.* 2. *vsque ad* 5.

6 *Tortura an possit inferri reis, vel testibus respondere nolentibus Iudici affirmatiuè, vel negatiuè, & quid si à decreto de torquendo appellent?*

Resolutio LXXXXI.

1 AD primum respondetur non posse regulariter inferri torturam, nisi pro criminibus, in quibus venit imponenda pœna corporalis. non autem pœna pecuniaria, vel alia corporis non afflictiua; ratio est, quia cum tortura sit graue tormentum, non debet maior pœna inferri reo non conuicto, nec condemnato, quam esset inferenda ex ipsa condemnatione, vbi esset de crimine conuictus, vel confessus *Iul.Cl. in pr. crim.§ fin.q. 64.n. 4.addentes ibidem n.14. ex Farin. & alijs*; in Regno autem Neap. est specialiter prouisum per *c. Regni tormenta*, quod non possit tortura inferri, nisi pro criminibus, vbi venit imponenda pœna vltra relegationem, & addit *Foller. in pr. crim.v. exam. liber. nu. 1.* quod in alijs delictis, neque carcerari potest inquisitus, si offerat cautionem destando iuri ex *Affl.in constit. Reg.humanita-*
2 *te* (quod tamen malè seruatur) sed horum occasione disputat *Tap.in d.c.Reg.tormenta n.4.* an vbi venit imponenda pœna fustigationis possit reus torqueri? affert DD. hinc inde, sed non resoluit quæstionem, si tamen proferatur sententia fustigationis, & ab ea appelletur, suspenditur executio ex pragm. Reg.4.sub tit.de quæstion. ex quibus autem indicijs possit tortura inferri, iam dictum est supra resol.87. n. 3. Dia. verò p. 4. tr.6. ref. 2. §.*verum* dicit hoc remitti arbitrio Iudicis inspecta qualitate personæ, delicti, & circumstantiarum.

3 Ad secundum respondetur regulam esse affirmatiuam *c. super eo.x. cum 2. sequent. de appell.c.non solum eod.tit.in 6.l.1.ff.nil nouar. appell. pend.l.2. C.de appell.* in Reg. autem Neap. adest *cap. eiusdem Reg. incipien. si cum sceleratis*, per quod permittitur M. C. V. & Regijs Audientijs torquere reos in grauibus delictis ex processu informatiuo, & consequenter non admittunt appellationem, vt dictũ est supra ref.89.n.9. nec potest appellari, dũ decretũ de torquẽdo in isto casu non intimatur, vt infra nu. 5. licet si admitteretur appellatio, posset à reo appellari, quando ligatur cum funibus, quibus appenditur in tortura, quæ quidem præheminentia M. C.V. sicuti eã vocant practici, fuit etiam cõcessa gubernatoribus Vrbis, & eorum locumtenentibus per Leonem X. qua authoritate dicit *Baiar.ad Cl.q.64. n.90.* indifferenter vti locumtenentes, siue adsint legitima indicia, siue non, apponendo clausulam in decreto torturæ, stantibus facultatibus concessis, & nulla habita consideratione, quod intentio summi Pontificis, non fuit, vt quis torqueretur absque legitimis indicijs, quod minimè fieri potest.

4 *P.Dian.p.4.tr.6.resol.28.* dicit in Tribunali S. Inquisit. non torqueri reos, non datis prius defensionibus, & copia indiciorum, quia tunc melius, & clarius constat an appellatio sit iusta, vel friuola, & amplius dicit *resol.20.* non admitti appellationem, quando videtur friuola, & calumniosa, & ita fuisse seruatum contra quendam calumniosè appellantem, ipso consulente, remitti autem arbitrio Iudicis, quando dicatur appellatio talis, talemque dici posse, si appareant in processu legitima indicia ad torquendum, & non fuisse purgata in termino ad defendendum, sed hoc procedere, quando clarè constat appellationem esse calumniosam, secus autem in dubio iuris, vel facti; nam tunc Domini Inquisitores, vt idem rectè addit, debent supersedere in tortura, & expectare quid super appellatione Iudex ad quem pronunciet, citat *Farin. Guazz.*
5 *Car.& alios.* quod cõfirmatur per *Reg.Tap. in suo iure Reg.tit.de qu.sup.pragm.1.eod.tit. sub n. 24.* vbi dicit appellatione interposita supersedendum esse à tortura *ex l. 2 .de appell. recip.* ea ratione, quia damnũ membrorũ, ex illa debilitatorũ, nõ potest reparari in diffinitiua, & licet *in cap. Regni si iuste* mandetur, quod si iniustè appelletur, non deferatur appellationi, attamen hæc iniustitia non debet cognosci à Iudice à quo, sed à Iudice ad quem, cum possit esse, vt quod illi iniustum videtur, iustum appareat isti, vt dicit *Car. in ritu. M.C. V. 159. sub n. 10.* quando autem M. C. vel Regię Audientiæ procedunt ex præeminentia eiusdem in delictis grauibus, vt dictum est supra, vel ex delegatione S.E. non admittitur appellatio, nec notificatur decretum de torquendo, vt fuisse ordinatum sub die 19. Aprilis 1616. notat *Alex. Rou.in pragm.10.n. 22. in margine de off.iudic.& sic ego practicari vidi in Reg. Audient.& scribit etiam Carau d.n.10.in princ.*

6 Ad tertium respondetur affirmatiuè, nec datur tortura ad eruẽdam veritatem, quia re-

requirerentur indicia sufficientia, vt pluries supra fuit dictum, sed solùm vt respondeat affirmatiuè, vel negatiuè, vt possit ad ulteriora procedi *Bal. in l. accusationem n. 11. C. qui accus. non poss.* & ita fuisse practicatum *in S.C. Neap. testatur Ant. cap. dec. 145. n. 4.* quam esse bonam praxim testatur *Iul. Cl. in pr. cr. §. fin. q. 45. sub n. 6.* & eam vidisse sæpè obseruari, non solùm, quando reus nō vult respondere super facto principali delicti commissi, sed etiam super circumstantijs substantialibus pertinentibus ad ipsum delictum, modo sint tales, de quibus verisimiliter recordari possit, puta si interrogetur de facto proprio de modico tempore, alijsque de quibus solent homines communiter recordari, & dūmodo adsint, si non indicia sufficientia, saltem aliqua diffamatio, vel tale quid, quod sit loco diffamationis, quia nulla causa præexistente, neque posset hoc fieri, vt docet idem Cl. ibidem de communi DD. opinione, & ita puto intelligendam esse resol. P. Dia. loco cit. vbi tefert eundem Cl. sed indistinctè dicit posse reum respondere nolentem, torqueri, idem etiam procedit in testibus ex DD. cit. quod verum est. Si tamen reus, vel testis in hoc casu appellet, suspendi etiam executionem rectè docet idem *Carau. d. Ritu. 159. nu. 14. ex Bal. in d. l. accusationem col. fin. C. qui accus. non poss.*

Interdictum.

SVMMARIVM.

1 *Interdicta de iure ciuili vel sunt exhibitoria, vel prohibitoria, vel restitutoria. secundo vel adipiscendæ, vel retinendæ, vel recuperandæ possessionis.*

2 *Interdicti ecclesiastici definitio.*

3 *Interdictum quodcunque non adimit baptismum paruulorum, nec pœnitentiam moriturum, Ecclesiasticum, vel est personale, vel locale, vel mixtum, & qualia ista sint? n. 4. Ambulatorium est quando persona, & locus interdicuntur, & vbicunque illa perrexeris, illud secum trahit nu. 5. personale, vel est generale, vel particulare; eodem modo diuiduntur locale, & mixtum n. 8. Generale locale includit exteros, ibi habitantes, etiā si tempore interdicti ibi non adfuissent, sed non habitantes animo discedendi nu. 10. & 11. Generale personale an comprehendat infantes, & amentes, sicuti comprehendit innocentes maiores n. 12. sed quare etiam istos includat? n. 13. & 14. Non potest inferri in se ipsum, sed tenetur inferens illud seruare, quamuis latum in alios, quos neque potest ad sacra admittere, nisi prius illud tollat, vel suspendat n. 17.*

6 *Interdicto Clero, non intelligitur interdictus populus, nec e contra, sed an Regulares? & si interdicantur Ecclesiastici, an includantur Regulares, Moniales, & etiam Nouitij, & Eremitæ?*

7 *Nouitij an veniant appellatione Regularium?*

9 *Interdicta Ciuitate intelliguntur interdicta suburbia, sed an in interdicto locali generali includantur Ecclesiæ Regulariū n. 15.*

16 *Regulares tempore interdicti localis generalis, an possint in suis Ecclesijs publicè celebrare in festiuitatibus Sanctorum sui ordinis virtute suorum priuilegiorū?*

18 *Episcopus non potest communicare cum excommunicato etiam à se ipso.*

INTRODVCTIO.

1 INterdicta in iure ciuili olim sumebantur pro forma, seu conceptione verborum, quibus Prætor, aut iubebat aliquid fieri, aut prohibebat, erant autem sicut hodie in triplici differentia, exhibitoria, vel prohibitoria, aut restitutoria. & versantur circa possessionem alicuius rei adipiscendam, vel retinendam, vel recuperandam, de quibus agitur *ab Imper. in tit. instit. de interd. & à I. C. in l. 1. & toto fere tit. de interd.* multa quoque de istis tradit *Sayr. lib. 5. hoc tit. cap. 1. à n. 1. vsque ad 5.* Sed quia hæc non conferunt ad interdicti Ecclesiastici explicationem, de quo sumus aliquid dicturi, propterea illis omissis, definitur à Summistis v. interdictum vario modo, diuersitas tamen potius consistit in
2 verbis, quam in re; est ergo interdictum, Ecclesiastica censura aliquorum Sacramētorum vsum, ecclesiasticam sepulturam, & omnia diuina officia actiuè, & passiuè prohibens *Nauar. in man. c. 27. n. 164. Syl. v. interdictum 1. n. 2. Coninc. disp. 17. dub. 1. Layman. par. 4. c. 1. n. 1. Tolet. in tract. de interd.*
3 *c. 1. n. 1. & alij.* dixi aliquorum Sacramentorum, quia a quolibet interdicto semper ex-

excipitur baptismus paruulorum, & in morte etiam maiorum pœnitentia *c. non est vobis de sponsal.* & hodie non solum in morte, sed etiam semper conceditur pœnitentia ex *c. alma mater §. 1. de sent. excõm. lib. 6.* verum quia latius de istis agitur in sequenti resol. ibi ne eadem repetamus, me remitto.

4 Diuiditur autem interdictum in personale, locale, & mixtum: personale est, quando non locus, sed persona interdicitur, ne supradicta ipsi concedantur; locale est, quando locus sacer interdicitur, ne in eo Sacramentorum vsus, prædictis exceptis, concedatur, diuina officia celebrentur,
5 nec sepultura tribuatur; Mixtum est, quando persona, & locus, vbi illa est, interdicuntur, & propterea vbicunque illa pergat, secum trahit interdictum, quod hac de causa vocatur ambulatorium *Nauar. cit. n. 166.* Et ideo differt ab vtroque, etenim interdicta persona, non est interdictus locus, V. g. si interdictus est populus Neapolitanus, possunt exteri, ibi habitãtes in omnibus Ecclesijs omnia prædicta gerere; interdictis autem Ecclesijs eiusdem Ciuitatis, vna vel omnibus, possunt ciues eiusdẽ Ciuitatis in alijs Ecclesijs non interdictis, omnia etiam prædicta facere, exclusis tamen persona, vel personis, cuius, vel quarum causa interdictum fuit emanatum; quod totum proportionabiliter procedit in personis ecclesiasticis *c. si sententia §. cæterũ de sent. excom. in 6.* vbi etiã in princ. legitur, quod interdicto Cle-
6 ro, non intelligitur interdictus populus, & è contra, & in istis concordant omnes.

Item interdicto Clero, non intelliguntur interdicti Religiosi, nisi exprimantur, quia in odiosis non veniunt appellatione Clericorum, nisi interdicantur Ecclesiastici, quod est nomen generalius, & comprehendit etiam Religiosos, imò etiã moniales, & Eremitas, ac nouitios, qui
7 tamen nouitij non includuntur in interdicto Religiosorum; quorum appellatione in odiosis non veniũt *P. Dian. par. 5. tract. 10. resol. 81. ex Prapos. in 3. p. q. 4. dub. 2. n. 11. & alijs.* Rursus vnum-
8 quodque horum subdiuiditur in generale, & particulare, illud est loquendo de personali, quando omnes homines Ciuitatis, vel Castri aut Regni interdicuntur, istud quando aliqui, aut vna sola persona interdicitur, idem procedit de locali: nam generale est, quando totum Castrum, vel tota Ciuitas, aut Regnum interdicuntur, particulare autem, cum vna, vel plures Ecclesiæ eiusdem Ciuitatis, vel Castri, aut Regni, non omnes interdicuntur; idem proportione seruata, dicendum est de interdicto mixto *c. si ciuitas eod. tit. & lib. cit.*
9 vbi etiam habetur, quod interdicta Ciuitate intelliguntur interdicta etiam suburbia, & continentia ædificia *Tolet. d. c. 1. n. 6. Bonac. disp. 5. pun. 1. n. 4 Layman. cit. n. 2.*
10 Verum in quocunque interdicto generali, siue speciali locali includuntur, etiam exteri venientes ad habitandum ibi, qui non possunt celebrare diuina officia in loco interdicto, quamuis tempore interdicti ibi non adfuissent, extra quem locum cessat in vtrisque prohibitio *Henriq. lib. 13. c. 41. n. 3.* sed in interdicto generali persona-
11 li, non includuntur exteri, habitantes in loco, vbi habitant interdicti, etiam ad longum tempus, dummodo animo discedendi, vt sunt scholares *Syl. v. interdictum 2. n. 14. & 20. ex c. si sententia de sent. excõ. in 6. Henriq. cit. c. 42. n. 3. ex multis Nauar. cap. 27. n. 167. Bonac. vbi supra n. 20.* qui tamen scholares erunt interdicti, si interdictus esset populus Ciuitatis, ex qua sunt, licet alibi tunc habitarent, vt tradit *Sayr. d. c. 4. n. 2. ex Hugol. & alijs.*
12 Sed an sub interdicto generali personali comprehendantur infantes, & amentes? *Nauar. citat. n. 168.* ait, includi etiam lactẽtes, quia includuntur etiam innocentes *ex d. c. si sententia §. cæterum*, vt etiam volunt *Maiol. lib. 3. de irregular. cap. 20. n. 2. Hugol. tab. 5. cap. 20. §. 2. Summa Corona hoc tit. n. 3.* contrariam tamen sententiam docent *Sylu. v. interdictum 2. n. 18. Valent. to. 4. q. 18. disp. 7. pun. 2. Tabie. eod. 1. §. 10. in fine, Henriq. d. cap. 42. n. 3. Filliuc. tract. 17. c. 1. n. 23.* Hanc ego sequor, non tamen ratione ab eis tradita, quia st. sunt innocentes, culpæque incapaces, nam hoc reijcitur ex *d. c. si sen-*
13 *tentia §. fin.* sed quia interdictum ex duobus capitibus includit, etiam innocentes, vnum est, quia est signum mæstitiæ Ecclesiæ, quam ostendit in peccato, & inobedientia alicuius, & sanctissimè vult, vt omnes filij sui, etiam sine culpa, eundem participent mærorem; alterũ quia sic excitantur magis omnes contra eum, propter quem fuit emanatum, vidẽtes n. se sine culpa, & ob eum pati, conuocantur ad Ecclesiæ defensionem, vt ex hoc ma-

magis inobediens confundatur, & ad obe-
dientiam facilius conuertatur. *Tolet. cit. c.*
14 *2. n. 7.* Sed neutrum istorum capitum ap-
plicabile est infantibus, & amentibus, er-
go eos interdictum non ligat a ratione
cessante c. cum cessante de appellat. benè
verum est in interdicto locali comprehen-
di etiam ipsos circa sepulturam, quia Ec-
clesia interdicta nullum cadauer admittit,
vt probant DD. citati, præcipuè *Henriq.
ex D.Tho. Couar. & alijs sub lit. V. Sayr. d. c. 4.
n. 22. in fine.*
15 Vtrum autem interdicta Ciuitate per
interdictum locale generale, intelligantur
etiam interdictæ Ecclesiæ regularium, li-
cet exemptæ virtute suorum priuilegiorũ?
affirmatiuè respondent *Coninc. disp. 17. dub.
1. n. 10. Filliuc. tract. 17. n. 10. Bonac. disp.
5. pun. 1. n. 24. ex Suar. & alijs.* Quod am-
16 pliatur, vt neque possint in diebus festi-
uis Sanctorum ordinis eorum, & per oc-
tauas publicè celebrare, etiam excommu-
nicatis, & interdictis exclusis, nisi in die-
bus statutis, & iuxta ordinem *Bonif. 8. in
c. alma mater de sentent. excomm. in 6.* vbi
expresè fuerunt reuocata omnia priuile-
gia quibuscunque concessa, & iterum in
*Trid. sess. 25. cap. 12. & 22. de regular. Na-
uar. in consil. 7. de priuil. in nouis, & in
man. cap. 27. n. 190. in fine, sicque declarasse
S. Congreg. testatur. Garzia de benef. par. 5.
cap. 8. nu. 87. quidquid in contrarium dicant
Henriq. lib. 13. cap. 48. Sayr. lib. 5. cap. 13.
num. 24. & 25.* testantes non esse circa
hoc reuocata priuilegia sibi à PP. con-
cesa.
17 Sed quamnis Episcopus, aliusue Iudex
non possint se ipsos interdicere personali-
ter, cum nequeant in se iurisdictionem
exercere *l. qui iurisdictioni ff. de iurisdict.
omn. iudic.* tenentur tamen seruare inter-
dictum à se latum; nequeunt enim à se
interdictos ad sacra admittere, neque in
loco à se interdicto celebrare, nisi prius
interdictum tollant, vel saltem suspendãt:
& ratio est, quia hoc à iure prohibetur, su-
per quo nequit inferior à Papa dispensa-
re, & propterea contrafacientes incurrunt
pœnas à iure statutas *Auila disp. 1. dub. 5.
concl. 2. V gol. tab. 5. cap. 6. §. 1. Coninc. disp. 17.
dub. 1. n. 25. & alij*; patet etiam à simili de
18 excommunicatione, non enim potest E-
piscopus communicare cum excommuni-
cato etiam à se ipso, vt dictum est supra
v. excomm. quia talis communicatio pro-
hibetur à iure communi, quod ligat om-
nes *l. 2. ff. de ll.*

De causis Interdicti, eiusque effectibus.

SVMMARIVM.

1 *Interdicti causæ sunt efficiens, materialis, formalis, & finalis, & quæ ista sint? generale nequit ferri pro leui culpa, sed debet esse grauissima; numquam tamen pro causa pecuniaria, quantumuis magna n. 2. quando est ferendum, non necessario prærequiritur culpa vniuersalis, sed sufficit particularis, si sit Principis, vel alicuius ex magnatibus, & in quo differat ab excommunicatione nu. 3. Eius forma quando profertur. n. 4. & an & quando prærequiratur monitio? n. 5. & 7. vsque ad 10.*

6 *Excommunicatio æquiparatur interdicto, & suspensioni circa monitionem præmittẽdam.*

11. *Interdictum est ferendum in scriptis, cum causæ assignatione, alias pœna contrahitur. Eius causa finalis est, vt debita præstetur obedientia Ecclesiæ n. 12.*

13 *Interdicti tẽpore localis generalis, seu particularis possũt omnibus administrari sacramenta Baptismi, & Confirmationis, sacrumque Chrisma confici in die Cœnæ Domini, idem de interdictis personaliter generaliter, sed quid de specialiter? & an in Ecclesia specialiter interdicta? n. 14.*

5 *Pœnitentiæ Sacramentum licet administrare cuicunque interdicto in articulo mortis, & etiam extra eum, exceptis tamen excommunicatis, & ijs, qui dederunt causam interdicto.*

16 *Interdictus specialiter, validè, sed non licitè administrat Sacramentum pœnitẽtiæ, verum necessitate vrgente etiam licitè.*

17 *Interdicti localis tempore potest Eucharistia administrari morientibus, sed nullo modo sanis, nec personaliter interdictis, à sacerdotibus tamen non impeditis, eodẽ que tẽpore possunt isti quotidie celebrare extra Ecclesiam interdictam, si non sint speciali, & personali interdicto ligati, vel causam illi dederint n. 18.*

19 *Ordinis Sacramentum nequit dari, neq; conferri personaliter interdictis, siue gene-*

neraliter, siue specialiter, sed bene localiter interdictis in loco non interdicto, si illi causam non dederint.

20 *Interdictis quibuscunque non conceditur extrema vnctio; etiam si essent Religiosi, vel moniales, sed quid si locus tantùm esset interdictus?*

21 *Sponsalia licitè contrahuntur cuiuslibet interdicti tempore, sed an matrimonij Sacramentum? n. 22. vsque ad finem.*

26 *Dignius quod est, trahit ad se minus dignũ.*

28 *Lex quantumuis generalis, non extenditur ad casus specialiter prouisos.*

29 *Interdicti localis tempore an possint licitè benedici sponsi? & quid de interdictis personaliter, aut si sola sponsa esset interdicta?*

30 *Vxor efficitur de foro viri.*

Resolutio LXXXXII.

1 AD primum quatuor causæ concurrũt in interdicto, sicut in alijs censuris, efficiens st. materialis, formalis, & finalis, illa est persona, quæ ferre potest interdictum, nempè Pontifex, qui habet iurisdictionem in toto mundo *c. cuncta per mundum 9. quæst. 3.* vel Iudex ab eo delegatus, intra fines tamen suæ delegationis *c. 1. de offic. & potest. Iud. deleg. & c. 2. de offic. legati.* Archiepiscopus, & Episcopus in locis sibi subiectis *c. 1. & toto ferè tit. de offic. & potest. Iudic. ordin.* Materialis est duplex, remota, & est culpa, propter quam fertur interdictum; nequit autem generale interdictum pro leui culpa inferri, sed
2 debet esse grauissima; quã propter non potest pro causa pecuniaria, quamuis magna inferri, nisi de expressa licentia Pontificis *extrauag. 2. de sent. excomm.* Nec placet quod dicunt aliqui apud *P. Dia. par. 5. tract. 10. resol. 80.* debere intelligi textũ de interdicto locali tantùm, cum eadem ratio militet in vtroque casu. *l. 3. §. proinde ff. de in rem verso §. part ratione inst. quib. mod. Ius patr. potest. solu.* & lex generaliter loquens, generaliter est intelligenda *l. de pretio ff. de publicãn rem act.* non est autem
3 necesse, vt culpa sit vniuersalis, sed sufficit, si sit particularis, dummodo Regis, vel Principis, siue etiam Iudicis Ciuitatis *c. si sententia §. 1. de sent. excomm. in 6.* Proxima verò sunt illi, qui interdicuntur, & amplius loca, vt Ecclesiæ, & in hoc differt excommunicatio ab interdicto, quia non possunt Ecclesiæ, vel Ciuitas, aut Vniuersitas hominum in communi excommunicari, sed possunt interdici, quamuis non soleat pro culpa hominis particularis, seu priuati interdictum ferri generale, vt dictum est, sed potius tunc culpatus suspenditur, vt *in c. miror 17. q. 4.* vbi fuit quis suspensus à communione propter culpam particularem, licèt impropriè ibi dicatur interdictus, sed *in c. non est vobis de sponsal.* propter culpã Regis fuit prolatum interdictum generale, quod fuit propriè ambulatorium.

4 Causa formalis consistit in forma verborum sententiæ interdicti, quæ quibuscumque verbis concipiatur, valida est, dummodo constet quid, aut qui interdicantur, hominum st. congregatio particularis, aut populus, seu Vniuersitas, locus particularis, seu vniuersalis; In iure n. talis forma non datur, sed solet dici, Nos propter talem causam, talem Ecclesiam, vel Populum, vel Ciuitatem, seu Clerum Eccles. supponimus interdicto. *Sylu. v. interdictum 3. num. 7. Tabi. eod. nu. 1. Henriq.*
5 *lib. 13. c. 50. n. 4.* Sed antequam interdicti sententia proferatur, si est ab homine prærequiritur monitio, si verò à iure, nequaquam *iuxta Sylu. cit. n. 6. ex Arcbid. & alijs, Tol. hoc tit. cap. 2. nu. 9. ex c. reprehensibilis de appell.*

6 Verum quia super hoc dissentiunt DD. propterea præmitto, Iura canonica æquiparare in hac materia excommunicationem interdicto, & suspensioni, vt legitur *in c. 1. §. superior de sent. excomm. in 6.* vbi Innoc. loquendo de excommunicatione subdit, videlicet, *& hæc eadem in suspensionis, & interdicti sententijs volumus obseruari:* idem generaliter dicunt DD. nempè *Suar. de censur. lib. 1. c. 12. n. 5. in fine, & 9. P. Dia. par. 5. tract. 9. resol. 55. in princ. sed in c. sacro de sentent. excomm.* infertur pœna excommunicanti aliquem sine monitione, non autem dicitur nulla excommunicatio; quod clarius declaratur *in c. Romana §. Porro eod. tit. in 6.* vbi sententia excommunicationis absque monitione dicitur iniusta; ergo, dicit *Sil. ibidem v. iniustas, valida est excommunicatio.* Vnde in-
7 fertur, quod, licet æquiparetur excommunicatio interdicto, & suspensioni (quãuis illa sit maior omnibus quoad pœnam, vt alibi diximus) sicuti valida est; licet iniusta excommunicationis sententia sine

mo-

monitione præmissa, ita etiam interdicti, & suspensionis, & propterea licito iure & omni dubio cessante, poterunt à superiore reuocari tales sententiæ, sine monitione prolatæ, vt in iurib. cit. qua de re non placet opinio *P. Dia. & DD. apud eũ par. 5. tract. 9. resol.* 18. *§. fin.* dum dicunt sententiam etiam declaratoriam excommunicationis esse nullam absque monitione, imò Nauar. *in man. cap.* 27. *n.* 11. *versic. quartum quod,* sibi apertè contradicit, dum docet, talem sententiam esse nullam, & immediatè subdit valere, sed peccare mortaliter proferentem.

8 Dicit postea idẽ *Dia. cit. ref.* 55. *in fine,* opinionem docentium non esse necessariam monitionem ad valorẽ sententiæ prædictæ, esse etiam probabilem, sed ipsum adhærere contrariæ, tamquam probabiliori, quam antea docuit *Coninc. de censur. disp.* 13. *dub.* 9. *n.* 79. vbi dicit esse communem DD. opinionem, & patere *ex c. reprehensibilis de appell.* idem dicit *n.* 82. *vbi refert Sot. in* 4. *dist.* 22. *q.* 1. *art.* 2. *concl.* 4. dicentem, neminem, excepto Caiet. contrarium dixisse, idem *Coninc. n.* 81. *dicit oppositum ex c. Romana de sent. excomm. in* 6. ex quibus cernitur, quam sibi parum constantes fuerint DD. aduersi; Circa verò

9 tex. allegatum in contrarium ab eodem *Coninc. in c. reprehensibilis dicit Gl. ibidem v. proferant,* quod tenet sententia, licet sine monitione (aliquibus tamen casibus exceptis, de quibus diximus supra resol. 16. & 17. vbi latius) cuius opinionis sunt *Abbas in c. sacro de senten. excom. & in c. cũ sit Romana n.* 28. *de appell. ibiq; Felin. n.* 15. *Caiet.* 2. 2. *q.* 69. *art.* 2. *Cordub. lib. de ignor. q.* 27. *Sãch. de matr. to.* 1. *lib.* 2. *disp.* 24. *n.* 28. *in fine.*

10 Ratio potest esse, quia vel excõmunicatio est imposita à iure, & quia ius sẽper loquitur, illa potest dici monitio, vel ab homine, & aut præcessit præceptũ de aliquid faciendo, vel non faciendo, cui fuit contrauentum, & illud similiter dicitur monitio ex Sanch. cit. quæ, quia debebat renouari ante prolationem sententię ex supradictis, & praxi ita se habẽte, propterea, dum fuit omissa, dicitur sententia non nulla, sed iniusta, & competit appellatio, patet *ex d. c. Romana ibi, et si contra fecerint, iniustas nouerint esse illas,* aut nullum ex his præcessit, & fuit fulminata excommunicatio & hæc est nulla, quia sine causę assignatione per monitionem, vt etiam dictum est supra in citat. resol. 16. & 17.

11 Debet autem excommunicatio, sicut & interdictum ferri in scriptis, similiter cum causæ expressione, alias pæna contrahitur suspensionis à diuinis officijs, & ab ingressu Ecclesiæ per mensem *ex c.* 1. *de sen-ten. excomm. in* 6. Causa finalis est correc-

12 tio, seu emendatio eorum, propter quos fuit interdictum latum, vt obedientiam Ecclesiæ debitam præstent, & sic illud tollatur, aut suspẽdatur *c. fin. §. in festiuitatibus de sent. excom. lib.* 6. *Sylu. cit. in fine. Tol. sub hoc tit. cap.* 2. *num.* 12.

Ad secundum respondetur effectus interdicti, siue localis, siue personalis esse tres, priuationem st. aliquorum Sacramẽtorum, vt infra; diuinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, de quibus in

13 sequenti resol. possunt tamen licitè tempore interdicti localis, siuè generalis, siue particularis administrari omnibus Sacramenta Baptismi, & Confirmationis propter moræ periculum, & consequenter cõfici in die Cęnæ Domini sacrum Chrisma, vt legitur *in c. quoniam de sent. excom. in* 6. quod vltimum *Bonac. disp.* 5. *pun.* 3. *§.* 1. *n.* 2. frustra laborat probare per argumenta, dum in text. decisum reperitur. Idem est dicendum de interdictis personaliter, generaliter, vt percipitur *ex c. responso de sent. excomm.* quo ad Confirmationis verò Sacramentum circa personaliter, & specialiter interdictos, ac eos, qui dederunt causam interdicto, negant *Suar. & alij apud Bonac. cit. n.* 4. ante præmissam satisfactio-

14 nem Ecclesię; quando tamen hæc erunt peragenda in casibus permissis, poterunt fieri, etiam in Ecclesia specialiter interdicta, vt ex multis rectè docet *Sayr. lib.* 5. *c.* 7. *num.* 4. sed priuatè ianuis clausis, organis, neque campanis pulsatis, ex *d. c. alma mater de sent. excomm. in* 6. *Tolet. cit. c.* 3. *nu.* 1.

15 Eodem modo licet administrare Sacramentum pœnitentiæ cuicunque interdicto in articulo mortis *c. quod in te de pænit. & remiss. & c. non est vobis in fine de spõsal.* ac etiam extra talem articulum omnibus, dummodo non sint etiam excommunicati, vel causa interdicti prolati *c. fin. §.* 1. *de sent. excomm. in* 6. aut specialiter interdicti *d. c. fin. §. penult.* nisi pręmiserint debitam satisfactionem *Sayr. n.* 12. Cõfessarius

16 autem specialiter interdictus, validè, sed non licitè administrat hoc Sacramentum; in

Nn

in casu tamen necessitatis, etiam licitè ex Trid. sess. 14. cap. 7. Bonac. vbi supra §. 3. sub n. 2. Dia. par. 5. tract. 10. resol. 62. Pari mo-
17 do licet administrare Eucharistiæ Sacramentum tempore interdicti localis morientibus d. cap. quod in te, & c. permittimus de senten. excomm. Sylu. v. interdictum 5. n. 9. Tab. eod. §. 6. Nauar. in man. cap. 27. n. 178. Henriq. lib. 13. cap. 45. n. 2. vbi rectè addunt dari etiam posse damnatis ad mortem, & prægnantibus Abb. in d. cap. quod in te n. 8. & in cap. pastoralis §. 1. de offic. ordin. Couarr. in dicto c. alma mater par. 2. §. 3.
18 n. 2. Quo casu dabitur à sacerdote, qui non dedit causã interdicto locali, vel non est speciali, & personali interdicto ligatus Coninch. disp. 17. dub. 2. n. 45. sed nullo modo potest dari sanis, etiam Clericis, vel Religiosis, licet possint, si sacerdotes sint, celebrare quotidie, submissa voce, ianuis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, & campanis non pulsatis, in Eccles. tamen specialiter non interdicta, vt in seq. resol. n. 7.
19 Sacramentum autem ordinis nullo modo potest conferri interdicto personaliter, siue generaliter, siue specialiter, neque ab Episcopo interdicto alteri non interdicto c. responso §. fin. de sent. excomm. nec hoc reperitur aliquo modo immutatum ex d. c. alma mater; si verò interdictum, sit tantum locale, nullum est impedimentũ, quin possit in loco non interdicto ordinari, dummodo ordinãdus non dederit causam interdicto, vt pluries dictum est, & docet Sayr. lib. 5. cap. 7. num. 34. ex Palud. in 4. dist. 18. art. 2. concl. 6. Sylu. Tab. Couar. Angel. Henriq. & alijs, qui rectè aiunt hoc procedere actiuè, & passiuè, ad idem Bonac. disp. 5. pun. 3. §. 3. n. 3. in fin. ex mul-
20 tis; eodem modo negatur Sacramentum vnctionis quibuscumque interdictis, siue specialiter, siue generaliter c. quod in te §. licet autem de pœnit. & remiss. nec potest ministrari personis non interdictis in loco interdicto Abb. in d. c. quod in te n. 9. Sylu. v. interdictum 5. n. 8. Sayr. cit. vbi multi nu. 29. etiam si essent religiosæ. ibidem nu. 32. ex eisdem Sylu. Tab. Nauar. Hugol. & alijs, licet contrarium in hoc casu voluerit Henriq. lib. 13. cap. 45. n. 4. quod ex Coninc. & alijs probabile existimat Dian. par. 5. tr. 10. resol. 78. casu quo nequeat dari pœnitentia, quod verum puto ex bonis rationibus per eundem Patrem adductis.

21 An autem matrimonium licitè contrahatur tempore interdicti? si loquimur de sponsalibus, quia non sunt Sacramentum, sed contractus humanus, affirmo de quolibet interdicto, & proinde possunt etiam fieri denunciationes in Ecclesia, seruata forma Trident. quia sunt solùm præam-
22 bulæ ad matrimonium; si verò de matrimonio, pro ut est Sacramentum, & eodem modo affirmant Sanch. & multi apud eum lib. 7. de matrim. disp. 8. n. 2. quorum præcipuum fundamentum est text. in c. Capellanus de ferijs, vbi legitur, consuetudinẽ esse in Ecclesia, vt matrimonium quocũque tempore contrahatur, & adduũt esse contractum quendam naturalem, cur per accidens Christus Dominus adiecit Sacra-
23 menti rationem. Idem voluere ante eos Sylu. v. interdictum 5. n. 9. versic. quinta exceptio, Tol. hoc tit. cap. 3. sub n. 9. Henriq. lib. 13. cap. 45. n. 3. Coninc. disp. 17 dub. 2. n. 48. vbi id multis alijs medijs probare conatur, & præcipuè, quia dato interdicto generali alicuius Prouinciæ, vel Ciuitatis, penè infiniti homines, etiam innocentes cogerentur per aliquos fortasse annos nullum matrimonium contrahere, ex quo grauissima sequerentur incommoda, innumeræque fornicationes, & ita nouissimè voluit P. Dia. par. 5. tract. 10. resol. 81. §. fin.
24 Quibus se opponunt alij contrarium sentientes, & dicentes constare ex legibus citat. st. c. non est vobis de sponsal. c. quod in te de pœnit. & remiss. c. responso de sent. excomm. & c. alma mater eod. tit. in 6. nulla Sacramenta esse administranda tempore interdicti, certis casibus, & Sacramentis exceptis vt supra, sub quibus exceptionibus non reperiri matrimonium; ergo istud manet sub regula negatiua, & quo ad obiecta, respõdent præcipuè Suar. infra cit. debere intelligi c. Capellanus, quod possit validè, nõ autẽ licitè contrahi matrimonium tempore interdicti. Et quã-
25 uis sit contractus naturalis, quod hoc non impediat in illo veram rationem Sacramenti, imò minus principaliter sit ratio contractus, quam Sacramenti, & proindè addo ego, cum denominatio fieri debeat à
26 nobiliori parte, & maius dignum trahat ad se minus dignum l. præcipimus §. fin. C. de appell. vbi Alex. in addition. ad Bart. versic. hoc
27 dico, matrimonium proprius vocatur Sacramentum, quàm contractus. Nec obstat vltimum de absurdo vitando, nam, aut

qui

qui cupiunt nubere, dederunt causam interdicto, & possunt se corrigere, & ad Ecclesiæ obedientiam venire, & sic tolletur interdictum; aut sunt alij, & videntes se innocentes, & afflictos, magis excitantur contra illos ad Ecclesiæ defensionem, & ex hoc inobedientes confunduntur, ruboreque suffusi, citius ad pœnitentiam, Ecclesiæque obedientiam reducuntur, & sic tolli poterit interdictum, vt ait *Tolet.cit.c. 2. nu. 6.* licet ipse contrarium teneat, vt supra.

28 Accedat pro responsione ad cit. *c.capellanus*, quod si benè legatur, non videtur applicabile, quia lex quantumuis generalis, vt est text. prædictus, non extenditur ad casus specialiter per aliam legẽ prouisos, vt in casu nostro per supra dicta iuxta *l. decurionibus, vbi Gl.C.de silent. lib. 12. Bart. in l. non dubium n. 9. C. de legib. qui sic declarat Gl. fin. ibidem Præs. de Franch. decis.*11.*n.*17. & proinde hãc sententiam negatiuam cum distinctione ego sequor, matrimonium st. tempore interdicti non esse licitum, sed validum, quam ex alijs medijs sequuntur *Suar. de censur. to.5.disp. 33. sect.1.n.51. Regin.lib.32.trac. 3.n.28. Filliuc. tract. 18. cap.2. n. 51. alij-que apud Dian. in cit. resol. 81. in princ.*

29 licet ipse contrarium teneat. Quod si interdictum sit solùm locale, poterunt etiam licitè benedici sponsi, ianuis tamen clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis; & sine solemnitate virtute *d.c. alma mater*, in quo, quia permittuntur celebrationes Missarum, & diuina officia modo prædicto, eodem modo permitti videntur dictæ benedictiones, quæ sunt quædam preces, & orationes, vt in Rituali; Dari tamen seu fieri nequibunt personaliter interdictis, siue generaliter, siue specialiter, nisi sola sponsa esset generaliter persona-

30 liter interdicta, quæ cum per matrimonium transeat ad locum viri nõ interdicti, deque eius foro efficiatur *l.fin. C. de Incol. lib. 10. & l.feminæ ff. de senat.* cessat consequenter etiam quod ad ipsam interdictum *Couar.in c.alma mater p.2.§.2. num.7. Sanch. & alij supra cit. latè Sayr. lib. 5. cap. 7. n.40. vsque ad finem*, quidquid in contrarium circa benedictiones prædictas voluerit idem *Diana par. 5. tract. 10. resol. 84.*

De secundo, & tertio interdicti effectu, qui est diuinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ priuatio.

SVMMARIVM.

1 *Diuinorum officiorum appellatione continẽtur Sacramenta, horæ Canonicæ, & orationes publicæ, ab Ecclesiast. dici solitæ.*

2 *Interdicti tempore an quibus, & quando prohibeantur orationes publicæ, vel priuatæ, & an excusentur beneficiati à recitatione diuini officij?*

3 *Interdicti localis tempore, in quibus Ecclesijs liceat celebrare, et psallere, & an liceat etiam secularibus assistere?*

4 *Commendatio animæ non prohibetur tempore interdicti. Sicuti nec Litaniæ, etiam publicæ, & alia huius generis n.5.*

6 *Interdicti localis tempore, licet in aliquibus festiuitatibus, vt infra celebrare, & alia diuina gerere, etiam publicè, & solemniter, sed numquam in Ecclesijs specialiter interdictis, vbi tamen solet conseruari Eucharistia, potest semel in hebdomada celebrari pro communione infirmorũ. num.7.*

8 *Sepultura Ecclesiastica, an omnibus sit prohibita tẽpore interdicti? & n.9.& 10.*

Resolutio LXXXXIII.

1 Diuinorum officiorum nomine, scitum est comprehendi principaliter Sacramenta (licet non omnia interdicti tempore prohibeantur, vt dictum est in priori resol.) horas canonicas, & omnes orationes publicas, quæ in Ecclesia ab Ecclesiasticis dici solent, priuatę n. non solùm

2 nõ prohibẽtur, etiã in Ecclesia, sed omnes, qui ad eas tenentur ratione ordinis, seù beneficij, vel religionis, aut voti, non propterea sunt exempti *Suar.de censur. to. 5. disp.34. sect.3.n.12.Sayr.eod.tit. lib.5 c.5. n.10. ex Nauar. Sylu.Couarr.Hugol. & alijs*, imo hodiè *ex c.alma mater de sent.ex com.in*

3 *6.* possunt omnes Ecclesiastici, tàm seculares quàm Regulares, tempore tamen interdicti generalis localis, celebrare missas, & diuina officia in Ecclesijs, & Monasterijs suis, ac etiam monialium, in Hospitalibus, ac Oratorijs erectis, vel approbatis ab Episcopo, ianuis clausis, cam-

panis non pulsatis, & voce submissa, ita quod non possint audiri ab existentibus extra Ecclesiam, excommunicatis, & interdictis personaliter exclusis, tam generaliter, quàm specialiter, etiam si essent Ecclesiastici, nam laici quolibet modo interdicti, numquam admittuntur ad diuina officia, nisi in aliquibus festis, vt infra, vel ex priuilegio; istis n. non prodest, *c. alma mater Nauar. c. 27. n. 171. & 174. Henriq. lib. 13. c. 46. n. 1. & 3. Filliuc. tract. 18. c. 3. n. 71. & 72. Coninc. disp. 17. dub. 2. n. 32.* sed possunt Clerici coniugati habentes requisita Tridēt. secund. *Dia. par. 5. tra. 7. 10. resol. 60. & 85.*

4 Commendationem autem animarum iuxta solitum fieri posse tempore interdicti non dubitatur *Sylu. v. interdictum 5. n. 6. in fine vers. 6. officium Henriq. cit. c. 44. nu. 2. Sayr. d. c. 5. n. 38. & alij*, quia est consecutiua illorum Sacramentorum, quæ talibus eo tempore permissa sunt, vt in priori resolut. diximus. Item litanias pos-
5 se per Confratres publicè tali tempore, & alia huius generis dici, & fieri probat *Sayr. cit. c. 7. n. 39. ex Angel. Tab. Maiol. Henriq. & alijs*. cum non pertineant propriè ad officia diuina.

6 In aliquibus tamen festiuitatibus infra annum licet tempore interdicti localis generalis missas celebrare, aliaque omnia facere ad diuinum cultum pertinentia publicè, & solemniter iuxta solitum, etiam laicis, & interdictis admissis, quorum causa interdictum fuit latum *d. c. alma mater §. penult. Dia. p. 3. tr. 10. resol. 83.* modo isti prope non accedant ad Altare, hoc est ad oblationes, & communionem non admittantur, vt explicant *Filliuc. cit. n. 79. Coninch. etiam cit. n. 37.* quæ festiuitates sunt Natalis Domini, Pascha Resurrectionis, Pentecostes, & Assumptio Beatissimæ Mariæ Virginis *d. §. penult.* quibus addunt *Angel. Sylu. & alij apud Henriq. cap. 47. Coninc. n. 34.* Corpus Christi, & Conceptionem eiusdem Virginis, cum octauis, ad quas festiuitates fuisse oretenus extensam dictam concessionem, per *Martin. 5. Eugen. 4. & Leo. 10.*

7 Nullo autem tempore possunt hæc fieri in Ecclesijs specialiter interdictis secundū *Gl. in d. c. alma mater §. adycimus v. Ecclesijs Angel. v. interdictum 6. n. 1. Sylu. eod. 5. n. 1. Sayr. de censur. lib. 5. c. 5. n. 7.* sed hoc est intelligendum, seu limitandum, vt possit semel in hebdomada, etiam ibi celebrari, pro conficienda Eucharistia, quæ decedentibus in pœnitentia non negatur *c. permittimus de sent. excomm.* quod etiam sublimitatur in Ecclesijs, in quibus Eucharistia conseruari non solet, vbi nullo tempore celebratur, vt rectè aduertit *Sayr. cit. n. 8.* & patet à ratione cessante *c. cum cessante de appell. ibique vult Sayr. errasse Gl. & Abb. dicentes in dicto c. permittimus, dispositionem eiusdem tex.* hodie ad nihilum deseruire, eo quod in dicto c. alma mater concessum sit Clericis quotidie diuina gerere, vt supra, nam etiam hodie locum habet dispositio prædicta, quia eius virtute licet celebrare in Ecclesijs specialiter interdictis in casu prædicto, quod tamen non licet *ex d. c. alma mater*.

8 Tertius interdicti effectus est priuatio Ecclesiasticæ sepulturæ, tàm si interdictū sit locale generale, vel speciale, quam si personale, similiter generale, vel speciale, quia priuat omnes interdictos ecclesiastica sepultura *c. quod in te §. licet autem de pœnit. & remiss. c. si Ciuitas §. fin. de sent. excomm. in 6. & Clem. 1. de sepult. Sayr. cit. c. 8. n. 3.* in cœmeterijs autem ab Episcopis nō benedictis sepeliri possunt iuxta *Gl. in Cle. cit. v. cœmeterys. Tab. v. interdictum 5. §. 11. Henriq. lib. 13. cap. 44. num. 4.* A qua pro-
9 hibitione excipiuntur ex gratia Clerici in sacris, qui seruauerunt interdictum, nec causam illi dederunt (dummodo non sint personaliter interdicti, siue generaliter, siue specialiter) qui poterunt sepeliri in cæmeterio, etiam ab Episcopo benedicto *dicto §. licet autem*, præuijs diuinis officijs in Ecclesia iuxta permissionem *c. alma mater, Sotus in 4. dist. 22. q. 3. ar. 1. Henriq. supracit.* & et cū solitis solemnibus, si contingat sepeliri in illis festiuitatibus, in quibus permittitur diuina solemniter fieri, vt supra fuit notatum *Coninc. disp. 17. dub. 2. n. 51. & 52.*

10 Quod ampliatur non solùm in Clericis primę tonsuræ, sed etiam in Regularibus, & monialibus, ac etiam nouitijs, qui in fauorabilibus veniūt appellatione Clericorum, vt rectè docent *Nauar. Auila, Sayr. Suar. & alij apud Bonac. disp. 5. pun. 5. n. 13. in fine. cum Filliuc. tract. 18. quæst. 4. nu. 98.* quam sententiam meritò ampliarunt, etiam in laicis, loquendo de interdicto locali, & in solis festiuitatibus prædictis *Sotus in 4. dist. 22. q. 3. art. 4 post quartam* con-

conclusionem Syl. v. interdictum 5. n. 4. Nauar. in man. cap. 27. n. 181. in fine ubi ex Calder. Feder. & Angelo, hoc putat probabilius, tãquam fauorabilius, ea ratione, quia quibus possumus in diebus prædictis communicare viuis, possumus etiam mortuis licet contrarium senserint *Coninc. cit. n. 55. & alij*.

Quibus in casibus sit à iure impositum interdictum?

SVMMARIVM.

1 *Interdictũ locale generale est ipso iure impositum contra Regnum Principis impedientis Nuncium, vel Legatum Apostolicum ingredi ciuitates, vel loca sibi subiecta. Item contra ciuitatem, in qua si contingeret mori Pontificem, non obseruarentur ea, quæ in tali casu statuta sunt in c. 3. de elect. n. 2. Item contra ciuitatem, in qua Episcopus detinetur inuitus n. 3. Item contra eas omnes præter Vrbem, quæ non puniunt pœnis debitis, si possunt, fautores, vel consulentes, percussores, vel captores iniuriosè, seu occisores Cardinalium n. 4. Item contra Vniuersitates locantes domos vsurarijs publicis ad vsuras exercendas, si infra tres menses eos nõ expellunt n. 5. itẽ contra Ciuitatem exigentem pedagia, seu guidagia à personis ecclesiasticis pro rebus proprijs n. 6.*

7 *Ecclesia, in quibus quis inducitur ad sepulturam eligendam cum iuratoria promissione de non mutando, si corpus eius fuit postea ibi sepultum, sunt interdicta, donec illud restituatur cum alijs hac de causa perceptis, illi Ecclesiæ, cui de iure cõpetit: quod fallit in aliquibus casibus, vt infra, & procedit etiam in Regularibus & n. 8.*

9 *Interdictum simile est à iure impositum contra Vniuersitatem concedentem represalias in personas ecclesiasticãs, vel eorum bona, donec fiat restitutio, hac de causa ablatorum. Item contra capitulum auferens aliquid de fructibus beneficiorum vacantium in praeiudicium successorum. n. 10.*

11 *Appellantes à decretis Pontificis ad futurũ concilium generale, & eorum fautores, & consulentes, sunt interdicti, non sic ad concilium generale præsens.*

12 *Capitulum, si Sede vacante, infra annum à die vacationis concedit dimissorias, est interdictum cum limitatione, vt infra.*

13 *Iudices Ecclesiastici proferentes sententiam excommunicationis sine scriptis, monitione, & causæ assignatione, Episcopis exceptis, & Prælatis regularibus, sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ per mensem.*

14 *Celebrantes, vel celebrare facientes scienter in locis interdictis, nisi secundum concessionem Bonifacij, vel excommunicatos, aut interdictos ad diuina, vel sepulturam admittentes sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ, & irregulares.*

15 *Tridentinum cõmentantes, si sunt Prælati, sunt interdicti ab ingressu Ecclesiæ; alij verò excommunicati.*

Resolutio LXXXXIV.

1 INterdictum generale locale est ipso iure, ipsoque facto impositum, primo quando quilibet cuiuscunque præeminentiæ, conditionis, aut status impedit Legatos, vel Nuncios Apostolicos ingredi eius Ciuitates, vel Terras, tunc impediẽs est excommunicatus, regna verò sua, ciuitates, & loca sibi subiecta, tamdiù sunt eo ipso Ecclesiastico supposita interdicto, quandiù in huiusmodi contumacia perstiterint, vt legitur in *Extrauag. vnica de consuet. Sylu. v. interdictum 4. sub n. 1. §. 7.*

2 Secundus casus est quando contingeret mori Pontificem in aliqua Ciuitate, in qua creandus esset successor, & Rectores, & officiales illius Ciuitatis non facerent inuiolabiliter, & sine fraude obseruare, quæ statuta sunt *in c. 3. de elect.* tunc ipsi sũt excommunicati, feudisque, si quæ habent ab Ecclesia, ipso facto expoliati, ciuitas verò interdicta *d. c. 3. §. praterea, Sylu. d. n. 1. §. 4. Sayr. lib. 5. c. 12. n. 4. ex Palud. Angel. Tab. & alijs.*

3 Tertius est quando quis Episcopum quemcunque capit iniuriosè, vel percutit, seu occidit, tunc ipse, & eius fautores sunt excommunicati in bulla Cœnę, alijsque pœnis puniuntur *ex Clem. 1. de pœn.* Ciuitas verò, seu locus in quibus captus Episcopus detinetur inuitus, sunt interdicta, donec detentio in eisdem locis durauerit *d. Clem. 1. §. terra quoque, Sylu. cit. §. 5. Angel. v. interdictum 4. in princ. Tab. eod.*

cod.2.n.1.Regin.lib.32.cap.33.n.63.ex Suar. ibi relato.

4 Quartus est quando ciuitas, vel quilibet alius locus præter Vrbem, dat fauorem, consilium, aut auxilium insecutoribus, percussoribus, captoribus per iniuriam, aut occisoribus Cardinalium, tunc ipsi delinquentes, vltra excommunicationem in bulla Cœnæ, in quam incurrunt, varijs pœnis puniuntur, & insuper ipsa ciuitas, etiam si ad talia non concurrerit, intra mensem tamen eos debita pæna puniri non curauerit, dummodo potuerit, est ipso facto interdicta *c. fælicis in fine de pæn. in 6.Tolet. hoc tit.cap.4. n.3.Sylu. cit.§. 2.Sayr.ex multis d.c.12.n.8.*

5 Quintus est quando Vniuersitas, seu collegium locant domos vsurarijs publicis alienigenis ad vsuras exercendas, si infra tres menses eos non expulerint, sunt ipso iure interdicta *c.1.de vsur.in 6.Palud. in 4. dist. 18.q.8. art.1.conclus.1. Tab.v.interdictum 1. nu. 1.* sed istud videtur in vsu non esse.

6 Sextus est quando ciuitas, vel collegiũ, seu vniuersitas exigunt ab Ecclesijs, seu personis ecclesiasticis pedagia, seu guidagia pro rebus tamen proprijs, non autẽ si negotiationis causa, quas deferunt, seu deferre faciunt, sententiam interdicti incurrunt; quæ non relaxatur, donec exacta plenariè restituerint *c. quamquam de censib. in 6.* & hoc eodem modo in vsu esse non videtur, vide *Sylu. v. interdictum 4.n.1.§. 3. Sotum in 4.dist.22.q.3 art.1.concl. 3. Tol. cit. cap.4.n.2.*

7 Septimus, & hoc est interdictum speciale locale, quando regulares, vel seculares inducunt aliquos ad vouendum, iurandum, vel promittendum, vt in eorum Ecclesiis sepulturam eligant, vel iam electam vlterius non immutent, tunc vltra nullitatem electionis, si cum effectu fuerint ibi corpora prædictorum sepulta, & infra decem dies, ea non restituerint Ecclesijs, in quibus de iure sepelienda fuissent cum omnibus, quæ sepulturæ causa tributa fuerint, sunt Ecclesiæ prædictæ ipso iure interdictæ, donec integralis restitutio facta fuerit *c.1.de sepult. in 6. Sylu. cit.n.3.§.2. Tolet.vbi supra n.9. Nauar.in man.c.27.n.169 in fine.* Hoc tamen locum non habet, qnando quis sine dolo, & fraude inducit aliquem ad electionem, vel mutationem sepulturæ sine obligatione ad non mutandum; sicuti neque si Parochus aliquem induxerit ad hoc faciendũ, apud quem de iure tumulandus erat *Sayr. lib.5.c.12.n.9.in fine. ex Palud.in 4. dist.18. q.8.art. 4. principali §. quantum ad tertium*

8 *concl.1.* Nec habet locum tertio, si vnus Religiosus aliũ induxit ad talem promissionem, & postea cæteri religiosi hoc ignorantes eadem sepelierunt, nec curarunt restituere iuxta *Regin.lib.32. nu. 65. in fine ex Suar.ibi relato, quos sequitur Bonac. disp. 5.pun. 7.* quam tertiam limitationem verã non puto, si nolunt restituere, quia licet ignorantia excuset, quando tamen requisiti non restituunt, cessat ignorantia; & proinde ligantur pœna prædicta, vt percipitur ex eod tex.cit.

9 Octauus est quando Vniuersitas concedit represalias, seu pignorationes; hoc est si aliquis de illa Vniuersitate habuit damnum ab aliquo de alia Vniuersitate in persona, vel in bonis, qui non potest cogi ad resarciendum damnum, vt in alieno dominio, & vniuersitas tribuit facultatem damnum passo, vt capiat aliũm quemcunque de Vniuersitate illius, qui damnum intulit, vel sua bona, si talis represalia cõcedatur, & committatur in personam ecclesiasticam; Vniuersitas concedens est interdicto Eccles. supposita, donec omnia reducantur ad pristinum *c.1.de iniur.in 6.Sayr. d.c.12. n.12.ex Palud.Nauar.Tabi. Henriq.& alijs Coninc.disp.17.n.75.*

10 Nonus est *in extrauag. vnica sub tit. ne sede vacante aliquid innouetur,* vbi interdicitur capitulum, quando abstulit aliquid de fructibus beneficiorum vacantium in præiudicium successoris, donec restituantur *Bonac.disp.5.pun.7. n.12.*

11 Decimus est in *bulla Cœnæ Domini c. 2.* vbi interdicuntur Vniuersitates, Collegia, & Capitula, quæ à sententijs, ordinationibus, & mandatis Romani Pontificis appellant ad futurum concilium generale, & eidem interdicto subiacent præbentes illis consilium, auxilium, vel fauorem, *Sayr.& Bonac. locis cit. Coninc. vbi supra,* secus si appellent ad concilium generale præsens, quia bulla loquitur de futuro, & pœnæ non sunt ampliandæ, sed restringendæ *c.odia de regul.iur. in 6. Regin.to.1. lib.9. sub n.263.P. Dia.par.9.tr.7.resol. 66. ex Castropal.to.6.disp.3. pun.3.n.6.*

12 Vndecimus est *in Trid.sess.7.de reform. c.non liceat 10.*vbi interdicitur Capitulum

si

si Sede vacāte infra annū à die vacationis dimissorias alicui cōcesserit, nisi hoc egerit occasione beneficij recepti, vel recipiendi per ordinandum, casu tū, quo beneficium talem ordinem requirat, vt percipitur ex mente concilij, & tradunt *Sayr. cit. nu. 15. Coninc, vbi supra Henriq. lib. 13. cap. 43. sub num. 5.*

13 Duodecimus casus habetur *in c. cum medicinalis de sent. excomm. in 6.* vbi interdictus est per mensem ab ingressu Ecclesiæ quilibet Iudex ecclesiasticus, proferens sententiam excommunicationis in quemcunque sine scriptis, causæ assignatione, & alijs in tex. requisitis *Henriq. cit. vbi lit. T. addit ex Nauarr. & alys*, posse prælatos regulares proferre censuras in suos subditos absque scriptis, (quod tamen supra *v.* censura, & *v.* excommunicatio non admisimus simpliciter,) sed nullo modo prædicta suspensio, seu interdictum comprehendit Episcopos, tamquam non expressè nominatos in dicto text. vt requiritur per text. *in c. quia periculosum de sent. excomm. in 6. Suar. disp. 37. sect. 1. n. 3. Filliuc. tract. 18. num. 145.*

14 Decimustertius est *in c. Episcoporum de priuil. in 6.* vbi similiter interdictus est ingressus Ecclesiæ secularibus, & regularibus, licet exemptis, celebrantibus, vel celebrare facientibus diuina in ciuitatibus, vel locis interdictis, nisi secundum concessionem Bonifacij in *c. alma mater de sent. excomm. in 6.* vel excommunicatos, aut interdictos, publicè ad diuina officia, Sacramenta, vel sepulturam admittentibus *Filliuc. tract. 18. n. 147. vers. notandum, Bonac. cit. n. 16. ex Suar. & alys*; sed in priori casu sunt etiam irregulares à solo Pontifice absoluendi *c. is qui, §. is verò eod. tit. & lib. cit.*

15 Decimus quartus est contra commentantes Trid. qui remanēt interdicti ab ingressu Ecclesiæ, si sunt prælati; alij verò quicumque sunt excommunicati ipso facto, vt legitur *in bulla Py 4. edita anno 1563. 3. Kal. Februarij*; & inserta in fine decretorum eiusdem Trident. sunt & alij casus, in quibus est à iure interdictum latum, vel comminatum, quos referūt DD. cit. sed quia partim non sunt in vsu, partim infra in tit. de suspens. referentur, meritò hic omittuntur.

De pœnis spiritualibus, & temporalibus, interdictum violantium, & an priuet iurisdictione fori exterioris?

S V M M A R I V M.

1 *Diuinis officijs assistentes tempore interdicti an peccet venialiter, aut mortaliter?*

2 *Interdictos cogentes ad celebrandum, vel eos ad diuina per sonum campanæ conuocantes, peccant mortaliter, sicuti etiam prohibentes, ne exeant ab Ecclesia, dum monentur à celebrantibus exire.*

3 *Interdictum personale violantes, siue generale, siue particulare peccant mortaliter, nisi laborent ignorantia inuincibili, verū magis puniuntur monales; Clerici, & Regulares, vt n. 4. 5. 6. & 10. sed quid si ob metum cadentem in constantem virum? n. 7.*

8 *Interdictis nominatim denunciatis administrans Sacramenta, vel coram ipsis celebrans, etiā in loco non interdicto, seu cum ipsis in diuinis communicans, est interdictus ab ingressu Ecclesiæ, secus non denunciatis nominatim. Communicans in rebus humanis, siue non denunciatis nominatim, etiam in diuinis, nullam pænam incurrit. n. 9.*

10 *Interdictum speciale personale an sit denūciandum vt obliget, & quomodo denuncietur? locale generale sufficit, si obseruetur ab Ecclesia matrice, vt omnes alia obligentur nu. 11. latum contra incertos, nullum obligat in foro exteriori. num. 12.*

13 *Interdictus an priuetur iurisdictione in foro exteriori, siue sit iudex secularis, siue ecclesiasticus? & n. 14.*

Resolutio LXXXXV.

1 AD primum si loquimur de laicis violantibus interdictum locale generale, vel speciale, audiendo st. sacrum, vel horis canonicis assistendo in locis interdictis, peccant venialiter *Sot. in 4. dist. 13. q. 8. art. 2 Nauarr. cap. 27. n. 187. Tolet. hoc tit. c. 3. n. 5. Henriq. lib. 13. cap. 46. n. 3.* nisi hoc faciant ex contemptu, quia tunc est mortale *Dia. par. 5. tract. 10. resol. 69. §. fin. Suar. tamen de censur. disp. 34. sect. 5. n. 4. Filliuc. tract. 18. c. 3. n. 85. & aly* volunt peccare sem-

semper mortaliter; sed malè, quia prohibitio diuinorum in loco interdicto dirigitur Ecclesiasticis, & licet laici benè faciant, non assistendo, quia propterea pulsatio campanarum prohibetur, ne illi conuocentur, si tamen assistant, præcipuè deuotionis causa, non debent tanti criminis
2 rei effici. Peccant tamen mortaliter in subscriptis casibus. Primo si cogant, vel hortentur interdictos ad celebrandum in loco non interdicto, & fortius in interdicto, vel non interdictos in loco interdicto. Secundo si euocent interdictos, maximè per sonum campanæ ad diuina audienda. Tertio si prohibeant, ne interdicti exeant ab Ecclesia, dum monentur à celebrantibus exire, qui sunt etiam excommunicati cum reseruatione absolutionis Pontifici *Clem. grauis de sent. excomm.* ratio est, quia in prædictis casibus censentur id facere per contemptum, vt dicunt DD. cit. addentes alios casus, qui videntur reincidere in eosdem; subdit *Coninc. disp.* 17. *dub.* 3. *n.* 69. suscipientes Sacramēta sibi prohibita in loco interdicto peccare etiam mortaliter, quod puto satis probabile, cum sit res ex suo genere grauis.

3 Omnes tamen DD. cit. concordant, violantes interdictum personale, siue generarale, siue speciale peccare mortaliter, quibus adde *Armill. hoc tit.* §. 56. *Maiol. lib.* 3. *de irregular. cap.* 20. *n.* 9. *& alios. Caiet. tamē in summa v. interdicti violatio in fine* rectè excludendos esse ait, ignorantia inuincibili laborantes, cum quo concordant *Palud. in* 4. *dist.* 18. *q.* 8. § *quantum ad decimum octauum*, *Summa confess. lib.* 3. *tit.* 33. *qu.* 267.
4 Eodem modo sine controuersia aiunt peccare mortailter moniales, & monachos, etiam non habentes ordines aliquos sacros, si violauerint scienter quodlibet interdictum, officiando sicut prius absque circumstantijs statutis *in dicto c. alma mater Angel. v. interdictum* 7. *n.* 4. *Tab. eod.* 5. *n.* 16. *Nauar. d. n.* 187. *in fine. Syl. v. interdictum* 6. *n.* 3. vbi addunt fieri etiam ineligibiles actiuè, & passiuè. Clerici etiam, & Regu-
5 lares sacris initiati, violātes scienter quodlibet interdictum modo, quo supra, non solùm peccant mortaliter secundum omninm sententiam, sed irregulares, & ineligibiles fiunt, cum absolutionis reseruatione ad Pontificem *c. is qui*, §. *is vero de sent. excomm. in* 6. & amplius Clerici habentes beneficia, illis spolientur, & regulares in arctioribus monasterijs ad peragendam pœnitentiam detruduntur *cap. postulastis* §. *quæsiuistis in fine de Cler. excomm. vel depos. ministr.* & tradunt DD. prædicti locis cit. & si moniti, non cessant à celebrando, seu officiando, perpetuæ depositionis pœnam incurrunt *c. clerici eod. tit.* Quę depositio se-
6 cundum mentem *Gl. ibidem v. moniti, quam sequitur Abb. in c. cit. nu.* 1. est suspensio ab officio, & beneficio; sed legitur in *c. fin.* §. *fin. de excess. Prælator.* & vlterius Regulares qnodcūque interdictum violantes, qnod obseruare viderint ab Ecclesia Cathedrali, seu Parochiali, sunt ipso iure excommunicati ex *Clem.* 1. *de sent. excomm. & dicto* § *quæsiuistis Nauar. in cit. cap.* 27. *n.* 146. *ex Palud. in* 4. *dist.* 18. *q.* 8. *art.* 3. *Angel. v. interdict.* 7. *num* 8.

7 Sed dubitari potest, num violantes interdictum ob metum cadentem in constātem virum, excusentur à pænis prædictis? respondent affirmatiuè, si considerentur pœnæ istæ, vti simpliciter impositæ à iure canonico, quia solet dici per DD. Ecclesiam non obligare cum tanto incommodo; verum obstare videtur *tex. in c. sacris de ijs, quæ vi metusue cau. fiunt*, propterea me remitto ad dicta supra *resol.* 18. *à nu.* 5. *ad finem*, *& resol.* 68. *n.* 19. *vbi latissimè*, si verò metum incutiens, hoc faceret in contemptum Ecclesiæ, vel fidei, & religionis, non admittitur excusatio, quia de iure naturali, & diuino tenemur bonum fidei, & religionis, propriæ vitæ, & bonis anteponere, vt probatur *in l. veluti ff. de iustit. & iure*, *& rectè tradit Bonac. disp.* 5. *pun.* 7. *n.* 3. *ex S. Cypriano lib.* 1. *epist.* 3. *ad S. Cornel. Pap. de quo casu non est dubium ex dictis in cit. resol.*

8 Celebrans autem coram interdictis nominatim denunciatis, etiam in loco non interdicto, vel illis administrans Sacramenta, seu Ecclesiasticam sepulturam, vel in alijs diuinis scienter communicans, interdictus est ipso iure ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfaciat ei, cuius sententiam cōtempsit *c. Episcoporum in fine de priuil. in* 6. *Sylu. v. interdictum* 6. *n.* 2. §. *tertiū si Nauarr. cap.* 25. *n.* 94. *Sayr. vbi multos refert lib.* 5. *c.* 14. *n.* 11. sed communicans cum
9 prædictis in rebus humanis collocutione, salutatione, negotiatione, & similibus, nullam pœnam incurrit, quia hoc non est à iure prohibitum (& in hoc differt interdictus ab excommunicato,) sicuti nec communicans cum interdictis, non denūciatis nominatim, etiam in diuinis *Nauar.*

dicto cap.27.n.187. Filliuc.tract.18. cap.2.n. 57. ex extrauag. ad euitanda scandala, cuius verba alibi retulimus, licet non sit in lib. extrauag.

10 Ista verò denunciatio non est opus, vt auribus singulorum intimetur; difficillimū n. & ferè impossibile esset interdictum generale personale vnius Prouinciæ, vel Ciuitatis singulis notificare, vt minus rectè aliqui dixerunt; quando ergo interdi-
11 ctum est locale generale, sufficit obseruari ab Ecclesia matrice, vt omnes aliæ Diœcesanæ obligentur, sicut etiam si publicè promulgetur sententia interdicti in eadem Ecclesia matrice, vel alijs locis solitis *c. 1. de postul.prælat. Syl.v.interdictum 2.nu.1. Coninc.disp.17.dub.2.n.62.* idem à simili procedit in interdicto personali generali, argum. *l. non possunt ff. de legib.* (speciale autē esi referatur ad personas particulares, est istis intimandum, alias difficile esset de eo notitiam habere.) Vndè rectè ait *Henriq.lib.13.cap.43.n.7.litt.F.ex Tabie.& alijs*, quod si Rectores, seu Gubernatores Populi, aut Collegij denuncientur de interdicto personali, lato in populum, vel Collegium, quilibet qui est pars eius communitatis, censetur nominatim interdictus,
12 secus si interdictum esset generale, & incertum, vt puta interdicimus fautores, vel receptatores exulum, vel fures bonorum Ecclesiæ. nemo n. saltem in foro foti in tali interdicto includeretur argum. *l. duo sunt Titij ff. de testament. tut.* sicut à fortiori diximus de excōmunicatis, *Sayr.lib.5.c. 12.n.23. idē Hēriq.cit.& Bonac. vbi sup.n.24.*

13 Ad secundum respondet *Nauarr. in manual. cap.27. sub num.* 176. interdictum etiam personaliter, non priuari iurisdictione fori exterioris ex *Innoc.in c. fin. de except. prælat.* & consequenter posse excommunicare, & absoluere absque tamen stola, & solemnitate sacerdotali, idē voluit *Syl.v. interdictum 5. sub n.5. vers. sciendum tamen ex Abb. in cit.c. fin. sequuntur Henriq. lib.13.cap. 43.n.4. Sayr.d.lib.5.cap. 6.n.* 12. qui communem dixit; rationem assignat *Bonac. ex multis disp.5.pun.6. nu.*1. quia st. interdicti effectus sunt solùm tres nempe priuatio aliquorum Sacramentorū, diuinorum officiorum, & Ecclesiasticæ sepulturæ, sed actus iurisdictionis exterioris ad nullū horum pertinet ergo. Obsta-
14 re tñ prædictis satis videtur litera tex. *d. c.fin. §. licet autem*, vbi legitur, interdicti, seu excommunicationis sententias in quoscumque prolatas post violationem interdicti esse irritas, & inanes, & *Gl.in eod.v.irritas.* dicit hoc ibi patere manifestè, imò alia *Glo. cit. per Sayr.in cap. sacro hoc tit. de sentent. excomm.* loquitur de interdicto ab ingressu Ecclesiæ, quam non esse censuram, fuit probatum supra *v.censura in princ.* & propterea ad saluandas opiniones tantorum Patrum, potest dici illas procedere in iudicibus secularibus, quibus neque per excommunicationem tollitur iurisdictio iuxta aliquorum opininionem suo loco relatam (licet contraria sit verior) tex. verò prædictum cum Gl. in iudicibus Ecclesiasticis, de quibus idem tex. loquitur; *nisi dicas.* sententias esse irritas, & inanes post violationē interdicti, vt idem tex. loquitur, nō antea, quo modo intellectus, cessat contrarietas.

Ad quem pertineat relaxatio ab interdicto, an relaxari possit ad cautelam, & num sublatum censeatur, si non seruetur ab eo, qui illud intulit?

SVMMARIVM.

1 *Interdicti relaxatio ad quem pertineat, tā si sit latum a iure, quàm ab homine, tam in foro fori, quàm poli. & n.2. potest tolli à superiore, sicuti à ferente, sed non debet ab illo tolli inconsulto isto: si tamen relaxat, valida est relaxatio. n.3.*
4 *Appellatio non est permissa, omisso medio.*
5 *Interdictum an possit relaxari ad cautelā, tàm si sit locale, quàm personale? & n. 6. licet dicatur nullum, est seruandum etiam à ferente, donec nullum declaretur, nisi nullitas esset notoria n. 7. An possit relaxari à Pontifice per solam voluntatem interiorem, non explicatam? num.8.*
9 *Intentio in mente retenta nihil operatur.*
10 *Hæreditas non potest adiri solo animo, nisi aliquo modo declaretur.*

Resolutio LXXXXVI.

1 AD primum, interdictum si est latū à iure, aut est reseruatum Pontifici, vel alteri, & relaxatio pertinet ad eum, cui est reseruatum; aut nemini; & cessat

causa propter quam fuit latum, & tolli potest ab Ordinario; Causa verò nõ cessãte, non potest tolli nisi à Pontifice argum. c. nuper de sent. excomm. Tolet. hoc tit. cap. 5. n. 2. Tab. v. interdictum 3. n. 9. §. 8. Henriq. lib. 13. cap. 51. n. 3. sicuti nec tolli potest ab Ordinario ante tempus, si latum sit à iure ad certum tempus Sylu. v. interdictũ 3. n. 16. ex Gl. in c. cupientes §. cæterum, v. suspensos de elect. in 6. Potest tamen quodcumque interdictum à iure latum, si causa propter quam latum est, sit occulta, & non deducta ad forum contentiosum re-
2 laxari ab ordinario in foro conscientiæ ex Trid. sess. 24. cap. liceat 6. vt rectè docet Henriq. cit. quem sequitur Sayr. lib. 5. cap. 15. nu. 16. licet n. Concilium loquatur solùm de irregularitatibus, & suspensionibus, iure tamen meritò extenditur ad interdicta, quia ex vno casu infertur ad alium similẽ l. non possunt. ff. de legib. & vna determinatio respiciens plura determinabilia, debet ea æqualiter etiam determinare l. iam hoc iure ff. de vulg. & pupill.

3 Si verò interdictum sit latum ab homine, eidem competit relaxatio, qui intulit c. si Petrus 24. q. 1. ibi, ille n. condemnat, qui & absoluit l. qui condemnare ff. de re iudic. Sylu. v. interdictum 3. n. 16. sicuti, & suo superiori per remedium ordinariũ appellationis, qui tamẽ si sibi videbitur, illud poterit relaxare, sed non debet irrequisito, & inconsulto ferente c. cum ab Ecclesiarum de offic. ordin. si tamen relaxet, valida est relaxatio, vt probat Gl. ibidem v. non relaxes, quod intelligitur de Archiepiscopo, qui potest tollere interdictum latum ab Episcopo suo suffraganeo. Quod volens exponere Sayr. lib. 5. cap. 15. n. 20. Minus rectè dixit, quod nequit Archiepiscopus, nisi vbi adsit consuetudo, & citat c. Romana de sent. excõ. in 6. addens esse communem opinionem, qui tex. non loquitur de Episcopis, sed de Archidiaconis, & alijs, qui de iure antiquo habebant iurisdictionem, & proinde statuit non posse Archiepiscopum, nisi vbi adsit consuetudo; quia ab Archidiaconis
4 non appellabatur ad Archiepiscopũ omisso medio, sed ad Episcopum, vt docet Gl. ibidem in figuratione casus, & patet ex c. venerabilibus in princ. eod. tit. & lib.

5 Ad secundum respondetur, quod si interdictũ est locale, & generale, nequit relaxari ad cautelam c. præsenti de sent. excomm. in 6. alia verò interdicta relaxari possunt, etiam si essent generalia, sed personalia, nempè in Vniuersitatem, vel collegium Gl. ibidem v. generaliter, & in margine, argumento ducto ex eod. text. à contrario sensu, quod in iure validum est l. 1. §. huius rei ff. de offic. eius, cui mand. est iurisd. dum ergo Pontifex prohibet ibi relaxationem ad cantelam in interdictis generaliter localibus, videtur exclusisse interdictos generaliter personaliter, qnia inclusio vnius est alterius exclusio c. non ne de præsumpt. & l. cum prætor ff. de iudic. & pœnæ non sunt extendendæ, sed potius restringendæ c. odia de regul. iur. in 6. Idem voluere ex
6 alijs medijs Couar. in cit. c. alma mater par. 2. §. 2. n. 5; Suar. de censur. disp. 38. sect. 3. n. 3. & 4. Reginal. lib. 32. cap. 32. n. 58. Fillinc. tract. 18. n. 127. Ideo n. (aiunt) permitti potest relaxatio, vt possint personę interdictæ recipere Sacramenta, & alia diuina, donec absoluantur, quę interdicto durante prohibentur c. is, qui §. fin cũ simil. de sent. excom. in 6. magnum siquidem detrimentum spirituale pararetur, si diù abstinere quis coactus esset à Sacramentis, dum in longum protraheretur causa validitatis, seu inualiditatis sentẽtię interdicti Sayr. d. cap. 15. à n. 7. vsque ad 12.

7 Ad tertium respondetur, quamuis interdictum diceretur nullum, seruandum esse, etiam à ferente, donec nullum declaretur, quia est præceptum iuris, quod omnes ligat l. 2. ff. de legib. Henriq. lib. 13. c. 50. n. 3. in fine, & proinde si ipse, qui illud tulit, non tollit, & interim non seruat non excusatur à culpa, & pœna, sicut cæteri Calder. hoc tit. par. 1. n. 58. Alter. disp. 10. cap. 6. ad finem Bonac. disp. 5. pun. vlt. n. 8. & dictum est supra in huius tit. introduct. n. 17. nisi nullitas esset notoria, quia ista, quando est facti permanentis, probatione non indiget, vt dictum est supra resol. 2. n. 12. & quia non entium nullæ sunt partes l. eius qui in prouincia ff. si cert. pet. Quod autẽ
8 addunt Bonac. cit. n. 10. cum multis DD. ibidẽ, & ante eos Sayr. vbi supra nu. 4. ex Sylu. cit. num. 12. in fine, & alijs. quod solus Pontifex possit interdictum relaxare per solam intentionem, seu voluntatem interiorem, quia Princeps est legibus solutus
9 l. Princeps, ff. de legib. mihi non probatur saltem pro foro exteriori, etenim intentio in mente retenta nihil operatur l. cum in plures §. locator, ff. locat. licet n. dici soleat,
10 solo animo adiri posse hæreditatem l.

gerit

geris, & l. pro harede ff. de acquir. hared. attamen debet extrinsecè cõstare de animo *l. 1. C. de repud. hared. & docet Prases de Frãchis dec. 60.*

Irregularitas.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitatis vocabulum, parum latinum est.*

2 *Falsa grammatica non vitiat actum, pracipuè legalem.*

3 *Irregularitatis etymologia, eiusque definitio n. 6. Nequit cõtrahi à feminis, nec ab infidelibus, quia sunt ordinum incapaces n. 4. neque ab Episcopo tales ordinante, sed grauiter peccat n. 5. In multis differt à censuris n. 7.*

8 *Irregularis potest regulariter absolui à peccato, per quod eam contraxit, illa remanente.*

9 *Irregularitas superueniens non priuat omnino vsu ordinum. Contrahitur absque sententia Iudicis, vbi est à iure imposita nu. 11.*

10 *Ordines nequeunt conferri irregulari absque praeuia dispensatione, sed si de facto conferantur, valet collatio; peccant tamen mortaliter ordinans, & ordinatus, licet agatur de prima tonsura.*

12 *Irregularitas potest contrahi, tàm ab Ecclesiasti. is in quocumque ordine, & dignitate positis (solo Pontifice excepto) quàm etiam a secularibus. Nequit imponi ab inferiore à Põtifice, qui est lex animata, nec ipse potest pro culpa veniali eam imponere n. 13. Sed an detur irregularitas ex solo veniali in iure? vel etiam sine peccato? n. 15. & 16.*

14 *Beneficia, & dignitates nequeunt conferri irregulari.*

17 *Irregularis non est, qui occidit, vel mutilat aliquem, quando alias non poterat euadere periculum vita propria. Neque mandãs homicidium committi in personã vnius, si committatur in personam alterius, neque qui mandauit aliquem baculo verberari, eo expresso ne occidatur, si postea mandatarius occidit n. 18.*

19 *Irregularitas nequit contrahi pro delict. merè interno, sed tantum pro externo, etiam occulto, si sit consummatum.*

20 *Excommunicatus celebrans, quantumuis occultè, irregularis efficitur.*

21 *Irregularis recipiens, vel exercens ordines, nouam irregularitatem non contrahit, sed peccat mortaliter toties, quoties.*

INTRODVCTIO.

1 IRregularitatis vocabulum parum latinum dixerunt *Nauar. in man. cap. 27. nu. 191. Henriq. lib. 14. c. 1. n. 1. & alij*, eo quia cum sit nomen compositum ab (in) pro nõ, & regularitas, deberet appellari potius inregularitas, sed hoc potuit nasci ex corrupta pronunciatione hominum, sequendo ergo istum communem vsum loquendi, qui licet sit erroneus, potest tolerari, tum ex *l. Barbarius ff. de offic. Prat.* tũ

2 etiam, quia falsa grammatica de iure non vitiat *l. Imperator Titus cum Gl. ff. de statu homin. l. 2. C. de errore aduocat.* Dicitur quis

3 irregularis, idest sine regula, seu contra Ecclesiæ regulam, sicuti Regulares dicuntur à regula, quam seruant, viuendo iuxta suarum constitutionum institutum *Henriq. cit. ex Innoc. Couarr. Maiol. & alijs Suar. de censur. to. 5. disp. 40. sect. 1. nu. 1.* à simili dicitur inciuile, quod est contra ius ciuile *l. inciuile ff. de legib.* & regulare illud, quod est iuxta iuris regulas *l. regulariter ff. de petit. hared. c. regulas dist. 3. & latè Gl. in rub. de regul. iur. in 6.* Sed maior effectus irregularitatis est, impedire exercitum ordinum susceptorum, & collationem

4 dãdorum, vt infra, & propterea feminæ, & infideles, cum sint, istorum incapaces, sunt consequenter etiam illius incapaces *D. Tho. in 4. dist. 25. q. 2. art. 2. Sotus ibidem q. 1. art. 2.* vbi ait mulierem, siue bigamam, siue homicidam, irregularem nõ esse *Nauar. cap. 27. nu. 305. Suar. cit. n. 3. & sect. 7. n. 3. Coninc disp. 18. dub. 1. n. 2.* ex quibus infert idem *Suar. d. sect. 7. nu. 8.* Episcopum

5 ordinando prædictos non affici censura aliqua, lata contra ordinantem irregulares, sed peccare grauissimè, vti abutentem Sacramento.

6 Definitur autem irregularitas, videlicet, est canonica inhabilitas ordines suscipiẽdi, vel susceptos exercendi ex solo iure proueniens, ita communiter DD. (licet alij, statim citandi omittant, sed non rectè, illa vltima verba; cum tamen certum sit *ex c. is qui de sent. excomm. in 6.* irregularitatem non dari, nisi à iure, hi sunt *Suar.*

cit.disp.40. sect.1.n.2. Henriq.lib.14.cap.1. n.2. Regin.lib.30.c.1.n.2. Bonac.hoc tit. disp. 7.q.1.pun.1.n.1. qui tamen in discursu materiæ hoc millies fatentur.) & propterea à prædicta sententia, quæ communis est *ex Summa Dia. v. irregularitas n.1.& alijs*, non est recedendū, cui concordant *Sanctin. in c. sententiam ne Cleric.vel monach. & alij antiqui in c.ad audientiam de homicid.*

7 Sed differt irregularitas à censuris, primo quia non est censura, vt dictum est supra *resol.12.n.2.* secundo quia per singulas discurrendo, si loquimur de excommunicatione, hæc priuat participatione actiua,& passiua Sacramentorum,omnibus Ecclesiæ suffragijs,iurisdictione, ac omni hominum consortio, si de suspensione, hæc semper ex aliquo delicto cōtrahitur, siue mortali, siue veniali, & est censura, vel sententia a iure, vel Iudice inflicta ob contumaciam,vel pœnam delicti commissi, quibus ligatus suspensus, vsum ordinum ad tempus exercere prohibetur, si tandem de interdicto,hoc similiter est cēsura, qua quis prohibetur aliqua Sacramenta recipere, vel ministrare, diuinis interesse,& Ecclesiastica sepultura priuatur, vt suis locis latè dictum est; Irregularitas aūt est tantū inhabilitas ad ordines suscipiēdos,vel in illis ministrādū,sæpè absq; vl la contumacia, vel culpa contracta, vt sunt oēs prouenientes ex defectu.Et pōt regularirer absolui irregularis à peccato per

8 quod irregularis factus est,illa remanente, si quis n. occidit, vel mutilat hominē,potest absolui à peccato, hac de causa commisso, si non est reseruatum ordinario, quo casu absoluitur cum eius licentia,non ab irregularitate, eadem de causa contracta *Nauar. in cit.cap.27. n.191. ex Cardin. in Clem.dudum §.ac deinde q.8.de sepult.*

9 Imo, & quod magis est, irregularitas superueniens non priuat omninò vsu ordinum; etenim si sacerdoti absque eius culpa sit amputata manus, licet irregularis fiat,& celebrare amplius non possit, vti de iure, & facto impeditus, audire tamē non prohibetur confessiones *Henriq. lib.7. de indulg.c.13.n.6. lit.R.ex D.Tho. Nauarr. Sot. Ledesma,& alijs*,& multo minus priuatur receptione Sacramentorum,aut Ecclesiastica sepultura, vel diuinis interesse *Sayr.de censur.lib.6. cap.1. n.23. & 24.* Est

10 tamen notandum, quod licet irregularis impediatur ordines recipere, si tamen de facto recipit, valida est receptio, quia Ecclesia actum nō irritat, sed tantum prohibet, imò irritare non potest,quia nequit delere characterem, animæ impressum *Tolet.lib.2. cap. 16.n.9.* sed nequit in illis ministrare, & peccant mortaliter, tàm agens, quàm patiens, etiam si conferatur prima tonsura, vt docent *Sayr.lib.6.cap.1. n.19. Filliuc. de censur. tract.19.cap.5.n.59. & 60.Bonac.hoc tit.disp.7.q.1.pun.1.sub n.4.* & quamuis incōtrarium de prima tonsura arguat *P.Dia.par.4.tract.2.resol.88.* à dicta tamen communi sententia ipsemet non recedit.

11 Secundo notandum ad incurrendam irregularitatem, non requiri sententiam Iudicis, neque declarationē aliquā, sed in casibus à iure expressis statim incurri *Suar.cit.disp.40.sect.4.n.8. ex Sot. in 4.dist.22. q.3 art.1.* rationem tradit *Filliuc. vbi supra n.37.ex Nauar.Couar. & alijs*, quia scilicet lex ipsa immediatè infert irregularitatem, & profert sententiam, ex qua delinquens impeditur recipere, & exercere ordines.

12 Tertio notandum, non solùm Clericos primæ tonsuræ,vel quemcumque ordinem habentes, Episcopos, & Cardinales posse incurrere irregularitatem, vti ex iure cōmuni prouenientem, sed etiam seculares *Sylu.v. homicidium 3. qu.1. in fine Suar. cit. sect.7.n.5. Bonac.d.q.1. pun.2.n.8.& 9.* solo Pontifice excepto, quia est supra ius prædictum, idem *Suar. cit. n.7.* adeo quod si ante electionem ad Pontificatum fuisset irregularis occultus,nequidem electio esset inualida, vt probatur *in c. licet de elect.* nisi tamen ante electionem talis defectus detegeretur; tunc n.eligi non posset iuxta eundem Suar. ibidem *Filliuc.d.tract.19. n.54.ex Maiol.lib.3.de irregul.cap.4.* sed posse in hoc casu Collegiū Cardinalium irregularitatē tollere,satis probabile dixit *Suar.cit.disp.41. sect.2.n.14.* quod ego existimo certum, quia tota Pontificis potestas eo tempore deuoluitur ad Collegium, eo magis,quia in Clem. ne Romani §. cæterū de elect.mandatur,vt nullus Cardinalium cuiuslibet excommunicationis suspensionis, aut interdicti prætextu à dicta valeat electione repelli, ergo minus repelli potest per irregularitatem, quæ non est censura, vt supra n. 7.

13 Quarto notandum secundum subscriptos DD. posito, quod nullus inferior à Pontifice, vti lege animata, possit irregulari-

laritatem infligere, de quo non dubitatur, non posse ipsum Pontificem pro culpa veniali eam in aliquem inferre, & consequenter si in iure imposita esset pœna irregularitatis in aliquem delinquentem in genere, vt est imposita pro homicidio, & iste delinqueret solùm venialiter in homicidio st. casuali, vel ad defensionem, sed cum aliqua leui culpa, eã non incurreret, et si sic mãdasset Pōtifex, quia est pœna grauis priuans hominem omni ordinum vsu, & aspiratione ad alios maiores, in-
14 habilemque reddit ad beneficia, & dignitates obtinendas. isti sunt *Nauar. in manua. cap. 27. sub n. 249. §. 7. Suar. cit. disp. 40. sect. 3. n. 17. Coninch. disp. 18. dub. 2. nu. 13. & 14. Henriq. lib. 14. cap. 3. n. 1. Filliuc. tract. 19. c. 1. n. 23. Sotus lib. 5. de iust. & iure q. 1. art. 9. Regin. lib. 30. cap. 16 n. 202. P. Dia. p. 2. tr. 16. resol. 18. p. 4. tract. 2. resol. 21. & par. 11. tr. 6. resol. 43. vers. nota secundo*, omnes eandem rationem repetentes, quia st. cum irregularitas sit pœna grauis, non potest nisi pro mortali inferri.

15 Contrarium tamen est verum, & certũ, quod st. pro culpa veniali sola contrahi possit, & de facto contrahatur irregularitas. est tex. clarus *in c. continebatur de homicid. cui dicit Diana d. resol. 18. respōdere Suar. to. 5. disp. 45. sect. 6. n. 3.* quæ responsio non videtur firma, vt legenti patet, imò est contra dicta per eundē *disp. 40. sect 3. n. 18 in fine*, vbi de eadem quæst. agens, concludit, videlicet. *verumtamen si illi tex. aliquid probant, & etiam sine veniali culpa irregularitatem incurri asserunt, quod si fortasse ita est, dicemus, illam irregularitatem non esse pœnam, sed significatiuam, aut mysticam, vt sic dicam, &c.* hæc ille. ex quibus liquet parum sibi constantem fuisse, sed Gl. *in d. c. continebatur in v. Romani Pōtificis* dicit Clericum, de quo in tex. dedisse operam rei illicitæ, ludendo cum laico, vel si hoc licitum fuisset, non adhibuisse diligentiam, quam debebat, quia cum sciret ludi consuetudinem, non remouit falcem à se, ex qua alter vulneratus occubuit, & propterea fuit in culpa, quæ non fuit, nisi venialis, & ita fuisse decisum *per S. Congr. sub die 1. Septēbris 1588. legitur in declar. Trid. sess. 14. post c. 7. de reform. & in ead. litt. tex.* quod si penitus sine culpa, & casu omnino fortuito homicidiũ fuisset se. quutum, tunc non contraheretur irregularitas. vt in eadem citata declaratione Cōcilij.

16 Idem repetendo docet *D. Tho. 2. 2. q. 64. art. 8. ad 3. imò plus dicit in art. 7. & ad 3.* nempe quod irregularitas contrahitur etiam sine peccato, vt patet in Iudice, qui iustè aliquem condemnat ad mortem, quod pro regula generali tradit *Sylu. v. homicidium 3. n. 3.* vbi ait irregularitatem contrahi per homicidium, vel mutilationem cum peccato, & sine peccato *P. Molina de instit. to. 4. tract. 3. disp. 79. n. 4. Caiet. ad D. Tho. in cit. art. 8. ad 3. P. Megala in 3. par. lib. 7. c. 2. quæst. 1. n. 7. & q. 5. n. 116.* vbi docet supradictam contrariam opinionē esse improbabilem, quod si rationem inquiras, respondeo. cum *Iureconf. in l. non omnium ff. de regul. iur.* non omnium quæ in iure decisa sunt, rationem reddi posse, & si talis lex dura videatur, respōderet alter *Iureconf. in l. prospexit ff. qui & à quibus*, licet duram, seruandam tamen esse. Sed vlterius respondetur ad rationem in contrarium supra nu. 13. in fine, quod qui habet aliquem defectum corporis, vel animi, irregularis est ex defectu, vt omnes sciunt, & tamen nullum peccatum commisit; imo iudex condemnans iustè aliquem ad mortem, meretur, vt docet *P. Molin. cit.* & etiam irregularitatem contrahit, ergo nil mirum si contrahitur irregularitas, non solùm pro culpa mortali, sed etiam veniali, vt supra.

17 Hinc est, quod occidens hominem, vel mutilans ex necessaria defensione, quando aliter mortem propriam vitare nō poterat, quia nec venialiter peccat, irregularitatem non contrahit, vt statuit *Clemens 5. in Clem. vnica de homic. & quamuis D. Th. in cit. art. 7. ad 3.* contrarium etiam in hoc casu docuerit, contrahi st. irregularitatē, respondet tamen Caiet. ibidem in fine nō fuisse emanatam dict. Clement tempore D. Tho. idem dicit *Sylu. cit. d. n. 3. §. tertiũ similiter, & n. 6. Baiard. ad Clar. in §. homicidium n. 82. ex Marsf. & alijs*; vbi addit, quod si sacerdos, dum celebrat, aggrediatur ab inimico, & nequeat alio modo euadere vitæ propriæ periculum, quod possit cum calice eum occidere; & absq; reconciliatione missam prosequi.

18 Excipiuntur à priori regula affirmatiua duo casus sequentes, similiter decisi per S. Congr. & relati in declarationibus Cōcilij sub *d. cap. 7. videlicet. mandans homicidium committi in personam vnius, si committatur in personam alterius, an dicatur incurrisse*

risse irregularitatem, adeo vt super ea nec dispensari debeat iuxta hoc decretum, nec Episcopus possit ex cap. 6. sess. 24. quamuis homicidium sit occultum? Congregatio Concilij censuit non incidisse in irregularitatem, quæ contrahitur ex homicidio voluntario. ita responsum fuit anno 1587. à Cardinali Caraffa Hieracensi Episcopo. Quærebatur an is, qui mãdauit aliquem baculo verberari eo expresso ne occideretur, si mandatarius armis percusserit, & occiderit, intelligatur incidisse in hoc decretum Concilij, adeo vt omni ordine, atque beneficio, & officio Ecclesiastico absque spe dispẽsationis perpetuo carere debeat? Congregatio censuit negatiuè.

19 Notandum quinto pro delicto merè
interno non incurri, neque mandari pòsse
ab Ecclesia, quod incurratur irregularitas,
quia ipsa non iudicat de internis *D. Thom.*
1.2. q.91 art.4.cor. & q.100. art.9.cor. Coninc. disp.18. dub.2 n.11. vnde patet ad eam
incurrendam non sufficere desideriũ homicidij, vel mutilationis *Henriq. lib.14.c.*
3.n.2. satis tamen esse delictum consũmatum, licet occultum in casu, vt infra *resol.*
20 104. prout etiam si excommunicatus celebrat, quantumuis occultè, qui irregularitatem contrahit Suar. qui generaliter loquitur *to.5. disp.11. sect.3. n.1. Henriq. cit.* vbi dicit non esse primariam pœnam pro culpa, sed ob violationem prioris pœnæ, st. excommunicationis *Coninc. vbi supra n.16. sed clarius P. Dia. par.7. tract.11. resol.48. in fine*, nisi adesset obliuio naturalis, vel ignorantia omnino inculpabiles de excõmunicatione ex regulis supra *res.* 19. traditis de ignorantia, & docet *Filliuc. cit. nu. 21. cum eod. Dia. par.5. tr.9. resol. 83. & 96.* regulariter autem neque de occultis iudicat Ecclesia *c. erubescant. vbi Gl. concord. adducit dist.32.*

21 Notandum sexto irregularem recipiendo, vel exercendo ordines, aliam irregularitatem non incurrere, sed peccare mortaliter toties, quoties, quia agit contra præceptum Ecclesiæ in re graui *Suar. disp. 40. sect.2. n.2.3. & 4. Henriq. cit. cap.15. n.2. litt. N. ex Nauar. cap.25. n.77. Inno. Gonar. Armill. & alijs, Regin. lib. 30. tr. 2. cap. 2 num. 11.*

Quot sint genera irregularitatum? & de earum speciebus.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas duo sub se continet genera, quorũ vnũquodque plures species, vt infra. Ex defectu animæ, quot irregulares sub se recludat? n.2.*

3 *Obsessi à Dæmone, vti irregulares nunquã ordinari possunt, etiam si semel vexati fuerint, si verò dum essent ordinati, superuenit obsessio, nequeunt ministrare, nisi per integrum annum vexatos non fuisse constiterit. Sed quid de furiosis, & morbo caduco affectis n. 4. quidue de illiteratis n. 5, & Neophitis n. 7.*

6 *Scientia quæ requiratur in vnoquoque ordine recipiendo?*

8 *Irregularitas ex defectu corporis in duo principalia membra diuiditur, aut n. prouenit ex debilitate alicuius membri principalis, aut ex eiusdem deformitate.*

9 *Musici qui se castrauerunt, vel castrare fecerunt, an sint irregulares? & quid de alijs talia passis, quamuis bona fide nu. 10.*

11 *Claudi an sint irregulares? vel vno oculo carentes? n.12. aut lingua valde impediti? auribus, vel naso carentes, gibbosi, & alij ex causa deformitatis nu. 13. & 14.*

15 *Hermaphroditus an, & quando possit ordinari?*

16 *Irregularis est carens pollice, siue indice, sed quid si sit alter digitus? Item paralitticus, & apoplexus, & qui tales sint? nu. 17. Item continua febre vexati (secus si sit quartana) item podagra, vel chiragra, vel peste, aut morbo gallico laborãtes n. 18. item leprosi, vel etiam multa scabie laborantes, aut nimio, & continuo dolore capitis vexati. n.19.*

20 *Dispensatio super irregularitate ad quem pertineat?*

Resolutio LXXXXVII.

1 SVmma diuisio irregularitatum in duo genera concluditur, aut n. ex defectu proueniunt, aut ex delicto; vtriusque tamen multę sunt species. primũ genus has sub se continet species, prima dicitur irregularitas ex defectu animæ, secunda ex defectu corporis, tertia ex defectu natalium; quarta ex defectu ætatis, & libertatis;

tatis; quinta ex defectu Sacramenti, seu ex bigamia; sexta ex defectu lenitatis, id est ex homicidio licitè patrato, quæ alio modo dicitur irregularitas iusta. Secundum genus comprehendit sequentes; prima dicitur ex homicidio, vel mutilatione illicitis. secūda ex iteratione baptismi. tertia ex indebita susceptione ordinis, vel eius vsu; quarta ex actu infidelitatis, aut hæresis: quinta ex infamia. Prima, quæ pro-
2 uenit ex defectu animæ, includit energumenos, seu obsessos à dæmone; furiosos, morbo caduco affectos, illiteratos, & neophitos, idest nouiter ad fidem conuersos.
3 Energumeni ergo, seu arreptitij, si non sunt promoti ad ordines, numquam promouentur, etiā si semel vexati fuissent, & postea in totum liberati *c. maritum in fine dist. 33.* quod si reperirentur promoti in maioribus, & postea arrepti, nec possunt in illis ministrare, si non omnino liberati sunt, & si omnino, nec possunt, nisi vnius anni spatio tortos à dæmone non fuisse constet, quod remittitur discretioni sui Episcopi *c. communiter dist. 33.*
4 . Item furiosi, & morbo caduco affecti, si promoti non sunt, numquam promouentur, ēt si in totum postea liberentur. Si verò reperiuntur promoti, sunt etiam suspensi, donec liberatos fuisse constiterit *c. si quis non iratus §. fin. 15. q. 1. d. c. maritum: & c. vsque adeo 33. dist. Tolet. cit. nu. 4.* tunc n. poterunt ministrare *c. in tuis 7. q. 2.* quod si rarò, & parum his passionibus torqueantur, poterunt in susceptis ordinibus cum coadiutore ministrare *Gl. in c. cōmuniter v. de ijs 33. dist. Tolet. vbi supra sub n. 5.* concordant in omnibus prædictis *Nauar. in man. cap. 27. n. 203. Suar. de censur. to. 5. disp. 51. sect. 1. n. 2. Filliuc. tract. 19. à nu. 186. Regin. lib. 30. tr. 2. à n. 39.*
5 Illiterati etiam prohibentur ordines suscipere *c. illiteratos dist. 36. Nauarr. cit. n. 206. Tolet. n. 7. Regin. n. 36. in fine*; verū si tales illiterati de facto fuerint ordinati, non solùm sunt suspensi à ministerio, sed vltra peccatum mortale, quod committunt collator, & ordinatus in ordinatione, peccat iste ēt toties, quoties ministrauerit, si periculū sit de aliqua irreuerentia in vsu ordinū, præcipuè iu missæ celebratione *d. c. illiteratos dist. 36. DD. cit. Regin. d. n. 36. & 37. vbi addit ex Maiolo*, & alijs super hac irregularitate, si agatur de ordinibus, qui vt rectè exerceantur, doctrinam requirunt, neque Papam dispensare posse, cum tale impedimentum sit de iure naturali. Scie-
6 tia autem in vnoquoque requisita iuxta Trident. est vt prima consura initiandi, sciant rudimenta fidei, & legere, & scribere *cap. 4. sess. 23. de reform.* ad minores ordines promouendi, linguam latinam; ad Diaconatum, & subdiaconatum, ea, quæ pertinent ad istos ordines exercendos, ad Præsbyteratum, scientiam sufficientem ad instruendum Populum, & Sacramenta administrāda; ad Episcopatum vt sint vnius, vel alterius iuris saltem professi, vel in Sac. Theologia versati, aut publico Academię testimonio idonei, ad alios docēdos ostendantur *c. 2. sess. 22. de reformat. & sess. 23. c. 4. 11. 13. & 14. ex c. fin. cum simil. de tempor. ordin. in 6.* adueniente autem scientia, cessat irregularitas.
7 Neophiti etiam sunt prohibiti ad ordines ascendere; multa n. probatione indigent post baptismum *c. quoniam dist. 48.* quæ probatio in fide nouiter recepta, debet esse per spatium decem annorum, & interim inter irregulares computantur *Sayr. de censur. lib. 6. c. 13. n. 10. & 11. vbi Canones, & DD.* ad nauseam vsque refert; in qua irregularitate solus Papa dispensat, vt dicunt DD. citati præcipuè *Tolet. lib. 1. c. 59. n. 5. in fine. & n. 6.* prædicto verò tēpore lapso, euanescit irregularitas *c. eam te in fine de rescript.* quo casu Episcopus non dispensat, sed declarat irregularitatem cessasse *Bonac. disp. 7. q. 2. pun. 1. n. 5. & vide infra n. 19.* aduertēdum tamen est, neophitos non dici eos, qui ab infantia baptismum susceperunt, licet ortos ab Auo, vel Patre Iudæo, Saraceno, vel Mahumetano; sed solùm qui eū essent tales, fuerūt in adulta ętate baptizati Tol & Bonac. cit.
8 Secunda species irregularitatis, quæ prouenit ex defectu corporis in duo principalia mēbra diuiditur, vel n. causatur ex debilitate alicuius partis corporis, vel deformitate eiusdem. ita legitur *in c. præsbyterum de Cler. ægrot.* cuius verba, quia totam ferè materiam breuiter declarant, hic insero. *Præsbyterum, cuius duos digitos cum medietate palmæ à pradone abscissos significasti, missam non permittimus celebrare, quia nec securè propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem membri hoc fieri posse confidimus: ipsum autem cæteris officijs sacerdotalibus fungi minimè prohibemus.* Concordat totus *tit. de corp. vitiat.*, *& præcipuè cap.*

cap. fin. Suar. de censur. disp. 51. *sect.* 2. *à nu.* 9. *vsque ad finem, & ante eum Nauar. in man. cap.* 27. *n.* 198. vbi rectè addit idem procedere, etiam si membrum abscissum, sit occultum, & non impediat celebrationem, vt sunt pudenda, licet non ipse se abscindat, sed alius per iussum tamen, vel rogatum ipsius abscissi, vt musici faciunt *c. si*
9 *quis abscidit dist.* 55. *Nauar. cit.* videtur n. delictum committere, cum nemo sit dominus membrorum suorum *l. liber homo ff. ad l. aquil.*

10 Quod procedit etiam si quis bona fide hoc egerit, putans sacrificium præstare Deo *c. significauit de corp. vitiat.* contrà verò si quis à medicis propter languorem, seu ægritudinem in illa parte sectus est, aut à barbaris excisus, aut à domino suo, *c. si quis à medicis vbi Gl. & c. si quis pro æ-*
11 *gritudine dist.* 55. imò etiam si claudus à medicis factus fuerit *c. si quis in infirmitate ead. dist.* (non tamen ita, vt oporteret ire cum baculo ad altare *c. nullus Episcopus de consecrat. dist.* 1. *Regin. lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 54. vbi idem dicit de eo, qui ita esset contractus, vt pede, vel crure ligneis ad altare ire oporteret; neque est irregularis, qui in cunabulis sectus fuisset, aut ita natus esset, quia non fuit in dolo, neque in culpa *c. ex parte de corp. vitiat.* Idem de habente
12 aliquam maculam in oculis, quæ magnã deformitatem non induceret *c.* 2. *eod. tit.* carens autem oculo, maximè sinistro, qui dicitur oculus canonis, irregularis est, licet ex causa iusta hoc ei acciderit, vel ita natus sit *c. fin. dist.* 55. propterea *Nauar. cit. sub n.* 199. voluit, carentem vsu oculi dextri, vel etiam sinistri, non tamen oculo, si tamen cum dextro absque indecora faciei conuersione legere possit canonem, non esse irregularẽ, dummodo alterutro modo cesset deformitas magna *Regin. lib.* 30. *sub n.* 49. *Bonac. disp.* 7. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 2. *ex Vgol. Filliuc. Tolet. & alijs.*

13 Item si quis est adeo lingua impeditus, vt vix verbum integrum proferre possit, irregularis est. idem *Regin. sub n.* 51. *ex D. Tho. relato ibidem Bonac. n.* 6. *ex Henriq. Sayr. Filliuc.* ita etiam carens vtraque aure propter deformitatem, licet sine culpa eas amiserit *Nauar. cit. cap.* 27. *n.* 223. *Maiol. lib.* 1. *cap.* 25. *Henriq. tamen lib.* 14. *cap.* 8. *n.* 3. *negat cum Reg. n.* 50. *sed Coninc. disp.* 18. *dub.* 13. *n.* 108. concordat in eo, qui deformitatem operit capillorum velamine, quod admittit *Filliuc. tract.* 19. *n.* 169. in habente vnam aurem, & vide infra *resol.* 101. *n.* 17.
14 Ita etiam dicuntur irregulares gibbosi, si est magna deformitas, aut ventrem nimis magnum habentes, vel naso carentes, aut duo capita, vel tres, aut quatuor manus habentes iuxta DD. cit. & alios communiter; quod si quis habeat digitum superfluum, non tamen impedientem vsum aliorum digitorum pro contrectatione hostiæ, irregularis non est, imò nec illam incurrit, eum abscindendo, si fieri possit absque periculo vitæ, vel maioris deformitatis, sicuti possunt, etiam secari dentes extra os existentes ad tollendam deformitatem, vt egisse D. Hieron. refert *Gl. in c. qui partem v. digiti dist.* 55. vbi addit Esaiam quoque sibi linguam amputasse, *Henriq. cit. Sayr. lib.* 6. *cap.* 8. *n.* 2. *Filliuc. cit. n.* 165.

15 Quid dicendum de Hermaphrodito? *Gl. in c. si testes §. hermaphroditus v. ad testimonium* 4. *q.* 2. *ita distinguit, aut prævalet sexus femineus, & est irregularis, aut sexus masculinus, & potest ordinari Nauar. in man. cap.* 27. *sub n.* 203. scribit, quod primo casu nec recipit characterem si ordinetur, secundo verò, quod recipit, sed non debet ordinari, quia ad solum Pontificẽ spectat dispẽsatio ex *D. Ant.* 3. *p. tit.* 28. *c.* 19. §. 5. *Tol. lib.* 1. *c.* 58. *n.* 5. *Sayr. lib.* 6. *c.* 8. *n.* 24. pro qua opinione adducit penè innumeros DD. *Bonac. disp.* 7. *q.* 2. *pun.* 2. *n.* 13. qui tamen omnes volunt idem procedere, si pari modo participet de vtroque sexu, quod
16 simili modo non recipiat characterem, si ordinetur. Carentes autem pollice, vel indice, quibus frangitur, & eleuatur hostia, dubio procul non solùm sunt irregulares, sed indispensabiles, imo etiam laborantes tali debilitate in illis digitis, vt hæc facere nequeant, si tamen partem alicuius alterius digiti amiserunt, & sine scandalo possunt solemniter celebrare, non sunt irregulares *c.* 1. *de corp. vitiat.* dicuntur tamen illi paralytici, vel apoplexi, siue dissolutæ sint manus, siue pedes, siue lingua, vel alia quælibet pars corporis *Maiol. lib.* 2. *cap.* 24. *n.* 1. *ex D. Tho.* 3. *par. q.* 82. *art.*
17 *fin. ad* 3. Impedimentum ex paralysi probatur in *c. fin. de Cler. ægrot.* quod à fortiori procedit in apoplexia secundum *Sayr. lib.* 6. *cap.* 9. *n.* 10. etenim dum illa irregularem facit, quæ vnum tantum membrum dissoluit, à fortiori ista, quę totum corpus,

ita

ita corripit, vt omnia eius membra, vel inutilia reddantur, vel mors paulo post subsequatur; procedit autem talis infirmitas, vel ex nimia cogitatione, vel somnolentia, vel crapula, vel ex nimia frigiditate iuxta eundem Sayr. cit. *Suar. disp. 51. sect. 2. n. 17. Regin. lib. 30. sect. 3. n. 58. Bonac. vbi supra n. 16. ex c. fin. dist. 85. & eod. D. Tho. ibi relato cum Auila, & Filliuc.*

18 Item continua febre vexati (secus si sit quartana) sicut etiam podagra, vel chiragra, quæ manuum, vel pedum exercitium ita impediant, vt Sacramentum tractare nequeant, sunt prohibiti suscipere ordines, & susceptos exercere, cessantibus tamen morbis prædictis, cessant consequẽtèr impedimenta. Ita etiam morbo gallico, vel peste affecti sunt irregulares isti, ne alios halitu, vel fetore, aut contagione inficiãt *argum c. ex parte de cler. agrot. Henriq. lib. 14. cap. 8. §. 8.* illi verò si modo vlcerati sint propter deformitatem, secus autem si internis cruciatibus cum articulorum inflatione, membrorumque, ac neruorum contractione torqueãtur, dummodo omnis cesset deformitas *Bonac. cit. n. 19. ex Vgol. & alijs.*

19 Leprosi multo magis sunt irregulares *c. tua nos de Cler. ægrot. D. Tho. in 4. dist. 9. qu. 3. art. 4. ad 3. & 3. par. q. 82. art. 10. ad 3. Sayr. lib. 6. n. 7. cap. 9. ex Nauar. Tab. Maiol.* sicuti etiam multa scabie laborantes, quam vocant lepræ affinem; si modo talis sit, vt impediat liberum vsum manuum, & Sacramẽti contrectationẽ *Sayr. ibid. n. 9. Regi. lib. 30. n. 56. ex eod. D. Tho. Bonac. n. 20.* quibus adde affectos tam graui dolore capitis, vt periculum subeant in celebrando, & sint moraliter incurabiles *c. ex parte tit. cit. Sayr. n. 3. Regin. n. 57. in fine*, qui

20 *recte n. 59.* addit dispensationem ex corporis vitio ad Pontificem spectare, imo & in omnibus alijs irregularitatibus vna excepta, vt infra *resol. 102. n. 28.* ad Episcopũ autem iudicare, an adsit, vel sit cessata irregularitas, vt etiam dictum est *supra n. 7. & facit c. 2. de corp. vitiat. vide etiam Nauar. in man. c. 27. n. 200. in fine, Sayr. vbi DD. caterua lib. 6. cap. 8. n. 26.* quod si irregularitas sit occulta, dispensat Episcopus in foro conscientiæ, aliquibus casibus exceptis *ex Trid. sess. 24. c. 6. de reform. Eman. Sà hoc tit. n. 1.* sed de his vide latius infra *d. resol. 102.*

De irregularitate ex defectu natalium; an expositi sint irregulares? an nati ex matrimonio inualidè contracto ob occultum impedimentum, in facie tamen Ecclesiæ dicantur legitimi? item quot modis, & à quibus illegitimitatis impedimentum tollatur?

SVMMARIVM.

1 *Illegitimorum species enumerantur sigillatim. Omnes sunt irregulares, etiam si crimen sit occultum, vnde si ordinantur, ignorante Prælato, peccant mortaliter, & nequeunt vti ordinibus susceptis, sed an vtentes incidant in nouam irregularitatem, vel solùm peccent mortaliter toties, quoties? n. 2.*

3 *Episcopus an dispensare possit in irregularitate illegitimorum, saltem in minoribus ordinibus, & beneficio simplici? & num. 16.*

4 *Expositi an dicantur legitimi, & quid tutius agendo, in hoc dubio sit peragendum?*

5 *Matrimonio nulliter contracto ex impedimento tamen occulto, sed in facie Ecclesia, an filij ex eo nati dicantur legitimi?*

6 *Legitimi an dicantur filij infidelium, & quid si vnus ex coniugibus erat fidelis, alter infidelis?*

7 *Matrimonium quando ex aliquo impedimento non poterat cõsistere inter aliquos, an si copula præcesserit, & postea contrahatur, filij dicantur legitimi, & quid si tempore natiuitatis tantum cessauerat impedimentum? n. 8. Eo in facie Ecclesiæ contracto post auditam mortem cõiugis, qui tamen mortuus non erat, si comes sit bona fides, saltem vnius ex coniugibus, filij interim ex eo nati legitimi sũt n. 9. Eius vsus lite pendente de nullitate, non potest impediri, & propterea filij interim nati, sunt legitimi; quod idem procedit post latam sentẽtiam, si ab ea sit appellatum. n. 10. Græcorum, an & quando permittatur inter sacerdotes, ita vt filij eorum dicantur legitimi? n. 11.*

12 *Natalium defectus quibus modis, & à quibus tollatur? & n. 14.*

13 *Legitimati per ingressum religionis non possunt ascendere ad prælaturas sine noua dispen-*

pensatione, licet possint ad ordines, sed quid de successione paterna?

15 *Princeps secularis legitimando illegitimum habilitat eum ad honores, & officia, successionesque parentum, non autem ad ordines, vel beneficia Eccles.*

Resolutio LXXXXVIII.

1 Sequitur tertia species irregularitatis ex defectu natalium, vt sunt illegitimi, qui generaliter solent appellari spurij, vt docet *Imperator in §. si aduersus instit. de nupt.* sed propriè loquẽdo, qui ex adulterio nascuntur, vocantur adulterini; qui ex stupro, sunt qui ex virgine, non tamen in figura matrimonij, qui ex raptu, appellãtur iuxta conditionem mulieris raptæ; ex sacrilegio, sacrilegi, vt ex monacho, vel moniali, ex incestu, veluti ex consanguinea, dicuntur incestuosi, vt ex vulgatis. Omnes

2 ergo prædicti illegitimi, irregulares sunt *c. 1. de filijs Presbyt.* etiam si delictum fuerit occultum *c. nisi cum pridem §. persona vers. non tamen de renunciat.* quia quoad forum conscientiæ, nihil interest, an ista irregularitas sit publica, vel secreta *Nauar. in man. cap. 25. n. 69. Sylu. hoc tit. q. 20. latè Suar. de censur. disp. 50. sect. 2. & 3. Dia. par. 10. tract. 13. resol. 30. §. sed ego* (est tamen consilium *Henriq. lib. 14. c. 8. n. 10.* dicentis, imprudẽter agere natum ex muliere coniugata, adultera, reputatum in foro exteriori legitimum, existimare se illegitimum, facilè tamen obtenturũ dispensationẽ Papæ,) quod si defectu prædicto non obstante illegitimitatis ordinẽtur, quia incognitum hoc erat Prælato, peccant mortaliter ordinati, etiam si defectus natalium esset notus illegitimis tantum *Syl. cit. & alij apud Bonac. disp. 7. q. 2. pun. 3. n. 12.* qui casus differt à prędicto per Henriq. ille n. est dubius, hic certus saltem moraliter, imo peccant etiam mortaliter toties, quoties vtuntur ordinibus susceptis, non solum si dolosè fuerint ordinati, sed etiam ignoranter, si post scientiam hoc faciant ante dispensationem, non autem contrahunt nouam irregularitatem, quia non est à iure statuta, idem *Sylu. cit. & aly apud Dia. in cit. resol. 30.* Quam tamen dispensationem

3 concedere potest Episcopus, si ignoranter ordinauit, pœnitentia illis iniuncta. *argum. d. vers. non tamen, & ibi Gl. v. culpa, Abb. in c. 1. n. 6. de filijs presbyt.* non tamen dispensare potest, vt promoueantur ad vlteriores *Henriq. lib. 14. cap. 8. n. 10. lit. H. Suar. to. 5. disp. 50. sect. 5. n. 3. Sayr. lib. 6. cap. 10. n. 37. Dia. par. 2. tract. 15. resol. 21. & par. 4. tract. 2. resol. 64.* vbi videtur titubare, & vide iterum infra *n. 16.*

4 Item dubitatur, an infantes expositi, sint legitimi, vel illegitimi, DD. n. legales, vt *Angel. in l. liberorũ ff. de ys, qui not. infam. Ias. in l. neque professio C. de testam. Alciat. lib. 3. de presũpt. præs. 1. n. 12. & aly* volunt esse illegitimos, quę opinio disputando, est verior argum. à posteriori ducto, quia vt plurimum isti exponi solent à mæretricibus occultis ad tegendum delictum, sed in contrarium adest bulla *Greg. Papæ 14. de anno 1591. relata ab Henriq. loco cit. sub d. n. 10. lit. L.* in qua disponitur, vt habeantur pro legitimis, & puri sanguinis, sed ad tollendum omne dubium, potest Episcopus hoc declarare, & postea eos admittere ad beneficia, præsbyteratum, & Parochias, vt docet ibidem Henriq. concordant *Sayr. sub n. 39.* vbi refert eandem bullam *Suar. disp. 50. sect. 4. n. 4.* vbi dicit vtramq; opinionem esse probabilem, quia in omni irregularitate occulta, aliquibus exceptis põt Episcopus dispensare *ex Trid. c. 6. sess.*

5 *24. de reform.* Item illi, qui nascuntur ex matrimonio inualidè contracto, sed ob occultum impedimentum, & incognitum vtrique, vel etiam vni ex coniugibus, in facie tamen Ecclesiæ, dicuntur legitimi *c. peruenit, & c. ex tenore qui filij sint legit.* sicuti

6 etiam filij infidelium post cõtractum matrimonium iuxta suas leges, ad fidem conuersorum, quorum matrimonium validum remanet *c. gaudemus de diuort. & c. de infidelibus de consang & affin. Sayr. de censur. lib. 6. cap. 10. n. 35. Conar. par. 2. cap. 8. §. 1. Suar. Fillinc. & alij apud Bonac. disp. 7. qu. 2. pun. 3. n. 4.*

Ex contrario si Christianus contrahat cum non baptizata, vel è conuerso, filijq; ex illis generentur, & postea baptizetur coniux, licet ex hoc firmetur matrimoniũ, filij tamen prædicti non efficiuntur legitimi, ratio est, quia tempore conceptionis, aut natiuitatis, matrimonium contrahi nõ poterat, eo quod alteri eorum deerat baptismus *c. caue cum sequent. vsque in finem 28 q. 1. Abb. in c. tanta n. 14. qui filij sint legit. vbi Host. & Io. Andr. cum antiquioribus.* Vn-

7 de ex iuribus prædictis, & ex cod. Io. Andr. Rich. & alijs regulam constituit *Sylu. v. legi-*

legitimus n. 13. quod filij nati ex quocumque coitu, semper legitimantur per subsequens matrimonium, dummodo tempore conceptionis, si adfuisset consensus, potuisset matrimonium consistere absque vllo impedimento, alias secus, & propterea nati ex incestu, licet postmodum ex Papæ dispensatione sublato impedimento contrahatur matrimonium, illegitimi remanent, nisi aliud in dispensatione statuatur, quia tempore conceptionis, non poterat inter consanguineos contrahi.

Pari modo si coniugatus cognoscat solutam, & post mortem vxoris eam ducat in vxorem, filij ex ea nati, viuente prima vxore, semper illegitimi sunt, nisi essent geniti mortua prima *c. tanta qui filij sint legit.* ex quo tex. Sylu. didicit regulam præ-
8 dictam, quamuis illum non citet; Idem si tantum sint nati, licet non concepti mortua prima docent *Angel. v. filius nu.* 10. vbi communem dicit, & iterum *Sylu. v. filij n.* 7. qui eodem modo communem vocat *Henriq. lib.* 11. *de matrim. cap.* 20. §. 3. *Sayr. d. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 29. *versic. secunda tamen opinio.* Sed reuera videtur obstare *d. c. tanta*, vbi generaliter dicitur, quod qui viuente vxore, aliam cognouit, et ex ea prolem suscepit, licet post mortem vxoris, eandem duxerit, nihilominus illegitima erit proles, & hanc negatiuam sequuntur *Cyn. Paul. & alij apud Couarr. in epit. par.* 2. *c.* 8. *n.* 2. non nego tamen primam fauore ma-
9 trimonij esse communiorem. Ex quibus rectè infert idem *Sayr. nu.* 32. quod si quis post auditam mortem coniugis, secundas nuptias in facie Ecclesiæ contrahat, proles ex secundis nuptijs suscepta, etiam viuente priore coniuge, sed probabiliter putata mortua, erit legitima, citat *Zabar. in c. per venerabilem* §. *videbatur oppos.* 4. *& qu. vlt. qui filij sint legit.* quod voluit etiam *Maiol. lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 8. sed adsunt tex. particulares sup. hoc, etiam si aliter parēs esset in mala fide *c. ex tenore c. cum inter, & c. peruenit qui filij sint legit. late Sanch. de matrim. lib.* 8. *disp.* 34. *n.* 46.

10 Infertur secundo, quod proles suscepta lite pendente de nullitate matrimonij, similiter in facie Ecclesiæ contracti, semper est legitima, donec nascatur sententia, illud nullum declarans, quia lite pendente non debet suspendi vsus matrimonij *c.* 2. *vt lite pend.* quod idem etiam procedit post latam sententiam, si ab ea fuerit appellatum, donec irreuocabiliter confirmetur, & ita fuisse decisū Neap. in *S. C. refert Fras. de Franch. dec.* 130. *n.* 8. quia appellatio suspēdit iudicatū *l. vnica ff. nil nouari appell. interp. c. non solùm cum similib. de appell. in* 6.

11 Est etiam aduertendum, quod licet filij sacerdotum Græcorum legitimi sint, cū Ecclesia Romana permittat eis perseuerare in matrimonio, contracto ante assumptionem ordinum, si tamen duxerint vxorē post ordines sacros susceptos, filij ex tali matrimonio nati, illegitimi sunt, vt docēt *D. Th. in addit.* 3. *p. q.* 53. *art.* 9. *Sotus in* 4. *dist.* 38. *q.* 1 *art.* 1. *Maiol. lib.* 1. *cap.* 4. *n.* 12. Episcopi verò græci nequeunt vti vxore ducta ante, nec post Episcopatum adeptum, & propterea filij eorum sunt illegitimi, prout ita decretum esse in 6. *Synodo Constantinopol. can.* 12. *tradit idem Sayr. d. lib.* 6. *cap.* 10. *n.* 42 *in fine.*

12 Tollitur autem generaliter natalium defectus tribus modis, per subsequens matrimonium, per ingressum religionis, & per legitimationem; primus probatur *in d. c. tanta* iuxta tamen distinctionem traditam supra *n.* 6. legitur etiam *in* §. *fin. instit. de nuptijs, & l. cum quis C. de natur. liber. secundus in c.* 1. *de filijs Presbyt.* ex quo etiam
13 colligitur, posse ad sacros ordines promoueri, non tamen ad prælaturas sine dispēsatione, adeo quod regularis, seu monialis illegitimi nequeunt esse Prior, neque Priorissa *Suar. in parte disp.* 50. *sect.* 5. *nu.* 3. *Filliuc. tract.* 19. *n.* 153. *Sanch. in summa lib.* 5. *cap.* 5. *n.* 19. *qui nu.* 26. post disputatam quæstionem, an religiosus illegitimus habilitetur, etiam ad successionem hæreditatis paternæ, & per eum succedat religio, concludit pro negatiua, licet contraria opinio authoritate magnorum DD. ab eodem *n.* 25. relatorum fulciatur, sed latius, & clarius de his agit Merlin. statim citandus.

14 Tertius modus si loquimur de legitimando à Pontifice in terris Ecclesiæ vniuersaliter, vel etiam in alienis, quo ad spirtualia tantùm, probatur *in c. per venerabilem qui filij sint legit.* de legitimando verò à Principe seculari *in* §. *aliquando instit. de nupt. &* §. *si quis igitur cum simil. auth. quibus mod. natur. effic. sui.* praxim autem talis legitimationis cum omnibus ad materiam, & decis. S. C. Neap. latissimè, & doctissimè scribit *Merlin. lib.* 2. *controuers.* con-

controuer. 87. cum tribus sequenti. Sed ta-
15 lis; Princeps secularis legitimando illegitimum, habilitat eum ad honores, & officia fecularia, non tamen ad ecclesiastica, vel spiritualia, vnde nec ad beneficia, nec ad ordines habilitare valet *Gl. in c. 1. dist. 10. Sylu. v. legitimus n. 6. Maiol. lib. 1. cap. 8. n. 8. Filliuc. supra n. 149. Regin. lib. 30. n. 72.* an autem, & quibus in casibus habilitet ad successiones parentum, vide apud eundem
16 dem *Merlin. controuer. 90. in fine.* Sed Episcopus nequit dispensare, vt illegitimus ascendat ad maiores ordines, vel ad dignitatem aliquam, aut beneficium curatũ, sed solùm ad ordines minores, & ad beneficium simplex non requirens ordinem sacrum *c. 1. de filys presbyt. in 6. Sylu. v. irregularitas q. 20. Suar. vbi supra sect. 5. n. 2. Filliuc. n. 152.* vnde dispensando ad illos est suspensus à potestate ordinandi *Sayr. lib. 6. cap. 10. n. 37.* etiam si talis defectus esset occultus, quia hæc irregularitas nascitur ex defectu, non ex delicto occulto, vbi dispensat Episc. *ex Trid. sess. 24. cap. 6. ita Suar. to. 5. disp. 50. sect. 5. n. 5.* quamuis multi contrarium asserant *apud Dia. par. 4. tr. 2. resol. 64.*

De irregularitate ex defectu ętatis, vel libertatis, & qui super istis dispensare valeat?

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus in sacris ante legitimam ætatẽ, vel ab alieno Episcopo absque dimissorys, vel extra tempora à iure statuta est suspensus; & exercendo actus ordinis suscepti ante dispensationem, contrahit irregularitatem, sumens tamen solùm primam tonsuram, vel etiam minores ordines non est suspensus, neque irregularis, quamuis in illis ministret, sed peccat & n. 2.*

3 *Irregulares sunt serui, sed quid si de facto ordinentur, sciente, vel ignorante, aut non contradicente Domino, vel Episcopo similiter sciente, vel nesciente, & n. 4. Item obligati ad ratiocinia reddenda, siue publica, siue priuata, quibus redditis, etiam si remaneant debitores in summa notabili, cessat irregularitas, & ordinari possunt n. 6. & 7.*

Resolutio LXXXXIX.

1 Sequitur quarta irregularitas ex defectu ætatis, vel libertatis; de prima est sermo *in c. vel non est compos. de tempor. ordin. & constat ex Bulla Pÿ 2. quæ incipit cũ ex sacrorũ* vbi ordinãs, & ordinatus aliquo sacro ordine ante legitimam ætatem sunt suspensi, sicuti etiam, qui in ætate à iure requisita ab alieno Episcopo absque litteris dimissorijs, vel extra tempora à iure statuta ordinantur, & si celebrant, vel alium actum ordinis sacri, sic suscepti suspensione durante exercent, contrahunt irregularitatem a solo Pontifice dispensandam,
2 Non tamẽ est suspensus, neque irregularis, qui primam tonsuram, vel ordines tantùm minores ab alieno Episcopo suscipit, et si in illis ministret, sed peccat, & ordinans est suspensus à talium collatione per annum *c. nullus de tempor. ordin. in 6. Nauar. c. 25. n. 70. Sylu. hoc tit. n. 12. Tolet. lib. 1. cap 56. n. 2. Sayr. lib. 6. cap. 12. à n. 8. vsque ad 10.* quæ autem ætas in quocumque ordine requiratur, constat ex *Trid. sess. 23. cap. 12.*

3 In posteriori irregularitate continentur serui, & propterea ordinari non debent *c. 1. in fine de filys Presbyt. & c. consuluit de seruis non ordin.* si tamen de facto fuerint ordinati, sciente, & non contradicente domino, ad primam tonsuram, vel ordines minores, & magis si ad maiores, efficiũtur liberi: si verò ignorante Domino, & iterum distinguo, aut ad ordines minores tantùm, & reducuntur ad seruitutem (nisi fiant monachi *c. si seruus sciente dist. 54.* quod etiã intelligitur sciente, & non contradicente Domino, alias non possunt recipi, et si recipiantur, professio est inualida, quia non potest dominus priuari iure dominij *Sanch. in summa lib. 5. cap. 4. n. 42. & seq. P. Dia. p. 7. tr. 7. resol. 61.* aut ad ordines sacros, & tũc aut sciente Episcopo, & ipse tenetur in duplum ad valorem seruorum ordinatorum, illis liberis remanentibus, aut ignorante, & tenentur ad eandem compensationem illi, qui pro seruis intercesserunt, vel in testimonium fuerunt adhibiti *c. si seruus absente ead. dist. P. Dia. cit. resol. 54.*
4 Quod si ipsi serui aliquid fuerint lucrati post ordines sacros susceptos, (quia antea nihil propij habere poterant *§. in potestate instit. de ÿs, qui sunt sui, vel alie. iur.*)

iur.) tenentur ipsi tradere alium seruum domino suo *priori c.ex antiquis, & ibi Gl. v.peculio, & v.aut Vicarium dist.54. Nauar. in man.cap.25.n.204. Tolet.lib.1.c.54. Regin. lib.30.tr.2.c.6.n.63.*

5 Item obligati ad ratiocinia, siue priuata, vt sunt procuratores, vel actores, seu tutores pupillorum, vel curatores adultorum sunt etiam irregulares, & ordinari nequeunt, nisi depositis muneribus, & ratiocinijs redditis *c.vnico de obligat.ad ratiocin.* siue publica, vt sunt Thesaurarij, vel magistratus, seu aduocati fisci, & fortius promoueri non debent, nisi reddita ratione *l.officiales C. de Episcop. & Cler. Henriq. lib.14. cap.5.n.5. Filliuc.tract.19.n.*

6 *297. Regin.cit.n.64.* Sed *Gl. in dicto c.vnico v. ratiocinia* ait, quod si administratio deposita sit, cuiuscumque sint negotia gesta, & ex tali administratione remanet obligatio, & ratiocinia sint publica, promoueri non debent ante redditam rationem *d. l.officiales*; si verò priuata, aut in ipsa promotione, mouetur sibi quæstio, aut non, si mouetur, vel prius mota est, iterum distinguit, aut conueniuntur de dolo, aut de culpa; si de dolo, non debent ante finem litis promoueri *c.tantis Daniel.81. dist.l.reũ cum simil. C.de Procur.* si de culpa tantum promoueri possunt reclamatione creditorum nõ obstante, cum lis suo marte, & coram eodem Iudice currere possit *c. proposuisti de foro compet. & l. cum quadã puella ff.de iurisdict.omnium Iudic.* Si verò nec lis

7 sibi mota est, nec mouetur, promoueri etiam possunt, obligatione non obstante, nisi manifestum sit ipsum de dolo teneri, tũc n. Episcopus eum ex officio repellere debet, sicut quemlibet criminosum *c.infames 6.q.1.* Glosam sequuntur Abb. & alij scribentes ibidem, quidquid in cõtrarium dixerit *Bonac.hoc tit.disp.7.q.2.pun.4.sub n. 4.vbi tamen n.sequenti* rectè ait, deposita administratione, redditisque ratiocinijs, cessare irregularitatem, etiam si debitores remaneant; omnia tamen ista subiacent discretioni Episcopi, qui considerare, & informare se debet, ex quo fine mouetur ordinari cupiens, vel clericatum ambiens.

De irregularitate ex defectu Sacramenti, quæ dicitur bigamia, siue vera, siue interpretatiua, vel similitudinaria, & quis in ea dispenset?

SVMMARIVM.

1 *Bigamia multis modis contrahitur, & irregularitatem inducit.*

2 *Bigamus non est, qui cognouit plures mulieres, sed non in figura matrimonij; secus si vnam tantum in vxorem, prius, vel postea ab alio cognitam, siue in figura, siue extra figuram matrimonij, & quæ sit ratio differentiæ. n.3.& 4.*

5 *Irregularitas, quæ contrahitur ex bigamia impedit etiam primæ tonsuræ sumptionem, & quæ sit ratio, propter quam cum bigamo sic strictè in hac materia proceditur?*

6 *Bigamia in lege veteri non contrahebatur. est triplex, vera, interpretatiua, & similitudinaria, & quæ ista sint n.8. vsque ad 11. Quæcumque potest à Põtifice tolli ad omnes ordines suscipiendos, licet videatur de iure diuino secundum Apostol. qui explicatur n.11.& 12.*

13 *Episcopus non dispensat super bigamia, ne quidem ad primam tonsuram, & rejicitur opinio contraria, vti non vera n. 14. Potest tamen super bigamia similitudinaria, pœnitentia peracta.n.15.*

Resolutio C.

1 QVinta irregularitas oritur ex defectu Sacramenti, quæ ita appellatur per Pontificem *in c.debitum S. cum ergo & c. fin.in fine de bigam. non ordin.* communiter autem dicitur bigamia, & nascitur ex pluribus vxoribus, vel successiuè susceptis (quod Ecclesia permittit) vel simul, non tamen de iure, sed de facto, (quod vetat) vt omnes sciunt, et est casus S. Officij, quæ appellatur polygamia, de qua infra *resol.120.n. 1.*) vel ducendo viduam, vel corruptam in matrimonium *c.curandũ, & c. præcipimus dist.34.* imò & quod magis est, si quis nupserit virgini, quę postea adulterium commisit, & post adulterium, ipse iterum cognouit eam, etiam bigamus est *c. si cuius eadem dist. & latius infra n.8.*

2 Contra si quis cognouerit plures mulieres, non tamen in figura matrimonij, numquam dicitur bigamus *c.quia circa de bigam.non ordin.* nisi quando duxit duas, vel plures vxores in matrimonium, vel etiam vnam eo modo, quo dictum est,

Ra-

3 Rationes perquirendo DD. huius cõtrarietatis, multi multa dixere *Gl. in d. c. quia circa v. cognitam*, duas adducit, quarum prima sibi ipsi non placet, & paritèr minus secunda, *Sylu. v.bigamia n.2.* refert aliam ex D. Tho. quam non explicat, sicut nec *Bonac.hoc tit.disp.7.q.2.pun.5.n.7. Sayr.de censur.lib.6.cap.4.n.12.* post relatas, & reiectas aliorum rationes, residet in sua; quæ minus constans videtur, *Filliuc. tract.19.cap.4. n. 117.* post traditas tres alias ex suo marte, dicit illam traditam à *D.Tho.in 4.dist.27.q.12.art.1.q. 3.* esse nimis metaphysicam, & pro captu moralis
4 Theologi difficilem. Ego puto salua semper cunctorum reuerentia, posse omnes istas (excepta tradita per D. Thom. vbi supra) iure reijci, quia tamen ab instituto nostro est alienum (breuitati studendo) singulas quæstiones ad partes disputare, sufficiat respõdere cum Iureconsultis Iuliano, & Nerat. in l. non omnium, & l.& ideo ff. de legib. non omnium quæ à maioribus constituta sunt, rationem reddi posse, nec inquiri oportere, quia alioquin multa ex ijs, quæ certa sunt, subuerterentur.

5 Ratio autem quare talis irregularis prohibetur ad ordines ascendere, imò etiam primam tonsuram suscipere *ex c. maritum dist. 33. & c.1. de bigam. in 6. ibique DD. communiter* est, quia per ordines quis admittitur ad ministrandum in Sacramentis, sed bigamus deficit in Sacramento matrimonij, ergo. probatur subsumptum, quia Sacramentum prædictum significat vnionem, seu sponsalitium Christi cum Ecclesia sua vnica ipsius vnici ex *D. Paulo ad Ephes.5.& Trident.de matrim.in princ.* (quod tamen latius declarat *Gl. in c.debitum v. Sacramentum de bigam*) ideo quando matrimonium carnale fuit cum pluribus mulieribus, vel cum vna corrupta, non significat perfectè hanc vnionem, dum illa caro fuit diuisa in plures, vt dicunt DD. cit. cum *Regin. lib.30.tract.2. nu.80.* sed non per hoc definit esse Sacramentũ, licet cum secunda, vel vlteriori matrimonium contrahatur; cessat n. solùm illa perfecta Sacramenti significatio *c. fin.*
6 *dist.26.Sayr.cit.cap.3. sub n.8.* Et proprerea ista irregularitas minimè contrahebatur in l. veteri, quando non erant Sacramenta, nec adhuc Christus sibi desponsauerat Ecclesiam *Sot.in 4.dist. 27.q.3.art.1. §. Bigamus. Vinald.de irregular.n.16.*

7 Quæ quidem bigamia triplex est, vera scilicet interpretatiua, & similitudinaria. illa est, quando quis habuit duas vxores successiuè in figura matrimonij *c. fin. dist. 26. Tolet.lib.1.cap.61,n.3.* quamuis vtramque ante baptismum, vel vnam ante baptismũ aliam post baptismum habuisset *c. 2. & 3. dist.26. Nauarr.cap.27.n.195.Sanch.de matrim. lib.7.disp.83. n.8.Coninc. disp.18. dub. 11.n.102.* siue vtramque post baptismum, *c.maritum dist.33.* si tamen vtramque carnaliter cognouerit, nam si primam duxit, & non cognouit, sed solùm secundam, vel cognouit primam, & non secundã, bigamus non est, vt de communi DD. sententia in *c. debitum de bigam. tradit Tolet. cit.*

8 Interpretatiua est, quando quis contraxit matrimonium cum vidua, *c.debitum de bigam.* (quidquid in contrarium, sed non rectè dixerit *Dia.in Sũma v.irregularitas n. 8.& p. 4.tract.2. resol.38.*) aut etiam cum muliere, ab alio cognita, licet absque figura matrimonij dicto *c.maritum*, secus si ab ipsomet tantùm prius, qui postea eam duxit in vxorem *c.2.vbi Gl.v.virginẽ de Cler. coniug. Nauar.d.n.195.& multi apud Bonac. ex recentioribus disp.7.q.2. pun. 4. sub nu.2. versic. dixi*; eadem bigamia ligatur, qui licet duxerit virginem, postquam tamen fuerit ab alio cognita, iterum eam cognouit *c.si cuius cum sequenti dist.34.* licet ignorauerit adulterium, vel fuisset per vim cognita *Nauar. cit. Filliuc. tract.19. n.112. ex Suar. & alijs*, secus si eam amplius non cognouisset, à ratione cessante *c. cum cessante de appellat.Gl. in c.si cuius v. admitti*
9 *dist.33.* Iterum dicitur bigamus interpretatiuus, qui contraxit cum vna validè, cũ alia inualidè, aut cum ambabus inualidè, si vtramque in figura matrimonij cognouit *c. nuper de bigam. Nauar. d.n. 195. versic. 2. dicto Sanch. cit.disp.84.nu. 3. vbi quamplures, Suar.disp.49. sect.2.n.11. & alij*, secus, & malè putat Bonac. d.n.2. versic. dico, quando quis validè duxit, & cognouit vnam, & postea aliam, sed cum ficto consensu ad matrimonium, vt extorqueret copulam, quia hoc posset procedere in foro interiori, in quo non datur irregularitas, dum Ecclesia non iudicat de internis *c.erubescant dist. 32.* non autem in exteriori, vbi punitur ille actus externus matrimonij replicati, non pęna corporali,

sed

sed irregularitate ex causis vt supra.

10 Similitudinaria est, quam incurrit is, qui ordine sacro insignitus, vel in approbata religione professus, vxorem duxit, & cognouit, quantumuis fuisset virgo *c. quotquot 27. q.1. c. fin. de bigam.* licet matrimonium sit nullum, & alijs pœnis veniat huiusmodi delinquens puniendus. de quibus *supra v. haresis resol.82. circa finem*, cum sit casus S. Officij, quibus adde, quod tales vti de hæresi suspecti secundũ *Eman. de Moura de incant. opusc. 1. sect. 3. cap.3. n.9. Ioseph Sesse to.4. dec.449. n.3. & 9. Sousa in aphor. inquisit. lib.1. cap.8. n. 16. & alios* sunt puniendi eadem pœna, qua puniuntur contrahentes binas nuptias, de quibus vide infra *resol. 120. num.1. quibus adde Canter. in quæst. crim. de hæresi cap. 1. n.71. & alios apud Dia. par.4. tract.7. resol.5.* Sed perstrictus simplici castitatis voto, vel ad minores ordines assumptus, si virginẽ duxit, bigamus non est, cum hæc non reperiatur à iure statuta, vt requiritur ex *c. is, qui de sent. excomm. in 6.*

11 Super omni autem bigamia, potest Papa dispensare ad omnes ordines minores, & maiores, dignitatesque quascumque *D.Thom. in 4. dist. 27. art. 7.* quem esse ab omnibus communiter receptum testantur *Tolet. lib.1. cap 63. n.2. Henriq. lib.14. cap. 10. n.2. Suar. de censur. disp.49. sect.6. n.1. rationem adducunt cum Nauar. in man. c. 27. nu. 197.* quia st. omnis irregularitas solo iure humano introducta est, quod tollere in casu particulari potest absque dubio Papa *l. Princeps ff. de legib.* licet autem Apostolus dixerit *1. ad Timoth.3.* Episcopum debere esse vnius vxoris virum, & propterea videatur hoc statutũ de iure diuino, super quo Pontifex non dispensat.

12 Respõdent tñ prędicti hoc dixisse Apostolum tamquàm Episcopum particularẽ, non autem tamquam Apostolum, *Sayr. lib. 6. cap.6. n. 3.* vbi n.2. refert penè innumeros huius sententiæ sectatores, & circa tex. *in c. super eo de bigam.* vbi dicitur, in bigamis contra Apostolum dispensare non licere, ait quod intelligatur non de impossibilitate, sed difficultate, & ita

13 videmus in praxi seruari, de quo latius infra *resol.102. n. 28.* hoc tamen totum est prohibitum Episcopis, etiam si primam tonsuram vellent alicui bigamo conferre; & quamuis Nauar. loco cit. ex D.Thom. & Sylu. dicat posse bigamos vti ordinibus susceptis, & *Sayr. n.11. ex eod. D.Tho. Sot. Tab. Palud. Duran. & alijs* velit posse Episcopos simpliciter dispensare, non solùm ad vsum susceptorum ordinum minorum, sed etiam ad illos dandos ijs, qui eos non habent, hoc tamen verum non est ex *c.2. & 3. de bigam. & c. vnico eod. tit. in 6.* & ita

14 in praxi seruatur. Responsio n. eiusdem Sayr. *ad tex. prædictos ibid. n.12.* quod possint cum causa rationabili, dum tex. omnino hoc prohibent, valdè friuola est, quia hoc modo facilè possent omnia iura subuerti. adde *Trid. sess.23. de reform. c.17. & ibi declarationem Sixti 5. & S. Congr.* circa bigamos ordinatos ab Episcopis per hæc verba: *Quo ad Episcopum esse suspensum à collatione ordinum, item promotum esse suspensum ab executione ordinum susceptorum, beneficium amisisse, & fructus non fecisse suos. vide etiam Tolet. d. n.2. in fine.* In si-

15 militudinaria verò bigamia, potest Episcopus dispensare peracta pœnitentia, talibus iniuncta, non solùm ad vsum susceptorum; sed etiam ad nouos ordines suscipiendos iuxta *c.1. qui cler. vel vouent.* si tamen vxor ab istis suscepta, erat virgo, vt de communi testatur *Nauar. d. n.197. in fine. Tolet. d. cap.63. n.3. Valentia to.4. disp.7. q.19. pun.3. Bonac. disp.7. q.2. pun.5. n.15.*

De irregularitate ex delicto proueniente, vel ex defectu lenitatis; quæ hominis partes membrorum appellatione veniant, ex quorum abscissione, sicuti ex homicidio illa causatur? & an medici, & quicumque infirmis inseruientes eam contrahant, si mors illis ex eorum causa acceleretur?

SVMMARIVM.

1 *Irregularitatis orientis ex homicidio, vel mutilatione regula traditur. Ante baptismum ex nulla causa incurritur, nisi ex bigamia n.2.*

3 *Ex delicto non nascitur, nisi ex homicidio, vel mutilatione, nõ autem ex cuiuscumque mẽbri debilitatione, licet debilitatus irregularis fiat.*

4 *Mutilatio est particularis occisio membri abscissi, & ideo homicidio comparatur, & irregularitatem parit.*

5 *Paria sunt aliquid non esse, & inutile esse.*

6 Ir-

6 *Irregularis est occidens, vel mutilans etiã infidelem, vel seipsum, non autem cadauer, vel embryonem.*

7 *Irregularitas contrahitur, tam ex homicidio licito, quàm illicito, sed an ex pluribus homicidijs plures incurrantur irregularitates? Non contrahitur ob incisionem membri à medico, ex necessitate factam, nisi deformitas appareat, & an medicus eam contrahat? n.8. Ex delicto contrahitur ex quatuor causis principalibus, quæ sunt efficiens, materialis, formalis, & finalis n.9. Contrahitur à dãte causam propinquam, non remotam homicidio, vel mutilationi n.10. & 11. Ac etiam à Iudice, vel Assessore, omnibusque eorum sententiam mortis, vel mutilationis exequentibus n. 12. & 13. Item ab aduocato, vel Procuratore, seu solicitatore, aut testibus, etiam coactis si mors, vel mutilatio sequatur, quamuis præcedat protestatio citra pœnam sanguinis. n. 14. Sed non contrahitur. ob mutilationem, vel homicidium, quãdo aliter non potest euadi vitæ propriæ periculum, dummodo fiat cum moderamine inculpatæ tutelæ. n.15. Neque ob vulnera quæcumque alicui illata, etiam si vulneratus remaneat cæcus, vel debilitatus, nisi mors, vel mutilatio sequatur, aut oculus extrahatur. n.16.*

17 *Irregularis an sit abscindens alicui auriculam, vel femina mammillam? & an ista sint membra distincta ab alijs? & n.18. vel amputans alicui barbam, dẽtes, aut magnam partem eius sanguinis effundens? n.20. Et an abscindens alicui digitum, vel etiam mediam partem manus? n. 21.*

19 *Membra hominis quæ dicantur, & quæ non?*

22 *Irregularitas an contrahatur à medico, siue physico, siue chyrurgo, siuè sit secularis, siue ecclesiasticus, si ob eius curationem infirmus moriatur, vel mutiletur, & quid si ob imperitiam, vel negligentiam? vel si cum adiuuet ad secandum aliquod membrum hominis. n. 23. Et an ab inseruiente infirmis, si propter illos subleuandum, vel aliud bona fide agendum præmoriantur.*

Resolutio CI.

SAt prata biberunt circa irregularitates ex defectu. sequitur videndum iuxta ordinem propositum supra resol.97. nu.1. de prouenientibus ex delicto, & primò de orientibus ex homicidio, vel mutilatione, sed quamuis irregularitatem prouenientem ex homicidio iusto, vocent ex defectu lenitatis, vt infra, quia tamen ex homicidio nascitur, non supra cum illis,
1 sed infra cum istis situatur. Regula ergo
traditur à DD. totam ferè materiam complectens, quæ his verbis concluditur, & probatur in *c.continebatur c.præsbyterum c.suscepimus, & c. fin.de homicid.* omnis baptizatus occidens, aut mutilans hominem in casu licito, vel illicito, aut causam propinquam præbens, vt talia fiant, extra tamen inculpabilem necessitatem propriæ vitæ defendendæ, irregularis est *Nauar. in man. c.27.n.209. Sayr. de censur. lib. 6.*
2 *c. 16. n.2. ex Tolet. & alys.* Dicitur baptizatus, quia ante baptismum nulla incurritur irregularitas, *c. si quis viduam dist. 50.* nisi irregulariras bigamiæ, vt in priori resol. dictum est: rario differentiæ secundum Nauar. ibid. est, quia Iura sic statuerunt, quæ tamen non est ratio, sed potius dicamus, non posse reddi rationem de omnibus à iure decisis, vt dictum est *in cit. resol. n.4. ex l. non omnium ff. de legib.*
3 Dicitur occidens, aut mutilans, quia si alterutrum non accidat, non contrahitur ista irregulatitas. *Clem. vnica de homicid.* volunt vel cas. vnde si membrum aliquod ita debilitetur alicui, vt inutile omnino reddatur, irregularitas cessat, licet debilitatus irregularis fiat (quod mirum est:) rationem tradit Nauar. n.206. superiori similem; quia scilicet non contrahitur, nisi in casibus a iure expressis *c. is qui de sent. excomm. in 6.* cum ergo iste casus
4 non exprimatur, non contrahitur. Sed melius dicit. *Tolet. lib. 1. c.71. n.4. ex Arist. lib. 5. metaph. cap.27. tex.32. & D.Thom. 2. 2. q.65. art.1.* vbi dicunt mutilum esse, cui extrema aliqua pars integralis corporis deest, mutilatio n. ideo in ratione irregularitatis homicidio comparatur, quia est particularis occisio alicuius membri, dum anima separatur ab illa parte abscissa,

sa, quod in debilitatione nõ accidit, dũ illa manet etiam in mẽbro debilitato, quod, quamuis exercere nequeat proprium officium, exornat tamen corpus, & integrum reddit: manus n. arida, verum est membrum, licet fine sanguine, & inefficax sit, & mortuum, vt loquitur August. *in c. sicut vrgeri 1. q. 1. vide etiam Fillinc. tract. 20. c. 1. n. 11.* Nec obstant regulæ generales, quæ
5 à contrarijs afferuntur, quod sc. paria sint, aliquid non esse, & inutile esse *ex cap. 2. §. sed neque de translat. Episc. vbi Gl. v. inutilem*, nam istæ cessant, quando adsunt iura particularia, aliud statuentia, vt supra.
6 Dicitur hominem ad includendum occidentem, vel mutilantem, etiam infidelẽ, & excludendum mutilantem cadauer, anima destitutum, vel embryonem, non dum ea informatum idẽ *Nauar. cit. n. 219. Suar. de censur. disp. 44. sect. 2. n. 11.* & propterea si quis se ipsum mutilat, etiam irregularis efficitur *c. si quis 4. dist. 55.* imo etiam si partem digiti sibi abscindit *c. qui partem ead. dist.* (quod non procedit si abscinderetur ab alio, vt infra *n. 20.*) nemo n. est do. minus membrorum suorum *c. contingit 36. de sent. ex. om. & l. liber homo ff. ad l. aquil.*
7 Dicitur in casu licito, vel illicito, quia primo casu contrahitur irregularitas ex defectu lenitatis per ministros Iustitiæ, de qua infra. secundo verò irregularitas ex delicto, quæ est principalis, quod si quis plura homicidia commisit, plures similiter irregularitates incurrit, & propterea omnes esse in libello exprimendas, alias dispensationem esse subrepticiam rectè docet *Suar. de legib. lib. 6. c. 24. in fine.* quamuis contrarium velit *Dia. par. 11. tr. 6. resol. 44.*
8 *in fine.* Si quis tamen ob aliquem morbum fuit abscissus à medico, non est irregularis *c. si quis 7. in ordine dist. 55.* (nisi ex hoc deformitas, aut impotentia oriretur, quo casu esset irregularis ex defectu, vt supra *resol. 97. n. 8.* dictum est;) imo nec medicus, qui abscindit, etiam si mors sequatur *Gl. ibidem ex c. ad aures de ætate, & qualit. l. medicus, ff. de var. & extraord. cognit. & l. illicitas §. sicuti de offic. præsid.* nisi mors sequeretur ob imperitiam dicto *c. ad aures*, vel ob nimiam negligentiam; quæ dolo proxima est *l. si fideiussor ff. mandati, & vide infra n. 22.*
9 Dicitur, causam, ad comprehendendum illas quatuor, quæ sunt efficiens, materialis, formalis, & finalis, *Nauar. d. nu. 219. ex Arist. lib. 2. Phys.* sub prima continẽtur faciens, iuuans, mandans, iubens; sub secunda dans arma, aut ducens aliquem ad locum, vbi erant inimici, parati ad occidendum, vel mutilandum; sub tertia instruens, docens, siue consulens ad idem *c. si quis viduam dist. 50. c. sicut dignum §. illi autem §. qui verò, & §. fin. de homicid. c. suspensus §. fin. eod. tit.* sub quarta præmium, aut receptationem tribuens, vel promittens *Nauarr. cit. Sayr. lib. 7. cap. 2. 3. & 4. ex Ledesma Maiol. & alijs multis Bonac. disp. 7. qu. 4. pun. 8. à n. 13. vsque ad 30. ex Suar. Henriq. Couar. Vgol. & Regin.*
10 Dicitur propinquam, quia non sufficit remota *c. exhibita de homicid. Gl. in c. de cætero v. causam dedisse eod. tit. argum. l. qui domũ ff. locati*, est autem causa remota, omnis armorum fabricatio, aut funium constructio *Nauarr. d. n. 219. Angel. v. irregularitas 1. §. 20. Tab. eod. 1. §. 3.* secus si quis in particulari venderet, aut talia conficeret, vt reus necaretur, aut gladio occideretur, vel mutilaretur; vnde qui vendit, aut subministrat pugnantibus arma offensiua, vel imminente tempore iugulationis, aut mutilationis, etiam authoritate publica funes, aut arma, quibus reus suspendatur, & occidatur, ad hunc finem vendit, irregularis est *Palud. in 4. dist. 25. qu. 3. art. 2. concl. 2. in fine. Angel. cit. num. 18. Tab. eod. 3. §. 23. Henriq. lib. 14. cap. 3. §. 9. Maiol. lib. 5. cap. 48. §. 4. n. 5.* Hinc DD. multos
11 casus in particulari pro maiori declaratione notant, in quibus contrahitur irregularitas, & primo si quis ferat ligna ad locum supplicij, vt hæreticus viuus comburatur, secus si post mortem *Nauar. cit. n. 217. vers. decimo facit ex D. Anton. p. 3. tit. 28. cap. 2. §. 5.*
12 Secundo iudex sententiam mortis, vel mutilationis membri proferens, etiam si iusta sit, irregularis est, *c. Clericis, & c. sententiam ne Cler. vel monach.* sicuti etiam suus assessor, & omnes eiusdem sententiæ executores, vt birruarij, & huiusmodi, quia causa sunt propinqua mortis, vel mutilationis, etiam si scalas tantùm accommodent ad iugulandum; eodem modo
13 hortantes condemnatum, vt ponat caput ad locum iustum cippi, vel iustitiæ ministrum moneant, vt gladium acuet, & vno ictu condemnatum occidat, etiam si ex pietate hoc agant ad minuendum eius dolorem, & in quocumq; alio casu, ex quo

mors acceleretur, semper irregulares sunt. *idem Nauar. vbi supra Reginal. lib. 30. tr. 2. c. 9. n. 102.* vbi omnia prædicta, & maiora complectitur *Masol. lib. 2. c. 10. n. 3. & lib. 5. c. 48. §. 4. n. 3. Sylu. v. homicid. 3. q. 2. Tabi. v. irregularitas 3. §. 13. n. 54.* quod séper intelligitur sequuta morte, vel mutilatione, si secus minimè, ét si hoc accidat ex miraculo, vel alia causa *Sayr. lib. 6. c. 16. n. 5. in fine, ex Soto lib. 5. de iust. & iure q. 1. art. 9. Medin. lib. 1. instit. cap. 11. §. 10. Regin. cit. n. 101. ex eod. Nauar. & alijs, P. Dia. par. 11. tr. 5. resol. 6.* ista tamen dicitur irregularitas iusta, & facilius dispensatur. *Pater Dia. verò par. 3. tr. 5. resol. 79. ex Vasq. & Turr.* vult in casibus prædictis non incurri irregularitatem, nisi ab ijs, qui concurrunt ad mortem, vel mutilationem, vt ministri iustitiæ, ea ratione, quia negat exceptis prædictis incurri irregularitatem, nisi adsit mortale, quod falsum esse probauimus supra *in introduct. n. 14.*

14 Tertio, testes siue spontanei, siue coacti, Aduocati, Procuratores, & Solicitatores, vel quomodocumque iudicem in causa sanguinis informantes, licet à pec. cato sint immunes (si iuste agunt) non tñ effugiunt irregularitatẽ *d. c. Clericis; &c. sententiã Couar. in Clẽ. unic. p. 2. §. 5. n. 1. de homic. Henriq. lib. 14. cap. 12. §. 8. & 9.* ét si protestetur citra pænã sanguinis *ibid. lit. Z. Syl. v. homic. 3. qu. 2. vers. primum. Angel. eod. 5. in princ. cum multis alijs apud Sayr. lib. 6. cap. 16. à n. 7. & apud Bonac. disp. 7. q. 4. pun. 3. n. 1. & seq.* quamuis *P. Dia. ex Cornejo, & Escob. par. 11. tract. 5. resol. 6. §. nota etiam*, excuset in aliquibus casibus ab irregularitate Aduocatos, & testes, sed ego scio noluisse S. Congr. concedere licentiam aliquibus Religiosis S. Dominici examinandi in causa homicidij commissi annis prope elapsis in monasterio S. Seueri Neap. in personam cuiusdam alterius Religiosi sacerdotis eiusdem ordinis, licet alij testes ibi non adfuissent, & vide etiam *resol. seq.*

15 *n. 7.* bene verum est, quod si clericus, vel laicus habentes iurisdictionem, vt sunt Barones terrarum, vel ẽt Ciuitatum constituant iudicem ad eam exercendam contra vniuersos suæ iurisdictioni subiectos, vel etiam contra vnum in particulari inquisitum, & talis iudex ad mortem damnet aliquos, vel illum in particulari, & sententia debitè executioni demandetur, non propterea illi, qui iudicem constituerunt, irregulares fiunt, vt ex *Præpos. in 3. par. q. 5. hoc tit. dub. 13. n. 98. & alijs de communi sent. docet Dia. cit. §. notandum est.* ex bonis rationibus apud eos.

Isto ergo casu excepto, qui probabilis videtur, dum illi concedunt solùm iurisdictionem iudici administrandi iustitiam, vt sibi videbitur, regula firma est, quod non solùm influentes ad mortem, vel mutilationem alicuius directè, vel indirectè, mediatè, vel immediatè, sed etiam eam quomodocumque accelerantes, vt etiam infra resol. seq. irregulares sunt, dummodo alterutrum sequatur, nisi tamen aliter euadere nequeant propriæ vitæ periculũ, vt legitur in Clem. cit. & dictum etiam est supra in *introd. n. 17.* Nec obstat *Trid. sess. 14. cap. 7. de reform.* quia intelligitur, quãdo quis se defendendo excessit moderamen inculpatæ tutelæ, vt ex pluribus DD. ibidem in remission. Concil. V. vel vim vi

16 repellendo. Ex quibus sequitur, vulnerantem aliquem cum maxima sanguinis effusione, nisi mors, vel membri mutilatio sequatur, irregularem non esse, (quamuis vulneratus ex deformitate fortasse propter vulnus illatum irregularis efficiatur) & si cęcus remaneat propter eandem causam vulneris, dummodo oculus non extrahatur *Nauar. in man. cap. 27. num. 223. vers. 7. infertur Tolet. lib. 1. c. 71. n. 7. 8. & 9. ex Abb. in c. Clericus ne cler. vel monach.*

17 Dubitatum tamen fuit, an si quis abscindat auriculam alicui, sit irregularis? etenim si inter membra proprium officium ab alijs distinctum habentia cõnumeretur, affirmatiuè ex dictis *supra n. 3. & 4.* est respondendum; Si secus contra. *Henriq. lib. 14. cap. 8. n. 3.* vult non esse membrum sicuti, nec mammillam feminæ (quia de mammilla hominis non dubitatur, cum non habeat officium distinctum ab alijs) quod docet etiam *Regin. lib. 30. tract. 2. n. 91. ex Couarr. cit.* sed merito quantum ad mammillam feminæ attinet, communiter reijciuntur, quia officium verè ab alijs membris distinctum habet. Et propterea

18 rectè deit *Tolet. cit. n. 6. in fine*, quod nescit, qua ratione illud docẽtes fuerint ducti, idem volunt *Sayr. vbi supra cap. 15. nu. 18. ex Bald. in l. data opera n. 75. C. qui accus. non poss. Bonac. disp. 7. q. 4. pun. 8. n. 3. ex multis*; de auriculã verò affirmatiuè etiam respondet *Tolet. d. n. 6.* in negatiuam tamẽ videntur inclinare *Nauar. vbi supra Sayr.*

n. 17. *Bonac. d. nu.*3. quia putant non esse membrum, sed cartilaginem *Calep. v. cartilago*, dicit non esse os, neque carnem, sed medium quid inter ea, quod appellatur cartilago; de eo autem cui auricula fuit amputata, dictum est supra *resol.* 86. *num.* 13.

19 Item digitum amputans alicui, an ẽt irregularis sit? pro responsione præmitto, tria genera partium naturam corpori humano tribuisse; primi generis sunt capilli capitis, dentes barba, sanguis, etiã in multa copia, & hæc pertinent ad decorem, integritatem, & sanitatem corporis; secundi generis sunt, quæ non solùm pertinent ad decorem, & integritatem corporis, verum etiam distinctum officium, & operationem habent, vt sunt oculus, nasus, manus, brachium, crura, & cæt. tertij generis sunt, quæ pertinent ad eundem ornatum, decorem, & integritatem corporis, sed non habent propriam, & distinctam operationem ab alijs, sed accessoriam cum aliqua præcipua parte eiusdem corporis, vt sunt digiti manuum, & pedum. His

20 positis est in confesso apud omnes primi generis partes nõ esse mẽbra, & propterea auellẽtem alicui omnia prædicta non esse irregularem, nisi ex magna sanguinis effusione mors, vel mutilatio sequatur, partes autem secundi generis esse membra, & consequenter mutilantem alicui quodlibet eorum, irregularem fieri *Sayr. lib.* 6. *c.* 15. *n.* 11. *Filliuc. tract.* 19. *cap.* 9. *nu.* 236. *vbi alij*.

Est tamen controuersia inter partes tertij generis; siquidem *Caiet.* 2. 2. *q.* 6. *art.* 1. *Sot. in* 4. *dist.* 25. *q.* 3. *art.* 2. *concl.* 1. *& alij* volũt esse verè mẽbra, & cõsequenter amputata, inducere irregularitatem, sequitur in parte *Sylu. v. homicidium* 3. *q.* 3. *versic. quartum*, vbi illam voluit contrahi, quando amputatur pollex, vel index, vti necessarij præcisè ad contrectandam hostiam, licet neget esse membra præcipua, concordant *Maiol. lib.* 5. *cap.* 50. *n.* 2. *& alij*. Sed contrariam sententiam, vti veriorem docent *Gl. in c. fin. in Gl. magna versic. quid si de homic. in* 6. *ex Clem. vnica in princ. eod. tit. Abb. in c. cum illorum n.* 8. *de sent. excomm. facit tex. in l. non sunt liberi ff. de statu homin. Henriq. lib.* 14. *c.* 8. *n.* 1. *Nauar. in man. cap.* 27. *n.* 206. *ex Bart. in l.* 2. *ff. de public. iudic. Tolet. lib.* 1. *cap.* 71. *nu.* 5. vbi contra Sylu. supra cit. dicit, quod si quis amputat alicui etiam pollicem, vel indicem, nõ censetur irregularis, quia digitus non est membrum principale, vt requiritur ad irregularitatem contrahendã (quamuis ille, cui fuit alteruter istorum amputatus, fit irregularis, quia non potest contrectare hostiam, vt dixi supra *resol.*

21 97. *n.* 16. imò, & quod magis est, si quis non solùm vnum digitum, sed duos, vel tres obtruncaret, neque esset irregularis, quia etiam vniti non sunt membra, vt docet rationabiliter *Sayr. lib.* 6. *cap.* 15. *n.* 16. *ex Couarr. & alys*; secus tamen si maiorem manus partem amputaret, ita vt pars restans, esset ferè nihil respectu partis abscissæ *Suar. de censur. disp.* 44. *sect.* 2. *nu.* 81. *Filliuc. tract.* 19. *n.* 236. qui hoc dicit procedere etiam si dimidia pars manus, vel omnes manus digiti amputarentur, vt sic per alterutrum contrahatur irregularitas.

22 Sed an medicus sit etiam irregularis, si aliquis infirmus ab eo curatus, mortuus sit? distinguo, aut loquimur de Physico, aut Chyrurgo, primo casu etiam si sit ecclesiasticus, irregularitatem non contrahit, si peritus erat in arte, omnemque diligentiam adhibuit, si secus, est irregularis *c. ad aures, & ibi Gl. de atate, & qualit. Cardin. in c. tua nos de homic. Couarr. in Clem. vnica par.* 2. §. 4. *n.* 3. *eod. tit. Suar. disp.* 47. *sect.* 7. *n.* 2. Secundo casu, aut erat secularis peritus, & diligens, & non est irregularis; aut ecclesiasticus, & siue peritus, siue imperitus, semper est irregularis, si adustionem, vel incisionem adhibeat, & mors sequatur *c. sententiam ne Cler. vel mon.* si tamen erat peritus, & diligentiam adhibuit, potest cum eo peracta pœnitentia dispensari, aliàs secùs *d. c. tua nos, facit tex. in l. illicitas, §. sicuti de offic. Præsid. hinc addit Nauar. d. cap.* 27. *n.* 218. adiuuantem Chyrurgum

23 ad secandum membrum, si non fuit in culpa, non esse irregularem, & respondet obiectioni, quæ posset fieri de quomodolibet adiuuante Iudicem, condemnantem reum ad mortem, licèt iustè; qui est irregularis, vt supra diximus *n.* 12. isti n. volunt omnino occidere, vel mutilare condemnatum; illorum verò intentus est sanare ægrotum, & pietate mouentur, quãuis postea moriatur *Henriq. lib.* 14. *c.* 11. §. 1. *Sayr. lib.* 6. *c.* 18. *n.* 27.

24 Hinc à fortiori sequitur inseruientes infirmis ex proprio officio, vel Prælati obedientia, si bona fide versant infirmum ex vno ad aliud latus, vel molliunt lectum

Qq 2 ad

ad illum subleuandum, aut cibum, vel potum ministrant, & propterea infirmi mors acceleretur, irregularitatem minimè contrahere, etiamsi sacerdotes sint, ratio est, quia dant operam rei licitæ *c. dilectus, & c. ex literis de homicid. D. Anton. 3. p. tit. 29 de irregul. c. 2. §. homicidium casuale in fine. Angel. v. homicidium 2. n. 14. Sylu. eod. 2. nu. 10. Caiet. 2. 2. q. 64. art. 8. Nauar. c. 27. n. 228. Henriq. lib. 14. c. 15. sub n. 5. Regin. lib. 30. nu. 102. unde merito P. Dia. par. 3. tr. 5. resol. 79. §. non grauabor.* vocat ignaros aliter sentientes, nisi tamen lata culpa esset in causa, puta dando potum infirmo contra consilium medici, vel similia nimis incautè peragendo, ex quibus mors accelераretur, vt docent DD. prædicti *cum Sayr. lib. 7. c. 6. n. 13. Suar. disp. 47. sect. 7. n. 3. Filliuc. tr. 19. n. 278. Maiol. lib. 5. cap. 48. n. 1. Bonac. disp. 7. q. 4. pun. 5. n. 2.*

An accusatores, vel denunciatores accusando, vel denunciando in causa criminali irregularitatem contrahant, & quis possit in illis dispensare?

SVMMARIVM.

1 *Accusans aliquem etiam in iudicio seculari, si protestetur expresse non intendere pœnam sanguinis, sed solùm satisfactionem sibi debitam, irregularitatem non contrahit, licet postea illa sequatur, secus si peteretur vindicta, quamuis cum protestatione, quæ vti contraria facto non releuat n. 2. & 3.*

4 *Irregularitas an contrahatur, quando non fuit petita vindicta accusati, imò facta protestatio citra pœnam sanguinis, interius tamen placet eius condemnatio ad mortem, vel mutilationem? & n. 5. Item an ex accusatione in causa leui, si non præcesserit protestatio, & mors, vel mutilatio ex malitia, vel Iudicis imperitia sequatur, aut ex alijs grauibus accusationibus postea superuentis? n. 6.*

7 *Aduocatus an contrahat irregularitatem, si patrocinetur contra reum, qui fuit ob eius patrocinium, mortis, vel mutilationis pœna punitus? et an testes si condēnatio processit ex alijs probationibus? n. 8. sed an isti possint cogi ad ferendum testimonium, in causis sanguinis contra reos, vel pro reis, n. 9. & 11.*

10 *Concesso vno intelligitur concessum omne id, per quod peruenitur ad illud.*

12 *Metus cadens in constantem virum an excuset testes ab irregularitate, si in causa criminali contra reos deponant?*

13 *Irregularitas an contrahatur ab Aduocato, si ob eius negligentiam, vel imperitiam fuit reus ad mortem damnatus, vel mutilatus? & an medicus, si ob causas prædictas infirmus mortuus est?*

14 *Non contrahitur per consulentes bellum iustum Principi, etiamsi ex illo sequantur homicidia, & mutilationes, imò nec per pugnantes in tali bello, si modò ipsi non occidant, vel mutilent, sed neque si hæc agant, sed pugnent cum licentia* Papæ *n. 16. Neque hortando alios ad effundendum sanguinem pro Christi fide, vel Ecclesiæ defensione, si modo ipsi de per se non occidant, vel mutilent præcisa licentia Pontificis n. 15. Nec per occidentes suos aggressores, si modo aliter propria vitæ periculum euadere non poterant n. 17.*

18 *Dispensatio ab omni irregularitate spectat ad Pontificem, sed an aliquando ad Episcopos, vel alios Prælatos Regulares?*

19 *Iubilæi tempore an liceat confessarijs dispensare super irregularitate sine expressa Pontificis permissione. & n. 21. vsque ad finem.*

20 *Stylus Curiæ pro lege seruatur.*

22 *Irregularitas ex defectu natalium quomodo tollatur n. 27.*

28 *Occultum quale dicatur quale notorium, & quale manifestum?*

Resolutio CII.

Dictum est in priori resolut. aduocatos, testes, & alios incurrere irregularitatem, si propter eorum patrocinium, vel attestationem mors alicuius, vel mutilatio sequatur; vt etiam infra *n. 7.* nunc
1 de accusatoribus, vel denunciatoribus,
qui si non petant vindictam, seu pœnam sanguinis, sed solùm satisfactionem, vel interesse sibi debitum à suis malefactoribus, etiam in iudicio seculari, non fiunt irregulares; si tamen expresse, non autem tacitè in eodem iudicio protestentur non intendere pœnam mortis, vel mutilationis, licet postea ex vi eiusdem accusationis, vel delationis alterutra pœna se-

qua-

quatur *c. prælatis de homic.in 6.* vbi ratio assignatur, quia sic alioquin si Prælati, aut Clerici propter metum huiusmodi, quia Iudex ad pœnam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent, daretur plerisque materia trucidandi eosdem, & ipsorum bona liberè depredandi, quod ampliant *Suar. to.5. disp.47. sect.2. n.8. Fillius tract. 19.cap.10.n.*284.& alij procedere, etiam si certò sciretur ex tali accusatione, vel delatione, mortis illorum fore imponendam sententiam.

Quod si peteretur vindicta in satisfactionem offensæ, & sequeretur mors, vel mutilatio offensoris, seu accusati, tunc protestatio non prodesset, & irregularitas contraheretur, vt rectè scribunt *Henriq. lib.14.cap.11.n.4. Molin.tom.1. tract.3. disp. 8.n.3. Suar.cit.n.*10.*& sect.4.n.*9.illa n.pro-

2 testatio, vti contraria facto, & consequenter ficta, non releuat *l.non solùm §. morte ff. de noui oper. nunciat. ibique communiter*

3 *DD.*Idem procedit quando ex obliuione, vel inaduertentia fuit omissa protestatio, quamuis non petita vindicta, licet excusetur accusans à peccato, ratio est, quia irregularitas contrahitur non solùm ex delicto, sed etiam ex defectu lenitatis *Sayr.lib.6.cap. 19. n.3. vbi quam plures.* Si

4 autem non fuit petita vindicta, & facta sit protestatio, sed interius placeat mors, vel mutilatio illata, vel inferenda accusati ait *Nauar. in man.cap.27.n.*226. *ex Ioan. Andrea Host. & alijs,* contrahi irregularitatem in conscientia, ex defectu lenitatis, & ita sæpius consuluisse. iura n. (subdit ipse) non admittunt protestationem mēdacem, sequitur *Tolet.lib.1.cap.82.n.5.Couar.antè in Clem.si furiosus par.2.§.5.n.2.de homic.docet contrariū cū Henriq. lib.14.c.11. circa finē, Filliuc.cit.n.*258.*&* 259. *Sayr.n.4. Suar. sect. 2.nu.3. Bonac.disp.7.qu.4.pun.2. num.*11.

5 Ratio est, quia in dicto *c. Prælatis* generaliter statuitur sufficere protestationem exteriorem, nihil de interiori loquendo, & lege non distinguente, distinguere nos non debemus *l.de pretio ff. de public. in rem act.* & pœnæ sunt potius restringendæ, quam ampliandæ *c.odia de regul. iur. in 6.* adde, quod Ecclesia, quæ irregularitatem imponit, non iudicat de internis *c. erubescant dist.*32. illa n. complacentia interna, potest ad summum esse causa peccati gra-

uis, vel leuis, non autem irregularitatis; alias rationes contra Nauarr. vide apud *Regin.lib.30.tract.2. n.* 132. Eodem modo

6 si accusant, vel denunciant in causa leui, licet mors, vel mutilatio sequatur ex malitia, vel imperitia iudicis, irregulares non fiunt, quamuis protestatio non præcesserit, vt probatur *in c. postulasti de homic.* & tradunt expresse *Couar.cit.n.3.Suar.d.disp.47. sect.2.n.*18. Quod idem procedit, si non ex malitia, vel imperitia hoc accidat, sed quia post talem leuem accusationem, vel denunciam accesserunt aliæ graues, ex quibus sequuta est mors, vel mutilatio. ita *DD.citat.cum Sayr.lib.6.c.18.n.6.*

7 De Aduocatis autem, & testibus patrocinantibus, vel testificantibus in causis sanguinis, sequuta morte, vel mutilatione, irregularitatem contrahi non ambigitur, quantumuis præcedat protestatio, vt dictum est in priori resol.n.14. secus si patrocinentur, vel testificentur ad fauorem reorum, quamuis accusator pœna talionis damnatus ob defectum probationum, vel innocentiam accusati, mutilationis, aut mortis pœna multaretur; quia istud per accidens sequeretur, quod illi minimè, nec principaliter, nec directè intendunt *Couarr. cit. n.5. & 13.Sayr.dicto lib.6. cap.18.n.11.Filliuc. tract.19.n.257. & vi-*

8 *de in priori resol.n.*14.Vitare tamen irregularitatē testes, licet cōtra reū deposuerint, quando eorum dicta nihil profuerunt, sed iudex ex aliorum depositionibus, illum damnauit, docent *Regin.cit.n.*101. *ex Nauar. vbi supra n.*211. *Bonac.d.q.4. pun.3. n.* 2. quod tamen in foro exteriori. vbi hæc pœna practicatur, difficile posset ad praxim reduci; cum Iudex non teneatur dicere, ex quibus probationibus motus fuerit: & esto diceret, non tenetur Ecclesia irregularitatem imponens stare depositioni extraiudiciali Iudicis.

9 Idem *Bonac.cit.addit n.* 3. non posse cogi Clericos ad ferendum testimonium contra reos in causis sanguinis, sed bene ad fauorem reorum. Contrarium tamen in curijs ecclesiasticis ego credo, quia inferre non possunt pęnam sanguinis, & insuper si hoc esset, etiā hic prohibitum, delicta remanerent omnino impunita contra *l. ita vulneratus ff.ad l.aquil.* & propterea dicit *Suar. disp.47. sect. 3. n.* 4. quod hoc negato, concessio Pontificis, vt principales possint accusare absque irregularitatis pe-

periculo, vt supra, esset inanis, quando non possent delicta, alia via probari, quod corroboratur ex illo iuris axiomate, con-
10 cesso vno intelligi concessum omne id, per quod peruenitur ad illud *l.2. ff. de iurisf. omnium iudic. Henriq. lib.14.cap.12.n.9. litt.Z.* refert praxim Curiæ Romanæ, per quam iure compelluntur testes, & alij in causis hęresis ad deponendum, vel patrocinandum, vt faciunt aduocati fiscales.
11 Quod si Ecclesiastici spontè deponerēt in Curijs secularibus (quia ab istis cogi non possunt) in causis sanguinum, irregulares essent, sequuta morte, vel mutilatione, vt dictum est, hoc de facto euenit anno præterito in Ciuitate Neap. vbi cū quidā pater Dominicanus fuisset interfectus in Claustro superiori Ecclesiæ S. Seueri, non potuerunt examinari pro veritate contra homicidam alij Religiosi ex irregularitatis timore, licet testes seculares ibi non adfuissent, nec Sacra Congregatio voluit licentiam impartiri, vt audiui, sed à Curia Archiepiscopali fuerunt coacti pro censura inferenda contra homicidam, quod ego vidi, sed *P. Dia. par.11. tract.5. resol. 6. §. nota etiam*, docet generaliter, quod in causis sanguinum nec testes, nec Aduocati contrahant irregularitatem, si præmittant protestationem citra pœnam sanguinis, quod ex prædictis, & etiam in priori *resol. n.*14. ego non recipio.
12 An autem metus grauis cadens in constantem virum excuset testes, & Aduocatos ab irregularitate, si testificentur, vel patrocinentur in causis inferentibus pœnas prædictas, post quam fuerunt sequutæ, dubium est apud DD. Suar. cit. affirmat cum *Maiol. lib.2. cap 8. sed Coninc. disp.* 18. *dub.* 10. *n.* 96. quamuis arguat etiam pro affirmatiua, in fine tamen ait non audere aliquid dicere propter opinionum contrarietatem. *Henriq. autem. cit. n. 9. & alij* apud eum *cum Filliuc. vbi supra n.*254. negant, nisi coacti deponant in Curia ecclesiastica, vt supra, sed tu cogita.
13 Illud autem certum videtur, quod st. Aduocatus etiam ad defensam, sed negligens, vel imperitus, non euadit irregularitatem, si ex prædictis causis fuit reus occisus, vel mutilatus ad similitudinem medici, qui similiter illam contrahit, si ex eius negligentia, vel imperitia ægrotus mortuus est ex *l. illicitas §. sicuti medico ff. de offic. præsid. Nauar. c.*27. *n.* 228. *Suar. cit. sect. 7. n.3 Filliuc. etiam cit. & dictum est latius supra resol.*101. *n.*22.
14 Sed consulens bellum Principi, non recognōscenti superiorem, contra alium talem Principem (quod dicitur iustum, si iustæ sunt causæ) non est irregularis, etiam si ex tali bello, (vt contingere solet) sequantur homicidia, vel mutilationes, deducitur *ex c. igitur cum tribus sequent.* 23. *q.8. c. de occidendis* 23. *q.5. c. maximianus* 23. *q.* 3. *& c. sex differentiæ §. fin. in fine eod. tit.* vbi refertur locus *act. Apost. cap.*27. quando Paulus petijt milites à Prætore, quorū præsidio illæsus seruaretur ab iniuria iudæorum, qui iurauerant se non comesuros panem, nisi eum interficerent; imò, & quod magis est, neque est irregularis pugnans in bello iusto, modo ipse non occidat, vel mutilet, licet alij in eodem bello occidant. vel mutilent *c. penult. de homic. Suar. cit. sect.6. n.4. Dian. p.4. tract. 2. resol.* 28.
15 A fortiori exemptus est ab irregularitate hortans alios ad effundendum sanguinem pro Christi fide, vel Ecclesiæ, aut Reipublicæ defensione *Nauar. in man. cap.* 27. *n.*217. vbi testatur de Clericis, & fratribus Lusitanis magno zelo fidei Christianos in Indijs contra Saracenos, & paganos hortantibus, crucemque manibus gestantibus, & aciem ipsam præeuntibus, non solùm irregulares non esse, sed regularissimos, si tamen ipsi de per se immediatè non occidant, vel mutilent, quia hoc casu irregulares sunt, esto quod bellum sit, quantumuis iustum, vt erat illud relatum in dicto *c. penult.* peccatum tamen non committunt iuxta eundem *Nauar. n.*224. *in fine vide Henriq. lib.*14. *cap.3. n.3. Sayr. lib.6. c.19. n.3. Suar. d. disp.47. sect.6. n.* 8. *Regin. lib.30. tr.2. sect.3. num.*165. Adde
16 tandem pugnantes in bello iusto de licentia Pontificis, licet occidant, vel mutilent, non esse irregulares *Henriq. cit. cap.* 11. *n.3. ex Molin. Bannes, & alijs. Sayr sup. n.* 14. *Suar. n.*12. *Filliuc. tract.*19. *n.*281. *Regin lib.30. tract.2. sect.2. nu.* 150. vbi dicit communem esse sententiam *ex Conarr. in Clem. si furiosus de homic. par.2. §.3. n.2.*
17 Pro defensione quoque propriæ vitæ, quando quis non potest aliter effugere periculum, si occidat, vel mutilet, irregularitatem non contrahit dicta *Clem. si furiosus*, vbi sic fuit declaratum per Pontificem Clemen.5. licet antea de hoc fuisset

set dubitatum, vnde dicunt *addentes ad Iul. Clar. in pract. crimin. §. homic. n. 82. ex Bal. in consil. 19. n. 8. inter consil. crim. Marsil. in l. 1. n. 28. ad l. Cornel. de sicar. & alijs*, quod si sacerdos, dum sacra facit, aggrederetur, & aliter non posset vitæ periculum euadere, posset cum proprio calice occidere aggressorem, & postea immediatè sacrificiū absque reconciliatione complere, vti immunis à peccato, & irregularitate, vt etiam dictum est supra in introd. *n. 16. & seq.* vbi inuenies alios casus curiosos, licet autem *in Trid. sess. 14. c. 7. de reform.* dicatur committendum esse ordinario, aut ex causa Metropolit. vt in tali casu dispenset, in remissionibus tamen eiusdem *Trid. §. vel vim vi ex Comitolo Sayr. Ricc. par. 4. collect. 930. & alijs*, dicitur Trid. non loqui de illo homicida, qui occidit ob ineuitabilem necessitatem defendendi vitam propriam, quia talis nullatenus est irregularis ex dicta Clem. si furiosus, sed de eo, qui se defendendo excessit moderamen inculpatæ tutelæ; talis n. fit irregularis, quamuis non ea irregularitate, quæ est indispensabilis, nisi à Papa, sed illa, quæ ab Episcopo dispensari potest idem Ricc. in fine. Nauar. Regin. & alij ibidem.

18 Ad secundum quod super omni irregularitate possit Papa dispensare, dictum est supra *resol. 97. n. 20.* vt etiam infra *n. 28.* an possit Episcopus super defectu nataliū *resol. 98. n. 16.* an per ingressum Religionis *d. resol. 98. n. 12. & infra n. 22.* sed ibi etiam quando per subsequens matrimonium, & legitimationem à Principe, quibus adde *Sayr. lib. 7. c. 13. n. 14.* volentem Prælatos Regularium posse cum suis subditis dispensare in omni irregularitate, exceptis prouenientibus ex bigamia, & homicidio voluntario, virtute suorum priuilegiorum, quæ circa prouenientes ex delictis occultis, habentur *in compend. priuil. societ. Iesu v. Prælatus §. 3. & v. dispensatio ad finem*, & simile priuilegium fuit concessum RR. PP. S. Dominici à Pio 5. & Cistertiensibus à Greg. 13. ann. 1574. idemque priuilegium habent Minimi, vt testatur *Henriq. lib. 14. cap. 9. n. 3.* ad similitudinem Episcopi, qui similiter dispēsat cum suis subditis in omnibus irregularitatibus prouenientibus ex delictis occultis, excepta irregularitate prouenīēte ex hęresi occulta, de qua *resol. 104. n. 2. & seq.* hæc tñ puto esse intelligenda cū distinctione, vt infra *n. 25.* Restat videre

19 quando in iubilæis conceditur facultas absoluendi ab omnibus censuris, casibus reseruatis, pœnis, & sententijs, an intelligatur concessa Confessarijs generaliter ad beneficium omnium pœnitentium facultas dispensandi ab irregularitatibus?

Respondent subscripti negatiuè, quia irregularitas, non est censura, vt supra *resol. 12. n. 2.* diximus. & quia stylus Curiæ habet, quod non intelligatur data facultas dispensandi super irregularitate, nisi exprimatur, ita *Nauar. c. 27. sub n. 250. Mai. ol. lib. 5. c. 51. n. 7. Sayr. lib. 6. c. 14. n. 2.* vbi quā-
20 plures, testantes etiam de dicto stylo, qui pro lege seruatur *c. ex literis de constit. c. quam graui, de crim. falsi Afflict. decis. 135. n. 3. & 4.* vbi ita refert decisum, addit *Tol. lib. 1. c. 85. n. 8.* quod in iubilæis datur facultas absoluendi, non dispensandi, longe autem aliud est absoluere, quam dispensare, irregularitas n. non tollitur per absolutionem, sed per dispensationem, idē *Sayr. d. n. 2. vbi cæteri.*

21 Verum quamuis de prædictis supra, & infra sparsim dictum sit, latius tamen materiam repetendo, & complectendo ex quatuor modis tolli posse irregularitatem docet *Henriq. lib. 14. cap. 17. n. 1. in fine.* baptismo st. professione in Religione approbata, lapsu temporis, & dispensatione *Sylu. v. irregularitas ad finem. Sayr. de censur. lib. 7. c. 13. n. 2. 4. & 22. & cap. 14. n. 23. alijque apud eos*; à primo ergo exordiendo, rectius docet *Suar. to. 5. disp. 41. sect. 1. n. 2.* non posse iure dici tolli irregularitatem per baptismum, sed potius defectum existentem in homine ante baptismum, non reddere hominem irregularem post baptismum, imò dico ego nullam contrahi irregularitatem ante baptismum, nisi eam, quæ prouenit ex bigamia, vt supra *resol. 101. n. 2.* quæ neque per baptismum tollitur, & propterea gratis dicitur tolli, id, quod non est, quia non entium nullæ sunt partes *l. eius qui in Prouincia ff. si cert. pet.* Per
22 professionem autem tollitur sola irregularitas proueniens ex defectu natalium, & nec in omnibus, & per omnia, quia non possunt tales illegitimi dignitatem, seu Prælaturam aliquam habere absque dispensatione, etiam sequuta professione *cap. 1. de filijs præsbit. & addit Abb. in c. 2. n. 7. de Apost.* tolli aliquam aliam, si hoc de iure speciali, vel vniuersali, talibus concessum reperiatur, sequitur *Sylu. vbi supra*, & alijs

alijs omissis *Suar.cit.sub n.3.* vbi refert *Sotum in 4. dist.25. q.1. art.3.* dicentem hūc morem in Religionibus seruari, vt omnis irregularitas per Religionis ingressu tollatur, excepta bigamia, & homicidio voluntario, sed in his standum est priuilegijs, de quibus *supra n. 18.* cum distinctione, vt ibi; mihi namque cum in sæculo aliquos vti minister regius ad mortem damnassem, quæ est minima irregularitas, opus fuit obtinere dispensationem à Pōtifice, alias receptus non fuissem, quibus autē alijs modis tollatur irregularitas ex eodem defectu natalium, dictum est supra *resol.98. à n. 1.* Item lapsu temporis irregularitas ex defectu ætatis legitimæ aduenīēte tēpore tollitur *Sayr.cit.d.n.23.* de qua & alijs similib. dictū est *sup.res.99.& alibi.*

23 Restat videre de illis, quę tolluntur ex dispensatione, quas in tres clases diuidit P. *Dia.par.9.tract.8.resol. 50. in prima* (ait ipse) est irregularitas, quæ contrahitur cū peccato, & resultat ex eo, puta ex homicidio, seu ex mutilatione culpabili. In secunda classe est irregularitas, quæ incurritur absq;culpa, nempe ex bigamia, vel ex homicido, seu mutilatione iusta, aut propter accelerationem ad mortem sine peccato, saltem graui, quæ dicitur ex defectu lenitatis. In tertia classe est irregularitas quæ oritur ex mala susceptione, seu administratione Sacramentorum, quādo status excommunicatus, vel suspensus, ordines suscipit, vel celebrat hæc ille. Sed

24 ita diuisio non comprehendit omnes irregularitates, saltem in genere, propterea rectius dicunt alij, statim citandi, irregularitatum quasdam esse censuras, & pænas ecclesiasticas, quæ in pœnam peccati imponuntur, vt cum excommunicatus celebrat, aut suscipit sacros ordines, vel quomodocumque delinquit; qua de causa contrahit irregularitatem; alias verò esse, quæ contrahuntur citra culpam, sed ob defectum, siue Sacramenti, vt est bigamia, de qua supra *ref. 100.num.1.& 5.* siue ob defectum animæ, siue corporis, de quibus etiam supra *ref.97.* quæ veræ irregularitates non sunt, cum non habeant rationem pænæ, sed sunt quædam inhabilitates ad ordines suscipiendos, vel susceptos exercendos, vt ibidem dictum est.

25 Quando ergo in bullis, siue iubilæi, siue cruciatæ, aut alijs priuilegijs conceditūr facultas Cōfessarijs absoluendi ab omnibus censuris, & pœnis ecclesiasticis, absoluere possunt in foro cōscientię ab irregularitatibus prioris generis, quæ ex delictis contrahuntur occultis (exceptis illis, quæ proueniunt ex homicidio voluntario, etiam lenitatis, vt dixi, non autem ab hæresi occulta, sed tantùm interna iuxta distinct. tradēdam *resol. 104. n.3. & seq.* vel deductis ad forum contentiosum seruata forma *Trid.sess.24.c.6.* nisi aliter in bullis prædictis exprimatur) sed non ab illis secundi generis, quæ absque culpa, & delicto, sed solùm ex defectu contrahuntur ita *Barth. Medina in 1.2. q. 96. art.4. & instr. Confess. lib.1.c.11.§.9. Corduba de indulg. q.43.dub 4. Salon.2.2. q.64. art. 8. controu. 4. Sotus in 4.dist. 22.q.3. art.1. Henriq.lib. 14.c.17.sub n.4. concordant ex recentioribus Fragos. & Leander apud Dia.d.resol.50.* vbi aiunt posse prædictos Confessarios virtute Iubilæi, aut aliarū bullarum, vt supra absoluere ab omnibus irregularitatibus, & suspensionibus, in quibus possunt Episcopi, tàm de iure communi, quàm speciali, vt est Trident. relat. *Rodriq. in explicat.bullæ Cruc. §.9.n.137. Sanch. lib.4.summæ cap.54. n. 27.& alij, quos sequitur idem Dia.ibidem.* Superiores verò Regulares posse etiam extra iubilæum dispensare cū suis subditis, sicut possunt Episcopi cum suis ex cit. Trid. non dubitant DD. relati cum habeant erga, & contra eos potestatē quasi Episcopalem. Et ad dicta per Tol.&

26 alios supra in bullis, & priuilegijs dari facultatem Confessarijs absoluendi, non dispensandi, respondet idem *Henriq. cit.* probabile esse per verbum absoluo, fieri posse dispensationem, quod tamen pro indubitabili docent Fragos. & alij citati dicentes Confessarios in casibus prædictis posse ab illis absoluere, vel dispensare, prout voluerint; quocunque n. verbo, tàm absoluendi, quàm dispensandi vtantur, tolli dictas irregularitates; alias (rectè addunt prædicti,) dum in bullis relatis solet concedi potestas absoluēdi ab omnibus censuris, & alijs pœnis ecclesiasticis, si non extēderetur ad tollendas prædictas irregularitates, verba illa, (& alijs pęnis) essent gratis apposita, dum in nullo alio casu possent verificari, & propterea diximus non extendi ad irregularitates prouenientes ex defectu, quæ non habent rationem pænæ, sed ad illas descendentes ex delicto cū limitationibus vt supra.

Oc-

27 Occulta autē delicta triplici modo dici possunt, vt practicari possit doctrina Concilij, etiam per Confessarios in iubilæis, vt supra; primo si sint mentalia tantùm, quę suaptè natura probari non possunt, in quibus non contrahitur censura, neque irregularitas ex D.Tho.1.2.q.91. ar. 4.cor. deque istis neque iudicat Ecclesia *c.erubescant dist.32.* exceptis illis supra n. 25. secundo si sint exterius facta, sed nullo pręsente; tertio si coram paucis,ita quod probari posent, sed nulla fama orta est, nec in iudiciū deducta *Nau.in man.sub n.* 250. *§. decimo quod in fin.*de primis duobus non est difficultas, vt dixi,excepta absolutione ab homidicio occulto, vt supra, & ab hæresi occulta, vt infra *resol.*104.*in fine*. tertium autem caput probatur *in c. vestra de cohabit.cler. & mul. c.quis aliquādo §. hac ergo vbi Gl.v. secreta de pænit.dist.*1. *c.*2. *de Apost.* vbi habetur ministerium Acolyti, iuuantis rebaptizantem, posse esse occultum adde *Gl. in c.manifesta* 2. *q.*1. vbi latè scribit quando factum dicatur occultum, vel notorium, vel manifestum, hinc docet *Suar.to.*5. *disp.* 41. *sect.*2. *n.*6. *circa finē*, quod si delictum fit deductum ad forum contentiosum, & ibi probari nequiuit, neque semiplene, qua de causa fuit accusatus, iuridicè absolutus, dicatur etiam occultum, & possit Episcopus, vel Confessarius in casibus prædictis absolutionē impartiri, quod existimo certum, eo magis cum in remissionibus *Trid. sess.*24. *post cap.*6. *de reform. v.ex delicto occulto referantur* 22. DD. quorum aliqui dicunt occultum dici, quod non est publicum etiam si ab aliquibus sciatur, alij verò quādo non potest probari, & ita declarasse Sacr. Congr. Concil.

28 Pontifex autem super omni irregularitate dispensare potest, quia est de iure positiuo *Suar. cit. sect.* 2. *n.*2. quod patet, quia in lege veteri non contrahebatur irregularitas, vt dictum est *supra resol.* 100. *n.* 6. ergo est de iure can. modo ipse est supra omne ius positiuum *c. significasti de elect. c. sunt quidam* 25. *q.*1. *l. Princeps ff. de legib.l. digna vox C. eod.tit.& c. proposuit de concess.preb.*ergo. imò, & quod magis est, dicit *Gl.hic v. dispensare*, quod dispensare potest contra Apost. in bigamia, *ex c. lector* 34.*dist.*item contra canones Apostolorum *c. Presbiter* 82.*dist.* item contra vetus testamentum in decimis non dandis *c. ex parte de decim.* itē in voto *c.*1.*de voto*,item in iuramento *c.constitutus de rescript. & c.*2. 15. *q.*6.& vide *etiam supra resol.*100. *n.*12. non autem in irregularitate proueniente ex defectu scientiæ, quia hoc impedimentum est de iure naturali, vt dictum est supra *res.*97.*n.*5.*in fine.*

De irregularitatibus, quæ contrahuntur ex iteratione baptismi, & aliorum Sacramentorum, ac etiam ex indebita susceptione, vel vsu ordinis.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas contrahitur ex iteratione baptismi scienter, tàm per rebaptizatum, quàm rebaptizantem, quibus de iure ciuili est imposita pœna mortis, nec iuris ignorantia admittitur n.*2.*& 3.sed quid ex ignorantia facti? n.* 4.

5 *Baptismus supponitur in eo,qui est natus ex parentibus Christianis, & inter eos educatus, & propterea non est rebaptizandus,nisi euidenter appareat non esse baptizatum.*

6 *Irregularitas non contrahitur per rebaptizatum in infantili ætate, secus in maiori, licet per metum cadentem in virum constantem.*

7 *Baptizatus ab hæretico est irregularis, nisi hoc actum fuerit in infantili ætate, & factus maior, ab Ecclesia,cui spontè accessit, fuit receptus.*

8 *Irregularitas an contrahatur ex iteratione aliorum Sacramentorum præter baptismum? An per excommunicatum maiori, si recipit sacros ordines, & quid si laborabat ignorantia iuris,vel facti probabili, vel supinà? n.*9. *& in alÿs casibus vsque ad finem. An per ordinatum furtiuè? Item qui talis sit, & qui super ea dispenset?*

14 *Ordines sacros, quos non habet, exercens, est irregularis, & in foro exteriori punitur pœna mortis si celebrat, (secus si iocosè, vel etiā si seriò cantauerit tantum Epistolam, vel Euangelium cum Dalmatica, sed sine Manipulo, aut stola) licet alÿ contrarium, & male doceant in laico, & n.*15.

16 *Irregularitas contrahitur per coniugatum, quemcunque sacrum ordinem suscipientē, etiam si matrimonium non fuerit consū-*

matum, sed per verba de praesenti contractum, à qua ingressus Religionis, vel solus Papa dispensat.

17 *Item per excommunicatum maiori, suspensum, vel interdictum celebrantem, aliũue sacrum ordinem exercentem, quod fallit in aliquibus casibus, vt infra.*

Resolutio CIII.

SEquitur videndum iuxta ordinem supra resolut. 97. num. 1. propositum de alia specie irregularitatum, nempe de prouenientibus ex iteratione bap-
1 tismi, quem; qui bis, vel pluries scienter suscipit; irregularis efficitur *c. 2. de Apost. c. eos quos de consecr. dist. 4. c. confirmãdum dist.* 50. imò etiam Acolytus suum officium exercens circa dictum mynisteriũ, si modo hoc fecerit publicè, & scienter, alioquin promoueri potest *d. cap. 2.* Est etiam irregularis rebaptizans scienter, vt de communi asserit *Tolet. lib. 1. cap. 65. num. 4. ex dict. cap. 2.* qui addit hoc procedere, quando crimen est publieum, sicut dictum est de Acolyto, non autem si
2 sit occultum. Ratio est, vt ipse ait, quia nullus text. hoc dicit. nisi de Acolytho, quod si à fortiori volumus idem intelligere de rebaptizante, est hoc intelligendũ cum eodem adiuncto publicitatis, vt loquitur tex. de illo; non negat tamen Tolet. communem opinionem esse, bis eundem baptizantem, ét praecisa notorietate esse irregularem, de qua testatur *Henriq. lib. 14. cap. 4. num. 4.* eo magis quod de iure ciuili in foro fori rebaptizans, & rebaptizatus scienter, vltimi supplicij poena feriuntur *l. 2. C. ne Sanct. Bapt. iteret.* vbi ait Bar. quod ideo, quando dubitatur de baptismo, baptismus fit sub conditione, ne incidatur in hanc legem.

3 Sed an idem procedat de rebaptizatis, & rebaptizantibus ignoranter? *Bonac. disp. 7. q. 3. pun. 3. n. 3.* generaliter voluit excusari, tàm si sit ignorantia iuris, quàm facti citat multos DD. qui in libris nostris, hoc simpliciter (vt ipse ait) non dicunt; propterea si loquimur de ignorantia iuris, non datur excusatio secundum *Tolet. cit. d. n. 4. in fine ex Anton. de Butr. & Anan.* sed probatur *in c. qui bis cum Glos. v. ordinari de consecr. dist. 4. & l. 1. C. eo tit.* ab ipso non citatis, haec n. ignorantia non admittitur, quia talis iteratio est prohibita de iure diuino *ex Apost. 4. ad Ephes.* quod vnusquisque scire tenetur *Scot. in 4. dist. 6. qu. 8. vbi Richar. art. 4. q. 2. Palud. ibidem art. 1. concl. 2. Syl. v. baptismus 5. sub n. 3. Henriq. d. lib.*
4 *14. c. 4. n. 3. in fin.* Si verò de ignorantia facti inuincibili, seu probabili, excusatur, quia non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum *c. 1. de Cler. per salt. prom. & Gl. cit.* secus si ignorantia sit crassa, & supina, quae dolo aequiparatur *Nauar. in man. c. 27. n. 246. Sayr. lib. 7. cap. 8. n. 8. versic. secunda opinio, Filliuc. tract. 19. n. 165.* quo casu si baptismus fieret sub conditione Nauar. cit. dicit peccare rebaptizantem, non autem esse irregularem, imò *Tolet. d. cap. 65. n. 5.* dicit, quod etiam qui scit, & rebaptizat sub conditione, non est irregularis, licet sacrilegium committat, quia conditio nihil possit in esse *Lid, quod ff. de constit. pecun.* sed ego contrarium puto, quia hic videtur dolosè agere *arg. l. 1. & tot. tit. ff. quae in fraud. credit.* & ita ex Catechis. nisi ex bona fide hoc actum fuerit dicit *Regin. lib. 30. tract. 2. nu. 177.* exemplificant autem ignorantiam probabilem, quando adhibita diligentia debita, sciri non potuit, an
5 qui offertur, sit baptizatus, vel non, sed natos ex parentibus Christianis, & educatos inter eos, pro baptizatis in dubio haberi debere, nec esse rebaptizandos, nisi euidẽter appareat non esse baptizatos legitur in *c. veniens in fine de Presbyt. non bapt. & docent omnes.*

6 Immunis tamen est ab irregularitate rebaptizatns in infantili aetate, quia caret culpa *argum. l. culpa caret ff. de regul. iur. Sayr. lib. 7. c. 8. n. 10. Henriq. lib. 14. cap. 4. n. 3. Suar. tom. 5. disp. 42. sect. 1. n. 1.* Ex contrario non excusantur rebaptizans, nec rebaptizatus scienter in maiori aetate, vt diximus, quamuis hoc agant per metum cadentem in cõstantem virum, ratio est quia metus non potest afficere voluntatem internam, qua deficiente, nequit fieri baptismus, cum cesset intentio requisita, quae est actus voluntatis; non enim potest fieri voluntate renitente, licet exterius aqua infundatur *Henriq. cit. n. 4. circa finem Filliuc. & alij apud Bonac. disp. 7. q. 3. pun. 3. n. 7.*

7 Contrahitur etiam irregularitas per baptizatos ab haereticis alibi, quam in Ecclesia Catholica, puta in locis haereticorum *c. qui in qualibet 1. q. 7.* nisi hoc actum fuerit in infantia, & postquam ad aetatem rationis capacem peruenerint, agnita veritate, falsita-

sita-

sitatem eorum abhorrentes, ad Ecclesiam Catholicam fuerunt recepti *c. placuit, & c. qui apud 1. q. 4. Bonac. cit. n. 13. ex Regin. lib. 30. tr. 2. n. 180.*

8 Ex iteratione aliorum Sacramentorum characterem imprimentium, confirmationis st. & ordinis similiter fuit dubitatum, an irregularitas contrahatur, & *Nauar. cit. n. 247.* ex *D. Anton.* scribit affirmatiuè cit. *c. sicut dist. 68. & c. dictum de consecr. dist. 5.* vbi de vtroque fit mentio, & statuitur, quod sicut non debet iterari baptismus, ita nec confirmatio, & ordo, sed verbum nullum de irregularitate; modo pœnæ nõ sunt inducēdæ per subauditos intellectus, cum sint potius restringendæ, quàm ampliandæ *c. odia de regul. iur. in 6.* ergo pæna statuta in iteratione illius, non est extendenda ad ista; eo etiã magis, quia in materia irregularitatis habemus tex. expressum mandantem, nequaquam incurri, nisi expressè à iure statuatur *c. is qui de sent. excomm. in 6.* quod ex alijs rationibus docent *Scot. in 4. dist. 7. q. vlt. Couar. in Clē. si furiosus par. 1. n. 8. de homi. Regin. lib. 30. tr. 2. n. 178. Sayr. lib. 7. c. 8. n. 28. & subdit n. 29.* multo minus incurri irregularitatē ex aliorum Sacramentorum reconsecratione, vnde si quis hostiam, vel chrisma, vel oleum infirmorum consecrata recōsecret, peccat, sed irregularis non est. faciunt dicta per *D. Thom. in 4. dist. 23. q. 1. art. 1. q. 2. ad 3.* vbi non aperit, si hoc sit mortale, vel veniale, sed dicit, quod nullo modo sit faciendum, & vide *infra resol. 167. n. 28. in fine.*

9 Verum contrahitur irregularitas per excommunicatos maiori excommunicatione recipiendo in tali statu ordines sacros *c. cũ illorum de sent. excomm. & c. 1. de eo qui furt. ordin. suscep.* quæ cum sit apertè statuta in dictis iuribus, gratis dixit *Bonac. citat. pun. 4. n. 1.* esse opinionem probabilem, imò nec excusare ignorantiam iuris, sed tantùm facti probabilem docent communiter DD. nempè *Syluest. hoc tit. num. 4. Nauar. d. cap. 27. n. 241. Sayr. lib. 7. c. 10. n. 12. Suar. to. 5. disp. 42. sect. 3. n. 2. Tolet. lib. 1. cap. 66. n. 1. Regin. lib. 30. n. 181. & alij.* Quæ quidem

10 irregularitas cõtrahitur etiam per suspēsos, & interdictos cum eisdem declarationibus circa ignorantiam, si ordines suscipiãt *c. 1. §. fin. de sen. & re indic. in 6. c. 1. §. fin. de sent. excomm. eod. lib. c. is qui §. 1. & c. is cui eod. tit. & lib. & docent DD. citat. cum Henriq. lib. 14. cap. 6. n. 4.* quidquid in contrarium voluerint *Filliuc. & alij apud Bonac. cit. sub n. 2.* prætextu, quod citati tex. loquantur de suspensis solemniter celebrantibus, quod ibi meo videri non legitur, nec probatur, & dictum est *supra in introduct. huius tit. n. 19.*

11 Item recipiens duos ordines sacros eodem die, irregularis similiter efficitur *c. litteras. & c. dilectus de tempor. ordin.* imò etiam ordines minores cum subdiaconatu *c. 2. de eo, qui furt. ordin. suscep. Nauar. c. 25. n. 71. & cap. 27. sub n. 241.* vbi ex Anton. addit posse excusari suscipientem quatuor ordines minores cum subdiaconatu eodem die, vbi talis consuetudo vigeret, sequuntur *Sayr lib. 7. cap. 10. n. 22. Filliuc. tract. 20. nu. 191. Regin. cit. n. 189.* super qua tamen irregularitate, si delictum occultum est, dispensat Episcopus ex *Triden. sess. 24. cap. 6.* si verò est publicum, solus Pontifex, vt dicunt *Tolet. cit. n. 6. Henriq. etiam cit. cap. 6. n. 5. Sayr. vbi supra n. 36.* quando autem delictum dicatur occultum, vel publicum. *vide in priori resol. n. 27.*

12 Sed an ordinatus per saltum, vt est recipiens ordinem superiorem, nempe diaconatum, vel sacerdotium, ante subdiaconatum, sit irregularis? videtur affirmatiuè respondendum ex *c. solicitudo dist. 52. & c. vnico de Cler. per saltum prom.* vbi dicitur esse cum eo misericorditer agēdum, & ab Episcopo dispensandum, si hoc accidit ignoranter, ergo est irregularis subdit *Regin. d. lib. 30. tract. 2. n. 191.* & confirmat *Ricc. resol. 561. n. 1.* quod si priusquam dispensetur ab Episcopo, vtatur ordine prætermisso, solus Papa dispensat *Nauar. d. c. 27. n. 224.* quod latius probat *Syluest. hoc tit. n. 13.* vbi hoc limitat, quando in tali ordine ministrauerit ignoranter.

13 Item irregularis est ordinatus furtiuè, talis autem dicitur, qui sine dimissorijs sui Ordinarij, vel non examinatus, nec approbatus, fuit inaduertenter ab Episcopo ordinatus, cum quo tamen dispensat proprius Episcopus, alio obice non existente; quod si Episcopus ante ordinationem denunciauit excommunicationem incurrendam ab ijs, quī furtiuè ordines susciperent, solus Papa dispensat *iuxta c. 1. de eo, qui furt. Suar. de censur. to. 5. disp. 42. sect. 3. n. 5. Henriq. lib. 14. cap. 6. n. 5.* sed quia hodie solent Episcopi talem excommunicationem semper comminari ante ordinationem, propterea dicit *Bonac. cit. n. 7.* hanc dis-

dispensationem esse Pontifici reseruatam.
14 Itē est similiter irregularis clericus, vel laicus exercentes ordinē, quē non habent *c. 1. & 2. de Cler. non ord. minist.* imò per san ctam Inquisitionem in similib. casibus proceditur cum magno rigore: etenim Paulus de le Vergini, laicus professus Ordinis Conuentualium reformatorum; Clericus Donatus de Feo quatuor solùm minoribus ordinibus insignitus, & Franciscus Maria Fotus cum sacerdotij munere functi essent, fuerunt Curiæ seculari traditi præuia degradatione, per quam fuerunt furca suspensi in Ciuitate Neap. vt testatur cum modo seruato *Sanfel. decis. 239.*
15 *n. 14.* Hoc tamen aduertit *Nauar. dicto c. 27. sub n. 242.* esse intelligendum, (citra tamen celebrationem vt suprà) si seriò, non autem iocosè, & priuatim agatur ex *D. Tho. in 4. dist. 24. q. 2. art. 2.* imo si clericus simplex cantat in Choro Epistolam, etiam cum Dalmatica, sed sine manipulo, vel Euangelium sine stola, talem irregularitatem non contrahit; ac etiam si cum eis, vbi talis adest consuetudo, quam testatur ibidem Nauar. habere fratres mendicantes; idem dicit *Regin. sub d. n. 191. ex Henriq. & alijs*, qui *tamen n. 192.* voluit laicum talia exercentem, etiamsi seriò, & solemniter irregularem non esse, quem sequitur *Bonac. disp. 7. q. 3. pun. 6. n. 1.* ex lenibus fundamentis; sed priorem sententiam ego sequor *ex Suar. disp. 42. sect. 4. nu. 3. & 9. Coninch. disp. 18. dub. 6. n. 45.*
16 Irregularis quoque est coniugatus quęcumque sacrum ordinem suscipiēs, etiam si matrimonium per verba ramen de præsenti, consummatum non esset *ex extrauag. antiqua de voto. Auila par. 7. disp. 9. sect. 1. dub. 5. Bonac. cit. pun. 4. n. 9. ex Rebuff. Henriq. & alijs*, & est casus Sancti Officij, vt supra *resol. 100. n. 10.* à qua irregularitate liberat ingressus religionis, vel Papa, qui super omnibus dispensare potest, cum sint de iure positiuo *Sylu. v. irregularitas in fine.* & dictum est supra *ref. 102. n. 28.*
17 Item est irregularis excommunicatus maiori excommunicatione, celebrans, vel exercens actus subdiaconatus, vel diaconatus solemniter, sicuti etiam suspensus, vel interdictus, si durātibus prædictis impedimentis, talia peragunt *c. is cui de senten. excom. in 6.* & dictum est supra *in introduct. huius tit. n. 19.* addit tamen *Gl. in d. c. is cui v. in ea.* secus esse si extra Ecclesiam, veluti in domo priuata, vel sub tentorio, aut sub dio; datur tamen excusatio etiam in priori casu ratione alicuius necessitatis, vel scandali vitandi, aut ignorantiæ, vel inaduertentiæ, vel obliuionis inculpabilium, vt latè docent multi apud *Bonac. cit. pun. 5. à n. 1. vsque ad 10.* & nos supra *d. n. 19. & resol. 19.*

De irregularitatibus prouenientibus ex crimine hæresis, vel infidelitatis, aut ex infamia, vel publica pœnitentia.

SVMMARIVM.

1 *Irregularitas contrahitur per hæreticos, eorumque fautores, & receptatores cum eorum filijs, etiam naturalibus, licet parentum delicta non fuerint sequuti, cū limitatione, & ampliatione vt infra, & n. 2. vsque ad 10.*
4 *Homicida voluntarius quamuis occultus, est irregularis, sicut & alij ibi relati.*
5 *Actus interni hominum non subdunt potestati legislatoris humani, sed Dei solius.*
9 *Absolutio ab hæresi occulta num possit à solo Pontifice dari? & n. 10.*
11 *Irregularitas contrahitur per colentes dæmones, vel cum ijs quodcunque pactum ineuntes, vel hæresim in iudicio probatam adiurantes, à solo Pontifice dispēsanda.*
12 *Absoluere non potest Episcopus hodie ab hæresi occulta, sed an possit ab irregularitate, ea de causa contracta?*
13 *Infamia quid sit, quid bona fama, & vnde vtraque oriatur? n. 14. Iuris contrahitur per sententiā iudicis n. 15. Facti verò multis modis, vt infra n. 16. Exemplificatur n. 17. Alterutra non solùm parit irregularitatem, sed etiam repellit à dignitatibus acquisitis, & acquirendis n. 18. & 19. Quomodo tollatur? & an sicut potest tolli à Principe, possit à iudice ordinario? n. 20.*
21 *Irregularitas an contrahatur ex pœnitentia publica?*

Resolutio CIV.

1 AD primum respondetur, irregulares esse hæreticos, eorumque fautores, defensores, & receptatores, eorumque filios

filios vsque ad secundam generationem
ex linea paterna, & vsque ad primam
ex linea materna *c. 2. §. hæretici, & c. statutū il secondo de hæret. in 6.* item infideles, &
cathecumenos *c. 1. & c. veniēs de Presbyt. nō bapt.* largo tamen modo, quia irregulari-
tas vti pœna ecclesiastica non ligat eos,
qui sunt extra Ecclesiam, vt dictū est sup.
in introd. n. 4. sed quia non sunt baptizati,
nullum Sacramentum recipere possunt, &
propterea dicuntur irregulares *Nauar. in man. c. 27. n. 205. Angel. hoc tit. 1. n. 28. Syl. eod. n. 7. Tolet. lib. 1. cap. 64. n. 1. Regin. lib. 30.*
2 *tract. 2. nu. 193.* Imò non solùm filij legi-
timi, sed etiam naturales hæreticorum
sunt irregulares, licet crimina parentum
non fuerint secuti *Tolet. cit. n. 4. ex Gl. & Io. Andr. in d. c. statutum*; quod tamen est
intelligendum, si eorum parentes, & fau-
tores moriātur hæretici, secus si ante mor-
tem ad Ecclesiam redierint, vt legitur *in d. c. statutum, & aduertit Regin. sub d. n. 193.*
3 sed nullo in casu contrahitur irregularitas
ex hæresi interiori Tolet. cit. n. 2. sicuti cō-
trahitur in exteriori, quamuis occulta
Sanch. in summa lib. 2. cap. 8. n. 2. & c. 25. n. 2. & alij statim citandi.

Verum hæc quæstio suas habebat olim
difficultates, quæ hodie cessarunt, vt in-
fra, alij siquidem voluere hæreticum etiā
pure internum esse excommunicatum, &
irregularem, hi sunt magni, & egregij
DD. *vt Gl. in c. cogitationis de pænit. dist. 1. & in Clem. 1. §. verum v. eo ipso de hæret. Abb. in proœmio decret. v. Rex pacificus n. 6. in c. extirpandæ §. qui verō n. 21. de præb. c. fin. n. 1. de hæret. & in c. 2. n. 13. de off. ordin. Felin. in c. porro in princ. de sent. excom. Bal. in l. si quis non dicam n. 1. vers. venio ad oppositiones C. de Episc. & Cler. Rosell. in summa v. absolutio 1. num. 29. v. excommunicatio 1. casu 1. n. 1. & v. hæreticus n. 14. Sard. de aliment. tit. 9. q. 33. n. 7. & 8. & q. 32. n. 4. & dec. 247. nu. 12. & 13. par. 1.* Et
proinde absolutionem spectare ad Pōtifi-
cem solum ex statutis in bulla Cœnæ Dñi.

4 Alij verò tuentur totum oppositum,
nempe ex nullo crimine interno, vel ex-
terno dummodo sit occultum cōtrahi ex-
communicationem, vel irregularitatem,
seu alias pænas ecclesiasticas, excepto ho-
micidio voluntario, quamuis occulto, quia
hoc tantum reperitur à iure decisum *ex c. fin. de tempor. ordin. isti sunt Nau. in summa cap 27. n. 248. ex c. ex tenore, & d. c. fin. eod. tit. Henriq. lib. 14. c. 3. n. 2. & cap. 5. n. 2. & vtrobique DD. ad saturitatem Crousers. in regul. S. Francisci cap. 7. lect. 4. fol. 518. quem refert, & transcribit, sed non sequitur Dia. par. 6. tr. 6. resol. 51. in princ.* quorum prin-
cipale fundamentum est, quia Ecclesia nō
iudicat de internis, nec de occultis, sed
de manifestis *d. c. erubescant, & c. consuluisti 2. q. 5.* qui quidem Crousers. respondet
fundamentis Sanch. cit. & aliorum dicens
istos confundere illa duo, externum, &
manifestum, accipiēdo pro eodem termi-
nos prædictos, dum volunt omne exter-
num censeri manifestum, saltem per se,
& suaptè natura, & similiter confundere
internū, & occultū, dum volunt sola inter-
na esse occulta, proinde subdit Crousers.
non esse in tanta amplitudine accipiendū
manifestū, nec in tāta restrictione occul-
tū, imò dicit alia Gl. *in c. erubescant dist. 32. v. secretorum* hodie esse expressum *in d. c. fin. & c. reperiuntur 1. q. 1.* quod ex occultis
delictis nō cōtrahitur irregularitas, nisi in
homicidio volūtario, & simonia in ordine,
& cōsequēter exceptis prædict. absolutio-
nē cōpetere cuicūque Cōfessario ordina-
rio; quæ tñ opiniones nō videntur sustēta-
biles, vt infra, salua reuerētia tantorū PP.

5 Prima n. apertè reijcitur, quia non solū
Ecclesia de internis non iudicat, sed neq;
potest *D. Tho. 1. 2. q. 91. art. 4. cor. ibi, quia de his potest homo legem facere, de quibus potest iudicare, iudicium autē hominis esse non potest de interioribus motibus, qui latent, sed solum de exterioribus, qui apparent, &c. item q. 100. art. 9. cor. ibi homo autem, qui est lator legis humanæ non habet iudicare, nisi de exterioribus actibus, quia homines vident ea, quæ parent, vt dicitur 1. Reg. 16. et inferius lex humana non punit eum, qui vult occidere, & non occidit, punit autem lex diuina secundum illud Matth. 5. qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.*

6 Item *idem Sanct. 2. 2. q. 104. art. 5. corp. ibi, errat, siquis existimat seruitutē in totum hominem descendere, pars n. melior excepta est corpora obnoxia sunt, & ascripta dominis, mēs quidem est sui iuris, & ideo in his, quæ pertinent ad interiorem motum voluntatis, homo non tenetur homini obedire, sed solum Deo, &c. & tandem idem docet in 4. dist. 18. q. 2. ar. 2. sequuntur Caiet. 2. 2. q. 11. art. 3 Sylu. v. excommunicatio 7. n. 3. in fine. vbi ex eodem Sancto dicit falsum esse, quod dicunt Gl. &* alij ex d. c. cogitationis posse st. Ecclesiam

præ-

præcipere circa occulta, sed non iudicare, quia ex D. Tho. relato de his potest homo legem facere, de qnibus potest iudicare, sed de internis non potest iudicare, ergo nec legem facere *Angel. in summa v. hæreticus n.2. Tol. lib.1.c.64.n.2. Greg. de Val. 2.2. disp.1.q.12.pun.3. alijs omissis.*

7 Secundam verò opinionem neque veram existimo, etenim si solùm pro homicidio voluntario, & simonia in ordine occultis contraheretur irregularitas; sine causa statuisset *Trid. sess. 24. cap.6.* vt Episcopi possint in foro consciẽtiæ dispensare in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delictis occultis prouenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, et exceptis alijs deductis ad forũ contentiosum, vt ibi legitur, si ergo excipit istos casus tantùm, remanet regula generalis permissiua, quod in omnibus alijs dispenset, quæ non potest restringi ad solam simoniam, postquam reperitur exceptum homicidium voluntarium occultum iuxta naturam dictionis pluralis, quæ nequit verificari in vno solo casu *ad rubr. vbi DD. C. de impub. & alijs substit.* & bona exceptio debet esse de regula, quæ firmatur in omnibus casibus nõ exceptis *l. nam quod liquide ff. de penu legat.* adest præterea dictio omnis, quæ est vniuersalis, & non contẽtatur de pluribus, sed quamplurimis *l. moschis & ibi Bar. ff. de iure fisci.*

8 Tertia opinio, quæ probabilior dicitur est, quod si hęreticus in corde, exteriori aliquo opere, vel verbo peccatum suum exequatur, vel dicat, statim est excommunicatus, & irregularis, etiam si nullus audiat, videat, aut quomodolibet percipiat, nisi ipsemet, quia tunc hæresis peccatum, non nisi per accidens est occultum Ecclesiæ, per se n. habet vnde possit ab Ecclesia sciri, quia est peccatum exterius ita *Caiet. 2.2. qu.11. art.3. circa finem. Sylu. v. excommunicatio 7. n.4. & circa finẽ. Sayr. lib.3. de censur. cap.4. n.20. & 26. Suar. to.5. disp.21. sect.2. n.2. & disp.43. sect.1. num. 3. & 4. Sanch. in summa lib.2. c.8. n.2. & 3. vbi magna DD. caterua; & cap. 25. n.4. Vasq. 1.2. disp. 160. c.5. nu.22.* superu enir postea bulla *Alex. 7. incip. Sanctiss. D. N.* edita sub die 2. Ottobris 1665. vbi multę propositiones damnantur, & postea sequitur, videlicet.

9 *Sententia asserens bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Trident. in qua de occultis criminibus sermo est anno 1629. 18. Iulij in Concistorio Sac. Congr. Emin. Cardin. visa, & approbata est.*

Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absoluere quoscumque sæculares ab hæresi occulta, et ab excommunicatione propter eam incursa.

Sequuntur aliæ propositiones, & in fine concluditur, videlicet, *quibus peractis dum similium propositionum examini cura, et studium impenditur, interea idem Sanctiss. re mature considerata statuit, & decreuit prædictas propositiones; & vnamquamque ipsarum, vt minimum, tamquam scandalosas esse damnandas, et prohibendas, sicut eas damnat, ac prohibet, ita vt quicumque illas, aut coniunctim, aut diuisim docuerit, defẽderit, ediderit, aut de eis etiam disputatiuè, publicè, aut priuatim tractauerit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem, à qua non possit præterquã in mortis articulo ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Pontifice absolui.*

Insuper districtè in virtute sanctæ obediẽtiæ, & sub interminatione diuini iudicij prohibet omnibus Christi fidelibus cuiuscunque conditionis, dignitatis, ac status, etiam specialissima nota dignis, ne prædictas opiniones, aut aliquam ipsarum ad praxim deducant.

10 Esset nunc videndum, an dicatur hæreticus occultus, qui hæresim internam, externè protulit, nullo audiente, quia si iste est talis, vt dicunt Caiet. & cæteri supra cit. incidit in bullam. Si vero non est occultus, sed internus, minime iuxta D. Tho. & alios supra, verum quia S. Congr. declarauit illud dici etiam occultum, quod non potest probari, vt dictum est supra *resol. 102. n.27. in fine.* videtur propterea amplectenda sententia Caiet. & cõsequenter reseruata absolutio Pontifici, quia hæresis interna prolata in exterius, nullo audiente, nullo modo probari potest, eo magis quia cum per cit. bullam prohibetur generaliter absolutio ab hęresi occulta, non est distinguendum inter occultum, & occultũ obstante dispositione *l. de pretio ff. de public. in rem. act.*

11 Item, qui pactum ineunt cum dæmone, eumque qnomodocnmque colunt, quia sunt suspecti de hæresi, sunt pariter irregulares *Gl. in c. accusatus §. sane. v. sæpe rent de hæret in 6. Suar. disp.43. sect.2. n.11.*

San-

Sanch.lib.2.summa cap.25.n. 11. Fillinc.tr. 20.cap.9.n.235.in fine. quando autem hæc ſapiant manifeſtam hæreſim, vel non declarat *Sanfel. deciſ.233.num.4.& 5.* Item illi, qui fuerunt coacti abiurare hæreſim in iudicio probatam *Bonac. cit. puni.7. num. 5. ex eod. Sanch. & alijs*. Item qui exterius adorant Idola, licet per metum, & interius non adorent *c. prasbyteros diſt. 50. Farin. de hæreſi qu.97.num.73. Filliuc. nu. 230.ex Sylu.v. irregularitas nu.7.Suar.*

12 *Sanch.& aly apud Bonac.n.2.* nec poteſt Epiſcopus abſoluere, etiam ſi actus hæreticales eſſent occulti, vt dictum eſt, ſicut poterat prius in foro conſcientiæ ex *Trid. ſeſſ.24.c.6.* cum ſit ei ſublata talis facultas per *bullam Cœnæ Domini*, vt ibi legitur, & teſtatur Tolet. *lib.1.c.64.in fine.* vbi in apoſtilla in margine teſtatur ita fuiſſe declaratum per *Pium 5. Greg.13. & Clement. 8. cum Sacra Congreg. Cardin.* prout etiam docuere *Suar. dicta diſp.43.ſect. 1.ad finē. Filliuc.cit.n.232.& latius P. Dia.p.1. tract. 5. reſol.2.in fine.par.3.tr.6.res.92.p.4.tr.4. reſol.239. & p. 5.tr.13. reſol. 43. in fine.* probabile tamen exiſtimat *Sanch. in ſumma d.lib.2.cap.25. n.18.* poſſe Epiſcopum ex eod. Trid. diſpenſare in irregularitate ex hæreſi, vel Apoſtaſia à fide occultis, quamuis non poſſit ab illis abſoluere, ſequitur *Dia.par.2.tr.15. reſol. 24.* Sed contrarium docent *Suar.d.ſect.1.n.7. & Bonac. de cenſur. diſp.7. q.3.pun.6. n.11. ex c. cum illorum §. primos de ſent. excomm.* quæ ſententia mihi videtur probabilior, quia dum non poteſt abſoluere, neque poterit diſpenſare, argum. ducto à ſimili *l. iam hoc iure ff. de vulg. & pupill. vel à maiori auth. multo magis C. de ſacr.S.Eccl.& vide ſupra reſol.21.n.4.*

13 Ad ſecundum, infamia eſt praua, & publica opinio de vita, & moribus alicuius, ſicut ex contrario bona fama, eſt publica, & bona opinio alicuius, oriens ex eius bonis operibus; illa verò ex malis *Bonac.hoc tit.diſp.7.q.3.pun.1.n.1.* vbi neminē allegat, ſed probatur *ex Gl. in l.1. v.vincula in fine C.ex quib.cauſ.infam. irroget. & Bar. in l.de minore §. tormenta ff.de quaſt.* idem per diuerſa verba docuit *Sylu. v.infamia. n.1. ex l.ſed ſi hac lege §. prætor, ibique Gl. ff. de in ius vocando, l.honori,& l.licet,ff.de obſeq. à liber. Patri, & patr. præſt.*

14 Datur autem duplex infamia iuris, st. & facti; iſta eſt, quando quis apud bonos, & graues homines eſt in mala opinione, quam de ipſo conceperunt ex ſuis malis operibus, ſeu criminibus, vt diximus, & docet Bar. cit. facit etiam *tex. in l. ea, quæ pater C. ex quib. cauſ. infam.irrog.* ſecus ſi praua opinio de aliquo ſit apud paucos viros, licet graues, vel apud multos leues, vt rectè ait idem *Sylu.nu.3.*

15 Illa verò contrahitur per ſententiam Iudicis *l. 1. ff.de ijs, qui notan.infam.* deſcenditque ex crimine *l.improbū fœnus C.eo tit. l.palam §. qui in adulterio ff.de ritu nupt. l. quid igitur ff.de ijs,qui notāt.infam. c.nuper. à nobis de bigam. Angel. v. infamia n.2.Tol. lib. 1. c. 57. vbi late de omnibus ad materiā.*

16 Sed iterum *Gl.in l.2. v. definit vſque ad finem ff. de ijs, qui not. infam.* vbi docuit omnes Ioculatores eſſe infames ipſo iure, ſed infamia facti, quia mercedis gratia ludibrium ſui faciunt, quod limitat *Abb. in c.cum indecorem de vita,& honeſt.Cler.* quādo quis ſemel tantùm, aut bis hoc egiſſet; limita ſecundo, quando quis licèt pugnaret cum beſtia (quod regulariter ſine infamia ex cauſa lucri fieri nequit,) hoc tamen ageret cauſa virtutis exercendæ *l. 1. §. beſtias ff.de poſtul.* quod practicatur in ludo taurorum, licet contrahatur excommunicatio, etiam ſi fiat ſine lucro, item

17 cauſant infamiam matrimonium cum duabus eodem tempore de facto contractum; proſtitutio proprię filiæ, vel vxoris, aut neptis, matrimonium cum mæretrice, aut repudiata *c. ſi quis viduam diſt. 34.* & permiſtim de vtraque infamia, multa exempla tradit Pontifex *in c.infames 6.qu. 1.late Sayr.lib.7.cap.11.* Regulariter autem infamia, quæ contrahitur de iure ciuili, contrahitur etiam de iure canonico *c.Beatus Petrus §. infames 6.q.1.*

18 His præmiſſis ſi loquimur de infamia facti, hæc facit hominem irregularem, donec tollatur mala fama, & acquiratur bona *c.4.de accuſat.c.tantis Daniel cum multis ſequent.diſt.8. Abb.in c.ſi diligenti de ſimon.* imo repellit à dignitatibus acquiſitis, & acquirendis, tām Eccleſiaſticis, quàm ſecularibus, ſi ſit adeò mala, vt ſcandalū apud omnes pariat *ex iurib.citat.& c. inter dilectos de exceſſib. prælat.* vbi ſicut vilibus, & indignis portę dignitatum patere non debent, ita nec infamibus *c. infamibus de regul. iur. in 6.& c.infamis 3. qu.7.* Si verò

19 de infamia iuris, idē ſtatutum reperitur quoad dignitates *in l.infamia C. de decur.*

lib.

lib. 10. *l. infames C. de infamib. & l.* 1. *C. de reis postul. eod. lib. l.* 2. *& l. Iudices C. de dignit. lib.* 12. idemque quoad irregularitatem *Sylu. ex Abb. & alijs d. v. infamia nu.* 15. *Nauar. cap.* 27. *n.* 204. *Tolet. cit.* Tollitur au-
20 tem iuris infamia per Principem *c. cum te de sent ent. & re indic. & l.* 1. *ff. de postul.* sed iudices inferiores possunt eam tollere quasi per indirectum, absoluendo enim reos, antea condemnatos, constito aliunde de innocentia, tollunt delicta, & consequenter infamiam, ex illis prouenientē, vt fuit in facti contingentia practicatum apud *Saufelic. decis.* 44. *in fine*, (quamuis consulto Principe *iuxta tex. in l. fin. §. si quis vltro ff. de quaest.* quia prolata sententia non possunt iudices amplius in eadem causa iure proprio iudicare *l. iudex postea quam ff. de re indic. cum concord.*) *vide Sayr. lib.* 7. *cap.* 11. *n.* 15. *Henriq. lib.* 14. *cap.* 5. *n.* 3. *Regin. lib.* 30. *tract.* 2. *n.* 196. infamiam autem facti, *ait Tolet. d. n.* 4. & verum est, neque Papam tollere posse, sed solum eundem infamatum per bona opera, quibus mala priora tollantur *Sayr. cit. n.* 16.

21 An autem propter pœnitentiam publicam contrahatur irregularitas, quando st. fuit ex aliquo delicto inflicta? videtur affirmatiuè respōdendum *ex c. canones dist.* 50. vbi legitur hanc pœnitentiam etiam ab infimis officijs excludere *c. de pœnitentibus de consec. dist.* 3. hodie tamen non est in vsu, vt dicunt *Sylu. v. irregularitas q.* 17. *ex Hostien. & Innoc. Suar. disp.* 42. *sect.* 2. *n.* 4. *& alij*, & consequenter nec talis irregularitas, & propterea non insisto.

Matrimonium.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonij etymologia.*
2 *Mater tenetur alere filios per triennium, postea Pater, illa est certa maternitatis, secus Pater, adeo quod sit impossibilis vera probatio, sed tantùm coniecturalis.*
3 *Matrimonij definitio.*
4 *Maria Virgo fuit vera coniux S. Ioseph.*
5 *Matrimonium nō facit concubitus, sed cōsensus. Eius perfectio est duplex, vna essentialis, altera accidentalis, nu.* 6. *Eius bona sunt proles, fides, & Sacramentum, quæ omnia fuerunt in illo Sanctissima Virginis n.* 7. *Quo tempore fuerit institutum, tàm prout est in officium generandi prolem, quàm vti remedium contra peccatum, & vti Sacramentum? n.* 8. *& ad quem finem n.* 10. *Est de omni iure n.* 11.
9 *Copula carnali, si Adam non peccasset, nulla fuisset, nec esset in coitu voluptas, sed an fuerit prohibita post peccatum, ante legem Moysi traditam?*
12 *Consensus, & coitus sunt de iure gentiū, & naturali.*
13 *Sponsalia vnde dicantur, & an sit in illis necessaria stipulatio? Sunt futurarum nuptiarum promissio n.* 14. *Vt valida sint, necessarius est consensus verbis, aut nutu, & signis manifestatus, nec sufficit internus, nisi quoad Deum nu.* 15. *Non valent inter rationis vsu carentes neque si vnus ex eis illum haberet n.* 16.

INTRODVCTIO.

1 MAtrimonium dicitur quasi matris munium, id est officium ex *Gl. in rubric.* 17. *q.* 1. *v. quidam*, quia matris munus est prolem concipere, parère, & educare iuxta *Catech. Rom hoc tit. par.* 2. *cap.* 8. *n.*
2 2. *ex D. Ambros. lib.* 1. *de Abrah. c.* 9. sed non tenetur ad educationem, nisi illam lactare per triennium *Gl. in l.* 1. *v. ex tempore C. vbi pupill. educ. debeat ex l. nec filium C. de Patr. potest.* postea tenetur pater *l.* 3. *C. de alend. liber. addit. Gl. cit.* ideo dici matrimonium potius à matre, quàm à patre, quia plura onera subit illa, quam iste; est n. ante partum onerosa, in partu dolorosa, & post partum laboriosa *c.* 2. *de conuers. infid. addit Sylu. hoc tit. in princ.* quia magis est officiosa circa prolem, vel quia mater semper est certa, pater incertus *Sanch. hoc tit. lib.* 1. *in proam. n.* 4. sed clarius probatur in *l. Lucius* 83. *de condit. & demonstr. Vnde Reg. Merl controu. for. centur.* 2. *cap.* 84. *n.* 2. rectè docet ex omnium Iur. Consultorū, ac philosophorum iudicio impossibilem in patre esse filiationis veram probationē, sed tantum coniecturalem, refert illud *Homeri odiss.* 1.

Mater me Patris huius ait natum esse, sed ipse.
Ignoro, nam nemo suum potest nosse parentem.

& Meand. apud Stobeum serm. 74.

Mater magis amat liberos, quam Pater suum.

Enim

Enim ipsa filium certè cognoscit, ille putat.
3 Definitur autem matrimonium, videlicet, est maris, & feminæ coniunctio, indiuiduam vitæ cousuetudinem continens *c. illud de præsumpt. & instit. de Patria potest. in princ.* eodem fere modo definitur à *Modest. in l. 1. ff. de ritu nuptiar.* est coniunctio maris, & feminæ, & consortium omnis vitæ, diuini, & humani iuris communicatio, vnde gratis *Bonac. sub tit. de natura, & propriet. matrim. q. 2. pun. 1. n. 1. in fine, & n. 2.* nouas tradit definitiones, quasi quod Pontifex cum Imper. & Iure Cõsultis minus rectè definissent, nec dubitatur esse vnum ex Sacramentis iuxta *Apost. ad Ephes. cap. 5. ibi Sacramentum hoc magnum est,* sicuti fuit postea declaratum *in Trid. sess. 7. can. 1.*
4 Cum ergo ex prædictis definitionibus videatur necessaria maris, & feminæ coniunctio, & ista non fuerit inter Sanctissimam Virginem, & Sanctum Ioseph, videtur non fuisse inter eos verum matrimonium; Cuius contrarium legitur apud *Luc. cap. 1. & 4. Matth. cap. 1. & communiter DD. cum magistro sent. in 4. dist. 26.* verum respondetur ad perfectionem matrimonij, non requiri coniunctionem realem corporum, seu copulam carnalem; sed benè coniunctionem animorum *c. matrimonium*
5 *27. q. 2. ibi matrimonium non facit coitus, sed voluntas, et in c. sequent. ibi sufficiat secundũ leges solus eorum consensus, de quorum coniũctionibus agitur, et in c. Beata Maria eodem tit.* vbi sermo est de voto virginitatis per eam emisso; cum ergo talis consensus voluntatis fuerit inter prædictos sponsos, sequitur verum etiam matrimonium inter eos fuisse, vt latius declaratur *in d. c. Beata Maria; & per D. Tho. par. 3. q. 29. art. 2.*
6 Ad quorum confirmationem dicit *Sylu. v. matrimonium 1. n. 4. ex eod. D. Thom. & Ricch. ibi cit.* quod duplex sit perfectio matrimonij, vna essentialis, altera accidentalis, quantum ad primam non est de eius integritate concubitus, quia sine isto dicitur matrimonium ratum, est tamen de eius integritate, quantum ad secundam, quia per eum dicitur matrimonium consummatum, sicuti puer per deductionem ad quantitatem perfectam efficitur vir consummatus, qui tamen puer existens habebat totam suam perfectionem in esse primo, quod respicit hominis essentiam.
7 Hinc sequitur *ex c. omne 27. q. 2.* omnia illa tria bona, quæ requiruntur in matrimonio, fuisse in isto, prolem st. fidem, Sacramentum: prolem cognoscimus ipsum Dominum Iesum; fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum diuortium; solus ibi nuptialis concubitus non fuit. *Suar. in 3. par. D. Tho. to. 2. disp. 7. sect. 1. n. 1. & seq. Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 28. n. 1. Henriq. lib. 11. cap. 1. n. 5. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 3. nu. 72. Regin. lib. 31. num. 6.*
8 Circa verò tempus institutionis matrimonij, ait *D. Tho. in 4. dist. 26. qu. 2. art. 2. cor.* quod vt est in officium generandi prolem, quæ erat necessaria, etiam peccato non existente, institutum fuit à Deo ante peccatum Adæ, quando dixit *Genes. 2. Crescite, & multiplicamini,* quia tunc primis parentibus potestatem dedit coniungi, ac mutuo sibi tradi: sed vt est in remedium contra peccatum, institutum fuit post peccatum tempore legis naturæ; secundum verò determinationem personarum contrahentium, institutum fuit in lege Moysis; secundum autem quod est Sacramentum, repræsentans coniunctionẽ Christi, & Ecclesiæ, institutum est in noua lege, & secundum hoc est Sacramentum nouæ legis. (Istud autem dicunt DD. euenisse, quando Christus interfuit nuptijs in Cana Galileæ *Ioann. cap. 2.* vel quando dixit *Matth. 19. quos Deus coniunxit, homo non separet.*)

Quæ D. Thomæ doctrina circa primam, & secundam institutionem, conformatur cum alia *D. Hieron. ad c. 5. epist. ad Ephes. relata in c. sicut non omnis §. his ita 32. q. 2.* vide moderniores apud *Henriq. lib. 11. cap. 2. Sanch. lib. 2. disp. 4. Regin. lib. 31. n. 6.* Scribit
9 tamen *Gl. in d. §. his ita v. sine ardore, & in margine,* quod si Adam non peccasset, nulla in coitu esset voluptas, & ita sine ardore, & pruritu esset genitalium coniunctio, sicut est aliorum membrorum; veluti si digitus cum digito, vel manus cum manu coniungantur, & si esset pruritus, non tamen esset peccatum; imò etiã post Adæ peccatum, ante tamen legem Moysis, videtur dicendum copulam adulterinam, nec fuisse peccatum, vt illa Abrahæ cum Ancilla *c. dixit Sara 32. q. 4.* quod tamen *Gl. ibidem v. pœna* non admittit: est tamen sumptum dictum *c. ex D. Ambr. lib. 1. de Abrah. cap. 4.* & vide infra *res. 120.* vbi soluitur argum. & latius de hoc agitur;

10 Sed quicquid de hoc sit, dum ex D.
Tho. cit. fuit institutum etiam in remediũ
contra peccatum, vt pariter legitur *in d.*
§. his ita, & ante omnes docuit *Apost. ad*
Corinth. 1. cap. 7. ibi propter fornicationem v-
nusquisque suam vxorem habeat; & vna-
quaque suum virum; nolite fraudare inuicē,
nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis
orationi, & iterum reuertimini in id ipsum,
ne tentet vos Satanas propter incontinentiam
vestram. Ergo dicit Gratia. in eodem *§. his*
ita, qui propter incontinentiam in natura-
lem redire vsum monentur, patet, quod
nõ propter filiorũ procreationem tantùm
misceri iubentur. Ex quibus etiam patet,
11 quod matrimonium est de iure diuino,
dum à Deo fuit institutum per relata ver-
ba *Genes. 2. crescite, & multiplicamini Gl. cit.*
d. v. quidã, est etiam de iure naturali *instit.*
de iure natur. Gent. & ciuil. in princ. quod
est idem Deus, vti natura naturans *Glos.*
ibidem v. hinc. Est etiam de iure gentium,
12 quia consensus, & concubitus, qui fa-
ciunt matrimonium, de isto iure sunt *Bar.*
in l. 1. §. huius studij n. 5. ff. de instit. & iure;
dicitur enim ius gentium, quasi quo iure
omnes gentes vtuntur *§. ius autem ciuile,*
instit. tit. cit. est etiam secund. *Bart. ibidem,*
& Bal. in d. l. 1. §. ius naturale n. 9. de iure
canon. & ciuili, ex quibus sunt prohibi-
tæ nuptię illicitæ *c. non debet cum simil. de*
consanguin. & affinit. & in tit. ff. de ritu
nupt. instit. de nuptijs in princ. & alibi, cir-
ca quæ vide etiam infra *d. resp. 120.*
13 Sed quia matrimonium solent sponsa-
lia præcedere, præmissis aliquibus de istis,
deueniemus ad illud, dicuntur autem à
spondendo; nam moris fuit veteribus sti-
pulari, & spondere sibi vxores futuras *l.*
2. ff. de sponsal. non autem necessaria est sti-
pulatio, quia etiam inter absentes contra-
hi possunt *l. sufficit ff. eodem, Sylu. v. sponsa-*
lia in princ. indeq; sponsi, & sponsæ appel-
latio nata est *l. 3. ff. eod.* sunt autem futurarũ
14 nuptiarũ promissa *c. nostrates 30. q. 5. l. 1.*
eo tit. D. Tho. in 4. dist. 27. q. 2. ar. 1. cor. Addit
Sylu. (mutua) quia non possunt contrahi
ab vno tantùm, addit *Tolet. lib. 7. cap. 16. n.*
4. (signo sensibili expressa) quia tàm in spon-
15 salibus, quàm in matrimonio necesse est,
vt sponsio, & consensus verbis, vel nutu,
& signis manifestentur; internus enim
consensus licet sufficeret, quoad Deum
1. Reg. c. 16. non tamen obligaret in foro
externo, quo ad homines, etiam de iure
naturali *Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 3. n. 2. et*
5. Coninch. disp. 21. n. 17. & disp. 22. dub. 6.
nu. 34. Regin. lib. 31. nu. 3. sed inter ratio-
nis vsu carentes, non subsistunt; vnde,
si ante septennium, ambo, vel vnus ex eis,
quamuis alter maior esset, ea contraherẽt,
inualida essent *c. vnico §. 1. de desponsat. im-*
pub. in 6. Tol. n. 5. quod idem dicitur de fu-
riosis vt infra.

Quæ ad sponsalia contrahenda requirantur, & quæ obligatio ex illis contractis nascatur?

SVMMARIVM.

1 *Sponsalia vt firma sint, quatuor requirũtur, & an debeat præcedere deliberatio? n. 5.*

2 *Metus cadens in virum constantem, annullat sponsalia etiam per verba de præsenti, sed quis iste sit? n. 26. idem si sit metus honoris, vel status, & n. 3. Item amissionis bonorum, vel maioris eorum partis, n. 4.*

6 *Sponsalibus in contrahendis validè, requiritur mutua promissio vtriusque sponsi. An dicantur tacitè contracta, si absque verbis, vel signis sponsus misit anulum in digitum mulieris, vel torquem ad collum, aut arrhas eidem dedit? n. 7.*

8 *Verba obscura quonam sensu sint interpetranda?*

9 *Sponsalia non dicuntur contracta, si sponsus promittat mulieri eam ducere in vxorem, & ipsa taceat exterius, quamuis interius consentiat, nisi ex signis constaret de consensu. Possunt contrahi à parentibus pro filijs, non dum adultis, etiam ignorantibus, sed adueniente ætate legitima, non coguntur ea perficere de I. canon, quod seruatur in isto casu, licet secus sit de iure ciuili, si tamen præsentes sint, & taceant habentur pro consentientibus n. 10.*

11 *Taciturnitas aliquando operatur consensum.*

12 *Sponsalia sunt naturaliter appetibilia, sed in qua ætate fieri possint? nu. 13. & 15.*

14 *Professio regularium est inualida, si fiat vno die ante annum 16. completum.*

16 *Sponsalia de futuro, an obligent præcise ad matrimonium contrahendum, tam in foro interiori, quàm exteriori, & quid si præ-*

Resolutio CV.

1 AD primum respondetur, quatuor requiri, promissionē st. voluntariā,
mutuam, signo aliquo externo manifestatam, & ætatem legitimam, prima
constat *ex c. veniens 15. & c. consultationi c. requisiuit, & c. gemma de spōsal. P. Dia. p. 3. tr. 4. resol. 244.* Sponsalia n. per metum ca-
2 dentem in virum constantem, contracta
etiam per verba de præsenti nō tenēt, nisi
postea spōtaneè sponsi, simul cohabitauerint, *vt in iurib. cit. & in c. ad id 21. eod. tit.*
qualis autem debeat esse metus, vt annullet sponsalia, etiam si sequuta sit copula, vt in d. *c. veniens* non probatur ibi, sed
in c. cum dilectus de ijs, quæ vi metusue causa fiunt, vbi legitur debere esse mortis, vel
3 cruciatus corporis. Idem tamen est, si sit
metus honoris, vel status, vt quando quis instrumenta status alicuius interuersurus est, nisi detur ei pecunia, & illis deperditis, in seruitutem redigeretur, vterque metus apud viros bonos maior, quam mortis esse debet, vt loquitur *Paulus in l. isti quidem §. si is ff. de eo quod metus causa,* idem de metu carceris à iudice illato *c. in primis §. 1. ibi se metu iudicis consensisse 2. qu. 1. vnde Gl. in d. c. cum dilectus* allegat versum.

Excusat carcer, status, & mors, verbera, stuprum.

Iudex autem non dicitur propriè inferre metum, sed potius iniuriam, vt docet *Glos. cit. v. metum in fine ex tex. in l. quēadmodum §. magistratus ff. ad l. aquil.* licet autem *in c. Abbas de ijs, quæ vi metusue*
4 *causa fiunt.* legatur quod etiam gesta ex
metu amissionis bonorum irritantur; hoc tamen intelligitur de omnibus bonis, vel maiori eorum parte, sine quibus vita corporalis, vel amittitur, vel grauem patitur iacturam *c. innocens §. illicitum versic. quisquis ergo 22. quæst. 4.* & docet
5 *Gl. in d. c. Abbas v. coactus.* Quod verò di-
cunt *Sanch. hoc tit. lib. 1. disp. 8. n. 5. Regin. lib. 31. cap. 35. n. 246. & 253. Bonac. de sponsal. q. 1. pun. 1. n. 4. ex Vasq. de matrim. disp. 5. c. 1. n. 3. & alijs,* talem st. promissionem, non solùm voluntariam, sed etiam deliberatā esse debere, & adeo deliberatám, quantū sufficiat ad peccatum mortale, intelligendum est in foro interiori; nam in exteriori, posita promissione exteriori spontanea, supponitur deliberatio *c. consultationi 28. de sponsal.* aliàs vnusquisque ad illudendum alterum, statim se excusaret non processisse deliberationem; quod non est ferendum, & istud est generale iu omnibus contractibus *l. 3. de action. & oblig. Sylu. v. pactum n. 4. Nauar. in man. cap. 18. n. 6. in fine.*

6 Secundo requiritur, vt promissio sit mu-
tua, vt etiam dictum est supra *in introd. n.* 14, non n. sufficit promissio vnius, sed vtriusque, quod est quoque generale in omnibus contractibus, & pactionibus, quæ in minus quàm iner duos consistere non possunt *l. 1. §. est autem ff. de pact. Regin. cit. sub. n. 244. & Bonac. n. 6.* Tertiò vt
7 promissio sit aliquo signo manifestata, vt
etiam supra *n. 15.* licet n. quis mitteret anulum in digitum mulieris, vel torquem ad collum, seu arrhas, quia tamen ista possunt ad alium finem fieri, si alio modo sponsalia non exprimantur, non propterea intelliguntur contracta, nisi vbi vigeret consuetudo, quod his, vel alterutro peractis, intelligantur ad hunc, & non ad alium finem gesta *Sotus in 4. dist. 27. q. 2. ar. 1. conclus. 3. Filliuc. tract. 10. cap. 7. q. 6. n. 240.*
8 Vnde si sponsalia sint contracta per verba
obscura, & alter ex sponsis non intellexit eorum sensum, cogitur vterque in illo sensu ea retinere, quem solent rectè intelligentibus generare *c. ex litteris 7. de sponsal.* in dubio autem iudicatur pro matrimonio *Filliuc. cit.* Et propterea si Titius
9 promittat Seiæ eam ducere in vxorem, &
& ipsa taceat, non erunt contracta sponsalia, etiam si interius consentiret. *Bonac. cit. n. 11.* vbi alij. nisi ex signis constaret de consensu, vt supra.

10 Quāuis autem parentes possint contra-
here sponsalia filiorum, non dum adultorum, ipsis ignorantibus *ex c. 1. de desponsi. impub.* si tamen ætate legitima adueniente noluerint consentire, non obligantur, vt legitur *in c. vnico eod. tit. in 6.* de iure tamen ciuili consentire tenentur, nisi indignitas

terius refragetur *l. sponsalia cum l. sequenti ff. de sponsal.* sed seruatur ius canonicũ, vt docet *Gl. in c. 1. v. consentit de desponsa. impub.* & tradit etiam *Sanfelic. decis. 245. sub n. 1.* vbi ait in materia peccati, ius ciuile deseruire, & ancillari iuri canonico. Ge-
11 neraliter autem, quãdo presentia, & taciturnitas habeatur pro cõsensu, etiam iure canonico inspecto, habes *in c. qui tacet, & c. is, qui tacet de regul. iur. in 6.* quade re *Gl. in d. c. is qui tacet*, dicit, quod, aut agitur de commodo, & honore tacentis, & tacens videtur consentire; aut de incommodo, puta de persona obliganda, & huiusmodi, & minime *l. filiusfamilias §. inuitus ff. de Procur.* in sponsalibus ergo contractis ab ijsdem parentibus pro filijs impuberibus, vel etiam puberibus præsentibus, & non contradicentibus, taciturnitas operatur consensum *c. vnico §. porro de desponsat. impub. in 6.* quia ait *Gl. ibidem*
12 *v. contradixerint*, agitur de re naturaliter appetibili, vide *Sot. in 4. dist. 27. q. 1. art. 1. Nauar. cap. 22. n. 58. Coninc. disp. 21. dub. 3. n. 34.* differt autem iste casus à priori, quia hic adest consensus expressus parentum, & implicitus filiorum per præsentiam, & taciturnitatem, in priori autem sola taciturnitas Sæiæ.
13 Quarto requiritur ætas legitima, quæ est septennium completum ab vtroque, nec sufficit ab vno, nisi per cohabitationem eorum mutuam, vel aliàs verbo, vel facto, liquidè appareat in eadem voluntate factos maiores perdurare, aliter sponsalia prædicta, quę ab initio nulla, erant, per lapsum temporis non conualescunt, vt *in cit. c. vnico, & l. qua ab initio ff. de regul.*
14 *iur.* Quod adeo verum est, vt si vnus dies deficiat, etiam inualida sint, sicuti similiter professio regularium, dicitur etiam nulla, si vel vnus dies ex 16. annis completis, & à Trident. requisitis deficiat *Regin. lib. 31. n. 247. ex Sanch. lib. 1. disp. 16. nu. 7.*
15 Et ratio est, quia in septimo anno ius supponit rationis vsum aduenire; vnde si antea accederet, valida essent, quia diceretur, malitiam supplere ætatem, *Sot. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. Sanch. lib. 1. disp. 16. n. 9. ex D. Tho. in 4. dist. 27. q. 2. art. 2. ad 7. Coninc. disp. 21. dub. 5. n. 52. Eman. Sà v. sponsalia n. 1.* sicuti enim obligantur diabolo per peccatum, si committatur ante prædictam ætatem, & ratione polleant *c. 1. de delict. puer.* ita à fortiori Deo per iuramentum in sponsalibus appositum, vel fidem datam, vt infra, & docet *Sanch. in cit. disp. 16. n. 16. ex D. Tho. Soto, Henriq. & alijs.*
16 Ad secundum respondetur, quod ex sponsalibus de futuro, vt ista regulariter fiunt, oritur (loquendo in foro interiori) obligatio perducendi illa ad effectum, nẽpè ad matrimonium, aliàs peccatur mortaliter propter fidem mentitam, & debet pœnitentia iniungi recusanti implere promissa *c. 1. de sponsa duorum Gl. in c. fin. v. de præsenti de sponsal.* in foro verò exteriori, si alter ex eis contraxerit, aliud matrimonium per verba de præsenti, interuenientibus solemnitatibus à Triden. requisitis iuxta *resol. Ricc. 234.* secundũ primam impressionem, validum est istud, & inualida illa, licet præcesserint inter priores sponsos oscula, amplexus, & etiam nisus ad copulam dictis *c. fin. & c. 1.*
17 Hinc si Titius promiserit etiam cum iuramento ducere Bertam in vxorem per verba tamen de futuro, non potest cogi ad contrahendum matrimonium in foro exteriori *c. requisiuit de sponsal.* quamuis in foro interiori peccet mortaliter, ratione iuramenti non seruati, vt diximus, sed hoc peccatum vitatur, si antequam contrahatur matrimonium cum alia per verba de præsenti, petatur, & obtineatur absolutio à iuramento iuxta praxim traditã per *Ricc. resol. 332. ex Sot. Couar. & alijs.* Quia tamen hæc absolutio est concedenda à iudice Ecclesiastico, qui fortasse illam non concederet, non propterea essent cogendi sponsi per verba de futuro ad matrimonium contrahendum; quod debet esse liberum *d. c. requisiuit, & c. gemma de sponsal. l. libera C. de inutil. stipul. Sanfel.*
18 *decis. 289. n. 1.* & coactum, infælices parere solet effectus *c. cum locum eod. tit.* imo si metu iudicis pœnas comminantis contraheretur, posset dici nullum *ex c. de mulieре, & c. veniens eod. tit.*

Sed his non obstantibus, licet ea fateatur *Ricc. resol. 231. n. 1.* refert tamen solere curiam Archiepiscopalem monere sponsos ad matrimonium contrahendum, & & renitentes cogere per censuras ecclesiasticas, & sic fuisse pluries practicatum per *c. ex literis 10. & c. sicut eod. tit.* ista tamen praxis ex prædictis mihi non placet; propterea, vt certa ab incertis separemus, dici-
19 mus primo, sponsalia de futuro, etiam iurata dissolui per matrimonium postea se-

sequutum, quamuis præcesserint oscula cum priori sponsa, & nisus ad copulam *c. si inter virum* §. *fin. & c. fin. de sponsal.* etiã si nulla præcesserit causa illa dissoluendi, si modo matrimonium fuit factum, cum requisitis *per Tridẽt. sess. 24. cap. 1. hoc tit.* (quo tamen casu esset mortale, & pœnitentia iniungenda. vt fuisse resolutum in præfata curia testatur idẽ *Ricc. resol. 233.*) ibi enim præcesserat monitio sponso, vt contraheret cum prima, & discussione pendente, contraxit cum secunda: quod videbatur attentatum, & nihilominus firmo remanẽte matrimonio, fuit solùm disputatum, an esset pœnitentia iniungenda, quod si aliqua causa dissoluendi interuenerit, nulla imponitur pœnitentia, ex quo nulla culpa præcessit, vt *in eod. c. ex litteris.*
20 *in fine*; sed quę, & quot sint causæ iustæ, vide apud *Nauar. cap. 22. num. 25. vbi 17.* ex eis commemorat, alias cum decisionibus sequutis refert idem *Ricc. in collect. 1570. & 1740.*

21 Si verò post sponsalia contracta per verba de futuro nullum fuit cum alia matrimonium subsequutum, & tamen recusat alter ex sponsis illa ad matrimonium perducere, isto in casu dicit *Riccius in cit. resol. 231. n. 2. ex Abb. in d. c. ex litteris n. 3. Menoch. Surdo, & alijs,* solere Curiam prædictam monere spõsos ad contrahendum, & renitentes cogere per censuras ecclesiasticas, etiam si non sint iurata, & ita fuisse pluries per Rotam Rom. resolutum. ex *Seraph. decis. 1112.* sunt tamen circa hoc duo tex. qui videntur contrarij in d. enim *c. ex literis* legitur, quod quando iuramentum præcessit, est renitens monendus, & si monitis non acquieuerit, per censuram Ecclesiasticam compellendus, sed *in d. c. requisiuit eod. tit.* statuitur esse monendum non compellendum; & licet *Gl. ibidem v. cum libera* exponat prius monendum, & postea cogendum, hæc tamen expositio, est aperta violatio, & correctio tex.

22 Propterea puto esse intelligendum tex. vt loquitur, monendum st. solùm, non cogendum per censuram, ratio ibidem assignatur, nempè quia libera debent esse matrimonia, & corroboratur per *c. cum locum eod. tit. ibi cum locum non habeat consensus vbi metus, vel coactio intercedit, necesse est, vt vbi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur c. attestationes de desponsat. impub. adde Io. Andr. in d. c. ex literis ibique Prapos.* qui dicunt absoluendum esse pertinacem, etiam nolentem, si censura visa fuerit non prodesse, ergo dum non
23 potest omnino cogi ad contrahendum matrimonium, imo potest cum alia contrahere, vt supra dictum est, frustra fulminatur censura, quæ suum omnino nequit consequi effectum, cum post aliquod tempus sit tollenda, quamuis alterutet ex sponsis superiori acquiescere, & obedire nolit. facit *c. 2. eod. tit. & ita docet Sylu. hoc tit. 2. n. 16. & v. sponsalia num. 10. in fine ex Gl. in l. 1. C. de sponsal. DD. apud Dia. p. 5. tr. 4. resol. 206.*

24 Quod in minore decẽ annis cum dimidio (quo tempore, nec est pubes, nec proximus pubertati *Gl. in* §. *pupillus ver. infantiæ instit. de inut. stipul. & in l. 6. in fine ibique Bar. n. 6. ff. de nouat.*) non esse in controuersia, quamuis sponsalia sint iurata, docent communiter *DD. nempe Hostien. & Io. Andr. in c. cum contingat de iure iur. & iterum Io. Andr. in d. c. ex litteris n. 3. Archid. in c. quamuis de pact. in 6. Imola in d. c. cum contingat 10. col.* & in specie *Sanch. disp. 51. hoc tit. n. 24. vbi recentieres.* imò generaliter loquendo de contractibus ab impuberibus factis omnes DD. ita voluisse testatur *Bar. in auth. Sacramenta pub. n. 9. C. si aduersus vendit.* proximos vero pubertati obligari ex quocunque contractu virtute iuramenti, sed in integrum restitui, si enormissima læsio interuenerit refert *Afflict. dec. 322. nu. 5.* fuisse iudicatum per totum S. C.

25 Propterea quando esset magna disparitas inter sponsos ratione nobilitatis, vel diuitiarum, aut aliàs, concedendam esse absolutionem à iuramento, restitutionemque in integrum non dubitatur ex *cit. c. super literis in fine, ibi nisi rationabilis causa obstiterit*; proinde maxima dicitur læsio, tanta disparitas *Riccius cit. & resol. 232.* vbi alias causas enumerat. Et si concedimus
26 quod negare non possumus, metum st. cadentem in constantem virum, nullum reddere, etiam matrimonium contractum *iuxta c. veniens de sponsal.* & alia iura supra citata cum *eod. Afflict. n. 6.* vbi generaliter loquitur, quis maior metus, quam censuræ? etenim non solùm peracta ex metu mortis, vel verberum nulla sunt, vt sup. *n. 2.* dictũ est, sed etiam ex metu amissionis patrimonij *c. Abbas de ijs, quæ vi metusue causa, & supra num. 4.* ergo multo magis

27 gis peracta ex metu amittendæ animæ, quæ cunctis rebus præfertur *l. sancimus in fin. C. de sacros. Eccl.* imò vna anima præfertur mille corporibus *c. si habes circa fin. 24. q. 3.*
28 Quod confirmat *Villalob. in summa to. 1. tract. 12. diffic. 19. n. 3. videlicet. han de advertir mucho los Iuezes, que no sean en este caso muy rigurosos por que no hagan que se contrayga el matrimonio por miedo, que cayga en varon constante, que si esso ay, nò valera nada, y tanbien porque suelen tener estas fuerzas dificultosas las salidas, sequitur P. Dian. part. 3. tract. 4. resol. 246. ex Pont. de matrim. lib. 12. cap. 9. n. 7.* qui probabilem etiam appellat contrariam opinionem, nequire st. sponsos, præciso tamen, metu post pubertatem discedere à sponsalibus ante pubertatem contractis, & iuramento firmatis in ætate proxima pubertati, quam defendit *Sanch. hoc tit. lib. 1. disp. 51. n. 22. & seq. vbi cæteri*, licet contrarium velit ibidem *n.* 24. quando iuramentum fuit præstitum ante ætatem prædictam, vt diximus supra *n. 24. vide etiam Bonac. de sponsal. q. 1. pun. 6. n. 4. & Regent. de Marin. lib. 1. resol. 266. n. 3.* vbi dicit contrahere recusantem, nullo modo esse censuris cópellẽdum, nisi in vno casu, quando st. ex vi promissionis antecedentis, siue capitulorum matrimonialium, sequuta essent oscula, & amplexus, quod etiam ego amplector, si sponsi essent doli capaces, propter dedecus ex illis sponsæ illatum, & suis coniunctis.

Quibus et quot ex causis regulariter dissoluantur sponsalia de futuro, ac etiam matrimonia?

SVMMARIVM.

1 *Sponsalia dissoluuntur per simplicem ingressum ad religionem, etiam si fiat animo exeundi, & quid si essent iurata, vel copula sequuta? n. 2. & sub nu. 3. Iuramentum regulatur secundum naturam actus, in quo apponitur.*

4 *Vouens Religionem, vel simplicem castitatem, si postea mulierem honestam cognouit sub promissione matrimonij, tenetur in conscientia ad illud contrahendum, nisi mulier sciuisset votum; quod si postea aliquo casu dissoluerentur sponsalia, vel etiam matrimonium fortasse sequutum, tenetur voto; si verò post votum fuerunt contracta sponsalia, tenetur simpliciter ad votum, secus si ante votum emissum & n. 5.*

5 *Sponsalia per verba de futuro, non dissoluuntur per secunda, etiam iurata, ac etiam si istis accesserit copula, sed non requisita per Trident. Verum dissoluuntur per mutuum consensum contrarium, etiã si fuerint iuramento firmata, sed quid si hoc fuerit præstitum principaliter propter amorem Dei? num. 7. Item dissoluuntur, sicuti etiam matrimonia contracta cum consanguineis prioris sponsæ, vel sponsi infra quartum gradum, nisi priora fuissent nulla ex defectu consensus, sed hoc fuit immutatum per Trid. vt infra n. 8.*

9 *Monachus si contrahat de facto matrimonium, an ex eo oriatur in suis consanguineis impedimentum iustitiæ publicæ honestatis? habet consensum, qui est de iure naturali n. 10.*

11 *Sponsalia si ex quacunque ratione sint inualida, non pariunt impedimentum publicæ honestatis iustitiæ, quod si valida sunt, non extenditur vltra primum gradum, imò nullo modo cum affinibus prioris sponsæ. secus in matrimonio, etiã nullo n. 12. & 13.*

14 *Affinitas contrahitur etiam ex coitu illicito, & est impedimentum impediens, & dirimens vsque ad secundum gradum inclusiue. Eius definitio, et explicatio n. 15. Non contrahitur inter consanguineos sponsi cum consanguineis sponsæ nu. 16. Non parit affinitatem n. 17. Superueniens non soluit matrimoniũ antea contractũ, siue cõsummatũ, siue nõ, sed per verba de præsenti contractũ. n. 18. Vtrum autem liceat petere, vel saltem reddere debitum ante dispensationem obtentam n. 19. vsque ad 22. quid iuris de affinitate licita, vel illicita? n. 23.*

24 *Matrimonium, & multo magis sponsalia dissoluuntur per impotentiam coeundi, & quæ talis sit? Illo soluto ex causa impotentiæ coeundi per sententiam Iudicis, si postea reperiuntur habiles, an cogantur ad prius redire, licet secundum inierint? n. 25. sed quid de maleficiatis? num. 26.*

27 *Maleficium non datur perpetuum, & n. 28. Si sit respectu vnius feminæ, & non alterius, vel è contra, an operetur separationem matrimonij? n. 29.*

Spa-

Resolutio CVI.

EX dictis in priori resol. videbitur fortasse inutilis ista circa prius quæsitū, dum ibi probauimus non posse cogi sponsos ad contrahendum matrimonium adueniente pubertate ex vi sponsalium præcedentium, licet iuramento firmatorum; nihilominus tàm pro contrariam opinionem fouentibus, quàm quia non negamus peccare sponsos, non seruantes promissa, non solùm ratione dicti iuramenti, nisi relaxetur à Iudice ecclesiastico, vt ibi, sed etiam si fuissent contracta absque iuramēto, quia nil grauius est, quàm fidem fallere *c. 1. 2. & 3. de pact. l. 1. ff. de constit. pecun.* & solùm in foro exteriori arbitrati sumus cogi non posse; propterea de istis, & alijs
1 casibus disseremus. Et primo dicimus dissolui non solùm per professionem, sed etiam per simplicem ingressum ad religionem, tàm ex parte ingredientis, quàm in sæculo remanentis *Sylu. v sponsalia sub nu. 10. ex c. veniens qui Cler. vel vouent. Nauar. in man. c. 22. n. 26. Henriq. lib. 11. c. 14. nu. 3. Sanch lib. 1. hoc tit. disp. 42. n. 5.* contrariam tamen opinionem, quod sc. non dissoluūtur, nisi per solemnem professionem docent *Conins. disp. 23. dub. 3. n. 22. Filliuc. tr. 10. cap. 8. q. 5. n. 280.* quæ opinio videtur ēt probabilis.

2 Sed stando priori, vti probabiliori, procedit etiam si sponsalia fuerint iuramento firmata, vt docent *Henriq. cit. Sanch. disp. 43. n. 3. Regin. lib. 31. n. 258. ex c. quemadmodum de iure iur. Dia. p. 3. tr. 4. resol. 208.*
3 iuramentum n. regulatur secundum naturā actus, *in quo* apponitur *l. fin. C. de non numer. pecun. & d. c. quemadmodum.* imò addit Regin. procedere etiam si vnus ex eis mala fide hoc ageret; animo sc. exeundi quo casu alter esset statim liber, sed non sic ingrediens, quia talis fraus non debet sibi prodesse, vt ipse ait; quod si copula sit sequuta, etiam si sponsalia non essent iurata, teneretur sponsus ex iustitia ad contrahendum matrimonium ratione infamiæ, quæ sequeretur sponsæ, si illud nō perficeretur, vt rectè dicunt DD. cit. præcipuè *Sanch. disp. 44. n. 3. ex eod. Henriq. Nauar. & alij apud Bonac. de sponsal. to. 1. qu. 1. pun. 5. sub n. 4. & faciunt dicta in priori resol. in fine.*

4 Imò si quis fecit votum religionis, vel simplicis castitatis, & postea virginem deflorauit, vel viduam honestam cognouit sub promissione matrimonij per verba de futuro, tenetur potius ad istud cōtrahēdū, quam ad vota seruandum, quia ad illud tenetur ex iustitia, ad ista ex charitate, quæ postponitur illi; quod tamen intelligitur, si mulier cognita ignorabat votum emissum; quia si sciebat, culpa sua id accidit, quę non debet sibi prodesse *Azor. 3. par. cap. 5. diffic. vlt. Sanch. lib. 1. disp. 45. nu. 3. & 5. Filliuc. tract. 10. cap. 8. q. 5. n. 284.* Addit *Regin. lib. 31. nu. 258. in fine. & 259.* teneri sponsum adimplere votum, si casu aliquo sponsalia post contracta dissoluerentur, imo *Filliuc. cit.* quem alijs relatis sequitur *Bonac. vbi supra n. 6.* probabiliter vult teneri voto, etiam si sequeretur matrimonium, & postea dissolueretur morte, vel quia fuisset nullum ex qualibet causa, vt docet etiā *Sanch. cit. d. n. 3.* sed si vouens simpliciter castitatem, sponsam non cogno-

gnouit non tenetur ad sponsalia, postea
contracta per verba de futuro Sotus in 4.
dist.27.q.2. art.5. Angel.v.sponsalia num.5.
Henriq.lib.11. cap.14. Fillιuc. tr.10.cap.8.n.
286. Sanch.lib.1.disp.46. n.3. Coninc.disp.23.
dub.3. n.13. secus si spõsalia fuerint cõtra-
cta ante votum Sylu.v.sponsalia n.7. etiam
si votũ fuisset de suscipiendo sacros ordi-
nes Sanch.disp.46.n.9.ex c.veniens qui cler.
vel vou. & disp.47.n.3. Regin.lib.31.n.260.
quod tñ negat P.Dia.p.9.tr.7.res.75.§.fin.
Etiam si votum esset simplicis castitatis,
quia, dicit ipse, est de meliori bono.
5 Similiter verum est, quod dicunt Hen-
riq. lib.11. cap.13. n.3. Sanch.cit.disp.49. &
50. Regin.vbi supra, & alij, sponsalia st.pri-
ora per verba de futuro non dissolui per
secunda similia, etiam iurata. sed legitur
in c.sicut ex litteris in fine de sponsal. ab illis
non cit. quod n. semel placuit, amplius dis-
plicere non potest c.quod semel de reg.iur.in
6. & procedit regula l.2. ff.qui pot. in pign.
habe. vbi qui prior in tempore, potior in
iure; imò, etiam si virtute secundorum
sponsalium, sequuta sit copula cum secũ-
da sponsa absque tamẽ requisitis ex Trid.
sess.24.c.1. hoc tit. quia sine dictis requisi-
tis etiam matrimonium est nullum, vt ibi,
licet contrarium de iure communi antea
in isto casu seruaretur d. c.sicut, & c. 1. de
sponsa duor. Nauar. in man. cap. 22. nu. 26.
Henriq. lib.11.cap.13.n.3. vbi citat D. Tho.
Sylu. & alios Sanch.d.disp.49. nu.1. Ricc. re-
sol.234.
6 Secundo dissoluũtur sponsalia per mu-
tuum consensum contrarium, etiam si in-
teruenisset iuramentum cap. 2. de sponsal.
quia omnis res per quascunque causas
nascitur, per easdem dissoluitur c. 1. de re-
gul.iur. l.nihil tam naturale ff.eod tit. Sylu.v.
sponsalia n.10. ex D.Tho.Ricch.Abb.& alijs,
qui tandem concludit, hoc procedere si
iuramentum non sit præstitũ intuitu Dei,
id est principaliter ad complacẽdum Deo,
quando st. quis iurauit se ducturum in
matrimonium aliquam pauperem, vel for-
tius meretricem ob amorem Dei, quia
tunc non dissoluuntur per mutuum con-
7 sensum. Sed contrarium etiam in hoc ca-
su defendit Nau.c.22. sub n. 25. vbi com-
munẽ esse testatur, quia fauori suo quili-
bet renunciare potest c. quod ob gratiam de
regul. iur. in 6. l.quod fauore C.de ll. & quod
attinet ad iuramentum, potest etiam à
partibus remitti Ricc.resol.334. prout etiã
communiter docuere multi apud Sãch. lib.
1.de matr.disp.52. nu.8. & in summa lib.3.c.
20.n.7. Coninc.hoc tit.disp.23. dub.1, num.2.
Henriq. lib.11. c.4. & alij, vtramque opi-
nionem dicit probabilem P.Dia. part.9.tr.
7.resol.76. sed priori adhæret.
8 Tertio dissoluuntur sponsalia, si con-
tracta sint cum consanguinea prioris spon-
sæ, vel sponsi infra quartum gradum; ori-
tur enim ex antecedentibus sponsalibus,
etiam nullis, de iure communi loquendo
(quod fuit correctum per Trid. vt infra
n.11.) impedimentum iustitię publicæ ho-
nestatis, nisi priora fuissent nulla ex de-
fectu consensus c. vnico de sponsal. in 6. c.
ad audientiam eod.tit. veluti contracta cum
minore septem annis, vel cum furioso c.
litteras, & c. accessit de desponsat. impuber.
vel ex metu, vt in priori resol.n.2. Vnde di-
9 cit Gl. in d.c.vnico in Gl. magna circa me-
dium, & v.religionis, & in c.si qui despon-
sauerit 15. in ordine in Gl. magna 27. qu.2.
quod si monachus aliquam desponsauerit
per verba de futuro, vel etiam de præ-
senti, quamuis talia sponsalia, vel matri-
monium sint nulla, nemo tamen ex con-
sanguineis monachi vsque ad quartum
gradum, poterit illam sibi desponsare, vel
in vxorem ducere; quod si de facto con-
trarium fecerit, sponsalia non valent, &
matrimonium dirimitur Sanch.de matr.lib.
7. disp.68. n.6. Ratio autem quare dictum
matrimonium, vel sponsalia nulla cum
monacho impediũt, traditur à Gl.in d.c.v-
nico in 1. notab. quia st. monachus habet
10 consensum, qui est de iure naturali ex l.
1. ff. de pact. Sanch. cit. & propterea cum
nullus defectus impediat, nisi iste, qui nõ
aufertur à monacho per monachatum,
meritó non solùm impediuntur, sed etiam
dirimuntur sequentia sponsalia, vel ma-
trimonia cum consanguineis monachi.
11 Sed hæc, ne verbosa fiat disputatio;
procedunt de iure communi; per Trid. n.
sess.24.cap.3. hoc tit. fuerunt immutata, quia
si sponsalia ex quacunque ratione, sint in-
ualida, non impediunt, nec dirimunt se-
cunda, imo si valida sint, non prohibent
secundo contrahere cum consanguineis
primæ sponsæ vltra primum gradum Hen-
riq. lib.12.c.10. n.2. Sanch. cit.n. 10, Regin.
lib.31. n. 126. imò nec cum affinibus prio-
ris sponsæ, licet in primo gradu affinitatis;
vnde qui post sponsalia cum Berta, contra-
heret secundo cum vxore fratris Bertæ,
va-

validè contraheret *Sanch. cit. n. 3. Guttier. hoc tit. c. 103. n. 4.*

12 Sed ait *Nauar. dicto cap. 22. nu. 57.* quod licet in sponsalibus seruetur *Trid. cit.* si tamen contrahatur matrimonium, quamuis nullum per verba de præsenti, nisi nullitas oriatur ex defectu consensus, remanet supradictum impedimentum de iure communi, & ita declarasse Pium 5. in anno 1566. per extrauag. quæ incipit ad Romanum, ab ipso citat. sed non est in sexto,

13 quod impedimentũ extẽdit prohibitionẽ contrahendi cum consanguineis coniugis vsque ad quartum gradum, sicut erat de I. communi etiam in sponsalibus, vt probat *Sanch. de matr. lib. 7. disp. 70. nu. 5.* vbi refert dictæ extrau. verba, idque comprobat *n. 16. Henriq. lib. 12. cap. 10. nu. 2. & alij* dummodo tamen sit contractum in facie Ecclesiæ, vt fuisse declaratum per S. Congr. refert *Reg. de matrim. relat. infra res. 113. n. 16.* hac tamen declaratione admissa non habet locum in matrimonio contracto per verba de præsenti inter impuberes, quia istud resoluitur in sponsalia de futuro iuxta *tex. in c. 1. §. idem quoque de despons. impub. in 6.* & proinde viget dispositio relata Trident. etiam in isto matrimonio inter impuberes, ne st. tale impedimentum excedat primum gradum, sicuti in sponsalibus etiam impuberum *c. 3. & c. sponsam de sponsal. idem Nauar. ibidem.*

Quarto dissoluuntur propter affinitatẽ superuenientem, etenim si quis post sponsalia cum Berta cognouerit eius sororem, non poterit istam ducere in vxorem propter relatum impedimentum iustitiæ publi honestatis, dependens ex prioribus sponsalibus, nec Bertam ipsam propter affinitatem, quæ superuenit ex copula postea cum sua sorore secuta, siquidem ex coitu

14 etiam illicito contrahitur affinitas *c. ex litteris de eo, qui cognou. consang. vxor. & c. litteras de desponsat. impub.* quod impedimẽtum est impediens, & dirimens, & se extendit vsque ad secundum gradum inclusiuè, vt infra *n. 21. ex Trid. & alijs, docentque Henriq. lib. 12. c. 10. nu. 2. Sanch. d. lib. 7. disp. 68. in fine.*

15 Quæ affinitas secundum *Gl. in §. affinitatis sub verbo affinitatis instit. de nupt.* est personarum proximitas ex coitu licito, vel illicito proueniens, omni carens parentela *Sylu. hoc tit. 8. n. 15. ex D. Tho. in 4. dist. 41. & alijs.* E. g. si Titius copulam habet cum Berta, contrahit affinitatem cum consanguineis Bertæ in eodem gradu affinitatis, quo ipsi Bertæ sunt consanguinitatis, sic è contra consanguinei Titij, sunt in eodem gradu affines Bertæ, quo sunt consangui-

16 nei Titio; Inter consanguineos autem Titij, & consanguineos Bertæ nulla affinitas contrahitur, & propterea pater, & filius cum matre, & filia, vel duo fratres cum duabus sororibus validè, & licitè contrahunt matrimonia *c. quod super his de consang. & affin. Sanch. d. lib. 7. disp. 67. n. 2. Henriq. lib. 12. cap. 10. n. 1. Regin. lib. 31. num. 145.*

17 Verum non nascitur affinitas ex affinitate, E. g. vxor fratris Bertæ, est affinis Bertæ in primo gradu, sed maritus Bertæ non est affinis prædictæ vxori fratris Bertæ, & propterea mortua ipsa Berta, potest maritus suus, nubere illi vxori fratris Bertæ, prout hoc, & aliis similibus modis istud exemplificat *Sanch. cit.* vbi dicit ita statutum esse in Concilio generali Lateranensi, & legitur *in c. non debet de consang. & affin. Bonac. de impedim. matrim. qu.*

18 *3. pun. 12. n. 3.* Est etiam certum affinitatẽ superuenientem nõ soluere matrimonium antecedens, licet non consummatum; sed per verba de præsenti contractum; etenim si vir Bertæ cognouit consanguineam ipsius Bertæ, non soluitur matrimoniũ antecedens cum ipsa Berta, licet non consummatum, sed per verba de præsenti cum eadem contractum *c. discretionẽ §. fin. & c. penult. & fin. de eo, qui cognou. consang. vxor.* Dicit tamen *Sylu. cit. versic. septimum,* quod non potest hoc casu ille, per quem fuit affinitas contracta petere debitum, licet teneatur reddere, sed non ante dispensationem, quam potest etiam ordinarius concedere *ex Sanch. lib. 2. disp. 40. n. 7. hoc tit.* quia non impeditur ingredi Religionem, donec fuerit matrimonium consummatum.

19 Et quamuis axioma prędictum negetur à *Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 12. nu. 24.* vbi dicit esse communem opinionem, ego tamen illud pro certo habeo, non *ex c. 2. de consang. & affin. à Sylu. cit.* vbi hoc non probatur, sed *ex c. Inquisitioni de sent. excomm. & c. litteras de restit. spol.* vbi est casus fortior; vtrobique n. legitur, quod etiam consummato matrimonio, affinitas superueniens, licet illud non dirimat, impedit tamen eius vsum cum hac distinctione, aut pro-

certo scitur impedimentum, & sciens nequit petere, nec reddere, alias peccat mortaliter, quia hoc esset apertè fornicari, quod est intrinsecè malum, aut dubitat probabiliter, et potest reddere, sed non petere, etiam dubio non deposito, aut dubitat ex leuibus indicijs, & ijs depositis cum consilio Confessarij, potest reddere, & etiam petere *Sanch. hoc tit. lib. 2. disp. 39. n. 6. ex D. Anton. 3. p. tit. 1. c. 3. §. 2. Palud. Couarr. & alijs*; imò addit *nu.* 8. quod in primo casu nullo modo possit debitum reddi, licet sciens excommunicetur ab Ecclesia, vitæque periculum subeat, & grauissima sequantur scandala; quam sententiam ex quamplurimis recentioribus sequitur *P. Dia. par. 4. tr. 4. resol. 48. §. his tamen in fine.* vbi dicit contrarium sibi non placere, *& par. 9. tr. 8. resol. 33. §. sed his.* vbi addit esse contra communem DD. sententiam.

20 Oppositum iudicant alij, quando adesset mandatum Ecclesiæ, & ad maiora dãna vitanda, quia licet fornicatio sit intrinsece mala, non tamen est talis illam solùm permittere ex causa prædicta, ex qua etiã meretrices permittũtur, & propterea possit vxor permittere, vt vir vtatur suo corpore, reddendo ei debitũ ad maiora damna vitanda, ita *Magist. sent. in 4. dist. 38. in fine*, recẽtiores refert, & sequitur *Molfes. in summa to. 1. tr. 4. cap. 14. n. 9. vbi ait, quod si mulier antequam consummaret matrimonium cum viro, rem habuisset cum fratre, vel consanguineo viri, quo casu matrimonium sequẽs, esset nullum ob præcedens impedimentum dirimens, tunc si non posset Religionem ingredi, nec adesset iusta causa petendi diuortium, quod teneatur reddere debitum, & non detegere turpitudinem suam, ex qua occidenda esset per virum, & interim occultè petere dispensationem, quia dum alter est in bona fide, suoque iure vtitur, debitum petendo, potest sciens impedimentum, permittere illi, vt suo corpore vtatur, reddendo debitum ad vitandum publicum scandalum, & mortem, & intentio obtinendi dispensationem, possit illam excusare à nouo peccato, nam illa erit fornicatio materialis, & magis tenetur non facere alteri apertam iniuriam, quam vitare periculum fornicationis materialis, secus si vterque sciat, quia tunc non excusantur. huc vsque Molfes.*

21 Sed quamuis hanc opinionem reiecerit Dia. vbi supra. Eam tamẽ vocat satis probabilem *in p. 3. tr. 4. resol. 296. in fine, ibi nota etiam probabile esse non peccaturam coniugem reddendo debitum incestuoso, qui peccauit cum ipsius Vxoris consanguinea ante dispensationem, quia non cooperatur peccato alterius, alter n. peccat tantum petendo actum sibi prohibitum, at coniux non cooperatur petitioni, sed hac supposita cooperatur actui ex se licito, & hac omnia ex Sanch. notat Filliuc. to. 1. tr. 10. p. 1. cap. 9. nu. 309. & 310. quicquid in contrar. etiam probabiliter quoad redditionem debiti incestuoso asserant Villalob. in summa to. 1. tr. 13. diffic. 47. n. 4. & alij. ita ille*; aliqui tamen ex prædictis putant casu, quo pro certo mors, vel infamia secuturæ essent, posse coniugem permittere viro vsum sui corporis, dummodo ipsa probabiliter putet actui non consentire, quod quia perdifficile existimatur, meritò Sanch. supra cit. per Filliuc. & Dia. hoc damnat *lib. 2. de matrim. disp. 39. n. 16.* & magis erit improbabile, si matrimonium consũmatum non fuerit, quamuis per verba de præsenti contractum, cum possit isto in casu licite, & omni periculo procul monasteriũ ingredi *ex c. 2. de conuers. coniugat.*

22 Quando verò est contractum matrimonium cum impedimento dirimente vtriq; noto, & consequenter mala fide; quamuis in facie Ecclesiæ, quæ potuit decipi, & tunc ẽt & à fortiori, siue cõsummatum sit, siue non, ex quo nullum est ex *Trid. sess. 24. cap. 5. hoc tit.* D. *Tho. in 4. dist. 41. q. vnica art. 1. & 2. & in addit. ad 3. p. q. 55. art. 3.* numquam potest peti, nec reddi, dispensatione non obtenta *ex cit. c. inquisitioni, & c. litteras*, cum cessent pericula relata, aut fuit contractum ex mala fide etiam vtriusque, sed dubitanter, non scienter; & tunc etiam certum est neutrum posse petere, nec reddere, quia neutri suffragatur possessio male fide incæpta, sed si dubium vinci non potuit, adhibitis diligentijs, & adsint probabilitates de valore matrimonij, vterque dubio deposito reddere, & petere potest, si verò dubium sit ex parte vnius tantùm, tunc non potest petere, sed tenetur reddere, etiam ante diligẽtias adhibitas, quibus secutis, potest etiam petere ex iuribus cit. *Suar. de Relig. to. 2. lib. 4. cap. 5. n. 16. Henriq. lib. 12. cap. 6. nu. 5. & 7. Eman. Sà v. debitum coniugale num. 7. Sanch. d. lib. 2. disp. 42, n 8. P. Dia. p. 3. tract. 4. resol. 295. & p. 4. tract. 3. ref. 15.* Addit tandem *Sanch. cit. disp. 41. n. 52. & 56.* quod si alter nescit impedimentum, neque de eo dubitat

bitat, alter verò dubitat, sed non habet certitudinem, potest ignorans negare, quia non tenetur reddere dubitanti, potest etiam absque scrupulo reddere, & petere vtendo sua plenaria possessione, bona fide acquisita, nec tenetur credere alteri asserenti dubitare, vel etiam scire, quamuis iste in casu scientiæ non teneatur, neque possit reddere, vt supra dictum est, & docet, etiam *Dia.d.resol.15.in fine de qua materia vide etiam infra resol.122.n.9.*

23 Differentia tamen est inter affinitatem ortam ex copula licita, vel illicita, quia qui fornicatus est cum Berta, potest contrahere matrimonium cum eius consanguinea, non in primo, vel secundo gradu, sed in tertio, vel vlteriori, vt in *Trid.sess.24. cap.4.hoc tit.* qui verò cognouit propriam vxorem, ea mortua non potest contrahere cum consanguineis illius, nisi in quinto, vel vlteriori gradu, aliàs dirimitur matrimonium, etiam contractum *c.nō debet 8.de consang.& affin.Henriq.lib.12. cap.10.n.1.in fine.Sanch.lib.7.disp.67.n.4.& 5.Coninch.hoc tit.disp.32.dub.4.n.56.Regin. lib.31.n.147.* quæ quidem affinitas, licet contrahatur etiam ex matrimonio rato, & non consummato secundum multos, & magnos DD.relatos per *Sāch.cit.disp.64.n. 24.* alij tamen cum ipso *n.25.* voluerunt nō oriri, sed solùm impedimentū iustitiæ publicę honestatis, & in hoc casu extendatur etiam hodie vsque ad quartum gradum, vt probatum est supra *n.12.* Ratio est, vt recte dicūt DD.cit. quia affinitas non potest oriri, nisi ex copula.

24 Quinto dissoluuntur per impotentiam coeundi tàm sponsalia, quàm matrimonia, pro quorum maiori intelligentia præmitto, alios esse frigidos, alios maleficiatos, alios spadones; siue castratos, aut eunuchos, frigiditas dicitur impedimentum naturale, quod reperitur in viro, qui nequit cognoscere vxorem *c.laudabilem,& c.fin.de frigid. & malefic.* in feminis autem loco frigiditatis est arctitudo, quæ quando talis est, vt nequeant, nisi per miraculum habiles reddi, & ars medicinæ non prosit, separatur matrimonium, etiam quoad vinculum, sicut per relatum impedimentum viri *c.fraternitatis eod.tit.* & si alter habilis est, alteri nubere potest. Quod si post

25 secundas nuptias reperiatur Ecclesia decepta in promulgatione sententiæ nullitatis prioris matrimonij; quia st.vterque erat habilis ad copulam, coguntur ad priora redire vota, ex quo nulla fuerunt secūda, vt in iuribus citat.

26 Maleficiati verò sunt, qui arte dæmonū sunt impediti coire, & hi eleemosynis, ieiunijs, & orationibus debent Deo satisfacere, qui occulto suo, sed non iniusto iudicio hoc finit; et si cum istis spiritualibus remedijs sanare non potuerint, permittitur separatio elapso triennio à die cōtracti matrimonij iuxta *c.si perfortiarias 33. q.1. & Cappel. Tholos. decis.381.num.6.* nisi vxor procurasset maleficium viri *c. si Euangelica dist.55.c.si quis insaniens 15.q.1. l.si mulier ff. quod met. causa.* Hoc tamen generaliter negat *Gl.ibidem v. nequibunt*,

27 quia putat non dari maleficium perpetuum, quin saltem per authorem tolli nequeat, & quia in *c.cit.* additur, separatione sequuta, & possibilitate coeundi habita, non teneri separatos ad prius matrimoniū redire, quamuis secundum contraxerint; propterea dicit *Syl.v.matrimonium 8.circa finem ex D.Tho. Ricc. & alijs illud c. non tenere*, & fuisse correctum *per d.c.fraternitatis*, quod tamen (cum pace) verum non est, quia iste tex. loquitur de arctitudine mulieris impossibilis ad cognoscendum sine miraculo, quod est impedimentum naturale, non autem de maleficiatis, quod est accidentale, & ideo dicendum est *d.c.si per fortiarias*, vim legis non habere, cum sit compositum à quodam Archiepiscopo, non habente potestatem legis condendæ, quem dicit eadem Gl. fuisse ignarum, licet eam reprehendat *cit.Capel.n. 3.* dicens non posse leges canonicas corrigi per Glos.

28 Qua de re placet mihi doctrina eiusdē Syl. relati ita distinguentis, quod aut maleficium est perpetuum, & matrimoniū fuit contractum per verba de præsenti, sed non consummatum, & dirimitur; aut est temporale, vel etiam perpetuum, sed superueniens post consummatum matrimonium, & non dirimitur, imò si fuerit separatum, & contractum secundum, tenentur coniuges redire ad primum. Si verò

29 maleficium erat particulare respectu vnius feminæ, & non alterius, qua de causa non erat consummatum matrimonium, sed fuit solutum, & ad secundum deuentum, & non fit reditus ad primum, licet coeatur cum secunda, quia illud existimatur inualidum, concordant *Sanch. hoc tit. lib.*

lib.7. disp.99. n. 22. vsque ad 25. Tol. lib. 7. c.12. in fine. Cappel.cit. vbi n.5. ex Host. Archid. & alys, addit maleficium dici perpetuum, quando vir, & vxor per triennium simul cohabitarunt, operam studiosè dando copulæ carnali, & impedimentum non cessauit, & quod in dubio præsumitur impedimentum præcessisse matrimonium, antequam tũ separatio fiat in quocunque casu, expectandum est triennium, continuando probationes prædictas, si fortè maleficium soluatur per orationes, &c. prædicta, vt docet etiam *Sanch. d.n.25.* vide *Franc. Marc. decis.677. par. 2. & Ricc. collect.222. in fine.*

30 Spadones dicuntur, quibus genitalia fuerunt abscissa spatha, vel cultello, qui generare non possunt *§. sed & illud, vbi Gl. v. spadones instit. de adopt. sed in l. si serua §. si spadoni de iure dot.* (vbi etiam Gl. quę vult spadonem posse dici, cui vnum de genitalibus fuit abscissum) videtur statutum posse tales matrimonium contrahere, & propterea si generaliter sumantur, comprehenduntur sub hoc nomine, tàm isti, quam ij, qui sine genitalibus nati sunt, qui dicuntur etiam castrati, quasi castè nati, vt legitur *in l. spadonum, ff. de verb. signif.* sed propriè loquendo spadones dicuntur, quibus vtrumque genitale abscisum est, & inhabiles omninò sunt ad generandum, vt probatur *in l.3. §. qui hominem, & l.4. §. 1. & 2. ff. ad l. Cornel. de sicar.* qui nubere non possunt, vt infra.

31 Puniuntur autem capitali pœna, tàm qui spadones fecerunt, etiam si esset medicus, (nisi causa curationis) quam ipsimet, qui se castrauerũt *l. 1. & 2. C. de Eunuch. Gl. in d. l.4. in princ. P. Dia. p.6. tract.6. resol.35.* (vbi aliquos *DD.* adducit, sed nullam ex dictis ll. citat.) dicit, hoc non licere, sed non loquitur de pœna, pro eodem autẽ sumuntur etiam eunuchi, vt in iuribus prędictis, & docet *Gl. in d. § sed & illud*, hos ergo omnes, si penitus euirati sint, cõstat matrimonia contrahere non posse *ex Bulla Sixti 5. edita anno* 1587. & si de facto contrahant, siue scientibus, siue ignorantibus mulieribus, irritantur *Henriq. lib. 12. cap.8. n.1.* vbi addit etiam si virgam erigant, & semen quoddam, seu humorem semini similem, sed inproficuũ ad generationem effundant, *Summa Dian. v. impedimenta matrim. n.* 20. secus dicen-
32 dum de eunuchis habentibus vnum testem, qui apti sunt ad generandum; & propterea validè contrahunt *d. l. si serua §. si spadoni, vbi Gl. v. qui castratus*, *Sanch. hoc tit. lib.7. disp.92. n.14. Filliuc. tract.10. par.2. cap.3. quæst.5. n.76. Regin. lib.31. sub n.* 102.

33 Septimo dissoluuntur sponsalia de futuro per defectum ætatis vtriusque, vel alterius ex sponsis; etenim possunt contrahi sponsalia septemnio completo, sed adueniente pubertate, si ambo non consenserint, non firmantur, (nisi fuerint iuramento roborata *c. ex litteris* 10. *de sponsal.* quo casu neque omnino coguntur ad matrimonium contrahendum, vt ibidem dicit Gl. v. compellas in fine, & dictum est latè in priori resol. n.24, vbi n.16. dictum etiam est, quãdo fiunt à maioribus, quod neque possint cogi per censuras ad omnino contrahendum, sed tantùm moneri) & iudicio Ecclesiæ separantur *c. de illis 7. de desponsat. impub.*, etiam si pluries nisi fuerint carnaliter se cognoscere *c. attestationes eod. tit.* (nisi quando fuerint proximi pubertati, carnalis commixtio realiter interuenerit, malitia ætatem supplente *c. à nobis eod. tit.* & faciunt à fortiori dicta in priori resol. in fine) sed ante pubertatem non permittitur discedere à sponsalibus *d. c. de illis, vbi Gl. v. illatenus* rationem assignat, nempe propter fragilitatem ætatis, licet *Bonac. de sponsal. qu.1. pun.6. n.1.* dicat, ne st. tales impuberes passim contraherent sponsalia, & ab illis resilirent. Nec
34 placet, quod subdit debere sponsos infra tres dies post pubertatis aduẽtum resilire, aliàs non posse amplius, quod nullo iure probatur; minus placet, quod idem dicit, facto st. vno ex sponsis pubere, posse dissoluere sponsalia facta ante pubertatem, nec teneri expectare pubertatem alterius, citat multos, & præcipuè *Regin. lib.31. n.261.* qui potius dicit contrarium, quod est verius, & probatur *in d. c. de illis 7.* prout etiam docent *Nal. v. sponsalia n.1. Henriq. lib.11. cap.14. n.7. Sanch. lib.1. disp. 51. nu.10. Filliuc. tract. 10. cap.8. quæst. 4. num.276.*

35 Octauo dissoluuntur per lapsum termini appositi in sponsal. de contrahendo matrimo. si modo non stetit per illum, qui petit solui ab eis, ne contraherentur *c. sicut de sponsal. & ibi Anton. de Butr. quem refert, & sequitur Syl. v. sponsalia sub nu.10. Valent. tom.4. disp.10. q.2. pun.5. Menoch. de arbitrar. lib.2. centur.5. n.8. Coninc. disp.23.*

dub.

dub.6.n.46.hoc tit. quicquid in contrarium dicat *Sanch. lib. 1. disp.53. hoc tit.* quando terminus fuit appositus ad solicitandam obligationem, non ad limitandam, quod probare conatur *ex l.celsus 27. §.1.de arbit.* quæ loquitur de termino apposito solutio. ni pecuniæ, proinde non potest inferri ad spósalia; eo magis cũ habeamus *tex.canon. expressum, vt sup.*& dũ agitur de materijs attinentibus ad forum ecclesiasticum dicit *Sanfel.decis.245.sub n.1.*quod ius ciuile an. cillatur iuri canonico. Adde quod regu-
36 lariter loquendo omnes termini sunt peremptorij, curruntque de momento ad momentum, vt docet *Gl.in l.3.§.minorem de minor. & late probat Afflict.decis.73. n.7.* quod si nullus terminus fuit præfixus, & nihilominus vnus ex eis adimplere requisitus promissionem per celebrationẽ matrimonij, recusef,etiam dissoluuntur, nisi esset modica dilatio, vel etiam aliquatenus longa, sed causata ex impotentia, *Coninch. cit.n.43. idem Sanch.lib.1.disp. 28. n.2. Bonac.vbi supra n. 7.*

37 Nono dissoluuntur per discessum vnius ex sponsis in longinquum absque licẽtia alterius, quamuis facta essent sponsalia cum iuramento *c.de illis 5. de sponsal.* si tamen cum licentia discessisset, expectãdus esset vsque ad tempus concessum, *Sanch. lib.1. disp.54 n.13. Henriq. lib.11.c. 14.n.5. Menoch.cit.lib.2.centur.5.casu455.n. 7.Regin.lib.31.sub n.261.* sed Ius ciuile est in hoc diuersum,quia quãdo aliud nõ fuit conuentum,si absentia est intra Prouinciã, expectatur biennium; si extra,triennium, quo tempore elapso,liberum est alteri spõso ad alia sponsalia transire,& restituuntur etiam arrhæ, si datæ essent *l.2. C. de sponsal.& arrhis, & l.liberum est C.de repud.* An autem istæ leges sint correctæ per ius canonicum relatum, disputat latè *Sanch.cit. à n.1.vsque ad 5.*vbi affert multos DD.pro negatiuã, sed *n. 6.* pro affirmatiua,quam, probabiliorem appellat, & ista videtur in praxi recepta, etiam si sponsalia essent iurata, vt *in d.c.de illis*, sed hoc est intelligendum secundum eundem ibidem *nu. 10.*si realiter discessus sit in longinquũ,nec adsit spes de proximo reditu, quod est etiam de mente *D.Tho.in 4.dist.27.q.2.ar. 4.ad 2.*

38 Decimo dissoluuntur per fornicationẽ sponsæ,etiam si iuramento fuissent firmata, nisi fornicatio præcessisset sponsalia, &
nota fuisset sponso *c. quemadmodum, & ibi Gl. v.præcedentem de iure iur.* idem procedere in fornicatione sponsi dicit Abb. ibidem n.4. quod non puto verum,vt statim dicam, sponsa tamen potest iure reijci, non solùm per fornicationem sequentem, sed etiam per oscula, aut amplexus lasciuos, licet inuita fuisset talia passa, *Nauar.in summa cap.22. sub n.27.Sanch.lib. 1.disp.55.n.7. Coninc.disp.23. dub. 7. & nu. 56.Henriq. lib.11.cap.14. n.6. Menoch.cit.n. 5.* Addit Nauarr. ibidem etiam per fornicationem sponsæ præcedentem,quæ ignorabatur tempore contracti sponsalitij, & postea antequam matrimonium contraheretur, innotuit, esseque communem opinionem; quod verum est; vide *Henriq. cit. sub d.n.6.*quod si vterq. fornicationem commisit, non potest cogi sponsus ad matrimoniũ contrahendum,quia satis dispar est dedecus, quod ex fornicatione infertur sponsæ, quàm sponso, vt aduertunt *Sanch.cit.n.8. Regin.n.262. & aly communiter*: vnde inconsequenter dixit *Bonac. cit. pun. 8. nu. 6.* neutrum posse in tali casu à sponsalibus resilire.

39 Vndecimo dissoluuntur per lapsum alterius in hæresim, quæ dicitur fornicatio spiritualis *Sanch. vbi supra disp.55. n.3.* dicens hoc ab omnibus admitti *Regin.d.n. 262.*imò ait *Bonac.n.7.*abstinendum esse à talibus sponsalibus, cum sit mortale, matrimonium contrahere cum sponso, vel sponsa hæreticis (de quo vide infra resol. 108.n.5.) & pro regula generali tenendũ est,quoties post contracta sponsalia de fu-
40 turo, etiam cum iuramento, superuenit talis mutatio status vni ex sponsis, quæ si tempore contractus extitisset,minimè gesta fuissent, cessare contrahendi obligationem; probatur per illud axioma, vniuersale traditum *in l. cum quis 38.de solut.* quod extollit Merlin. centur.2.c.11.n. 1. in omni sc. contractu semper intelligi appositam clausulam, licet non apponatur, *rebus in eodem statu permanentibus.* Promissio enim præcipuè in hoc casu non extenditur vltra intentionem promittentis,qui censetur eam non habuisse in casu notabilis mutationis superuenientis, *Angel.v.sponsalia n.22.Sylu.eod.n.10.& clarius Sanch. lib. 1. hoc tit. disp. 57. cum pluribus sequent. Regin. sub num. 263. Bonac. cit. nu. 8.* quod etiam probatur *in d. c.quemadmo-*
41 *dum*, vbi Pontifex multos enumerat casus

41 sus sub his verbis; *quod si post huiusmodi iuramentum mulier fieret non solùm leprosa, sed etiam paralytica, vel oculos, aut nasum amitteret, seu quicquam ei turpius eueniret.*

42 Ex quibus *Sanch.d.disp.57.nu.1.* infert ad alios, nempè, si mulier ex pulchra, turpis notabiliter euaderet *Eman. Sà v. sponsalia nu.7.* idem propter notabilem paupertatẽ superuenientem DD.relati cũ *eod.Sanch.cit. disp. 59.n.1. Ricc.d.resol. 232.vbi post n. 4.* addit tres alios casus, capitale st.odiũ superueniẽs inter sponsos, de quo idẽ *Sãch. vbi supra disp.58.* timorẽ exhæredationis à parentibus, & suspicionem morbi gallici; & ex his potest iure inferri ad casus similes iuxta documentum Iure consulti *in l. non possunt ff.de ll.* & fortiùs ad maiores *auth. multo magis C.de sacr.sanct.Eccles.*

43 Addo tandem alium casum, vt quando fuerunt contracta spõsalia per dolum, qui duplici modo considerari potest; aut enim dolus dedit causam contractui, vt exemplificat I.C. *in l. & eleganter ff.de dolo* in vẽditione, quando quis hoc ipso, vt venderet, circumscriptus est, aliàs non esset vẽditurus *Gl.ibidem v. hoc ipso* contractus est nullus, quia dicit *Bart. ibidem n.6.* deficit consensus, qui est substantialis; etenim videtur venditor consentire sub quadam conditione, si verum est illud, propter quod inducitur ad contrahendum; quod cum verum non sit, deficit consensus, & consequenter contractus est ipso iure nullus, quod ait procedere in omnibus contractibus bonæ fidei. Cum ergo talis sit contractus sponsalium *§.fuerat instit.de action.* consequenter etiam nullus erit ex tali dolo, dante causã contractui; In cõtra-
44 ctibus autem stricti iuris, vt sunt omnes alij præter enumeratos *in §.actionum instit. eod.tit,* licet quis inducatur per dolum ad contrahendum, valet tamen contractus ipso iure, sed rescinditur per actionem de dolo, vel per doli exceptionem in totum, vel ad resarciendum damnum *l. dolo C. de inutil stipul.* rationem differentiæ assignat *Bart.cit.* quia st, quamuis hic etiam videatur contrahere sub conditione, quæ codẽ modo deficit, ista tamen conditio de stricto iure non attenditur, quod iterum dicit *in l.cit.§.non solum n.2.*

45 Aut secundo dolus non dedit causam contractui, sed incidit in contractum; quod duobus modis contingere potest, primo quando quis dolo non obstante esset contracturus, puta empturus rem, sed tanti minoris, & tunc contractus valet, sed rescinditur per actionem ex vendito ad resarciendum damnum *l.Iulianus §.per contrarium de action. empti, et l. si quis affirmauerit ff. de dolo, vbi Gl. v. sufficiat* dat exemplum relatum *Sanch. hoc tit. lib. 7. disp.18. n.4. in fine*; Secundo si dolus fuit adhibitus à tertio sine scitu contrahentiũ, vt in exemplo *d.l.& eleganter 2. responso, §.* st. seruus persuasit dominum, vt eum vẽderet cum peculio tanti minoris, vt habetur etiam *in l.palam §. sequitur ff. de dolo,& met.except. & in l.2. vbi Gl.v.si dolo malo C. de fideiussor. minor.* & eodem modo contractus valet, sed rescinditur vt in priori casu iuxta l.l. cit.

46 Et consequenter in istis duobus casibus, non est differentia inter contractus bonæ fidei, & stricti iuris: rationem quare iste dolus incidens numquam reddit contractum nullum, assignat *Bal. in l.arbitrio n. 7. ff. de dolo*, quia st. in tali contractũ non committitur dolus simpliciter, sed secundum quid, & sic contractus non vitiatur, & consequenter sponsalia, contracta per dolum non dantem causam cõtractui, sed incidentem, sunt valida, sed rescinduntur ad resarciendum damnum ex tali dolo ortum, quando st. fuerunt contracta cum muliere existimata pulchra nimis, vel eximia artifice, propter quod fuit promissa modica dos: quod si agatur de damno irreparabili, veluti attinente ad honorem sponsæ, tunc rescinduntur in totum vt supra *n.38.Sanch.lib.1.hoc tit.disp. 64.n.5. Rosella v.dolus n.1. Angel. eod.nu.9. Tabie.eod.q.7. n.8.Armilla n.6.Sylu.v.culpa q.5. P.Molin. tom.2.de iustit.& iur. tract.2.*
47 *disp.352.post initium.* Ex quibus rectè infertur, non oriri impedimentum publicæ honestatis iustitiæ ex sponsalibus contractis per dolum illis causam dantem, vt in primo exemplo, quia nulla sunt ipso iure, & consequenter poterit sponsus liberè contrahere matrimonium cum matre, vel sorore prioris sponsæ, iuxta dispositã *in Trid.sess.24.cap.3.hoc tit.* secus de sponsalibus per dolum incidentem contractis, vt in secundo, & tertio exemplo *Bonac.de sponsal. qu.1.pun.9. nu.4. & 5. ex Guttier. & alijs.*

48 Dubitatum tamen fuit apud DD, an possit in sponsalibus apponi pœna, ex soluẽda à reuuente contrahere matrimonium

cum

cum non negetur amitti arrhas traditas tempore sponsalium à nolente contrahere, & etiam cogi ipsum recipientem ad eas restituendũ duplicatas, si similiter contrahere recusét, *l. mulier C. de sponsal.* ergo videtur licitum esse, etiam pœnam apponere, & exigere, cum talis arrharum amissio sit species pœnæ; Contrarium tamẽ reperitur decisum, *in l. Titia de verb. obligat. & in c. gemma de sponsal. vbi Gl. finalis*, dicit rationem differentiæ esse, quia arrha est res fauorabilis, sicuti & matrimonium, & ideo arrha potest esse in matrimonio, pœna verò non, quia est res odiosa. Repu-
49 gnat n. libertati matrimonij pœnas apponere *Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 7. qu. 10. n. 263. Nald. v. sponsalia n. 10. Sanch. hoc tit. lib. 1. disp. 30. n. 1.* qui tamen non negãt, posse pœnam apponi ab extraneis, cum cesset impedimentum libertatis matrimonij; & hoc dicit *Sanch. cit. n. 5.* concedi ab vniuersis, sed est intelligendum de penitus extraneis, non autem de fratribus, vel sororibus, aut coniunctis contrahentium, qui legaliter loquendo veniunt appellatione extraneorum, & tamen non tenentur ad pœnam iuxta DD. citat.

Agitur de materia, & forma Sacramenti matrimonij, eiusque ministro.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonij materia, & forma quæ sint? referũtur multæ DD. opiniones n. 2. & 3. Quis sit eius minister? n. 5. Parochi verba pertinent ad illorum perfectionem accidentalem, non autem substantialem, & ideò nõ sunt necessaria n. 6. Sine eius præsentia, & testium non solùm hodie est nullum, sed sic contrahentes peccant mortaliter, & sunt grauiter puniendi. n. 7. & 8. Contractum coram Parocho, licet excommunicato schismatico, suspenso, vel irregulari, aut etiam per vim, & dolum adducto ad interueniendum, validum est, nec obstat prohibitio ordinarij, si tamen assistat. nu. 9. vsque ad finẽ.*

Resolutio CVII.

1 Circa primum *Regin. lib. 31. n. 42.* refert sex DD. sententias diuersas, quarum vltimã alijs reiectis ipse defendit, consẽsus st. vtriusque cõiugis, verbis expressos, aut alijs signis, esse materiam, & formam citat *Suar. in 3. par. D. Thom. disp. 2. sect. 1. tom. 3. Sanch. & Belarm. Nauar. autem in man. cap. 22. nu. 20.* dicit diuersa de hoc sensisse etiam antiquos; ipse verò vult cõsensum contrahentium esse materiam, formam autem verba, aut alia signa eorun-
2 dem. Multas aliorum sententias diuersas refert *Boniac. de nat. & propr. matrim. q. 2. pun. 4. n. 4.* ipse verò vult mutuam corporum traditionem esse materiam, ipsam autem acceptationem vtriusque cõiugis esse formam; eo quod per acceptationem perficiatur matrimonium, citat eosdem *Suar. Sanch. Guttier. Regin. & alios P. Dian. par. 3. tract. 4. resol. 251.* recitat alias quinque DD. opiniones, etiam diuersas, quarum quartam ipse retinet, verba st. contrahentium esse sibi mutuo materiam, & formã; qua enim matrimonij contractum inchoãt (ait ipse) & offerunt, materiæ rationẽ obtinẽt; qua verò eundem acceptant, perficiunt, & complent, formæ rationem habent, citat eosdem *Suar. Sanch. Coninc. de Sacram. disp. 34. dub. 3. n. 32. & 33. cum Villalob. in summa tract. 13. diffic. 6. n. 2.* Ego
3 verò sequor opinionem *Layman in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. par. 2. cap. 2. n. 3. ex Palud. in 4. dist. 26. q. 4. ar. 3. ad 2. Adr. ibidem de matr. q. 1. Petr. Sot. lect. 4. eod. tit. Couar. in Epit. p. 2. c. 1. §. vn. n. 8.* qui docent materiam esse coniugum corpora mutuo tradenda, formã autem, verba coniugum contrahentium, Concordat *Sylu. hoc tit. 1. n. 1. versic. est autem Sacramentum*, vterque tamen bonis rationibus dicta comprobat, quas apud eos perquiras, ne aliorum laboribus induar. Sed vide in fine declarationes S. Congreg. ex quibus dicta supra, & infra confirmantur.
4 Ad secundum respondetur receptissimã esse DD. sententiam statim citandorum, quod minister huius Sacramenti, sint ipsi matrimonium contrahentes, quod tunc fit, quando alter, alteri exprimendo suum consensum, ad interrogationem sacerdotis, vel absque interrogatione in præsentia tamen illius, & testium dicit, ego te accipio in meam vxorem, vel in meum virũ; *Syluius autem in 3. par. D. Tho. q. 42. art. 2.* docet ex multis DD. & rationibus, esse Parochum, quia ex *Trid. sess. 24. cap. 1. hoc tit.* mandatur Parocho, quod post expli-

plicitum contrahentium mutuum consensum, ipse subdat, videlicet, *& ego vos in matrimonium coniungo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, per quæ verba datur intelligi ipsum sacerdotem, non autem contrahentes esse causam efficientem cõiugum coniunctionis, seu matrimonij.

5 Sed hoc (cum pace) ex subscriptis verum non est; ait n. *Sanch. lib. 2. hoc tit. disp. 6. in fine*, illorum verborum sensum esse, ego vos coniunctos esse declaro, seu approbo coniunctionem vestram; siquidem illa præsentia Parochi requiritur ad euitandam clandestinitatem, cum qua quis olim contrahebat cum vna, & postea palã cum altera, vt exprimitur in *Trid. cit. c. 1.* vbi etiam legitur matrimonia clandestina ante Trid. fuisse vera matrimonia, & tñ in illis non interueniebat Parochus, sed soli cõiuges contrahẽtes; nec hodie sunt necessaria verba Parochi, sed solum eius presentia, etiam coacta, vt infra. Et tandem quia dum de necessitate debent proferri verba aliqua pro forma, vt Sacramentum conficiatur, & hæc etiam necessariò proferuntur à coniugibus ad exprimendum eorum consensum, meritò ipsi sunt minister, ex quibus, & alijs hoc etiam docent *Henriq. lib. 11. cap. 2. n. 7. Filliuc. tract. 10. p. 1. cap. 1. q. 9. n. 19. ex D. Tho. & Bellarm. ibi relatis. Regin. lib. 31. n. 54. aliјque apud eundem Dia. par. 3. tract. 4. resol. 254.* vnde *Suar. disp. 16. tom. 1. de Sacram. sect. 1.* rectè do-

6 cet prædicta verba Parochi pertinere ad perfectionem accidentalem, non autem substantialem, quatenus Trident. mandauit eius assistentiam ad tollendam clandestinitatem, ex qua olim multa mala oriebantur, & hoc sub pœna nullitatis.

7 Qua propter matrimonium contractũ hodie sine præsentia Parochi, & duorum, vel trium testium est inualidum iuxta idẽ Tridẽn. & peccant mortaliter contrahentes, vti agentes contra prohibitionem Ecclesiæ in re tam graui, & quia irritum faciunt Sacramentum, vt dicunt DD. citati, & alij communiter; non tamen est nullum, si omissis denunciationibus solitis, & in Trid. ordinatis, coram Parocho, & testibus contrahatur, sed est mortale illas sine causa ab Ordinario approbata omittere *Nau. in man. c. 17. n. 36. ex Caiet. to. 1. opusc. opusc. 12. q. 2. Filliuc. vbi supra num. 137. Coninc. disp. 27. num. 49. & 51, Regin. lib. 31. num. 223.*

8 Imò si post contractum matrimonium absque denunciationibus, fuerit etiam consummatum, grauiori supplicio esse puniendos contrahentes scribit ex Salzedo, & alijs *Ricc. resol. 257.* vbi praxis illas faciendi cum *decis. Caualcan. 28. lib. 1.* suf-

9 ficit autem præsentia Parochi, etiam publici excommunicati, vel schismatici, hæretici, vel quomodocumque impediti pro validitate matrimonij *Henriq. lib. 11. cap. 3. n. 4. Coninch. dub. 21. n. 24. Regin. n. 177.* imò non obstaret prohibitio Ordinarij, ne Parochus interueniat, si cum effectu assistat *Ledesma de matrim. q. 45. art. 5. versic. quo proposito fundamento, Sayr. decis. 13. Ricc. resol. 243. n. 2.* vbi ita refert declarasse Sac. Congreg. imo, & quod magis est, sufficit præsẽtia Parochi dolosè adducti, & renuentis, vel ẽt cõpulsi, aut per vim, & metũ assistentis, vt ex quãplurimis DD. testatur idẽ *Ricc. cit. n. 3. & 4.* & ita ẽt in hoc casu declarasse eadẽ S. Cõgr. sunt aliæ declarationes *in Trid. sess. 24. sub c. 1.* apud referentes easdem declarationes n. 6. videlicet, *non pertinet ad substantiam matrimonij, vt Parochus aliqua verba proferat, ideo valet matrimonium, quamuis verba exprimentia consensum, prolata sint tantùm a contrahentibus*

10 *dummodo* Parochus sit præsens, & intelligat *id, quod agitur licet dissentiat, & contradicat, adhibitus verò Parochus, intelligitur etiã si ex alia causa principaliter esset vocatus, dummodo sit adhibitus, etiam ad illum actum.* Sequitur postea alia declaratio eiusdem S. Congreg. ibidem versic. quod si Parochus, videlicet, *quod si Parochus adfuisset, nihil tamen eorum, quæ agebantur, vidit, vel audiuit Congregatio respondit matrimonium non valere, nisi ipse Parochus affectasset non intelligere, quod si Parochus nullo modo interueniat, licet interuenerint testes, non solùm est matrimonium nullum, sed nec valet vti sponsalia de futuro, vt ibidem declaratur in vers. matrimonium contractum & tandem sub nu. 10. adest alia declaratio. videlicet etiam prohibitione facta ab Ordinario, ne Parochus matrimonio coniugat aliquos, non ita tollitur, seu suspenditur iurisdictio Parochi, vt ad celebrandum matrimoniũ non sit legitimus Parochus, matrimoniumque coram eo contractum nullum sit, sed matrimoniũ valet, & si hac prohibitio facta sit non ipsi Rectori principali, sed eius Vicario, qui ad nutum Ordinarij amoueri potest matrimonium, in quo contra Ordinarij prohibitionem* Vi-

Vicarius iste interuenit Congregatio respondit validum esse.

Quæritur, stante quod matrimonium inter infideles, non est Sacramentum, nũ copula carnalis inter eos sit peccatum? & quid inter fidelem, & infidelem, vel catechumenum? & quid si post matrimonium venerint ad Ecclesiam per baptismum?

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium inter infideles non est Sacramentum, sed an copula carnalis inter eos in ratione matrimonij sit peccatum?*

2 *Iudæi seruientes, vel cum illis habitantes, & conuersantes sunt excommunicandi.*

3 *Matrimonium inter fidelem, & infidelem, non solùm non est Sacramentum, sed est nullum. Inter fidelem, & catechumenã an sit Sacramentum? & quid si contraherent cum dispensatione Pontificis? n. 4. Cum fideli hæretica, vel schismatica valet etiam vt Sacramentum, sed cum peccato n. 5. Inter infideles, si fidem suscipiant per baptismum, an transeãt in Sacramentum? n. 6.*

Resolutio CVIII.

1 AD primum respondetur, non esse dubium, quod inter infideles non sit sacramentum, *Sanch. lib. 2. hoc tit. disp. 8. n. 1. vbi ẽt respondet c. gaudemus de diuort.* quod large, & impropriè ibi appelletur Sacramentum; ratio est, quia cum ipsi careant baptismo, qui est ianua omniũ Sacramentorum, nec possunt matrimonij Sacramentum recipere, de quo non dubitatur, cum tamen sit quidam contractus, deseruiens in officium, & humanæ naturæ conseruationem, concupiscentiæque remedium, non esse peccatũ, *docent D. Tho. in 4. dist. 39. art. 2. ad 5. Sot. Ledesma, Sanch. & alij apud Bonac. hoc tit. q. 2. pun. 2. n. 2. sed probatur in c. numquid 28. q. 1.* ab illis non cit. Dubitari tamen posset, an sit sacramẽtum, si vnus sit fidelis, alter infidelis, sed quia hoc hodie contingere non potest, stante *Trid. sess. 24. cap. 1. hoc tit.* declarante nullum matrimonium sine præsentia Parochi, qui non potest assistere, nec benedicere tales sponsos, aliàs esset excommu-2 nicandus, sicuti omnes cum illis habitantes, aut seruientes *c. Iudæi, c. ita quorumdã, & toto fere tit. de Iudæis*, ideò frustratoria est disputatio; sed si de facto assisteret, nõ esse Sacramentũ neq; ex parte fidelis, quia matrimonium in vtroque coniuge, est vnicũ sacramentum, docent *Henriq. lib. 11. cap. 2. in fine, & latius lib. 12. cap. 13. n. 3. ex Magistr. sent. D. Thom. & penè innumeris, & magnis DD. Sanch. cum recentioribus lib. 2. hoc tit. disp. 8. n. 2.* vbi hoc extendit etiam si accederet dispensatio Pontificis, quæ tamen operaretur, vt tale matrimonium diceretur legitimum iuxta eundem *Sanch. relatum infra resol. 117. n. 3.* Præcisa tamen 3 dispẽsatione esse absque controuersia nullum legitur in *c. caue vbi Gl. v. aliena n. 28. q. 1. Magist. sent. in 4. dist. 39. in princ. D. Thom. ibidem q. 1. art. 1. Nauar. in man. c. 22. nu. 48.* quod etiam ex vniuersali, & recepta consuetudine Ecclesiæ docet *Henriq. cit. d. n. 3. in fine, vbi in litt. S. hoc probat ex Concil. Triburi. c. 39. Tolet. 3. cap. 14. Agath. cap. 67. Aurel. 2. cap. 18. Arabic. cap. 53. 67. & 68.* Factamque fuisse hanc prohibitionem in generali Concilio Nicæno, & hanc esse communem Theologorum opinionem, nempe *Scot. Caiet. Couarr. Duran. & aliorum ibidem. Sanch. lib. 7. hoc. tit. disp. 71. n. 1.* & consequenter mortale esse ex parte fidelis, vti operantis in re tam graui contra consuetudinem Ecclesiæ, totque eius Concilia.

4 Sed maius dubium est, si contraheretur matrimonium inter fidelem, & catechumenam, cum dispensatione Pontificis, an sit Sacramentum saltem ex parte fidelis illud recipere volentis? *Sot. cit. cum Vasq. & alijs apud Bonac. qu. 2. pun. 2. num. 3.* tuentur affirmatiuam, quia fidelis est capax sacramenti; & obex, qui posset esse ex parte catechumenæ, est sublatus per Pontificem, Quod vlterius probatur, quia si duo fideles contrahant matrimonium, & vnus ipsorum habeat intentionem non recipiendi sacramentum; verè illud non recipit, quod est generale de omnibus sacramentis, vt suis locis diximus, alter verò, qui contrariam intentionem habet, illud recipit, cum nihil obstet secundum relatos DD. & *Bonac. d. n. 3.* His tamen non obstantibus, nec esse matrimonium verum docet *D. Tho. d. dist. 39. art. 1. ad 5. in fine*, imo nullum esse dicit *Henriq. cit. versic. tandem*, sed hoc est intelligendum absque dispensatione, vt dictum est in priori casu;

fu;ad idē *Filli.tr.10.par.1.q.9.c.t.sub n.19.*

5 Matrimonium autem cum fideli hæretica, vel schismatica valet, & est sacramentum, sed cum peccato ex parte vtriusque, præcisa dispensatione Pontificis, *D. Tho. vbi supra. Nauar.cit.n.49.in fine.* hácque pro verissima sententia docet *Sanch. lib.7. hoc tit. disp.72. n.2. ex Albert. Magno D. Bonau. alijsque quamplurimis antiquis, & modernis, & addit n.5.* etiam sine peccato contrahi in Germania, Gallia, Polonia, vbi catholici cum hæreticis, & similibus permixtim viuunt ex consuetudine recepta, & tolerata, dummodo liberè permittatur catholicis in fide permanere & absque peruersionis periculo *P. Dia.par.3. tr.4.resol.269.* vt etiam infra resol.117. dicetur.

6 Rursus dubitatur an matrimonium infidelium, si baptismum suscipiant, fiat sacramentum? *Sanch.to.1.eod.tit. lib.2. disp. 9.n.5.ex D.Tho. & alys Guttier. hoc tit. cap. 42.n. 5.* respondent affirmatiuè, & quod gratiam recipiant, quando baptizantur; *Bonac.tamen hoc eod.tit.q.2.pun.2.num.5. ex Henriq. Filliuc. & alys* vult tunc confici sacramentum, quando noui consensus ipsorum coniugum interueniunt, vel præcedentes rati habentur per aliqua signa externa, sc. per verba, vel nutus, aut copulā carnalē; quia non subsistit sacramētū absq; materia, & forma, sed matrimoniū est sacramentū distinctū à baptismo, ergo nō sufficit materia, & forma baptismi, nisi adhibeatur materia etiam, & forma sacramenti matrimonij, quæ sunt consensus aliquo modo expliciti, sed *Dia. par.3. tract. 4.resol.253. §.fin.* vult matrimonium inter infideles non posse fieri sacramentum, licet postea baptizentur. Hæc tamen opinio non videtur mihi tuta, *ex c. gaudemus de de diuort.* priores autem ambo probabiles ex rationibus & DD. apud eos.

Vtrum matrimonium inter absentes per Nuncium, vel Procuratorem, aut litteras valeat? an etiam requiratur præsentia Parochi, & quid si fuerit contractum per vim, & metum, vel sub conditione?

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium inter absentes validè conficitur per Nuncium, & quale fuerit primum ita contractum? Si est contrahendum per procuratorem, requiritur mandatum speciale, nec potest talis procurator substituere, nisi hoc etiam specialiter ei concedatur.n.2.*

3 *Mulier an possit esse procuratrix pro viro ad contrahendum matrimonium?*

4 *Matrimonium potest contrahi inter absenter per Nuncium, vel Epistolam, & quomodo hoc agatur? Omissis denunciaciationibus à Trident. requisitis, validum est, si interueniant Parochus, & testes. n. 5. & 9. Quando ita contrahitur; quibus verbis confici debeat? & quid quando fiunt sponsalia?nu.6.*

7 *Mandatum factum ad contrahendum matrimonium, vel sponsalia, si reuocetur ante contractum, & mandatarius interim contraxit, licet ipse de reuocatione notitiam non habuerit, inualidè contraxit, secus si reuocatio fiat post contractū, contra in cateris mandatis.n. 8.*

10 *Matrimonium contractum per vim, & metum, licet in præsentia Parochi, est nullum, validatur tamen, si postea accedat liber consensus, sed an iterum sit necessaria præsentia* Parochi, *& testium? & n.11.quando fuit nullū ex aliquo impedimēto dirimēte, quod vnus ex cōiugibus tantum sciebat, quomodo validetur, & quid quando vterque sciebat? nu. 12. & 13.*

14 *Conditio (si) vel (cum) eundem effectū habet.*

15 *Contractus sub modo, vel cum demonstratione, vel cum causa, per quæ verba fiant? & quando contractus inter viuos, vel dispositiones causa mortis taliter, vel cum conditione facta valeant? n.16. vsque ad finem.*

19 *Conditiones quæ sint turpes, quæ honestæ, quæ potestatiuæ quæ mixtæ, & quæ ex his infirment generaliter contractus, & legata, vel non?*

20 *Matrimonium contractum sub modo, vel cum demonstratione, vel cum causa, siue veris, siue falsis, quando sit validum, vel non? & nu. 21. Contractum cum serua, quæ putabatur libera est inualidum. n.22.*

27 *Sponsalia non obstante* Trident. *possunt contrahi, etiam hodie sub condit. honesta.*

Re-

Reſolutio CIX.

1 AD primum reſpondetur affirmatiuè ex lib. Geneſis cap. 24. vbi legitur miſſum fuiſſe Eliezer ſeruum Habrahæ in Meſopotamiam à Domino ſuo ad accipiendam vxorem Iſaac, quæ fuit Rebecca de domo Batuelis, quod etiam legitur *in c.honorantur vbi Gl. v. conſulitur 32. qu. 2.* & hoc creditur fuiſſe primum matrimonium contractum per Nuncium, meminitque de eo *Sylu. v.matrimonium 5. nu. 9.* ſicuti poteſt ēt contrahi per Procuratorem *c.finali de procur. in 6.l. ſufficit de ſponſal.* ratio eſt, quia prout eſt contractus, poteſt confici per procuratorem, ſicut omnes alij *Henriq.lib.11. cap.2.n.2.ad finem, Coninc. diſp.24. dub.2.n.23. & dub.9.n.3. latè Sanch. hoc tit. lib.2.diſp.11. n.20. Filliuc. tract. 10. par.1.cap.1. q.10.nu.23.* Sed requiritur
2 ſpeciale mandatum *d. cap. fin.* generale n. ſicut in alijs negotijs non ſufficit *l. generale de ritu nupt.* neque poteſt procurator ſpecialis alium ſubſtituere, niſi etiam iſtud ſit ei ſpecialiter conceſſum *d.cap. final.* notat tamen *Bonac. de natur.& propr.matr.qu. 2.pun.5.n.2.* differentiam inter iſtum, & cætera ſacramenta, quia ſt. iſtud poteſt confici per procuratorem, reliqua minimè.

3 Item docet ibid.*n.1.* poſſe fieri mandatū ēt feminæ ad contrahendum matrimoniū pro viro, quod P. Dian. quoque admittit *par.3.tract.4. reſol.250. verſic.notandum ex Sylu io in 3.par.D.Tho.q.42. art.1. q.3.concl. 2. Pontio, & alys*; ſed hoc licet in particulari non reperiatur à iure prohibitum, in praxi tamen non videtur admittendum; etenim lex, cui ſe conformare tenetur homo, debet eſſe ſecundum naturam *c.erit au tem lex diſt.4.* porrò quaſi contra naturam videtur, vt duæ feminæ contrahant matrimonium, ſed ſi altera contrahat vti viri procuratrix; non propterea dico tale matrimonium ea de cauſa eſſe inualidum, ſed illicitè agere mandantem, & mandatariam, adeo quod Parochus puniri poſſit & peccet mortaliter, ſi duos mares, vel duas feminas in baptiſmo admittat pro patrinis *Summ.Dia.v.Patrinus ſub n.2.* quod corroboratur deciſ.Sac.Congr. in declarationibus Concilij *ſeſſ.24.de reform.matr.poſt cap.2. n.3. & 4. videlicet, Epiſcopus non poteſt concedere licentiam, vt duo viri, loco viri, & mulieris aliquem baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant, hinc eſt, quod vnus, qui ſit viri, & alter, qui ſit procurator mulieris, baptizatum de ſacro fonte ſuſcipere poſſint, ſed non duo viri, vel duæ mulieres, vnuſquiſque ſuo proprio nomine, non item vir loco mulieris, vel mulier loco viri, valet autem argumentū de vno ſacramento ad aliud ex D.Thom. in 4.diſt. 30. q.1. art.1.* ergo idem eſt in procuratore ad matrimoniū, & vlterius eadē ratio militat in vtroque caſu; ergo idem ius ſeruari debet *l. 3. §. proinde de in rem verſo §.pari ratione inſtit. quib.mod.ius patr. poteſt. ſoluitur Præſ. de Franch. deciſ. 489. num. 14.*

5 Poteſt itaque contrahi matrimoniū inter abſentes abſque mandato per nunciū, vt dictū eſt, vel epiſtolā, ſeu litteras priuatas; primo modo, ſi vir committat alicui ſuo confidenti voce, & ſpecialiter, vt ad talem locum ſe conferat, ibique cum tali nomine ſuo contrahat, vt fecit Abraham pro filio ſuo, vel ſecūdo modo ſi litteris miſſis à viro, & lectis ab vxore, vel corā ea, Parocho, & teſtibus. conſenſum ſuum præſtet per verba de præſenti, iam eſt contractū matrimonium; quorum præſentia requiritur, etiam in primo modo, vel quando fit per legitimum procuratorem, vt ſupra. *Sylu. cit. n.12.* aliàs eſt inualidum *ex Trid. hoc tit. ſeſſ. 24. cap.1.Henriq. etiam cit.nu.6. Filliuc. vbi ſupra, Sanch. n.23.Coninch.diſp. 24. dub.9. n.28. Villalob in ſumma tom.1.tr. 13. difficult.10. n.2. ſequitur P.Dia. d.reſol. 250.in fine.*

5 Quod enim dictum eſt in priori reſol. requiri præſentiam Parochi, & teſtium, quando principales contrahunt, aliàs nullum eſſe matrimonium; validum verò, licet cū mortale, quando abſq, denunciationibus, idem dicitur quando contrahitur per procuratorem, vel nuncium, aut epiſtolam Sanch. *hoc tit.lib. 2. diſp. 11. n. 18. vbi cæteri:* verba verò adhibenda à procuratore, contrahente matrimonium nomine alterius, ſcribunt *Sylu. v. matrimonium 5. n.14. ex Io.Andr. in c. Procurator de procur. lib.6.Henriq.lib.11.cap.2. Sanch. cit.nu. 16. & alÿ, & ſunt, videlicet.* Titius acci-
6 pit te in vxorem me mediante, cui vxor reſpondet, & ego te mediante accipio Titium in virum; quod ſi eſſent ſponſalia, dicetur à procuratore; promitto tibi de mandato Titij, quod ipſe te ducet in vxorem, & hoc in animam ſuam iuro; cui

puella respondet, & ego promitto tibi, & eidem Titio, quod ducam ipsum in virum, nisi per ipsum steterit; in matrimonio tamen, quia vt supra diximus debet assistere Parochus, ipse curam habet interrogandi contrahentes, qui respondent affirmatiuè.

7 Sed ponamus, factum mandatum à viro, seu sponso, vel missas litteras, aut nuncium ad contrahendum, verum antequam contraheretur matrimonium, vel sponsalia, pænituit virum, vel sponsum contrahere, & reuocauit mandatum, vel fecit alium actum publicum, per quem declarauit suam contrariam voluntatem, an validum sit matrimonium, vel sponsalia contracta? distinguo aut secuta est reuocatio antequam illa contraherentur, & nulla sunt, quamuis fuerint contracta, antequam reuocatio innotesceret vxori, vel sponsæ. Ratio est; quia defecit con-

8 sensus tempore contracti matrimonij, vel sponsalium, per quem solùm validantur isti contractus, & sine quo nulli omnino sunt. *c. fin. in fine de procurat. in 6. c. sufficiat 23. q. 2. Sylu. v. matrimonium 5. nu. 11. Coninc. disp. 24. dub. 9. Sanch. cit. n. 6.* licet contrarium de directo statutum sit in alijs mãdatis *l. si mandassem 15. ff. mandati*; Aut reuocatio facta est post illa contracta, & est nullius momenti reuocatio, sicut enim ipse non posset reuocare matrimonium, vel sponsalia ab ipso contracta *c. horrendus 32. qu. 5.* ita nec facta per procuratorem suo nomine, quia quæ ab initio sunt volũtatis, ex post facto sunt necessitatis *c. quod semel de regul. iur. in 6.* nisi quando ante illud cõsummatum, ingressus fuerit monasterium *c. 2. & c. ex publico de conuer. coniug. Triden. sess. 24. can. 6. hoc tit.*

9 Quod si matrimonium sit contractum absque præsentia Parochi, & testium, & propterea nullum ex eodem *Trid. c. 1.* potest validari, si iterum contrahatur cum presentia prædictorum; etenim cum illud prius factum, nullum sit, vti contra legem irritantem, habetur vti factum non esset, *argum. l. non dubium C. de ll. l. Paulus respondit ff. de verb. signif.* quia non entiũ nullæ sunt partes *l. eius qui in Prouincia ff. si cert. pet.* proinde sequitur, nullum adesse impedimentum, quin illi, qui prius inualidè contraxerunt, possint iterum inter ipsos, vel cum alijs validè contrahere, ita *Gutt. cit. hoc tit. cap. 61. n. 2. & c. 75. n. 4. Bonac. eod. tit. q. 2. pun. 8. n. 47.*

10 Ad secundum respondetur, inualidum esse matrimonium contractum per metũ cadentem in constantem virum *c. veniens 1. & 2. de sponsal. c. significauit de eo, qui duxit in matrim.* quamuis fuerit factum in præsentia Parochi, & testium, nam talis potest esse vis, vt etiam isti per metum assistant: etenim cum solo consensu contrahatur, vbi adest metus, non potest esse consensus *c. cum locum eo tit.* quod procedit etiam, si esset consummatum vigente adhuc causa metus *Nauar. in man. c. 22. sub n. 51. ex iurib. cit.* Sed si cessante causa

11 metus, accedit liber cõsensus vtriusque, si vterque metu contraxit, vel alterius, solius, qui metu contraxit, validatur matrimonium absque nouo Parochi, & testiũ interuentu, secundum *Henriq. lib. 11. cap. 3. n. 6. Coninb. disp. 24. dub. 10. nu. 89. Sanch. lib. 2. disp. 32. n. 9.* sed fuit cum distinctione iste casus decisus in Rota Romana in vna Tolet. matrim. 15. Decembris 1589. corã Illustriss. Seraph. vt refert *Ricc. resol. 246.* nempè, si vis, & metus fuerunt occulti, & postea partes libere consenserũt, non est opus repeti solemnitates præsentiæ Parochi, & testium: si verò publici omnia repetuntur. Quam distinctionem fuisse approbatam *à Pio 5. testatur Nauar. cit. n. 70. circa finem cum Regin. lib. 31. n. 183. in fine*; de qua tamen materia latius infra *resol. 118.* addit etiam *Nauar. n. 52. in fine*, quod ad instantiam metum passi, si postea cõsentit, possit cogi altera pars ad contrahendum, quæ metum passa non fuit, casu quo contradiceret.

12 Est tamen generaliter aduertendum, quod quotiescumque matrimonium fuit nullum ob aliquod impedimentum dirimens, si vnus sciebat impedimentum, & alter non, sufficit si tollatur impedimentum per dispensationem postea obtentam, sed nouus consensus ignorantis interuenire debet, patefacto ei explicitè, vel saltẽ implicitè priori impedimento, dum matrimonium antea contractum fuit inualidum, & consequenter est in potestate ignorantis ratificare, vel pro nullo habere coniugium antecedens, vt docet *Nauar. vbi supra n. 47. ex c. 1. de eo qui dux. in matr. Scot. in 4. sentent. dist. 35. & Caiet. ibidem. re-*

13 *latis.* Idem Nauar. docet etiam ibi verba dicenda coniugi ignoranti impedimẽtum ad obtinendum nouum consensum, de qui-

tur

tur *Sanch. lib. 2. disp. 36. cum aliquibus declarationibus Coninc. disp. 24. dub. 10. num.* 88. quod si impedimentum qualecumque sit, erat vtrique notum, sed alijs occultum, idem dicendum est, vt sc. sublato impedimento per dispensationem, & accedente consensu vtriusque, valideтur matrimonium, antea inualidum, nec sit necessarius nouus Parochi, & testium interuentus cum distinctione, vt dictum est de metu *Henriq. lib. 11. cap. 9. in fine litt. O. & cap. 12. n. 2. lit. l.* Ledesma, & alij, quos refert, & sequitur *Sanch. cit. disp. 37. n. 3. & 4.* vbi latè, & patet ex dictis *n. 11.* probabile tamen putat *Sanch. disp. 36. n. 9.* quod sublato impedimento per dispensationem, si alter ignorans petat debitum affectu maritali, & sciens eodem affectu reddat, quod tunc valideтur matrimonium ad tollendum scandalum, eo magis cum consensus expressus præcesserit tempore contracti matrimonij in facie Ecclesiæ, & per nouam copulam sequi dicitur implicitus, & præsumptus.

14 Sed an matrimonium sub conditione contractum valeat? pro responsione præmitto Tyronum gratia, conditiones fieri per dictionem (si) & (cum) *l. quodcumque §. non solum de verb. obligat. ibi inter hæc nihil interest cum veneris, aut si veneris, & cat. l. qui promisit ff. de condit. indeb.* possunt etiã

15 contractus, vel legata (generaliter loquendo) fieri sub modo, vel cum demõstratione, vel cum causa, sub modo fiunt per dictionem (vt) iuxta *Gl. in l. 2. v. hæredem suum C. de ijs, quæ sub modo.* V. g. promitto tibi centum, vt nõ petas equum, quẽ tibi debeo. Cum demonstratione demonstrando aliquid, quod non est *l. si sic §. si mihi ff. de legat. 1.* V. g. lego Titio decem, quæ ei debeo, licet nihil debeam, valet legatum, quamuis per falsam demonstrationem, & fortius si debeam, secus si legassem simpliciter, quod illi debeo in genere, & nihil debeam; tunc non valeret legatum, quia non constat de quantitate, vt ibidem legitur; cum causa tandem per dictionem (quia) veluti dicendo, lego Titio centum, quia negotia mea curauit; quamuis n. negotia numquam curauerit, debetur legatum *§. longe magis instit. de legat.*

16 Ex quibus patet, quod si in quacumque dispositione causa mortis addatur modus, vel demõstratio, aut causa, dispositio semper est valida modo, quo supra, secus si addatur conditio, quæ regulariter suspendit actum, vt in iuribus citat. & *l. qui hæredi §. fin. ff. de condit. & demonstr. cum mille concordant*; contrarium tamen seruatur in dispositionibus inter viuos ex falsa demonstratione, vel causa: etenim siquis promittit Titio centum, quæ putabat illi debere, & realiter non debebat, rescinditur obligatio *l. 1. & toto fere tit. ff. de condit. sine causa*, imò si soluit, habet repetitionem *l. 1. ff. de condit. indeb.*

17 Cõditionum autem alia dicitur impossibilis, vt quando quis promittit Titio decem, si Cœlum digito tetigerit; alia necessaria, si digito Cęlum non attigerit, vel si Sol cras, vel postea orietur: primo casu, inualida est stipulatio, secundo valida *§. si impossibilis instit. de inutil. stipul.* legata verò alterutro modo facta valent *l. 1. ff. de cõdit instit.* ratio diuersitatis est, quia in contractibus requiritur consensus vtriusque; in legatis vero solius testantis, qui præsumitur voluisse omnino donare *Gl. in d. l. 1. v. non vitiari*, (sed in matrimonio habemus iura particularia, vt infra, ratio verò, quare cum contractus matrimonij sit actus inter viuos, & tamen conditiones, quæ infirmant alios actus inter viuos, non infirmant istum, est, quia matrimonium est actus fauorabilis ex parte vtriusque vt infra n. 23.)

18 Alia dicitur de præterito, vel de præsenti, vt si Titius consul factus fuit, vel si Mæuius viuit, & ista si vera sunt, statim valet stipulatio; si verò falsa, non valet *§. conditiones instit. de verb. oblig.* alia est de futuro, vt si nauis ex Asia venerit; & ista suspendit actum, donec purificetur *l. id quod*

19 *ff. de const. pec.* Alia est turpis, veluti contra bonos mores, vt si dicatur, instituo Titium hæredem, si patrem suum ab hostibus non redemerit, & ista legatum non vitiat, licet illi obtemperatum non sit *l. conditiones ff. de condit. instit. & l. non dubitamus cod. tit.* Alia est honesta, vt si tibi nomen meum imposueris · & alia impertinens, vt si Titius currit *l. facta §. si sub conditione, vbi Gl. ff. ad Trebell.* Alia dicitur casualis, quæ pendet à fortuna, & suspendit actum, vt modo diximus ex d. l. id quod, alia potestatiua, quæ dependet a voluntate personæ, quæ eam adimplere debet, vt si Titius e. g. Romam ierit: alia dicitur mixta, quæ dependet ab vtroque vt *in l. vnica §. fin*

fin autem C. de caduc. tollen. nonnulla ex his scribit *Bonac.q.2.pun.10.n.1.hoc tit.* sed nihil allegat.

20 Applicando nunc hos terminos ad materiam nostram, de qua agimus, possunt fieri matrimonia sub modo, quãdo in illis apponitur aliquod onus, V. g. accipio te in vxorem, vt in infirmitatibus meis mihi semper assistas, valet matrimonium, vt per DD. statim citandos, secus si apponeretur onus contra substantiam matrimonij, puta vt abortum procures, vel quæstum de tuo corpore facias, aut vt matrimonium duret vsque ad biennium tantum, vel donec aliam ditiorem inueniam

21 *c. fin. de condit. apposit.* Cum demonstratione fieri etiam possunt, quando demonstratio aliqua fit, licet non vera, puta duco te, quæ Virgo es, licet virgo non sit, valet matrimoniũ DD apud Bonac.cit.secus si hæc qualitas apponeretur sub conditione *Sylu.v.matrimonium 3.n.*8.vbi ait matrimonium non valere in foro conscientiæ; & si qualitas probetur in foro fori per aspectum matronarum, vel alio modo, nec valere in foro fori, quia conditio est honesta, & validè apponi potest *ex c. de illis c. super eo, & c. per tuas de condit. apposit.* sequitur *Sanch.ex alijs apud eum lib.5.disp.1.n.3.*

Tunc tandem fiunt cum causa, quando additur motiuum, ex quo quis ad contrahendum mouetur, v. g. duco te, quia ex formosa, nobilis, aut diues, valet etiam matrimonium *Sylu.cit.n.12. Sanch.vbi sup. n.2. & 8. vsque ad finem, Gregor.de Valent. to.4.disp.10.q.3. pun.3.circa finem. Coninch. disp.29.dub.4. n.* 45. vbi dicit, quod aliàs non esset differentia inter causam, & conditionem *Fillinc. tract. 10. cap. 4. part. 1.q.1.n.157.* nisi in his duobus modis de-

22 monstrationis, & causæ addiderit, quæ es libera, vel quia non es serua vt erat, & etiamsi neutrum dixerit, sed putabat esse liberam, tunc non valeret matrimonium, nisi post hoc scitum, iterum eam cognouerit *c.2. & fin. de coniug.seruorum*, de quibus latius infra *resol.112.n.3.* Quando ve-

23 rò contrahitur matrimonium sub conditione impossibili, vel turpi, valet: fauore enim matrimonij reijciuntur istæ conditiones *c.fin. in fine de condit. appos. Sylu. sub d.n.12.& latissime Sanchez lib.5.disp.3.4.& 16.hoc tit.* nisi turpitudo versaretur contra substantiam matrimonij per aliquem ex tribus modis supradictis *n.20.ex d.c.fin. in princ.* Conditio necessaria habetur pro purificata, vt in iuribus cit. & docent *Nauar.in man.cap.22.n. 67. ex DD. Thom. & Bonau. cum Host. Cardin.& Abb. Sanch. lib. 5.disp.2.n.2.ex l.si pupillus §.qui sub conditione de nouat.Coninch. disp.29.dub.1.n.8.Filliuc. par.1.tract.10.cap.4.q.11.n.139.*

24 Si verò cõtrahatur sub qualibet ex prędictis alijs conditionibus (excepta impertinente, quæ habetur pro non apposita iuxta *Sot.in 4.dist.29.q.2.ar.3.concl. 2.Bart. Ledesma hoc tit. dub. 25. concl. 9.* quos ego sequor *ex cit. l.facta §.si sub cõditione*, quãuis contrarium voluerit *Sanch. lib. 5. disp. 18. n. 3.*) semper suspenditur, donec purificetur, licet validum sit matrimonium, *c.super eo de condit. apposit.* nisi pendente conditione consummaretur per copulam carnalem, quia tunc effectum statim haberet, non obstante conditionis defectu *c.per tuas eod.tit.Nau.cap.22.n.95.* Conditiones verò de præterito, vel de præsenti statim infirmant, vel validant matrimoniũ, vt in *iuribus cit. D.Tho.in 4.dist.29.q.vnica art. 3. q.3.* quem omnes sequi testatur *Sãch. cit.disp.12.n.1.vide etiam Henriq.lib.11. cap.12.n.5.Coninc.disp.27.dub.1.n.8.& dub. 2.n.29.*

25 Hæc tamen licet de iure indubitata sint, hodie verò ex Trid.*sess.24.cap.1.de reform. matrim.* videtur non posse ad praxim reduci, quia cum ibi mandetur matrimonia celebrari in præsentia Parochi, & testium, debeatque ille mutuum coniugum consensum exquirere de præsenti, si isti responderent sub conditiõne, non posset ille dicere, vt ibi præcipitur, ego vos coniungo in matrimonium & cæt. quod non negat *Sanch. lib.5. disp. 1. num. 1.* sunt enim repugnantia coniungere aliquos in matrimonium de præsenti; & expectare exitum conditionis de futuro, quæ non possunt simul stare *l.vbi repugnantia ff.de regul.iur.*

26 Et propterea si contingeret contrahi matrimonium inter personas prohibitas sub conditione, si Pontifex dispenset, qui est casus fortior, purificata conditione per dispensationem obtentam, non erit matrimonium de præsenti, neque sustinebitur vti sponsalia de futuro; & sic necesse erit matrimonium postea celebrari, seruata forma Concilij, quia consensus, qui debet esse mutuus, non debet stare in pẽdenti iuxta *Ricc.resol.248.n.4.ex Vit.Gutier. Sot. Conar. & alijs.* Sed contrariũ probat

Sanch. de matrim. lib. 5. disp. 8. n. 10. & 26. cui fauet decisio S. Congr. relata in declarat. Concil. *sess. 24. de reform. matr. in prætermissis, quæ est tenoris sequentis, videlicet A. cum* N. *coram Parocho, & testibus contraxit matrimonium per verba de præsenti, sed hac conditione inquit A. si id saluo honore meo fieri potest, & si fratribus meis placuerit, deinde non expectato conditionis euentu, copulam habuit cum N. affectu maritali, & copula scitur iam à multis, quæritur, an per hæc sit iam firmatum verum matrimonium de præsenti, nec oporteat expectare conditionis euentum.* *Ratio dubitandi est, quoniam contractus ille coram* Parocho, *& testibus cum fuerit per appositam conditionem suspensus, non potuit habere vim matrimonij de præsenti, sed sponsalium de futuro, & copula iam cum affectu maritali sequuta, quamuis ostendat recessum fuisse à conditione, tamen non sufficit ad matrimonij veritatem, nisi de præsenti contrahatur coram* Parocho, *& testibus, qui interfuerunt contractui antea inito;* Concilium *autem* Trident. *videtur exigere, vt non solùm de futuro, sed etiam de præsenti coram Parocho, & testibus contrahatur.* Congregatio *Concilij censuit in casu proposito matrimonium valere, nec requiri, vt de nouo coram Parocho, & testibus contrahatur, sed* S. D. N. *Clem.* 8. *mandauit isti casui tantum esse respondendum, cæteros autem casus, iuxta qualitates ipsorum esse considerandos.* concordant cum hac decisione scripta per *Sanch. cit. n.* 23. licet ab ipso non reportata, qui etiam scripsit *d. lib. 5. disp. 1. n.* 1. esse hanc tractationem vtillimam, tum vt natura matrimonij plenius intelligatur, tum etiam quia eædem conditiones, quæ admittuntur, vel reijciuntur in matrimonio, admittuntur similiter, vel reijciuntur in sponsalibus.

An detur casus, in quo matrimonium ratum, vel etiam consummatum, possit solui quo ad vinculum per dispensationem Pontificis, vel alio modo?

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium est indissolubile tàm de iure naturali, quàm diuino, sed an idem seruetur in matrimonio Iudæorum, & n. 2. quid in rato tātum inter fideles per vnius ingressum ad Religionem, vel sacri ordinis assumptionem, etiam contradicente altero? n. 3. Ratum, sed non consummatum an possit solui per Pontificē, ita vt liberè possint coniuges transire ad secundum? n. 4. de causis dispensandi n. 5. & an per ingressum ad Religionē, etiā post consummatum, vinculo remanente, & n. 6.*

7 *Adulterium committens, potest ingredi Religionem cum tacita licentia alterius coniugis non adulteri; qui non tenetur emittere votum castitatis, neque Religionem intrare secundum P. Dia. sed negatur per authorem.*

8 *Matrimonium contractū inter infideles, licet consummatum, an & quando per conuersionem vnius ex eis dissoluatur, etiam quo ad vinculum? & nn. 9. Inter fideles, si vnus ex eis labatur in hæresim, vel infidelitatem, an dissoluatur etiam quo ad vinculum, & possit alter ad secundum transire? n. 10.*

Resolutio CX.

1 MAtrimonium legitimè consummatum, esse indissolubile iure naturæ varijs medijs probat *Bonac. hoc tit. q. 3. pun.* 11. *n.* 2. quod per transitum docet etiam *Sanch. lib. 10. hoc tit. disp. 1. n. 9. in princ.* sed optime *D. Thom. in 4. dist. 33. qu. 2. art. 1. ab eis non cit.* quia de iure diuino non dubitatur, vt legitur *Genes. cap. 2. Matth. 19.* quos Deus coniunxit homo non separet, & apud *Apost. epist. 1. ad Corinth. cap. 7.* licet autem apud eundem *Matth. cap. 5. & 19.* dicatur dimitti posse vxorem ob adulteriū, hoc tamen intelligitur quo ad torum, non quo ad vinculum *Sanch. cit. disp. 2. n. 3. ex D. Thom. cit. q. 1. art. 5. ad 4. D. Bonau. Richar. & alijs communiter*; vel vt dicunt alij apud eundem *Sanch. cit. n. 2. & 3.* Christum ibi locutum fuisse de Iudæis, apud
2 quos, illuc vsque vigebat lex Mosayca, quæ permittebat repudia ex dispensatione diuina, & tamquam minus malum, ne occiderent vxores, & à vero Dei cultu recederent iuxta *Magist. senten. in 4. dist. 33.* & cessauit post aduentum Christi, à quo tempore, nec apud Iudæos sunt talia repudia permissa iuxta eundem *Sanch. d. num. 9* quod tamen ipsi non obseruant, vt dicetur infra n. 10.

3 Potest tamen dissolui matrimonium ratum, sed non consummatum per ingressum

ſum Religionis alterius coniugis, etiam
contradicente altero, qui poteſt ſecuta
illius profeſſione liberè ad alias nuptias
tranſire *c.2.& c. ex publico de conuerſ.coniu-
gat.Trid.ſeſſ.24. hoc tit.can.6.& ſeq.*ſed hoc
non ita procedit in ſuſcipiente ſacros or-
dines, qui ſi poſt matrimonium ratum,li-
cet non conſummatum, quemlibet ex illis
ſuſceperit, cogitur, vxore inſtante, matri-
monium conſummare; imò ſi contigerit
illud ſolui per mortem vxoris, nec poteſt
in illis miniſtrare,vel ad ſuperiores aſcen-
dere ſine præuia diſpenſatione Pontificis,
niſi vellet ad Religionem tranſire, quia
licet ordo ſacer impediat matrimonium
contrahendum, & dirimat poſtea contra-
ctum, non tamen dirimit antea contractũ
per verba de præſenti, licet non conſum-
matum,vt fuit declaratum per Pontificem
in extrauag. antiqua de voto, & voti redẽp.
de quibus ſermo erit etiam infra *reſol.*112.
*num.*10.

4 Quod autem poſſit idem Pontifex ma-
trimonium ratum tantùm ſoluere,ſeu diſ-
penſare ſuper eo ex cauſis ſcribit *Gl. in d.
c.ex publico v.conſummatum*; quia hoc ſor-
titur naturam ex conſtitutione Eccleſiæ,
ſuper qua extenditur illius poteſtas,quam
doctrinam dicit alia Gloſſella ibidem in
margine eſſe controuerſam; ſed Nauar.ea
non citata in *manual.. cap.22. num.* 21. te-
ſtatur Paulum 3. & Pium 4. ter, vel
quater ad ſui petitionem diſpẽſaſſe:ſequi-
tur *Henriq lib.*11.*cap.*8.*n.*11. *litt.F.* vbi re-
fert Gregor. 13. vna die diſpenſaſſe cum
vndecim; penè innumeros huius ſenten-
tiæ ſectatores refert *Sanch.lib.2.diſp.* 14.*n.*
5 2. Sed non poſſe Pontificem hoc facere
abſque iuſta cauſa ſecundum probabiliorẽ
ſententiam docet idem *Sanch.cit.diſp.*15.*n.*
5. quando verò diſpenſat non requiritur
vtriuſque conſenſus de neceſſitate;diſpẽ-
ſatione ergo ſecuta,liberè vterque coniux
poteſt ad ſecunda vota tranſire Sanch.ibi-
dem in fine. Cauſas autem iuſtas diſpen-
ſandi notat *Regin. lib.*31. *n.* 38. *ex eodem
Sanch. d. diſp.*15. & ſunt magna diſparitas
inter coniuges, vel grauis timor ſcandali
futuri, puta mortis alicuius, vel lepra
poſt ſuperuenta alteri coniugi, aut impo-
tentia conſummandi, vel quod non habu-
erit animum contrahendi, meminitque
etiam ibi de alijs diſpenſationibus cõceſ-
ſis per Martinum 5. & Adrian. 4.

6 Diſſoluitur etiam matrimonium con-
ſummatum per ingreſſum Religionis vtri-
uſque coniugis de conſenſu *c.quia Agatho
& c. ſcripſit* 27. *q.* 2. vbi reſpondet Ponti-
fex obiectioni, quæ fieri poſſet ex *Matth.
cap.19.cit.* quos Deus coniuxit homo non
ſeparet; nempè quod Deus,& non homo
ſeparat, quando diuini Amoris intuitu ex
conſenſu vtriuſque coniugis matrimonia
diſſoluuntur; quod tamen intelligitur
quo ad torum,nõ quoad vinculum, quod
ſemper vti indiſſolubile manet vſque ad
mortem *Regin.lib.*31. *n.* 40. ſed rationem
aſſignat n. 32. Imò poteſt vnus ex eis ad
religionem tranſire, ſi alter in ſæculo re-
manens,caſtitatem voueat,& ita ſenex ſit,
vt nequeat de incontinentia dubitari *c. cũ
ſis c.vxoratus,& c.ad Apoſtolicam de conuerſ.
coniugat.* & ita de facto fuit pluries practi-
catum,vt dicam infra *reſol.*112.*n.*14.& 15.
7 *& reſol.*119. *in fine.* Nego tamen quod di-
cit *P.Dia.par.*11.*tract.*5.*reſ.*37.*S.nota ſecũ-
do.* poſſe st. coniugem adulterum ingredi
religionem, vel ſacros ordines ſuſcipere,
etiam cum tacita licentia remanentis in
ſæculo, talemque licentiam intelligi con-
ceſſam, quando adulter poſt ſæpius, &
inſtanter petitam reconciliationem ab in-
nocente, iſte ſemper negauit, huncque
remanentem in ſæculo non teneri ingredi
Religionem, nec votum caſtitatis emit-
tere, iura enim citata, & alia ſimilia
hæc non permittunt, vt etiam probatum
eſt ſupra *n.*1. Sed vnde inferat tacitam li-
centiam, ignoro,imo mihi videtur expreſ-
ſa denegatio.

8 Item ſoluitur matrimonium conſum-
matum, contractum inter infideles, ſi v-
nus ex eis ad fidem conuertatur, tunc iſte
poteſt ad ſecunda vota tranſire, ſi ille in
ſua infidelitate remanere voluerit *c.quanto
7. de diuort.c. infidelis* 28. *q.2.ibi contumelia
Creatoris ſoluit ius matrimonij*; verum non
poteſt fidelis ſtatim contrahere, ſed ita
demum, ſi poſt conuerſionem ſuam,alter
renuat cohabitare cum ipſo, aut etiam ſi
conſentiat, non tamen abſque contumelia
Creatoris, vel vt eum pertrahat ad mor-
tale peccatum *c. gaudemus* §. *qui autem de
diuort.D.Tho.in* 4. *diſt.*39. *qu.*1 *art.*5. *ad* 1.
Quod ſi ante tranſitum ad ſecunda vota
coniux infidelis veniat etiam ad fidem,
cogitur fidelis antea conuerſus illam re-
cipere, nec poteſt aliud matrimonium
contrahere, vt ait *Gl. in c.ſi infidelis v. li-
bertatem* 28. *q.*1. *ex d.c. gaudemus*; nec di-
catur

catur inter infideles non esse verum matrimonium, quia contrarium deciditur *ab Innoc. 3. in d. c. quanto §. si verò ibi; nam & si matrimonium verum inter infideles existat & cæt. idem Sanct. cit. art. 2.* non tamen negatur, quod antiquitus dissoluebatur per libellum repudij, manentibus in infidelitate secundum legem veterem, quæ adhuc viget inter eos in foro fori, non poli, vt docet *August. in c. si quis Iudaica §. item illud* 28. *qu.* 1. de quibus latè agit *D. Tho. in 4. dist. 33. qu. 2. art. 2. qu. 2.* sed hoc Christus vniuersaliter in noua lege, (quā ipsi nō obseruant *d. §. item illud*) prohibuit *Matth. 19. Luc. 10.*

10 Si verò matrimonium fuit a fidelibus inter fideles contractum, & vnus ex eis labatur in hęresim, vel infidelitatis errorem, non potest fidelis in fide persistens, secundas contrahere nuptias, quia aperiretur via fraudibus; posset enim alter cōiugum in odium alterius, quando nuptiæ displicent, hæresim simulare, vt altero nubente, ab illis resiliret, nec valet responsio, quod fidelis relictus non debet iure suo sine culpa priuari, nam hoc, & in alijs casibus contingit, quod totum legitur in *d. c. quanto*, & præcipuè quando quis post matrimonium contractum incidit in furorem, aut à barbaris fuit exectus, & similibus; perseuerat n. in istis matrimonium; licet antea contrahi non potuisset *c. hi, qui, & c. ne quis furiosus 32. q. 7. de quibus latius infra resol. 117.*

Agitur de impedimentis matrimonium contrahendum impedientibus.

SVMMARIVM.

1 *Votū castitatis perpetua, vel religionis impedit matrimonium contrahendum, sed nō dirimit contractum, si est simplex, secus si sit solemne. Eo non obstante nubens, peccat mortaliter, & quoties petit, verum post consummatum, non peccat reddendo debitum, sed si vterque vouisset, vterque peccaret, siue petendo, siue reddendo, nec soluitur votum soluto matrimonio, peccat etiam mortaliter contrahens scienter cum eo, qui vouit n. 2. & an super tali voto possit Episcopus dispensare? n. 3.*

4 *Votum simplex castitatis, emissum à religiosis Societatis Iesu post biennium nouitiatus, non solùm impedit matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum, & est casus Sancti Officij.*

5 *Interdicti tempore an liceat contrahi matrimonium? & qua Sacramenta eo tempore prohibeantur? & n. 7. & 9.*

6 *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis.*

8 *Excommunicatus, illicitè contrahit matrimonium, sed validè, & quid contrahens cum illo?*

10 *Contrahens cum alia, sponsalibus antecedentibus non obstantibus, an, & quādo peccet mortaliter, licet matrimonium valeat?*

11 *Catechismus quid sit; & an ex illo oriatur de iure impedimentum aliquod ad contrahendum matrimonium?*

12 *Cognatio spiritualis contrahitur hodie per baptismum, & confirmationem tantum, sublato catechismi impedimento.*

13 *Matrimonium impeditur contrahi ab incestuoso, nō solùm cum consanguineis cognita vsque ad certos gradus, sed etiam cum quibuscumque de iure communi, quod vltimum de consuetudine non seruatur.*

14 *Concubitus cum cognata, quam probabiliter quis putabat vxorem, non est punibilis in foro interiori, neque exteriori: sed quid de incestu, vel raptu nu. 15. 16. & 17.*

18 *Matrimonium non potest secundò contrahi de iure à viro occidente vxorem in pœnam talis parricidij, idem è contra, idem ab occidente sacerdotem nu. 23. sed hodie talis pœna recessit ab aula. Vide alios casus similis prohibitionis n. 24. & 26. Si tamen occidat vxorem in adulterio deprehensam, nulla pœna punitur in foro exteriori, etiam si occidat adulterū, sed peccat mortaliter n. 19. Non potest contrahi cum adultera cognita, viuente priore vxore, occisa ad finem contrahendi cum illa nu. 20. neque in alio casu simili n. 21.*

22 *Baptizans proprium filium, aut filiastrum, vel in confirmatione tenens, an & quādo amittat ius petendi, vel etiam reddendi debitum?*

25 *Monialem rapiens, vel rapere tentans, punitur pœna mortis.*

27 *Nuptiæ, quibus anni temporibus prohibeātur sub pœna mortalis?*

Resolutio CXI

ISta impedimenta sunt sex, nempe votum simplex, interdictum, sponsalia, catechismus, crimen, & feriæ, quamuis *Nauar. in man. cap. 22. n. 31.* voluerit esse duo, ad quæ cætera reducit; de primo tamen constat *in c. rursus qui Cler. vel vouen. & c. vnico de voto in 6.* vbi declaratum
1 extat, nullum votum dirimere matrimonium contractum, quamuis fit de seruanda castitate, vel ingressu Religionis; sed tantùm impedire contrahendum, nisi votum sit solemne per susceptionem st. sacri ordinis, aut per expressam, vel tacitã professionem in aliqua Religione per Sedem Apostolicam approbata; tunc n. dirimitur etiam contractum, vt legitur in *d. c. vnico. & dicetur in resol. seq. n. 9.*

2 Impeditur ergo matrimonium per votum non solemne, si tamen eo non obstãte contrahatur, validum est, sed cum mortali, & ideo ante consummatum, non potest vouens petere, vel reddere debitũ sine mortali, quia adhuc potest pro obseruantia voti ingredi Religionem *c. ex publico de conuers. coniugat.* & post consummatum, petere non potest, quia toties quoties peccat mortaliter frangendo votum *Gl. & Abb. in c. quodam, & c. placet eod. tit. Nauar. in man. c. 16. n. 30.* tenetur tamen reddere, nisi vterque coniux vouisset, quia tunc neuter petere, vel reddere potest, nec mortuo altero, potest vouens contrahere cum alia, cum adhuc teneatur ad obseruantiam voti *D. Tho. in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. qu. 2. ad 4. Sylu. v. matrimonium 7. qu. 5. Nauar. cit. c. 22. n. 33. Sanch. hoc tit. lib. 7. disp. 11. n. 10. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 9. num. 275.*

Contrahens autem scienter cum eo, qui vouit, adhuc peccat mortaliter, quia cooperatur peccato alterius *Gl. in c. nos nouimus v. sciens 17. q. 2. Sylu. & Nauar. cit. Sanch. vbi supra n. 11. Regin. lib. 31. cap. 24. nu.*
3 *185.* potest tamen post matrimonium contractum dispensare Episcopus ad petendum debitum ob grande peccandi periculum, continendique difficultatem, quam similem esse sitienti, si vellet abstinere ab aqua, sibi oblata, dicit *Nau. d. cap. 16. n. 30. sequuntur Regin. citat. Dian. vbi cæteri par. 1. tract. 11. resol. 66. faciunt dicta supra resol. 106. sub nu. 18. vsque ad 22.* Ante

4 tũ contractum matrimonium, dispẽsatio à prædicto voto castitatis perpetuę, vel Religionis spectat ad Pontificẽ *extr. fin. de pæn. & remiss. Less. lib. 2. c. 40. dub. 18. n. 130. & 131. Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 14. sub n. 7. Dia. cit. resol. 53.* Imò tale votum simplex castitatis emissum in Societate Iesu post biennium nouitiatus, non solùm impedit matrimonium contrahendum, sed etiam dirimit contractum iuxta constitut. Gregor. 13. de anno 1584. de qua testantur *Greg. de Valen. to. 4. disp. 10. q. 5. pun. 3. §. votum, Henriq. lib. 12. cap. 5. §. 5. & 6. Sanch. d. disp. 11. n. 5. & Regin. cit. n. 184. in fine.*

5 Secundum impedimentum est, interdictũ, de quo duplici modo intelligi potest, aut prout est censura, aut prout est prohibitio Iudicis in certis casibus facta coniugibus; ne contrahant, de primo agitur *in c. non est vobis de sponsal. & clarius in c. quod in te de pænit. & remiss. c. quoniam & c. fin. de sent. excomm. in 6.* vbi talis interdicti tempore prohibentur omnia Sacramenta, exceptis baptismo, confirmatione, pœnitentia, & Eucharistia, in modum tamen viatici; ergo alia negantur, quamuis va-
6 lida sint, si recipiantur. Exceptio n. firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis *l. nam quod liquidè de penu legat. Præses de Franch. dec. 561. n. 5. ex Bart. in l. quæsitum §. denique ff. de fundo instr.* & quando aliquid generaliter prohibetur, quod ibi non conceditur, intelligitur denegatum *Clem. exiui de Paradiso §. porro versic. nam vbi de verb. signif.* posita ergo generali prohibitione vsus Sacramentorum, tẽpore interdicti, exceptis prędictis, vt in iuribus citat. cętera intelliguntur prohibita, quia inclusio vnius est exclusio alterius *c. nonne de præsumpt. & l. cum prætor ff. de Iudic.*

7 Sanch. tamen *hoc tit. to. 2. lib. 7. disp. 8. nu. 2.* tuetur contrarium *ex c. capellanus de ferys,* vbi dicitur, quocumque tempore contrahi posse matrimonia, sed facilis est responsio, nam ibi refertur ius antiquum, quando diuersis temporibus erant prohitæ nuptiæ, & dubitabatur in quali tempore essent specialiter prohibitæ, respondet Pontifex enunciatiuè, non dispositiuè, secundum Ecclesiæ consuetudinem in quocunque tempore contrahi matrimonia, quod declaratur ex verbis sequentibus, vbi fuerunt prohibita certis temporibus; ergo illud prius, non dixit dispo-

nen-

hendo præterea, illa dictio vniuersalis (quocunque tempore) est referenda ad materiam, & tempus feriarum, de quibus loquitur, non autem extendenda gratis ad tempus interdicti, alias si vniuersaliter esset intelligenda, posset etiam di-
8 ci, excommunicatos per edictum, matrimonium licitè cōtrahere in excommunicatione existentes, quod est falsum, quia peccant mortaliter, licet validum sit matrimonium *c. significasti in fine de eo, qui duxit in matrim. quam poll.* quod idem Sanch. docet *d. lib. 7. disp. 9. n. 2.* (sed an idem sit in contrahente scienter cum excommunicato *P. Dian. par. 3. tract. 4. resol. 268.* etiam affirmat, si sit denunciatus, vel publicus clerici percussor) & ideò rectè nobiscum tenent, licet ex alijs medijs *Suar. to. 5. disp. 32. sect. 1. n. 51. Regin. lib. 32. tract. 3. cap. 27. n. 28. Filliuc. tom. 1. tract. 18. cap. 2. n. 51.* vtramque tamen opinionem existimat probabilem idem *Diana cit. resol. 267. in fine*, vbi adhærendo Sanch. Coninc. Villalob. & alijs eiusdem sententiæ, illam vult procedere tàm in interdicto generali, quàm speciali, & personali.

9 Quod si interdictum accipiatur pro ut est prohibitio Ecclesiæ, seu iudicis, de hoc sermo est *in cap. 1. & toto ferè tit. de matrim. contract. contra prohib. Eccles.* vbi legitur, matrimonium contractum contra iudicis prohibitionem non retractari, sed antequam contrahatur, impediri propter Ecclesiæ, vel iudicis mandatum, & contrahentes peccare docet *Nauar. in man. cap. 22. n. 68. additque Sylu. v. matrimonium 7. n. 1. mortaliter Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 9. qu. 1. n. 267. Regin lib. 31. n. 189.* ratio est, quia faciunt contra prohibitionem Ecclesiæ, seu iudicis Ecclesiastici in re graui. *Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 14. n. 3. sed Eman. Sà v. matrimonij impedimenta n. 1.* dicit alios velle esse veniale, alios mortale.

10 Tertium impedimētum sunt sponsalia, prius contracta, quæ impediunt matrimonium contrahi cum alia sub mortali (licet non dirimant contractum) ratio est, quia infertur grauis iniuria priori sponso, frangendo illi fidem propter alium, eo etiam magis, quia regulariter solet interponi in quolibet contractu iuramentum, quod, transeundo ad aliud matrimonium rumpitur; & absque dubio est mortale *c. ex litteris de sponsal.* nisi tamen adsit legitima causa *c. veniens, & c. cum locum cod. tit.* de quibus diximus supra resol. 105. n. 16. & seq. vide etiam *Sanch. hoc tit. disp. 27. lib. 1. n. 2. Regin. lib. 31. cap. 24. n. 187. & ante eos Nauar. in man. cap. 22. n. 72.* vbi docet esse mortale sine causa, veniale verò cum causa, nullum si relaxetur iuramentum ab eodem iudice ecclesiastico, causa n. legitima operatur, vt facilius relaxetur, cum nequeat propria authoritate contemni.

11 Pro quarto impedimento assignatur catechismus, qui est nomen græcum, dictum à catechizo, idest instruo, vnde ante baptismum, instruendi sunt baptizandi si adulti in articulis fidei *Gl. in c. 2. v. per catechismū de cognat. spirit. lib. 6.* de qua materia agitur *in c. ante baptismum de consecrat. dist. 4.* vbi refertur exemplum Christi ibi, prius ipse Iesus, cæci nati oculos luto ex sputo facto superliniuit, & sic ad aquas siloe misit, quia prius debet baptizandus, in fide Incarnationis Christi instrui, & sic ad baptismum iam credulus admitti, vt sciat cuius gratiæ in eo est particeps, & cui iam debitor fiat deinceps. Istud impedimentum contrahit de iure, qui instruit, & tenet baptizandum ante fores Ecclesiæ, priusquam deferatur ad fontem baptismi, vbi postea alius tenet *Gl. cit. in princ.* quod tamen ego puto sublatum per *Trident. sess. 24. cap. 2. de reform. matr.* vbi cognatio-
12 nem spiritualem dicitur contrahi in baptismo, & confirmatione tantùm, prout scribunt etiam *Henriq. lib. 12. cap. 3. Sanch. lib. 7. disp. 10. num. 12.* volentes, hanc esse veriorem opinionē *Regin. cit. n. 190. Bonac. pun. 14. q. 3. n. 6.* quam sequitur etiam *Dia. par. 3. tract. 4. resol. 260. vbi §. fin.* ex authoritate DD. contrariam sustinentium dicit eam esse, etiam probabilem, quod ego nō recipio ex Trid. cit.

Quintum impedimentum est crimen, sub quo plura delicta includuntur sub his versibus secund. *Gl. in c. 2. in fine de pænit. & remiss.*

Incestus, raptus sponsatæ, mors mulieris,
Susceptus propriæ sobolis, mors Præsbyteralis.
Vel si pæniteat solemniter, aut monialem
Accipiat, prohibent hæc coniugium sociandum.

13 Primum ergo delictum est incestus, qui committitur fornicando cum consanguinea propria intra quartum gradum, & im-

pedit, & dirimit matrimonium postea contractum *c. non debet de consang. & affin.* vel cum consanguinea vxoris, quod similiter impedit, & dirimit vsque ad secundũ gradũ *ex Trid. sess. 24. cap. 4. hoc tit.* vel per vxorem eum consanguineo viri, siue constante, siue soluto matrimonio; quod si committatur constante matrimonio, eo soluto per mortem alterius, impediuntur de iure communi transire ad secunda vota cũ alijs, (verum si de facto contrahãt, non dirimitur *c. 1. & c. transmissæ de eo qui cogn. cons. Sãch. lib. 7. de matr. disp. 15. n. 1. Fillituc. tract. 10. par. 2. n. 279.* quod tamen impedimentum dicitur sublatum infra *nu. 16.*) quia si cõtraherent cum eisdem affinibus, tunc dirimeretur matrimonium, etiam cõtractum, vt modo dictum est, & latius supra resol. 106. n. 23. sed constante matrimonio, qui taliter deliquit, non potest petere debitum *d. c. transmissa*, donec dispenset Episcopus, vt supra *n. 3.* Si tamen
14 ex probabili ignorantia facti, non iuris hoc egerit, nullam pœnam incurrit *c. 1. eod. tit. & clarius in c. in lectum 34. qu. 1.* vbi legitur quandam mulierem, quæ erat soror vxoris viri, in lectum coniugum, vxore absente se posuisse, quam vir existimãs suam vxorem, carnaliter cognouit; statuitur ibi, quod vir peracta pænitentia, aliam pœnam non luat, illa verò mulier amplius non nubat *Sanch. d. disp. 15. n. 9.* (quod volunt aliqui apud eundem *Sanch. nu. 13.* non procedere in incestu occulto, à quibus ipse merito discedit, *ex Gl. in c. qui dormierit v. neutram 32. q. 7. & alijs.* cum incestus regulariter committatur occultè, & si illud verum esset, numquam pœna prædicta locum sibi vendicaret, casu quo in vsu esset, quod negatur, vt statim dicitur.)
15 Idem Sanch. ibidem nu. 16. negat oriri impedimentum ex copula habita cum consanguinea (si qui eam habuit, vult cum extranea nubere, de quo impedimento loquimur, quia si vellet nubere cum consanguineis cognitæ, illud est impedimentum impediens; & dirimens vsque ad certos gradus, vt supra n. 13.) iura enim loquuntur solùm de copula cum affine, citat *D. Tho. in 4. dist. 34. q. vnica art. 5.* vbi hoc non inuenio, verum eum sequuntur multi apud *Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 14. nu. 10.* sed ego sequor *Nauar. in man. cap. 22. n. 74.* contrarium docentem per multa iura ibi adducta, *Angel. v. incestus n. 5. Rebell. lib. 3. q. 18. nu. 7.* eundemque Sanch. cit. nu. 15. vbi hanc sententiam probabilem vocat, huncque dicit Nauar. esse stylum Curiæ, facit, quia vna determinatio, respiciens plura determinabilia, debet ea æqualiter determinare *l. iam hoc iure ff. de vulg. & pupill.* & ex vno casu infertur ad alium similẽ *l. non possunt ff. de legib.* imò quando casus, ad quem fit extensio, non solùm est similis, sed maior, vt est casus iste, cum maius sit vinculum consanguinitatis, quam affinitatis, (quod concedit idem *Sanch. d. n 15.*) lex non dicitur se extendere, sed comprehendere vtrumque *Præses de Frãch. decis. 65 1. n. 5. ex Dyno. & Bal. ibi citat. Boer. decis. 285. sub n. 15.* Verum hæc im-
16 pedimenta per diuturnam consuetudinem contrariam, dicuntur esse sublata; etenim numquam videtur, neque auditur, incestuosum petere dispensationem, quando vult cum quacumque alia nubere, vel non necessariam, sed tantùm quando cum consanguinea, vel cum affini, cum quibus commisit incestum, vt supra; quo casu spectat ad Pontificem, vt testantur idem *Nauar. n. 75. Coninc. disp. 30 dub. 3. n. 25. idẽ Sanch. cit. disp. 17. n. 8.*
17 Secundum est raptus mulieris *c. fin. de raptor. c. statutũ 27. q. 2. Henriq. lib. 12. cap. 14. n. 4. Sanch. lib. 7. disp. 12. n. 41.* quod hodie est impediens, & dirimens *ex Triden. sess. 24. c. 6. de refor. matr. ibi inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium*; idem *Sanch. disp. 13. n. 2.* (non loquimur si possit raptor alijs nubere, de quo casu agit Sanch. cit. quia hoc de consuetudine non seruatur, vt diximus) quod si rapta à raptore separata, & in loco tuto, & libero constituta, illum in virum habere consenserit, eam raptor in vxorem habeat, sed est excommunicatus cum omnibus, ei auxilium, consilium, vel fauorem præbentibus, & siue ducat, siue non ducat in vxorem, tenetur eam congruè dotare, quæ pœna dotationis practicatur, etiam si puella consenserit, dummodo vis parẽtibus sit illata *Henriq. cit. Eman. Sà hoc ti. n. 9.* Sed quando fuit magnus excessus, traditur raptor Curiæ seculari *c. 4. de raptor.* de iure verò ciuili punitur pœna mortis, siue rapta sit virgo, siue vidua, siue volens, siue inuita, siuè præcesserit tractatus matrimonij, siue non *l. vnica C. de raptu virgin.*

gin. quæ pœna fuit practicata Neap. con-
tra quemdam Ianuensem, qui rapuerat à
domo parentum eorum filiam, ob finem
matrimonij nulla vi interueniente, & fuit
ad mortem damnatus, & executa senten-
tia, vt refert *Sanfel. dec. 262. n. 3.*
18 Tertium crimen est vxoricidium, sic
vulgo dictum, etiam à summistis, nam de
iure occidens vxorem dicitur parricida
l. 1. ff. ad l. pompei. de parricid. quod delictũ
impedit matrimonium contrahendum cũ
alia, sed non dirimit contractum *c. inter-
fectores, & c. admonere 33. qu. 2.* vbi licet
agatur de viro occidente vxorem, idem
tamen est intelligendum è contra, quia
vtroque modo est parricidium, vt in dicta
l. 1. & sunt correlatiui, in quibus idem
omninò seruatur *l. 1. C. de cupres. lib. 11.
l. fin. C. de indicta viduit. toll. l. 1. de ys,
qui sunt sui, vel alien. iur.* & docent *Sotus
in 4. dist. 37. q. vnica art. 1. Nau. summa cap.
22. n. 74. Henriq. lib. 12. cap. 2. n. 1. Guttier.
cap. 88. n. 4. latè Sanch. lib. 7. hoc tit. disp. 78.
num. 8.*
Vnde fallitur *Bonac. hoc titulo q. 3. pun. 14.
n. 14.* oppositum docens in hoc casu *ex
Tolet. lib. 7. cap. 15. n. 3.* (qui citat solùm
Armil.) ea ratione quia nullus text. hoc
dicit, cum tamen ferè in omnibus, &
præcipuè in delictis vir, & vxor æquipa-
rentur, vt in dicta *l. 1. & toto ferè tit. ad l.
Pompei. de parric.* proinde sequitur dispo-
situm in vno de æquiparatis, *disponi in a-
lio l. 3. §. proinde, & §. quoties ff. de in rem
verso, & instit. quod cum eo in princ.* quia
tamen hæc pœna locum hodie, nec vide-
tur habere, vt notat *Gl. in d. c. admonere v.
numquam ducere*, & sic vidi multoties
practicari, vt etiam docet *Sanch. lib. 7. disp.*
19 *78. n. 21.* ideo amplius non insisto, sed
cessat omnino tale impedimentum etiam
de iure, quando vir occidit vxorem de-
prehensam in adulterio (quamuis peccet
mortaliter, vt bene dicit *Bonac. cit. nu. 16.
ex Palud. Eman. Sà, & alijs.*) quod nouis-
simè fuit declaratum per *Alex. 7.* in bulla
emanata sub die 2. Octobris 1666. cap. 19.
vbi inter alias opiniones dãnatas fuit ista,
quam docebant aliqui, occidentem pro-
priam vxorem in adulterio deprehensam,
non peccare mortaliter, & hoc sub pœna
excommunicationis ipso facto incurren-
dæ contra eam docentes, vel quomodoli-
bet defendentes, et sibi reseruauit ab-
solutionem, verum in foro fori nulla pœna
punitur, etiã si occidat adulterum *l. Grac-
cus C. ad l. Iuliam de adult.*
20 Quando autem tale parricidium fuit
commissum, præcedente adulterio cum
altera, & tractatu matrimonij, nullo mo-
do potest postea contrahi matrimonium
cum tali adultera, imò dirimitur contra-
ctum *c. si quis viuente 31. q. 1. & c. super hoc
de eo, qui duxit in matrim. quam polluit.*
Si verò in bello, vel ex alia inimicitia
quis occiderit aliquem, non denegatur
ei accipere eius vxorem in suam *c. lauda-*
21 *bilem de conuers. infidel.* Quod si non occi-
deret propriam vxorem, sed ea viuente,
contraheret de facto cum secunda, sciente
matrimonium, quam etiam viuente prima
cognouit, non solùm impeditur, sed ètiã
dirimitur matrimonium cum secunda, li-
cet mortua prima *c. cum haberet de eo, qui
duxit in matr.* quam poll. nisi secunda fue-
rit inscia prioris matrimonij *c. veniens eod.
tit.* Si autem viuente prima, promisit du-
cere aliam, vel etiam si de facto eam du-
xit, dummodo carnaliter non cognouerit,
viuente prima; istius morte naturaliter se-
cuta, iure ducit secundam, seu remanet
cum ea, nouo consensu interueniẽte *c. ve-
niens, & c. fin. eod. tit.* de quibus vide etiam
infra resol. 116. vbi latius.
22 Quartum crimen est, quando quis su-
scipit proprium filium, vel filiastrum de
baptismo, vel in confirmatione, aut illum
baptizat, si hoc ex industria facit, siue sit
vir, siue vxor, amittit ius petendi debitũ,
sed reddere tenetur; soluto tamen matri-
monio, remanet sine spe alterius coniugij,
c. de eo 30. q. 1. quòd si vterque de consen-
su hoc fecerit, vterque amittit ius peten-
di debitum, *c. nosse. desideras eadem causa,
& q.* si verò ex ignorantia hoc factum sit,
peracta pœnitentia non amittitur ius pe-
tendi, & minus reddendi *c. de his eod. tit.*
Si tandem ex necessitate, quia infans erat
in mortis periculo, & alius non aderat,
qui hoc gereret, non solùm est talis in-
culpabilis, sed laudabilis, nullamque
pœnam contrahit *c. ad limina eod. tit. Hen-
riq. lib. 12. cap. 2. n. 1. in fine, Belarm. lib. 1.
hoc tit. cap. 18. §. sunt præterea, Sanch. lib. 7.
disp. 6. n. 8.*
23 Quintum est Sacerdotis homicidium,
quod impedit nubere, vltra alias pœnas
statutas *in c. 2. de pœnit. & remiss. Nauar. in
man. cap. 22. n. 74. versic. decimum est, Sylu. v.
matrimonium 7 n. 6. Tolet. lib. 7. cap. 25. nu. 6.*
Sau-

Sanch. cit. num. 9. sed in tali homicida puto omnino vera dicta per DD. supra, quod de consuetudine sit sublata pœna nubendi.

24 Sextum est quando quis scienter contrahit matrimonium cum moniali professa, tunc vltra nullitatem matrimonij, impeditur vir nubere alteri, sed si nubit, non dirimitur matrimonium *c. hi ergo vbi Gl. v. coniugali 27. q. 1. Sylu. Nauar. & Tolet. loc. cit.* in quo crimine potest dici, etiam sublata pœna prædicta, sed ex alia ratione, quia

25 st. non solùm qui rapit monialem, quãuis non professam, sed in monasterio existentem, verum qui attentat rapere, punitur pœna mortis *l. si quis non dicam rapere C. de Episc. & Cler.*

26 Septimum est pœnitentia publica; quã facta pro crimine commisso, impeditur postea matrimonium contrahi *c. de his & c. antiqui 33. q. 2. Nauar. cit. versic. vndecimũ. Sylu. d. n. 6. Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 15. num. 19. Sanch. cit. n. 10.* quam pœnam sine dubio sublatam asserunt DD. citati, & propterea nequidem inter crimina impedientia connumerauit istud *Tolet. d. cap. 15.* ideoque si attendatur opinio *P. Dian. par. 3. tr. 4. resol. 259.* istæ pœnæ tàm in hoc casu, quam in supradictis in præsenti resol. circa crimina impedientia sunt per contrariam, & quotidianam consuetudinem sublatæ, & consequenter nullum committunt peccatum contrahentes scienter cum talibus impedimentis; quod si aliquis scrupulosus vellet dispensationem obtinere, adeat Episcopum loci, ait Nauarr. relatus per Dianam vbi supra. Si vero attendatur opinio *Sylu. d. n. 6. ex D. Tho. in 4. dist. 34. art. vlt. Tolet. d. cap. 15. in fine* peccant tales mortaliter ante dispensationem saltem ab Episcopo, (quæ nec sufficit in voto, licet simplici, sed castitatis perpetuæ, vt diximus supra *n. 4.*) quia faciunt contra prohibitionem Ecclesiæ in re graui, & de consuetudine secundum ipsos non constat; in dubio autem tenendum sit pro conscientia. Ego verò puto in aliquibus casibus in desuetudinẽ abijsse, in alijs minimè, vt supra notaui.

27 Vltimum impedimentum sunt feriæ; etenim de iure communi multis temporibus nuptiæ prohibebantur, *c. capellanus de ferys,* & docent *D. Tho. alyque antiqui in 4. dist. 32. Triden. tamen sess. 24. cap. 10. de reform. matrim.* hoc restrinxit ab aduentu vsque in diem Epiphaniæ; & à feria quarta Cinerum vsque ad diem octauam Paschatis inclusiuè, in quibus diebus aliqui DD. dicunt esse mortale contrahere, vel traducere solemniter sponsam in domum viri; alij esse veniale, quos vide apud *Dian. par. 3. tract. 4. resol. 202. & 266.* nec dispensare potest ordinarius secundum *Nauar. in man. cap. 22. n. 70. Henriq. lib. 11. cap. 16. n. 2. in fine litt. T.* sed *Sanch. lib. 7. disp. 7. n. 6. in fine.* hoc concedit in casu valde vrgenti, & quando non esset facilis aditus ad Pontificem, ego verò puto dispensare posse ex causis sibi benè visis; quia dum Concil. non reseruauit potestatem Pontifici, videtur eam reliquisse sub potestate Ordinarij ex regula *c. nuper §. in secũdo verò casu de sent. excom.* & dictum est etiam supra *resol. 20. n. 2. Sotus in 4. dist. 32. q. vnica art. 3. in fine. Sanch. cit. & lib. 2. disp. 40. n. 3. vers. secundo quia Graff. prima par. decis. lib. 2. cap. 85. n. 29.*

De impedimentis matrimonium, etiam post contractum dirimentibus.

SVMMARIVM.

1 *Error circa personam, quando quis putabat ducere vnam, & duxit aliam, annullat matrimonium, etiam post contractum, non solùm de iure positiuo, sed etiam naturali, quod ligat etiã infideles, quia errans non consentit n. 2.*

3 *Matrimonium cõtractũm cum persona putata libera, quæ erat serua, non valet, sed quid si post scientiam iterum eam cognouit, nu. 4. 5. & 6. vbi resoluuntur plura dubia circa hanc materiam. Contractum cum paupere, quæ putabatur diues, vel cum inhonesta, putata honesta, vel cum corrupta existimata Virgine, validum est, etiam si fuerit contractum ex dolo alterius incidenti n. 7. Est nullum, si sit contractum post votũ solemne in aliqua Religione approbata, imò etiam nullum, si fuerit contractum ante professionem, sed ante quam fuerit consummatum, secuta sit professio n. 8. & 9. Ratũ, & non consummatum soluitur per Religionis ingressum, vt supra, sed an remanens in sæculo teneatur expectare professionem ingredientis, etiam si differretur per annos, & an idem procedat*

equitibus S. Ioannis ? n. 11.

12 *Ordo sacer, si assumatur post matrimoniũ ratum, licet non consummatum, istud non soluit.*

13 *Matrimonium ratum, & consummatum soluitur per transitum vtriusque ad religionem, ac etiam vnius, altero in saeculo remanente cum voto castitatis, dũmodo sit provectae aetatis, sed quid si remanens in saeculo sit iuvenis ? n. 14.*

Resolutio CXII.

MVlta, & varia sunt etiam ista, quae his versibus continentur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis Ordo, ligamen, honestas
Si sis affinis, si forte coire nequibis,
Si Parochi, & duplici desit praesentia testis,
Raptaue sit mulier, nec parti reddita tutae.
Haec facienda vetant connubia, facta retractant.

1 Exordiendo à primo dicimus posse errorẽ in matrimonio contingere tripliciter, aut circa substantiam, aut circa conditionem, aut circa qualitatem, primo modo succedit, quando quis putans ducere Titiam, duxit Caiam, tunc inualidum est matrimonium, etiam si secuta sit copula, illius intuitu tàm de iure positiuo *c. tua nos de sponsal. & c. 1. 29. q. 1.* quam etiam de iure naturali, quo requiritur saltem consensus, vnde matrimonium contractum inter Iacobum, & Liam secundum ius naturale, dum eo tempore non aderat ius positiuum, cum defecisset consensus Iacobi in Liam, quam putabat Rachelẽ, fuisset nullum, si non successisset nouus consensus in eandem Liam, vt legitur in 2 dicto c. 1. Etenim qui errat, maximè in substantialibus, non consentit *l. si per errorem ff. de iurisdict. omn. iud.* & sic tale matrimonium, vti inualidum de iure quoque naturali, dirimitur, etiam post contractũ, quamuis contrahentes fuissent infideles, qui *ex tit. instit. de iur. natur. gent. & ciuil. §. ius autem.* non sunt exempti ab istius iuris obseruantia *Nauar. in man. cap. 22. n. 32. ex D. Tho. 2. 2. qu. 55. art. 4. Sanch. hoc tit. lib. 7. disp. 18. praecipuè n. 12 Coninc. eod. tit. disp. 31. dub. 1. Regin. lib. 31. n. 92. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 2. q. 1. n. 32.*

3 Secundo modo quando quis putabat ducere personam liberam, quae erat serua, (& istud est secundum impedimentum primi versus) tunc eodem modo matrimonium, vti nullum ab initio, dirimitur etiam post contractum, tàm de iure positiuo *ex c. 2. & fin. de coniug. seru.* quam de iure naturali, ratione consensus deficientis vt modo probatum est; Quod si quis liber, errore ductus, seruam duxit, sed post seruitutis scientiam, eam iterum carnaliter cognouit, matrimonium licet nullum ab initio, conualidatur, & dirimi non potest *d. c. 2. Coninc. vbi supra dub. 1. nu. 24. & 25. Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 3. nu. 6.* vbi addit requiri nouum consensum, quod verum non est; nam illa copula post scientiam subsecuta, sufficit pro consensu, vt legitur in dicto *c. 2.* benè verum est, quod lite pendente sup. nullitate matrimonij, si ad instantiam seruae, Iudex praecipiat reddi debitum, sibi non praeiudicat vir reddendo, si dubium de nullitate matrimonij, sit probabile, si secus, peccat reddendo *c. inquisitioni de senten. excomm.* sed nullo modo potest interim exigere secundum *Gl. in d. c. 2. v. audiuit.*

4 Potest tamen matrimonium contrahi cũ serua, vel seruo à liberis, si in illam, vel illũ cõsensus feratur *c. si quis liber c. si quis ingenuus, & c. si femina 29. q. 2. Gl. in c. 1. v. inter seruos de coniug. seru.* & à fortiori si serua contraxit cum libero, putans esse seruum, valet etiam matrimonium, quia error conditionis est in melius, non in peius (licet possit retractari per liberum, vt statim dicitur) *Henriq. lib. 11. cap. 10. nu. 4. Sanch. lib. 7. disp. 19. n. 23. ex D. Tho. & alijs.*

5 è contrario si quis liber contraxit cum serua, quam credebat esse liberam, quo casu matrimonium non valet, vt supra dictum est, sed nihilominus liber vult remanere cum serua, quae renuit, dicit *Gl. in d. c. fin. in fine.* matrimonium de iuris rigore non valere, cogi tamen debere seruam ad permanendum in matrimonio; De iure verò ciuili (quod in hoc non seruatur) numquam liber homo potest cum serua contrahere *l. cum ancillis C. de incest. nupt.*

6 Sed posito seruos contrahere matrimoniũ cum seruis, quod possunt etiam inuitis Dominis, reseruatis tamen seruitijs, illis debitis, sient prius iuxta *c. 1. de coniug. seru.* dubitatur, vtrum Domini possint absque mor-

mortali vendere alterutrum in locis distātibus, in quibus de facto impediretur debiti redditio? respondent *D. Tho. in addit. ad 3. par. q. 52. art. 2. Sot. in 4. dist. 35. art. 4. Sanch. cit. disp. 22.* *negatiuè*, quia auferunt illis, quod de iure naturali debetur, nisi fortè excusarentur propter magnam necessitatem ex eodem iure dependentem, *idem Sanch. ibidem & n. sequen.*

7 Tertio modo euenire potest, quando quis duxit pauperem, quam putabat esse diuitem, qui dicitur error fortunæ, vel meretricem, quam putabat castam, aut corruptam, quam putabat virginem, qui dicitur error qualitatis, & his casibus validum est matrimonium, vt latè statuitur *in c. quod autem 29. q. 1.* quod procedit ēt si tale matrimonium fuisset celebratum per dolum aduersarij incidentem, & ratio est, quia error interuenit in accidente, non in substantia, ita *Sanch. lib. 7. disp. 18. n. 8. & 18.* & dictum est supra *resol. 109. n. 21. ad idem Molina Couarr. & aly apud Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 2. n. 5.* (in sponsalibus autem, quando sponsa existimata virgo, erat corrupta, contrarium seruatur, vt supra *resol. 106. n. 46.* & ratio est, quia sponsalia facilius retractantur, quam matrimonia, quæ regulariter sunt indissolubilia, vt supra *resol. 110. n. 1.*)

8 Tertium impedimentum est votum solemne, quod fit in actu professionis in religione approbata, vel in assumptione alicuius ex sacris ordinibus; de isto loquemur infra in octauo impedim. *resol.* 119. nunc autem de illo, quia de voto simplici castitatis seruandæ, vel religionis ingrediendæ, sermo fuit in *antepriori resol. n. 1.* illud ergo quod fit in actu professionis, certū est dirimere matrimoniū postea contractum, vti nulliter contractum, imò non solùm professus, sed si ambo scienter contraxerunt, sunt excommunicati *Clem. vnica de consang. & affin. Trid. cit. cau. 9. Sāch. lib. 7. disp. 26. n. 1.* Quod idem procedit,

9 si matrimonium esset celebratum per verba de præsenti ante professionem, non autem consummatum per copulam carnalem: secuta enim professione, quæ isto in casu est permissa, non potest professus ad illud redire, vel aliud contrahere *c. verum de conuers. coniug.* & legitur *in Trid. cit. can. 6. videlicet, si quis dixerit matrimonium ratum non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius coniugum, non dirimi anathema sit Less. lib. 4. cap. 4. dub. 8. n. 69. Sanch. cit. disp. 25. & 26.*

10 Quousque igitur matrimonium non est consummatum, semper licebit alterutri Religionem intrare; sed ad instantiam remanentis in sæculo potest Iudex præfigere terminum alteri ad Religionem profitendam, vel matrimonium consummandum, ne alter diu stet in suspenso; qui terminus erit duorum mensium *c. ex publico eod. tit. vbi Glos. verb. infra duorum* dicit, hoc esse arbitrarium iudici, si velit plus, vel minus tempus indulgere, quo elapso potest excommunicare renuentem, si ingressus non est, vt vel ingrediatur, vel ad consugem conuertatur, idē *Sanch. disp. 24. lib. 2. n. 12. Conintch. disp. 26. dub. 4. num. 49.*

11 Et vsquequò non sequitur professio, licitum non est alteri, qui in sæculo remansit, ad alia vota transire *c. 2. de conuers. coniug.* ideo tenetur expectare annum probationis, quò pendente, est in arbitrio eiusdem nouitij à Religione discedere, & matrimonium consummare *Henriq. lib. 12. c. 5. n. 8.* imò addit *Sanch. cit. n. 8.* quod si coniux, intrans monasterium, esset duodennis, teneretur alter expectare quatriennium, donec impleuerit tempus annorum 16. constitutū *à Trid. sess. 25. cap. 15. de regular.* Idem procedit per professionem æquitum S. Ioannis, qui sunt veri religiosi *Henriq. cit. lib. 11. cap. 8. nu. 6. Filliuc. tract. 10. par. 1. cap. 2. qu. 11. nu. 62. Sanch. vbi multi lib. 2. disp. 18. n. 8.* sed non

12 ita per susceptionem alicuius ex sacris ordinibus, etiam si quis ad Episcopatum assumeretur; per hæc n. non soluitur matrimonium ratum, licet non consummatum *extrauag. antiquæ de voto Gregor. de Val. to. 4. disp. 10. q. 3. pun. 3. Henriq. Rebell. & aly apud Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 4. n. 6.*

13 Soluitur etiam matrimonium consummatum quoad torum per ingressum Religionis vtriusque professione secuta, quāuis alter, vel vterque iuuenis esset *c. dudū in fine de conuers. coniugat. Henriq. lib. 11. c. 8. n. 9.* vel etiam per ingressum vnius de consensu alterius, castitatem vouentis, *c. cum sis, c. vxoratus, & c. ad apostolicam de conuers. coniug.* dummodo, vt ibidem legitur remanens in sæculo cum voto, sit prouectæ ætatis, & sine suspicione incontinentiæ, de qua materia dictum est etiam supra *res. 110. n. 6.* vide *Henriq. cit. Sanch. lib. 7. disp. 32.* vbi de varijs casibus ad materiam at-

attinentibus latè, & rectè discurrit, &
14 singulariter dicit *n.9. ex cit.c.cum sit*, non
sufficere votum simplex coniugis remanentis in sæculo, licet senex esset, si adsit suspicio de incontinentia, & addit *nu.* 10. neque satis esse, si sit iuuenis, quamuis ita honestæ vitæ, vt nullus incontinentiæ timor subsit; sed in Ciuitate Neap. vidimus Ducissam Montisalti Hyspanam annis elapsis monasterium Discalceatarum S. Theresię ingressam, & professam cũ consensu sui viri, qui in sæculo remanens, gradum sacerdotalem assumpsit, & ambo erant potius iuuenes, quàm senes; antea etiam Regens de Ponte renuncians hoc primarium officium, professus est in Religione Theatinorum, vxore in sęculo cum voto castitatis remanente, quamuis isti essent ætatis prouectæ; propterea quando ingrediens, esset vir senex, si vxor in sæculo remanens, non esset & senex, & sine suspicione aliqua, quamuis votum castitatis emitteret. Ego omnino nego hoc fieri posse, vt rectè dicit Sanch. citat. ex quo per accessum viri ad domum vxoris post professionem daretur causa incontinentiæ; quod non habet locum in casu contrario, cũ non possit vxor exire de monasterio ad reperiendum virum. Si verò remanens in sæculo esset vir, minor esset difficultas. vide etiam infra *resol.* 119 *in fine*, *& resol.* 139. *n.* 30.

De impedimentis orientibus ex cognatione naturali, vel spirituali, aut legali, & primo de naturali, quæ est quartum impedimentum iuxta ordinem prioris resolutionis.

SVMMARIVM.

1 *Cognationis naturalis definitio.*
2 *Graduum computatio est diuersa de iure canon. à ciuili, & qui de ea tractent remissiue, Assignatur modus facilis computandi tàm in linea directa, quàm transuersali n.4. vsque ad 8. & nu. 10. & 11.*
3 *Matrimonia cõtrahendi prohibitio extẽditur hodie vsque ad quartũ gradũ consanguinitatis, vel affinitatis, prouenientis ex legitimo matrimonio, sed vsque ad secundum ex fornicatione & n.13. & 14.*
9 *Dispensatio in secundo gradu consanguinitatis non conceditur, nisi inter magnos Principes ex Trid. sed hodie etiam inter nobiles ordinarios.*
15 *Impedimentum iustitiæ publicæ honestatis habet locũ in primo gradu tantũ in spõsalibus per verba de futuro, in matrimonio autem in facie Ecclesiæ contracto, est vsque ad quartum & n.16. 17. & 19.*
18 *Extensio de casu ad casum, non fit in pœnalibus, etiam ex maioritate rationis.*
20 *Matrimonium contractum in facie Ecclesiæ cum puella minori, malitia supplente ætatem, copula non secuta, parit impedimentum publicæ honestatis iustitiæ, sicuti sponsalia de futuro.*
21 *Sponsalia per verba de futuro, non pariunt impedimentum publicæ honestatis iustitiæ, si fuerint mutuo consensu dissoluta ante contractum aliud matrimonium.*

Resolutio CXIII.

1 COgnatio, seu consanguinitas est vinculum personarum, ab eodem proximo stipite descendentium, carnali propagatione contractum *Sanch. hoc tit. lib.* 7. *disp.* 50. *n.* 1. vbi ait ita communiter definiri, tàm à *D. Tho. in 4. dist. 40. q. vnica art.* 1. quàm à Ciuilistis, & Canonistis *Regin. lib.* 31. *sub n.* 110. *Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 5. §. 1. n.* 3. aliter autem definitur à *Nauar. in man. cap. 22. n. 41. & aliter à Tolet. lib. 7. cap. 5. nu.* 1. in neutro tamen iure talem definitionẽ inuenio, sed sustineri iure potest, quamuis non sit totaliter conformis illi, quam tradit D. Tho. loco cit. quàm idem Sanctus dicit esse definitionem aliorum non
2 suam. De modo autem computandi gradus cognationis, ex quibus impedimenta matrimonij proueniũt, ac de differentijs computandi inter ius canonicum, & ciuile cum proprio arbore cognationis, & omnibus ad materiam pertinentibus latè scripserunt, & plantarunt *Portius inst. post tit. de gradib. Sylu. hoc tit. 8. à n. 5. Regin. lib. 31. cap. 20. n. 138. & seq. cum alijs.*
3 Sed ego breuiorem modũ, & faciliorem computandi tradã Pontif. vt infra; antea tñ aduerto, prohibitionem hodie contrahendi, non extendi vsque ad septimum gradum consanguinitatis, vel affinitatis, sicut olim, sed vsque ad quartum tantum inclusiuè *c. non debet de consang. & affin.* vbi sublatę quoque fuerunt prohibitiones cõtrahendi in secundo, & tertio affinitatis

genere (non dico gradu ne decipiaris, quę autem ista genera sint, docet Gl. ibidem v. in secundo, & tertio, de quibus, cum sublata sint, loqui non proficit) illa ergo prohibitio, si prouenit ex fornicatione cũ affine, extenditur vsque ad secundum gradum, *Trid. sess. 24. cap. 4 de reform. matrim.* Si verò ex legitimo matrimonio, vsque ad quartum *d. c. non debet*, & infra latius dicetur; breuior autem & sine labore computandi modus tyronum gratia, ne confundantur in interpretatione arboris, & varietate doctrinæ prædictorum, traditur à Pontifice *in c. fin. vbi Gl. eod. tit.* qui sub hoc versu continetur.

4 Quoto gradu quis distat à stipite, eo distat à suo collaterali, inspecto remotiori.

Circa lineam ascendentem, & descendentem nulla potest cadere difficultas, etenim quælibet persona, addita, gradum constituit, prima dempta. E. g. in linea descendenti, Titius genuit Caium, iste est in primo gradu Titio, Caius genuit Seium, iste est in 2. gradu Titio, & sic de singulis vsque in infinitum: in linea ascendenti eodem modo fit computatio, Titius idem, est filius Mutij, ille est in primo gradu Mutio, Mutius est filius Sempronij, est Titius in 2. gradu Sempronio, & sic de singulis vsque ad Adam, si possibile esset, nec in hac linea differt modus computandi inter ius canonicum, & ciuile. In linea

5 verò transuersali ponamus eundem Titiũ genuisse Alexandrum vltra Caium (qui sunt fratres, & in primo gradu, quia vno gradu distant à stipite, vt infra) Alexandrum genuisse Robertum, & Caium genuisse Franciscum; Robertus ergo, & Franciscus sunt fratres patrueles, seu cugini ex duobus st. fratribus descendentes, & si essent descẽdentes ex feminis, appellarentur cõsobrini, seu cõsororini ex duabus st. sororibus descendentes *§. sunt autẽ inst. de legitim. agna. success. & §. quarto gradu de gradib. cognat.*

6 Si volo nunc scire in quo gradu sint Robertus, & Franciscus, debeo computare ab alterutro ipsorum, & ascendere ad stipitem, & sic incipiendo à Roberto inuenio istum esse filium Alexandri, & hic est primus gradus, ascendo ab Alexandro ad Titium, qui est stipes huius generationis, & hic est 2. gradus, & sic in secundo gradu, quo distat Robertus à Titio, eodem secundo distat à Francisco, suo cugino, seu fratre patruele: ponamus [illegible] Robertum, & Franciscum genu[illegible] filios, isti filij seruato eodem modo computationis distabunt tribus gradibus à stipite, & ijsdem tribus distabunt inter [illegible]; & sic poteris eodem modo comp[illegible] in infinitum, si isti filij Roberti, & Francisci

7 genuerint alios filios, & isti alios. Quibus adde, quod quando Robertus non genuit alios filios, vel licet genuerit, volo tamen scire in quo gradu sit Robertus cum filijs Francisci, tunc non debeo incipere computationem à Roberto vsque ad stipitem, sed incipiam à filijs Francisci, vel remotioribus à stipite, ascendendo ad ipsum stipitem, à quo inueniam distare filios Francisci tribus gradibus, ergo ijsdem distant inter se filij Francisci cum Roberto, & consequenter vera est doctrina contenta in versu supradicto.

8 Et si ponamus filios Francisci genuisse alios filios, isti distabunt quatuor gradibus à stipite, & ijsdem cum Roberto, vel cum filijs Roberti, & sic poterit computatio fieri etiam in infinitum in hac linea transuersali, ex qua doctrina vides, quomodo filij Francisci non poterunt contrahere matrimonium cum Roberto, nec cum filijs eius,

9 quia sunt in quarto gradu; in quo tamen facilis est dispensatio; solùm n. in secundo non permittitur, nisi inter magnos principes *ex Trid. hoc tit. sess. 24. cap. 5.* (sed hodie etiam inter æquites ordinarios dispensatum vidimus in hoc secundo gradu) filij tamen filiorum Francisci, rectè contrahunt cum Roberto, vel filijs eius absque dispensatione, quia distant [illegible] gradibus à stipite; & iisdẽ inter se, in quinto gradu hodie sublata est prohibitio antiqua *ex d. c. non debet de consan[illegible]*

10 Sed hic modus computandi de iure canonico, est diuersus à modo co[illegible] de iure ciuili in linea transuersali, in linea tamen ascendenti, & descendenti non differunt; in transuersali ergo quando fit computatio, non sufficit ascendere à remotiori, vel a propinquiori vsque ad stipitem, sed opus est descendere etiam à stipite vsque ad al[illegible] de linea, à [illegible] quoto gradu disto, E. g. Titius genuit Alexandrum, & Caium, vt in exemplo superiori, isti fratres sunt in secundo gradu inter se de iure ciuili, licet in primo de iure canonico, vt diximus. Quia [illegible]cipio computationem ab Alexandro [illegible] est

est è contra) inuenio Titium , qui est sti-
pes, & in primo gradu , descendo ad Ca-
11 ium,& ecce secundus gradus, & propte-
rea de iure ciuili non datur primus gra-
dus in linea transuersali *l. 1. in princ. ff. de
gradib. & §. secundo gradu instit.eod.tit.* po-
namus Alexandrum genuisse Robertum ,
& Caium genuisse Franciscum , incipio
computationem à Roberto (idem est è
contra)ascendo à Roberto ad Alexandrũ,
iste est primus gradus , ab Alexandro ad
Titium, qui est stipes, ecce secundus, de-
scendo à Titio ad Caium, ecce tertius , à
Caio ad Franciscum , ecce quartus ; ex
quibus vides,quomodo fratres patrueles,
seu consobrini , qui de iure canon. sunt in
secũdo gradu,de iure ciuili sũt in quarto.
12 Ponamus vlterius Franciscum genuisse
filios,incipio ab istis ad Franciscum, ecce
primus gradus, à Francisco ad Caium,ec-
ce secundus, à Caio ad Titium, ecce terti-
us, descendo à Titio, qui est stipes ad A-
lexandrum , ecce quartus , ab Alexandro
ad Robertum,ecce quintus,& si Robertus
genuit filios, isti erunt cum filijs Francisci
in sexto gradu,quia in hac computatione,
siue incipiatur à remotiori, siue à propin-
quiori , semper quælibet persona adiecta
addit gradum , & sic similiter potero cõ-
putare in infinitum .
13 Eodem modo computatio fit in affinita-
te: etenim si Titius duxit in vxorem Ro-
bertam , omnes consanguinei Robertæ, fi-
unt affines Titio in eodem gradu affinita-
tis , quo sunt Robertæ consanguinitatis,&
è contra omnes consanguinei Titij , sunt
affines Robertæ in eodem gradu affinita-
tis , quo sunt Titio consanguinitatis , &
propterea mortua Roberta , nulla consan-
guinea eiusdem Robertæ vsque ad quar-
tum gradum inclusiuè , poterit esse vxor
Titij absque dispensatione , sicut è contra
nullus cõsanguineus Titij vsque ad quar-
tum gradum poterit eo mortuo ducere
Robertam in vxorem , *d.c.non debet.* Sed in
quinto gradu , tàm in affinitate , quàm
in consanguinitate nullum adest impedi-
mentum , & propterea , quamuis soleat
in Curia Archiepiscopali Neap. interponi
decretum, nullum inter istos quinti gra-
dus adesse impedimentum contrahendi ,
hoc tamen fieri ad sedandas murmurati-
ones iura ignorantium testatur Genuens. in
praxi eiusdem Curiæ cap. 2. n. 11. quem
sequitur Regens de Marin. lib. 1. resol.
267. n. 6.

14 Verum est etiam aduertendum , impe-
dimentum contrahendi matrimonium,nõ
solùm oriri ex consanguinitate, vel affini-
tate licitis , vt diximus , sed etiam ex af-
finitate proueniente ex coitu illicito, vsq;
tamen ad secundum gradum *Trid.sess.24.
hoc tit.cap.4.* vt etiam supra tactum est *n.3.*
& propterea cũ in facti contigentia Titius
carnaliter cognouisset Lucretiam sororem
vtrinque cõiunctam Auiæ maternæ cuius-
dam Bertæ , fuit citra omne dubium res-
ponsum , potuisse in vxorem ducere Ber-
tam absque dispensatione,affinitas n. inter
ipsos coniuges erat in primo gradu , inci-
piendo computationem à Lucretia vsque
ad stipitem , & in tertio incipiendo à Ber-
ta , à qua est exordienda computatio iux-
ta superiorem regulam , & tradit idem
de Marin. loco cit. n. 4. vbi n.8.refert verba
S. Congr. *quæ ita supra dicto cap. 4. Concilij*
15 *declarauit . Idem remotior gradus attendi-
tur in impedimento , quod oritur ex iustitia
publicæ honestatis , quod est in primo gradu
tantum secundum* Trid. *sess. 24. cap. 3. hoc tit.
& consequenter potest Petrus absque dispen-
satione contrahere matrimonium cum Berta ,
quamuis prius inter Petrum, & sororem ma-
tris Bertæ valida sponsalia fuissent contracta,
quia incipiendo computationem à Berta vsque
ad stipitem , qui est Pater dictarum sororum ,
sunt in secundo gradu , quamuis incipiendo à
Petro essent in primo .*
16 Quod quidem impedimentum tunc
oritur in primo gradu tantùm , quando
sponsalia fuerunt valida, & contracta per
verba de futuro *d. c. 3.* quia si per verba
de præsenti , quæ rectius dicuntur matri-
monia, sed copula non dum secuta,fuerũt
soluta per mortem naturalem, vel ciuilem
alterius,tunc licet nõ sit orta affinitas,quæ
non nascitur absque copula , remanet ta-
men impedimentum prædictum publicæ
honestatis iustitiæ , sed vsque ad quartum
gradum , sicut erat de iure antiquo iuxta
constit. *Pij 5. emanatã de mense Iulij 1568.
& declarationem* S. Congr. *relatas à Regente
cit.n.10. vbi n.14.* ait impedimentum hoc
esse etiam in primo gradu tantùm, quan-
do matrimonium fuit contractum per
verba de præsenti, sed nõn in facie Eccle-
siæ seruata forma *Trid. cit.cap.3. & dictum
est etiam supra resol.106.n.12.*
17 Quod autem docet ibidem *idem Regens
n.12.* istud st. impedimentum regulariter
oriri ex sponsalibus publicis in facie Ec-

clesiæ contractis, & non alias *ex c. unico de desponsat. impub. in 6.* (pace tāti viri dixerim) non videtur admittendum, quia in citato text. hoc non probatur, imò cōtrariū in *c. 1. de sponsal. eod. lib. 6. & in c. 3. & 4. eod tit.* quod si vellet dicere, posse extensionem fieri de matrimonijs ad sponsalia, dum illa *ex Trid. sess. 24. cap. 1. de reform. matr.* non valent, nisi fuerint contracta in facie Ecclesiæ, quasi quod vigeat eadem ratio, & intelligantur etiam correcta iura prædicta per Trid. in sponsalibus, obstant iuris regulæ; lex enim non corrigitur, nisi expressè dicatur *l. sancimus C. de testam. & l. præcipimus C. de appel.* quas ad hoc propositum allegat *Præses de Franch. decis. 489. n. 9. & 19. & ite-*
18 *rum dec. 666. n. 4.* Item in correctorijs, vt in casu nostro non fit extensio de casu ad casum, etiam ex maioritate rationis *l. si verò §. de viro. vbi Bar. ff. solut. matrim. idē de Franch. decis. 315. n. 8.* quæ dato, & non concesso, non obstare, & per consequens idem esset iudicandum de sponsalibus, ac de matrimonio, sequeretur ad summum, idem impedimentum in primo gradu oriri ex sponsalibus, non contractis in facie Ecclesiæ, sicuti ipse ibidem *n. 14.* fatetur oriri ex matrimonio non contracto in facie Ecclesiæ, & consequenter nec probaretur eius assumptum, sed in praxi quotidie cernitur sponsalia prædicta de futuro fieri per instrumenta à Notarijs in domibus sponsorum absque vlla requisitione, seu notitia Ecclesiæ, in cuius facie numquā vidimus, nec audiuimus fieri sponsalia; sunt n. contractus priuati, sicut cæteri, & vti tales non sunt Sacramentum (dico priuati ad differentiam matrimonij, quod publicè fit in facie Ecclesiæ.)

19 Proinde si ex eis taliter factis non oriretur impedimentum publicæ honestatis iustitiæ, numquam tale impedimentum locum sibi vendicaret, & consequenter dicerentur omnino correcta, & gratis iura canon. allegata, & alia de his loquentia, ac etiam *Trid. cap. 3. de reform. matrim.* vbi hoc impedimentum fuit restrictum ad primum gradum, nec Sanch. qui latissimè de hoc impedimento agit *lib. 7. eod. tit. disp. 68. & 69.* vel alij, quos vidi, istud dicunt, imò contrarium ex eod. Sanch. deducitur: potest tamen procedere doctrina dicti Regentis in sponsalibus sub conditione non purificata, vt legitur *in c. 1. §. fin. de sponsal. in 6. Sāch. cit. disp. 69. n. 2.* velnti si quis dixerit, promitto te in vxorem ducere, si factis denunciationibus, nullum inter nos apparuerit impedimentum, vel alio modo, quia hoc est de natura conditionis non purificatæ, quæ nullum parit effectum ex *l. qui hæredi §. fin. de condit. & demonstr. cum concord.*

20 Sed in casu, quo matrimonium per verba de præsenti contractum, carnali copula non secuta cum puella, quæ in ætate minore erat S. Congregat. vt refert *Regēs cit. n. 13. ita respondit. Si tempore matrimonij contracti inter N. & Martam in ætate minus legitima, malitia ætatis defectum in Marta suppleuisset, ex eo vtrinque non consummato, ortum esse impedimentum publicæ honestatis iustitiæ, quod fortius vinculum est, quam id, quod prouenit ex sponsal. de futuro; quod si malitia ætatis defectum non suppleuit, huiusmodi matrimonium, si modo seruata forma Concilij contractum fuit, resolui in sponsalia de futuro, ex quibus etiam oritur vinculum publicæ honestatis iustitiæ, licet debilius, quam illud, quod inducitur ex matrimonio rato non consummato, ita quod vtroque casu ut N. cum sorore Martæ matrimonium contrahere legitime queat, opus esse apostolica dispensatione*, & facit ad propositum *c. iuuenis 3. de sponsal.*

21 Verum quando sponsalia per verba de futuro contracta, mutuo contrahentium consensu dissoluta sunt, respondit videlicet *Congregatio Concilij censuit sponsalia per verba de futuro contracta, posse quandocunque ante contractum matrimonium per verba de præsenti, mutuo contrahentium consensu dissolui, itaque vbi sic dissoluta fuerint, nullum hodie inducere impedimentum. idem vbi supra n. 15. quod etiam probatur in c. 2. de sponsal. vbi legitur dissolui, etiamsi fuerint iuramento firmata, & ambo dissenserint.*

De cognatione spirituali.

SVMMARIVM.

1 *Cognatio spiritualis quid sit? Quot, & quæ personæ eam hodie contrahant ex baptismo, vel confirmatione? n. 2. vsque ad 6. Quomodo se gerere debeāt, vt eam contrahant? n. 8. Illa quæ contrahitur per baptizantem, vel tenentem propriū filium legitimum, an tollat ius petendi*

debi-

debitum, vel etiam reddendi, & quid si baptismus, vel tensio, aut confirmatio fuerunt ex necessitate, vel dolo, aut ignorantia? n.7. Contrahitur à Patrinis in baptismo, vel confirmatione in quacunque etate, dummodo vsum rationis habeant nu. 9. An contrahatur, quando quis putabat baptizare, vel suscipere filium Caij, qui erat filius Titij? & an possit con.rahi per medium q Procuratoris, vel potius contrahatur ab ipso? n. 10. 11. & 12. naturalis, & spiritualis parificantur, num. 13.

Resolutio CXIV.

NAuar. *in man.cap.22.n.36.& Sylu.hoc tit. 8.n.7. vterque ex D.Tho.in 4.sent. dist. 42. & ex communi DD. in Rubr. de cognat. spirit.* quos sequuntur recentiores, ita istam cognationem definiuit. Est atti-
1 nentia duarum personarum, quæ ex statuto Ecclesiæ oritur per baptismum, vel confirmationem propter susceptionē baptizati, vel confirmati; Omittendo nūc disposita per ius antiquum, iuxta quod multi hoc vinculo ligabantur, de quibus agūt DD. prędicti, & alij, referam solùm disposita per *Trid.hoc tit. sess. 24. c.2.* vbi sta-
2 tutum est, vt vnus tantùm siue vir, siue mulier, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant, inter quos, ac baptizatum ipsum, istiusq; Patrē, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur.

Idem de confirmatione, quæ confirmātem, & confirmatum, istiusque Patrem, & matrem, ac tenentem non egreditur, omnibus inter alias personas huius spiritualis cognationis impedimentis sublatis, vt ibidem legitur, ex quibus colligitur, hanc
3 cognationem non contrahi inter virum, & feminam suscipientes alienum filium de fonte, & propterea possunt inter se matrimonium contrahere, & si essent prius matrimonialiter copulati, & simul susciperent alienum, non impediretur petitio debiti *Sanch. lib.7.disp.44. nu.12.hoc tit. ex Nauar. cit. cap.22. n. 39. Suar. in 3. par.to.3. q. 67. art. 8. & alijs.* Neque con-
4 trahitur per suscipientē puerum in baptismo domi priuatim administrato; sed per baptizantem licet priuatim in casu necessitatis, vt dicunt multi apud *Bonac. hoc eod. tit. quæst.3. pun.5. §. 2. num. 11. Sanch. autem cit. disput. 62. num. 13.* docet probabile esse, vt ille etiam contrahat hanc cognationem; sed probabilius esse contrarium; Verum *Nauar. cit.nu.40.* dicit, quod per baptismum domi in necessitate factum, & sine solemnitate contrahitur cognatio, non autem, quando postea in Ecclesia idem baptizatus exorcizatur, & vngitur, cum iste posterior actus, non sit Sacramentum, sed sacramentale; & propterea suscipiens in hoc secundo actu, nullam contrahat cognationem.

5 Quod si de priori Baptismo dubitetur, & secundus fiat sub conditione, magna est altercatio inter DD. quis ex baptizantibus, vel suscipientibus cognationem contrahat, quos refert *Sanch. vbi supra disp. 62. n.6.& 7.* dicens; quod quando post iteratum baptismum scitur priorem fuisse validum, ex illo oriatur cognatio, quando verò creditur illum fuisse inualidum, oriatur ex hoc, non autem ex illo; in casu verò dubij probabilis, posse alterutram opinionem amplecti; sed hoc in isto tertio casu posset procedere in foro conscientiæ cautius agendo; in foro verò exteriori, dū hæc cognatio impedit matrimonium conhendum, & aliquando dirimit contractū, vt infra, ego credo neutro in casu cognationem cōtrahi ratione incertiudinis *ex l. duo sunt Titij, ff.de testam.tut.* vbi statutum est, quod dato Titio in Tutorem pupillo, dum duo habebant idem nomen, & ignorabatur de quo testator sēserat, nullus esset tutor; proniores n. esse debemus ad liberandum, quam ad obligandum *l.Arrianus ff.de act. & oblig.*

6 Baptizans autem filium proprię concubinæ contrahit istam cognationem, tam cum filio, quàm cum matre, iuxta supradicta, ex Triden. & propterea non potest cum illa postea matrimonium contrahere, et si baptizasset in casu necessitatis, & magis extra eū, si laicus baptizaret per ignorantiam, vel alio quocūque modo, impeditur contrahendum, & dirimitur contractum *Angel. v.matrimonium 3.impedim.7.n. 16.Sylu. eod.8.q.7. Nauar. summa c. 16.nu. 34. & c.22.n.40.Eman. Sà eod.v.matr. n.5. vers. etiā in baptismo Sanch. d.disp.62.n.10.*
7 *& 11. vbi multi.* Quod si post matrimoniū contractum contingat patrem baptizare filium

filium, non dirimitur matrimonium, & si baptizat in casu necessitatis, non impeditur debiti petitio, si extra necessitatem, sed ex ignorantia, idem est, si adhibuit diligentiã, aut ex industria, & amittit ius petendi, sed tenetur reddere, quia dolus viri non debet nocere vxori, vt latius diximus supra *resol.* 111.*n.*22. quibus adde *Sylu.v.matrimonium* 8.*n.*7. *ex D.Tho. in 4. dist.* 42. *& quodl.*6.*q.*3.

8 Sed in quocunque casu necesse est, vt patrini teneant baptizandum, vel confirmandum, quando ista Sacramenta conferuntur, dum st. aqua infunditur puero in baptismo, aut dũ in confirmatione ab Episcopo vngitur, aut saltem illum leuent de fonte statim, ac perfecta sunt illa, in quibus eorũdẽ Sacramentorũ sustantia consistit; nec sufficit leuis tactus, puta si in digito, vel huiusmodi, sed talis debet esse, vt verificentur in Patrinis illa verba, tenere, vel leuare puerum, aut suscipere iuxta scripta *in c.*1.*& c. ad suscipiendum de cognat spirit. in* 6.*iuncto Trid.cit. sess.*24. *c.* 2. *Sanch.vbi supra disp.*56. *nu.*1.*Regin. lib.*31. *sub n.*151.itaque nõ sufficit suscipere puerum de manu alterius Patrini, quia iste non diceretur leuarè de sacro fonte, vt requiritur, nec simplex assistentia, & responsio verbis baptizantis, vt rectè ex innumeris DD. authoritatibus declarãt *Sãch. cit.n.*3. *Filliuc.tract.*10.*par.*2. *cap.*5. *q.*7. *n.*191.

9 Notandum etiam est, posse in quacunque ætate, dummodo adsit rationis vsus, hanc cognationem per patrinos contrahi *Filliuc. vbi supra n.*196. *Sanch. in lib.* 7. *hoc tit. disp.*61. *n.*4.*Regin.n.* 157. Error autem

10 personæ baptizatæ operatur, ne cognatio prædicta contrahatur; veluti si quis putans suscipere filium Caij, suscipiat filium Titij, cum neutro contrahit, quia non habet intentionem suscipiendi filium Titij, & ideò cum isto non contrahit, neque cum parentibus eius; & cum non suscipiat filium Caij, nequit cum isto, vel parentibus contrahere *Bonac.sub hoc tit.q.*3.*pun.*5.*§.*2.*n.*18. *ex Sanch.cit. disp.*58.*n.*7. *& alijs*, quibus adde text.cit. *in l.duo sunt Titij*, vbi vitiatur actus propter incertitudinẽ, Regin.autẽ cit.*sub n.* 155. dicit tutum esse existimare contractam cognationem, non autem necessarium, sed hoc nec ratione aliqua fundat, nec DD. allegat.

11 Item dubitari potest, an constituens procuratorem ad suscipiendum, vel tenendum suo nomine infantem in baptismo, vel confirmatione hanc cognationem contrahat, uel potius ipse procurator suscipiens? & contrahi à principali, non autem a procuratore vult *Bonac.cit. nu.*34. *ex Eman.Sà, Ledesma, Nauar. Rota Rom. & alijs*; Ego verò puto contrahi à procuratore, si hoc intendit, non autem à principali ex *Abb. in c. veniens de cognat. spirit. Io. Andr. in c. potest quis de regul. iur. in* 6. *Armilla hoc tit.* 5.*§.*2.*Tolet.lib.*7. *cap.*4. *n.*6. *Sanch.cit.disp.*59.*n.*3. Ratio est, quia ad talem cognationem contrahendam non sufficit sola voluntas, sed etiam tactus physicus, vel susceptio, aut leuatio de sacro fonte, vt paulo antè dictum est, sed nullum istorum potest agere absens, ergo &c. Nec

12 sufficit ista expleri à procuratore nomine principalis, vt dicit Bonac.loc.cit. quia requiritur tactus personæ designatæ; aliæ n. personæ, etiam si tangant, non contrahũt, vt in *Trid.cit. sess.* 24. *cap.* 2.*ibi, quod si alij vltra designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto con rahant.* Secundo, & melius, quia cognatio naturalis non potest fieri per Procuratorem, vt patet, nec cognatio legalis *l. post mortem* 25. *§.fin.de adopt.* quia ista legalis naturã imi-

13 tatur *§.minorem natu. instit. de adopt.* sed cognatio naturalis, & spiritualis parificantur *c.debitum circa finem de baptismo*; ergo sicut illæ nequeunt fieri per procuratorẽ, ita nec ista; his tamen non obstantibus, cõtrarium videtur decisum per S. Congr. vt in declarationibus Concilij *sess.*24.*de refor. matr. post cap.*2.*n.*4. de qua decis. non meminit Bonac. cit. sed est tenoris sequentis videlicet, *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti. Hinc est, quod vnus, qui sit viri, & alter qui sit procurator mulieris, baptizatum de sacro fonte suscipere possit, sed non duo viri, vel dua mulieres, vnusquisque tamen proprio nomine, non item vir loco mulieris, vel mulier loco viri.*

De cognatione legali.

SVMMARIVM.

1 *Cognatio legalis quid. & quotuplex sit?*
2 *Adoptio an & quando impediat matrimonium contrahendum, vel dirimat contractum inter ipsos adoptantem, & adoptatum,*

ptatam, illorumque parentes, & nu. 3. [illegible]ue ad finem.

Resolutio CXV.

1 Cognatio prædicta est propinquitas ex adoptione alicuius in filium prouenicns *Gl. in rubr. de cognat. legali ex l. adoptiones de adopt. sequitur Nauar. in man. c.22. n.44.* vbi triplicem esse firmat; adoptantis st. & istius ascendenti ũ cum adoptato, istiusque descendentibus, quæ nec dissolutione adoptionis, siue per mortem naturalem, siue ciuilem, vel [illegible] per emancipationem tollitur, & ideo inter istos nequit, etiam adoptione soluta, matrimonium consistere, & si de facto fiat, est nullũ allegat *text. in c. ita diligere 30. q.3.* quem etiam ad hoc propositum citat *Bonac. hoc tit. q.3. pun.5. §.3. n. 5.* sed reuera ibi hoc non legitur, sed benè *in §. ergo non omnis instit. de nupt. quem citat Sanch. lib. [illegible] disp.*
2 *63. n.6. & 12.* vbi fatetur, & communem dicit, hanc adoptionem, seu, vt rectius dicam, arrogationem, impedire matrimoniũ contrahendum, & dirimere contractum, sicuti ante eos docuit *Lancell. instit. canon. lib. 2. sub tit. de triplici cognatione §. perpetuam.*

3 Secunda est inter vxorem adoptati, & adoptantem, & inter adoptatum, & adoptantis vxorem, inter quos neque potest [illegible] matrimonium mortuis priori[illegible] [illegible]us, probatur in *l. adoptiuus filius [illegible] de ritu nupt. Sanch. [illegible] n. 24.* & ista re[illegible] dicitur affinitas legalis, quam cognatio[illegible] de quo impedimento licet ius canon[illegible] non meminerit, ita tamen fuisse [illegible] receptum ab Ecclesia dicunt *Sot. [illegible] q.2. art.2. Sanch. vbi supra num. [illegible] ex D. Thom. 4. dist. 4[illegible]. q.2. ar.2. in corp. & a[illegible] Lanc[illegible] cit. §. [illegible] cognatio vbi Gl. [illegible] lib. 21. n.162.*

4 Tertia est inter adoptatum, & filios legitimos & naturales adoptantis, & ista cognatio circa impedimẽtum matrimonij inter [illegible], donec durat adoptio, quæ si [illegible] emancipatione alterius, vel per mortem patris adoptiui, cessat impedimentum, vt legitur *in c. vnic. de cognat. [illegible] etiam in dicto c. ita diligere [illegible] per adoptionem [illegible] n. 3. [illegible] Sanch. [illegible] n. [illegible]* Quod [illegible] *n.159. & 16[illegible]. [illegible] vbi supra sub n.2 [illegible] 6* & si qui sunt alij, arrogationem vocari adoptionem perfectam, quia fit ab Auo materno, vel etiam ab Auo patерno, si filius existens in medio fuerit emancipatus iuxta disposita in *§. sed hodie instit. de adopt. & l. cum in adoptiuis C. eod.* adoptionem autem, quia fit ab extraneo, dici imperfectam, esset tolerabile, si non vltra progrederentur; sed quia inde inferunt non dari impedimentum nubendi in ista, quam vocant adoptionem imperfectam, hoc est merum somnium, cum reuerẽtia, quia cõtrariũ expresse statuitur in dictis *c. vnico, & c. per adoptionem,* benè verum est, quod soluta ista adoptione per mortem patris adoptiui, vel per emancipationem adoptati, tollitur impedimentum, vt *in d. c. vnico Nauar. d. num.45. Sanch. cit. sub num.24. & 27.* vbi alij, quos Bonac. citat [illegible]. Quibus autem modis, & a quibus [illegible] possit adoptio, quia latè [illegible] in dicta *l. cum in adoptiuis, & toto fere tit. C. de adopt. cum tit. instit. eod,* omitto licet DD. prædicti, & alij latè etiam illa transcripserint.

De impedimento criminis, quod est quintum in ordine.

SVMMARIVM.

1 *Adulterium cum homicidio, an & quando dirimat matrimonium postea contractũ, sed ante tractatum, vel etiam confectũ [illegible] homicidium non fuerit secutũ, [illegible] attentatum, vel etiam secutũ, [illegible] alterο [illegible] & n.2. & quid si ad alium fin. m? n.3.4. & 5.*

6 *Scientia vtriusque coniugis, an requiratur de homicidio cum adulterio commisso, ad finem dirimendi secundum matrimoniũ, vel sufficiat vnius [illegible]?*

Resolutio CXVI.

De hoc impedimento dictum est sup. *resol. 11. n.18.* vbi egimus, quando vnus ex coniugibus, qui conspirauit, vel realiter occidit alterum, impeditur nubere cum secunda prius cognita, vel nullo modo, cum distinctione vtrum, si secunda fuit conscia, vel inscia conspirationis, vel mortis alterius, & an etiam si de

de facto fuerit matrimonium contractum
eum secunda, dirimatur, de quo erat hic
agendum, ibi tamen de vtroque impedi-
mento actum fuit occasione primi, quod
ad illum locum spectabat, sed ex ibi di-
ctis, & iuribus statim allegandis, has con-
clusiones pro maiori dilucidatione mate-
1 riæ mihi constituo, Homicidium commis-
sum in vnum ex coniugibus (quod voca-
tur parricidium, vt ibi probauimus) in-
ducit impedimentum dirimens matrimo-
nium inter eos, qui in mortem illius pri-
mi coniugis conspirarunt ad finem, vt
morte secuta inter se contraherent, secus
si mors non fuit violenter, quamuis co-
natus accesserit, sed naturaliter secuta
*Gl. in c. super hoc v. machinata de eo, qui du-
xit* ea ratione quia verba sunt intelligen-
da cum effectu *ex c. relatum de Cler. non
resid. idem ex D. Tho. in 4. dist. 35. q. vnica
in exposit. littera magistri in fine* ab vniuer-
sis secuto testatur *Sanch. lib. 7. hoc tit. disp.*
78. *n.* 7. vbi tamen hoc non inueni, nec
2 habet locum pœna prædicta, si mors fuit
machinata ab vno, inscio altero *c. si quis
viuente 31. q. 1. c. 1. & 3. de eo, qui duxit in
3 matrim* & multo minus si homicidium
fuit factum ad alium finem, vt in bello, vel
ex inimicitia, quia nõ est causa impediẽdi,
neque dirimendi. *c. laudabilem de conuers.
infid. Gl. in d. v. machinata. Nauar. in man.
cap. 22. n. 46. Filliuc. tract. 10. par. 2. n. 253.*
Secundo & à fortiori adulterium indu-
cit etiam impedimentum dirimens ma-
trimonium, quando est adiunctum homi-
cidium illius, cum cuius coniuge contra-
hendum est, et hoc dicitur adulterium
cum homicidio *d. c. si quis viuente & d. c. 3.*
sed non sufficit solùm adulterium *c. signifi-
casti de eo, qui duxit in matrim* Tertio
4 si quis viuente prima, cognouit alteram,
quam de facto sibi copulauit, dirimitur
secundum matrimonium, etiam prima na-
turaliter mortua *c. cum haberet eod. tit.* quod
dicitur adulterium cũ matrimonio. Quar-
to quando quis viuente prima, cognouit
secundam cum promissione ab ea accep-
tata contrahendi cum ipsa, si prima obie-
rit, tunc mortua prima, licet naturaliter,
dirimitur secundum, si de facto fuerit
contractum *c. fin. in fine de eo, qui dux. in
matr. quã poll. & c. relatum 31. qu. 1.* quod
dicitur adulterium cum promissione ma-
trimonij *Sanch. cit. disp. 79. n. 1.* quæ conclu
siones intelliguntur accedente scientia v-
triusque coniugis de priori matrimonio,
vt *in d. c. veniens, & c. fin. eo tit.* secus vn ex
eis inscio *d. c. 1. & d. c. veniens de eo qui dux.
Greg. de Valent. to. 4. disp. 10. q. 5. pun. 3. S.
crimen Sanch. d. disp. 79. in fine.* vbi reassu-
mit hanc, & alias conditiones requisitas
ad hoc, vt tale impedimentum locum ha-
beat *Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 8. q. 2. n. 253.*
ratio est, quia ex dictis promissionibus ori-
tur votum captandæ mortis alterius con-
iugis, quod generaliter prohibetur *in L.
fin. ff. de pact.* vt aduertit etiam *Sanch. cit.
d. disp. 79. n. 40.* Regin. autem *lib. 31. num.*
6 133. distinguendo dicit, quod quando
homicidium coniugis est sine adulterio,
tunc requiritur scientia vtriusque coniu-
gis, & consensus præuius de matrimonio
postea contrahendo, quo contracto diri-
mitur, vt supra, allegat etiam *c. 1. de con-
uers. infidel.* quando verò homicidium est
coniunctum cum adulterio, sufficit alterã
tantùm personam, altera nescia machina-
tam esse huiusmodi mortem, allegat di-
ctum *c. si quis viuente, & c. significasti de eo,
qui duxit, & Sanch. d. disp. 78. n. 9.* quod est
etiam probabile.

De disparitate cultus; seu sexto impedimento dirimente.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium contractum inter fidelem & infidelem, etiam si esset catechumena, est nullum; sed an talis nullitas sit de iure naturali, vel diuino, vel canonico, aut de consuetudine Ecclesiæ? nu. 2. & 3. An fuerit validum ante aduentum Christi, quamuis hodie non dubitetur esse nullum, & an possit Pontifex super eo dispensare? n. 5. Contractum inter catholicum, & hæreticam, vel schismaticam, aut excommunicatã, & è contra, est validum, sed contrahentes peccant mortaliter, quod fa[illegible] in Germania, Gallia, & Polonia n. 4. Inter infideles, validum est quatenus est contractus, non autem quatenus est sacramentum; quo, nec alij, ipsi sunt capaces, sed altero ad fidem conuerso, licitè separatur ab altero, qui nolit cum conuerso permanere, vel adsit periculum peruersionis, quo casu potest etiam secundò nubere, vel ad Religionem transire,*

aut

aut sacros ordines suscipere, quod si ante secundas nuptias alter conuertatur ad fidem, cogitur alter eum in virum recipere n.6.& 7. Contractum inter catholicos, si alter fiat infidelis, vel hareticus, nequit catholicus ad secunda vota transire, donec ille vixerit, n.8.

Resolutio CXVII.

1 NOn dubitant DD. matrimoniū con-
tractum inter fidelem, & infidelem
seu baptizatum, & non baptizatam,
vel è contra, etiam si esset cathecumena,
esse nullum, vt dictum est supra res.108.
n. 2. & consequenter dirimi, si de facto
sit contractum; difficultas solùm est inter
eos, an hæc nullitas sit statuta de iure na-
turali, vel diuino, vel canon. aut de con-
suetudine Ecclesiæ;etenim *Nauar.in man.*
cap.22.n.48. vult, hoc esse inductum de
iure canon. *ex c.caue vbi Gl. 28. q. 1.* sed
clarius videtur ordinatum *in c. Iudei & c.*
2 *fin.ead. causa,& q.*Sanch.autem *de matrim.*
lib.7. disp.71.n.8.Regin.lib.31. n. 166. Fil-
linc.tract.10.par.2.cap.7.n.226. in fine, &
Bonac.q.3.pun. 7.n.1. vbi cæteri, dicunt,
nullitatem esse solùm inductam de consu-
etudine Ecclesiæ, quia text. cit. non sunt
alicuius Pontificis; adde quod ex *Triden.*
sess.24. cap.1. de reform. matrim. declaran-
tur nulla matrimonia, quæ non contra-
huntur in facie Ecclesiæ in præsentia Pa-
rochi, & duorum testium, quod dicitur
ius commune, saltem in partibus;vbi fuit
receptum, & sic nullitas talis matrimo-
nij esset de iure can.in locis prædictis, v-
traque tamen opinio videtur probabilis.
3 De iure namque naturali, nec nullum
erat tale matrimonium, nec prohibitum,
quandoquidem Iacob matrimonium inijt
cum filiabus Laban ethnici, & Ioseph
cum filia Putipharis Egyptia, Moyses cū
filia Ietro Ethiopissa; neque de iure diui-
no scripto; Esther n. nupsit Assuero, nec
tandem initio legis Euangelicæ,quia San-
ctam Monicam duxisse in virum, quen-
dam infidelem testatur Augustinus eius
filius *in lib.9.Confess.cap.9.* sed videtur hoc
prohiberi de iure diuino ex *c.34. Exod.&*
3.Reg.11. vbi Deus mandauit filijs Israel
ne nuberent mulieribus alienigenis,
quæ erant Idolatræ, quibus respondet
*Sanch.lib.7.disp.71.n.11.*quod hoc conces-
so, dicitur vetitum esse de iure dinino, sed
non irritum, & propterea cum irritatio fit
de iure can.vel de consuetudine Ecclesiæ,
possit Pontifex dispensare, non solùm va-
lidè, sed si adsit causa legitima, etiam
sine scrupulo *Sotus in 4.dist.39. q.vnica ar.*
2. in fine corp.Sylu. Tab. & alij apud eundem
Sanch.ibidem n.10.& Filliuc. cit. n. 227. in
contrarium facit, quod quando lex ali-
quid prohibet per verba negatiua, vt in
casu, actus non obstante prohibitione se-
cutus, est nullus, vt probat *Sanfel. decis.*
195.n. 13. & propter hoc fortasse non
audiuimus Papā aliquādo dispensasse;sed
me subscribo dispositioni S. M.Ecclesiæ.
4 Quod si contrahatur cum hæretica, vel
schismatica, aut excommunicata, vel è
contra, est sine controuersia matrimoniū
validum, quia sunt baptizati, sed contra-
hentes peccant mortaliter, tum propter
prohibitionem Ecclesiæ *ex c.non oportet 28*
q. 1. tum propter periculum peruersionis
Nauar.cit.n.49.in fine Sanch.vbi supra disp.
72.n.4. ex D.Tho.Sot.& alijs,qui nu. 5. hoc
limitat in Germania,Gallia, & Polonia,
quibus in locis ex consuetudine recepta
ob communem pacem,tuendamque Rei-
publicæ tranquillitatem, licite contrahun-
huntur talia matrimonia, dummodo ca-
tholicus cum hæretica cōtrahens,permit-
tatur liberè, & absque peruersionis peri-
culo in fide permanere *Azor. 2. par.moral.*
5 *instit.lib.8.cap.11.q.5.* Ex quibus sequitur,
posito prohibitionem esse tantùm de iure
positiuo, posse à fortiori,& ōni dubio ces-
sante Pontificem hoc in casu dispensare,
sicut de facto egit nouissimè inter Regem
Britannicum, & filiam Serenissimi Do-
mini Ducis Bragantiæ, nunc Regis Por-
tugalli, DD. citati, & dictum est supra
resol. 108.
6 Matrimonium autem infidelium,validū
est inter eos, quatenus est contractus *c.*
gaudemus de diuort. & c. deinde dist. 20. si
tamen fiat seruata forma suarum instituti-
onum, & legum *c.fin. vbi Gl. fin.de diuor.*
*& c.de infidelibus 4.de cōsang.& affin.*mini-
mè verò quatenus est Sacramentum; cum
enim careant baptismo, qui est ianua cæ-
terorum, nequeunt recipere istud matri-
monij,nec alia *c.fin.de presb. non bapt. Nau.*
in man.c.22.n.48. Quod si alter ex talibus
coniugibus fidelis fiat per baptismum,po-
test cōuersus se separare à nō conuerso, si
alter, vel nullo modo, vel non sine bla-
sphemia diuini nominis velit cum altero
permanere. vel periculum peruersionis

adsit, vel honotem Deo debitum impediat, aut retrahat familiam à Christi fide *Valent.to.4.disp.10.q.1.pun.7.Henriq.lib.11 c.8.n.4.Sanch.lib.7.disp.74.n.8.& 9.Fillinc. vbi supra n. 237.*

7 Imò idem conuersus licitè de licentia Ecclesiæ ad secunda vota transire potest *c. quanto de diuort.* vbi in isto casu ait Pōtifex intelligere verba *Apost. 1.ad Corinth. 7.si infidelis discedit, discedat; frater enim, vel soror non est seruituti subiectus in huiusmodi*, quod si ante transitum ad secunda vota, infidelis veniat etiam ad fidem, cōpellitur, qui remansit in fide, eum iterato recipere *c. gaudemus §. quod si eod.tit.* idem si fidelis vellet religionē intrare, quod potest etiam inuito infideli iuxta *Gl. ibidem v.compelletur in fine argum. c.final. in fine de conuers. coniug.Sanch. cit.disp.76. n.1.ex D. Tho. et alys Iul.Clar.in pract. crim. §.haeresis n.15.* sed est monendus infidelis tā ante transitum ad secunda vota, quam ante emissionem professionis, vel ordinis sacri sumptionem secundum *Sanch.n.3. & 8.ex eodem D.Tho.& alys*, quia si vult alter ad fidem venire, non potest fidelis secundo nubere, vel professionem emittere, aut ordinari, sed tenetur eum iterato recipere, vt supra. Professione verò, vel ordinatione secutis, remanet solutū matrimonium, & potest infidelis absque peccato aliud matrimonium contrahere, vt docet idē *Sāch.cit.n.9.* ex bonis rationibus; quod vlterius probatur, quia si conuersus non vult ad Religionem transire, sed iterum nubere, hoc ei non prohibetur, quando alter vult in infidelitate permanere, vt dictum est ex cit. *c. quanto*, ergo eodem modo potest nubere alter, qui in infidelitate remansit ad æqualitatem seruandam, quia quod disponitur in vno de correlatiuis, disponitur in alio *l. vnica C. de cupress. lib.11.D.Tho. in 4.dist.32. qu.1. ar.3. ex Apost.1. ad cor. 7.* Contra verò si vterq;
8 sit catholicus, & alter labatur in hæresim, vel transeat ad gentilitatis errorem, nequit fidelis in fide perseuerans, donec vixerit ille, ad secunda vota transire, quia alias aperireтur via multis fraudibus, tendentibns ad matrimonij separationem, quas exemplificat idem *Inn.in d.c.quāto, & legitur in Trid.sess.24.can.5.hoc tit.* addit ēt Innoc. ibidem, non obstare obiectionem, quod fidelis relictus non debeat iure suo sine culpa priuari, cum in multis alijs casibus hoc accidat, vt in exemplis ibidem traditis, & relatis supra rèsol. 110. in fine.

De impedimenro vis, seu metus, quod est septimum.

SVMMARIVM.

1 *Metus, & vis olim differebant, sed hodie minime, alius dicitur intrinsecus, alius extrinsecus, alius iustus, alius iniustus, & qualis debeat esse, vt actum rescindat? n.2. & 3. Aliquando infertur facto, aliquando verbis, seu minis, sed an & quando, & qualis istorū actum anulleti? n.4.* Si *sit de amissione libertatis, vel honoris, aut amissionis omnium bonorum, aut maioris partis eorum, etiam si inferatur parentibus, vel filijs, aut fratribus nostris anullat actū.n.5.Reuerētialis filij erga Patrem, concurrentibus minis, vel precibus importunis, vel enormi lasione actum rescindit, etiam si ageretur de rescindenda professione n.6.*

7 *Matrimonium metu contractum, licet consummatum est nullum, si durauit causa metus, secus si spontè secuta postea fuit copula, de iure communi loquendo & n.8. sed quid si metus fuit iustus? n.11.12.& 13.An sit etiam irritum de iure naturæ, & proinde inter omnes gentes? n.9.*

10 *Consensus, qui est de iure naturali, facit matrimonium, non concubitus.*

Resolutio CXVIII.

1 VIs, & metus olim in iure, aliquo modo differebant, sed postea detracta est vis mentio, quia quodcunque vi atroci fit, id quoq; metu fieri videtur, ait *Vlpia. in l.1.ff.quod metus causa*, & consequenter si quis vi cōpulsus aliquid fecit, restituitur, tamquā metum passus *l.3.ff.eod.* diuidunt autem metum Canonistæ, alium vo-
2 cantes intrinsecū, aliū extrinsecū; ille est, qui à causa intrinseca, vel naturali infertur, qualis est metus mortis, proueniens ex graui infirmitate, aut ex feris bestijs; iste verò, qui infertur ab homine, vti causa extrinseca libera. Supponimus priorem non sufficere ad rescindendum actum, tali metu factum iuxta communem DD. apud *Bonac.de voto q.2.pun.3.§.1.n.3.&4.* & ideo lo-

loquimur de secundo, qui ad finem inua-
lidandi actum, debet esse cadens in homi-
nem constantissimum l. metum ff. eodem ;
vnde si quis meticulosus frustra metuit,
ad hoc edictum non pertinet, ait I. C. in l.
nec timorem ff. eodem.
3 Præterea alius dicitur metus iustus ali-
us iniustus ; ille est, quem infert magi-
stratus iure licito ob iustam causam, siue
sit verberum, siue carceris, aut etiam mor-
tis ; iste verò, quē idem infert, sed contra
ius, extorquendi sc. causâ pecuniam ob
liberandum noxium, vel damnandum in-
noxium, ille non infirmat actum eo metu
factum, iste verò sic l. continet §. sed vim ff.
eodem. Item aliquando metus infertur etiā
4 à non iudice carcerando aliquem, vel ver-
berando, aut vulnerando, vt in iuribus
citat. aliquando solùm minas inferendo,
illa seu quodlibet illorum sufficiunt ad
nullitatem actus, istæ verò minimè, nisi sit
deuentum ad actum proximum l. metū C.
eod. tit. vel si inferantur à potente, præci-
puè in feminam, vt est casus c. 1. de ijs, quæ
vi metusue causa, vel à solito illas exequi,
l. metus, & ibi Gl. fin. ff. ex quib. caus. maior.
facit tex. in l. vnica C. si quis Imper. maled.
Iul. Clar. in pract. crim. §. finali q. 21. nu. 37.
Henriq. lib. 11. cap. 9. num. 4. latè Sanch. hoc
tit. lib. 4. disp. 5. per totam Regin. lib. 31. nu.
77. & 84.
5 Non solùm autem rescinduntur gesta
per metum mortis, vel vulnerum, carce-
ris, aut minarum, vt supra, sed etiam amis-
sionis libertatis, vel honoris, cum viris bo-
nis, iste metus maior, quàm mortis esse
debeat l. isti quidem §. si is accipiat, & §.
quod si ff. quod metus causa: item amissionis
bonorum, vel maioris partis illorum c. Ab-
bas 2. de ijs, quæ vi DD. cit. & etiā si metum
passus iurasset non contrauenire c. ad audi-
entiam 4. eod. tit. quod extenditur etiam
si ista mala essent inferenda filijs d. l. isti
quidem in fine. ac ēt alijs coniunctis nostris,
puta parentibus, vel vxori, aut fratribus
Henriq. lib. 11. c. 9. n. 5. Sanch. cit. n. 3. Coninc.
disp. 28. dub. 2. n. 36. & alij communiter, fa-
cit. tex. in c. sciant cuncti de elect. in 6. vide a-
lios apud Regent. de Marin. lib. 2. resol. 76.
à n. 1. vsque ad 4.
6 Idem operari metum reuerentialem
filij erga patrem docent Henriq. d. n. 5. Va-
lent. to. 4. disp. 10. qu. 3. pun. 2. Regin. lib. 31.
n. 85. multique alij apud Menoch. de arbitrar.
lib. 2. cent. 2. casu 136. & apud Sanch. lib. 4.
disp. 6. n. 4. & sequent. quando tamen con-
currunt minæ, vel preces importunę, hanc-
que esse veriorem dicit Sanch. ibidem n. 7.
vel enormis læsio, vt refert decisum Præ-
ses de Franch. decis. 119. n. 5. & 24. in fine,
quo casu idem procedere, si ageretur de
anullanda professione scribit ex Mantica
de coniect. lib. 2. tit. 7. n. 7. Grat. discept. 108.
n. 53. quod confirmat Ronit. in pragm. 1. ad
7 Maced. n. 59. Quibus generaliter præmissis
facile est descendere ad alios casus parti-
culares, & propterea matrimonium metu
contractum, etiam carnali copula secuta,
inualidum est c. veniens. 15. de sponsal. Ricc.
resol. 253. n. 2. vbi ita refert pluries decisū
per Rotam Rom. consensus n. qui matri-
monium facit, locum non habet, vbi metus
vel coactio intercedit ait Alex. 3. in c. cum
locum eod. tit. Abb. & Præpos. in c. consulta-
tioni eod. tit. Nauar. in man. cap. 22. sub n. 5.
vers. tertium quod. & versic. nonum circa
medium ex D. Tho. & alijs ; quia consenti-
re non videtur, qui dissentire non potest
dicit Bar. in consil. nouiss. 5. n. 186. to. 10.
8 Istud tamen intelligitur durante causa
metus, nam si iste præcessisset, & postea
sponte se sponsi cognouissent, vel spontè
simul, & diù habitassent, validum de iure
communi esset matrimonium, cogendus-
que esset sponsus renitens ad contrahen-
dum in facie Ecclesiæ c. de muliere eod. tit.
& c. de illis 9. de desponsat. impub. Ricc. vbi
supra. Sanch. cit. disp. 18. n. 3. ista tamen coa-
ctio suas habet difficultates, de quibus
etiam, quando præcesserunt sponsalia, &
postea talia illicita, diximus supra resol.
105. præcipuè in fine, vbi me remitto,
quia quomodocunque fiat matrimonium
ēt copula secuta, semper est nullū hodie, si
non interuenit Parochus cum testibus ex
Trid. sess. 24. cap. 1. sed istis interuenienti-
bus, si matrimonium fiat etiam ex metu,
an & quomodo validetur, dictum etiam est
resol. 109. n. 10.
9 De iure verò naturę metum quemcun-
que non inualidare matrimonium, sed iu-
re ecclesiastico tantùm, docet idem San-
ch. disp. 14. n. 2. ex multis præcipue ex Sylu. v.
matrimonium 8. sub n. 11. (vbi hoc non in-
uenio) ex Nauar. cap. 22. n. 50. & nequidem
ex Henriq. lib. 11. cap. 9. n. 1. qui dicit esse ir-
ritum de iure gentium, non autem de iu-
re naturę (in quo fallitur apertè, quia
ius naturale, si loquimur, prout competit
hominibus, idem est, ac ius gentiū §. 1. &

§. *ius autem instit. de iure natur. gent. & ciuil.* si prout brutis, non dicitur his metum inferri, nec datur inter illa matrimonium, sed tantùm copula naturalis) opinionem tamen prædictam sequuntur *Filliuc. part. 1, tract. 10, cap. 4. nu. 109. & Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 8. n. 8.* qui hinc infert inter Iudæos, vel alios gentiles iuri canonico non subiectos, matrimonium metu contractum, validum esse.

10 Sed ab istis licet magnæ authoritatis ego intrepidè discedo; etenim consensus, qui facit matrimonium, non concubitus, vt in dicto *c. cum locum*, & alijs, est de iure naturæ *l. 1. §. adeo autem de pact. Gl. in §. de constituta v. iure ciuili instit. de action.* modo ius naturale, vniuersale est §. *ius naturale instit. de iur. nat. gent. & ciu.* ergo matrimonium metu contractum, non solùm inter Iudęos, sed etiam inter quoscunque, irritũ est, etiam iure naturæ, ratione cõsensus deficientis, impediti à metu, vt ex alijs medijs docet *D. Th. in 4. dist. 29. q. vnic. ar. 3. q. 1. in corp. Scot. ibid. dist. 20. q. vnica §. de secũdo dico, Ledesm. hoc tit. dub. 23. concl. 3. Less. lib. 2. cap. 17. dub. 6. Rebell. lib. 2. qu. 9. nu. 8. & aly.*

11 Verum supradicta conclusio est intelligenda, quando metus iniustè infertur, secus si iustè, vt in exemplis supra: ponamus Titium stuprasse Bertam, si ista, vel parẽtes eius incutiunt metum Titio, minando accusationem coram iudice, si nolit eam in vxorem ducere, videndum est, an stuprum fuit ex consensu Bertæ, vel per vim, aut cum promissione matrimonij: primo casu dicitur metus iniustus, & propterea si Titius metu accusationis perterritus, in matrimonium consentit, nullum est, vt rationabiliter scribit *Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 8. sub n. 11.* & à fortiori esset nullum, si quis minaretur accusare aliquem de alio delicto, nisi propriam, vel alienam filiam in vxorem duceret, quia nulla lege permittente hoc facerent, vt rectè docet *Sãch. lib. 4. disp. 13. sub nu. 2. ex l. 3. §. etenim ff. de eo quod met. causa sequitur Regin. lib. 31. sub num. 79.*

12 Secundo verò, & tertio casu diceretur metus iustus, etiam si à Iudice minaretur, vel infligeretur pœna excommunicationis, vel carceris, aut similis, siue maior, & consequenter validum esset matrimonium *argum. c. 1. & 2. de adult. & docent DD. cit.* quibus adde *Filliuc. tract. 10. cap. 4. qu. 3. n. 107.* ratio est, quia non dicitur vim inferre, qui aliquid facit lege permittente dicta *l. 3. ibi, sed vim accipimus atrocem, eam, qua aduersus bonos mores fit, non eam, quam magi-gistratus rectè intulit, s. iure licito.* sed vltra statuta in dictis *c. 1. & 2.* est lex *Exod. c. 22.* vbi præcipitur deflorantem virginem teneri ad eam dotandam, & in vxorem ducendam: ergo iudex qui ex officio, vel parte instante ad ista cogit reum, non dicitur metum inferre.

13 Ex quibus inconsequenter addunt idẽ *Sanchez. disp. 12. n. 15. Coninch. disp. 28. dub. 1. n. 11. Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 8. n. 23.* validũ esse matrimoniũ contractũ inter filiam medici, & ægrotum, quem medicus curare nolebat, nisi propriam filiam in vxorem duceret; & propterea contrarium teneo *ex l. medicus ff. de varijs, & extraordin. cognit.* cuius verba sunt, videlicet, *Medicus, cui curandos suos oculos, qui eis laborabat, commiserat, periculum amittendorum eorum per aduersa medicamenta inferendo, compulit, vt ei possessiones suas contra bonam fidem ager vẽderet, incinile factum Præses Prouinciæ coerceat, remque restitui iubeat.* concordant *l. fin. §. 1. ff. de ijs quæ vi. l. si per impressionẽ C. eodem tit. l. Archiatri C. de profess. & Medic. lib. 10. cum alys vtrobique per Gl.* maximè si iste medicus erat peritus in arte, & similis ei in loco non reperiebatur.

14 Ex contrario dicit *Regens de Marin. lib. 1. resol. 266. n. 8.* mulierem st. quæ fidem dedit cuidam viro de matrimonio contrahendo, & postea recusauit, non esse vllatenus cogẽdam, quamuis illicita inter eos accidissent, sicuti posset cogi vir, quia coactionis ratio, quæ in eo consideratur, cessat in muliere, etenim vir, qui fidem dedit mulieri de matrimonio contrahendo, cum qua illicita peregit citra casum metus, ideo debet ad illud perficiendum cogi, ne mulier honoris sui patiatur iacturam, modo si de hoc ista non curet, cessat ratio coactionis cum fauori suo renunciare nemo prohibeatur *l. quod fauore C. de ll.*

De impedimento Ordinis quod est octauum.

SVMMARIVM.

1 *Ordo sacer susceptus ante matrimonium illud dirimit postea contractum, sed minores*

nores ordines non impediunt contrahendum, nec dirimunt contractum, & num ille possit suscipi ab vxorato, si remanens in saeculo, voueat castitatem perpetuam n.4.

2 *Votum emissum in susceptione cuiuslibet ex maioribus ordinibus per metum cadentē in virum constantem non obligat, nisi ratificetur per exercitium spontaneum eiusdem ordinis.*

3 *Matrimonium ratum, licet non consummatum, non irritatur per assumptionem cuiuslibet sacri ordinis, sicuti per ingressum Religionis.*

5 *Monachus professus an possit vxorem ducere cum dispensatione Pontificis, & quid de ordinato in sacris?*

6 *Ordinatus de facto in sacris, ante rationis vsum, vel etiam ante pubertatem, an ligetur voto castitatis, ordinibus annexo?*

Resolutio CXIX.

1 QVilibet ordo sacer, validè susceptus dirimit matrimonium subsequens *c. 1. de voto in 6. c. 1. & 2. qui Cler. vel vouent. can. si quis dixerit 9. sess. 24. de refor. matrim. in Trid. Henriq. lib. 12. cap. 5. num. 9. Sanch. lib. 7. hoc tit. disp. 28.* minores autem ordines, nec dirimunt contractum, nec impediunt contrahendum *d. c. 2. in fine*. sicut in praxi semper seruatum fuit, & seruatur.

2 Loquendo ergo de sacris, intelligitur, si non sint ex metu suscepti, aliàs, quamuis per quemlibet ex illis character imprimatur, seu dilatetur argum. *c. maiores §. item quaeritur de bapt.* non tamen nascitur obligatio castitatis ex voto ordini annexo *argum. c. 1. de ijs quae vi, & docent D. Tho. 2. 2. q. 88. art. 2. Angel. v. ordo 3. §. 4. qu. 18. Nauar. in man. cap. 22. sub nu. 51. versic. nonum quod. Henriq. lib. 12. cap. 5. n. 9. Sanch. cit. disp. 29. n. 5. Filliuc. tract. 9. cap. 4. nu. 74. & tract. 10. par. 2. cap. 4. n. 124.* omnesque DD. ita voluisse, Pontio excepto, testatur *P. Dian. part. 3. tract. 4. resol. 193.* Nisi tamē metum passus ratificauerit expressè, vel tacitè ordinationem praeteritam per vsum ordinis suscepti tempore cessationis metus, *d. c. 1. de ijs, quae vi. Azor. 1. par. lib. 12. c. 14. qu. 8. Sanch. cit. n. 9. Filliuc. num. 126. & alij.*

3 Matrimonio autem contracto per verba de praesenti in facie Ecclesiae, quamuis non consummato, si de facto postea sumantur ordines, non solùm firmum remanet, sed etiam eo soluto, non potest sic ordinatus in illo ordine ministrare, vel ad superiores ascendere; aut officium, vel beneficium ecclesiasticum obtinere iuxta *extrauag. antiqua de voto.* professio tamen in Religione approbata illud soluit, si non fuerit consummatum *c. 2. & c. ex publico de conuers. coniugat. P. Ledesm. Rebell. & alij apud Bonac. hoc tit. q. 3. pun. 9. ante n. 13.*

4 Si tñ vxoratus cupit ad sacros ordines promoueri, licētia est obtinenda ab vxore cum voto castitatis, si senex sit, aliàs requiritur etiam trāsitus ad Religionem secundum *Glos. in c. coniugatus 5. de conuers. coniugat.* quae vtramque opinionem existimat probabilem; quod si non solùm ad sacros ordines, sed etiam ad Episcopatū sit vir assumendus, tunc omnino vxor est Religionem profitenda *c. sanè eod. tit. Azor. tom. 1. lib. 13. cap. 13. q. 7. Sanch. lib. 7. disp. 41. nu. 2. ex Innoc. Hostien. Couarr. & alijs Franc. Marc. dec. 734. nu. 6. part. 2.* qui idem rationabiliter dicunt de promouendo ad Cardinalatū, *Maiol. lib. 1. de irregul. c. 34. n. 2. Filliuc. tract. 10. par. 2. c. 4. q. 7. nu. 152.* sufficere verò contra allegatum text. votum simplex castitatis vxoris senis vult *Sotus in 4. dist. 27. q. 1. art. 4. ad finem,* quē circa Cardinalatū videntur sequi etiam *Sanch. cit. n. 4. in fine. P. Dia. par. 4. tr. 4. resol. 129.* sed ego me remitto ad dicta supra *res. 112. in fine, & latius infra resol. 139. n. 30.*

5 Sed an Pontifex dispensare possit, vt ordinatus validè in sacris, possit vxorem ducere? affirmatiuè respondet *Nauar. in man. cap. 12. n. 75. versic. 4. dicimus ex c. cum ad monasterium de statu monach. & c. litteras de restit. spoliat.* sicut etiam potest in voto solemni per professionem emisso; si tamen grauissima adsit necessitas secundum *Gl. & Innocent. ibidem Sanch. hoc tit. lib. 8. disp. 8. n. 6. latissimè,* ratio est, quia professionis solemnitas, & ordinis est inducta de iure positiuo *c. 1. de voto in 6.* supra quod est Pontifex *l. Princeps ff. de ll.* ergo iure potest dictam solemnitatem tollere *Coninch. de Sacram. ordin. disp. 20. dub. 11. n. 114. Sanch. lib. 7. disp. 26. Diana par. 8. tract. 1. resol. 72. & 73.* vbi post multos relatos refert etiā dispensationes per Pōtificem vtroque in casu concessas.

6 Ordinatus autem de facto ante rationis vsum in sacris, voto castitatis non astringitur,

gitur, licet verum characterem suscipiat, vt omnes fatentur *cum Sanch. cit. disp. 30. n. 1. & 3.* sed dubitatur de ordinato ante pubertatẽ, ante st. 14. annũ, & placet opinio similiter negatiua *Io. Andr. in c. vnico n. 5. de cler. per salt. prom. Abb. ibid. n. 3. Anchar. n. 8. Maiol. lib. 1. de irregul. cap. 30. n. 6. Sanch. cit. n. 8. Filliuc. tract. 10. par. 2. cap. 4. qu. 3. num. 138.* ea ratione, quia sicut votum in professione solemni emissum ante 14. annum completum non valet *c. illud 20. qu. 1. c. ad nostram de regul.* (quod tempus *Trid. sess. 25. cap. 15. eod. tit.* extendit ad annum 16.) ita nec istud in ordinatione emissum; quicquid incontrarium dicant *Sot. de iust. & iur. lib. 7. q. 2. art. 5. Caiet. 2. 2. q. 88. art. 9. & Coninc cit. dub. 14. n. 136.* sed potest ratificari implicitè, vel explicite, & tunc incipit obligare, vt infra *resol. 139. n. 2. & 3.*

De impedimento ligaminis, quod est nonum.

SVMMARIVM.

1 *Matrimonium cum secunda, viuente prima, est nullum, etiam si secundum fuerit consummatum, appellatur polygamia; & de pœnis contra tales statutis, num. 2. sed an talis nullitas sit etiam de iure diuino, vel naturali, cum non dubitetur esse de iure canonico? & nu. 3. vsque ad 11. Nullo iure hoc fuit vmquam permissũ, sed solùm à Deo in aliquibus casibus particularibus n. 4. Contractum ab infidels cum pluribus, si ad fidem cõuertatur; non potest remanere, nisi cum prima tantùm n. 11.*

12 *Matrimonio secundo contracto, si peruenit ad aures priorem coniugem viuere; quid interim agendum circa redditionẽ, vel petitionem debiti, donec veritas sciatur, & n. 12. Quomodo sit probanda mors primi viri absentis n. 14. & 15.*

13 *Mulier si ante transitum ad secunda vota scit, vel credit, vel dubitat priorem coniugem viuere, & hoc non obstante nubit, dicitur adultera.*

16 *Fama publica est indicium valde fallax, & quomodo sit probanda? in criminalibus non facit semiplenam probationem, nisi sit coniuncta cum aliјs adminiculis. n. 17. & 18.*

Resolutio CXX.

1 Istud impedimentum, quod vocant ligaminis, est vinculum prioris matrimonij, quo durante non potest duci secũda, vel vltra *c. 1. 2. & final. de spõsa duor.* appellatur propriè polygamia, vt diximus etiam supra de censur. qui ergo duceret secundam, viuente prima, vltra nullitatem matrimonij, etiam consummati ex iuribus cit. & notat *Henriq. lib. 12. cap. 6. n. 1.* cum communi omnium indubitata sententia, esset etiam hæreticus, si cum pertinacia assereret hoc licere Christianis *can. 2. sess. 24. in Trid. de reform. matrim. c. ad abolendam de haret. Simanc. de cath. instit. c. 40. Hẽriq. cit. n. 4.* si verò sine tali assertione duceret aliam vxorem scienter, viuente prima, si est persona vilis fustigatur, & ad triremes per quinquennium mittitur, nobiles verò, & mulieres per idem tempus relegãtur, aliјs pœnitentiјs spiritualibus impositis in locum fustigationis *Sousa in aphorism. inquis. lib. 1. cap. 35. n. 20. Castrus Palaus in summa to. 1. tract. 4. disp. 8. pun. 16. §. 8. n. 2. Salzedo in addit. ad pr. crim. Diaz. cap. 8. lit. B.* abiurant etiam de vehementi in Inqnisitione Romana tamquam vehementer de fide suspecti secundum *Nald. in summa v. vxor n. 2. Ricc. in addit. ad instit. canon. lib. 4. tit. 2. Farin. de haresi q. 178. nu. 68. Ricciull. de iure person. l. 1. c. 11. n. 19. & 30. Gennens. in praxi Archiep. c. 68. n. 13.*

2 Aliј tamen probabiliùs dicunt debere abiurare de leui tantùm; quia vt plùrimũ præsumuntur contrahere binas nuptias ex luxuria, vel cupiditate lucrandæ dotis, secus autem si alia præsumptio vrgeret contra eos, & ita seruari in Inquisitione Hispanica dicunt *Suar. de fide disp. 24. sect. 2. n. 4. Eman. Monra de incant. opusc. 1. sect. 3. cap. 3. n. 8. Sousa vbi supra.* An autem qnando actus non fuit omnino consummatus, sed deuentũ solũ ad actũ proximũ, puta quia habens vxorem, contraxit cum alia, & fuerunt factæ ad sui instãtiã denũciationes in Ecclesia cũ similibus, non tamen contractum matrimonium per verba de præsenti in facie Ecclesiæ, & si in vtroque casu procedere possit Iudex laicus, vel Ecclesiasticus priuatiuè ad illum vide DD apud *Dia. par. 4. tr. 7. resol. 4. in princ. & §. sed*

3 *hic.* non dubitatur ergo esse hoc iure positiuo prohibitum, sed solùm an sit etiam

de

de iure naturali, vel saltem diuino.

Etenim *Regin.lib.31. n.4.* voluit prohibitionem esse tantùm de iure diuino ex *c. gaudemus de diuort. vbi in §.nec vlli.*dicitur
4 numquam licuisse plures insimul vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum, & propterea Patriarchas, & alios viros iustos, quos legimus plures insimul habuisse, quia fuit illis à Deo hoc permissum, ab adulterio fuisse immunes; probatur etiam in *Trid.cit.c.1.§.hoc autem,* vbi referuntur verba *Genes. c. 2. erunt duo in carne vna,* itaque certum est pluralitatem vxorum prohiberi de iure diuino secundum Regin. citat. quod confirmatur *Matth.19.*&ex consuetudine immemorabili, dum numquam vidimus, nec audiuimus, aut legimus Pontificem super hoc dispensasse; quod si de iure tantùm canonico esset, dispensasset aliquando in casu, quo aliquis magnus Princeps non genuisset filios cum vna vxore, & propterea non posse, dicit idem Henriq. vbi supra *n. 3.* & validè probat *Sanch.lib.7.hoc tit disp.80. n. 9. ex D.Tho.Durando, Ricch. & alys multis.*

5 Verum esse etiam hoc de iure naturali prohibitum docet relatus *Sanct. in 4. dist. 33. q.1.art.2.in corp. videlicet, dicendũ quod sicut ex praedictis patet, pluralitas vxorum dicitur esse contra legem naturae, non quantum ad prima praecepta eius, sed quantum ad secũda, quae quasi conclusiones à primis praeceptis deriuantur, sed quia actus humanus variari oportet secundum diuersas conditiones personarum, & temporum, & aliarum circumstantiarum, ideo conclusiones praedicta à primis legis naturae praeceptis non procedunt, vt semper efficaciam habentes, sed in maiori parte. Talis enim est tota materia moralis, vt patet per Philos. in libro Ethic. & ideo vbi eorum efficacia deficit, licitè ea praetermitti possunt, sed quia non est facile determinare huiusmodi varietates, ideo illi ex cuius authoritate lex efficaciam habet, reseruantur, vt licentiam praebeat legem praetermittendi in illis casibus, ad quos legis efficacia se non extendere debet, & talis licentia dispensatio dicitur; lex autem de vnitate vxoris non est humanitus, sed diuinitus instituta, nec vmquam verbo, aut litteris tradita, sed cordi impressa, sicut, & alia, quae ad legem naturae, qualitercumque*
6 *pertinent, & ideò in hoc à solo Deo dispensatio fieri potuit per inspirationem internam, quae quidem principaliter sanctis Patribus facta est, & per eorum exemplum ad alios deriuata est eo tempore, quo oportebat praedictũ naturae praeceptum praetermitti, vt maior esset multiplicatio prolis ad cultum Dei educanda, semper n. principalior finis magis conseruandus est, quam secundarius, vnde cum bonum prolis, sit principalis matrimonij finis, vbi prolis multiplicatio necessaria erat, debuit negligi ad tempus impedimentum, quod posset in secundarys finibus euenire, ad quod remouendum, praeceptum prohibens pluralitatẽ vxorum ordinatur.*

7 Quae doctrina confirmatur ex *lib. Genes. cap.2.in fine, ibi, relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit vxori suae, & erunt duo in carne vna, item Matth.c.19.ibi, qui fecit hominem ab initio masculum, & feminam, creauit eos, & dixit propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, &c. itaque non sunt duo, sed vna caro,* quae verba indicant pluralitatem vxorum eodem tempore, fuisse ab initio penitus exclusam, quia ex vnius viri cum pluribus vxoribus matrimonium, non vna caro, sed multiplex insurgeret; nec tam vnio, quàm diuisio pullularet, & propterea vxorum pluralitatem primaeuae matrimonij institutioni refragari docent *D.Hieronym. D. Ansel.Beda, & Theophyl.super d.c.19. Matth. D.Chrysost.homil.63.in Matth: idem D.Hieron.lib.1. in Iouin. D.Ambros.in lib. de Viduis D. August.in lib.de nupt.& concupisc.c.9.*

8 Ratio est, quia primum naturae dicta mẽ est, vt quod tibi non vis, alteri ne feceris; sed vir non vult, vt vxor ipso viuẽte, alium virum accipiat, imo nec velle iure potest, quia hoc ex alia ratione aduersatur, etiam primario matrimonij fini. Siquidem non solùm incerta esset proles, vti ab incerto patre genita, sed impediretur generatio ex plurium virorum mixtis seminibus, aut n. numquam, aut raro sequeretur conceptio, vt in meretricibus experientia docet, quae numquam, aut rarissimè ex hac causa concipiunt; quod ex alijs medijs probat *D. August.lib. 3.de doct. Christi cap.12.& lib.de bono coniug. cap. 17.* exemplo praecipuè Sanctorum PP. veteris testamenti, cum quibus saepe dispensatum constat, vt plures vxores ducerent, & tamen nullibi habetur, nec vmquam permissum fuisse auditum est, vt vna vxor plures viros eodem tempore legitimè haberet, idem docet *D.Tho.in 4.dist.33.q.1.art.1.ad 7.* ergo sicut vir non vult, aut velle nequit vt vxor plures viros habeat, ita nec debet

bet ipse plures vxores habere, etiam ad ęqualitatem seruandam.

9 Præterea pluralitas vxorum refragatur etiam secundario matrimonij fini, qui secũdum Philos. 8. Eth. c. 9. est tranquillitas, ac pacifica cohabitatio coniugum, rerumque domesticarum quieta gubernatio, sed hæc nequeunt esse inter plures vxores, quarum vnaquæque vellet esse caput, & sola dominari, cum desiderium prælationis videatur insitum à natura in cordibus hominũ, vt probatur *in lib. Gen. c. 2.* qua de causa legimus subortas rixas inter Saram, & Agar *Genes. c. 16.* item inter Liam, & Rachelem ibidẽ *c. 30.* Annam & Phenennam 1. *Reg. c. 1.* ergo. Item quia matrimonium est in remedium concupiscentiæ *ex Apost. epist. 1. ad Corinth. cap. 7.* sed pluralitas vxorum est contra hunc finem, cum impossibile sit vnum virum satisfacere earum cõcupiscentiæ, præcipuè eodem tempore debitum petentium, quare periclitaretur continentia ipsarum, quibus licet ex impotentia negaretur, & propterea *D. Chrys. homil. 56. in c. 30. Genes.* dicit, iniquè egisse, qui plures vxores eodem tempore citra diuinam dispensationem habuere, & tandem quia nec lege ciuili apud Ethnicos vmquam permissa fuit vxorum pluralitas, tamquam rationi naturali contraria, vt latè probat *Menoch. de arbit. lib. 2. centur. 5. casu 420. n. 89. & seq.* imo reiecta fuit lex, quæ iussu Caij Cæsar. scripta est, eam permittens teste Sueton. in vita Iulij Cæsar. *c. 52.* ergo.

10 Concludendum tamen est cum D. Tho. supra cit. pluralitatem vxorum non esse contrà ius naturę, quantum st. ad eius prima præcepta, seu principia, eo quod non repugnet matrimonij naturæ, nec primario eius fini, qui est generatio prolis, ac eius multiplicatio, & educatio, secundum quæ principia competit etiam brutis, quæ huius iuris naturalis perita cẽsentur, cum copulari sciant, & partus nutriant, vt docet *Imper. inst. de iure nat. Gen. & ciu. in princip.* siquidem vnus vir, multis fœcundandis mulieribus, earumque liberis educandis sufficiens est, non sic vna mulier, vt ex relata doctrina eiusdem San. in fine, & probat *Sanch. hoc tit. lib. 7. disp. 80. n. 5* sed benè contra secunda præcepta, quæ quasi conclusiones ab ipsis primis principijs deriuantur, & consequenter pluralitatem vxorum esse contra secundarium matrimonij finem, qui sunt omnes causæ relatæ n. priori, vt docent *D. Thom. in 4. dist. 33. q. 1. art. 2. in cor. & ad 1. 6. & 9. iuncto art. 2. in cor. & in 3. par. suppl. qu. 65. art. 1. & 2. Ricar. d. dist. 33. art. 1. q. 1. D. Anton. 3. par. tit. 14. c. 10. §. 1. Bellarm. lib. 1. hoc tit. c. 11. propos. 2. Greg. de Valen. to. 4. disp. 10. qu. 1. pun. 3. col. 3. vers. 5. Henriq. lib. 12. hoc eod. tit. cap. 6. n. 1. Sanch. cit. n. 8. in fine. Bonac. eod. tit. pun. 10. q. 3. n. 3.* & ita sunt intelligendi Auth. cit. sub n. 5.

11 Quare dum pluralitas vxorum est contra ius naturale secundarium, seu contra præcepta à primis principijs deriuantia, vt dictum est, quæ ligant omnes homines *§. 1. versic. quod verò, & §. ius autem gentiũ inst. de iure nat. Gent. & ciu.* contra hoc ius agunt secus facientes, & consequenter infidelem quemcumque, si plures duxerit in infidelitate vxores, & postea ad fidem conuersus fuerit, non posse illas iure habere, sed solùm cum prima, alijs dimissis permanere debere statuit Pontifex *in d. c. gaudemus §. quia verò, & ibi Gl. v. vel quam iuncto c. quanto de diuort. Henriq. & Sanch. cit.* vbi addit, quod si matrimonia essent legitima, non dissoluerentur per baptismum. vide etiam supra *in introd. huius tr. n. 9. & resol. 19. n. 11. & 13.*

12 Sed ponamus, quod vir, aut vxor, habita notitia mortis prioris coniugis transiuit ad secunda vota, & postea peruenit ad aures priorem viuere, quomodo se debeat gerere in reddendo, vel petendo debitum, donec certioretur? respondetur, quod si dubium est probabile, potest reddere debitum, sed non petere; si vero oritur ex leuibus indicijs, potest reddere, & petere, *cap. 2. de sec. nupt., & c. Inquisitioni in fine de senten. excomm. vbi Gl. verbo probabili* exemplificat probabilitatẽ, licet in alio casu, quam mortis, sed ex illo infertur ad istum. Si verò probabiliter
13 credit, & firmiter tenet coniugem viuere, non potest petere, nec reddere, aliàs vterque adulter peccat mortaliter *Syl. v. matrim. 8 sub n. 13. Nauar. autem in man. cap. 22. nu. 54.* dicit fortiter stringere contra prædicta, quod qui facit aliquid, quod credit, vel dubitat esse mortale, mortaliter peccat, cui responderi, potest, quod ex quo probabiliter dubitat, non potest petere, tenetur tamen reddere, quia in dubio non debet coniux iure suo priuari, quod in alterum habet, & hæc est ratio tex. cit. quod

quod

quod idem Nauarr. inferius, vel inuitus concedit, *ibi, quando rationes sunt mediocres, & tales, vt ob eas in praeiudicium alterius non sit credendum, sed in suum sic, reddet credendo, & non petet dubitando.*

Si ergo post contractum secundum matrimonium in casu probabilis dubij tenetur reddere, non autem petere, non fauori est suo, sed ne priuetur secundus vir iure sibi debito, & consequenter dicit *Gl. in c. cum per bellicam 34. q. 1. in Gl. m. in fine*, quod ante trãsitum ad secunda vota, quãdo mulier scit, vel credit, vel probabiliter dubitat virum viuere, non debet alteri nubere, & si nupserit, adultera erit per iura ibi citata, & propterea optima mihi vide-

14 tur praxis Curiæ Archiepisc. Neap. de qua testatur *Ricc. resol. 265. in fine, ex c. in præsentia de sponsal.* mortem viri quo ad effectum prædictum tantæ importantię, non aliter probari, quam per vnum saltem testem de visu, & duos ad minus de fama publica, & de luctu, & acclamatione vxoris de morte viri.

15 Nec displicet alia praxis, de qua testãtur *Polidor. Ripa decis. 247. Rota Perus. dec. 2. Seraph. in Rota Rom. decis. 1556.* posse st. probari mortem viri per librũ Rectoris, in quo describi solet mors sepultorum in eius Ecclesia, vel per testes deponentes vidisse virum ingredi bellum, & non exire iuxta eundem *Nauar. cit. n. 53. ex Gl. in c. quoniam frequenter vt lite non contest.* secũtur eadem Rota *Perus. decis. 30. Magon. dec. 44. Cappell. Tholos. decis. 313. Ozasch. decis. 108.* vel tandem per productionem testamenti viri cum iudicis mãdato pro captura possessionis hæreditatis defuncti iuxta eandem *Rotam Perus. decis. 49. ex Gl. in l. si quidem C. solut. matrim. & Rot. diuers. decis. 551.* accedat authoritas *Anton. Fabr. definit. 2. C. de probat. dicentis*, exactissimas probationes requiri, quando tractatur de re magni præiudicij.

16 Cęterum minimè amplector doctrinam *Anton. de Butr. in c. in præsentia de sponsal.* quem sequuntur *Sylu. & Nauarr. cit. Mascard. in conclus. 1030. Boer. decis. 288. Frãcis. Marc. decis. 183. par. 2. Puteus decis. 520. lib. 2.* posse st. mortem viri probari per solam publicam vocem, & famam; innitor doctrinæ Abb. *in d. c. in præsentia*, hoc negantis: quia fama est res fragilis, & vt plurimam transmissa artificiosè à personis interesse habentibus, *addentes ad Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. q. 6. n. 2. & 6.* vbi referunt ad propositum verba Plutarchi in vita Pauli Emilij ibi, *sed cum paulo post author nuncij quæreretur, inuentus est nemo, sed alter alterum allegabat; tandem verò quia in plebem veluti in vastum quodam pelagus sermo inferebatur, apparebatque nullum certum habuisse principium, subito huiusmodi fama prolapsa cecidit*; esseque indicium valdè fallax dicit idem *Clar. q. 21. post n. 11. & addit Afflict. decis. 178. n. 11.* quod sæpè à veritate discordat.

17 Et quamuis sit res tam fragilis, multa tamẽ requirũtur ad eam probandam, quę cumulat idem *Clar. in cit. q. 6. à n. 12. vsque ad 18. vbi subdit, videl. & ex prædictis potes conijcere, quàm sit difficilis probatio famæ, adeo vt vix sufficerent ad eam rectè probandã testes, qui essent iurisperiti*; sed posito quod probaretur, vt requiritur, si loquimur in criminalibus, nisi coniungatur cum alijs adminiculis non facit semiplenam probationem idem *d. n. 1. ex Gl. in c. veniens il primo v. illorum de testib.* quam dicit *Decius ibidem n. 25.* esse communiter approbatam; quamuis Canonistæ addant, nihil probare de per se *in c. qualiter, & quando 24. de accusat. ibique Gl. v. & famam ex c. si duo 35. q. 6. & c. super eo 2. de eo qui cognou. consang. vxor.*

18 Si verò in ciuilibus, ad summum facit semiplenam probationem *l. 3. §. eiusdem & ibi Gl. v. confirmat ff. de test. Bar. in l. de minore §. plurimũ n. 30. de quæst. & ibi Marsil. n. 251. Iason. qui communem appellat in l. admonẽdi n. 249. de iure iur. & in c. 1. n. 11 in fine de appell.* vbi dicit ita practicari, *Alex. consil. 94. n. 11 lib. 2.* si ergo in vtroque iudicio fama vix facit semiplenam probationem, quando ex ista sola iudex approbat mortem viri, errat profectò in principijs, & particeps efficitur peccati adulterij vxoris, transeuntis virtute talis decreti ad secundas nuptias, & propterea est iuri cõsonãs praxis Curiæ Archiepiscopalis *d. resol. 265.* quia quando fama habuit originẽ à viris fide dignis, iuncta cum vno teste de visu, plenè probat in ciuilibus, vt supra dictum est, quibus adde *Gl. in l. admonendi, & in l. bonæ fidei C. de iure iur. Abb. in c. final. eod. tit. Gl. in c. 2. de appellat. & in d. c. veniens sequitur Afflict. decis. 337. n. 2.*

De impedimẽto publicæ honestatis, quod est decimum, dictum est supra *resol. 106. nu. 11. & seq.* de impedimento affinitatis,

quod est vndecimum *resol.ead.à n.15.*& alibi,de impedimento impotentię,quod est duodecimum, *ibidem n.24.* item de necessaria Parochi præsentia, quod est decimũ tertium *resol.108.n.1.in fine*,& tandem de raptu, quod est decimum quartum *resol.111.n.17.*

Quibus in casibus possit, vel ne Pontifex in impedimentis matrimonij dispensare; & in quibus Episcopus tàm ante, quàm post contractum matrimonium?

SVMMARIVM.

1 *Pontifex an possit dispensare, vt contrahatur matrimonium in linea, vel gradibus à lege naturali, vel diuina prohibitis, & qui tales dicantur?*

2 *Matrimonia in linea ascendenti,& descendenti sunt prohibita vsque in infinitum de iure naturali, & n. 5. in linea verò transuersali,neque in primo gradu sunt hoc iure prohibita, sed tantùm de iure diuino & n.3. in cæteris de iure positiuo n.12.in fine.*

4 *Loth filiæ quibus ex causis excusatæ fuerint à concubitu cum Patre?*

6 *Pontifex an possit dispensare in primo gradu lineæ trãsuersalis, vel in primo gradu affinitatis in linea recta nu. 7. & 9. vsque ad 12.*

8 *Affinitas contracta ex copula fornicaria etiam in primo gradu, dispensatur in foro conscientiæ, quamuis sit in linea recta, sed non in foro fori, quod quomodo intelligatur. vide etiam n. 11.*

13 *Episcopus potest dispensare in impedimentis impedientibus matrimonium, exceptis votis perpetuæ castitatis, & Religionis, ac etiam in impedimentis dirimentibus in casibus vt infra vsque ad finem.*

Resolutio CXXI.

1 QVo ad primum respondetur,in linea, vel gradibus à lege naturali,vel diuina prohibitis Pontificem dispensare non posse,de diuina constat ex *c.litteras 13.§. propterea ibique Gl.v.diuina de restit. spoliat.* & à fortiori dicitur de naturali tamquam antiquiori ab eodem Deo tradita, & in cordibus hominum insita, sub qua viuebant homines, antequam lex diuina scripta traderetur Moysi in duabus tabulis marmoreis, vt legitur *Exod. c.24.* de quo non dubitatur, vt etiam docent *D.Tho. in 4. dist. 33. q.1.ar. 2. in cor. Sylu. v. Papa n.17. & 18. Nauar.in man.cap.22. n.84.Sanch.hoc tit. lib.8.disp.6. n.10.Filliuc. tract.10 par.2.cap.10.q.2.nu.301.Bonac.hoc tit.q.3.pun.15.n.1.*

2 Sed difficultas est,in quibus lineis, &
gradibus, sint matrimonia per has leges
prohibita, & in hoc habemus *tex.in §.ergo*
non omnes *instit.de nupt.& in §. sancimus*
*auth.de incest.& nefar.nupt.*vbi probatur in
linea ascendenti, & descendenti,prohibi-
ta vsque in infinitum esse iure naturali in-
specto, adeo quod si Adam in carne mor-
tali viueret, non posset vxorem in hoc
mundo habere iuxta *Gl.in d.§.ergo v.in in-*
finitum, & legitur *in l. final. ff.de ritu nupt.*
ibi iure gentium,incestum committit, qui ex
gradu ascendẽtium, vel descendentium vxorẽ
3 *duxerit.*Quod ius ciuile cum non reperia-
tur à lege canonica correctum,sitque inni-
xum maximæ honestati, est illi standum
Sylu.hoc tit. 8.ante n.7.& quamuis *Rosella*
in summa hoc eod. tit. aliique pauci asserant
correctas leges prædictas *ex c. non debet de*
consag.& affin. vbi prohibitio contrahendi
restringitur ad quartũ gradum in consã-
guinitate; hoc tamen intelligi debere in
linea transuersali tantùm, rectè scribunt
Hostiens. Io. Andr. Azo Palud. Ricch. &
alij apud eundem Sylu. cit. Pro qua sentẽ-
tia penè innumeros refert *Sanch.hoc tit. lib.*
7.disp.51. n.12. quamuis ipse *nu. 13.* velit
de iure naturali probibitionem esse in
primo gradu tantùm, de iure verò cano-
nico vsque ad 4. *ex cit.c.non debet, sequitur*
P.Dian.par.8.tract.1.resol. 71.

4 Sed ego amplector priorem contrariam sententiam,& respondeo obiectioni à prędictis factæ de filiabus Loth, quæ à proprio Patre fuerunt per dolum ipsarum cognitæ cum *DD.Ambros. lib.1. de Abrahã cap.3. & Chrysost.homil.44. in Genes.* quod hoc egerint existimantes omnes alios homines perijsse (quo solo casu dicunt ijdẽ Patres hoc fore licitum) veluti perterritas tã circa mundi putatũ totalem interitum, quam circa remedij necessitatem.

5 Præterea patet ex *d.§.sancimus*, vbi dicitur, etiam bruta, quæ solo naturali instinctu ducuntur, à tali concubitu vti naturæ

turæ

turæ contrario abstinere, vnde *Phylos. in lib. 8. de animal.* refert de quodam Camelo, qui coopertam cognouit matrem, quod hoc postea detecto, occiderit ingeniatorẽ; item de æquo, qui hac de causa se præcipitauerit, & propterea numquam auditum, aut lectum est in prædicta ascendenti, & descendenti linea fuisse connubia contracta, aut Pontificem dispensasse; In linea verò transuersali, quamuis in primo gradu, non adest iure naturali prohibitio, dum primo tempore fuerunt inter filios Adam connubia peracta, quia non erant tunc alij in mundo, & multiplicario fuerat ab eodem Deo ordinata, licet postea fuerint prohibita ratione, & causa cessantibus *c. cum cessante de appell.* legitur *in c. 18 leuit. & docet August. in c. cum igitur 35. qu. 1.*

6 Ex quibus locis dicunt *Sot. in 4. dist.* 40° *q. vnica art. 4. Præpos. in addit. ad 3. p. qu. 7. dub. 9. n. 73. & alij*, Pontificem neque in dicto primo gradu lineæ transuersæ dispensare posse, contrariamque sententiã damnatã dixit ibidem Sot. tamquam erroneã, vniuersoque iuri contrariam; sed ab istis in vno tantùm casu; quando st. Rex Catholicus, vel Christianissimus nulli eius pari nubere posset, nisi hæreticæ, vel de fide suspectæ, periculũque immineret peruertendi Regis, vel Regni discedunt *Hurtado de matrim. disp. 17. diffin. 5. num. 22. ex Scot. Caiet. & alijs Pontius eodem tit. lib. 7. cap. 32. n. 3. ex D. Tho. Ricch. & alijs*, cuius tamẽ dubij determinationem Sanctæ M. Ecclesiæ iudicio relinquimus, sicut fecit *P. Dia. par. 4. tract. 4. resol. 93. in fine.*

7 Item non modica dubitatio est, an Pontifex possit dispensare in primo gradu affinitatis lineæ rectæ, vt st. sumatur in vxorem priuigna, vel nouerca, aut socrus, vel Nurus? & si de iure ciuili loquimur, prohibentur tales nuptiæ, quia loco filiæ, vel matris habentur §. *affinitatis instit. de nupt. & l. adoptiuus* §. *nunc videamus, ff. de ritu nupt. quod confirmant Apost. epist. 1. ad Corinth. cap. 5.* ibi auditur inter vos talis fornicatio, qualis nec inter gentes audita fuerit, ita vt vxorem patris sui aliquis habeat, & *D. August. in c. si quis 35. q. 2.* quapropter fuit hoc prohibitum & per *Concil. Aruer. sub Vigil. Papa cap. 11.* imò dicit *Bar. in l. si adulterium sub n. 7.* matrimoniũ contractum cum nouerca esse illicitum de iure gentium, quod etiam probatur in *l. iure gentium ff. de ritu nupt.*

Contrarium tamen tuetur idem *Dian. cit. resol. 93. ex Sanch. & alijs* innixus præcipuè authoritati *Villal. in summa to. 2. tr. 14. diffic. 17. n. 11.* qui refert Adoniam petijsse in vxorem Abisac sunamitidem, quæ fuerat vxor patris sui Dauid *3. Reg. 2.* & Seleucum dedisse in vxorem Extratonicã suam vxorem Antiocho eius filio iuxta historiam ibi relatam. Item quod Pontifi-
8 ces non rarò in foro conscientiæ dispensẽt in affinitate orta ex copula fornicaria, & tamen eiusdem est rationis cum ea, quę oritur ex copula coniugali, & propterea Pium 5. concessisse Henrico Cardinali Lusitaniæ facultatem dispensandi in affinitate cuiuscũque gradus, orta ex occulta fornicatione.

9 His tamen non obstantibus contrariæ sententiæ ego adhæreo fretus legibus, & DD. paulo ante cit. sicuti etiam voluere ex Arch. & alijs *Syl. v. Papa n. 17.* vbi probat hoc esse non solùm iure diuino, sed etiam naturali vetitum, *Belarm. lib. 1. hoc tit. cap. 28. notab. 2. paulo post princ. Vasq. 1. 2. qu. 74. art. 8. disp. 112. n. 7. alijque 22. DD.* magnæ authoritatis relati per *Sãch. lib. 7. disp. 66. n. 6.* quamuis ipse *n. 7.* contrariam sententiam probabiliorẽ existimet, idem docent *Coninch. de sacram. disp. 32. dub. 4. nu. 53. Layman. in Theol. moral. lib. 5. tract. 10. par. 4. cap. 6. n. 5. & multi alij apud P. Dian. par. 4. tract. 4. resol. 93. vers. quarto probatur*, licet ipse versic. sequen. contrarium cum Sanch. & alijs voluerit, vt dictum est.

10 Ad contraria respondetur, quod quãuis Adonias petijsset Abisac in vxorem, nõ tamen fuit illi concessa, sed eadem die, qua fuit de hoc rogatus Salomon frater suus, fuit occisus Adonias de ordine Salomonis ex eadem causa, vt legitur in *d. c. 2.* ea fortasse ratione, quod nec eo tempore hoc permittebatur; & ideo argumẽtum est contra eundem Villalob. minus facit exemplum Seleuci, & Antiochi, qui vti gentiles, iuri diuino non parebant, eo magis, quia viuebat Pater, quando tradidit suam vxorem filio, & propterea hoc fuit contra aliud præceptum diuinũ apud *Matth. cap. 19. ibi, quod Deus coniunxit, homo non separet*, & consequenter notorium adulterium prohibitum in Decalogo, super quo nemo dubitat Papam dispensare non posse.

11 Nec tandem obstat, quod Pontifices in fornicatione occulta dispensare soleant; etenim in eodem foro occulto Episcopi olim absoluebant, etiam in crimine hæresis, sed non in foro exteriori ex *Trid. sess. 24. de reform. cap. 6.* (licet vtrumque hodie eis prohibeatur ex bulla Cœnæ Domini) quod fit secundum Sylu. cit. ad euitanda maiora scandala, aliàs inde ventura, & maximè damnationis animarum, Christi sanguine redemptarum; cum ergo sit diuersa ratio à foro interiori ad exteriorem, non fit iure illatio *c. 2. de translat. præl. l. Papinianus exuli ff. de minor. Præs. de Franch. decis. 554. n. 4.*

12 Quæ sententia corroboratur ex dictis per eundem *Dian. cit. & §. ad confirmationẽ, vbi ex Pontio ibi relato* fatetur, numquam Pontifices super hoc dispensasse; & tamen verum est dicere per decursum tot sæculorum fuisse probabiliter de hoc requisitos, & negasse, vel nullum vsque modo repertum fuisse, adeo inuerecundum, vt de re tàm inhonesta illos supplicauerit; non negamus tamen in primo gradu affinitatis lineæ trāsuersæ in casu singularissimo posse dispensare, sicuti diximus supra in primo gradu cōsanguinitatis, prout fecit annis præteritis Innoc. X. cum Duce Cirignolę, qui in vxorem duxit sororem primę vxoris, filias Principis Cellamari, licet vulgo dictum sit, Pontificem fuisse deceptū; idem tamen fecisse Clem. 8. testatur *Dia. in d. §. ad confirmationem*; ex quibus consequenter patet, posse Pontificem in quibus cunque alijs gradibus dispensare, sicuti de iure positiuo prohibitis, *ex c. non debet de consang. & affinit. cum simil.* supra quod esse Pontificem nemo est, qui dubitat *ex l. Princeps ff. de legib. & c. iustum est dist. 9.*

13 Ad secundum respondetur in impedimentis omnibus impedientibus, & non dirimentibus, vt supra in prioribus resol. notatis, exceptis dependentibus ex votis castitatis perpetuæ, & Religionis *ex extr. fin. de pœnit. & remiss.* in quibus etiam Pontifex cum difficultate dispensat, posse Episcopum etiam in foro exteriori dispensare *Nauar. in man. cap. 22. n. 84. vers. secundo dicendum ex Palud. in 4. dist. 18. qu. 2. & alijs, Angel. v. matrimonium 3. impedim. 18. n. 3. Sot. in 4. dist. 37. q. vnica ar. 1. versic. circa hos autem, Caiet. in summa hoc tit. cap. 1. §. & fit e Henriq. lib. 11. cap. 2. n. 2. Tolet. lib. 7. c. 15. in fine, & cap. 18. n. 5. Sanch. hoc tit. lib. 7. disp. 17. n. 15. Filliuc. tract. 10. par. 2. n. 305.*

14 In impedimentis autem dirimentibus, etiam posse, sed cum subscriptis requisitis, primo, vt impedimentum sit occultum, & matrimonium publicum *Nauar. cit. nn. 85. Sanch. lib. 2. eod. tit. disp. 40. n. 3.* etiam antequam contrahatur, vt accidit, quando mulier fuit cognita à consanguineo viri, propter quod magnum scandalum pararetur, non contrahendo, vel supersedendo matrimonium iuxta *Sylu. v. dispensatio n. 15. & alios*, statim citandos, vel quando quis est morti proximus, & vult filios legitimare, & concubinæ honorē restaurare iuxta *DD. apud P. Dian. par. 11. tr. 8. resol. 3. §. 2.*

15 Secundo vt cum difficultate possit Pontifex adiri propter magnam paupertatem, aut alia legitima impedimenta iuxta *Greg. de Valent. to. 4. disp. 10. q. 5. pun. 5. Vasq. 1. 2. disp. 168. cap. 2. n. 16. Azor. to. 1. lib. 5. cap. 15. q. 7.* Sanch. cit. vbi addit posse Episcopum prædictis concurrentibus, etiam fauore diuitum, qui licet possent adire, vel statim mittere ad Pontificem, essent tamen interim in magno periculo peccandi ex cohabitatione, quod transcribit Dia. cit.

16 in princ. Tertio vt dispensatio non cadat super impedimentis dirimentibus iure naturali, vel diuino, super quibus nec Pontificem posse supra dictum est, & docet ēt *Dicast. de Sacram. to. 3. tract. 10. disp. 8. dub. 4. n. 53.* Quarto requiritur, vt non adsit in loco, vbi casus accidit Nuncius, uel alius delegatus Pontificis, quia tunc non posset Episcopus, cum cesset necessitas, ex qua hoc illi permittitur *P. Dian. cit. §. opposita tamen*; quæ omnia confirmantur ex pluries ita decisis per Curiam Archiepiscopalē Neap. vt testatur *Ricc. res. 261. vbi n. 3.* addit hoc non concedi Vicario, nisi ab Episcopo in specie talis potestas ei concedatur.

17 Sed an his interuenientibus requiratur etiam bona fides contrahentium, ad hoc vt Episcopus dispensare valeat? difficilem quæstionem hanc existimauit idem *P. Dia. vbi supra §. verum an bona fides, citat tàm ibi, quàm par. 8. tract. 3. resol. 79. plures authores* docentes posse etiam, si contrahentes fuerint in mala fide, ipse verò tàm in d. *resol. 79. §. dicendum*, quam in d. *resol. 3.* in fine ait, requiri vt matrimonium bona fide saltem vnius sit in facie Ecclesiæ contractum (quamuis Sanch. vbi supra *n. 4.* requirat bonam fidem ex parte vtriusque,) quæ opinio vera est; & probatur

in

in *c. ex tenore qui filij sint legit. & ibi Gl. v. legitimũ, ab ipso non cit.* prior aũt opinio non placet, quia sic aperiretur via fraudibus, quod non solùm cõtradicit legibus in generali §. *item si quis in fraudem instit. de action. cum toto tit. ff. quæ in fraud. credit.* sed etiam in particulari, nempe *Triden. sess. 24. cap. 5. de reform. matrim.* quod expresse anullat talia matrimonia, etiam spem dispensationis tollendo.

18 Minus placet, quod dicunt ijdem, tunc solum dicendam esse hoc in casu malam fidem, quando coniuges, non solùm sciũt impedimentum, cum contrahere volunt; sed etiam sciunt inde oriri impedimẽtum dirimens matrimonium contrahendũ; nec esse malã fidem, quãuis procedat ex lata culpa, & ignorantia culpabili, quia Triden. cit. expresse velit, vt sciẽter præsumatur, & non verè dici scienter facere, qui ex ignorantia crassa facit, sed dolum requiri; vnde solùm excludunt bonam fidem, quando ignorantia esset adeo crassa, vt videretur ingens temeritas, quia tunc æquiparatur dolo; verba sunt dicti P. in locis cit. transcripta *ex Perez de matrim. disp. 44. sect. 6. n. 9. & Sanch. lib. 2. disp. 40. sub nu. 4.* quæ ipse ibidem approbauit.

19 Sed ab istis in hoc ego recedo; regulariter n. lata culpa, dolo comparatur *l. 1. §. hac actio ff. si mens. fals. mod. dix. l. quod nerua in princ. ff. depositi, l. quæsitum §. eum quoque ff. de precar.* citant tamẽ relati DD. ad suam firmandam sententiam *Bar. in d. l. quod nerua n. 21. & in l. si adulterium n. 11. ff. ad l. Iul. de adult. Sylu. & Nauar. pluribus in locis,* in quibus hoc non inueni. Bar. autẽ *in d. l. quod nerua* dicit, quod lata culpa nõ æquiparatur dolo, quo ad infamiam irrogandam, quando infamia infertur per sententiam; si verò infertur ipso facto, dolo æquiparatur; loquitur ergo in pœnis infligendis, & cum distinctione, nec est possibile posse loqui contra eundem text. super quo scribit; sed quomodocunque sumatur, non facit ad casum, oporteret n. quod Tridentin. cit. admitteret latam culpam pro excusatione contrahentium, vt posset applicari.

In dicta verò *l. si adulterium* loquitur iuxta eundem tex. similiter de pœnis, sed statutis propter adulterium cum incestu, & distinguit varios casus, quãdo quis excusetur ab illis, vel non, ex ignorantia iu-
20 ris, vel facti; imò adeo verum est, Bar. nõ fuisse de his locutum, vt sub eodem *nu. 11.* dixerit, matrimonium inter consanguineos, non valere, nec vllam inter ignorantiam, vel ætatem excusare, citat eandem *l. si adulterium §. 1. versic. fratres. ibi fratres denique Imperatores Claudiæ crimen incesti propter ætatem remiserunt, sed distrahi coniunctionem illicitam iusserunt.*

Si ergò seruandum esset ius ciuile, secũdum quod Bar. loquitur, matrimonium inter consanguineos esset omnino dirimendum, ignorantia quacunque, vel ætate minori non obstantibus, sed quia in hac materia statur iuri canon. quod requirit scientiam impedimenti ad hoc, vt etiam post factum dissoluatur, & vult sufficere ad excusationem coniugum ignorantiam probabilem, iuxta Trid. cit. & fuit decisũ per S. Congregat. vt *in declarat. Concilij post d. cap. 5. §. placuit;* non autem quod excuset ignorantia crassa, seu lata culpa, vt putarunt authores cit. propterea dubium
21 consistit solum in sciendo, quando præsumatur coniuges ignorantia probabili laborasse ad hoc, vt possit ab Episcopo tuta conscientia dispensari; cui applicabilis est doctrina eiusdem *Bar. cit. n. 9. in fine,* tunc præsumi talem ignorantiam, quando matrimonium fuit palam contractum in facie Ecclesiæ iuxta ordinata postea per idem *Trid. sess. 24. cap. 1. eod. tit.* & impedimentum erat occultum, tunc autem præsumi scientiam, quando fuit clam contractum, vt probatur in *l. final. ff. de ritu nupt.* quod ex alio capite neque valeret, quia st. non interuenerint Parochus, & testes requisiti ex eod. Trid. cit. & etiam si interuenerint, sed fuerint dolosè, & secretè inducti, vt ego scio aliquando Neap. accidisse.

Vtrum Parochus, vel alius Confessarius, qui in confessione scit pænitentes inualidè contraxisse, vel contracturos matrimonium, cum impedimento st. dirimente, teneatur eos admonere, vel absolutionem negare, & num debeant coniuges post matrimonium bona fide contractum reddere sibi debitum, si postea superuenit scrupulus, vel opinio, vel dubium, aut scientia eius inualiditatis?

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Confessarius an & quando teneatur admonere pœnitentem de matrimonio nulliter contracto, sed laborantem ignorantia inuincibili? & quid si putet monitionem non profuturam? vel adsit scandalum publicum?n.2.4.&8.* Si *videt pœnitentem male dispositum, potest eum repellere, vt magis dispositus accedat n.3.*

5 *Debitum nolens coniux reddere alteri ex alia causa, quàm quia matrimonium est nullum, quod inuinciliter iste ignorat, an possit Confessarius sciens illi ordinare, vt reddat?*

6 *Confessarius an teneatur admonere pœnitentem errantem inuincibiliter in ijs, quæ sunt iuris naturalis, vel diuini?*

7 *Bona fides, vel mala ex quibus cognosci possit. si sit vel ne in pœnitente?*

9 *Matrimonio nulliter contracto propter impedimentum dirimens, an separandum sit, si vnus illud sciebat, alter autem erat in bona fide.*

10 *Scrupulus, suspicio, opinio, dubium, & scientia quid sint, & quomodo inter se differant?*

11 *Matrimonio contracto sub bona fide, si postea accedat scrupulus eius inualiditatis ex quocunque capite, vel opinio, vel dubium, aut scientia, an, & quando prohibeatur interim debiti petitio, vel etiã redditio? & n.15.& 16.*

12 *Error in facto, vel in iure an, & quando excuset in materia matrimonij? & an ignorantia n.13.&14.*

Resolutio CXXII.

1 AD primum respondetur cum distinctione (loquendo in confessione) aut enim pœnitens laborat ignorantia inuincibili facti, vel iuris positiui, nec speratur fructus ex admonitione, & remediũ in praxi adhibendum, difficillimum videtur ratione scandali particularis, aut infamiæ, vel magni damni inde secuturorum (modo desit periculum damni communis, pura scandali publici populi) & non tenetur admonere, probatur *in c. quia circa in fine de consang. & affin. c. si quis 4. de pœnit. dist. 7. vbi ad propositum dicit August. si scirẽ nihil tibi prodesse, non te monerem, non te terrerem. facit text. in l. ad probationem 22. C. de*
2 *probat.* Quod si speraretur admonitionem profuturam, scandalumque, infamiam, aut damnum magnum abfutura, deberet cõfessarius admonere pœnitentẽ, iuxta DD. apud *Bonac. hoc tit. q. 3. pun. vlt. num. 4. sed Sanch. lib. 2. hoc tit. disp. 38. n. 5. & Coninch. disp. 8. dub. 17. nu. 137.* dicunt contrarium propter magnum periculum incontinentiæ, dum impetratur dispensatio, quia interim, ex quo per admonitionem cessat bona fides, peccant coniuges coeundo. Aut pœnitens laborat ignorantia vincibili eiusdem iuris, vel facti, & licet non speretur fructus emendationis, tenetur Confessarius eum monere, & corrigere.

Ratio n. quare non tenetur in primo casu est, quia ratione ignorantiæ inuincibilis, non peccat pœnitens persistendo in illo statu, & ex admonitione peccaret, quia ex illa oritur scientia, propter quam amplius non excusatur, & cessante emendationis spe, non tenetur eo casu Confessarius ad correctionem, secus in casu ignorantiæ vincibilis, propter quam fuit, & est pœnitens in statu peccati, & propterea necessaria est admonitio, vt resipiscat, eo etiam magis quia regulare est, & ad officium pastoris attinet monere, & instruere pœnitentem instructione indigentem, inò
3 repellere eum potest, si minus dispositum reperiat *Sot. in 4. dist. 18. q. 2. art. 4. Suar. de pœnit. disp. 32. sect. 4. n. 4. Vasq. eod. tit. qu. 95. art. 3. dub. 9. Sanch. cit. n. 2. Coninch. vbi sup. n. 136.* Exemplificat casum priorem *Regin. lib. 2. sect. 2. n. 47. ex Cano in relect. de pœnit.*
4 *par. 6. §. hinc* verò Medina, & alijs, quando duo contraxerunt matrimonium in tertio, vel in quarto gradu cõsanguinitatis, ignorantes inuincibiliter ius, quod illud anullat, vel si Berta transiuit ad secunda vota, credẽs ex ignorantia inuincibili facti priorem virum mortuum, qui viuebat, quod in his, & similibus casibus prudenter agat Confessarius, admonendo pœnitentem, si credat suum consilium profuturum (licet contradicant, Sanch. & Coninch. vt supra) alioquin non debeat eum admonere, maximè si putat scandala, & alia prædicta propterea euentura; nisi tamen (addit *Sanch. cit. n. 16.* pro limitatione suæ doctrinæ relatæ) scandalum, quod timetur, momentaneum sit, ita vt tunc non speretur fructus admonitionis, spes tamen sit illum breui sequuturum, tunc teneatur pœnitentem ipsum informare de veri-

tate

tate, quam ignorat.

5 In casibus autem, in quibus non tenetur Confessarius admonere, addit Regin. cit. quod idem Confessarius nolentem reddere debitum ex ira, vel alia leui causa teneatur ad id cogere, tamquam à peccato ob ignorantiam inuincibilem excusatum, si reddat, & peccantem contra cõscientiam, si non reddat, neque mentiri dicendo illum esse suum coniugem, cum talis sit communi existimatione, sicuti nec mentita est B. Virgo, cum dixit Christo, ecce pater tuus &c. quia quamuis B. Ioseph non esset verè Pater Christi, erat tamen talis communiter existimatus, & facit vulgata *l. barbarius ff. de offic. Praet.*

6 Quod si ignorantia iuris naturalis, vel diuini inuincibilis pœnitens laboret, putat *Sanch. d. disp. 38. n. 9.* Si probabiliter crediderit consilium non profuturum, neque teneri Confessarium admonere pœnitentem citat *Henriq. lib. 6. de pœnit. cap. 28. n. 1. litt. B.* qui hoc admittit in casu valde raro; sed contrarium docent *Adrian. in 4. q. 5. de Confess. dub. 7. & quodlib. 5. art. 2. Nauar. in summa cap. 22. n. 83. & in c. si quis autem de pœnit. dist. 7. n. 71.* difficultas potest esse in ijs, quæ sunt de iure diuino scripto; in quibus vtraque opinio videtur probabilis, in ijs autẽ, quæ sunt de iure naturali, quia supra *resol. 19.* probauimus non posse dari ignorantiam inuincibilem, consequenter patet, debere tunc Confessarium admonere pœnitentẽ, sicuti dictum est de ignorantia uincibili iuris positiui.

7 Inde autem facilè cognosci poterit, an pœnitens sit in bona, vel mala fide ratione ignorantiæ vincibilis, vel inuincibilis; quando dubitat de validitate matrimonij, & vti dubius interrogat Confessarium, tũc certũ est esse in mala fide, & consequenter teneri Cõfessarium eum admonere: quod si de hoc non dubitat, nec interrogat, sed ex alio accidenti in eadem confessione nouit Confessarius nullitatem matrimonij, tunc non est in mala fide, nec tenetur Confessarius eum corrigere, nisi in casibus relatis *Guttier. de matrim. cap. 48. num. 4. Sanch. cit. n. 3.* qui addit *n. 6.* in fine idem, cum distinctionibus tamen supra recensitis, procedere etiam quando esset matrimonium contrahendum.

8 Quam doctrinam sequitur *Bonac. d. pun. vlt. n. 13. in fine*, vbi rectè etiam docet ex *Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 6.* non posse Parochum scientem talia impedimenta in confessione, denegare matrimonium pœnitẽti, sint quantumuis dirimentia, quia certũ est non posse extra confessionem vti sciẽtia in confessione habita, alias esset frangere sigillum, vt dicetur infra *v. sigillum*, & propterea se deber gerere extra confessionẽ, ac si nihil sciret; secus aũt, si ea sciret extra cõfessionẽ, tunc n. potest negare matrimoniũ, vel ea propalare Episcopo, sicuti posset quilibet alius, quia nõ tenetur tali casu assistere matrimonio inualido, si sit contrahendum, & potest insistere pro separatione, si sit contractum *c. 1. de consang. & affin. c. final. §. si quis & §. sanè de clandest. despons. Henriq. lib. 6. c. 27. n. 5. Sanch. hoc eod. tit. lib. 3. disp 15. n. 8.*

9 In omni aũt casu inualiditatis matrimonij, licet in foro conscientiæ secretũ sit omnino seruandum, vt supra; in foro tñ exteriori, detectis impedimentis dirimẽtibus, nisi dispensatione conualidetur, remanent illi, qui taliter contraxerunt, non solùm subditi separationi, sed etiam alijs pœnis, & præcipuè illegitimitati prolis, si ambo sciebant impedimentum, quantumuis in facie Ecclesiæ contraxerint *d. §. si quis*, secus si vnus tantum sciebat, vt legitur in *c. ex tenore qui filij sint legit.* & etiam dictum est supra *resol. 106. à n. 18. & alibi.*

10 Ad secundum pro intelligentia dicendorum præmitto, scrupulum esse motionẽ ad vnam partem contradictionis ex leuibus, & debilibus coniecturis, qui æquiparatur suspicioni *Sylu. v. scrupulus nu. 1. ex Alberto, & alijs*, esseque cum incertitudine, & magna formidine alterius partis dicit *P. Dian. in summa v. suspicio n. 1.* opinio est assensus voluntariè declinans in vnam partem, magis quam in aliam cum formidine tamen alterius partis *D. Tho. 2. 2. qu. 1. art. 4. in corp.* dubium est motus indifferens in vtramque partem contradictionis, ita quod non inclinet ad vnam magis, quam ad alteram partem notabiliter. *Syluest. cit. ex Isidor. in lib. Etymol.* sed clarius idem *D. Tho. in 3. dist. 17. q. 1. art. 4.* Scientia est cognitio certa, saltem moraliter *D. Tho. d. art. 4. Bonac. hoc tit. q. 4. pun. 4. n. 1. addit Bar. in l. si quis ita ff. de testam. tut.* quem refert, & sequitur *Sylu. v. matrimonium 8. sub nu. 13.* quod quis dicitur esse certus, quando habet vehementem opinionem de aliqua re, & sic (qui credit probabiliter, & non temere, est certus, etiam si fallatur, nisi ad-

fir

sit probabilitas ex altera parte, quia tunc esset dubius, vt supra.

11 His positis: si quis contraxit bona fide matrimonium,& postea superueniat scrupulus inualiditatis eius, quod viuat prior coniux, tunc deposito scrupulo, potest licitè non solùm reddere, sed etiam petere debitum; Si verò opinetur, vel dubitet de prædictis, tenetur reddere, sed non petere; non n. potest negare ius suum coniugi, nihil opinanti, vel dubitanti in contrariũ, qui est in bona fide; aut verò scit impedimentum superuentum, & tunc non solùm nequit petere, sed nec reddere, et si excõmunicationis iaculo feriendus veniret. vt probatur apertè *in c.2. de secũd. nupt. & in c. inquisitioni de sent. excomm.* Quæ tamen

12 doctrina vt possit facilius applicari casibus contingentibus, dicamus, posse circa præsentem materiam errari, vel dubitari iu iure, vel in facto. exemplum primi erroris sit, si coniux nesciebat impedimentum, quod de iure nascitur ex copula cum cõsanguineo coniugis, vel similia. exemplum secundi, si sciebat prædictum impedimentum iuris, verum ignorabat consanguineũ coniugis, cum quo habuit rem, esse illi coniunctum in gradu prohibito, vt per similia exempla docet I.C. *in l.1. ff. de iur. & fact. ignor.* & simili modo explicat *Regin. cit. supra sub n.3.*

13 Distinctionem tamen facti, quam scribit idem *Regin. lib. 31. n.* 297. non puto iure probari; dicit enim ignorantiam etiam vincibilem excusare, non solùm à reddendo, sed etiam à petendo debitum, nisi adeo crassa sit, vt magnæ temeritatis censeatur esse, ex ea agere, & multò magis si sit affectata, tamquam voluntaria, ex quibus videtur distinguere ignorantiã vincibilem à crassa; Quamuis autem illæ differant ab affectata, quæ est volita, & consequenter dolosa, vt probatur in psalmo 35. ibi noluit intelligere, vt bene ageret, & in *l. ea quæ §. fin. de contrah. empt.* attamen nec ista, nec illæ regulariter excusant, vt probatur in *c. penult. de cler. excomm. minist. c.1. in fine de ordin. ab Episc. qui renunc. l. nec supina; & l. regula §. sed facti de iur. & facti*

14 *ignor.* in quibus iuribus etiam probatur, ignorantiam inuincibilem, seu probabilẽ excusare, vincibilem autem, seu crassã, & minus affectatam nequaquam. Dum autẽ quis dubitat de validitate matrimonij, bona fide contracti, quando non potest petere, vt diximus, sed tantùm reddere, addendũ est, idem esse, si vterq; dubitat, quo casu sicut neuter potest petere, ita neu-

15 ter tenetur reddere. Quod si adhibita diligẽtia possibili, dubium vinci non potuit, deponi potest, & consequenter reddi, & peti debitum; quia tunc censetur ignorãtia inuincibilis, seu probabilis, à peccato excusans, vt supra dictum est, & idem per omnia est de opinante, vel opinantibus, vt latè cum communi sententia docet *Sanch. lib.2. hoc tit. disp. 41. n.55. & disp.44. nu.* 2.

16 In casu verò scientiæ impedimenti dirimentis ex parte vnius ex coniugibus, quãdo, vt etiam diximus, nequit reddi debitũ alteri, quantumuis in bona fide existenti, si nõ potest detegi impedimentum absque infamia, vel periculo vitæ, vel his cessantibus, si detegatur probari non possit, & propterea cogatur sciens à iudice ad debitum reddendum, quod faciens peccaret, vt *in d.c. inquisitioni* vnum ex quatuor remedijs est eligendum ad peccatum vitandum, vel ut sciens petat dispensationem, & si non potest obtinere, ingrediatur religionem, si matrimonium non est consummatum; vel vt fugiat in locum, vbi cesset scãdalum, & peccati periculum; uel ut petat diuortium, quo ad torum, si adest causa petendi, ut sunt sæuitia, adulterium, &c. ut in sequen. resol. vel ut habitet cum cõiuge, uti eius sorore, modo absit periculũ peccati, quod per difficile reputatur *Rodriq. to.2. cap.92. Henriq. lib.11. cap.11. nu. 3. Sanch. lib.9. disp.39. n.8. & 13.* de qua materia uide etiam supra *resol.106. à n.18. vsque ad finem.*

Vtrum coniuges peccent mortaliter negando sibi debitum, & quibus ex causis non solùm excusentur, verum etiam diuortium quo ad torum petere valeant?

SVMMARIVM.

1 *Debitum si petatur expressè, vel tacitè, ab alterutro coniugum, non est negandum sub pœna mortalis, etiam si sit quadragesima, vel dies Paschatis, n.2. Eius redditio an possit esse, etiam in* Ecclesia *absque peccato. & an propterea ea polluatur? n.3.*

Im-

4 *Impotentia coeundi excusat à redditione debiti. sed non potest vir effici impotens ex nimijs vigilijs, vel ieiunijs, neque vxor, qua de causa turpis euadat, & de alijs causis excusantibus n.5. vsq; ad finē.*

10 *Matrimonium ex furore superueniente separatur quo ad torū, sed nō quo ad vinculum; non potest tamen à furiosis contrahi.*

12 *Adulterium vnius coniugis, an & quando excuset alterum à redditione debiti? vel peccet mortaliter reddendo? num. 13. & 14.*

15 *Diuortium potest fieri quo ad torum per adulterium vnius ex coniugibus, & potest innocens inuito adultero monasterium ingredi, vel sacros ordines suscipere, ipse verò non tenetur ingredi, nec vouere, sed non potest, nisi mortuo altero iterum nubere; debet tamen ante ingressum præcedere sententia diuortij, & num. 16. & 17.*

18 *Lite pendente super diuortio, non impeditur debiti petitio, & si ante sententiam Iudicis innocens ingreditur monasterium, reuocatur ad matrimonium.*

19 *Diuortij sententia prolata, & ingresso innocente monasterium (quod in tali casu potest) si reperiatur postea Ecclesiam fuisse deceptam propter falsitatem existimati adulterij, reuocatur ingressus ad coniugium, professione non obstante, secus si vterque fuit ingressus.*

20 *Adulter sequuta sententia diuortij ad instantiam coniugis innocentis, num possit isto inuito ad monasterium transire? vel sacris ordinibus initiari, vel requiratur licentia saltem tacita innocentis? & n.22. 23. & 24.*

21 *Adulterij pœna statuta in auth. sed hodie C. ad l. Iul. de adult. num habeat locum etiam de iure canon.?*

25 *Habitus, & tonsura non faciunt monachum.*

26 *Diuortium propter adulterium viri non practicatur in Ciuitate Neap.*

27 *Sodomia tàm actiua, quàm passiua, est causa sufficiens negandi debitum, & diuortij; imo in foro fori punitur pœna mortis, etiam patiens, licet femina, nisi sit minor; quo casu extraordinariè punitur, sed semper sufficiunt indicia indubitata & n.28.*

19 *Sodomitas omnes subitaneè interijsse in nocte Natalis Domini multi DDi affirmant.*

30 *Coitus cum bestia, vel sodomia cum propria vxore, non solùm est causa negationis debiti, sed separationis matrimonij quo ad torum, tàm ex parte viri, quàm vxoris, & in vtroque casu est pœna mortis.*

31 *Feminæ inter se coeuntes puniuntur pœna mortis, vt fuit practicatum in quibusdam monialibus, sed quid de pollutione cum mortuis?*

33 *Matrimonium in quatuor casibus exercetur cum merito, & in sex cum culpa veniali.*

35 *Maritus verberans vxorem, dicitur ignobilis moribus, & quando possit eam occidere de l. ciuili, non autem canon. si tamen petat eā sibi restitui, cessante inimicitia capitali, debet restitui cum cautione n.36. & 40.*

37 *Debitum coniugale, si non soluatur ex causa absentiæ viri propter negotia vtilia, nulla culpa est, sed quid si vxor vellet simul cum viro ambulare?*

41 *Alimenta matri, & filijs an debeant à viro præstari, & penes quem coniugum illi manere diuortio pendente?*

Resolutio CXXIII.

1 Quoad primum respondetur affirmatiuè, si negent debitum petitum, siuè expressè, siuè tacitè, si tamen petatur loco, & tempore idoneis, vt infra, nec excusat quadragesima, vel alius dies festiuus, licet Paschatis, neque timor multiplicationis filiorum, nisi ambo consentiant, periculumque incontinentiæ cesset; & multo magis peccant, quando ira, vel odio, aut alio malo fine negant, ita communiter *DD. in 4. lib. sent. dist. 32.* quod antea docuit Apost. *Epist. 1. ad Corinth. cap. 7. Sylu. v. debitum coniugale n. 10. Nauarr. in man. cap. 16. n. 25. & 33.* vbi addit grauius peccare coniugem semen extra vas effundentem ad impediendam prolis cōceptionem, *Sanch. lib. 9. hoc tit. disp. 25. Regin. lib. 31. n. 281.* Ratio est, quia de iusti-
2 tia reddendum est vnicuique, quod suum est, vt patet ex definitione iustitiæ instit. de iust. & iure in princ. sed corpus viri est vxoris, & è contra ex eod. Apost. cit. ergo illud negando, fit contra iustitiam, & proinde peccatur contra illam mortaliter ex grauitate materiæ propter periculum pollutionis *Regin. n. 282.* (dixi siue tacitè) quia feminæ, vti verecundiores, solent petere taci-

taci-

tacitè per aliqua signa ; ex quibus facilè cognoscitur voluntas petendi, & obligatio viri ad reddendum *D. Thom. in 4. dist.32.quæst. vnica art. 2. quæstiunc. 1.ad 1. Sanch. cit. disp.2. nu.5 & 6. Regin.sub num.* 281.

3 Non tamen est obligatio reddendi in locis publicis, aut sacris, vt ait *Ricc.d.dist.* 32. maximè si coniuges per breue tempus ibi sint, vt regulariter accidere solet; Si verò ad longum tempus,puta per mēsem, sint in loco sacro (quia in publico hoc euenire non potest) & coacti ibi permanere, licita est redditio, & petitio, si tamen non adsit alius locus,non sacer contiguus, vbi possit hoc licitè expleri secundum *Sāch.cit.disp.*15. *num.*12. vbi penè innumeros DD. huius sententiæ refert; dicit tamen *Sylu. cit. nu.*5. quod si fiat ex libidine, vel quocunque alio fine temporali,sit mortale,quia violatur locus sacer, qui ex natura facti indigeret reconciliatione; si verò fiat propter bonum animæ,ob timorem pollutionis in se, vel in coniuge,non sit mortale,cum tali casu nec reconciliatio requiratur, non quià actus sit occultus, vt simpliciter dicunt alij, sed quia iu dicto casu est permissus idem *Sanch.cit. n.*14. contrarium autem omnino vult *Nauar.cap.*16.*sub n.*32. verum *Gl in c. Apostolus* 33. *qu.*4. videtur neutralis,sed hæc quæstio fuit latius per nos examinata *supra resol.*30. *n.* 21. *& seq.* vbi me remitto.

Ad secundum multæ causæ traduntur à DD. in quibus admittitur excusatio,quarum prima est prædicta de loco publico, vel sacro cum relata distinctione si admit-

4 tenda sit.secunda est impotentia coeundi, quia impossibilium nulla est obligatio. *l. impossibilium ff.de regul.iur. Tolet.lib.*7. *cap.* 2. *n.* 2. sed ista causa non habet locum in feminis, nisi quando essent infirmæ, non autem potest data opera vir reddi impotens per nimias vigilias, aut continua, seu immoderata ieiunia; faceret n. contra iustitiam, & consequenter mortaliter peccaret iuxta *Sylu.cit.n.*2.*ex Ricch.similiter cit. & Archid.ibidem. Sanch.lib.*9. *disp.*3. *n.*4.*& 5.in fine* addit idem procedere in feminis, si immoderatè vigilarent, vel ieiunarent, qua de causa turpes, viroque exosæ redderentur.

5 Imò vult *Bonac.hoc tit. q.*4.*pun.*1.*sub nu.* 2.licitum esse viro frangere ieiuniū,quando non potest reddere debitum, & etiam vxori, ne deformis appareat viro, quod ego nō recipio, aperta n. hac ianua,nullus coniux ieiunaret, & frustraretur intentus Ecclesiæ, quæ illud ordinauit ad carnis macerationem, non quotidie,sed in certis diebus: in quibus non est in consideratione, quod abstineant ab actu matrimonij, licet per ieiunia ordinaria aliquatenus impediretur, citat ille *Coninch.disp.*33.*dub.*2. *n.* 18. *Regin. d.n.* 285. qui in libris nostris hoc non dicunt, item Sanch. vbi supra *n.* 10.qui videtur inconstans in hoc, cum ibidem *n.* 5. docuerit contrarium ex D. Thom. Ricch. & alijs, & propterea debet intelligi saltem cum subscripta limitatione Nauar. ab eo allegati. Bene verum est quod hoc dicit, quamuis perfunctoriè *Eman.Sà v.ieiunium n.*9. *Nauar.antē in man.*

6 *cap.*21.*nu.*19. relatus à Sanch. vbi supra dicit, vxorem excusari à ieiunijs voluntariè votis, si maritus repugnat, non autem a ieiunijs Ecclesiæ, nisi cum hac de causa inter ipsam, & maritum notabilis discordia,odium, aut scandalum,rixa, percussio, aut blasphemia sequerentur;verum quod teneatur ad prædicta ieiunia Ecclesiæ nō obstante iniusta viri iussione facit *tex. in c. Iulianus* 11. *q.* 3. quem allegat *Sylu. v. ieiunium nu.*25. sed limitationem supradictā Nau. sequitur *Tol.lib.*6.*c.*4.*n.*8.

7 Tertia causa est, quando ex redditione debiti, periculū immineret mortis,vel infirmitatis *Sylu.v.debitum sub n.*2.quod puto omnino verum, quia hoc debitum est soluendum salua reddentis consistentia, & incolumitate *D.Tho.in* 4. *dist.* 32. *q. vnica art.*1.*in corp.Eman.Sà eod. v.debitum nu.*15. *Sanch.d. lib.*9. *disp.*24. *n.*2.vbi dicit,hoc ab omnibus admitti *Tolet.lib.*7.*cap.*20.*n.*2.*in fine*. itaque febris excusat, vel sanguinis effusio, & similia,prout etiam, si peteretur statim post prandium, quia tunc copula grauis detrimenti causa in viro esse solet *Sanch.ibidem n.*3. Item si petatur,à laborā-

8 te morbo gallico,vel pestilentia,aut lepra, præcipuè quando peruenit ad vltimam speciem, quæ dicitur leonina *Sylu. cit. & Sanch. n.*17.*&* 18. vbi quamplures volentes ita intelligendum esse *tex. in c.*2.*de cōiug. lepros.* qui videtur contrarius.

9 Similiter propter furorem alterius superueniētē cessat regulariter obligatio, ut uitetur periculum sani, qui potest offendi à furioso, ad quod non tenetur se exponere, nisi furor esset intercalatus; imò

pec-

peccat vir reddendo debitum uxori furiosæ propter periculum abhortus *Henriq. lib.11.c.15.n.10.Sanch.cit.disp.23.n.7.& 8. Fillinc.tract.10. cap.9.q.10.n.338. Conincb. disp.34. dub.9.n.80. Eman.Sà cit.n.16.* Prę-
10 terea si furor est ita vehemens, vt alter sit in aliquo periculo ex cohabitatione, separatur matrimonium quo ad torum *Bonac. hoc tit.q.4. pun.6. sub n.25.* imò plus dicit *Nauar.in man.c.22.sub n.22.* vt st. possit sanus etiam intrare monasterium, quod tamen non puto verum, quia recuperata per furiosum sanitate, cogendus esset similiter iste monasterium intrare, vel in perpetua continentia manere; quod nullo iure probatur; imò est contra *tex.in c.hi,qui, & c.neque furiosus 32.q.7.* vbi legitur, quod ex furore alterius, non potest Matrimonium separari, quando superuenit post contra-
11 ctum. Item excusatur vxor, si non reddat debitum viro, quando lactat infantem, & propter paupertatem non potest alteri tradere ad lactandum, si modo aduertat vbera propterea exiccari, aut lac euadere valde perniciosum, quia damnum infanti, ea de causa euenturum æquiparatur proprio, cum quo non tenetur reddere; sed maritus licitè petit, cum non teneatur tàm diu à copula abstinere *Petrus Ledes.hoc tit. q. 64. artic. 1. dub. 4. Sanch. cit. disp. 22. num. 15.*

12 Quarta causa excusans est adulterium, non enim tenetur quis reddere debitum coniugi adultero *c.1.cum multis sequent.32. q. 1. imò secundum Euang. Matth. cap. 19.* potest eum dimittere quo ad torum, non quo ad vinculum, &. dicit *Sylu.d.n.2;§.tertia est ex Ricch.& alys*, quod tam si petat, quàm si reddat, peccat mortaliter, si adulterium sit notorium, & possit propria authoritate, & absque iudicio Ecclesiæ ab adultero diuertere *Thesaur. decis.130.nn.4. Caual.decis. 18.n.2. par.2. & decis. 21. par. 4.n.7.& 26.* imò etiam si sit sibi soli notum, quamuis Ecclesia præcipiat debitum reddi, nō tenetur in cōscientia, & cessante scandalo potest etiam diuertere *Sanch. hoc tit.lib.10. disp.12. num.31.& 39. ex c.dixit Dominus 32. q.1.* Verū mulier si accusetur de adulterio in foro fori, potest agere ad separationem, quia ex tali accusatione oritur inimicitia capitalis inter eos, *Ricc. resol.236.n.2.vide etiam Henriq.lib.11.c.17. n.2. ex Nauar. & alijs.*

13 Pro maiori tñ declaratione, aut mulier perseuerat in peccato (idem est de viro) & tunc non solùm non tenetur vir reddere illi debitum, sed mortaliter peccat reddendo, vel petendo, imò denunciare eam potest ad peccatum impediendum, aliàs particeps eiusdem peccati efficitur *d. c. 1.*
14 *cum tribus seq. 32. q. 1.* Verum si coniux innocens stimulos carnis patiens, iudicat non posse contineri, non tenetur dimittere, si non sit in peccato ostinata secundum *Regin.lib.31.n.330.* imo etiam si sit ostinata secundum *Sylu.v. debitum sub n.12.* vbi limitat dictum antecedens ex eadem ratione, quia st. non tenetur cum periculo animæ propriæ, alterius correctionem procurare. sequitur *Tolet. lib.7.cap.20.sub nu. 4.* & addit *ex Armill. v. debitum §. 16.* excusari vxores, si concedant debitum viris adulteris ad maiora mala vitanda, concordiamque inter eos seruandam *Dia.p.11.tr. 5.resol.37.§.nota tertio.*

Quas limitationes negari non potest, magnam probabilitatem, æquitatemque præseferre, & dum ad praxim reductas videmus, vt dicetur inferius *n. 26.* oportet consequenter dicere canones citat. ex contraria consuetudine abrogatos. Sed iuxta eosdē can. si coniux pęnitentiā adulterij egit, potest eam alter iterum recipere, debitum reddere, & petere *c.si vir de adult. & c. quod autem 32. q. 1.* sed ad hoc non tenetur *c.de benedicto eadem causa, & quæst. c. significasti de diuort. Sanch. lib. 10.*
15 *disp.13.n.1.* Imo potest viuente, & inuito coniuge adultero, ingredi monasterium *c. Agathosa 27. q.2.c.constitutus, & c.veniēs de conuers.coniug.* omnesque in hoc conuenire asserit *Sanch.cit.disp.11.nu.2.* ratio est, quia adulter omne ius coniugale amittit per adulteriū, & proinde nullum restat obstaculum ingressus Religionis innocentis.
16 Nec requiritur, vt remanens in sæculo, simul religionem ingrediatur, vel saltem castitatis votum emittat, quia dum non potest ad hoc cogi, iura prædicta, isto renitente, locum habere nunquam possent idem *Sanch.disp.10.n.15.Dia.part.11.tract. 5. resol.37. §. de ipso vero.* licitum ergo erit adultero in sæculo remanere *Innoc. Io. Andr. Hostien. Cardin. & Abb. in c. cum sis de conuers.coniug.* quamuis n. non possit accipere vxorem, viuente ingressa, illa tamē mortua, solutus est, & vxorem ducere nō prohibetur, quod facere non posset, si in-

gredi, vel vouere cogeretur, siquidē quando non est secutum diuortium, ideo potest vterque ingredi, si consentiunt, vel remanens in sæculo vouere, vt diximus supra *resol. 112. in fine, & infra resol. 139. nu. 30.* quia cum sint vna caro, non potest vna pars conuerti ad Dominum, & alia in sæculo remanere *d. c. Agathosa. in fine*, quæ ratio cessat sequuta sententia diuortij, cum per separationem, Iudicis ordine factam, alter non habeat amplius potestatem in alium, debiti petitione, vel redditione extinta *Regin. lib. 31. n. 326. ex eod. Sanch. & alijs*, vbi addit, quod secuta professione, etiam adulteri, vel si in sacris ordinetur, nō potest amplius repeti ab innocente, sicut poterat prius, etiam post diuortij sententiam, sed vide infra *n. 25.*

17 Item à fortiori potest innocens ad sacros ordines promoueri, etiam inuita adultera *Henriq. lib. 12. cap. 6. sub nu. 10. ex Nauarr. & alijs*; imo etiam simplex votum castitatis emittere, quia adulter, vel adultera iure exigendi destitutus, vel destituta id prohibere nequeunt *D. Tho. in 4. dist. 35. q. vnica art. 5. ad 3.* quem vniuersos sequi testatur *Sanch. d. disp. 11. n. 3.* Quamuis autem, vt vota prædicta valida remaneant, sufficiat adulterium esse notoriū, vt multi non sine magno fundamento scribūt, præcipue *Nauar. in consil. 8. de regul. & alij apud Gratian. discep. foren. cap. 102. num. 25.* vbi notorietatem exemplificat, quādo non est locus inficiationi, vel quando mulier publicè habitat cum adultero iuxta *Sanch. d. disp. 11. n. 9.* attamen cautius a-

18 gendo, accedere debet sententia Iudicis ecclesiastici, qui constito de adulterio, locum esse diuortio perpetuo declaret *Gl. in d. c. Agathosa v. fornicationis ibi, alias sine iudicio Ecclesiæ dimissa restituetur, & in c. fin. de adult.* vbi allegat Hugon. dicentem, adulterium nunquam priuare coniugem iure petendi debitum, sed tantùm Ecclesiæ sententiam, & proinde lite pendente, teneri alterum, alteri debitum reddere, vide DD. apud *Nau. lib. 1. consil. 116.*

19 Imo, & quod magis est, si lata diuortij sententia, & innocente professo, vel sacris ordinibus initiato, reperiatur Ecclesiam fuisse deceptam, quia existimata adultera probauit innocentiam, erit monachus, vel in sacris ordinatus vxori restituendus *d. c. Agathosa*, debitumque soluere, non autem exigere tenebitur *Sylu. v. diuortium n. 24.* vbi addit non posse hoc agere monachum, vel ordinatū, si mulier istud non petierit, quia sibi præiudicauit per spontanea vota, idem docet *Coninch. disp. 35. dub. 5. n. 26. ex D. Tho. in 4. dist. 35. q. vnica art. 5. ad 3.* quæ omnia confirmantur per *Sanch. cit. disp. 9. n. 9.* vbi rectè subdit *nu. 12.* neque posse hoc fieri, si vterque statum mutauerit.

20 Sed vtrum è conuerso possit adulter inuito coniuge innocente, ingredi monasterium, vel sacros ordines suscipere? istā quæstionem vocat difficillimam idem *Sanch. lib. 10. disp. 10. n. 7.* & propterea tres casus distinguit; primus quando nulla sententia præcessit; secundus quando sola Iudicis sæcularis, qui damnauit vxorem adulterā ad se detrudēdā in monasterium; Tertius quando lata est à iudice ecclesiastico diuortij sententia; In primo casu ait, omnes concordare in negatiua, & proinde si statum mutauerit, posse ab innocente, quandocumque ad matrimonium reuo-

21 cari. In secundo casu citat *auth. sed hodie C. ad l. Iul. de adult.* vbi iubetur, adulterā in monasterium detrudi, & intra bienniū viro eā reciperelicere, quo trāsacto, tonsā & monastico habitu susceptam, ibi dum viuit permanere, quem tex. non esse per ius canon. correctum testatur ibidem *n. 8. in fine*, & iuxta eum fuisse in Gallia decisum, vapulata prius adultera asserit *Boer. decis. 297. n. 12. à Sanch. non cit.*

22 In tertio tandem, in quo ait consistere difficultatem, relatis multis DD. hinc inde sentientibus, concludit *n. 12.* non permitti coniugi adultero transire ad religionem, inuito innocente, etiam lata diuortij sententia; quod si ingrediatur, posse etiam post professionem reuocari, quando tamē innocens contradicit ingressui adulteri, volens eum sibi reconciliare: Nec posse coniugem adulterum, ignorante, & inconsulto innocente, ad religionem transire, sed eius licentiam, & beneplacitum desiderari, quam licentiam addit *num. 14.* intelligi concessam, si id sciat innocens, & non contradicat, cum possit; valere tamen hanc tacitam, vel expressam licentiam reuocare, & coniugem adulterum sibi reconciliare vsque dum non fuerit professus, vel sacris initiatus; quo peracto, non esse amplius audiendam, sibique imputare debere, si serò reconciliationem petie-

23 rit. Imò, & tandem si sæpe monitus inno-

nocens pro reconciliatione, vel licentia profitendi; neutrum facere velit, quod liberum sit adultero ad Religionem transire, nec possit amplius innocens illum ad se reuocare, quod dicit probari ex *c. gaudemus de conuers. coniug. vltra quamplures DD. allegatos n.* 16. nec oportere vt innocens in sæculo remanens, votum castitatis simplex, vel solemne emittat ibidem *nu.* 15.

24 Verum obstare videtur *tex. in d. c. Agathosa* 27. *q.* 2. vbi apertè deciditur, quod si ingressus non sit de voluntate innocentis coniugis, vel altero adulterante, reuocatur etiam tonsuratus è monasterio, & dicit *Sylu. hoc tit.* 9. *n.* 11. adulterum inuito innocente, profiteri non posse, licet sufficiat licentia tacita; imò ante eum dixit *Salyc. in d. auth. sed hodie nu.* 3. *oppos.* 4. *in fine ex c. vxoratus, & toto fere tit. de conuers. coniug.* integrum esse iure canon. attento, coniugi innocenti adulterum perpetuo sibi reconciliare. Quod cõfirmat *Bald. sup. ead. auth. n.* 2. dicens, post matrimonium consummatum non posse vxorem conuerti, viro permanente in sæculo; nam cum sint vna caro, quantum ad matrimonium, impossibile est ex parte conuerti, & ex parte in sęculo remanere; habitumque, de quo in tex. fit mentio, esse in signũ pęnitentiæ, non conuersionis, indeque oriri illud adagium, habitum scilicet & tonsu-

25 ram non facere monachum, sed professionem regularem, eo magis quod ista loca, vbi tales feminæ includuntur, vocantur loca pœnitentiæ, vbi non solet profiteri, & proinde pro coniuge innocente, maximè si nõ pręcessit sententia diuortij, ego sequor opinionem Bal. & prædictorũ; quibus addo, licet notum sit, quod viuente altero, neuter potest in quocunque casu ad secunda vota transire ex *can.* 7. *sess.*

26 24. *de reform. matrim. in Trid.* Dicit tamẽ *Molfes. super consuetud. Neap. par.* 6. *qu.* 5. *n.* 56 non practicari regulariter diuortium in Ciuitate Neap. propter adulterium viri, nisi quando vir retineret concubinam domi, quia solent, & possunt tunc cum maiori commoditate insidiari vitæ vxoris; sed hæc omnia cessant per adulterium alterius coniugis, tunc enim separatio quo ad torum non permittitur, debitique obligatio non cessat, sed maritali affectione ad inuicem sunt tractandi, quia paria crimina, mutua compensatione tolluntur *c. fin. de adult. c. significasti in fine, & c. ex litteris de diuort.*

27 Quinta causa est sodomia tàm actiua, quàm passiua *Bonac. hoc tit. q.* 4. *pun.* 5. *n.* 4. *ex Sanch. lib.* 10. *disp.* 4. *n.* 8. *Filliuc. tract.* 10. *cap.* 10. *qu.* 3. & faciunt tradita per *Rouit. super rubric. in pragm. de sodom. in fine*, ex qua non solùm licitè negatur debitum, sed etiam est legitima causa separationis quo ad torum, de quo non dubitari in Curia Archiepisc. Neapol. testatur *Ricc. resol.* 237. *ex text. in c. adulterij, c. flagitia &c. non solum* 32. *qu.* 7. vbi hoc verè non probatur, licet detestetur vti peior, & dãnabilior omni alio coitu, sed melius in *c. omnes causationes eod. tit. quem tex. allegat Iul. Clar. in* §. *Sodomia n.* 7. vbi dicit separari, & esse communem opinionem, quæ in practica seruatur, tàm si committatur cum propria vxore, quàm cum alijs *ex Abb. in c. maritus in fine de adult.* idem docet *Bar. in consil.* 64. *n.* 8. *lib.* 1. licet contrarium si sit cum vxore, sed malè voluerit. Bonac. cit.

28 Imo in foro fori, est pœna mortis, tàm in agente, quàm in patiente *l. cum vir C. de adult.* siue sit femina, siue masculus *Afflict. in constit. Reg. legum asperitatem n.* 10. & 11. *Clar. loco cit. n.* 4. vbi ait cõburi tàm masculum, quam feminam.

Et propterea per M. C. V. fuit ad mortem damnatus quidam non conuictus per testes, neque confessus, sed ex indicijs indubitatis de tali crimine pessimo, vt refert *Sanfel. in addit. ad decis.* 47. multa alia tradit *Afflict. cit.* & præcipuè, quod ea nocte,

29 qua Christus natus est, omnes sodomitæ subitaneè interierunt; si tamen masculus patiens (idem si femina) fuerit minor, non punitur pœna mortis, sed larido feruenti perfunditur in ea parte, in qua talia passus est, vt ego transeundo vidi, sed non sufficit conquestus mulieris, asserentis se tentatam à viro de tali crimine ad separationem, & consequenter neque ad debiti negationem in foro fori, nisi adsint alia indicia *Ricc. loco cit. & Gramm. decis.* 40. Quæ

30 quidem pœna negationis debiti, & separationis eo magis procedit, si quis coierit cum bestia ex eod. Bonac. citat. & tàm in masculis, quàm in fœminis est pœna mortis, vt legitur *in leuit. cap.* 20. *& in c. mulier* 15. *q.* 1. vbi iubetur, etiam bestiam interfici, non quod sit capax pœnę legis, sed vt memoria flagitij quantum possibile sit deleatur.

Item

31 Item si feminæ coierint inter se, pœna etiam mortis esse puniendas *ex l. fœdissimã C. ad l. Iul. de adult. scribit Boer. decis. 316.* & ita fuisse practicatum in quibusdam monialibus, quæ in simili coitu adhibebant quoddam instrumentum ligneum, vel vitreum, & fuisse combustas refert *Anton. Gomez sup. l. 80. Tauri num. 34. sequitur Clar. in §. fornicatio sub nu. 29.* Item pollutentes se cum mortua, grauiter puniendos esse docet idem *Clar. ibidem n. 28. & Boer. relatus n. 13.* dicit vltimo supplicio, si humilis fortunæ homines sint, si honestioris, in Insulam deportandos.

32 Sexta est tempus menstrui, quando dicit *Syln. v. debitum coniugale n. 8. circa finem*, non solùm non teneri mulierem reddere debitũ, sed peccare saltem venialiter reddendo, loquendo tamen de menstruo ordinario, & solito contingere semel in mẽse; quia si esset continuum, omnis culpa cessaret, alioquin matrimonium esset frustratorium, si numquam posset peti, nec reddi, dum perpetua supponitur fluxio, in priori tamen casu addit, mortaliter peccare mulierem exigentem, quia si excusatur vir petendo, hoc fit ad vitandam illicitam pollutionem, quæ ratio cessat in muliere, cum eo tempore non ita de facili à stimulis agitetur, vti quasi infirma, Henriq. *lib. 11. cap. 15. n. 7.* ait esse veniale *Sanch. lib. 9. disp. 21. n. 6.* dicit etiam reciprocam petitionem nullam esse culpam; sed tantùm consilium, *Rodriq. 1. par. cap. 243. Filliuct. tract. 10. par. 1. cap. 9. q. 10. nu. 336.*

33 In quatuor autem casibus ait *D. Thom. in 4. dist. 31.* exerceri actum coniugalem cũ merito; primo quando supposita gratia, quis reddit debitum, quia est actus iustitiæ; secundo quando debitum petit causa generandæ, & educandæ prolis, quia est actus latriæ, tertio quando hoc agit ad seruandam coniugem immunem à fornicatione, seu pollutione illicitis, quia est actus charitatis, quarto ad vitanda prædicta in se, quia est actus prudentiæ, vel castimoniæ, & in sex casibus peccari venialiter ait *Sylu. cit. n. 13. ex Palud. in 4. dist. 31.* de quibus dicetur etiam in seq. resol.

34 Septima causa est sæuitia mariti, vel eius parentum, propter quam non solùm licitè denegatur debitum, sed etiam fit separatio *§. si igitur auth. de nupt. c. ex transmissa, & c. litteras §. fin. de restit. spoliat.* & ita in pluribus Tribunalibus fuisse decisum constat ex *Farin. decis. 268. Seraph. decis. 226. Canalcan. decis. 28. Thesaur. decis. 130. Frãcis. Marc. decis. 738. p. 2. Sãch. lib. 10. disp. 18. n. 23.* quod procedit ẽt si mulier causã dederit. *Abb. in dicto c. litteras n. 23.* & ita pariter fuisse decisum in Senatu Veneto refert *Triuis. decis. 45. par. 1.* Si verò dubitetur ad quem terminum sæuitia peruenire debeat, vt prædicta locum sibi vendicent, dicit Imperator in *d. §. si igitur* sufficere, si flagellis super ea vir vtatur, & ita fuisse similiter decisum referunt *Farin. dec. 122. Thesaur. & Triuis. citat.*

Potest tamen vir ex causis moderatè castigare vxorem iuxta *Iul. Clar. in pract. crimin. q. 56. n. 2. & ibi addentes*; sed rectè
35 ait *Afflict. decis. 246. n. 1.* de quodam viro nobili verberante suam vxorem, quod erat nobilis natalibus, sed non moribus, cum vna sola vice, propter st. adulterium secund. leges ciuiles (quæ iure canonico non militant *c. inter hæc 33. q. 2.*) verberetur vxor, & vsque ad mortem *l. marito ad l. Iul. de adult. & l. Gracchus C. eodem* non ex
36 alia causa. Benè verum est, quod petente viro restitutionem vxoris, quando fuit facta separatio, debet dare cautionem de eam bene tractando *Ricc. resol. 254.* nisi vir capitali odio eam prosequeretur, quia tũc non sufficit cautio, vt legitur *in d. c. ex trãsmissa, & c. litteras §. fin. iuxta eumdem Ricc. resol. 235.* quicquid in contrarium dicant *Sanch. Regin. & alij apud Bonac. cit. num. 25.* quia debent intelligi secund. prædicta, vel non sequendi.

37 Octaua causa denegandi debitum licitè, & sine peccato, est propter magnum detrimentum in bonis fortunæ, vel famæ vitandum, aut ad magnum bonum acquirendum, vel si Princeps virum ad bellum conuocet; licet enim his in casibus proficisci, quamuis vxor ex viri absentia debito priuetur; non autem potest abesse mulier à viro, quia his, & similibus negotijs non est habilis *Sotus in 4. dist. 32. qu. vnica art. 3. ad 1. & lib. 7. de iustit. & iur. q. 3. ar. 1. vers. an verò*, quem alijs relatis sequitur *Sanch. hoc tit. lib. 9. disp. 4. n. 13.* Quod si vxor vellet sequi virum, dicit idem *Sanch. n. 4. esse tex. apertum in c. quod super de voto in fine*, teneri virum eam ducere; sed ille tex. loquitur in voto emisso de consensu vxoris, in quo explendo, non solùm licitũ, sed etiam pium est ducere feminas; ad alia autem negotia minime, vt omnibus patet,

&

& quotidie à viris honestis practicatur.

38 Nona est quando alteruter est ecticus, seu risicus, aut habens alitum intolerabiliter fœtentem iuxta *Cavalcan. decis.* 18. *nu.* 26. *par.* 2. *Ricc. res.* 236. *n.* 1. *Sanch. lib.* 9. *disp.* 24. *n.* 18. vbi loquitur de morbo gallico laborantibus, ergo à fortiori de prædictis malis maioribus.

Decima causa est, quando alter insidiatus est vitæ alterius *Abb. in cit. c. litteras. c.* 2. *de diuort. & in c. quemadmodum in fine de iure iur.*

39 Vndecima est lapsus vnius in infidelitatem, vel etiam hæresim, aut schisma, vel si ad ea trahere quærat alterum, tunc licet negare debitum, & etiam diuortium facere *c. idolatria & c. non solum* 28. *q.* 1. *c.* 2. *de diuort. Regin. lib.* 31. *n.* 314. *Bonac. hoc tit. q.* 4. *pun.* 6. *num.* 25. *in fine ex Nauar. Henriq. Filliuc. & alys*, sed in omnibus casibus petiti diuortij, donec lis terminetur, duo sunt addenda, vnum in fauorem viri, alterum in fauorem vxoris; primum est quod,

40 lite pendente non solùm vsque ad sententiam, sed etiam postea, si ab ea sit appellatū, non potest suspendi debitum matrimoniale iuxta *decis. de Franch.* 130. nisi odium esset inter eos capitale, ita quod nō posset per cautionem reparari *vt supra n.* 36. *diximus*.

41 Secundum est, quod si non potest vxor cum viro cohabitare ob periculum vitæ, dentur ei interim alimenta *Guttier. lib.* 1. *canō. qq. q.* 24. *Thesa. d. dec.* 130. *Peguera dec.* 20. *Guido Pap. dec.* 439. *Afflic. dec.* 10. & 152. *de Frāch. dec.* 244. ēt si mulier dotē nō dedisset, *Cappel. Tholos. decis.* 86. nisi eam promisisset, & non soluisset *Crescent. decis.* 8. *de iudic.* Filij verò nati constante matrimonio debent remanere penes coniugem innocentem iuxta *Eman. Sà v. diuortium n.* 12. *& Sanch. lib.* 10. *disp.* 20. *n.* 2. Sed hoc apertè deciditur ab Imperat. nostro *in auth. Si pater C. de alend. liber. per hac verba. Si Pater causam diuortij præstiterit, apud matrem liberi nutriantur Patris expensis; si verò è contra, tunc apud Patrem, matris locupletis expensis, nisi Pater minus idoneus sit, tunc enim apud matrem locupletem nutriantur.*

Agitur de peccatis contigentibus in vsu matrimonij.

SVMMARIVM.

1 *Copula inter coniuges multis modis fieri potest cum peccato aliquando mortali, & aliquando veniali, & n.* 2. *& seqq.*

9 *Maritus si potuit prohibere adulterium vxoris, & noluit, magisque si eam ipse prostituit, & in multis alys casibus non soluitur ab obligatione reddendi debitum, sicuti solueretur per adulterium illius absque sua culpa. Tenetur habitare cum vxore, vnde vagans diū per mundum absque præcisa necessitate, peccat mortaliter, nisi vxor consentiret nu.* 13. *An possit licite se separare ab vxore ob dotē promissam, & non solutam? n.* 14.

15 *Pacti obseruantia est de iure naturali.*

10 *Oscula intersponsos cum tactibus, etiam impudicis, & verendorum aspectibus an sint licita, & quid si propterea præuideatur, & sequatur pollutio? Inter solutos in qualibet parte corporis, an sint semper mortale n.* 19. *&* 20.

21 *Verenda propria, aut aliena an liceat alicui aliquando vltra casum curationis tangere?*

22 *Mulier permittens tangi ab alio lasciuè, an peccet mortaliter?*

23 *Votum castitatis priuatum, si fiat ante matrimonium, vel postea, sed ante consummatum, vel postea, & de consensu vxoris, an & quomodo sit seruandum, vel dispensandum? & nu.* 24. 25. *&* 27.

26 *Coniuges si de consensu castitatem vouerunt, sed in sæculo remanserunt, an possint ad incontinentiam vitandam dispensationem obtinere, & à quo maximè si postea adulterium sit secutum?*

Resolutio CXXIV.

Dictum est in superioribus de varijs modis peccandi in vsu matrimonij, quando st. matrimonium fuit nullum, & nihilominus exercetur, si nullitas proueniat ex causa consanguinitatis, vel affinitatis, publicæ honestatis iustitiæ, siue furoris propter defectum consensus, præsentiæ parochi, & testium, vel ratione loci, aut temporis, restat agendum de alijs, qui continentur sub his versibus, licet etiam aliqua ex dicendis, sint supra sparsim tacta.

Sit

Sit modus, & finis sine damno solue, cohære
Sit locus, & tempus, tactus, nec spernito votum.

Circa modum potest copula contingere varijs modis.ordinarius, & licitus est, vt mulier succumbat viro,qui eam cognoscit in vase naturali, extra quem docet *D. Tho.in 4.dist.31. in littera*, duplicem esse modum coeundi contra naturam; primus est,quãdo vas debitum non seruatur,quomodocunque hoc fiat; quod non dubita-
1 tur esse mortale, non solùm in viro,sed etiam in femina, licet hoc patiatur præter suam voluntatem,nec excusatur ob timorem odij,vel displicentiæ, seu incontinentiæ viri, aut etiam verberum. Secundus
2 est,quando seruatur debitum vas,sed non debitus situs,puta lateraliter coeundo,vel sedendo, vel stando,vel præposterè, si vir retro accedit,vel tandem si mulier supergreditur, quos modos adhibendo, quamuis aliqui dicant esse mortale, noster autẽ Sanctus hoc non admittit, sed asserit,quod quanto magis à naturali dispositione receditur, tanto est grauius, & quando dispositio corporis aliud non patitur in hoc postremo casu,puta ob pinguedinem viri, vel prægnantiam vxoris, nullum sit peccatum, circa verò alios casus priores videtur docere, quod sit veniale grauius,vel leuius. Qua de re acriter esse reprehendendos coniuges, vt à prædictis abstineãt, non autem arguendos de mortali dicunt *Syl. v. debitum coniugale n.7. in fine Coninc. disp.34.dub.9.n.80. Henriq.lib.11. cap.16.n. 6.Regin.lib.31. num.335.* Si tamen femina
3 post copulam secutam, statim mingit, vel se erigit, aut aliud facit, vt semen receptum eijciat, peccat mortaliter, vt dicunt communiter DD. quia agit contra finem, ad quem est semen institutum à natura, *Henriq.cit. nu.8.Sanch. hoc tit.lib.9.disp.20. n.30. Regin. cit.nu.334. Dia. vbi cæteri par. 10.tr.14. resol.55.§.fin.* vbi ait,numquam hoc licere, cum sit intrinsecè malum.
4 Circa particulam (finis) hic potest esse multiplex, nempe bonum prolis, 2. bonũ fidei, 3. significatio vnionis Christi cum Ecclesia, 4. sanitas corporis, 5. alterius peccati carnalis vitatio,sexto carnalis delectatio. primi tres fines, si habeantur in mente,in actu copulæ, vel saltem tempore contracti matrimonij, vel non habeatur intentio negatiua,seu contraria,non solùm non sunt peccata, sed actus meritorij,vt in priori *resol.n.33.cum D. Thom. diximus, & tradit Sanch.lib.9.disp.8.vbi latissimè.* De 4.
5 & 5.fine agit idẽ *Sãch.disp.9.& 10.* vbi conatur probare esse aliquãdo veniale, cum st. hæc habeantur pro fine principali, & possint ista mala alio medio reparari; quod videtur aduersari doctrinę *Apostoli 1.ad Corinth. 7.* ibi, reuertimini statim in idipsũ,ne tentet vos Satanas,& ibi,melius est nubere, quàm vri. de *6.* verò, si ita quis delectetur, vt etiam si non esset sua coniux,accederet, vel aliam personam tẽpore copulæ in mente habeat, de qua delectetur, certum est peccare mortaliter, & eo peccato,quo est capax persona cogitata, vel concupita, si st sit soluta, vel coniugata, aut sacra, vel coniuncta in gradu.
6 Si verò coniux non transgreditur vsum actus coniugalis, sed hunc exercet solius delectationis gratia,tũc dicũt esse saltẽ veniale *Tolet.lib.7.c.20. n.1. idem Sanch.lib.9. disp.11.nu.4. Coninch.disp.34. dub.1.Regin. lib.31.n.34.* quod tamen videtur probari *in c.vir cum propria 33.q.4.ibi non n.de adulterio,vel fornicatione, sed de legitimo matrimonio susceptus fuerat, qui dicebat,ecce enim in iniquitatibus conceptus sum,& in peccatis cõcepit me mater mea*; ex quibus concludunt, copulam coniugalem fieri sine peccato, imò cum merito ob solos tres fines priores, non autem ob alios duos sequentes, quia de *6.* non dubitatur; sed ego probabile existimo nullo modo esse peccatum, nisi quando fieret modo relato n.5.in fine, quia potest locus psalmi intelligi de peccato originali, vt exponit *Gl.in cit.c.vir v. iniquitatibus. Nauar.in man.cap.16.n.32.*

Circa particulam (sine damno) dictum est in priori resol. quando liceat negare debitum, si adsit periculum mortis, vel grauis infirmitatis, ac etiam menstrui
7 tempore, imo peccatum esse mortale, quando fit copula cum probabili periculo abhortionis,si vir supergrediatur vxorem, partui proximam,quia non solùm est contra charitatem, sed etiam contra iustitiam delectari cum probabili periculo mortis prolis, ait *D.Anton.par.3.tit.1.cap.20. §.4.* vbi docet tale periculum adesse circa principium conceptus, in quo matrix aliquando ob delectationem aperitur,& materia non dum perfectè coagulata effunditur. 2. quando copula fit paulo ante partum, quia tunc potest suffocari accessio-

tione seminis, etiam si de retro in vase debito accedat; quod si vir supergrederetur, ex hoc solo posset proles suffocari; sed ego priorem casum circa principium conceptus, salua reuerentia non recipio, cum impossibile sit coniugibus hoc scire. 2. si de retro fiat accessio, vix de veniali coninges arguerem, cum difficilis sit eorum cohabitatio, & in eodem lecto dormitio absque copula, maxime per multos dies.
8 3. de supergressione præcipuè quãdo proximus est partus, non dubito esse mortale, cum de directo detur opera rei illicitæ, & magno abhortus periculo, *Nauar. cit. Tol. lib. 7. cap. 10. à n. 1. Valent. tom. 4. disp. 10. q. 6. pun. 2. Coninch. disp. 34. dub. 9. nu. 77. & 78. Sanch. d. lib. 9. disp. 22. n. 3.* Sequitur particula (solue,) de obligatione st. reddendi debitum, de qua etiã dictum est in priori resol. cessare, si alter coniux adulteretur,
9 & hoc etiam fallere in multis casibus, quibus adde, quando vir potuit prohibere adulterium, & noluit, vel ipse vxorem prostituit *c. discretionem de eo, qui cogno. consang. vxor. sua ibi cum adulterium ei nõ possit obycere, qui eam adulterandam tradidit*; item quando vxor fuit violenter cognita *c. proposito 32. q. 5.* vbi August. refert exemplum Lucretiæ Romanæ, quasi cognita fuisset per vim, licet reuera non per vim, sed per insidias fuerit cognita à Tarquinio, vt ibi aduertit *Gl. v. adultera*, item quando accessit ad virum alienum, quem omnino putabat esse suum *c. in lectum 34. quæst. 2.* Item quando secundo nupsit, putans virũ priorem mortuum, qui viuebat *c. cum per bellicam eod. tit.* vltimo quando vir noluit reddere debitum vxori, propter quod fuit adulterata. probatur *in c. secundum verba 33. q. 5. D. Tho. in epist. 1. ad Corinth. cap. 7. Armill. hoc tit. §. 73. Tolet. lib. 7. cap. 20. in fine.*
10 Hac autem occasione notant *Sanch. d. lib. 9. disp. 17. n. 12. & Bonac. hoc eod. tit. q. 4. pun. 6. n. 15.* quod si vir postquam seminauit, se retrahat ante seminationem vxoris, potest ipsa vxor se tactibus excitare, donec seminet, quia alioquin grauem sentiret afflictionem, ita remanendo libidine accensa; & quia illi tactus ordinantur ad complementum actus coniugalis à viro incæpti, sed nullum doctorem ad hoc probandum allegant; ptopterea si probabile sit, alij iudicent, quia ego valde de hoc dubito; ista n. ianua aperta, facile sumerent occasionem vxores, aliàs se excitandi similibus tactibus, qui sunt regulariter prohibiti, & propterea sequor opinionem *Rodriq. in summa par. 3. cap. 88. nu. 4.* qui dicit esse mortale, vt vult etiam *Dia. p. 2. tr. 17. resol. 38. in fine.*
11 Quod si ob senectutem quis sciat non posse effundere semen intra vas, non esse licitam copulam, sed tantùm oscula, & tactus (si tamen desit periculum effundendi semen extra vas) ad mutui amoris signa præbenda, & conseruanda, dum legitimum est matrimonium, quod ista permittit, docent *Sanch. cit. n. 21. & 23. Bonac. vbi supra n. 17. ex Nauar. & alijs.* Si verò senex habet probabilitatem mittendi semen intra vas, potest licitè coire, quãmuis postea extra vas præter intentionem effundatur, vt vult etiam *Regin. lib. 31. nu.*
12 *334.* quod procedit etiam in non sene (si non effundatur data opera, quia tunc est mortale,) si aliquo casu, coeundo cum vxore v. g. à retrò, in vase tamen naturali, seminis partem extra vas, præter intentionem emittat, quod vix est veniale, vt docet *ex Alber. Mag. in 4. dist. 32. idem Tolet. lib. 7. cap. 20. n. 1.*

Sequitur particula (cohęre,) per quã significatur obligatio cõiugum, simul habitandi; finis n. matrimonij est prolis suscipiendæ, & fornicationis vitandæ; data
13 ergo separatione frustraretur vterque, & propterea peccant mortaliter coniuges absque præcisa necessitate, se separantes *Gregor. de Val. to. 4. disp. 10. q. 5. pun. 3. Tolet. lib. 7. cap. 21. n. 1. Sanch. lib. 9. disp. 4. n. 2. Regin. lib. 31. n. 344.* imo addit idem Tol. coniuges vagantes per alienas prouincias, suas vxores relinquendo, non esse absoluendos, donec firmum saltem propositum habeant absque mota redeundi; excipiũtur tamen casus in hac, & priori resol. adducti, & vlterius quando adest consensus vtriusque iuxta dicta per *Nauar. c. 16. nu. 25. & alios*, vel separatio esset ad modicum tempus.
14 Hinc disputant DD. vtrum liceat viro se separe ab vxore ob dotem non solutã, & respondent negatiuè apud *Sanch. citat. disp. 5. nu. 17.* quos ipse sequitur cum Regin. supra ex Couarr. & alijs; quorum fundamentum est, quia Christus dixit apud *Matt. cap. 7. & apud Luc. cap. 16.* solam fornicationem, causam esse dimittendi vxorem, ergo exclusit omnes alias *c. non*

*ne de præsumpt.& l.cũ prætor.ff. de iudic.*sed
vidẽtur obstare tex.*in c.per vestras in fin.de
donat.inter vir.& uxor.& l.fin.C.ad S.C. Vel-
lei.* sicut etiam docent *Abb.in consil.85.n.1.
lib.2.& in d.c.per vestras n.4.Bal.in c.quem-
admodum n.9.de iure iur. & in l. quod in
vxorem n.2.C.de neg.gest. Angel.in summa
v. dos n.9. Armil. eod.n.10.Franc. Marc.de-
cis.732. num.4.par.2.*& fortius si ipsa vxor
15 promisit dotem, promissionis enim, seu
pacti obseruantia est de iure naturali *l. 1.
de pact.vbi Gl.v.huius edicti*, sed ius natu-
rale, vel præfertur, vt antiquius, vel con-
currit cum iure diuino, ergo non soluen-
te vxore dotem ab ipsa promissam, non
tenetur vir cum ea habitare; hoc tamen
non seruatur inter personas ciuiles, quia
virorum dedecori imputaretur. Et prop-
terea non sequor istam, sed priorem sen-
tentiam.

16 De loco,& tempore dictum est in resol.
123. *nu*.2. sequitur particula (tactus) isti
enim,si sunt in verendis inter coniugatos,
etiam iuncti cum osculis, & in ordine ad
copulam, nullum peccatum est, si verò
absque copula, sed solùm causa delectati-
onis, veniale tantum; quod si per ista du-
bitetur de pollutione extra vas,vel eo fine
fiant, mortale est *Tolet.d.cap.21.sub n.6.ex
Caiet.in summa v.matrimoniũ,Regin.ex Sylu.
& Victor.lib.31.n.349.* Sed oscula tantùm
17 in ore, quæ frequentia sunt inter coniu-
gatos,amoris, & beneuolentiæ gratia,ces-
sante pollutionis periculo extra vas, im-
munia etiam à veniali esse non dubitatur,
licet ad copulam ordinata non sint, alio-
quin innumerabilia venialia ab ipsis præ-
ter,& contra voluntatem committerentur;
eodem modo licent inter eos verba im-
pudica, secluso dicto pollutionis peri-
culo *Azor. 3.par. lib.3.cap.25. quæst.2.Co-
ninc. disp.34.dub.11.n.113.Sanch.lib.9.disp.
44. num.*10. vbi de omnibus ad materiam
latè.

18 Verum inter sponsos, tactus impudici
sunt mortalia, vti dispositiui ad copulam,
tunc non permissam, secus si non sint im-
pudici, vt oscula in facie, vel etiam in o-
re iuxta *Bonac.hoc tit.q.4.pun.9.nu. 6.* con-
cordat in parte *Nauar.in man.cap.16.n.12.*
vbi oscula,& tactus honestos concedit, il-
licitos autem,seu in partibus verendis ne-
gat ex *Caiet.& alijs*, verum non aperit an
sint mortalia, sed benè hoc docent *Sanch.
lib.9.disp.46.n.52.Dian.par.2. tract.17.res.
6.in fine*, vbi dicunt esse mortalia,etiam a-
spectus verendorum. displicet tamẽ quod
addit Sanch. cit. n. 50. ad vitandum st. in
aliquo casu contingenti austeritatem, vel
inurbanitatem, tactus licitos, vt supra, a-
deo esse permissos,vt quãuis ex illis præ-
uideatur, & sequatur pollutio, non sint
mortale, quod ego non admitto,sicuti nec
admisit *Dia.cit.§.tandem*,vbi refert solùm
Sanch. non approbando,nec reprobando.

19 An aũt prędicta sint sẽper mortalia in-
ter solutos? *Nauar.cit.c. 14.sub n.42.*dicit,
quod si quis iocosè mittit manũ ad pec-
tus honestæ mulieris, eiusdemque mam-
millas tangit, aut manum, vel brachium
ducit,aut præmit, vel vellicat,aut eius pe-
dem cum proprio etiam præmit,cessante
malo desiderio, pollutionisque periculo,
mortale non esse, sicuti nec amplexus, &
oscula in partibus, vbi ex Patriæ consue-
tudine permittuntur, sed ista (præcisa Pa-
triæ consuetudine, quia fiunt in publico,
& probabiliter cessat omne periculum)
sunt valdè fugienda, & si his cessantibus,
vix possunt homines se continere, quid e-
rit cum talibus additamentis? Et propte-
20 rea rectè dicit *Regin lib.22.n.6.ex D Tho.
2.2. q.154. art.1.ad* 5. quod si fiant oble-
ctandi causa, semper sunt mortalia *Eman.
Sà v.luxuria n.13: Sanch.lib.9.disp.46. n.7.*
(quamuis desit fornicandi desiderium)ni-
si agatur de paruitate materiæ, quam iste
n.9. & 16. concedit; sed ego non facile
hos tactus à mortali excusarẽ,cum in istis
non detur parua materia,nisi essent ratio-
ne curationis, aut simili honesto fine, vt
idem *Regin.ibidem n.5. docet cum Bonac.cit.
n.11.ex Caiet.& alijs,P.Dia. par.3. tract.5.
resol.1.& 89.in fine par.4.tract.4.resol.136.
§.notandum, & tract.5.resol.5. in fine, & p.
5.tr.5.resol.5.*

21 Quod si quis tangat verenda propria
cum delectatione, vel animo, seu periculo
illicitè delectandi, mortaliter peccat, si
verò ex leuitate,vel curiositate, aut cale-
faciendi gratia manus, venialiter tantùm,
cessantibus tamen periculis prędictis; si
verò ex causa necessitatis,medendi st.gra-
tia,si ibi adsit aliqua plaga, nullum pec-
catum est; tangere verò verenda aliena,
nisi aliqua necessitatis causa, semper est
mortale, *Less.lib.4.cap.3.dub. 8. n.60.San-
ch.lib.9.disp.46.n.14. Fillinc.tract.30.cap.9.
n.* 194. nisi inter natandum ioci causa per-
transennam arriperentur, quia verisimili-

ter cessat omnis delectatio, & pollutionis periculum, vt dicunt multi apud *Dia. par. 3. tr. 5. resol. 89. §. vnde.* quamuis ipse contrarium, & melius in fine voluisse videa-
22 tur. Femina autem, quæ permittit ab aliquo lasciuè tangi, & non se retrahit, nec contactum impedit, absque dubio peccat mortaliter, quamuis ipsa animum peccãdi, seu in se delectandi non habeat; concurrit n. ad actum intrinsecè malum, quem etiam ex caritate vitare tenetur, impediendo quantum possibile sit malum spirituale proximi, sicut corporale, & magis cum illud sit malũ maius *Less. cit. n. 64. ex Azor. & alijs. Eman. Sà v. luxuria n. 14.*

Sequitur vltima particula (nec sperni-
23 to votum,) sed hoc intelligitur de voto simplici castitatis, quia si est solemne, matrimonium post illud sequutum, non valet, & cogitur vouens ad Religionem redire, ut pluries supra dictum est, & constat *ex c. cum virum de regular. cum simil.* illud ergo fieri potest, uel ante matrimoniũ, uel post, ante consummatum, uel tandem post utrumque; si fiat ante matrimonium, & postea contrahatur, peccat uouens mortaliter, quia agit contra uotum *c. licet in princ. de voto,* non obstante quod contraheret animo Religionẽ intrandi ante consummationem, (quod licet possit ex *c. 2. de conuers. coniug.*) iniuriam tamen irrogare dicitur sponsæ, ab eo deceptæ, dum ipsam per uerba de pręsenti desponsat, & eodem tempore non habet uoluntatem ducendi, & quia magnum damnum illi infert, quæ ob suspicionem copulæ fortasse sequutæ non ita facile alteri nubet, ut docet *Nauar. in man. cap. 16. sub n. 30. ex Sot. & Sylu. ibi cit.*

24 Quod si fiat secundo modo, & solo inspirationis diuinæ impulsu, non peccat uouens, ingrediendo Religionem *d. c. 2.* si uerò matrimonium consummat, peccat mortaliter contra uotum, non solum prima uice, sed toties quoties petit debitum, non tamen quando post primam uicem petitus reddit idem *Nauar. d. n. 30.* ubi cõmunem dicit, & addit posse ad sedandam conscientiam, dispensari ab Episcopo, etiam ad petendum *Sanch. hoc tit. lib. 8. disp. 9. n. 8. & clarius disp. 12. n. 4. idem lib. 9. disp. 7. n. 3. ex D. Tho. in 4. dist. 38. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4. Sot. Victor. Tabi. Arm. Angel. & alijs. Regin. lib. 31. n. 350. ex c. quidam*
25 *tit. cit.* Si uerò fiat tertio modo, post ⁊c.

matrimonium contractum, & consummatum, & iterum distinguo, aut quis uouit cum consensu uxoris, & non potest petere, sed tenetur illi debitum reddere, quæ non peccat petendo, dum ipsa non uouit, licet consenserit in votum illius; Etenim si non consensisset, votum esset nullum, & posset per vxorem irritari *c. vna sol. 33. q. 5.* consensus ergo operatur, vt votũ illius valeat, nequeatque petere, sed per talem consensum non videtur mulier iuri, quod habet petendi renunciasse secundũ *Innoc. in c. vxoratus de conuers. coniug. quem Nauar. vbi supra n. 31.* testatur esse ab Abb. & alijs communiter receptum, & postea *Sanch. d. disp. 7. n. 3. Regin. cit. n. 352. in fine.* sed dispensare etiam in hoc casu potest Episcopus, vt docet idem *Sanch. lib. 8. disp. 9. nu. 8.*

26 Aut tandem votum fuit factum ab vtroque, in sæculo tamen remanente, & ambo tenentur illud seruare, non reddendo, nec petendo: alias mortaliter peccant toties, quoties *c. quod de eo 33. qu. 5. Sanch. lib. 9. disp. 7. n. 11. in fine,* nisi post votum taliter emissum, vterque adulterium commiserit, tunc n. ad instantiam alterutri est votum relaxandum, & ad matrimonium, vti prius redeundum, ne in peccato moriantur *c. tua nos 24. de iure iur.* super quibus votis, etiam præciso adulterio posse Episcopum dispensare ad vitandas proximas peccatorum causas docent *Maior. in 4. dist. 32. q. 2. in solutione ad 2. contra secũd. concl. Eman. Sà v. debitum coniugale n. 2. Sylu. v. matrim. 7. n. 5. in fine; sed Nauar. cit. cap. 12. sub n. 52.* negat, asserens dispẽsandum esse à Pontifice, nisi ex aliquo accidenti
27 non pateret recursus ad eum, cuius opinionis fuerunt *Henriq. lib. 11. cap. 5. n. 8. alijque multi apud Sanch. lib. 8. disp. 11. n. 10.* quã tẽperat idẽ Sãch. *ibid. n. 15.* si coniuges remittendo sibi ipsis renunciationem illam iuris petendi, & reddendi, quam vouendo fecerant, iterum conferant sibi mutuã corporum potestatem, quia valet prædicta remissio. post quam non solùm tenebitur vterque debitum reddere, sed poterit Episcopus dispensare, etiam ad petendum recentiores refert *Dian. par. 1. tract. 11. resol. 82.*

Quod autem valeat prædicta reciproca remissio, quamuis Sanch. nihil alleget, fundatur tamen *in l. ab emptione ff. de pact. l. emptio ff. de rescind. vend. & l. 1. in fine C.*

quando liceat ab empt.disced. vbi contractus, qui consensu fiunt, vt est prędictus de nó petendo, nec reddendo, contrario consensu dissoluuntur, quia nihil tam naturale est, quã eo genere quodque dissoluatur, quo ligatum est, & ideo nudi consensus obligatio, cõtrario consensu dissoluitur ait *Vlpian. in l. nihil tã naturale ff. de regul. iur.* iuxta quæ, neque dispensatio Episcopi videretur necessaria, nisi opponendo dicas; ideo in iuribus prædictis sufficere dissensum, quia agitur de solo interesse contrahentium, secus in uoto, quod fit ad honorem Dei, & propterea erit necessaria, saltem dispensatio Episcopi, secus si votum non fuisset simpliciter adinuicem de castitate, sed solum non petituros similiter adinuicem: tunc n. quamuis petitio fieri absque peccato non posset, reddere tamen, etiam pręcisa dispẽsatione possent, quando st. ex signis alter intelligeret alterum, si posset petiturum, quia tunc non diceretur petere, sed reddere *Gl. in c. fin. 27. q. 1. in princ.* ibi vterque enim, si sciat alterum indigere, nec posse exigere, debet alteri commisceri, & vterque reddere dicitur *Eman. Sà d. v. debitum n. 3. Sanch. lib. 9. disp. 7. n. 11. in princ.*

An delectatio morosa de re venerea, sit semper mortale peccatum, & quid de turpiloquio, & feminarum aspectu?

SVMMARIVM.

1 *Consensus est triplex formalis, virtualis, & interpretatiuus, & qui isti sint? & n. 2. & 3. eodẽ modo diuiditur dissensus n. 4.*

5 *Consensus aliquando est plenus, & perfectus, qui sufficit ad mortale, aliquando est imperfectus, & semiplenus, qui non sufficit, sed solùm ad veniale, aliquando est de cogitatione tantum, qui dicitur speculatiuus, & non est peccatum, aliquãdo de re cogitata, qui dicitur practicus, & iste sufficit n. 6. & 10. si adsit plena aduertentia n. 9.*

7 *Delectatio morosa, si sit de mortali, & cum requisitis, vt infra, licet non adsit propositum, nec desiderium perpetrandi id, de quo quis delectatur, est mortale & num. 8.*

11 *Delectatio morosa in duobus casibus est mortale, secundum vnam opinionem, si quis in ea passiue se habet, non est mortale secundum alteram opinionem; quod quomodo contingat, explicatur. nu. 12. Sed si eam expellas, facis actũ valde virtuosum nu. 13. Quando verò dubitat, si consenserit, vel ne, in dubio se accuset in confessione num. 14. Sed quomodo hoc cognosci possit? n. 17.*

15 *Examen conscientiæ de rebus venereis cogitatis, non est subtiliter faciendum, nec in eo multum immorandum, & quare?*

16 *Motus sensualitatis sunt in triplici differẽtia, alij dicuntur primo primi, alij secundo primi, & alij pleni, qui isti sint, & quando cum peccato, vel sine?*

18 *Motus sensualitatis de rebus venereis, non ita de facili imputantur ad culpam, sicut de alijs rebus, & quare?*

19 *Delectatio morosa in viduis circa præteritã copulam cum coniugibus num sit mortale? & quid de sponsis circa copulam futuram? Præsens de pollutione inuoluntariè secuta num sit mortale; & quid si quis delectetur de cibis cogitatis, & prohibitis tempore Quadragesimæ, & vigiliarum n. 20. in coniugibus altero absente de copula habita, vel habenda, an sit mortale n. 21,*

22 *Tactus impudici inter coniugatos, licet non in ordine ad copulam sunt permissi præterquam immittere membrum in os vxoris; quod est semper mortale.*

23 *Turpiloquium an sit mortale? siue cantiones, aut lectiones, scriptiones, signa venerea, vel aspectus feminarum, vel etiã pudendorũ n. 24. Et quid si inspiciantur coitus hominum, vel brutorum? nu. 25.*

26 *Pingentes feminas, vel homines cum pudendis nudis, vel cum velo diaphano peccant mortaliter, & quid de euntibus ad comedias? n. 27.*

Resolutio CXXV.

QVia ista delectatio consensu perficitur, & dissensu negatur, his propterea præcognitis, facile cognoscetur, & reliquum; consensus ergo tripliciter diuiditur, nempe in formalem, virtualẽ, & interpretatiuum; formalis, seu positiuus est, cum quis formali, seu positiuo actu uoluntatis sibi complacet, seu consentit in eo, quod intellectus iudicat, illiq; vt bonum representat, quãdo st. quis vult

1

ali-

aliquam virtutem, quam intellectus sibi, vt conuenientem amplectendam proponit, vel vitium, virtuti oppositum.

2 Virtualis est duplex, primus est, qui ex constitutione hominum, vel de natura sua includitur in consensu formali, quando aliqua sunt ita inter se coniuncta, ut vnum veniat necessario in cõsequentiã alterius, tunc licet vnum tantum consentiendo eligatur, implicitè tamen,& virtualiter censetur etiam alterum electum,vti in illo inclusum. E. g. vult quis ad aliquem sacrum ordinem promoueri, censetur etiam velle castitatis votum emittere, quod in illo ex Ecclesiæ constitutione recluditur; Item vult quis suscipere sacramẽtum matrimonij, censetur velle etiam copulam illi de natura sua insitam, nisi de consensu velint in castitate permanere. Secundus etiam inest consensui formali, etenim postquam voluntas formaliter, & expressè exercuit actum electionis alicuius rei, quã voluit, cum non possit continuè, & incessanter illum actum exercere, remanet virtualiter consensus in illa re,iam electa, & volita,donec dissensu reijciatur,vel per temporis interuallum, extraneis actibus interuenientibus, nullatenus perseuerare

3 censeatur. Interpretatiuus tandem est, cũ quis non cõsentit, neque dissentit expressè ab illo, à quo dissentire tenetur, sed veluti passiuè se habet; vt cum mulier, neque volens, neque nolens expressè,deosculatur libidinosè, vel alio modo opprimitur ab aliquo, tunc quia dissentire tenetur clamando, vel quocunque modo vim quantum possibile sit à se repellẽdo, si neutrum faciat, consentire interpretatiuè censetur.

4 A simili, dissensus potest esse, vel formalis, quando expressè respuitur cælibatus, vel virtualis,qui inest formali, quando respuendo cælibatum,respui etiam cẽsetur sacramentum ordinis, vel interpretatiuus, qualis censetur esse in eo,qui tẽpore, quo tenetur consensus actum elicere, non elicit, vt quando sacerdos vult aliquod Sacramentum conficere, debet attualiter, vel virtualiter intentionem, seu consensum illud conficiendi habere,quod si neutrum actum expleuir, censetur neque interpretatiuè velle.

5 Rursus consensus aliquando est plenus, & perfectus, quando st. præcedit plenum rationis iudicium, quod esse non potest absque plena aduertentia, & libero interiorum sensuum vsu,& hìc sufficit ad peccatum;etenim si impediatur,vt in furiosis, phreneticis, ebrijs, dormientibus,infantibus, & similibus, nullum consequenter potest rationis iudicium ad peccatum sufficiens adesse; aliquando verò non est totaliter liber, & perfectus,nec totaliter imperfectus, sed, vt aiunt, semiplenus,quod contingit per similitudinem in ijs, qui à somno non totaliter excitati, semidormiunt,vel in ijs, qui magno dolore interno, vel externa afflictione conturbantur, & talis consensus, si sit ad malum,non sufficit ad mortale, satis tamen erit ad veniale, vt infra clarius patebit.

6 Est etiam aduertendum, quod obiectũ cõsensus, seu id, cui consensus adhibetur, vel est de aliqua cogitatione tantùm, vel de re cogitata; exemplum primi consistit in speculatione, in habendo st. cognitionẽ alicuius veritatis absque inclinatione agendi, vt quando quis cupidus scire adulterij malitiam, circumstantias illud aggrauantes, & quare sit peccatum, maius simplici fornicatione,studendo,& considerando, obuiam sibi faciunt rationes, quæ sibi plausibiles videntur, tunc vel est veniale, vel nullum,vel actus meritorius, vt

7 infra. Exemplum secundi consistit in practica, quando quis occasione accepta ex affectu impudico de peccato præterito commisso, vel de futuro, quod committi poterit, siue ab ipso data opera excogitatis,siue à dæmone sugestis, & in ipsis delectetur, tunc est mortale,licet non habeat propositum. nec desiderium ea perpetrãdi, concurrẽtibus tamen aliquibus requisitis, vt intra *D.Tho.* 1.2. *q.*74. *art.*8.*& in quæst.*15.*de veritate art.*4. ex cuius verbis, & mente sunt prædicta percepta, *Sylu. v. delectatio n.*2.*ex D.August. lib.*12. *de Trinitate*.

8 Primum requisitum est, vt id, de quo sumitur delectatio sit culpa lethalis ex eodem *D.Tho.d.art.* 8. secundum,vt qui delectatur,aduertat delectari, vt ex supradictis patet; nam inaduertentia, etiam si delectatio per diem integrum duraret,excusat à mortali *c.sed pensandum dist.*6. quẽ tex. singularem vocat *Nauar. in man. cap.*

9 11. *n.* 12. nec satis est aduertere, nisi totaliter aduertat ex *Caiet. in summa v. delectatio in princ.* Tertium vt non obsistat delectationi; etenim si eam repellere conatur,

tur, quamuis non omnino repellat, virtuti potius, quàm vitio tribuendum esse docet Nauar. cit. Quartum vt absque rationabili causa eam reijcere omittat, quia si
10 prætermittit, ne derelinquat studium, rerumque impudicarum lectionē ad delectationem prouocantium, sed necessarium ad discendum pro confessionibus audiendis, vel populo, aut scholaribus docendis, neque est mortale, ex mēte *Caiet. to. 1. opusc. opusc. 14. q. 1.* quem sequitur *Nauar. d. n. 12. in fine.*

11 In summa (ait idem *Nauar. n. 14.*) ista delectatio in duobus casibus est mortale: primo assistendo illi expresse, & assentiendo, seu eam deliberatè acceptando (quod in instanti fieri potest) & ideo non dicitur morosa à mora temporaneæ durationis, sed à mora, quam facit ratio superior in eam expellendo, & propterea, si durat delectatio partis inferioris sine aduertentia superioris, numquam datur peccatum, sicut è contrario, data plena aduertentia istius, statimque non expulsa delectatione, vel quod peius acceptata expresse, iam est commissum peccatum, & ideo dicitur posse in instanti cōtingere, vt latius explicat *Bonac. hoc tit. q. 5. pun. 8. n. 1.*

12 Secundo modo, quando non acceptatur expresse, vt dictum est, sed non reijcitur, neque assistitur, sed tamquam passiuè se habendo, quis delectatur, dummodo concurrant priora requisita, hocque procedere, non solum in peccatis lasciuiæ, sed etiam cuiuslibet alterius speciei intrinsecè malæ docet *Nauar. cit. ex D. Bonau. in 2. lib. sent. dist. 24. in expositione litteræ:* contrarium tamen in isto casu docent, vt probabile *Bonac. vbi supra pun. 7. n. 8. ex Caiet. ibi relato, & P. Paganus Soc. Iesu in suis manuscriptis, P. Dian. in summa v. delectatio morosa nu. 1.* Eo quia, quando quis tali modo neutraliter se habet, nullum præceptum frangit, siquidem si aliquod violaretur, esset illud negatiuum (non concupisces) sed hoc non obligat ad repellendā concupiscentiam sensus, sed solùm ad non consentiendū, ergo &c. ad cōtrarium dictū supra *n. 3.* de consensu interpretatiuo respondet nō semper æquiualere formali, sed solum quando est æqualis obligatio non procurandi aliquod, & reijciendi, quod in hoc casu dicit cessare, sed ego puto istum falli, quia licet concederetur hanc prohibitionem non contineri in d. precepto decalogi, continetur tamen inter 7. peccata capitalia, quorum vnum, cum sit luxuria, in hoc prohiberur omne genus lasciuiæ, sub qua comprehenditur ista delectatio.

13 Verum si ratio superior postquam aduertit eam concupiscentiam, statim expellit, non solùm non est mortale, nec veniale, sed valde virtuosū *Trid. sess. 5. c. 1. de pecc. orig. §. penul. ex c. 2. de consec. dist. 4. & clarius Nauar. d. n. 14. vnde D. August. relatus à Grat. 15. q. 1. circa medium,* peccatum ait esse malum voluntarium, adeo quod nullo modo, peccatum sit, si non sit voluntariū, hic aurem cessat voluntarium explicitum, sed adest solùm interpretatiuum.

14 Dum autem ista expulsio, vel resistentia, aut assistentia, sunt actus interiores, cū difficultate potest pro certo sciri ad quem terminum istorum est peruentum, ideo consulto docet Nauar. cit. debere eum, qui per ista iurgia transiuit, se accusare in dubio in confessione de consensu fortasse interposito, vel dissensu non adhibito, nisi certè sciat consensisse, vel dissensisse, quibus ego addo, quod audiui à personis doctis, & practicis non debere pœnitentem multum detineri in tali examine, quando delectatio, de qua dubitatur, fuit de rebus venereis, ne ex tali occasione, consensus fortasse prius non datus, detur posterius.

15 Tanta enim, & subtilis disquisitio solet à dæmone sugeri, vel vt peccatum non commissum committatur, vel saltem vt pœnitentis mens perturbetur; sunt n. motus sensualitatis, adeo nobis connaturales ex infirmitate naturæ ab originali peccato corruptæ, vt putans quis ab illis se soluere, reperiatur quasi nolens ab eisdem illaqueatus, qua de causa optimi sunt generales actus contritionis.

16 Quiquidem motus sunt in duplici differentia, alij dicuntur primò primi, qui de repente consurgentes, pręueniunt omnem rationis aduertentiam, & consequenter omnem voluntatis consensum, & isti culpa omnino carent, tamquam inuoluntarij *D. Thom. 1. 2. q. 74. art. 10.* alij dicuntur secundo primi, qui succedunt primo primis, & in istis, quia non potest adesse perfecta cognitio, sed imperfecta, seu non plena, ideo operando cum istis, est veniale tantùm, de quibus habes exemplum supra sub nu. 5. alij tandem, in quibus adest perfecta, & plenaria cognitio *Tolet. lib. 4. cap. 27. n. 4. Summa Dia. v. votum n. 1.*

qui

qui si reijciātur, fit actus meritorius, si amplectantur directè, seu expressè cum delectatione, sunt mortalia, si neque reijantur, neque amplectantur, opinio magis probabilis est, quod etiam sint mortalia, minus probabilis, est negatiua, vt dictum paulo ante est.

17 Addit *Caiet. in summa v. delectatio circa finem, quē sequitur Regin. lib. 11. sect. 4. n. 51.* eos, qui sic animo affecti sunt, vt malint mori, quàm peccare mortaliter, numquam, aut rarissimè in mortalem culpam incurrere per negligentiam tales delectabiles cogitationes reprimendi; quia ipsorum negligentia non nascitur ex affectu ad delectationem, quam cognoscunt illicitam, sed ex nimia naturæ propensione, & consequenter dicit *Vasq. in opusc. de restit. cap. 3. dub. 6. n. 24.* istos motus sensu-

18 alitatis multum nos excusare, nec ita de facili imputari ad culpam, sicut alios motus de homicidio, & similibus, in quibus non solùm non inclinat, sed auertit natura.

19 Multò magis excusantur vidua, si cogitat copulam sequutam tempore matrimonij; vel sponsus copulam in futuro matrimonio sequendam; qũamuis peccent venialiter applicando se rei inutili iuxta *Nauar. cap. 16. n. 10. ex Caiet. to. 1. opusc. opusc. 14. q. 1. & 2.* ea ratione, quia res quæ cogitatur facta à vidua, vel faciēda à spōso; non fuit, nec erit peccatum; vnde deficit primum requisitum, de quo supra ex doctrina D. Tho. ibidem relata: etenim qui non facit contra legem non peccat *c. qui peccat 23. q. 4.* nisi tamen immineret periculum pollutionis ab illis præcognitum, vel adsit de præsenti delectatio ex memoria præteriti, vel futuri, imaginando virũ suum, tamquam hic, & nunc agentem cũ copula, de qua nunc delectatur; quod idē dicitur de viro respectu vxoris præmortuę, & de spōsa erga spōsum, & è cōtra ita *Sylu. v. delectatio n. 4. ex Ricch. & alijs Sanch. lib. 9. disp. 47. Dian. par. 3. tract. 5. resol. 2.* Sed idem Caiet. *to. 1. opusc. tr. 14. de delect. morosa dub. 2.* dicit; quod voluntaria delectatio de præterito actu coniugij, non est mortale, quia eiusdem moris est delectari de præsenti, præterito, vel futuro. huiusmodi enim differentiæ non variant speciem moris de bono in malum, & properea sicut simpliciter, & absolutè viduę consensu approbatiuo potest placere actus præteritus, ita potest delectari de illo. Quod etiam probat à simili de Iudice, qui functo officio, potest voluntariè delectari de vindicta exercita in occidendo pertur batores Reipublicæ, dicit tamen fallere, si viduæ delectatio periculum habet annexum pollutionis, aut ruinæ animæ ad aliquem prauum cōsensum huiusmodi delectationum annexarum, vt communiter videtur accidere voluntariè immorantibus in talibus memorijs, quia tenetur vitare huiusmodi memoriam, sicut tenetur fugere huiusmodi pericula. sine his tamen concludit, quod huiusmodi memoriæ sunt peccata venialia, quia carent pia necessitate, & vtilitate, hæc tamen doctrina salua omni reuerentia mihi videtur aliquantulũ laxa præcipuè cũ paritas iudicis iure non procedat, quia exercere iustitiam, nũquam potest esse peccatum, imo virtuosũ. Et quamuis Iudex functus sit officio, potest de iustitia exercita gaudere, & cupere semper quod fiat ab omnibus, secus de copula coniugali, quę soluto matrimonio nemini permittitur, vt omnes sciunt.

20 Ex dictis addit etiam *Regin. cit. sect. 5. n. 52. & 54. ex Nauar. in c. sicuti de pœnit. dist. 1. n. 3. & Medina ad 1. 2. D. Tho. q. 74. art. 6.* peccare mortaliter eum, qui consentit in delectationem præceptam ex pollutione inuoluntaria, quia quamuis ista ex defectu voluntarij, non sit peccatum, voluptas tamē, quæ ex post facto suscipitur de præsenti, est illicita; licebunt tamen complacentia de pollutione habita, & desiderium de habenda ad carnis tentationes sedandas; dummodo absit delectatio pręsens, *Caiet. Anton. Sylu. & alij apud Nauarr. in cit. cap. 16. n. 8.* non erit tamen lethale delectatio, etiam præsens de cibis cogitatis, & prohibitis tempore quadragesimæ, & similium, quia istorum comestio non est intrinsecè mala, sed tantùm mala, quia prohibita, secus illa, quæ sunt prohibita, quia mala *Vasq. disp. 115. cap. 3. n. 7. Coninc. disp. 34. dub. 11. n. 110.*

21 An autem licita sit delectatio coniugibus de copula habita, constante matrimonio, altero eorum absente, vel de ea habēda? *Sylu. v. delectatio n. 3.* ait esse mortale vt voluit etiam *Nauar. in man. cap. 16. n. 10. in fine ex l. illud ff. ad l. aquil.* vbi probatur eandem esse rationem, vbi est eadem iuris dispositio, proinde infert, sicuti in viduis est mortale cum dist. relata, ita esse in con-

coniugibus tempore absentiæ, quasi sit ea-
22 dem ratio. Sed in hoc fallitur, quia inter coniuges licita sunt oscula, amplexus, tactusque impudici, & oscula inuicem pudendorum (non tamen immissio membri in os vxoris, quia hoc est omnino mortale *Fagund. in decal. tom. 2. lib. 6. cap. 3. n. 19. Dia. par. 6. tract. 6. resol. 7. §. quærendum contra Sãch. in hoc communiter reprobatũ lib. 9. disp. 17. n. 5. hoc tit.*) licet non in ordine ad copulam, & delectatio illorum ratione, insit de præsenti, dummodo absint pollutio extra vas, pollutionisque periculum *Dia. p. 3. tract. 4. resol. 225.* & ad summum veniale committunt, quando tactus impudici non sunt in ordine ad copulam, vt volunt alii relati *in priori resol. n. 16.* ergo pari modo est licita illa delectatio in absentia, ratione matrimonij constautiæ, quod latius probat *Vasq. ad 1. 2. D. Tho. disp. 113. cap. 2. ex Caiet. Armill. & aliis v. delectatio Sanch. cit. disp. 44. n. 3. Filliuc. tract. 10. c. 9. qu. 12. nu. 353. idem Dia. par. 2. tract. 17. res. 36. & par. 3. tr. 4. resol. 200. & tract. 6. resol. 73. §. verum.*

23 Ad secundum, si turpiloquium fit ex sola animi leuitate, & vani solatij causa absque affectu delectandi venereê, peccatum est solùm veniale (nisi concurrat magnum adstantium scandalum, qui propẽ si essent ad libidinem; ratione n. ruinæ istorum posset esse mortale) si verò verbis adiungatur notabilis voluptas venerea, erit mortale, quod idem procedit de audiente, vel canente verba lasciua, legẽte, vel scribente eadem, vel eum nutibus, gestibusque impudicis, erit n. similiter mortale, vel veniale, si quodlibet illorum coniungatur, vel separetur à prædicto affectu delectandi *Nauar. d. cap. 16. sub nu. 14. Sanch. lib. 9. disp. 46. nu. 32. Azor. 3. part. lib. 3. cap. 25. qu. 1. Regin. lib. 32. nu. 8.* vbi ex eodem Sanch. addit excusari audientem à mortali, qui simulatè annuit verbis, & gestibus prædictis, etiam ridendo, ne inurbanus videatur, & interim omni venerea delectatione caret.

24 Pari passu procedit regula prædicta circa feminarum aspectum, qui si terminatur in sola curiositate pulchritudinis inspiciẽdæ, est veniale, secus si cum venerea delectatione, & fortius ad eas concupiscendas, vt docuit nos Dominus apud *Matth. cap. 5. ibi qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam mechatus est in corde suo;* & ex hoc quia pudendorum aspectus maris in feminam, vel è contra, semper ad venereas delectationes inclinant, semper sunt mortalia, ut dictum est in priori *resol. n. 18* nisi fiant ex necessitate, causa securationis, & huiusmodi; si tamen vir virũ, aut femina feminam in illis inspiciat, quia talis aspectus non solet ad tantam libidinem prouocare, potest esse sine mortali, nisi adsit periculum consentiendi in malũ *Less. lib. 4. c. 4. n. 63. Sãch. loco cit. n. 21. Filliuc. tr. 10. q. 7. n. 215.*

25 A fortiori peccant mortaliter inspicientes coitum hominum cum feminis *Dia. ex multis par. 3. tract. 5. resol. 88.* non tamen inspicientes coitum brutorum *Sanch. vbi supra nu. 30.* nisi tales actus mouerent ad libidinem delectabilem, consentiendique periculum iuxta *Regin. cit. n. 7. in fine;* quod tamen negant regulariter loquendo *Granado par. 2. contrprincipal. 6. tract. 4. disp. 7. n. 3. & alij apud Dian. cit. resol. 88.* Addit Sanch. ubi supra *n. 15.* confricantes brutorum partes inhonestas ex curiositate videndi eorum seminis emissionem, excusari à mortali, à quo meritò discedit *Bonac. hoc tit. q. 4. pun. 9. n. 15.* quem ego sequor, cum sit actus ualde obscenus, & inhonestus ad libidinem prouocans.

26 Item pingentes feminas eum pudendis nudis, uel cum uelo diaphano, seu transparenti, uel homines eodem modo, peccant mortaliter; cum tales uisiones de natura sua ad magnam libidinem prouocẽt *Angel. v. ludus n. 3. Filliucc. tract. 30. nu. 211. Sanch. d. disp. 46. n. 44. Dian. par. 11. tract. 4.*
27 *resol. 32.* qui idem aiunt procedere interessendo comedijs, ubi turpia dicuntur, uel representantur directè, uel indirectè: nam si in talibus casibus quis assistit eum uenerea delectatione, aut delectationis periculo, peccat mortaliter; secus si ex sola curiositate, uel simplici, & externa delectatione uerborũ, quod magis prohibetur clericis, & ecclesiasticis personis, ratione status *c. præsbiteri dist. 34. & c. non oportet 37. de consecr. dist. 5.* sed nihilominus mortale non esse, nisi cum circumstantijs prædictis, aut cum scandalo aliorum docent *Sanch. cit. num. 41. Filliuc.* & alij supra citati, sicuti etiam dictũ est supra resol. 28. n. 20.

Missa

Missa.

SVMMARIVM.

1 *Missa vnde dicatur? eiusque definitio. num. 3.*

2 *Christus per consecrationem mittitur ad nos à Patre, & per oblationem, & sumptionem remittitur à nobis ad Patrem.*

4 *Sacrificium missæ, est idem cum illo, quod fuit in ara crucis oblatum, cum hac sola differentia, quia illud fuit visibile, & cruentum, hoc inuisibile, & incruentum. Fuit à Christo institutum in substantia, in cæremonijs autem ab Ecclesia, quæ eas accepit ex apostolica traditione. num. 5.*

INTRODVCTIO.

1 Missa dicitur à mittendo, quia Christus est hostia ad nos missa à Deo, vel quia per Angelum sacerdos preces ad Deum mittit, sicut Populus per sacerdotem, vnde in fine missæ sacerdos licentiat populum, dicens ite missa est; st. hostia ad Deum per Angelum, vt sit Deo accepta *D. Tho. par. 3. q. 83. art. 4. ad 9.* Hinc etiam sacerdos dicit in missa, iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuũ, &c. itaque missa dicitur, quasi transmissa, eo quod Populus per ministeriũ sacerdotis, qui mediatoris vice fũgitur inter Deum, & homines, preces, vota, & oblationes ad Deum transmittit *Tabie. v. missa num. 1. Belar lib. 2. dist. 6. hoc tit.*
2 *c. 1.* Per consecrationem enim mittitur ad nos Christus à Patre, vt dictum est, & per oblationem, ac sumptionem à nobis remittitur ad Patrem *Angel. & Sylu. v. missa n. 1. Vasq. & alij apud Bonac. to. 1. disp. 4. hoc tit. q. vltima pun. 1. nu. 1.* quicquid in contrarium dicat *Nauar. in man. cap. 25. n. 111.*

Traditur autem missæ definitio varijs modis à prædictis authoribus loc. cit. & ab alijs, sed placet tradita à Belarm. vbi supra *ex Trid. sess. 22. cap. 2. sub eodem tit. videlicet*
3 *est illud idem sacrificium, quod à Christo in ara Crucis oblatum est, sola offerendi ratione diuersum;* Etenim hoc sacrificium habet eandem materiam, quæ est corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini, eandem formam, cum sit verum sacrificiũ. sed incruentum, & repræsentatiuum Passionis Christi; eandem causam efficientem, quæ est Christus, qui illud instituit, & se tunc obtulit, & nunc offert per manus sacerdotis; & tãdem eandem causam finalẽ, quæ fuit, & est honor Dei, & totius mundi
4 salus. Et propterea est idem cum illo, à quo solùm differt, quia tunc in Passione visibiliter, & cruenter est oblatus, nunc autem inuisibiliter sub speciebus panis, & vini latens, & incruenter, quod sacrificiũ
5 fuit institutum à Christo, quo ad substãtiam; quo ad cæremonias autem ab Ecclesia, quas ex Apostolica traditione suscepisse dicitur *in Trid. cit. sess. 22. c. 1.* quæ tamen cæremoniæ sunt de necessitate præcepti, non autem sacrificij, vt docet *Belar. vbi supra cap. 5.* & dicetur latius infra, quibus præmissis quæro.

Quæ sint sacrificij Missæ partes essentiales?

SVMMARIVM.

1 *Missa in sex partes diuiditur secundum Suar. quæ hic enumerantur: in sex etiam secundum Belarm. sed diuerso modo n. 2. Cathecumenorum dicitur vsque ad Euangelium, quo dicto non possunt amplius interesse n. 3. Sed tres tantum esse partes essentiales probatur. num. 4. Principaliter consistit in oblatione, non tamen prima, sed secunda, vt docent multi, sed secundum omnes est pars essentialis sacrificij, & n. 6. Ad eius essentiam sufficit consecratio in alterutra specie n. 7.*

Resolutio CXXVI.

1 Sex potissimum actiones fieri in missa testatur *Suar. tom. 3. disp. 75. sect. 2. in princ.* quarum prima est oblatio panis, & vini, quæ per eleuationem hostiæ, & Calicis cum vocali oratione, & aliquibus cæremonijs ante consecrationẽ fit, & de hac nihil in Euangelio legitur. Secunda est cõsecratio Corporis, & sanguinis, de qua apud Euangel. Matth. 26. ibi, *Hoc est corpus, &c. hic est sanguis, &c.* Tertia est distributio Sacramenti, vt ibi, *deditque discipulis suis.* Quarta, quæ hodie fit in missa, est alia oblatio post consecrationem ibi, *vnde, & memores Domine offerimus præclaræ Maiestati*

sua &c. Quinta est fractio hostiæ consecratæ, & mixtio particulæ in sanguinem, sexta est sumptio vtriusque speciei consecratę; sed in sola consecratione sacrificium consistere certissimum sibi esse dicit, & probare conatur *loco cit. sect. 5. §. dico ergo primo*; eius tamen opinionem ex statim dicendis non sequor, nisi cum declarationibus, vt infra.

2 Belarm. *lib. 2. dist. 6. hoc tit. cap. 4. ex D. Thom. par. 3. q. 83. art. 4.* missam in sex etiam
partes diuidit, sed alio modo; Prima n.
(ait ipse) dicitur præparatio, quæ incipit
ab introitu vsque ad epistolam: Confessio
namque antecedens est præparatio remota; Secunda dicitur instructio, quæ incipit ab Epistola vsque ad offertorium; per
epistolam n. & Euangelium, in quibus cõtinetur doctrina Christi, & Prophetarum
traditur perfecta, & plena doctrina, qua
instruimur in mysterijs Dei, & vsque huc
3 dicitur missa Cathecumenorum, quia non
amplius possunt interesse. Tertia dicitur
oblatio, quę incipit ab offertorio vsque ad
præfationem. Quarta dicitur consecratio,
& incipit à præfatione vsque ad orationẽ
Dominicalem; Quinta dicitur communio,
quæ incipit a prædicta oratione vsque ad
sumptionem. Sexta tandem est gratiarum
actio, quæ sequitur vsque ad finem.

4 Sed tres tantum dicunt alij, & melius esse partes essentiales sacrificij, nempe consecrationem, secundam oblationem, ad quam ordinatur prima iuxta Suar. cit. & consumptionem; de prima non dubitatur, vt concedit idem Suar. & fatentur *Azor. par. 1. lib. 10. cap. 19. q. 1. in fine. Henriq. lib. 9 c. 9. n. 1.* vbi dicit alias esse partes integrales *Vasq. 3. par. disp. 222. cap. 5. & alij communiter*; vnde in feria 6. parasceue non dicitur fieri propriè sacrificium, cum desit noua hostiæ consecratio, quę est pars essentialis, vt diximus *Henriq. ibidem num. 2.*

5 Secundam oblationem, quæ fit post consecrationem, esse etiam de essentia docent *Scot. in 4. dist. 13. q. 2. Gabr. qu. 1. art. 3. Sot. q. 2. art. 5.* qui addunt sacrificium consistere principaliter in oblatione, quæ est essentialis, & proinde *Trid. sess. 23. cap. 1. & can. 1.* in easdem tres partes hoc sacrificium diuidit, dicens, sacerdotibus datam potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi Eucharistiam, concordat D. *Tho. in cit. art. 4. in corp. ibi, offertur, vt sacrificium, consecratur, & sumitur vt Sacramentum*; nec potest intelligi de prima oblatione, quæ antecedit consecrationem, quia illa non versatur circa propriam victimam huius sacrificij, quæ est Christus Dominus, dum ibi non adhuc existit, vt rectè discurrit *Suar. d. sect. 3. §. 1.* idemque docent *Henriq. Nugn. & alij cum Azor. vbi supra cap. 16. qu. 1.*

6 Quod denique consumptio sit de essentia colligitur *ex c. relatum de consecr. dist. 2. ibi, nam quale erit illud sacrificium, cui nec ipse sacrificans particeps esse cognoscitur? Ergo modis omnibus tenendum est, vt quotiescunque sacrificans corpus, & sanguinem Iesu Christi Domini nostri in altari immolat, toties perceptionis Corporis, & sanguinis eius participem se præbeat &c.* Et propterea dicit *Bonac. disp. 4. q. vlt. pun. 2. sub. n. 6. to. 1.* quod vasa sacra, & alia, quæ diuino cultui sunt dicata, consecrantur, & offeruntur Deo, & tamen non sunt sacrificia; ergo ad sacrificiorum essentiam requiritur consumptio; tum etiam, quia de ratione huius sacrificij, est representatio Christi Passionis, quæ reuera non representatur deficiente consumptione, vt docet *Apost. 1. Corinth. 11. ibi quotiescunque manducabitis panem hunc, mortem Domini annũciabitis, &c.* bene
7 tamen verum est, sufficere ad essentiam
sacrificij consecrationem, oblationem, &
sumptionem in vna, vel altera specie,
Henriq. dicto c. 9. n. 10. Nugn. & alij apud Azor. cit. q. 2.

Quot, & quos effectus missę sacrificium pariat?

SVMMARIVM.

1 *Missa habet rationem sacrificij, & sacramenti; vtrumque est in celebrante, ex vi Sacramenti principaliter nutrit animam iuxta finem eius institutionis, sed ex quadam concomitantia aliquando ex feruore charitatis quis consequitur eius virtute remissionem pœnæ iuxta quantitatem feruoris. n. 2. licet ex sui quantitate sufficiens sit ad satisfaciendum pro omni pœna, non tamen hoc regulariter fit, sed secundum quantitatem deuotionis offerẽtis. Eius primus effectus dicitur peccatorũ remissio, secundum Bonac. n. 4. quod negatur n. 5. & seq. & dicitur quis fit.*

Con-

15 *Contritio est dispositio libera pendens ex hominis voluntate.*

16 *Missa sacrificium vnum, esse satisfactorium pro pœnis temporalibus peccatis omnibus debitis tàm viuorum, quàm mortuorum volunt Caiet. & alij, quod negatur, quamuis sit infiniti valoris ratione personæ Christi, quæ ibi offertur, non tamen est satisfactorium pro omni pœna. temporali peccatis debita, sed est determinatus eius effectus, tàm si offeratur pro viuis, quàm pro mortuis n. 17. vsque ad 20. Est infiniti valoris quo ad impetrationem, quantum ad sufficientiã, non ad efficaciam nu. 21. 22. & 23. Sed num habeat effectum infinitum, saltem extensiuè, si non intensiuè? n. 24. Ex illo aliquando omnes, & singuli integrum fructum percipiunt secundũ Suar. quod negatur quoad satisfactionem. aliquando verò tantò diminutũ, quantò plures sunt, pro quibus offertur. num. 25. 26. & 27. Eius quartus effectus est, obtinere bona temporalia ex opere operato, sed debet primario ad honorem Dei offerri, secundario pro illis n. 28. & 29.*

Resolutio CXXVII.

1 D. Thom. *par. 3. q. 79. art. 5. in corp.* ait, quod hoc Sacramentum sit simul sacrificium, & sacramentum; sed rationẽ sacrificij habeat in quantum offertur, rationem verò sacramenti in quantum sumitur, & ideo effectum sacramenti habet in eo, qui sumit, effectum aũt sacrificij in eo, qui offert, vel in ijs, pro quibus offertur; si igitur consideretur vt sacramentum, habet effectum dupliciter, vno modo directè ex vi sacramenti, alio modo quasi ex quadam concomitantia. Ex vi quidem sacramenti directè habet illum effectum, ad quem est institutum, non autem institutũ est ad satisfaciendum, sed ad spiritualiter nutriendum per vnionem ad Christum, & ad membra eius, sicut & nutrimentum

2 vnitur nutrito; sed quia hæc vnitas fit per charitatem, ex cuius feruore aliquis consequitur remissionem non solùm culpæ, sed etiam pœnæ, inde est, quod ex consequenti per quandam concomitantiam ad principalem effectum homo consequatur remissionem pœnæ, non quidem totius, sed secundum modum suæ deuotionis, & feruoris; In quantum verò est sacrificium,

7 habet vim satisfactiuam, sed in satisfactione magis attenditur affectus offerentis, quam quantitas oblationis, vnde Dominus

3 dicit *Luc.* 20. de vidua, quæ obtulit duo æra, quod plus omnibus misit, quamuis ergo hæc oblatio ex sui quantitate sufficiat ad satisfaciendum pro omni pœna, fit tamen satisfactoria illis, pro quibus offertur, vel etiam offerentibus secundũ quantitatem suæ deuotionis, & non pro tota pœna.

4 Ex quibus infert *Bonac. tom.* 1. *de Euchar. disp.* 4. *q. vlt. pun.* 3. *n.* 1. tres effectus parere hoc sacrificium. primus est remittere peccata, & conferre gratiam, & quod propterea dicatur propitiatorium. Secundus est impetrare nobis bona, quę petimus, & quod propterea vocetur impetratorium. Tertius est satisfacere pro peccatis; & quod propterea appelletur satisfactorium; Ad probationẽ primi citat *Trid. sess.* 22. *c.* 2. *hoc tit. ibi huius quippe sacrificij oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pœnitentia concedens, crimina, & peccata etiam ingentia dimittit.*

5 Quę tamen verba rectè intellecta diuersum sensum habent secundũ *Suar. in 3. par D. Tho. to. 3. disp. 79. sect.* 3. §. 2. quia cum Concilia, vel Patres loquuntur de effectu remissionis peccatorum, numquam significant illum dari per sacrificium fine sufficienti dispositione, & contritione, sed indicant hanc ipsam dispositionem posse per hoc sacrificium impetrari, & ideo fortasse in præcedentibus verbis Concilij dictũ fuisse per hoc sacrificium fieri, vt misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno, vtique ad ueràm conuersionem cordis, & pœnitẽtiam concipiendam, non autem der remissionem peccati mortalis immediatè absque contritione perfecta; quod puto esse apud omnes in confesso.

6 Et proinde subdit Suar. multa incõueniẽtia secutura, si hoc sacrificium haberet de per se effectum prædictum, & primò quia Sacerdos sacrificans in mortali, ex vi solius sacrificij iustificaretur, dummodo in eo actualiter non peccaret, & attritus esset, imò posset licitè accedere ad sacrificandũ cum sola attritione, & sacramentum sumere: secundo quia, offerente sacerdote sacrificium pro peccatore in mortali existente, cuius prius attritionem habuisset, etiam iustificaretur. Tertio omissis alijs, quia peccator hoc sacrificio iustificatus a-

lio remedio ad salutem non indigeret, & proinde pœnitentiæ sacramentum necessarium non esset, quod est hæreticum, ut ex multis Trid. locis constat, & propterea verum est sacrificium prædictum non remittere immediatè peccata, nec conferre primam gratiam, vt latè probant *Suar. d. sect. 3. per totam Henriq. lib. 9. cap. 24. nu. 3. Filliuc. tract. 5. c. 3. nu. 59. & idem Bonac. sibi contrarius n. 3. vbi cæteri.*

8 Imo, & quod magis est, hoc sacrificium ex opere operato, prout est sacrificium simpliciter, non confert regulariter augmentum gratię, sicuti prout est sacramentum, quia ex hoc sequeretur posse offerri pro paruulo baptizato, vt ei gratia augeatur, quod esset inauditum in Ecclesia, & valde temerarium hac intentione offerre, & idem dici posset de amente, dormiente, & phrenetico *Suar. cit. sect. 4.* §. 1. quia quotiescumque augmentum gratiæ per hoc sacrificium tribuitur ex opere operato, non solùm requiritur actualis dispositio in eo, pro quo offertur, sed etiam, quod sit in gratia *Tolet. lib. 2. cap. 7. n. 2.* post Petrum, & Dominicum Soto ab eodem Suar. relatos ibid. in princ. Quod ĕt colligi potest ex eodem *Trid. sess. 7. in proæm.* vbi habetur quod omnis iustitia, idest gratia sanctificans, quæ iustos facit, vel à sacramentis incipit, vel iam cepta ab illis augetur, alioquin sacrificium consideraretur, vt sacramentum, dum vt sacrificium ordinatur solùm ad Dei cultum.

9 Benè tamen verum est, posse peccatorem obtinere per hoc sacrificium remissionem mortalium, & consequenter primā gratiam non immediatè, sed per illud impetrando sufficientem dispositionē ad huiusmodi effectum, & sic interpetrata relata verba Trid. *n. 4.* rectum sensum faciunt, ibi; *placatus hoc sacrificio Dominus, pœnitentia donum concedens, ingentia peccata dimittit;* hunoq; esse sensū vniuersorum Patrum testatur *Suar. d. sect. 3. §. dico 4.* Cui concordat doctrina *D. Thom. in 4. dist. 12. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4. ibi, Eucharistia non solùm est Sacramentum, sed etiā sacrificiū, in quantum autem est sacramentum, habet effectum in omni viuente, in quo requirit vitam præexistere, sed in quantum est sacrificium habet effectum etiam in alijs, pro quibus offertur, in quibus non præexigit vitam spiritualem in actu, sed in potentia tantùm; & ideo si eos dispositos inueniat, eis gratiam obtinet virtute illius veri sacrificij, à quo omnis gratia in nos influxit, & per consequens mortalia in eis delet, non sicut causa proxima, sed in quantum gratiam contritionis eis impetrat: hæc ille;* &
10 hic potest dici primus effectus sacrificij; sed verum hæc gratia contritionis ex vi sacrificij, seu ex opere operato sit infallibilis, vel incerta DD. non conueniunt.

Corduba enim *lib. 1. q. 3. notab. 4. Duran. & alij, quos refert Suar. cit. d. sect. 3. §. sed superest, & sequitur Nugn. q. 83. art. 1. §. in tertia parte dub. 4. cum Bonac. cit. n. 4.* contēdunt esse incertam, moti ex quotidiana experientia, qua cernimus non statim cōuerti peccatorem, pro quo sacrificium missæ offertur, nec ad pœnitentiam agen-
11 dam moueri. Item quia contritio est dispositio libera, pendens ex hominis voluntate, ergo non potest infallibiliter impetrari, aliàs arbitrij libertas tolleretur, & sic ad summum impetrari potest diuinū auxilium excitans, aut adiuuans, aut concomitans, quæ nequeunt esse efficacia in actu secundo, nisi concurrente simul libera voluntatis cooperatione, & ideo ad summum possunt per sacrificium hæc auxilia impetrari, ex quibus conuersio infallibilis non sequitur, cum regulentur secundū liberi nostri arbitrij voluntatem; quam opinionem impugnant alij apud eundem Suar. ibidem §. aliorum.

12 Sed fœdere distinctionis conciliantur, etenim si in mortali existentes, dum offerre faciunt sacrificium pro se ipsis, orēt, & obicem non apponant, impetratio infallibilis erit, saltem virtute promissionis orationi factæ, secus verò si de se ipsis confidentes ex solo sacrificio gratiam consequi præsumerent, quod percipitur ex cit. verbis Trid. ibi, *per ipsumque fieri, vt si cum vero corde, & recta fide, cum metu, & reuerentia contriti, ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, & gratiam inueniamus in auxilio opportuno,* concordat D. Thom. loco cit. licet hæc quæstio obscura iudicetur à Suar. vbi sup. §. *hæc res.*

13 Quod autem per sacrificium prædictū remittantur venialia ex opere operato, & absque vllo offerentis, seu offerre facientis actu, dummodo in illis mens actualiter non inhæreat, patet ex *c. iteratur de consecr. dist. 2. ibi, quia quotidie labimur, quotidie Christus pro nobis mystice immolatur, & passio Christi in mysterio traditur, vt qui se-*

mel moriendo, mortem vicerat, quotidie reci-
diua delictorum per hæc Sacramẽta Corporis,
& sanguinis, peccata relaxet, idem legitur
in c. verum, & c. quid sit sanguis eod. tit. quod
dum ex supradictis non potest intelligi de
mortalibus, consequenter de venialibus
dubitandum non est, quod colligi etiam
potest *ex Trid. sess. 22. cap. 1. hoc eod. tit.* Qui
14 quidem effectus cum tribuatur aspersio-
oni aquæ benedictæ, alijsque singulis sa-
cramentalibus, vt suo loco dictum est,
multo magis huic sacrificio, vti digniori,
& excellentiori tribuendus est *argum. au-*
th. multo magis C. de Sacr. sanct. Eccles. prout
ex alijs medijs probant, & concludunt *Pa-*
lud. in 4. dist. 12. q. 1. Sotus in 4. dist. 11. q. 2. ar.
7. Corduba lib. 2. q. 3. notab. 4. Henriq. lib. 9. c.
13. & alij apud eos, quicquid in contrarium
dixerint *Caiet. opusc. de celebrat. miss. c. 2. &*
alij apud Azor. p. 1. lib. 10. c. 20. q. 4. Suar. cit.
sect. 5. §. fin. & Bonac. loco cit. n. 5. & hic est
secundus sacrificij effectus.
15 Tertius, & principalis est remittere ex
opere operato pœnam temporalem pro
peccatis debitã, vt percipitur *ex lib. 2. Ma-*
chab. cap. 12. in fine ibi sancta ergo, & salu-
bris est cogitatio sacrificium offerre pro defun-
ctis, vt à peccatis soluantur, id est à pœnis pec-
catorum; cum defunctis nõ remittatur cul-
pa saltem mortalis, vt explicant Glos. &
communiter DD. ibidem. imo est hodie
de fide, per sacrificium missæ remitti non
solùm defunctis, sed etiam viuis pœnas
prædictas, vt declaratur in *Trid. cit. sess. 22.*
16 *c. 2. in fine, & can. 3.* Dubium tantùm est
de quantitate pœnæ, quæ remittenda ve-
nit. *Caiet. enim in 3. par. q. 79. art. 5.* vult vnã
missam ex parte sui esse satisfactoriam
pro pœnis omnium peccatorum, tàm vi-
uorum, quam mortuorum; quia vt sic est
valoris infiniti, quoniam Christus offer-
tur; imo addit arguendos, instruendosque
esse homines ignoranter petentes pro sua
eleemosyna totam missam sibi applicari,
aut suo defuncto, cum nihil minus ipse
habeat, si mille alij eandem missam pe-
tant pro se ipsis, & alijs defunctis, quam
si pro ipso solo celebraretur. Hæc tamen
quæstio magnos hinc inde DD. habet, qui
eam collocant sub titulo, vtrum effectus
huius sacrificij sit infinitus intensiuè, vel
saltem extensiuè, & pro prima opinione
cum Caiet. sunt *Canus lib. 12. de locis c. 13.*
ad 10. Soto in 4. dist. 11. qu. 2. art. 5. & dist.
13. q. 2. art. 1. Syl. v. missa 1. q. 9. & alij ex eo-
dem fundamento, quia res oblata, est
Christus infiniti valoris, & licet sacerdos
offerens, sit persona finita, non tamen of-
fert in sua, sed in Christi persona, & pro-
pterea infinitum oportet producere effe-
ctum.
17 Verum D. Tho. contrarium docet tam
in d. art. 5. quàm in 4. dist. 45. q. 2. art. 4. quæ-
stiunc. 3. ad 2. ibi. quamuis virtus Christi, quæ
continetur sub sacramento Eucharistiæ sit in-
finita, tamen determinatus est effectus, ad quẽ
illud sacramentum ordinatur; vnde non opor-
tet, quod per vnum altaris sacrificium tota
pœna eorum, qui sunt in Purgatorio expietur;
sicut etiam nec per vnum sacrificium, quod a-
liquis homo offert, liberetur à tota satisfactio-
ne debita pro peccatis: vnde, & quandoque plu-
res missæ in satisfactionẽ vnius peccati imiun-
18 *gũtur. Credibile tamẽ est, quod per Diuinam*
Misericordiam, si aliquid de specialibus suf-
fragijs supersit ijs, pro quibus fiunt, vt si e-
is non indigeant, alijs dispensetur, pro quibus
non fiunt, si eis indigeant, hæc ille. Idem vo-
lunt *Scot. quodlib. 20. Gabr. lect. 26. & 27. in*
Canon. alijque apud Couar. in c. alma mater
par. 1. §. 5. n. 5. Regin. Scort. Nau. Coninc. Bell.
& alij apud Bar. à S. Fausto lib. 2. de sacrif.
missæ q. 59. imo Tolet. lib. 2. cap. 8. n. 3. expres-
sè reprobat Caiet. tamquam loquentem
contra communem.
19 Ratio huius decisionis traditur per *Su-*
ar. tom. 3. disp. 79. sect. 11. §. dico ergo, quia
si licet sacrificium secundum se, & prout
à sacerdote in persona Christi offertur, sit
infinitum in ratione sacrificij, valoremque
habeat infinitum, attamen si considere-
mus Christum, vt nunc per proprium ac-
tum suæ voluntatis, & intellectus offe-
rentem simul cum sacerdote, est incapax
noui meriti, vel satisfactionis, cum sit ex-
tra statum merendi, vel satisfaciendi pro
nobis, quod concedi testatur ab omnibus
catholicis; cum nostram redemptionem
20 iam consumauerit. Si verò consideretur,
illa oblatio præcisè, vt à sacerdote repre-
sentante Christum, neque est meritoria,
vel sactisfactoria, quia potius est hoc ca-
su repræsentatio, & commemoratio passio-
nis Christi, & consequenter meriti, & sa-
tisfactionis, ab illa prouentorum, quàm
nouum meritum, vel satisfactio; hæc n. nõ
conueniunt, nisi actioni, vel passioni hu-
manæ, quatenus liberæ sunt; nec refert
quod prout sunt à Sacerdote, sint huma-
næ, & liberæ; quia illa libertas est priua-
ta,

ta, & personalis ipsius sacerdotis, quæ parere potest meritum tantum, & satisfactionem finitam ex parte ipsius operantis, non autem nouam satisfactionem infinitam, quæ oriri deberet ex persona Christi.

21 Potest tamen dici sacrificium prædictū infinitum in impetrando, siue consideretur ex parte rei oblatæ, quæ est Christus, siue personæ offerentis nomine Christi; vtroque n. modo est actio infiniti valoris; & quamuis nō sit nunc Christus in statu merendi, vel satisfaciendi, vt diximus, est tamen in statu impetrandi; & propterea illa actio est infinitè impetratiua, quamquam in re numquam impetret effectum intensiuè infinitum, quia numquam ordinatur, nec prudenter ordinari potest ad talem effectum, & propterea talis impetratio dicitur infinitè impetratiua, quo ad sufficientiam, non quo ad efficaciam. Tam n. est impetratiua oblatio Christi gloriosi, quàm fuit meritoria, vel satisfactoria actio Christi viatoris; sed debuit hoc sacrificium assumi ad finitum, & determinatum effectum, etiam impetratiuè; qui pro voluntate Christi taxari debuit, sicuti taxatus etiam fuit effectus eiusdem sacrificij, vt est

22 Sacramentum, quamuis infinitus quoque sit eius valor, qui quidem effectus non est determinatus ad eundem gradum, vel terminū respectu omnium, siquidem maior est in melius disposito iuxta *D. Tho. in 3. p. q. 79. ar. 5.* licet in vnoquoque habeat præfixum terminum indiuisibilem (iuxta suam dispositionem) soli tamen Deo notū *Suar. d. sect. 11.*

23 Ex quibus constat hoc sacrificium habere effectum finitum intensiuè, siue consideretur in persona Ecclesiæ offerentis (cuius sanctitas finita est) siue in persona sacerdotis, vel cuiuscunque alterius priuati offerentis, quorumbonitas, est etiam finita, tum in ratione meriti; quia non merentur, nisi vnum, aut alterum gradum gratiæ, & gloriæ, illi correspondentis, tum in ratione satisfactionis, quia non delet nisi certam pœnam determinatam, tum etiam in ratione impetrationis, quia persona nunc offerens, finita est, eiusque actio est etiam finita, & quamuis Christi nomine facta, est tamen quasi propria sacerdotis, à quo verè consecratur Christus, Deoque Patri offertur, tamquam res propria, non tamquam omnino alterius, & aliena, ideoque non potest, nisi finitam virtutem recipere. Quare Christi virtus se accommodat finitæ virtuti sacerdotis, tamquam suo instrumento agenti, vt docent *D. Thom. cit. & Suar. etiam cit. §. fin.* Quod comprobatur ex communi vsu Ecclesiæ, & fidelium, qui regulariter celebrant, vel celebrare faciunt plures missas pro singulis defunctis; quod sine causa fieret, si crederent vnā missā sufficere Bonac. vbi recentiores *to. 1. disp. 4. q. vlt. hoc tit. pun. 4. n. 3.*

24 Admisso igitur, hoc sacrificium nō habere effectum infinitum intensiuè, quæritur an illum habeat extensiuè? E. g. ponamus habere 3. vel 4. gradus satisfactionis, num applicatis vni, possint ijdem gradus applicari alijs in infinitum sine diminutione satisfactionis applicatę primo, vel potius ita sit finitus effectus eius, vt si pro pluribus offeratur, prout offerri potest, diuidendus necessariò sit ille fructus inter ipsos, & tanto minor perueniat ad singulos, quantò pro pluribus oblatus sit? Relicta opinione Caiet. & aliorum supra relatorum, volentium fructum prædictum integrè multiplicari in omnibus, & singulis personis, pro quibus sacrificium offertur in quocunque numero sint, nec minui satisfactionem vni applicatam ex multiplicatione aliorum, tamquam communiter reprobata ita distinguit *Suar. to. 3. disp. 79. sect. 12. §. dico ergo.*

25 Aut plures concurrunt cum sacerdote ad offerendum (quia omnes qui audiunt missam, dicuntur offerre idem sacrificium, vt patet ex illis verbis per sacerdotem prolatis ante consecrationem, s. *orate fratres, vt meum, ac vestrum sacrificium, &c.*) & tūc omnes, & singuli, quatenus offerentes sunt, accipiunt integrum fructum, & non minorem, quam si vnus tantum offerret; vnde in hoc sensu fructus sacrificij potest dici quasi infinitus, vel potius augmētabilis quodam modo in infinitum extensiuè, tàm ex opere operato per viam impetrationis, quam ex opere operātiū, aliàs oporteret dicere, quod pluribus concurrentibus ad audiendum, & offerendum sacrum istud, minorem fructum singuli reperēt, quam si vnus tantum adesset, quod esset valdè absurdum. Aut verò loquimur

26 de fructu sacrificij, respondente oblationi sacerdotis, quem ipse pro se, vel alijs offert, & iste limitatus est, & vnus tantum

tum: Vnde si pro multis offeratur, siue diuersis intentionibus specialibus, siue vna tantum communi, veluti pro populo, vel Collegio, minuitur fructus in singulis, tantoque magis, quanto illi plures fuerint, supposita vniformi applicatione, vide recentiores *apud Bonac. cit. pun. 5. num. 6. vers. 3. colligitur.*

Sed *D. Thom. in 4. sent. dist. 45. q. 2. ar. 4. quæstiunc. 2. in corp.* docet hunc effectum infinitum consistere solùm in charitate vniente membra Christi, quando simul orant, & offerunt, quia vera charitas se extendit ad omnes, secus vero quo ad satisfactionem, de qua tanto minus participatur; quanto pro pluribus offertur, & licet *Suar. d. sect. 12. in princ.* dicat DD. confundere hanc quæstionem cum præcedenti, sed esse diuersam, mihi tamen videtur eadem, prout sentit Sanctus cit. ibidem videlicet, *Si valor suffragiorum consideretur*
27 *secundum quod valet ex virtute charitatis, vnientis membra Ecclesiæ, suffragia pro multis facta, tantùm singulis prosunt, ac si pro vno tantùm fierent, quia charitas non minuitur, etsi diuidatur effectus eius in multos: imo magis augetur, & similiter etiam gaudium, quanto pluribus est commune, fit maius, & sic de vno bono facto non minus lætantur multi in purgatorio, quam vnus. Si autem consideretur valor suffragiorum in quantum sunt satisfactiones quædam per intentionem facientis translata in mortuos, tunc magis valet suffragium alicui, quod pro eo singulariter fit, quam quod pro eo communiter fit, & multis alys: sic enim effectus suffragij diuiditur ex Diuina iustitia inter eos, pro quibus suffragia fiunt: vnde patet quare institutum sit, vt suffragia specialia in Ecclesia fiant. hæc ille.*

28 Quartus & pro nunc vltimus effectus huius sacrificij est, prodesse etiam ad bona temporalia obtinenda, quod probatur ex ritu missæ, quem nunc seruat Romana Ecclesia, vbi inter alia offerimus pro nostra, & totius mundi salute. Item ibi, *Pro spe salutis, & incolumitatis suæ, pro se, suisque omnibus*, Præterea ibi, *dies nostros in tua pace disponas*, & in Missali Romano est specialis missa pro communi pace. addit *Trid. cit. sess. 22. cap. 2. & Can. 3.* & pro alijs necessitatibus addit *Chrysost. homilia 77. in Io. cap. 18. & apud acta Apost. cap. 21.* pro terræ fructibus, & clarius *Apostolus epist. 1. ad Timoth. cap. 2. ibi, Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro Regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt, vt quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate; hoc enim bonum est, & acceptum coram Saluatore nostro Deo, qui omnes homines vult saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire,* quem Apostoli locum *D. August. epist. 59. ad Paulinum D. Greg. homil. 37. in Euang.* alijque de publicis orationibus, quæ fiũt in missa declarant. Si n. veteris legis sacrificia impetratoria erãt quãuis, nostri figura, vt patet *2. Reg. 24. & 2. Machab. 3.* Multo igitur magis sacrificium hoc valebit ad impetrãdum, quod omnium differentias hostiarũ continet *D. Leo serm. 8. de Passio.*

29 Addit *Suar. cit. sect. 7. in fine.* hæc bona ad pietatem ordinari, prout per hoc sacrificiũ expetuntur, & obtinentur, ad idem *Tolet. lib. 2. c. 7. n. 7.* huncque effectum habere sacrificium ex opere operato tradunt *Henriq. lib. 9. cap. 13. n. 3. Gregor. de Valent. to. 4. disp. 6. q. 11. pun. 1. §. 23. Azor. 1. par. lib. 10. cap. 21. q. 4. Bonac. hoc tit. disp. 4. q. vltima pun. 3. n. 6.* bene tamen verum est, cũ sacrificium ratione contenti, & repræsentati in eo sit infiniti valoris, non debet pro rebus istis caducis primario, sed ad honorem Dei, secundario verò pro illis offerri, vt dicunt DD. cit. sed ante eos *D. August. epist. 121. tom. 2. c. 6. ad Probam D. Thom. 2. 2. qu. 83. art. 6. & ar. 15. ex Prouer. 30.* Verum quod bona spiritualia ex vi operis operati huius sacrificij conferantur. Temporalia verò ex opere operantis magis communiter Theologi dicunt apud *S. Faust. lib. 2. hoc tit. q. 40.*

De personis, pro quibus missæ sacrificium offerri potest siue viuis, siue Defunctis?

SVMMARIVM.

1 *Heretici, & schismatici sunt subiecti Ecclesiæ iurisdictioni, Secus Iudæi, omnesq; infideles, vt sunt non baptizati, sed an possit pro eis offerri sacrificiũ missæ vsq; ad n. 10. Quod licet nequeat pro excommunicatis offerri principaliter, potest tamen pro eis in memento priuata oratione orari, sed si absoluti fuerint post mortem in casibus, in quibus possunt absolui, vt infra, potest pro eis postea etiam sacri-*

sacrificium offerri n.11.& 12.Verum vt prosit illis, pro quibus offertur, quatuor conditiones requiruntur, sed nullo modo prodest existentibus in inferno, nec in Cælo, nec in Limbo, nec viuentibus, si sunt in mortali, sed eius effectus remanet in Thesauro Ecclesiæ, istis autem prodest ad obtinendum contritionis actum n. 13.16.& 17.

14 *Anima Traiani an vere fuerit ab inferno liberata?*

15 *Missæ sacrificium quando fit de aliquo Sancto, prodest ei ad quodam gaudium accidentale tantùm, nobis autem vt eum innocando intercedat pro nobis ad Dominum. Sed quare non potuit prodesse Beatissimæ Virgini, nec alijs iustis tempore, quo in hac vita degebant? n. 18. Verum si pro animabus existentibus in Purgatorio, offeratur, prodest ad remissionem pœnarum, ex opere operato, seu infallibiliter, quia non habent obicem impeditiuum talis effectus n.19. Sed non potest à nobis sciri, quantitas, quæ remittitur n. 20. Est in potestate sacerdotis illud applicare cui velit vsque ad consecrationem, postea verò non potest, sed remanet fructus eius in Thesauro Ecclesiæ secundum aliquos, alij contra, vt n.21.*

Resolutio CXXVIII.

1 Circa viatores in hac vita degentes, vt rem in vniuersum comprehẽdamus, alij sunt fideles, alij apostatæ à fide, vt schismatici, vel hæretici, qui ratione baptismi suscepti, sunt Ecclesiæ iurisdictioni subiecti, eiusque censuris ligati, alij verò infideles, qui sunt omnino extra Ecclesiæ iurisdictionem, eiusque censuris soluti, vt Iudæi, omnesque alij non baptizati cuiuscunque sectæ sint; fideles autem si sunt baptizati, alij sunt infantes, alij adulti, quorum alij iusti, alij peccatores, & alij excommunicati, quibus præcognitis respondetur, quod *in c. visum de consecrat. dist.*

2 1. legitur in genere pro viuentibus, & quibuslibet necessitatibus Dominum deprecandum esse, idem de hoc sacrificio legitur in *Trid. sess. 22. hoc tit. can. 3.* ibi pro viuis, & defunctis; sed istæ dictiones indefinitæ æquipollent vniuersalibus *l. si necessarias §. si annua ff. de pignor. act.* ergo pro omnibus potest hoc sacrificium offerri.

3 Quibus obstare videtur doctrina *D. Th. in 3. par. q. 79. art. 7. ad 2.* vbi expressè dicitur, non habere effectum, nisi oblatum sit pro illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem, quod probat Sanctus ex *D. August. in lib. de anima, & eius orig. to. 7. cap. 9. ibi, quis offerat Corpus Christi, nisi pro his, qui sunt membra Christi?* & concludit, ideò in can. missæ nõ orari pro his, qui sunt extra Ecclesiam.

4 Quæ doctrina valdè contorsit interpretes, præcipuè Suar. in eius explicatione qui *to. 3. disp. 78. sect. 2. §. obijci verò*; adducit eundem Sanct. *in 4. dist. 12. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2. ad 4.* & communicata vtraque doctrina, ait, sensum esse, posse offerri pro membris Christi, siue talia sint in actu, vt regulariter fit, siue in potentia, vt st. fiant membra Christi per regenerationem, & quoad authoritatem August. contendit loqui de oblatione pro defunctis, qui si tẽpore obitus non erant membra Christi, cum sint omnino extra statum salutis, nullo modo potest pro eis sacrificium offerri, sed verum est D. Thom. *d. quæstiunc. 2. per totam* non loqui de infidelibus, sed de existentibus in mortali.

5 Negari tamen non potest, Ecclesiam in die parasceue orare publicè pro infidelibus, & pro catechumenis, vt legitur in Missali, item *Apostol. in cit. epist. 1. ad Timoth. c. 2.* præcipit orari pro Regibus, qui tunc erant infideles, & sic factum fuisse per eosdem Apost. referunt *Clem. lib. 8. const. cap. 18. DD. Chrysost. & Basil. in liturgia, & Tertull. in lib. ad Scapulam Faustus supra cit. lib. 2. q. 87. Bonac. sub hoc tit. to. 1. disp. 4. qu. vlt. pun. 5. n. 4.* & idem Apost. ibi vult orari pro omnibus, quæ dictio est signum vniuersale neminem excludens *l. Moschis vbi Gl. & Bar. ff. de iure fisci*, quod probatur amplius

6 ex obseruatione Iudæorum, vt testatur Ionathas summus sacerdos *in lib. 1. Machab. c. 12.* de oblatione sacrificiorum pro Spartiatis, qui erant gentiles, & pro Heliodoro, cui propter sacrificium Oniæ summi sacerdotis pro illo oblatũ pepercit Dominus, vt legitur in *lib. 2. Machab. c. 3.* ergo dum hoc non erat tunc prohibitum, neque hodie propter eandem causam, eo magis cum nostrum sacrificium ex se magis sufficiens, magisque vniuersale sit.

7 Et tandem quia sacrificium crucis pro omnibus oblatum est; etiam infidelibus, sicut idem Apost. cit. testatur dicens, *vnus*

me

mediator Dei, & hominum Christus Iesus, qui tradidit semetipsum pro omnibus. ergo & hoc sacrificium potest pro eis offerri, cum sit idem, ac illud, sola offerendi ratione diuersum, vt ex Trid. dictum est, & ad minus negari nō potest, quod si oblatum pro infidelium conuersione, non habebit effectum ex opere operato, illum habebit, saltem ex opere operantis, quo ad impetrationem, huncque esse sensum omnium Theologorum monet *Suar. cit.* (licet parū sibi constans) *disp. 79. sect. 10. in princ.* Sed
8 minus rectè videtur ibidem exclusisse ab hac generalitate infideles excommunicatos, quia cum isti sint extra iurisdictionem Ecclesiæ, excommunicari nequeunt, vt ipse idem fatetur *disp. 78. initio sectionis 2.* & proinde negandum non est posse pro omnibus infidelibus offerri, vt conuertantur ad fidem, eo magis cum tàm in iubilæis, quàm indulgentijs, concedi solitis præcipiatur à Pontifice rogari inter alia pro ipsorum conuersione.
9 Item in Missali Romano adest missa pro extirpando schismate, & quotidie (ait idē Suar.) offerimus pro Anglia, Germania, & cæt. vt in pristinum statum Ecclesiæ suæ Catholicæ Deus illa Regna restituat, pro vt etiam volunt *Eman. Sà, hoc tit. n. 40. Henriq. lib. 9. cap. 15. n. 6. Filliuc. tract. 5. cap. 2. qu. 9.* vbi addit hoc sacrificium offerri pro infidelibus, non solùm pro bono ipsorum spirituali, verum etiam pro temporali, (quod vltimum rectè, & rationabiliter negant Vasq. *par. 3. disp. 227. cap. 3. n. 15.* & alij apud eum quia orando pro eorum bono temporali, magis augerentur eorum vires in damnum Christianorum.) Hanc
10 ego sequendo sententiam, respondeo ad obiecta ex *D. Tho. d. ar. 7.* quod ibidem in fine concludit Sanct. prodesse etiam hoc sacrificium illis, qui sunt extra Ecclesiam plus, vel minus secundum modum deuotionis eorū; & licet addat, in can. missæ nō orari pro huiusmodi infidelibus, non tamen negat posse pro eis orari, eo magis cum in oblatione Calicis Ecclesia oret pro nostra, & totius mundi salute, idem *Sanct. in 4. dist. 18. q. 2. ar. 1. quæstiunc. 1. ad 1.* ait pro infidelibus orari, sed ipsos fructū orationis nō percipere, nisi ad fidem conuertantur; verum tamèn est, quod erit consuetudini Ecclesiæ consentaneum, numquā expressè nominare personam aliquam infidelem, ita vt ab alijs audiri possit, ne forte scandalum aliquod, aut admirationem ingerat, *Suar. cit. d. sect. 2. §. Est autem.*
11 Verum ab hac generali regula excipi videntur fideles, excommunicati maiori excommunicatione, pro quibus Ecclesia non orat, nec sacrificia offert vt in *c. à nobis 28. & c. sacris, ibique Gl. v. constitutionis de sent. excomm.* Sed isti text. loquuntur de excommunicatis in tali statu mortuis; pro viuis autem ait D. Thom. modo cit. orari posse, quamuis non inter orationes, quæ pro membris Ecclesiæ fiunt: fructum autē non participare; quandiu in excommunicatione manent, sed prodesse orationem eis ad consequendum spiritum pœnitētiæ, vt ab excommunicatione soluantur. Et
12 addit *Suar. vbi supra §. fin. in fine*, posse sacerdotes sine vllo scrupulo in memento orare pro excommunicatis prædictis priuata oratione, & intentione; cum nulla de hoc Ecclesiæ adsit prohibitio. Possunt autem excommunicati etiam post mortē absolui, & postea pro eis sacrificia quoque offerri, si dum viuebant, signa pœnitentiæ demonstrarunt; & per eos non stetit quo minus absoluerentur *d. c. à nobis.*
13 Sed vt hoc sacrificium habeat effectum, nō solum ex opere operantis, sed etiam ex opere operato ad remissionem pœnarum pro peccatis debitarum, quatuor conditiones sunt necessariæ, quarum prima est capacitas illius, pro quo offertur, vt sc. sit baptizatus, & propterea diximus infidelibus non prodesse, nisi vt conuertantur; Secundo status viatoris, nam illis, qui sunt in termino, siue beatitudinis in Cælo, siue damnationis in inferno non prodest, *D. Tho. in 4. dist. 45. q. 2. ar. 2. quæstiun. 1. in corp. Henriq. & aly per eum relati lib. 9. cap. 16. n. 2. Regin. lib. 29. nu. 153. post Sylu. & alios v. missa. 1. num.* 8. vnde posset inquiri qua de causa D. Gregor. orauerit pro anima Imperatoris Traiani, ex cuius oratione fuit ad altiorē locum euectus, vt legitur apud S. Birgitt. *lib. 4. cap. 13.* de quo & alijs scitu dignis scribunt Canonistæ *in c. pro obeuntibus 13. q. 2. in c. placuit 23. q. 5. & in c. audiuimus de reliq. & vener. Sanctor. latè Fagund. l. 3. c. 11. primi præc. Eccl. Faust. lib. 2. hoc tit. q. 93. & seq.*
14 Historiam tamen Traiani, vt supra, tamquam veram admisit *Abulens. in 4. Reg. qu. 57.* quem cum multis alijs magnis DD. refert, & sequitur Duran. ibidem nota v-

nica, vbi concludit non fuisse absolutè dãnatum, sed solùm in inferno positum secundũ eius tũc præsentia demerita, & suspensam fuisse damnationis sententiam ob præuisas B. Gregor. preces, quod didicit ex *D. Thom. in 3. par. suppl. q. 71. art. 5. arg. 5.* vbi dicit, quod Greg. orans pro Traiano, audiuit vocem sibi diuinitus dicentem, *vocem tuam audiui, & veniam Traiano do*, qui tàmen in inferno tunc erat, quia multorum Martyrum necem amaram instituerat, vt testatur ibidem Sanct. & respondet ad idem S. videlicet, *De facto Traiani hoc modo potest probabiliter æstimari, quod precibus B. Greg. fuerit ad vitam reuocatus, & ita gratiam consecutus sit, per quam, remissionẽ peccatorum habuit, & per consequens immunitatem à pœna, sicut etiam apparet in omnibus illis, qui fuerunt miraculosè à mortuis suscitati, quorum plures constat Idolatras, & damnatos fuisse; de omnibus n salibus similiter dici oportet, quod non erant in inferno finaliter deputati, sed secundum præsentem propriorum meritorum iustitiam; secundum autem superiores causas, quibus præuidebãtur ad vitam reuocandi; erant aliter de eis disponendum.* Sed hoc non potest in exemplum adduci, quia vt subdit idem Sanct. ibidem in fine, alia sunt quę lege communi accidunt, alia quæ singulariter ex priuilegio aliquibus conceduntur.

15 Licet autem dicatur missa de aliquo Sancto, non tamen illi prodest, nisi ad quoddam gaudium accidentale, quatenus gaudet Sanctus honore, qui in sui memoriam Deo exhibetur, & prodest nobis, quatenus eum inuocando vberiorem gratiam ex illius precibus à Deo concedatur, & propterea dicitur in missa, vt illis proficiat ad honorem, nobis autem ad salutem, *Henriq. cit. cap. 14. n. 2. Azor. 1. par. lib. 10. c. 22. qu. 5*, eodem modo, nec prodest sacrificium existentibus in limbo, qui cum solo peccato originali obierunt, sedbene existentibus in purgatorio, vt dictum est in priori resol. & infra *nu.* 18.) *Belarm. lib. 2. hoc tit. c. 6.* & consequenter eius fructus satisfactorius remanet in Thesauro Ecclesiæ *Henriq. c. 18. n. 7.*

16 Tertio gratia habitualis illius, pro quo offertur, quia existens in mortali, non est capax satisfactionis pro pœna temporali. idem *Sanct. in 3. par. quæst. 79. art. 7. ad 2. ibi, non habet effectum, nisi in illis, qui coniunguntur huic Sacramento per fidem, & charitatem; vnde si applicatus sit fructus sacrificij pro existente in mortali, non solùm ei tunc non prodest propter obicem peccati ad pœnarũ remissionem, sed nec postea obice sublato, quia effectus sacrificij non suspenditur, sed pariter remanet in Thesauro Ecclesiæ Suar. d. disp. 79. sect. 10. §. tertio inquiri potest. Henriq. lib. 8. c. 18. n. 7.* quicquid in contrarium dicat *Nauar. in tract. de orat. cap. 19. nu. 74.* proderit tamen ei per modum impetrationis ad acquirendam gratiam per cordis contritionẽ vt supra dictum est. Sed vltra gratiam habitualẽ non requiritur alia dispositio in eo, pro quo applicatur fructus sacrificij ad pœnæ temporalis remissionem, itaque etiam si dormiat, vel ad aliud cogitet is, pro quo offertur tempore oblationis, fructum prædictum consequitur, vt benè probat *Suar. vbi supra §. tria verò.*

Quarto, & vltimo requiritur vt is, pro quo offertur, indigeat sacrificij effectu, vt st. habeat aliquem reatum pœnę temporalis relictum ex culpa remissa. Etenim si
17 culpa adhuc existit in eo, non obtinet remissionem pęnæ propter ipsam culpam, vt modo dictum est; Si autem pœna est plenariè remissa ex iubileo in gratia suscepto, vel indulgentia plenaria, nihil superest per hoc sacrificium agendum, & propterea ad hunc finem non prodest illi, pro
18 quo oblatum est. Qua de causa nihil potuit ex opere operato prodesse B. V. sicuti nec cuicunque iusto pro eo tempore, in quo nullum habuit, vel habet temporalis pœnæ reatum, & ideo remanet similiter fructus in Thesauro Ecclesiæ, nisi offerẽs sacrificium, intentionem habeat applicandi alijs indigentibus, siue in communi, siue in particulari, quibus in hoc casu prodest iuxta *Suar. cit. §. penult. & fin.* quæ conclusio non est contraria *D. Tho. in 3. par. supplem. q. 71. art. 14.* ad 2. vbi ait credibile esse in casu relato, quod per Diuinam Misericordiam, si aliquid de specialibus suffragijs supersit illis, pro quibus fiunt, vt st. eis non indigeant, alijs dispensetur, pro quibus non fiunt, si eis indigeant, quia dum dicit esse credibile, non excludit oppositum. P. Dia. verò ex multis *par. 11. resol. 40. tract. 6. §. sed hic vers. si autem* vult fructum reddere ad applicantem, non autem remanere in Thesauro Ecclesiæ, nisi sacerdos intentione aliqua actuali, vel virtuali aliter disponat.

19 Quod autem possit hoc sacrificium offerri

fieri pro existentibus in purgatorio ad pœnarum remissionem (qui etiam dicuntur viatores secundum *Suar.d.disp.79.sect.10.* §.1.) est in confesso apud omnes, sic nos docet quotidianus Ecclesię vsus, legitur in *Trid.sess.22. cap.2. & can.3.* & traditur cōmuniter per DD.apud *Henriq.d.lib.9.c.16. n.1.Azor.vbi sup.quæst.8.Regin.d.n.* 153. & alij, dictumque est in priori resol.*nu.* 17. difficultas solùm versatur an hæc pœnarum remissio fiat ex opere operato, & sic sit infallibilis (dum in illis non potest adesse obex impeditiuus effectus prædicti, cum sint in gratia) vel per modum impetrationis, seu suffragij, & sic non de condigno, sed tantum de congruo?

Placet opinio *Suar.d.disp.79.sect.10.§.nihilominus*, vbi ex D. Tho.Albert.Mag, Durando, & alijs ait, sicuti magis piam, ita probabiliorem esse sententiam prædictorum, tenentium effectum prædictum illis tribui ex opere operato, & sic infallibiliter; scire tamen nos non posse quantitatem pœnæ, quæ illis ex hoc sacrificio remittitur, vti soli Deo notam; cum sit satisfactorium secundum quantitatem deuotionis offerentis, quam Deus scit, & non pro tota pœna; licet oblatio ex sui quantitate, sufficiens sit ad satisfaciendum pro omni pœna iuxta eiusdem Sancti sententiam *in 3. par. qu. 79. art.5. in corp. & ad 2.*

21 Horum occasione dicunt implicitè *Vasq.in 3.par.disp.138. cap.6.n.79. & explicite alij apud Bonac. de Sacram. disp.1. qu.3.punct.2.§.3.* in potestate sacerdotis esse applicare sacrificium, cui velit vsque ad consecrationem, quia illa est præcipua sacrificij pars, sub qua virtualiter continetur oblatio, transacta verò consecratione, non posse amplius ipsum applicare, quia non est in eius potestate sacrificij fructum suspendere; sed remanere pariter in Thesauro Ecclesiæ applicandum, cui Deus voluerit; hunc tamen casum difficile accidere posse probat *Suar.in 3.par.disp.79.sect.9. §.tertio inquiri*, quia sufficit in applicando virtualis intentio sacerdotis fruendi fructu sacrificij, siue pro se, siue pro alijs, quam supponitur sacerdotem habere, imò multi apud *Dia.par.2.tract.* 14. *resol.*47. *& par.* 5. *tract.*14. *resol.*65. volunt sufficere habitualem, quod si nullā habeat, intelligi applicare sibi ipsi idem *par.11. tr.6.resol.* 40. *§. sed hic.*

Vtrum missa sacerdotis in notorio mortali existentis, vel excommunicati, irregularis, suspensi, schismatici, vel hæretici, aut degradati, prosit sibi, vel alijs, eam audientibus, aut illis à quibus stipendium accepit?

SVMMARIVM.

1 *Degradatus si celebrat, conficit Sacramentum, & multo magis excommunicatus suspensus, irregularis schismaticus, vel hæreticus, & n.2. sed an prosit eis, vel offerre facientibus saltem ex opere operato? n.3.4.& 5. & quid de eam audientibus n.7. vsque ad 10.*

6 *Communicans cum aliquo in peccato scienter, peccatum committit.*

11 *Concubinary sacerdotes si stipendium accipiunt pro missis celebrandis num satisfaciant? & quid de hæreticis, & alijs supradictis? n. 12.*

13 *Meretrix turpiter agit, sed non turpiter accipit, & ideo non tenetur ad restitutionem receptorum pro actu meretricio.*

Resolutio CXXIX.

Præmittendum est omnes istos validè, sed non licitè consecrare, & conficere Christi corpus *D. Tho.in 3.par.q.82.art.*
1 7. posset tamen dubitari de degradato, qui cum hanc potestatem ab Episcopo in ordinatione habeat, & idem eandem per degradationem auferat, videtur non posse amplius consecrare, sed respondet idem *Sanct.art.8.ad* 1. Episcopum hanc potestatem propria virtute non dare, sed instrumentaliter tamquam Dei ministrum, quare ordinis effectus per ipsum tolli non potest, sicut nec potest baptizans characterem baptismalem auferre; tollitur tamen ab illo executio ordinis de iure, & propterea si de facto celebrat, valide Christi corpus conficit.

2 Differt tamen iste à prædictis, quia illi ad tempus donec resipuerint, & ad Ecclesiam redierint; sunt de iure impediti, iste verò in perpetuum, tamquam imperpetuū condemnatus, vt explicat *Sanct.d.art.8.ad 3.* Nec his aduersatur *c.in Ecclesia Dei, qu.* 1. vbi legitur non esse rata sacerdotia, nec

vera sacrificia aliter, quam in Ecclesia, & proinde cum prædicti præcipue degradati, hæretici, schismatici, & excommunicati sint extra Ecclesiam, videbatur non posse verè conficere, vt arguit Sanct. *d.ar. 7.argum.1.* sed vltra eius responsionem dicentis loqui tex. inquisitiuè, non assertiuè, dicit Gl. ibidem non esse vera, & rata, quo ad effectum executionis, vel gratiæ, & salutis, non autem quo ad veram Sacramentorum confectionem.

3 Ex quibus rectè consequitur prædictis in tali statu sacrificantibus, sacrificium quo ad se, non prodesse, sed magnopere obesse, dum sacrilegium singulis vicibus committunt, vt ait *Apost.epist.1. ad Corinth.11. ibi, qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit, non diiudicans corpus Domini.Tolet. lib.2.cap.8. n.1. Suar.to. 3. disp.86.sect.1.§. fin.Valent. tom.4. disp.1. qu.10. pun. 5. assert* 2. An autem sacerdos censura ligatus celebrans, vnum vel duo peccata committat variè disputatum est, nam duo committere docent *Molfes. Homobo. Suar. & alij apud Bonac. de Sacram. disp.4. q. 6. p.1.* Vnum verò dicunt alij apud *Dian.de celebr.missa. resol.22. & Vasq. 3.par.to.3.disp.206. c.1. n.6.* quia obligatio legis humanæ ex censura dependens, eadem est cum obligatione iuris diuini ratione peccati prohibentis, sunt n. ad eundẽ finem. vide *Faust.l.2.de sacrif. miss. q.311.*

4 Sed quo ad alios, pro quibus offertur distinguendum est; aut n loquimur de valore, quem sacrificium habet ex parte talis offerentis, vt persona particularis, & cum sit in mortali, ad nihil valet, aut vt repræsentans Ecclesiam, in cuius nomine celebrat, & offert, & nequidem, cum ipse ab Ecclesia sit separatus propter censuras prædictas *D.Tho.cit. art. 7. corp. in fine, & ad 1.& 3. Henriq.lib.9.cap.18.n.6.* nisi esset sacerdos absque censura aliqua, sed solùm in mortali, quia tunc prodesset solùm illis, pro quibus offertur, dum adhuc manet in Ecclesia idem Sanct. *art. 6. in resp. Tolet. loco cit.*

5 Aut tandem loquimur de valore, quẽ habet sacrificium ex opere operato, seu ex meritis, & virtute Christi, & hic non impeditur per ministri indignitatem, cum non proueniat ab ipso, sed à Christo *Azor. par. 1. lib. 10. cap.22.qu. 6. Henriq. cit. Bonac.hic tit.to.1. disp.4. q.vlt. pun.6.num 7.* Quod tamẽ sic indistinctè ego non admitto, sed solùm quando offerre fit ab ignorante censuras prædictas, ex regulis generalibus, quod ignorantia facti excusat *l.regula §.sed facti ff. de iur. & facti ignor. vt*
6 *latè supra resol.19.* Etenim si quis communicat alicui scienter in peccato, particeps peccati efficitur *D.Tho.loc.cit.ar.9.in cor.ex c. nullus 32.dist.* sed talis offerre faciens, est directè, & immediatè causa tàm magni sacrilegij, quod committit taliter impeditus celebrando, ergo impossibile est, ex eadem actione sacrificij, eodemque tempore, peccare, & gratiam remissionis pœnæ temporalis consequi, quia indulgere non solet Deus inimicis, qui actualiter eũ offendũt, Ioan.9. nisi offerretur pro existentibus in purgatorio, quibus cum non posset tali casu imputari culpa, proderit ex meritis Christi, vt infra *n.9.*

7 Quo ad audientes missam à prædictis audi doctrinam Angelicam, omnes prædictos casus complectentem in *d.ar.9.in cor.* vbi refert etiam verba citati tex. videlicet, *nullus missam audiat sacerdotis, quem indubitanter concubinã nouit habere, & Greg.dicit lib.3.dial.13 t. quod Pater perfidus arrianum Episcopum misit ad filium, vt de eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, sed vir Deo deditus arriano Episcopo venienti exprobrauit, vt debuit* (que verba referuntur *in c.superueniente 1.q.1.*)

8 *Vnde sacerdotes, si sint hæretici, vel schismatici, vel excommunicati, vel etiam peccatores, quamuis habeant potestatem consecrandi Eucharistiam, non tamen ea rectè vtuntur, sed peccant vtentes; quicunque autem communicat alicui in peccato, peccati particeps efficitur, vnde, & in 2.canon. Ioannis dicitur, quod qui dixerit ei aue,* (s. *hæretico*) *communicat operibus illius malignis, & ideo nõ licet à prædictis communionem accipere. Differentia tñ est,*
9 *inter prædictas sectas, nã hæretici, schismatici, & excommunicati sunt per sententiam Ecclesiæ, consecrandi executione priuati, & ideo peccant eorum missam audientes, vel Sacramenta ab eis recipientes, sed non omnes peccatores sunt per sententiam Ecclesiæ executione huius potestatis priuati, & sic, quamuis sint suspensi quantum ex se, ex diuina sententia, non tamẽ quantum ad alios ex Ecclesiæ sententia, & ideo vsque ad sententiam Ecclesiæ, licet ab eis communionem sumere, eorumque missam au-*
10 *dire. Vnde super illud 1.ad Corinth. 5. cum huiusmodi nec cibum sumere, dicit Gl. August. hoc dicendo, noluit hominem ab homine iudicari*

cari

cari ex arbitrio suspicionis, vel etiam extraordinario vsurpato iudicio, sed potius ex lege Dei secundum ordinem Ecclesiæ siue vltro confessum, siue accusatum, & conuictum. hac ille. quibus adde distinctionem prædictam, quod non sit cauendum, nisi à confessis, vel conuictis de crimine, probari *in c. vestra & c. fin. de cohabit. cler. & mulier cũ Gl. in d. c. nullus v. audiat*, sed hodie circa hoc seruatur ius antiquum, vt dixi supra *res. 2. nu. 6. ex Trid. & declar. S. Congr.*

11 Quo ad vltimum, si loquimur de sacerdote solùm in mortali existente, qui stipẽdium accipit pro missæ celebratione, satisfacit secundum *Henriq. lib. 9. cap. 21. num. 4. Gregor. de Valent to 4. disp. 1. q. 10. pun. 3. assert. 3. Eman. Sà v. indulgentia n. 2.* vbi addit, eum qui ex iniun cta pœnitentia, aut aliàs tenetur defuncto suffragia offerre, non obligari ad illud iterandum, si in peccato persoluit, quia videtur adimplere substan-
12 tiam præcepti. De alijs verò sacerdotibus censuris prędictis ligatis dubitari magis posset, & videtur idem dicẽdum, quia dum ex *D. Thom.* supra, & omnibus communiter habetur istos verè, & validè consecrare, quamuis sacrilegè, non est cur ex opere operato, seu Christi meritis non debeat animabus purgatorij prodesse, & consequenter satisfacere, facit *tex. in c. multi §. heu inquam 1. qu. 1.* Quod si non proderit viuis, vt supra diximus, sibi imputent ijdem, qui talibus stipendia tradunt, & consequenter dum culpa sua illi opus, (licet in malo statu) adimplent, satisfacere dicuntur soluenti, nec datur repetitio, sicut in simili, si datur stipendiũ
13 meretrici pro fornicationis actu, non competit repetitio, quia turpiter illa agit, sed non turpiter recipit iuxta tex. *in l. 4. §. 1. ff. de condit. ob turp. caus.* Et in pari turpitudinis causa potior est conditio possidentis *Bar. & alij in d. §. 1.*

De obligatione sacerdotis circa missæ celebrationem, & alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos quicunque an teneatur sub mortali ter, vel quater saltem in anno in festis præcipuis celebrare? & n. 2. quid de Parochis n. 3. vel cappellanis n. 4. qui si sunt obligati quotidie celebrare, an possint semel in hebdomada pro se, vel alijs ex stipendio celebrare? n. 5.*

6 *Missam dicere promittens, etiam sub modico stipendio, tenetur sub mortali celebrare, quod si summa esset notabilis ob multitudinem missarum promissarum tenetur sub alio mortali ad restitutionem, & n. 7. Illius fructus an debeat totaliter applicari ei, à quo stipendium receptum est? n. 8.*

9 *Missarum numerus si adeo creuerit in Ecclesijs secularium, vel regularium, vt nequeat omnibus satisfieri, poterant olim ad minorẽ numerũ reduci per Episcopos in Synodis diœcesanis, vel per Generales in capitulis generalibus, vt omnes animæ defunctorum de suffragijs participarẽt, sed hodie minime, & quid de capellis eodem modo grauatis? n. 10.*

11 *Missa an, & quando possit ad libitum celebrari de aliquo sancto, vel de feria, & similibus? Eius partem notabilem omittere, nisi sit inaduertenter, est mortale, si secus veniale: grauior autem est omissio in canone, quam in cætero missæ; si autẽ sit ex causa obliuionis, non est necessaria retrogressio ad vitandum scandalum nu. 12. & 13. de requie plus prodest defunctis, quàm quæuis alia, sed non potest ita dici, quando occurrit Sanctus duplex; licet tamen applicare sacrificium pro illis num. 14. Vbi regulariter sint celebrandæ. quid quando adest conuentio celebrandi in aliqua capella, & an ex causis possit aliquando Cappellanus excusari alibi celebrando? n. 15. Non potest diu differri celebratio, alias est mortale, & quæ dicatur longa dilatio? n. 16.*

17 *Sacerdotes egeni non habentes missas, an possint anticipatè celebrare pro eis, à quibus sunt postea stipendia recepturi. & num. 18.*

19 *Legatum ordinatum per testatorem distribui in pauperes post mortẽ an possit distribui in vita?*

Resolutio CXXX.

1 Quemcunque sacerdotem, etiam curã animarum non habentem teneri ad celebrandum in festis præcipuis, & maximè in quibus fideles communicare consueuerunt, docet *D. Tho. 3. par. q. 82. art. 10. in corp. cum Ricch. in 4. dist. 13. art.*

art. 2. quam doctrinam *Nauar.in man.cap.* 25. *nu.* 88. interpretatur vt peccet mortaliter sacerdos, qui absque legitimo impedimento non celebrat saltem ter, vel quater in anno *argum.c. dolentes de celebr. miss.* & *Trid.sess.*23.*c.*14.*Suar.disp.*80.*sect.*1.*tom.* 3. eam appellat probabiliorem, & consulendam, licet contrariam,non esse st.mortale abstinere omnino, dicat etiam probabilem, dummodo non desit communio saltem in Paschate (ad quam etiam seculares tenentur *ex c.omnis de pœnit.& remiss.* vt etiam senserunt *Alex.Alen. p.*4.*qu.est.*51. *memb.* 2. *D.Bonaue.in* 4. *dist.* 12.*qu.*2.*ar.*2. *Victor. Gabr. Nugn. alyque. apud Faust.*2.
2 *de sacrif. miss.q.*96. Sed Nauarri sententiã sequendam omnino esse censuerunt rationabiliter *Vasq.*3.*par.disp.*232.*cap.*1.*n.* 5. & 11. *Regin. lib.*29.*n.*46.& 166. quod ante eos docuit *Sylu. v.missa* 1. *q.*1. & secuntur recentiores apud *P. Dia.par.*2.*tract.*14. *ref.* 19. volentes teneri in die Natalis,Resurrectionis,& Paschatis;& *Palud.in* 4.*dist.* 12.*q.*5. addit diẽ assumptionis B. Virginis, & diem omnium Sãctorum,quamuis Dia, cum ailjs ibidem relatis sequatur opinio- tur Suar.

3 Parochi aũt tenentur saltẽ singulis diebus festinis celebrare sub mortali siue per se,siue per alios,quãdo sunt impediti iuxta Trid. cit. ibi, *si autem curam habuerint animarum tàm frequenter, vt suo muneri satisfaciant,missas celebrent &c.* sed non viderentur prædicto muneri satisfacere non celebrando in diebus prædictis, quando Parochiani tenentur missam audire, ad quam celebrandam censentur Parochum conduxisse *Vasq. cit.n.*12. *Azor.* 1. *par. lib.* 10. *cap.*24. *qu.* 2. *vide etiam Suar. disp.* 86. *Nauar. in man.c.*25. *n.*135 *Bonac. disp.*4 *q. vlt.pun.*7. & *Dia.vbi supra resol.*26. Vnde in diebus ferialibus non tenetur; nisi ex speciali obligatione, vel Episcopi ordina-
4 tione. Eodem modo peccant mortaliter Cappellani non celebrantes, vel celebrare non facientes omnibus diebus iuxta statutaCappellaniæ,seu fundatoris institutionem *Azor.vbi supra cap.*22.*qu.*7.*Henriq. lib.*9.*cap.*23. *n.* 5. & *cap.*24.*n.*4.*Regin.cit.n.* 164. *Rodriq. in summa cap.*249. *nu.*8. ratio est, quia nil grauius est, quam fidem fallere *l.* 1.*ff. de constit.pecun. c.*1.2.& 3.*tit. de Pactis*, quæ frangitur ex inobseruantia pacti, cum quo censetur recepta cappellania : omnes n. contractus ex partium conuentione legem accipiunt *l.* 1. §.*si conuenerit ff. depositi*, & proinde tenentur etiam ad fructuũ cappellaniæ restitutionem pro tempore,quo eius onera non portauerunt *Azor.tom.*2.*lib.*6.*c.*24.*q.*6.

5 Ex causa verò infirmitatis excusari per quindecim dies docent *Dia.* & alij apud eũ vbi supra resol.27. imò vsque ad duos menses hoc extendit idem *par.*5. *tract.*13. *resol.*51.*concordat Ricc.resol.*403. An autem obligatus quotidie celebrare, possit semel in hebdomada sacrum omittere,vel etiam pro se offerre,aut pro alijs accepto stipendio, an teneatur per alium supplere; deque alijs multis vide *Bonac.cit.disp.*4.*q.vlt. Nauar.to.*1.*consf.lib.*3.*de Preb. consil.* 6. *n.*5. *Zanard. Nald. aliosque apud cit.Faust.quæst.* 152. & *sequen.* & *Dian. tract. de celebrat. miss. resol.* 28. sed hæc opinio est contra tex. *in l. qui operas ff. locati*, & *l. diem functo de offic. assess.* secundum quas leges durante infirmitate ad nihilum tenetur cappellanus, & interim facit fructos suos.

6 Verũ sacerdotes priuati omissa disputatione an committant simoniam recipiendo stipendium pro missa (de qua latè *Suar.disp.*86. *sect.*1.§.*circa alium*; cum illud non detur pro valore sacrificij, quod est inæstimabile, sed pro sacerdotis mynisterio, & sustentatione, quia qui Altari seruit,de altari viuere debet, & ita vniuersalis Ecclesiæ consuetudo se habet) tenentur si à pluribus stipendium acceperunt, singulis missas dicere, aliàs peccant mortaliter; nam quamuis ratione modicę pecuniæ, si modica est, non tenerentur,tenẽtur tamen ratione violatæ promissionis in re graui; & si quantitas recepta pro pluribus missis, est notabilis, tenentur sub alio mortali ad restitutionem *Bonac.ex multis hoc tit.disp.*4. *q.vlt.pun.*7. §.2.*n.*6.latissimè Fraxinell. *tract.de obligat. sacerd.* Si ve-
7 rò stipendium receptũ,est minus eo,quod solet regulariter tradi, poterat olim sacerdos missarum numerum minuere ad ratã eleemosinæ tradi solitæ (nisi promisisset totam missam applicare pro stipendio licet modico recepto, & hoc magis ratione simplicis promissionis, quam stipendij *Suar. cit. sect.* 4. §. *vnde Azor.* 3. *par. lib.*12.*cap.*3. *qu.*3. *Henriq.lib.*9.*cap.*22.*nu.*5. *Vasq.* 3. *par.qu.*83. *disp.*231. *art.*1.*cap.*5.) sed hodie ex noua declaratione S. Congr. non possunt fieri prædictę diminutiones,etiam si minima fuisset eleemosyna pro eis recep-

recepta, vt refert *Dia par.2.tract.14.resol. 7. & patet ex bulla Vrb.8.public.die 22.Septembris* 1625.

8 Dubitari verò contingit, quid applicare teneatur sacerdos ei, à quo stipendium accepit; non n. tenetur personalē, & proprium fructum alteri applicare, quem tribui non posse docent communiter DD. apud *Fraxin. citat.* quia spiritualibus auxilijs non ita facilè priuari possumus, sicuti bonis temporalibus, & quia irrationabile videretur obligare sacerdotem, vt se penitus omni fructu priuaret, & verisimiliter nullus hanc intentionem habere præsumitur; propterea rectè ait *Suar. cit. sect.1 §. fin.* teneri sacerdotem ratione stipendij ad applicandum ei, pro quo specialiter offert, illam portionem satisfactionis, quæ sibi vt ministro publico ad distribuendum, seu applicandum commissa est.

9 Item si in aliqua Ecclesia secularium, vel regularium reperitur impositus magnus numerus missarum, celebrandarum ex varijs defunctorum relictis, adeo quod pro singulis diebus à testatoribus descriptis nequeat satisfieri, vel eleemosyna pro illis celebrandis, adeo tenuis sit, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere, poterant etiam olim Episcopi in synodo Diœcesana, itemque Abbates, & Generales ordinum in suis capitulis generalibus, re diligēter perspecta iuxta suæ conscientiæ dictamen prædictas missas ad minorem numerum reuocare, vt omnium defunctorum commemoratio fieret, qui pro suarum animarum salute legata prædicta reliquissent, & hoc ne omnino piæ testantium voluntates deperirent iuxta *Trid.sess.25.cap.4.de reform.DD.apud Henriq.lib.9.c.22.n.6. Rodriq.in sum. prima par. cap.252.n.17.*

Quæ decisio procedebat etiam in anniuersarijs iuxta declarationem *S. Congr. sub die 26. Nouembris 1583. vt testatur Quaranta in summa Bullar. v. missa, pagin.*

10 291. Verum non poterat prædicta reductio fieri in missis in fundatione Ecclesiæ impositis; cum S. Synodus loquatur de missis à testatoribus relictis, non autem de impositis à fundatore iuxta aliam declarationem eiusdem S. Congr. de qua testātur *Ricc.resol. 404. secundum antiq. impres. Dia.par.2.tract.14. resol. 1. & 5.* sed nullo modo poterat talis reductio fieri de missis post Trident. relictis per aliam declarationem S. Congreg. relatam per eundem *P.Dian. vbi supra resol. 2.* Sed hæc hodie locum non habent per d. bullam Vrb. 8. emanatam *die 22. Septembris 1625.* in qua reseruauit quamcunque reductionem soli Sedi Apostolicæ, vt nouissime refert etiam *Bart. à S. Fausto lib.2.de sacrif.missa qu.94.*

11 Præterea celebrans ex deuotione, potest missam quam vult celebrare v. g. de sanctissimo Sacramento, vel de B. V. &c dummodo non sit aliqua dies solennis, vt Natalis Domini, vel eius Resurectio. aut similia *Dia.par.2.tract.14.resol.30.* vbi addit posse sine mortali, ēt in die Dominico, vel alio festo duplici dici missam de requie, quæ opinio si sit probabilis alij iudicent; nam ratione consuetudinis contrariæ, quæ in re tàm graui obligat sub mortali, contrarium saltem in festis de præcepto dicendum videtur, sed hodie obstat *decretum S.Congreg. latum sub die 25. Maij 1662.* per quod prohibetur dicere missas de requie, etiam in festis duplicibus, quod licet loquatur de Præsbyteris Romæ existentibus, quia tamen militat eadem ratio, etiam in alijs, est propterea ab omnibus seruandū arg. *l.iam hoc iure de vulg.& pupill. §. pari ratione inst.quib.mod. ius patr. pot.solu. & l. 3. §. proinde ff.de in rem verso.* Et propterea bonum consilium est sequi ritum missalis in eius princ. emanatū ordine Pij 5. An verò talis Rubrica sub mortali obliget, probabiliter negant *Suar. Regin.Sylu. Henriq. Bonac.Villalob. Llamas, alijque apud Faust.hoc tit.q.93.* In Ecclesijs verò collegiatis maior est obligatio seruandi ritum prædictum; non n. potest omitti missa de die currenti, seu in aliam permutari, vt legitur in *c. 2. de celebr.miss.* nisi cum aliqua causa rationabili *Henriq. lib.9. cap.23. n.5.Regin.lib.29.n.208.*

12 Omittere autem aliquam partem missæ notabilem, veluti Epistolam, aut Euangelium, nisi sit inaduertenter, & inuoluntariè, est mortale; veniale verò, si omitteretur aliqua oratio, vel etiam aliquis Sanctus, aut aliud verbum in canone posita ratione paruitatis materiæ, sed grauior erit regulariter horum omissio in can. quam in

13 reliquo missæ. Quod si ex obliuione omittantur gloria, vel Credo, aut similia, & post aliquantulum progressionis veniat in mentem, quod omissum est; non est necessaria retrogressio, tum ratione scanda-

li

li astantium, tum ratione variationis ordinis *Sylu. v. missa* 1. *qu.* 5. *Suar. cit. disp.* 83. §. 1. *&* 2. *Dian. par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 49. *&* 59. *& par.* 5. *tract.* 5. *res.* 45. *&* 63.

14 Ex quibus sequitur nō errare eum, qui promisit alicui missam de aliquo Sancto, vel de requie, & postea dixit iuxta ritum missalis; nam licet secundum *Tolet. lib.* 2. *cap.* 8. *n.* 2. plus prosit defunctis missa de requie ratione propriarum precum, quæ pro illis in particulari dicuntur, quam quæuis alia; attamen, quia prout est sacrificium, æqualiter prodest, non licet omittere missam de Sācto duplici, si occurrat, & dicere de requie, poterit tamen rogari ille Sanctus, de quo fit missa, vt intercedat pro anima defuncti in locum precum, quæ dicendæ erant in illa de requie *Eman. Sà v. missa n.* 48. *Henriq. cit. cap.* 23. *n.* 6. *Regin. lib.* 29. *num.* 208. *Bonac. hoc tit. disp.* 4. *q. vlt. pun.* 7. §. 3. *sub n.* 4. *Dia. sibi quodammodo contrarius par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 31. *& par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 2.

15 Licet autem in qualibet Ecclesia, siue oratorio celebrare, dummodo sint saltem benedicta, vel adsit licentia Episcopi, vt alibi diximus, nisi ex conuentione particulari, vel ex onere iniuncto in fundatione alicuius cappellę obligatio sit ibi celebrādi, quibus in casibus non potest absque mortali alibi celebrari, nam non solùm contra datam fidem fieret, sed etiam derogaretur cultui Ecclesię, aut Sancti, cui honor, ex speciali deuotione, fundatoris debitus est, nisi perrarò, & cum aliqua iusta, & rationabili causa *Nauarr. in man. cap.* 25. *n.* 135. *argum. c. significatum de preb. & c.* 1. *de pact. Henriq. cit. n.* 5. *Syl. v. missa* 1. *q.* 10 *in fine. Azor. tom.* 1. *lib.* 10. *cap.* 24. *qu.* 8. *& to.* 2. *lib.* 6. *cap.* 24. *qu.* 6. *Ricc. resol.* 405. qui causas legitimas esse ait, si altare vbi celebrari deberet, esset destructum, tunc posse in alio altari eiusdem Ecclesiæ celebrari, vel si cappellanus ex legitima causa absens à cappella esset, & propter aquarum inundationem, vel simili causa non esset facilis accessus. vide *Dia. par.* 2. *tract.* 14. *res.* 39. *& par.* 4. *tr.* 4. *resol.* 233.

16 Vlterius est aduertendum, quod sacerdotes, qui accepto stipendio differunt notabiliter celebrare, pro quibus illud acceperunt, peccant mortaliter, quia aut sacrificium est offerendum pro animabus purgatorij, & illa dilatio nocet in summo illis, quæ interim atroces pœnas sufferūt; aut pro salute infirmi, vel aliqua alia gratia temporali obtinenda, puta præbenda, vel simili, & potest esse, quod dilatione pendente infirmus moriatur, vel præbenda alteri concedatur, quæ forte fuissent obtenta, si missæ suo tempore celebratæ fuissent *Syl. v. missa* 1. *q.* 10. *Henriq. lib.* 9. *c.* 22. *n.* 8. *Regin. lib.* 23. *n.* 236. *Bonac. supra* §. 5. *n.* 1. & adsunt declarationes S. Congr. hoc prohibentes sup. decretis eiusdem Congreg. de celebrat. miss. in respont ad dubium 15. quæ referuntur per Andr. Brugiott. in compendio bullar. Vrb. 8. dilationē verò notabilem intelligunt duorum mensium DD. apud *Dia. par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 25.

17 Ex contrario ante declarationes S. C. infra citandas, poterant sacerdotes, non habentes pro quibus dicere missas, celebrare anticipate pro illis, seu secundum intentionem illorum, qui sibi postea eleemosynas tradidissent, dummodo non intenderent sacrificij valorem suspendere, quod fieri nequit; quia licet personæ sint sibi incertæ, sunt tamen certæ apud Deū; & propterea poterāt postea accipere eleemosynam pro missis iam celebratis, & satisfaciebant, sicut satisfaceret debitor, qui ante tempus solueret, sed hoc neque olim erat faciendum passim, nisi in notabili necessitate, quia redundabat in auaritiam, & poterant homines, eleemosynam dantes scandalizari, & retrahi à similibus pijs operibus, vt dicunt *Henriq. lib.* 9. *cap.* 21. *n.* 2. *Vasq.* 3. *par. disp.* 234. *cap.* 3. *nu.* 22. *Regin. lib.* 23. *n.* 237. *Bonac. dicto* §. 5. *nu.* 3. quod tamen hodie est omnino prohibitū ex declaratione S. Congreg. apud *Dia. par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 15. vbi reiecta fuit prædicta opinio de mandato Clem. 8. sub die 15. Nouembris 1605. Quæ declaratio

18 est scripta de verbo ad verbum in *Trid. sess.* 22. *tit. de sacrif. miss. in remissionibus eiusdem post proam. vers. vtrum sacerdotes*, sicuti antea docuerat etiam *Suar. to.* 3. *disp.* 79. *sect.* 9. §. *tertio inquiri circa medium*. Contrarium autem dicitur de cappellano obligato dicere missas ordinatas à fundatore pro eo, vel alijs defunctis; quia præuentio vergit in maiorem vtilitatem Ecclesiæ, & defunctorum *D. Tho. quod lib.* 5. *ar.* 28. *Ricc. resol.* 400. *n.* 3. *Dian. par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 16. *& in simili dicit Angel. in l. post mortem C. de fidei commiss.* de legato di-

19 stribuendo in pauperes post mortem testato-

statoris, quod possit distribui in vita ipsius, quãuis *Bar. in l. cũ pater §. à filia ff. de legat. 2.* hoc neget, de qua quęstione agit, sed nõ decidit *de Franch. dec.* 706. quem refert idẽ *Ricc. in collect.* 769. dicens scripsisse pro affirmatiua, quod ibi non legitur, bene verum est, quod si saltem implicitè constaret de voluntate testatoris, sic esset agendum ex *l. in conditionibus ff. de condit. & demonstrat. l. cum proponebatur ff. de legat. 2.* vnde dicit *Bal. in l. fin. C. de impub. & alijs sub stit.* legem pedetentim sequi voluntatem testatoris, sicut canis leporem.

Vtrum sacerdos possit aliquando pluries in die celebrare, & num recepto pingui stipendio pro missis celebrandis, si alijs sacerdotibus solitum pro illarum satisfactione tradat, residuumque sibi retineat, etiam in notabili quantitate, inscijs tàm ipsis, quam tribuente, tutus sit in conscientia?

SVMMARIVM.

1 *Sacerdos pluries in die celebrãs, peccat mortaliter, aliquibus tamen casibus exceptis & n. 3. Eodem modo peccat semel celebrãs non ieiunus n. 4. & 5.*

2 *Missa, quæ celebrantur in Natiuitate Domini quid significent?*

6 *Missas distribuens ex commissione, & minus dans sacerdotibus, quam recepit, sed non minus solito, an teneatur ad restitutionem? Et quid in cappellano hoc idem faciente? n. 8.*

7 *Mandati fines non sunt excedendi, & procurator tenetur de dolo, & omni culpa.*

Resolutio CXXXI.

AD primum respondetur regulam esse negatiuam *ex c. consuluisti, & c. te referente de celebrat. miss. & c. sufficit de consecr. dist. 1.* ex quibus ait *Nauarr. in man.*
1 *cap. 25. n. 87.* peccare mortaliter sacerdotem bis in die celebrantem; verum quia in locis citat. excipiuntur in genere casus necessitatis, propterea DD. multos ex his enumerarunt, in quibus pluries celebrare permittitur; quorum primus est in Natiuitate Domini, in qua ter vniuersaliter celebratur *d. c. consuluisti, vbi Gl. v. Natiuitatis* notat misteriosè hoc fieri ad significandum triplicem statum, st. ante legem, sub lege, & statum gratiæ. Illa enim
2 quæ cantatur in nocte, representat statum, qui fuit ante legem, quando omnes erant in tenebris, secunda, quæ dicitur in Aurora, representat tempus sub lege, in quo iam incipiebant scire ex parte Christum, propter dicta legis, & Prophetarum, sed non plenè, & ideo cantatur inter diem, & noctem, tertia dicitur in die, per quam designatur præsens tempus gratiæ, sed *D. Tho. in 3 par. q. 83. art. 2. ad 2.* vult significari per dictas tres missas triplicẽ Christi generationem, ęternam st. & Diuinã, temporalem, & humanam, & spiritualem, qua in cordibus nostris tamquam Lucifer oritur; Non ideo tamen ad id obligatur, quamuis Parochus, quia nemo ex priuilegio obligatur, ideoque Parochiani vnam tantum missam audire tenentur *Nauar. c. 25. n. 87. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. ar. 2. alijq; arg. c. Nocte Sãcta d. 1. de consec. cõtra Henriq. l. 9. de missa c. 30. n. 6.* Quando autem vnam tantùm vult celebrare, potest, quam vult eligere ex *DD. cit. vide Dia. de celebrat. miss. resol. 39.*
3 Secundus casus est, quando dicta iam missa, supceruenit aliqua persona notabilis authoritatis, *Gl. cit. v. necessitatis Sylu. v. missa 1. q. 7. Nauar. d. n. 87. Tolet. lib. 2. c. 3. n. 7. Henriq. lib. 3. c. 30. nu. 7. Suar. disp. 80. sect. 3. tom. 3.* quod tamen negat *Dia. resol. 45. par. 11. tract. 5.* Tertius est, quando infirmus in articulo mortis debet communicare, & non adest Sacramentum Eucharistiæ. Quartus quando superueniunt multi peregrini, & est dies præcepti, nec adest alius sacerdos. Quinto quando quis habet duas Parochias, propter ipsarum tenuissimum reditum *Dia. sibi contrarius loco cit. resol. 33.* nec potest ambabus vno sacro satisfacere, nec socium habet. idem *Nauar.* ibidem. Sextus quando repente post missam expletam corpus defuncti occurrit sepeliendum, & consuetudo adest, ne sine missa sepeliatur, nec adest alius sacerdos *d. c. sufficit Gl. cit. in fine.* Septimus ob benedictionem nuptiarum, ne fiant sine sacro. Octauus si ob solemnem festiuitatem tam numerosus sit populus, vt vna Basilica eum simul capere non possit *Durand. lib. 2. de lib. Eccl. c. 7. ex Leone Pap. epist. 81. ad Diosc. & ex Strab. de reb. Eccles. c. 21.*

addit eundem Leonem aliquibus diebus septies, ac nouies hac de causa celebrasse *Sylu. v. missa 1. quæst. 7.* numerat vndecim casus *Nauar. c. 25. n. 87.* recitat solummodo 7. *Palud. in 4. dist. 12. q. 1. art. 4.* refert quinque casus. Faust. denique decem *lib. 2. de sacrif. miss. q. 194. & seq.*

4 Sed casus prædictos intelligendum est locum sibi vendicare sacerdote existente ieiuno, ita vt neque in Natiuitate Domini sacrum repeti possit, etiam si inaduertenter fuerit ablutio suscepta *c. ex parte de celebr. miss. Suar. cit. in §. vt autem. Tolet. n. 6. Nau. vbi supra nu. 88. Dian. d. reso. 33. in fine*, & propterea rectè scribit idem *Suar. d. §. vt autem*, moraliter loquendo, nullum ex his casibus, posse hodie ad praxim reduci; quia quādocunque sacerdos celebrat absque intentione iterum celebrandi, vt regulariter fit, semper sumit Calicis purificationem, & consequenter impeditur sub pœna mortalis à nouo sacro conficiendo, dum non est ieiunus *Dia. par. 5. tract. 5. res.*

5 12. addit aūt, & verum est *par. 2. tr. 14. res. 56. §. fin.* omnes casus relatos præter primū propter sacerdotū multitudinē in desuetudinem abijsse, quamuis ieiunium fractū non sit. Extra ergo casus prædictos cum limitatione, vt supra st. ieiunij naturalis, si quis iterato eadē die celebrat, graui pœna Iudicis arbitrio est puniendus inspecto populi scandalo, & alijs circumstantijs *Genuens. in pr. Neap. cap. 64. n. 2. ex Menoch. de arbitr. lib. 2. centur. 5. casu 407. Bern. Diaz in pr. crim. canon. c. 30. Vasq. in 3. par. disp. 232. cap. 5. n. 48.*

6 Ad secundum *Nauar. cit. cap. 25. sub num. 91.* distinguit, aut qui dedit stipendium, tradidit plus solito eum voluntate saltem tacita, vt distributo alijs solito stipendio, reliquum sibi distribuens retineat pro cura, seu labore, vel alia causa in distribuendo impensis, & tuta conscientia potest illud sibi retinere, quia taciti, & expressi idem est iudicium, & virtus *l. 1. ff. de leg. 2. Gl. in §. ex non scripto instit. de iur. natur. gent. & ciuil. l. cum quid ff. si cert. pet. & §. his consequens, vbi alia Gl. v. agrum. auth. de æqualit. dotis.* Scienti n. & consentienti Domino non fit iniuria, neque dolus *c. scienti de regul. iur. in 6.* nec ijs, qui celebrant, dum iustum stipendium percepe-runt; Aut constat saltem tacitè de contraria dantis voluntate, vt totum stipendium celebrantibus distribuatur, & nihil potest sibi plus alijs retinere, si ipse etiā celebrare vellet, quia in eius potestate est curam distributionis renunciare, & paruus ille labor, non est in consideratione, de re quidē sua quilibet est moderator, & arbiter *l. in re mandata C. mandati*; fines n. mandati

7 sunt ad vnguem custodiendi, *l. diligenter ff. eod.* aliàs Procurator tenetur de dolo, & omni culpa *l. à procuratore C. eod. tit.*

Aut tandem sumus in dubio, & licet *Maior. in 4. dist. 45. q. 3. dub. 2. & aly apud Suar. disp. 86. sect. 3. §. fin. Cordub. Molfes. & aly apud Bonac. hoc tit. disp. 4. q. vlt. pun. 8. nu. 18.* negent, ipsi tamen affirmatiuam

8 secuntur ex multis, præcipuè ex praxi habentium cappellanias, quibus satisfaciunt per alios, dando eis stipendia iusta, & sibi multo vberiora reseruādo; ita etiam dicūt *Sot. lib. 9. de iust. & iur. q. 2. art. 1. Henriq. lib. 9. cap. 22. n. 8. Vasq. 3. par. disp. 234. cap. 4. n. 30. Rodriq. par. 1. cap. 252. concl. 4. Regin. lib. 23. n. 240. Eman. Sà hoc tit. n. 45.* qui hoc verum dicit, quando datur pecunia alicui, vt ipse dicat missas, secus quando datur, vt dicantur ab alijs; omnes tamen concludunt, quod licet prædicta, vera appareant, nihilominus eum videatur turpis lucri species, à viris præcipuè timoratis hoc omnino fugiendum esse, sed ex noua S. Congreg. declaratione relata per *Dia. par. 2. tract. 14. resol. 10. §. fin.* omnino prohibetur, & solùm permittitur cappellanis, quibus pro paucis missis pingue stipendiū respondet, quia illud plus retinetur pro onere Cappellaniæ; & ita etiam declarasse Sacram Congregationem refert idem *Dia. vbi supra resol. 11.* quæ declarationes sunt ēt insertæ in recollectis apud *Brugiot. in priori res. n. 16. in fine.* Vnde Beneficiatis, aut Prælatis, aut consanguineis, & similibus fortius licebit id facere, quia præsumitur dantem pinguem eleemosynam, voluisse eos decentius viuere, vt cit. DD. not.

Qua hora, & an ante matutinum dictum, sit celebranda missa?

SVMMARIVM.

1 *Missa qua hora dicenda sit, & an, & in quibus casibus ante auroram, vel in media nocte, aut post meridiem? nu. 2. vsque ad 9.*

Ma-

10 *Matutino non recitato si missa priuata dicatur non est mortale, secus verò de missa solemni in Ecclesijs Collegiatis, etiam Regularium, & n. 11.*

Resolutio CXXXII.

1 HOra missæ celebrationis regulariter incipit ab Aurora vsque ad meridiē. primo, quia sic magis conuenienter fideles sunt ad tantum mysterium dispositi, quā noctu somno, aut post meridiem, prandio impediti, secundo quia Christi passio, quæ in ea repræsentatur, de die sequuta fuit *D. Tho. in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. quæstiunc. 4. in corp. & 3. par. q. 83. art. 2. ad 4.* habetur in Rubricis Missalis, & tradunt comm. omnes summistę v. missa; quamuis missa solemnis, seu cātata ante horam tertiam diei nequeat celebrari, vt dicitur *in c. nocte sancta de consecrat. dist. 1. ubi Canonista*: Aurora autem dicitur, quando incipit aer illuminari per primam solis coruscationem, & magis in particulari ait *Suar. to. 3. disp. 80. sect. 4. §. secundo inquiri ex eodem D. Thom. Palud, Vict. & alys* posse licitè inchoari missam hora, & dimidia ante ortum Solis, imo duabus horis iuxta Palud. *in 4. dist. 13. q. 2.* quod tamen per priuilegium fuit concessum Confraternitati S. Francisci Florentiæ, & S. Mariæ Magdalenæ, vt legitur in declarat. Concil. sess. 22. post decret. de obser. & euit. in celebrat.
2 miss. sub n. 8. A qua generali regula excipiuntur aliqui casus, & primo festum Natiuitatis Domini, quando prima missa regulariter celebratur transacta media nocte, non autem antea *d. c. nocte sancta de consecr. dist. 1.* & non solùm possunt tunc dici missæ solemnes, sed etiam priuatæ, cum non vrgeat rationis diuersitas argum. *§. eadem ratione instit. vbi Gl. quod cum eo, qui in ali. & l. non possunt ff. de legib.* imo addit Suar. citat. posse etiam dici eodem tēpore reliquas duas missas: sed hoc contradicit nostro Sancto *d. art. 2. ad 2.* vbi voluit primam in nocte, secundam in Aurora, tertiam in luce clara esse celebrandas, & rationem assignat, quare sic sit faciendum, quam breuitatis causa omitto, secūtur *Nauar. in man. cap. 25. n. 87. Angel. v. missa §. 40. Sylu. eod. 1. q. 6. & alij. Sed P. Dian. par. 2. tract. 14. resol. 35.* dicit posse omnes tres dici ante Auroram, & sic obseruare Patres suæ Religionis, pro qua opinione facit *d. c. nocte sancta* vbi indistinctè conceditur facultas ea nocte celebrandi missas, quamuis in solemnibus D. Thom. opinio soleat seruari, vt dicunt idem *Suar. 3. p. disp. 80. sect. 4. Coninc. q. 83. ar. 2. dub. 4. nu. 117. Vasq. Roder. Regin. alijque apud Faust. 2. de sacrif. miss. q. 125.* vide etiam supra resol. 62. n. 10.

3 Secundo Episcopi iter agentes possunt missam ante auroram dicere, vel sibi celebrare facere *ex Gl fin. in c. fin. de priuil. in 6.* quam esse communiter receptam testatur idem *Suar. ibidem §. tertia exceptio*, imo addit *in §. sed quæres*, posse Episcopos ex alijs causis dispensare cum alijs, tam illam anticipando, quàm postponendo horam meridiei, vt voluit etiam *Regin. lib. 29. nu. 174.* quod extendunt *Rodriq. & alij apud Bonac. sub hoc tit. disp. 4. q. ult. pun. 9. nu. 4.* ad omnes præsbyteros ex honesta causa itinerantes, vt st. possint media hora ante auroram, missam incipere, etiam sine Episcopi venia; quod ante eos docuere *Sot. in 4. dist. 13. qu. 2. art. 2. & Vasq. in 3. par. disp. 232. cap. 3. n. 27.* Eminentissimis autem etiā non iter agentibus licebit *Palud. Sot. Henriq. & alij sup. cit.*

4 Tertio media etiam hora ante auroram, non autem antea pro communicando infirmo in mortis periculo probant *Sot. loco cit. Henriq. lib. 9. cap. 24. n. 5. Naldus v. missa n. 21.* quibus addit quartum Suar. *§. tertia exceptio*, & est de personis specialiter priuilegiatis, quod tamen in dubium non venit, si Pontifex hoc eis concedit; sed debet missa regulariter ante meridiem incipi, ita vt in meridie paulo plus, vel minus finiatur, prout de vniuersali consuetudine testatur Suar. ibidem *§. dico secundo.* Dia. verò, & multi apud eum *par. 2. tract. 14. resol. 34. & par. 11. tract. 7. resol. 21.* docent posse
5 regulares pro communicando infirmo in articulo mortis cōstituto celebrare vsque ad horam nonam post meridiem, & in media nocte *par. 2. tr. 14. resol. 33. in fine.* quod negant de media nocte *Possev. Nald. Azor. alijq; apud cit. Faust.* qui vult id fieri cum Episcopi licentia, si facilè haberi possit. Præterea si Episcopus sacros ordines conferendo ob multitudinem ordinandorum, inciperet tandem vespere missam. *Henriq. lib. 9. c. 24. n. 6. Sylu. v. missa 1. n. 6. ex D. Th. 3. par. q. 83. ar. 2. ad 3.* Idē in funere magni Principis, aut in Sabbatho sancto vide cit. *Henriq. lib. 9. c. 24.* Idem admittunt si con-

suetudo in contrarium alicubi legitimè introducta sit, vt in multis Galliæ, & Germaniæ locis est. vide *cit. Faust. qu.* 126. *& Nauar. c.* 25. *n.* 85. *ex Triden. sess.* 22. *in decret. de obseru. & vitand. in celebrat. miss.* quod tamen negatur de tempore vespertino, vt infra *n.* 8.

6 Circumscriptis modo casibus prædictis quæritur consequenter quantum temporis spatium requiratur, vt sacerdos dicatur mortaliter peccare, missam celebrando ante Auroram, vel post meridiem? etenim hoc cadere sub præcepto probant *Io. And. in c.* 1. *de celebr. missar. idemque Suar. in* §. *quod autem*, & præcipuè, quia cum de consuetudine seruetur celebrari missas horis prædictis, vt etiam præcipitur in Trident. *sess.* 22. *in d. decr. de obseru. & vit. circa medium*, contrarium facere absque causa, vel priuilegio, esset occasio grauis scandali

7 populi. Quamuis aût Nauar. *in cit. c.* 25. *n.* 85. voluerit posse absque scrupulo vsque ad horam nonam hoc sacrificium incruentum offerri, quē sequitur *Salzedo in pract. crim. cap.* 46. *num.* 4. cum eadem hora fuerit ab ipsomet Christo cruentum oblatum in cruce; quod etiam docuisse antiquos, nempe Scot. Durand. & alios refert Suar. in d. §. *quod autem*, imò ipsemet Nauar. testatur ita aliquando seruasse, sed diebus de præcepto, & iter agendo, vt satisfaceret præcepto (quod admisimus supra; non autem vsque ad nonam, quæ protenditur tribus horis post meridiem secundum *Bonac. tit. supra n.* 7.) & ex contrario Azor. ab eod. Bonac. relatus, velit sufficere tertiā horę partem.

Mediam tamen viam placet amplecti, nempe sufficere horam ad mortale contrahendum, vt probat ibidem Bonac. à simili, de exercente opera seruilia per horam in festis, qui peccat mortaliter, ad idem *Tolet. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. *Suar. d. sect.* 4. nec obstat ratio Nauar. nam Christus consecrauit Cæna facta, quod hodie sub mortali pro-

8 hibetur; eo etiam magis cum ex bulla *Py* 5. *quæ incipit Sanctissimus in Christo Pater*, in virtute S. obedientiæ, & perpetuæ suspensionis à Diuinis præcipiatur, ne quis sub quouis prætextu etiam licentiarum celebrare in vespere præsumat, & confirmatur ex Concil. Toleta. art. 3. cap. 42. in anno 1583. celebrato. Doctrinā tamen

9 Nauar. & aliorum admittunt *Suar. d. sect.* 4. §. *quo circa Bonac. vbi supra ex Miranda p.* 1. *q.* 4. *ar.* 11. *concl. vnica Rodriq. in sum. cap.* 250. *n.* 2. ob aliquod festū solemne, quādo missa solemnis, & concio sacra non essent terminatæ vna, vel duabus horis post meridiem, tunc posse missam priuatam incohari, maximè ne aliqua pars populi, ea priuetur ex doctrina etiam *Leonis Papæ epist.* 8. *ad Diosc. cap.* 2.

10 Quamuis autem communem esse sententiam, mortale committi, celebrando missam ante horas matutinas recitatas absque necessitate, dicant *Tolet. d. c.* 1. *n.* 7. *Nau. vbi supra sub nu.* 83. *Azor.* 1. *par. lib.* 10. *cap.* 18. *qu.* 17. *Henriq. lib.* 9. *cap.* 24. *n.* 7. *& aly apud Cened. in suis canon. quæst. qu.* 3. *nu.* 7. contrariam tamen vti veriorem sequuntur alij, quia nullum adest de hoc præceptum à Christo, vel ab Ecclesia datum, neque consuetudo talis introducta, cum quamplures hunc ordinem non seruent, & proinde nullum esse peccatum, sed optimum consilium ad maiorem captandam deuotionem censuere *Sotus in* 4. *dist.* 13. *q.* 2. *art.* 2. *Suar. disp.* 82. *sect.* 1. §. *dico primo. Less. lib.* 2. *de iust. & iur. cap.* 37. *dub.* 12. *n.* 81. *Bonac. dict. pun.* 9. *Dia. & aly par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 36. DD. pro, & contra ad nauseam vsque referuntur *in remiss. Concily sess.* 22. *tit. de sacrif. missæ post proam. circa fi-*

11 *nem.* Prima verò sententia amplectenda est in missa solemni non celebranda ante matutinas horas, imò nec ante primam in Ecclesijs, vbi est obligatio, & recepta consuetudo dicendi in Choro publicè officiū, & hoc est inconfesso apud omnes, etiam alterius sententiæ sectatores, cum sic se habeat consuetudo vniuersalis Ecclesię, nisi aliqua grauis, & publica causa adesset, scandalumque omne populi cessaret.

Agitur de Altaribus, in quibus est missa celebranda, & alijs ad istam requisitis.

SVMMARIVM.

1 *Altare in quo celebratur, debet esse lapideum, & chrismatis vnctione ab Episcopo consecratum, sed quare non potest esse ligneum & n.* 2. *Est duplex fixum, & portatile n.* 3. *&* 4. *quando consecratur debent in eo apponi reliquia Sanctorum, & de caremonys in eius consecratione n.*

5. vnde

5. vnde celebrans in non consecrato cessante probabili ignorantia peccat mortaliter n. 6. Semel autem consecratum, nō potest reconsecrari, nisi execretur, & quibus ex causis hoc fiat? n. 7. & 8. Non prohibetur erigi in Ecclesia ante eius consecrationem sine licentia Episcopi, secus tamen postea sub pœnis, vt infra n. 9. & 10.

11 *Ecclesia tecto destructo, si parietes integri remanserunt, & altaria, potest ibi celebrari, secus si fuerit polluta.*

12 *Altare maius ex quadam decentia debet situari contra orientem prout antiquitus de consuetudine seruabatur, hodie verò vbi commodè fieri potest.*

13 *Altaris ornamenta, seu requisita quæ sint, vt possit ibi celebrari absque peccato? & n. 14. 15. & 16.*

17 *Calix, & patena debent esse aurea, vel argentea, & ob paupertatem stamnea, non tamen de alia materia, debentque consecrari ab Episcopo nu. 18. postea vero non possunt tangi, neque à clericis primæ tonsuræ, qui si tangant, an peccent venialiter, vel mortaliter? nu. 19. celebrans autem in alijs vasibus punitur, vt infra nu. 20. sed quo modo consecrationem amittant? & n. 21. 22.*

23 *Pixis in qua conseruatur Christi corpus, consecrari debet secundum veriorem opinionem, licet alij contrarium teneant, & num. 24.*

25 *Sacerdos celebraturus quibus vestibus est induendus? debent benedici ab Episcopo, item quibus modis benedictionem amittant, & n. 26. vsque ad 30. Nō potest tenere caput coopertum, sicuti nec illi tunc inseruiens, nec potest ministrare sine missali n. 31. & 32.*

33 *Crux in Altari quando dicitur missa si omittatur, an sit mortale, & quid de luminibus, an sufficiat vnum, vel ex oleo, vel sebaceo?*

34 *Sacerdos omittens preces ab Ecclesia præscriptas, dum se vestibus induit, an peccet mortaliter, vel venialiter? Non potest ei inseruire fœmina sub mortali. nu. 35. Sed an sine seruiente in casu necessitatis? n. 36.*

Resolutio CXXXIII.

Circa locum, in quo sint sacra peragenda dictum est supra *resol. 63. nu.*
20. & seq. vbi etiam quando sit mortale
extra Ecclesiam, vel oratorium ab Episco-
po consecrata, vel saltem benedicta cele-
brare cum suis limitationibus, & an etiam
hoc liceat in mari, vel in flumine; sed quia
non solum opus est celebrare in locis ibi
dictis, sed etiam vt ibi adsint altaria, in
quibus celebretur, & alia concurrant re-
quisita, merito sequitur agendum de his,
1 & primo dicimus Altare debere esse lapi-
deum, chrismatis vnctione consecratum ab
Episcopo *c. Altaria, & c. nullus presbyter de*
consecr. dist. 1. cum aspersione aquę benedi-
ctæ, signo crucis, orationibus, & ritibus,
quæ in Pontificali Romano habentur. Et
addit *D. Tho. in 4. dist. 13. q. 1. art. 2. qu. 5.*
2 *ad* 2. Beatum Syluestrum instituisse, quod
Altare de cætero non nisi lapideum esset,
licet antiquissimum Altare ligneum, quo
Apostoli, & Pontifices vsi antea fuerant
propter eorum reuerentiam iussu eiusdē
Syluestri conseruatum sit, vt in eo solus
Pōtifex certis temporibus sacrificet iuxta
tradita *per Suar. to. 3. disp. 81. sect. 5. §. dicendū*, vbi ex eodem Sancto *par. 3. q. 83. ar. 5.*
ad 5. rationē huius cōsuetudinis esse dicit,
quia altare representat Christum, de quo
scriptum est 1. *Corinth.* 10. petra autem erat
Christus, vel sepulchrum Christi, quod
fuit lapideum, vel quia materia lapidea
vulgaris est, & facile haberi potest, estq;
firmior, ac durabilior, qualem oportebat
esse, vt immutabilem consecrationem re-
ciperet.

3 Quod quidem Altare duplex est, aliud
fixum, aliud portatile, seu viaticum, illud
est tota illa mensa, in qua integrum missæ
mynisterium conficitur, multis ædificata
lapidibus, quibus totum Altare erigitur,
vbi obseruat Suar. cit. non oportere, vt to-
tum altare, ædificium lapideum sit, cum
possit esse ligneum, vel terreum, quantum
ad omnes remotiores partes, solùmque re-
quiri, vt superior mensa lapidea sit, quia
illa solùm consecratur, quod tamen vide-
tur contradicere D. Tho. sup. vbi generali-
ter dixit non debere esse ligneum, vel ter-
reum, sicuti etiam legitur in *cit. c. Altaria.*

4 Portatile, seu viaticum dicitur, quod
portatur in via, & est tabula similiter la-
pidea, & consecrata, super qua situantur
hostia, & Calix, & debet esse tantæ lon-
gitudinis, & latitudinis, vt saltem capere
possit pedem calicis, hostiam, & pate-
nam, ita ex Archid. Palud. & alijs notat

Tab.

Tab. in summa v. missa n. 1. *&* 2. & post eũ Suar. citat. ex Soto Sylu. Alensi, & a-
5 lijs. In vtroque tamen Altari, quando cõsecratur, vel antea, fit vnum foramen paruum in mensa lapidea Altaris, vel ante Altare, vel in latere dextro, & post consecrationem clauditur lapide paruo, & dicitur ille lapis, sigillum, ibique ponuntur reliquiæ, & nomen Episcopi consecrantis, vt aduertit *Tab. nu.*8. Vnde incautè videntur dixisse *Suar. cit. §. penult. in fine. Sot. in 4. dist.* 13. *q.* 2. *ar.* 3. *Regin. in prax. to.* 2. *lib.* 29. *c.* 6. *n.* 190. *Coninch. de Sacram. q.* 83. *art.* 3. *dub.* 2. *n.* 241. *Dian. par.* 11. *tr.* 6 *resol* 25. vbi idẽ dicit, quãuis cõtrariũ postea *in sum. v. Altare. n.* 2 reliquias st. non esse de essentia cõsecrationis Altaris, tũ quia in contrarium est *tex. clarus in c. placuit* 26. *de consecrat. dist.* 1. tum quia mendacium diceret quicunque sacerdos, celebrans post introitum, in prolatione illius orationis, oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum, quorum reliquiæ hic sunt, vt rectè ex multis probant *D. Greg. lib.* 9. *epist.* 71. *& Concil. Car-*
6 *thagin. can.* 14. *Tab. vbi supra n.* 6. ex quibus infertur mortaliter peccare cessante probabili ignorantia sacerdotem in Altari non consecrato celebrantem, vt percipitur etiã ex *c. concedimus de consecrat. dist.* 1. *& tradit idem Suar. cit. §. in tertia parte.*

Execratur autem Altare fixum duobus modis, primo si tabula Altaris superior est mota de loco, cui compaginatur; secundo si enormiter sit læsa, seu fracta, extra
7 quos casus non potest, nec debet Altare reconsecrari *c. ligneis de consecr. Eccl. vel Altar.* existimat ramen *Suar. d. sect.* 5. *§. tertio additur*, quod si tota Altaris structura cum suo lapide, seu tabula superiori integram, eandemque retinendo compositionem ab vno in alium locum Ecclesiæ muterur, non amittat consecrationem, nisi ipsa Altaris structura dissoluatur, & superior lapis, seu tabula ab inferioribus separetur idem *Tabie. cit. n.* 7.

8 Quod si tabula prædicta esset de per se consecrata, & completa consecratione, super imposita esset structuræ Altaris, tũc quomodolibet separata à structura, consecrationem non amitteret, quia tunc idem esset, quod de Altari portatili, quod non execratur, nisi amoueatur illud paruum sigillum, continens consecrationem, vt rectè discurrit Tab. ibidem. Quando autem tabula prædicta execratur ob fractionem, oportet talem esse fracturam, vt in neutra parte tabulæ, seu lapidis fractorum, possint hostia, & calix cum patena commodè reponi; nam si altera pars maneat in quãtitate sufficienti ad illa retinenda, consecrationem non amittit *Sylu. Palud. & alij apud Suar. cit. Henriq. lib.* 9. *cap.* 29. *n.* 2. *Vasq. tertio par. disp.* 233. *cap.* 3. *nu.* 13. *Regin. lib.*
9 29. *n.* 192. Sed non potest Altare erigi in Ecclesia consecrata sine licentia Episcopi sub pœna degradationis Clericis ordinatis, anathematis verò laicis *c. nullus Presbiter de consec. dist.* 1. *& c. quamuis* 68. *dist. vbi Gl. v. erigere*, aduertit ante consecrationem Ecclesiæ nõ prohiberi Altarium erectionem absque licentia, vt regulariter fit *Tab. n.* 5. vbi alij.

10 Est præterea alia differentia inter hæc Altaria; fixum n. numquam est consecrandũ, nisi sit intra Ecclesiã consecratã, aut benedictã, portatile verò potest & extra Ecclesiã consecrari, & de loco in locum benedictũ, seu nõ benedictũ collocari *Suar. disp.* 18. *sect.* 5. *§. in tertia part.* & propterea Episcopi, qui possunt celebrare, vel celebrare sibi facere in eo ex *c. fin. de priuil. in* 6. sicuti etiam aliæ personæ priuilegiatæ ex *c. in his eod. tit.* possunt illud vbique asportare, & celebrare; nõ priuilegiati verò in Ecclesia cõsecrata, vel benedicta possũt in eodẽ portatili altari licitè celebrare *c. concedimus de consec. dist.* 1. & de consuetudine ita seruari restatur Suar. ibidem.

Quo in loco addit dari posse casum, in quo Altare consecratum sit, & tamen templum sit execratum, vt si combustum fuerit, vel destructum, quod est verum quando tectum fuit destructũ, sed parietes integri remanserunt, vel si successiuè reparati essent; quia in parietibus, in quibus sunt cruces, & inunctiones, consecratur Ecclesia, non autem in tecto, *d. c. ligneis, vbi Gl. de consecr. Eccl. vel Altar. & c. de*
11 *fabrica de consecr. dist.* 2. verum non placet quod infert ibidem posse in Altari prædicto celebrari etiam polluta Ecclesia cum licentia Episcopi; etenim supposito, vt verum est, quod polluta Ecclesia non possit in altaribus ibi existentibus celebrari, nisi reconcilietur *c. is, qui de sent. excomm. in* 6. Episcopus non potest dispensare super iure communi, cum hoc spectet ad Pontificem, vt alibi dictum est, & propterea celebrans ibi scienter, mortale committit iuxta *Sylu. v. Altare num.* 7. *Tolet. lib.* 5. *cap.* 8. *nu.*

8. *num. 11. in fine.*

12 Vltimo circa hoc monet *D.Thom.2.2.q.* 84. *art.3.ad* 3.debere secundum quandam decentiam Altare maius situari contra orientem; nam Ostium tabernaculi in lege veteri ibi respiciebat, vt habetur *exod.cap.* 26. hancque fuisse antiquam consuetudinem testantur *Greg.Nyss.orat.5. Basil.lib.de Spir.Sancto cap.27. Origen. homil.4de fide c.* 13. *Tertull.lib.contra Valent. cap.3.& in Apolog.cap.* 16. *August.lib.2.de serm. Dom. in monte cap.9.* quod tamen hodie non seruatur, nisi vbi commodè fieri potest *Suar. d. sect.5. in fine, Vasqu.in 3.par.disp.233.cap.* 2.*nu.* 19.

Non solùm autem sunt necessaria loca consecrata, vel saltem benedicta, & Altaria consecrata ad celebrandum, vt dictũ est (non loquor de necessitate essentiali, quia si extra Ecclesiam, vel absque Altari quandocunque celebretur,conficitur sacramentum,sed sacrilegium committitur)

13 verum etiam alia ornamenta, & primo super altare debent esse duæ toballiæ extensæ,vel saltem vna plicata,si lõga sit,quę duabus æquiualeat, de quibus meminere *Clem.Pont.in c. Altaris palla.* (vbi Gl.dicit pallas vocari vestiméta Altaris)& in *c.nemo per ignorantiam de consecr.dist.*1. & Pius similiter Pontifex *in c. si per negligentiam eod.tit.dist.*2. vbi enumerantur 4. pallæ incluso corporali.Hinc dicit *Suar.tom.3. disp.*

14 81.*sect.6.* §.1. tres toballias solere adhiberi ab ijs, qui res diuinas diligentius tractant, sed de consuetudine duas sufficere, quæ debent esse ex materia linea; nec opus est esse benedictas, cũ nullo iure hoc caueatur, nec consuetudine seruetur, quicunque autem vestibus prædictis altaria denudauerit, excepto in feria 5. hebdomadæ Sanctæ ob cõmemorationẽ Christi tunc nudati suis vestibus, varijs pœnis punitur ex *c. quicunque 26.q.5* .vide etiam ad prædicta *Sylu. v. missa* 1. *q.*2. *Eman Sà. eodem n.*7. *Regin.lib.*29. *n.*149, *& alios.*

15 Præterea requiritur corporale similiter lineum, nec potest esse sericum. & debet esse ab Episcopo consecratum,sicuti aiunt *Euseb. & Sylu.PP. in c.consulto de consecrat. dist.*1. *ibi, Corpus Domini nostri Iesu Christi in sindone linea munda sepultum fuit*, ac etiã palla,qua cooperitur calix, quam scribentes,corporale quoque appellant, & similiter debet esse de lino,& benedicta ab Episcopo,quæ non ammittunt consecrationem per lotionem, sed bene si notabiliter frangantur; peccatum tamen graue est, si nimis immunda sint propter irreuerentiã tanti sacramenti *D.Thom.in 3. par.q.83.ar. 3. ad 7. Tab.v.corporalia n.2. Regin.lib. 29. n.195. Eman.Sà v.sacra n.5. Vasq.3. part. disp.233. cap.4. nu. 24. & vide infra nn.29.*

16 Nec possunt tangi à feminis, & monialibus,nisi post primam lotionem à subdiacono, quæ debet mitti in piscinã sacram, ne forte puluis Dominici Corporis malè decidat.*c.nemo* §.*pallas de consec.dist.*1. *& c. sacratas dist.*23. *Henriq.lib.9. cap.28.in fine, Regin. n.*203.quod idem procedere in purificatorijs, quamuis non sint benedicta, dicit *Bonac.tom.1.disp. 4. q. vlt.pun.9.n.*22. & ante eum Tab. *cit. n.*1. sed rectè hoc infertur ex identitate rationis, cum immediatè tangant sanguinem Christi in calice fortasse remansum, arg. §. *pari ratione inst.quib. mod.ius patr.pot.solu.& l.non possunt ff.de legib.*

17 Vlterius requiruntur calix, & patena, quæ debent esse aurea, vel argentea, & si tanta vrget paupertas,possunt fieri ex stãno,non tamen de ære, aut aurichalco,quia ob vini virtutem, eruginem pariunt, quæ vomitum prouocat, sed neque de ligno, quod est porosum,cũ quibus siquis hodie celebraret,pęnã priuationis ab officio, & beneficio incurreret *c.fin.de celebr.miss.* neque de vitro, quod est fragile propter periculum sanguinis effusionis, vt legitur in *c.vt calix, & ibi Gl.de consecr.dist.*1 Sed ante Pontificatum Zepherini 16. adhibebãtur lignei, qui eos prohibuit, & introduxit vitreos, postea Vrbanus Pontifex etiã istos prohibuit, vt legitur *in c.vasa eod.tit.* quod fuit confirmatum in Concilio Rhemensi, vt refert Gratian. *in d.c.vt calix*,de quibus omnibus meminit etiã *D.Tho.in 3. p.q.83.art.3.ad 6.* sed debent consecrari ab.

18 Episcopo iuxta eundem Sanct. *in 4. dist.* 24. *q.3. ar.1. q.2. ad 2.* & enunciatur *in c vnico* §. *fin. de sacra vnct.* qui non potest alteri hoc committere, nam licet benedictiones simplices committi soleant, non tamen istæ, quæ fiunt cum vnctione chrismatis iuxta præscriptum Põtificalis Rom. eadem, & forte maiori ratione, qua fit consecratio Altaris, vt rectè docet Suar. *disp.81.sect.7.*§.*alia autem.* Verum Paul.4. S.P. Sacerdotibus Societatis Iesu in partibus Indiæ, ob penuriam Episcoporum, concessit hanc potestatem consecrandi calices,

lices,&patenas,vt notãt *Barb.de pot.Episc. p. 2. alleg.27.n.36.& Mirand.in man.Prælato.tom.2.q.40.art.4. Portell. de dub. regul. v.Abb.num.3. & Dian. par.3.tract. 2. resol. 15.* qui de Abbatibus Regular. idem docent.

19 Qua de causa Pontifex Sixtus prohibuit vascula prædicta post consecrationem contrectari ab hominibus non sacratis, & Domino non dicatis *c.in sancta hac de cõsecr.dist.1.d.c. sacratos c.non liceat,& c.non oportet dist.23.* Et consequenter nec à Clericis simplicibus, sed tàm istorum, quàm corporalis, pallæ, & purificatorij contactus, præciso scandalo, & contemptu non esse mortale, sed tantùm veniale docet *Suar.cit.sect. 8.§. tertium exemplum in fine*, vbi testatur de priuilegio concesso fratribus primæ tonsuræ Societatis Iesu, vt possint absque peccato,prædicta tangere, sicuti etiam posse de iure cõmuni omnes quocunque minori ordine initiatos. concordat in parte Bonac.*hoc tit.10.1.disp.4.qu. vlt. pun.9.n.21. cum alys apud eum*. Quod

20 autem addunt *Suar.cit. & Bonac.num.17.* puniri st. celebrantem in vasculis non cõsecratis, licet aureis, vel argenteis, priuatione ab officio, & beneficio ex *c.fin.de celebr. missar.* non probatur ibi, sed potest inferri ex dictis, non tamen tanta pœna. sed peccare mortaliter, cessante ignorantia non dubito, & aliqua suspensione ad tempus; bene verum est, quod ibidem illi docent per calicem significari sepulchrum Christi, & per patenam, lapidem sepulchro superpositum.

21 Execrantur autem vascula, iam dicta, quotiescunque ita franguntur, vt nequeant eorum destinato vsui inseruire, sicuti etiam quando propter eundem vsum, ita sunt deaurata, vt iterum inaurari necesse sit; & ratio est, quia consecratio præcipuè fit propter contactum corporis, & sanguinis Domini, sed id, in quo proximè fit contactus, nempe in illa superficie, nouiter deaurata, non est consecratum; ergo consecrandum est ita *Suar.cit. sect.7.§.alia autem Eman.Sà v. calix num.2. Vasq.3.par. disp.333. cap.4. n.34. Rodriq. in summa cap. 249. nu.2.Bonac.cit. ex Tabie.v. calix nu.2. & alys.*

22 Sed non execrantur vascula prædicta per ictus in illis à fabro inflictos, vt gratis asserunt aliqui, & ego vidi vnum fabrum hoc facientem, qui sic affirmabat, quia iure hoc non probatur *Tab. cit.in fine. & Bonac.sub n.19. ex Armill. v.calix.n.4.& alys*. Itẽ nec per separationem pedis calicis à cuppa, quando calix est tornatilis,secus si pes esset fixus cuppæ, quia tunc oporteret separari per fractionem, & postea iterum elaborari, non sic in casu priori, quo commodè separatur, & vnitur toties quoties libuerit absque vlla mutatione *Suar.vbi supra §.rursus Vasq.cit.n.35.Henriq.lib.9. cap.28.n.2.Regin.lib.29.n.200.*

23 Dubitatum tamen fuit de pixide,in qua sacrum Christi corpus seruatur, an debeat consecrari? *Sylu. v. Eucharistia 3.q.4.ex Soto Palud. & alys* negat, quia in iure hoc non pręcipitur, idem dicunt *Azor. 1.par. lib.10. cap.27.q.7.Vasq.vbi supra n.36 Bonac. n.23.* Sed ego puto contrarium *ex D. Tho 3.par.q.82. art.3. in corp.ibi, quia in reuerentiam huius Sacramenti à nulla re contingitur, nisi consecrata, vnde, & corporale & calix consecrantur, & similiter manus sacerdotis ad tangendum hoc Sacramentum*: cui fortasse doctrinę innixus *Durand.lib. 1. de ritib. Eccles. cap. 16. quamuis non citata*, dixit benedici, & consecrari debere.

24 Quod corroboratur ex Rubr. missal.de ingressu sacerd. ad altare, vbi expresè dicitur formulas consecrari debere in patena, vel super corporale, vel in calice, aut alio vase mundo cõsecrato collocari, hocque existimauit securius, cõuenientius,& consulendum, rationique consentaneum *Suar.d.sect.7. §.3. obiter.* Etenim dum corporale, & patena consecrantur, quia immediatè tangunt corpus Christi, eodem modo debet consecrari pixis ratione eiusdem contactus; vbi n.militat eadem ratio, idem ius seruandum est *l. non possunt ff. de legib.l.illud à contrario sensu ff.ad l.Aquil.§. eadem ratione inst. quod cum eo, qui in alien. Prœs.de Franch.dec.489.n.14.*

25 Item requiruntur vestes sacræ, quibus sacerdos induendus est, quæ sunt sex, nempè Amictus, Alba, Cingulum, Manipulum, Stola, & Planeta, quarum significationem latè prosequitur *Suar. disp. 82. sect.2. §.dico secundo*; quæ cum nota sit, omitto; debent autem consecrari ab Episcopo *c.vestimenta de consecr. dist.1. Nauar. cap.25. n. 84.* cuius benedictionis formula legitur in Pontificali Rom. agunt de prædictis *Sylu.v.benedictio §.5.Tab.v.missa nu. 16. Valen.tom.4 disp.6. q.11. pun.3.Bonac. cit.n.26. & aly*. Sed in prædictis omnibus nem-

nempe Calice, Patena, & Vestimentis non requiri consecrationem, si semel fuerit cum ijs celebratum, docent Alphons. à Castro, Eman Sà, & alij apud *Dian. par. 2. tract. 14. resol. 69. & par. 5. tract. 13. resol. 60.* Quod tamen probabilius alij non admittunt, cum talis consecrandi modus in Ecclesia nō reperiatur. *Fagund. Portell. & alij apud Faust. lib. 2. de sacrif. miss. q. 238.* Item
26 adde benedictionem amittere, quando ita franguntur per exercitium, vt ad vsum missæ apta amplius non sint, vel priorem formam, prædicto vsui accommodatam amittant, vel si ex Alba abscindatur manica, quamuis illi postea iterum assuatur, sicuti proportionabiliter dictum est de altari *supra n. 8. ex c. ligneis ibi cit.* & proinde noua est benedictio adhibenda; secus verò, si prius quā forma destruatur; vestimenta prædicta paulatim reficiantur, & assuantur, quia tunc censentur semper eadem manere; & quamuis aliqua pars addatur, non benedicta, tota nihilominus vestis censetur benedicta, quia sacrum, quod est dignius, trahit ad se non sacrum, vti minus dignum *l. qua Religiosis ff. de rei vendic. cum alijs cumulatis per Gl. in c. quod in dubijs de consecr. Eccles. vel Altar. Suar. cit. §. fin. d. sect. 2. Sylu. Tabic. & Azor. loc. cit.*
27 Sed est notandum omissionem harum vestium, vel vnius ex eis, cessante inaduertentia esse mortale, citantur ad hoc probandum *c. Ecclesiastica dist. 23. & c. vestimenta de consecrat. dist. 1.* quibus accedit vniuersalis consuetudo Ecclesiæ, de qua testatur *Suar. d. disp. 82. sect. 3.* cui contrauenire tur per talem omissionem, & hoc simpliciter fatetur *Nauar. d. n. 84. ex S. Anton. Palud. & Caiet.* nec excusandum à mortali omittentem etiam solùm cingulum, vel amictum docet de communi Suar. ibidem §. 2. vbi etiam idem dicit, si adhiberet ea, sed non benedicta, prout vo-
28 luit quoque *Nauar. supra*. Verum *Scotus in 4. dist. 13. q. 2. & Ricch. ibidem qu. 4. art. 3.* dicunt adhibentem cingulum non benedictum non peccare mortaliter (quod displicet Nauarro cit. cum in Pontific. Rom. adsit benedictio particularis cinguli) quicquid autem de hoc sit, si casus necessitatis acciderit, posse sine cingulo, vel stola, aut amictu celebrari asserunt multi graues DD. apud *Suar. cit. in §. secundo dicendum est*.

29 Quod si adhibeantur vestes prædictæ, sed valdè immundæ, vel laceræ, *Sylu. v. missa 1. q. 2. §. 3.* dicit esse mortale *ex c. 2. in fine de custod. Euchar.* vbi præcipitur vestimenta prædicta munda, & nitida conseruari, sed *Suar. d. sect. 3. §. secundo dubitari*, ait hunc tex. loqui de ministris, vel Pastoribus Ecclesiæ, ad quos pertinet cura, & custodia rerum sacrarum, non autem de sacerdotibus vtentibus vestibus, quibus possunt, & in Ecclesia reperiunt, Generaliter autē ex causa naturalis obliuionis,
30 seu inaduertentiæ, vel inculpabilis ignorantiæ, excusatur sacerdos cum prædictis vestimentis celebrans iuxta *Sot. in 4. dist. 13. q. 2. ar. 3. ad 8.* sed concludit *Suar. cit.* interueniente leui negligentia esse veniale; crassa verò, & supina, mortale, quia hæc non tollit sufficiens voluntarium, & vide supra num. 15. An autem ad vitandam mortē possit sacerdos licitè celebrare sine dictis vestibus, aut aliqua earum disputant *Caiet. 1. 2. q. 96. ar. 4. Sylu. v. Excomm. 5. n. 23. Nauar. c. 25. n. 84. Henriq. Suar. aliique supradicti*.
31 Præterea non potest Sacerdos, nec assistentes, siue audientes, habere eo tempore caput velatum, tum ex *Apost. 1. ad Corinth. 11. tum ex Zacchar. Pontif. in c. nullus Episcop. de consecrat. dist. 5.* nec potest ipse Episcopus ex qualibet causa etiā insta dispensare, sed Pontifex *secundum Gauant. & Scort. ex declarat. S. Congreg. apud Dia. par. 2. tract. 14. resol. 58.* vbi addit seclusa Canonis recitatione, & scandalo cessante, non videri mortale, sed loquitur de celebrante; audientes autem non videntur ad hoc teneri sub mortali, sed ratione irreuerentiæ, esset graue veniale ex cit. iuribus. Itē
32 requiritur liber missalis, qui saltem cōtineat Canonem, sine quo celebrans mortaliter peccat ratione periculi, cui se exponit errandi in tam graui re propter memoriæ defectum *Tabi. v. missa n. 12. Sylu. eod. n. 2. Vasq. d. disp. 233. cap. 3. n. 26. Henriq. lib. 9. cap. 29. n. 7. Suar. tamen disp. 81. sect. 6. §. quarto requirunt*, ait in casu, quo liber deficeret, & sacerdos ita instructus esset, & de memoria confidens; vt moraliter errare non dubitaret; non audere eum ad mortale damnare, sed aliorum iudicio relinquere.
33 Item crux in altari, cuius omissionem, præciso contemptu, non esse mortale, volunt *Suar. ibidem §. quinto addere. Regin. lib.*

29. *n.*197. *& alij apud eũ*, vbi subdunt lumina cerea, & in casu necessitatis sebacea, vel ex oleo ẽt requiri ex *c. fin. de celeb. missar.* ad quod preceptum adimplendũ sufficit vnũ; propter decentiam verò saltem duo; quod si etiam vnum omittatur, erit similiter mortale, vt de communi refert *Suar. vbi supra* §. *tertio requiritur, adde Vasq. cit. cap.* 4. *n.* 25. *Bonac. d. disp.* 4. *q. vlt. pun.* 9. *nu.* 31.

34 Qui ibidem refert *Nauar. cap.* 25. *nu.* 73. voluisse, peccare mortaliter sacerdotem, omittentem preces ab Ecclesia præscriptas, dum se vestibus induit, quod in libro nostro non inueni, sed id docuerunt *Graff. lib.* 2. *decis. c.* 41. *& Syluius* 3. *p. q.* 83. *art.* 6. *& probabile appellat Azor. tom.* 1. *lib.* 10. *c.* 29. *q.* 5. sed ego adhæreo *Henriq. lib.* 9. *cap.* 24. *ad finem*. volenti citra contemptum non esse mortale, cum sit modica transgressio, & ad summum veniale, sed nihil, si propter inaduertentiam, vel obliuionem. idem docent *Caiet. in summ. v. hora canon. cap.* 2. *Suar.* 3. *par. disp.* 82. *initio. Fagund. Zerol. Melfes. alijque apud Faust. lib.* 2. *de sacrific. miss. q.* 267.

35 Vltimo requiritur inseruiens missę, qui non potest esse femina, sed masculus *c.* 1. §. *fin. de cohabit. Cleric. & mul. ibi prohibendum quoque est, vt nulla femina ad Altare præsumat accedere, aut presbitero ministrare, vel infra cancellos stare, sine sedere, concordat c. sacerdos dist.* 23. ex quibus dicunt cõmuniter DD. quod licet in casu necessitatis pro dando viatico moribundo, aut simili casu, possit sine ministro celebrari, nũquam tamen eum femina *Suar. ex Soto Palud. & alijs disp.* 87. *sect.* 1. §. *fin.* vbi dicit esse mortale *Henriq. lib.* 9. *cap.* 26. *n.* 3. *Eman. Sà v. missa num.* 18. *Vasq. d. disp.* 233. *cap.* 3. *n.* 26. *Regin. lib.* 29. *n.* 163. *Bonac. cit. n.* 34.

36 Quam doctrinam didicerunt ex *Gl. in c. hoc quoque v. ipse tertius de consecrat. dist.* 1. vbi ait, in casu necessitatis inclusum missá solùm cantare posse *argum. c. quæsiuis de verbor. signific.* ergo arguunt prædicti, non esse mortale ad vitandum aliud mortale in festis, deficiente ministro, solùm celebrare, & multo magis si adessent alij, qui respondere nescirent, ne illi quoque sine missa remanerent *Dia. par.* 2. *tract.* 14. *resol.* 43. quo ad feminas verò omnes volunt hoc illis esse prohibitum (Nugn. excepto, qui eas admittit in casu necessitatis apud eundem Dia. ibidem *resol.* 44.) Nec obstat moniales ex choro missæ respondere, & cantare, quia hoc fit remotè, & absque accessu ad altare (quod prohibetur *in cit. c.* 1. §. *fin.* & tradunt DD. relati.)

Qui missam audire teneantur, & qua attentione?

SVMMARIVM.

1 *Missam singulis diebus festiuis omnes à septem annis supra tenentur audire sub pæna mortalis, infidelibus tamen, & etiam catechumenis exceptis. Non plus autem quam vnam, etiam in die Natalis Domini, sicuti nec Sacerdotes celebrare nu.* 2. *Si aliqua eius pars omittatur, an sit veniale, vel mortale? n.* 3. *vsque ad* 7.

8 *Probatio semiplena, coniungitur cum alia semiplena, & faciunt plenam, sed hoc non procedit in criminalibus.*

9 *Attentio requisita in oratione vocali triplex est.*

10 *Missam audiens cum quali attentione assistere debet, vt satisfaciat, quando est de præcepto? & quid si voluntariò se distrahit, n.* 11. *& seqq.*

12 *Intentio virtualis an dicatur inesse alicui per expletionem solam operis debiti absque contraria intentione?*

16 *Attentio interna non cadit sub humano præcepto, sed exterior.*

19 *Missam celebrans cum voluntaria distractione non peccat mortaliter, sicuti nec recitans eodem modo diuinum officium. Illi assistens, & interim horas canonicas recitans, vel alia ex præcepto, vel voto, satisfacit vtrisque n.* 20. *sed quid si animo non satisfaciendi n.* 22. *Eius verba non audiens, etiam si non sit surdus, vel sacerdotem non videns, externa tamen reuerentia assistens, & conuenienti distantia satisfacit præcepto. num.* 21. 26. *&* 27.

23 *Item si assistit putans non esse festum de præcepto, non tenetur aliam audire post scientiam festi si satisfecisse arbitretur, sed audiens illam coactus, vel per metũ ab alio incussũ an satisfaciat præcepto, & n.* 25.

24 *Illã auditurus, Ecclesiam intrans, sed principaliter, vt videat, vel alloquatur feminam lasciuè, satisfacit præcepto, si non excludit sufficientem attentionem.*

28 *Confessio peccatorum eodem tempore, quo* quis

quis missam audit, non est precepto missa satisfacere, fallit tamen in duobus casibus, & n. 29.

30 *Duobus concurrentibus preceptis, maiori est obediendum.*

Resolutio CXXXIV.

1 INter Ecclesiæ præcepta primum est de audienda missa in diebus festiuis, quod videtur ortum habere ex *c. omnes fideles, & c. missas de consecr. dist. 1.* & confirmatur ex vniuersali, & inueterata consuetudine eiusdem Ecclesiæ, vt omnes vno ore fatentur, quos vanum esset recensere; eins ergo omissio siue ex negligentia, siue ex cõtemptu, mortale est, *Sylu. v. missa 3. qu. 2. Nauar. in man. cap. 21. n. 1. Suar. disp. 88. to. 3. sect. 1. ex D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4.* sed non obligat infideles secũdum *Apost. epist. 1. ad Cor. c. 1. ibi de ÿs, qui foris sunt nihil ad nos*, & ratio est, quia dum dicimus hoc esse præceptum Ecclesiæ, ipsi non subsunt infideles, vt ex Sanch. & alijs, docet *Bonac. tom. 1. de Eucharist. disp. 4. q. vlt. pun. 11. n. 9.* nec catechumenos ex eadem, & alijs rationibus apud Suar, *cit. sect. 4. §. 1.* Obli-
2 gat ergo præceptum istud omnes baptizatos adultos cuiuscunque conditionis sint à septem annis completis supra, ita DD. cit. & alij apud *Sanch. lib. 1. in sum. cap. 12. n. 10. & apud Henriq. lib. 9. cap. 25. nu. 1. lib. 5.* cui satisfit per auditionem vnius missę, etiam in die Natalis Domini; cum plnrium auditio nulla lege caueatur, vt docent *Nauar. ibidem n. 2. Suar. cit. sect. 2. §. fin.* vbi addit nec sacerdotes teneri, nisi vnam in dicta die celebrare *Henriq. cit. nu. 3.* sed ex
3 multis causis quis excusatur totaliter, vt in sequenti *resol. n. 12.*

Est etiam audienda tota missa, vt legitur *in d. c. missas*, quod si aliqua eius pars omittatur, potest esse veniale, vel mortale; sed communis est sententia parte media, vel tertia omissa, mortale esse, veniale verò si quarta pars omittatur ex ijs, quę accidentalia sunt, veluti principium, & finis, vt v. g. si à princ. Epistolę vsque ad integram communionem sacerdotis inclusiuè quis assistat; vel si ab initio Euangelij vsque ad finem, excusatur à mortali, *Sylu. v. missa 2. q. 2. Suar. ex Sot. Nauar. & alys vbi supra §. 2. sequitur.*
4 Imò, si quis omittat initium missæ vsq; ad Euangelium inclusiuè, assistat tamen vsque ad finem totalem, audiendo vltimũ Euangelium, probabile est secundum *Suar. disp. 88. sect. 2. §. addit verò.* satisfacere præcepto, legendo postea, vel faciendo sibi legere epistolam, & aliud Euangelium; ratio est, quia dum Epistola, & Euangelium prædicta in missa solemni, per quam satisfit, cantuntur à subdiacono, & Diacono, signum est eam partem legi, vel audiri posse ab alio, quam à sacerdote *Nauar. cap. 21. in man. n. 2. Eman. Sà v. missæ auditio n. 2. Henriq. lib. 9. cap. 25. n. 7. Dian. p. 5. tract. 5. resol. 44. in fine.* vbi ex Cardin. de Lugo addit nec esse necessariam lectionẽ Euangelij, idem *tr. 14. resol. 70.*
5 Et addunt alij apud Bonac. vbi sup. sub *n. 17.* eos etiam satisfacere, qui dum inseruiunt, recedunt à sacrificio etiam in aliqua parte substantiali, sed per modicum tempus ad afferendum vinum, aut hostiã, vel thus, & similia necessaria ad sacrificium; præsumũtur n. non abesse, dum faciunt ea, quæ ordinantur ad eiusdem officij solemnitatem, secus verò si quis missæ non inseruiens, non assisteret alicui par-
6 ti substantiali sacrificij, quæ sunt, vt diximus supra resol. 126. n. 4. consecratio, oblatio, & communio, idem *Bonac. num. 14. ex Henriq. Nug. Molfes. & alÿs. Suar. d. disp. 88. sect. 2. §. vltimo denique.* Imo si quis non adesset consecrationi, & adesset omnibus alijs missæ partibus, satisfacere præcepto sustinet idem *Dia. par. 5. tract. 13. resol. 61.* quod si probabile sit, alij iudicent.
7 Item satisfacit præcepto audiens medietatẽ missæ ab vno sacerdote, & medietatẽ ab alio, puta vsq; ad cõsecrationẽ ab vno, à cõsecratione vsq; in finẽ ab alio; ratio est, quia pręceptũ obligat solũ ad audiendam totam missã, nõ autẽ ab vno sacerdote, vt de communi sententia testatur *Suar. ibidem §. sed tunc* (quamuis velit peccatum esse veniale ob irreuerentiam) sed
8 hoc confirmatur, quia sicut duæ semiplenæ probationes coniunguntur in ciuilibus (nõ in criminalibus) ad faciendam vnam plenam, iuxta decis. *Afflict. 12. n. 3. ex Bal. in l. vnica C. de confess. & Capic. Latro decis. 6. & n. 6.* ita duæ semiplenæ, vt ita dicam, missę, coniunguntur ad faciendam vnam integram, vt in simili dicitur *in c. nihil 7. quæst. 1. & tradit Gl. in c. quorumdam v. impossibile in fine dist. 23. Dian. par. 5. tract. 14. resol. 52.*

Ad secundum respondetur hanc attentio.

tionem, vt rectè ait *Suar. cit. sect. 3. §. alijs verò*, commensurandam esse cum illa, quam *D Thom. 2.2. q. 83. ar. 13.* docet necessariam esse in oratione vocali, quæ trimembris est, vna, qua attenditur ad verba, ne in eis erretur; secunda qua attenditur ad sensum verborum; tertia qua attēditur ad finem orationis, st. ad Deum, & ad rē, pro qua oratur, quæ quidem est maximè necessaria, & hanc possunt etiam habere idiotæ; sed ex hac doctrina videtur concludendum, quod distractus voluntariè, peccat, vt clarius ait idem Sanctus ad 3.

9

10 Propterea Caiet. ibidem in fine ita distinguit, aut distractio est voluntaria, seu ex proposito, vel industria, quod idem est, vt cum quis explicitè vult non attendere, & hæc si oratio est ex præcepto, sicuti missa in festis, & in notabili parte (de qua supra dictum est) quis ita euagetur, sicuti peccat mortaliter in oratione, ita nec præcepto missæ audiendæ satisfacit. Aut distractio est ex negligentia tantum, & quia negligentia, voluntaria est, ideo videretur etiam distractio voluntaria, nihilominus non trascendit culpam venialem, si initium operis fuit cum proposito attendendi, quamuis implicito, siue loquamur de oratione, siue de missa, sub præcepto. Aut tandem distractio est ex fragilitate, idest non ex voluntate, sed ex impotentia procedens, & hęc excusatur; si verò oratio, aut missa non sit de præcepto, sed spontanea, & tunc siue spontaneè distractus, siue negligens, excusatur etiam à veniali; sed *Suar. tom. 3. disp. 88. sect. 3. §. 2.* loquendo etiam de rebus præceptis dicit abesse peccatum, si initio præcessit propositum prædictum,

11

12 quamuis implicitum, secus si etiam istud defuit; tale autem dicitur, si non adsit voluntas contraria præceptum adimplendi, quia omnis, qui non excludit intentionem illud impendi, censetur virtualiter illam includere per operis expletionem spontaneam.

In contrarium videntur *tex. in c. dolentes de celebr. miss. c. missas de consecr. dist. 1. Nauar. in man. cap. 13. sub n. 27. & cap. 21. nu.*

13 *6.* vbi hoc exemplificat, quando quis animum intendit ijs, quę attentioni debitæ repugnant, colloquendo, pingendo, vel scribendo, vel alia huiusmodi in parte notabili faciendo secundum mentem Angeli, & aliorum ab ipso relatorū cum eodem Caiet. & addit in *§. ex his autem*, quod si quis missæ intersit, & semper confabuletur, aut alia negotia expletura cum mercatoribus tractet cum aliorum scandalo, non impleat præceptum, ibiq; reprobat Medin. contrarium dicentem, & putantem impleri substantiam præcepti, quamuis agatur contra eius finem.

14 Verum Suar. cit. concludit non esse mortale secundum sapientiores DD. sed graue veniale, quando colloquia non sunt continua, sed per modicam missę partem; quamuis sępè misceantur, nunc colloquēdo, nunc attendendo, prout communiter, sed malè fieri solet, vel quando confabulatio non est de re seria, nec nimis intenta, quæ non omnino impediat attentionem, sed solùm eam remittat; facile etiam posse inclinare in mortale, si confabulatio fit admodum continua, scandalumque generet, vel alios à missa impediat.

15 Alij probabile dicunt, quod satisfiat præcepto per moralem externam præsentiam, qua aliquis saltem confusè initio velit sacro assistere ad Deum præsentē colendum, quia talis moralis præsentia, orta ex hac, vel simili voluntate, est obiectiuè Dei cultus, & ratione illius aliquis sufficienter dicitur moraliter sacro interesse, & illud audire. Vnde is, qui interius voluntariè distraheretur, non videretur mortaliter peccare, si nihil exterius ageret incompossibile præsentiæ morali descriptæ, scribendo st. vel pingendo, aut simile. *Præpos. in 3. par. D. Thom. q. 83. art. 6. dub. 5. nu. 225. Coninch. & Layman. apud Dia. par. 2. tract. 12. resol. 2. in fine.* ibi, *si quis missam audiret voluntarie distractus, dummodo cum externa reuerentia assistat, ita vt verè possit dici hic, & nunc externum actum religionis exercere, satisfaceret præcepto: secus si aliter faceret confabulando, ridendo, &c.*

Rationem tradit *Sylu. v. missa 2. n. 6.* quā amplexi sunt citati authores, & laudat *Dia. par 4. tract. 4. resol. 107.* (licet eam reijciat, sed minus rectè Suar. vbi supra *§. circa alteram partem*) quod st. quamuis missa sit deuotè audienda interius, & exterius, in-

16 terior tamen deuotio, quæ in attentione consistit, non cadit sub humano præcepto; quia leges humanæ, quę mandant missam audiri, non possunt præcipere, neque prohibere actus internos, qui cum exterioribus per accidens coniunguntur *c. erubescāt dist. 32. latè D. Thom. 1. 2. q. 91. art. 4. corp. & q. 100.*

17 q.100.art.9. corp. Exterior autem cadere potest, & propterea illa deuotio, quæ de se est necessaria ad auditionem, cadit sub præcepto, cum qua non stat illa distractio aliquotum pro notabili parte missæ nugantium eum socijs, & ita ex eodem Coninc. & alijs interpretatur idem *Pater par.7.tract.11.resol.30.cit. c.dolentes*, nempè quod ibi præcipiatur actus studiosus externus cum talibus circumstantijs, quæ ad actum religionis externum necessariæ sunt.

18 Quod ampliant *Sot.in 4. dist.13.q.2. art. 2.ad finem. & Bonac.disp.4.tom.1.q.vlt.pun. 11.sub nu.24.* quando confabulatio, aut risus, sunt tales, vt non omnino impediant attentionem requisitam ad missæ sacrificium, quo casu dicuntur habere sufficientem attentionem, & missæ corporaliter, & mentaliter interesse videntur. idem dicunt de eo, qui dum se vestit, missam audit, vel orat. *Nauar.de orat.notab.13.num. 49. Henriq. cap.25.lib.9.n.5.* vbi cæteri. Ego autem admissa DD. opinione, quod attentio præcepta in *d c.dolentes* non intelligitur de interna, ex ratione allata *n. 16.* non admitto confabulationem, & risum in missa (nisi in modica parte) etenim expresse prohibentur sub pœna excommunicationis *in d.c.dolentes*, quod propterea aliam interpretationem non recipit.

19 Generaliter ergo tā de auditione missę, quam de recitatione diuini officij attentionem internam non esse necessariam aiunt nouissimè *Cardin.de Lugo de Sacram. Euchar.disp.22.sect.2.n.27.Comit. in ref moral. lib.1.q.63.Caramuel in regula D.Bened.disp. 10S. art.1.n.1377.* ita etiam intrepretantes *d.c.dolentes*, imò, & quod magis est celebrantes cum voluntaria distractione, non peccant mortaliter secundum DD. apud eundem *Dian. par. 11. tract. 7. resol. 11.*

20 Ex quibus dum ex D. Tho. supra probatum est sufficere ad satisfaciendum præcepto attentionem ad Deum, inferunt satisfacere eidem præcepto recitantem in missa horas canonicas, quas tenetur ex alio præcepto, vel voto recitare, dummodo cum interna, vel saltem externa attentione ista expleat *Nauar.cap.21. n.8.Suar. ex Maior.Gabr. Caiet. Sot.& alijs d.sect.3.§. fin.* vbi ait illam orationem vocalem non tollere præsentiam, & attentionem necessarias; vt etiam testatur *Henriq. d.num. 5.* Infertur secundo cæcum missæ deuotè assistentem satisfacere, quia interest corpore, & mente *Bonac.cit. n.19.* Quod tamen

21 est indubitabile: infertur tertio surdum, vel non surdum eodem modo assistētes, si non audiunt verba missæ, sed intersunt cū externa reuerentia, de qua supra, satisfacere, dummodo sint in distantia, vt infra *n.26.* licet optimum sit ea audire *Tabie. v. missa n.50. Nauar.in man.cap.21.sub n.8.*

22 Infertur quarto eum, qui missam audiuit, animo non satisfaciendi præcepto, sed aliam audiendi, vel horas canonicas dictas repetendi, etiam si dixerit habeo pro non audita, vel non dictis, satisfacere, si aliam non audiat, vel horas non repetat, sed mutet voluntatem intra tempus præcepti adimplendi, quia iam adimpleuit assistendo mentaliter, & corporaliter, horasque dicendo, & solùm defuit obedientia voluntatis, quæ reuocari potuit, secus si reuocata non fuit intra tempus prædictum *Suar.d.disp.88.sect.3. §.2. Henriq. cit.nu. 6. Sanch. Less.& aly apud Bonac. supra sub nu. 23. Azor.1.par.lib.7.cap.2.qu.6.* imo etiam si reuocata non fuerit, quia sufficit impleuisse præceptum, vt probatum est supra *resol.4.n. 11.*

23 Infertur quinto ex eadem ratione eum, qui summo mane missam audiuit ex deuotione, existimans non esse diem festum, quamuis postea id sciat, non teneri aliam missam audire, sed solùm vt se præcepto satisfecisse arbitretur secundum Suar. ibidem, quod neque est necessarium, vt modo diximus. & probatur etiam ex *D.Tho. 2.2. q.104.art.3.ad 2.* ibi, *licet actus virtutis cadat sub præcepto, potest tamen aliquis implere actum virtutis, non attendens ad rationem præcepti*. Infertur sexto, cum, qui

24 Ecclesiam adit ad videndam principaliter, vel colloquēdam feminam pulchram, aut aliud quoduis illicitum peragendum satisfacere præcepto, si aliunde non excludat sufficientem attentionem, de qua supra *Nauar.d.c.21.sub n.6.Suar.cit. §.circà posteriorem ad finem.* quod iterum probatur ex eod. *D.Tho.in 2. lib.sentent.dist.28.q. 1.art.3.* vbi etiam docet posse sine gratia impleri præceptum diligendi Deum quo ad substantiam actus, licet non quo ad meritum beatudinis, sed contradicunt *D.Anton.apud Nauar. cit. & Adrian. apud Suar. etiam cit.*

25 Infertur septimo eum, qui Ecclesiam adit

dit coactus, vel per metum ab alijs incus-
sum, vt missam audiat, si postea muta-
ta voluntate illam audiat attentè, satisfa-
ceret, secus si coactè audiret, aliàs non au-
diturus, peccat tamẽ aliquo modo propter
illam repugnantiam præcepti adimplendi,
secund. *Suar. in §. cit. in princ. Henriq. vbi*
supra n.4. Fillinc. tract.5.c.7. n. 212. Mol-
26 *fes. tract. 3.cap.17. n.30.* Est etiam gene-
raliter obseruandum, debere audientem
missam, esse in tali distantia à celebrante,
vt possit illum videre, & audire, licet ex a-
liquo impedimento postea, puta ob mul-
titudinem adstantium, vel alia causa illum
non videat, nec audiat, ita *Bonac.ex mul-*
27 *tis d.pun.11.nu.1.& 2.* Falsum tñ mihi vi-
detur, quod addit ibidem *n.3.* applicantẽ
st. mentem suam circa mysteria missæ, nõ
dici eam audire, cum iste melius omnibus
illam audiat iuxta supradicta *ex D. Thom.*
2.2. q.83. art.13. Imò dicit *Suar.d.sect. 3.*
§. alijs verò ex c.decet de immun.Eccles.in 6.
hunc talem perfectè implere præceptum,
licet à sẽsibili auditione abstrahatur, quia
perfectè finem præcepti assequitur, &
voluntariè se applicat, præsentiamque
necessariam ad missam audiendum adhi-
bet, & in ea voluntarie formaliter, vel vir-
tualiter persistit eum attentione maxime
intenta per ipsum preceptum.
28 Sed dubitatur vtrum si quis tempore
missæ sua peccata confiteatur, præcepto
satisfaciat? *Regin.lib.19 n.14. in fine*, res-
pondet affirmatiuè; quia attentio confessi-
onis non videtur obstare attentioni requi-
sitæ ad missam, & quia sic vsu receptum
est in aliquibus Collegijs, in quibus viget
probitas, & religiosa disciplina, quod ali-
quando probabile visum fuit *Bonac.d.pun.*
11.sub n.26. vt ipse testatur. Negatiua ta-
29 men sententia est vera, quia opus præ-
cepti non est omittendum propter huius-
modi voluntariũ opus, vt ait Suar. *d. disp.*
88. §. septimum caput, sequitur Azor.1.par.
lib.7. cap.7. q.8. quæ fallit in duobus casi-
bus, primo si confessio esset breuis, ita ut
per eam non omitteretur pars aliqua no-
tabilis missæ iuxta supradicta, nam si o-
mittens aliquam eius partem nõn essenti-
lem sine causa, præcepto satisfacit, vt di-
ctum est supra *n.3.* multo magis omittens
ex causa legitima, vt est confessio arg.
auth. multo magis C.de sacr.sanct. Eccles. se-
cundo concurrente aliqua magna necessi-
tate, ex cuius vi non posset vtrumque o-
30 pus adimpleri, quia duobus concurren-
tibus præceptis, maiori est obediendum. *c.*
solita de maior. & obed. sed confessio est de
iure diuino secundum *Luc.cap.5.& 17. Io.*
epist. 1.cap. 1. Trid. sess.14. cap. 5. auditio
verò missæ de iure positiuo, vti præcepta
ab Ecclesia, vt supra n. 1. ergo. vide etiam
à S. Fausto lib.2.hoc tit. q. 400.

Quibus diebus sit missa audienda, & quibus ex causis quis ab hoc præcepto excusetur?

SVMMARIVM.

1 *Missa quibus diebus sit ex præcepto Ecclesiæ audienda? & n.6.& 8.*

2 *Christi resurrectio fuit in Dominica.*

3 *Sabathum more Hæbreorum pro hebdomada sumitur.*

4 *Mundus in die Dominico exordium sumpsit.*

5 *Sententiæ mortis in die Dominico fieri non possunt, nec exequi, neque acta ciuilia confici sub nullitatis pœna.*

7 *Episcopi licet possint in suis diœcesibus noua festa indicere, de iure communi, fuit tamen talis potestas eis ablata per Vrb. 8. sed possunt cum causa concedere licẽtiam laborandi in festis.*

9 *Die elapso missam audiendi, vel ieiunandi, nõ remanet obligatio illa adimplendi die sequenti, sed bene peccatum contractum confitendi ex inobseruantia, quod idem est de officio diuino, non sic in obligatione alienam pecuniam restituendi. & nu.10.*

11 *Extensio fit iuridicè de casu ad casum similem.*

12 *Impotentia tàm phisica, quàm moralis excusat ab audienda missa, licet de præcepto, quod multis modis exemplificatur vsque ad finem.*

14 *Posse non dicitur quis aliquid, quod commode non potest; sicuti ex contrario posse dicitur, qui dolo facit, quo minus possit.*

19 *Malum, quia prohibitum, & prohibitum, quia malum quomodo differant.*

20 *Religio erga Deum, Patria, & parentibus obedientia est de iure naturali, & diuino.*

38 *Consuetudo vt inducatur tot requisita sũt necessaria, vt difficile sit eam probare.*

Ex-

39 *Excommunicatus excusatur à missa audienda, etiam si sua culpa censuram contraxit, sed quid si negligens sit in procuranda absolutione, & nu.* 40. *&* 41. *quid de interdictis? n.*42.

43 *Interdicta Ciuitate, vel terra, tenentur Gubernatores earum procurare interdictum tolli.*

46 *Censura pœna quamuis sit imposita ipso iure, vel ipso facto, aut nulla expectata declaratione, numquam tamen incurritur in foro exteriori, nisi post prolatam sententiam.*

47 *Ignorantia siue facti, siue iuris an excuset à missa, & quid de supina, vel affectata, vel de obliuione naturali, aut inconsideratione? & n.*48.

Resolutio CXXXV.

1 AD primum licet in priori resol. multa de hoc dicta sint, in ista tamen de eadem specialius agitur, omnibus ergo diebus dominicis præcipitur missam audiri in *c. missas de consecrat. dist.* 1. propter tot, & tanta mirabilia, quæ in hac die Domi-
2 nus operatus est, & præcipuè propter resurrectionem, quæ eo die contigit, vt refert *Marc. in Euangel. cap. 6. ibi vna Sabatho-*
3 *rum, &c.* Sabathum n. more hæbreorum pro hebdomada sumitur, qui vnam diem pro prima accipiunt, & sic vna Sabathorum, idest prima die hebdomadæ, quę est Dominica, vt rectè exponit *Suar. to. 3. disp. 88. sect. 5. in princ. ex D. Thom. 2. 2. q. 122. art. 4. ad* 4. quam quidem diem Imperat. Costant. venerabilem diem Solis appellat in *l. 3. C. de ferijs,* quia septem dies hebdomadæ à septem planetis nomen sumpserunt, inter quæ est Sol, vt exponit *Glos. ibidem v. die Solis;* de hac eadem die cū sermo fiat in *c. quod die dist.* 75. dicitur tantis diuinarum dispensationum mysterijs, esse consecratam, vt quicquid est à Domino insignius constitutum, in huius diei digni-
4 tate sit gestum. In hac n. mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionē Christi mors interitum. & vita accepit initium, & in *c. 1. de fer.* præcipitur neminem ad mortem tali die, neque ad pœnam iudi-
5 candum, licet in grauioribus proRex in Regno Neap. dispensare soleat, vt refert *Sanfelic. decis. 173. in addit.* acta verò ciuilia, & sententiæ etiam de consensu partiū fieri nequeunt *c. fin. eod. tit.* sed nec istud in iudicijs arbitralibus seruatur in praxi.

6 Secundò omnibus alijs diebus festiuis ad honorem Dei *c. siquis c. & hoc, & c. omnes fideles de consecrat. dist. 1. Ricch. in quodlib. 1. q. 19. Sylu. v. missa 3. q. 2.* & est primū inter præcepta Ecclesię *Nauar. in man. cap. 21. n. 1.* qui dies festi sunt, quos Ecclesia seruari præcipit, de quibus sigillatim meminit *Suar. cit. §. 1.* quamuis sine causa, cū noti sint, tum ex Breuiario, tum ex promulgatione quotidiana, quæ fit per Paro-
7 chos in suis Parochijs. Est tamen aduertendum posse singulos Episcopos in suis diœcesibus indicere dies festos vltra statutos à iure, vel consuetudine, vt legitur *in c. pronunciandum de consecrat. dist. 3. & c. conquestus de ferys,* vbi licet dicatur hoc debere fieri cum consensu Cleri, & populi, non videmus tamen in praxi Episcopos requirere consensum populi, & vix id cōmunicant cum Capitulo; verū idē *Suar. to. 1. de Relig. lib. 2. de diebus fest. cap. 11. nu.* 4. concedit posse Episcopum, sed *nu.* 8. negat sine consensu Cleri, & Populi, vbi contraria consuetudo nō viget, vel saltem maioris partis eorum, tam vt quantum minus possit, ius commune lędatur. Quā quia de istorum interesse agitur, cum à labore, de quo viuunt, cessare in festis cogātur; in contrarium autem adest *bulla Vrb.* 8. *emanata idibus Septembris* 1642. *quæ incipit Vniuersa per Orbem,* per quam prohibetur Episcopis, & Archiepiscopis noua festa indicere sub grauibus pœnis, ibique referuntur sigillatim festa, quę seruanda sūt, & insuper iubet Pontifex eisdem Ordinarijs locorum obseruantiam antiquorum canonum in concedendis licentiis laborādi in diebus festis, quas licentias non aliter, quam ad formam prædictorum canonum concedi mandat gratis, libere, & sine vllo pretio, aut pacto, directè, vel indirectè sub pœnis grauioribus.

Præter ergo festa prædicta, nulla adest obligatio missæ audiendæ; nam licet in *d. c. pronunciandum,* inter festa includantur tres dies rogationum, totaque hebdomada Paschalis, & in *c. solent eadem dist.* etiam dies quadragesimę; hoc tamen vel esse de consilio, vt verius est, vel consuetudine abrogatum testatur *Nauar. vbi supra n. 2. in fine,* cum quo concordant *Azor. 1. par. lib. 7. cap. 4 Henriq. lib. 9. cap. 25, num. 2. Suar. ex Sylu. & alijs in §. sed hinc. d.*
8 *sect.* 5. vbi excludit etiam feriam 5. & 6. heb-

hebdomadæ sanctæ, & quascunque alias vigilias. Ibidem etiam in §. fin. rectè do-
9 cet ex eodem Nauar. & alijs, elapso die præscripto ad audiendam missam, si non fuerit tunc audita, euanescere obligationē de audienda in alia die, sicuti dicitur de diebus ieiunij, vel diuini officij recitatione, quibus elapsis non adest obligatio ieiunandi, vel recitandi die sequenti, sed remanet culpa ex mortali contracta, & pœnitentiæ sacramēto delenda; ratio est, quia præceptum affirmatiuum, solùm obligat pro tempore designato; est n. onus iniunctum diei, vt etiam eum illo fatentur omnes summistæ; licet contrarium sit in alijs
10 obligationibus; nam qui promittit centum Kalendis Ianuarijs, non excusatur, si non soluerit statuta die, sed tenetur etiam post Kalendas *l. eum qui §. qui ita ff. de verb. obligat.*

Ad secundum respondetur, à nemine dubitari multas esse causas, propter quas & earum singulas potest quis legitimè excusari ab obseruantia huius præcepti, quas sigillatim recensere, non dico esset infinitum, vt dixit *Suar. disp. 88. to. 3. sect. 6. in princ.* cum hoc non detur in mundo, sed bene, si non impossibile, saltem difficillimum, quia ex circumstantijs passim occurrentibus variantur diuersimodè excu-
11 sationum causæ. Propositis ergo aliquibus generalibus principijs, seu capitibus, ex illis deueniri facilè poterit ad omnium rectam decisionem, vt in simili dixit *Iulian. in l. non possunt ff. de legib.* non posse st. omnes articulos singulatim, aut legibus, aut Senatus Consultis comprehendi, sed cum in aliquo casu sententia eorum manifesta est, is qui iurisdictioni præest, ad similia procedere, atque ita ius dicere debet.
12 Primum ergo caput sit impotentia phisica, vel moralis tàm ratione periculi vitæ propriæ, quā proximi *Nauar. c. 21. n. 3. Suar. d. disp. 88. sect. 6. §. 1. circa finē, & communiter DD. apud Bonac. tom. 1. disp. 4. q. vlt. pun. fin. n. 4.* quod ex subscriptis exemplis patebit; ratio est de priori impotentia, quia impossibilium nulla est obligatio, vt ait *Marcell. in l. impossibilium ff. de regul. iur.* & propte-
13 rea in vinculis detenti, vel carcerati in domo, seu quocunque modo per vim impediti, non obligantur, *arg. l. succurritur ff. ex quib. caus. maior.* vel quamuis non impediti, deficit tamen sacerdos *Tolet. lib. 6. cap. 9. n. 5.* sicuti nec infirmi, qui non possunt de lecto surgere, vel etiam si cœperint conualescere, excusantur propter periculum reincidendi, vel notabiliter retardandi conualescentiam, quæ est secunda impotentia, sub qua includuntur etiā omnes alij subscripti casus.
14 Ratio est priori similis, quia non dicitur quem posse, quod commodè non potest *c. faciat ibique Gl. v. quod potest 22. qu. 2. l. vulgo concepti ff. de statu hom. l. nepos proculo ff. de verb. signific. l. si fideiussor §. si necessaria, ff. qui satisd. cog.* sicuti ex contrario posse dicitur, qui dolo facit, quo minus possit *l. semper §. eum autem ff. quod vi, aut clam.* & propterea est supponenda bona fides, cum viri prudentis iudicio, qui considerare debet distantiam Ecclesiæ, laborem audiendi missam, aeris temperiem, temporis qualitatem, statumque infirmitatis, si sit febris quartana, vel femina prægnans, quæ quodammodo dicitur etiam infirma. Optimū ergo consilium est secundum *Suar. tom. 3. disp. 88. sect. 6. §. prima igitur versic. tertium caput*, quando infirmitas impedit egredi de lecto, aut de domo ad alia negotia æqualis, vel maioris laboris, quam sit missam audire: nam si hæc non impedit, non
15 est cur excuset. Sed siue sint carcerati, siue infirmi, & habeant licentiam audiendi missam in oratorio domus propriæ, non tenentur pro ea audienda quęrere sacerdotem, eique stipendium dare secundum *Dia. par. 5. tract. 4. resol. 80. contra Nugnum 3. p. qu. 83. ar. 6.*
16 Item serui timentes verbera, & graues iniurias à dominis suis; si deserant domū, etiam excusantur; sed non ipsi domini, nō concedentes prædictis tempus audiendi sacrum, si possunt absque notabili damno *Tabi. v. missa n. 47. Tolet. lib. 6. cap. 9. num. 2. Henriq. lib. 9. cap. 25. num. 10.* (vbi etiam
17 excusant custodientes arces, carceres, vel portas Ciuitatis, quas non possunt sine periculo absque custodia relinquere *Suar. d. sect. 6. §. quintum caput*) tenentur n. illi non solum non impedire sibi subditos, verum etiam debitam curam, & diligentiam adhibere, vt missā audiant, cum ad eos pertineat familiæ suæ cura, vt præcepta ecclesiastica seruent *Sylu. v. missa 2. q. 1. Nau. cap. 21. n. 9. & docet Apost. epist. 1. ad Corint. cap. 5. ibi, si quis suorum maximè domesticorum curam non habet, fidem negauit, & est infideli deterior.*
18 Addit nihilominus Suar. cit. debere seruos

uos præuenire auditionem missæ, si possunt, mediocri adhibita diligentia, non tñ teneri ad extraordinariam, surgendo s. ante moderatum somni tempus, vel aliud simile cum extraordinario labore, quia licet hoc consulendum sit, præceptum tamen ad id non obligat. Imo si absque magno incommodo possunt subterfugere, & missam audire non obediendo dominis, debent id facere, etiam si aliqua leuis rixa intercedat; si tamen necesse est aut dominum deserere, aut aliquod graue detrimentum ea de causa pati, tunc excusari possunt; nec propterea censentur præferre hominis mandatum ecclesiastico præcepto, sed supponitur tunc Ecclesiam nolle eos cum tanto detrimento obligare.

19 Et hæc est differentia inter res prohibitas, quia malæ sunt, & malas quia prohibitæ; ab illis n. numquam potest separari malitia, & prohibitio, & ideo propter nullum incommodum fieri possunt, etiam si à domino præcipiantur; ab istis verò separari potest ratio præcepti, & ideo quia propter vitandum incommodum, obligatio præcepti cessat: fieri vel omitti possunt ad obediendum homini præcipienti, secus verò si dominus hoc præciperet in contemptum Religionis, quia hoc esset intrinsecè malum, non solùm contra ius positiuum, sed etiam contra ius diui-
20 nũ, & naturale, Dei enim religio, & patriæ, & parentibus obedientia, sunt præferenda *l. veluti ff. de iust. & iur.* & ideo propter nullum incommodum vitandum, hæc omittere licet *Nauar. in man. cap. 13. sub n. 7.*

21 In priori autem casu debet etiam famulus certiorem facere dominum suũ, quod missam non audierit, & procurare in quãtum possibile sibi sit obtinere veniam, illam audiendi, et si non potest, excusatur: tenebitur autem, si hoc frequens sit, procurare data opportunitate alium dominũ, cui inseruiendo, Ecclesię præcepta seruet *Tolet. lib. 6 cap. 9. num. 4. latè Suar. d. sect. 6. §. quintum caput ex Palud. Caiet. Sylu. & præcipue Nauar. d. n. 7. arg. c. sacris de ijs, quæ vi, metusue causa fiunt, & c. ita ne 32. q. 5. & in cit. cap. 21. nu. 9.* vbi hoc extendit ad filios respectu parentum, & Suar. ad milites, & omnes alios inferiores respectu superiorũ, qui non possunt sine peccato eos impedire ab auditione missæ, legitima causa non existente.

Et quia hoc præceptum non obligat cũ tanto onere, excusantur etiam ij, qui longam viam pedestrim, trium st. milliarium facere deberent ad audiendam missam, vel si non esset tanta distantia, esset tamen
22 notabilis tempestas, vel pluuia ita vt prudenter considerando, notabile censeretur detrimentum ex dictis *per Nauar. d. c. 21. n. 3. & Suar. supra §. 1. circa finem*, vbi ẽt ex-
23 cusant iter agentes, qui audiẽdo missã, socios necessarios dimittere deberent, siue per mare, vel flumina, siue per terram, vel qui viam ignorant, aut propter periculum latronum incursionis *Tolet. lib. 6. cap. 9. n. 2.* secus vero, si missam omitterent, vt leuius iter agerent cum aliorum iter agentium societate; non enim quodlibet leue incommodum excusat, vt rectè obseruant *Nug. q. 83. art. 6. dub. 2. concl. 4. versic. 4. impedimentum, & Suar. cit. ex Caiet. Armill. & alijs.*

24 Item excusantur timentes probabiliter periculum vitæ eundo, vel redeundo ab Ecclesia, siue ex causa inimicorum *argum. l. metus autem ff. ex quibus caus. maior. & d. l. succurritur, siue propter aerem pestiferum, Angel. v. feria num. 42. Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. Suar. cit. §. 1. sect. 6. versic. tertium caput*; Item vxores, quæ non accedunt
25 ad Ecclesiam propter suorum virorum timorem, & vt eis, vti Zelotypis obediãt *argum. tex. in c. noluit 33. q. 5. Sot. cit. Henriq. lib. 9. cap. 25. num. 10. litt. l. Suar. vbi supra §. quartum caput in fine.*

26 A simili excusantur custodientes infirmum, si non habent alium, quem ad illius custodiam substituant (quod cadit sub tit. caritatis proximi) & infirmitas sit grauis, ita vt illum relinquendo sine custodia, graue infirmi detrimentum probabiliter timeretur *Suar. vbi supra*, & ante eum
27 *Nauar. cap. 21. sub n. 3.* vbi idem dicit de nutrice, quæ sine periculo non potest relinquere infantem lactentem, nec eum ad Ecclesiam secum ferre absque graui celebrantis, vel adstantium perturbatione, & molestia, *Henriq. lib. 9. cap. 25. n. 10. Nug. Graff. & alij apud Bonac. disp. 4. to. 1. q. vlt.*
28 *pun. fin. nu. 5.* Item qui alias non possent præparare necessaria ad victum familiæ *Tabic. v. missa num. 47. Tolet. lib. 6. cap. 9. num. 2.*

29 Ad hoc secundum caput pertinet ratio proprię existimationis, vt si quis vnius, vel alterius sexus, non possit vestitus decen-

ter secund statum suum Ecclesiam adire; hunc n. *Vlpian. in l. a eadē causa ff. ex quib. caus. maior.* comparat existenti in vinculis, & propterea iuxta omnes authores excusari testatur *Suar. to. 3. disp. 88. sect. 6. §. quartum caput versic. tertium genus*, vbi eadem ratione excusat mulierem nobilem non valentem de domo exire sine decenti comitatu; sicuti etiā virum ex eadem causa, iuxta tamen patriæ consuetudinem, nec hoc extendendum ad superfluos ornatus. Est vlterius considerandum, an in huiusmodi casibus possint summo mane, cessāte populi concursu Ecclesiam adire, quia cessante causa, cessare deberet excusationis effectus *c. cum cessante de appell. & l. adigere §. quamuis ff. de iure patron.* item ex
30 eadem, & fortiori ratione includit Suar. ibidem feminam, quæ cum honesta existimetur, grauida sit, nec potest lapsum suū occultare, nisi domi se contineat, nō n. tenetur se prodere; sicuti ēt excusātur matres non exeuntes de domo custodiendi causa filias, in quibus probabiliter honoris iactu ram timent, eas solas domi relinquendo *Nauar. d. c. 21. nu. 9. Henriq. lib. 9. c. 21. n. 12.*

31 Tertium caput dicunt esse ratione periculi amissionis bonorum, vt si quis probabiliter timeat furtum, si domum solam relinquat, accedendo ad Ecclesiam, vel ouium, aut aliorum animalium amissionē, si in agro sine custodia ea relinquat, quia probabile est periculum grauis detrimenti. *Tolet. lib. 6. cap. 9. nu. 4. Suar. cit.* vbi sub hoc capite ait contineri omne temporale graue incommodum, quando sine illo missa audiri non potest, quia non censetur hoc præceptum cum tanto onere obligare; si plures tamen pastores essent, & possent vicissim se iuuare, vno ad Ecclesiam eūte, alio ad gregis custodiā remanēte, nō excusarentur *Henriq. cit. n. 10. Azor. & alij*
32 *apud Bonac. sub n. 6.* Vlterius excusantur, qui nō possūt missā audire, nisi aliud graue negotiū omittant, quales sunt artium custodes, & domini, eorumque consultores, qui tempore missæ, negotijs moram non patientibus impediuntur *Tabi. v. missa n. 47. Tolet. d. c. 9. n. 4. Nauar. cap. 21. sub nu. 3.* vbi generaliter includūt officiales; quod tamen rectè limitat *Suar. d. sect. 6. §. quartum caput in fine*, quando huiusmodi negotia, vel missa sine magna incommoditate præueniri possunt.

33 Quartum caput est consuetudo ex aliqua rationabili causa introducta, & à Pastoribus Ecclesiæ tolerata, qualis est, vt in aliquibus partibus, viduę post viri mortem de domo non exeant, & ideo missam omittunt; quam quidem consuetudinem omnes DD. approbare testatur *Suar. d. sec. 6. §. sextum caput ex Caiet. 2. 2. q. 122. art. 4. & in summa v. festa Anton. Sylu. Nauar. & alijs, & post eos Henriq. lib. 9. cap. 25. nu. 11. Bonac. d. pun. fin. nu. 25.* & fundatur in quadam decentia, & honestate viduali, mærorisque ostensione. Sed non est extendē-
34 da vltra mensem secundum *Sylu. v. missa 2. q. 2.* cui non assentit *Nauar. d. c. 21. nu. 4.* in viduis nobilibus, quas excusari dicit etiam per annum, si talis sit consuetudo, dummodo ad choræas, vel alias res peragendas non exeant; quod approbat *Suar. loco cit.* sed summè laudandas ait, eas viduas, quæ hac consuetudine posthabita, imitantur nobiles illas Martham, & Magdalenam, quę non obstante Lazari luctu, egressæ fuerunt ad excipiendum Dominum. Nauar. ibidē vbi connumerat multos magnos Principes, qui nō obstante consuetudine, exierunt ad audiendam in Ecclesia statim post mortem suorum publicè missam, alijsq; sacris functionibus interessēdū.
35 Eodem modo excusantur puellę nobiles, quæ cum sint nubiles, è domo non exeunt in publicum, si talis vigeat consuetudo, dummodo ad alia non exeant, vt dictum est de viduis *Tab. Henriq. & alij loc. cit. Suar. vbi supra ex eod. Caiet. Sylu. & Nauar. n. 9.* qui rectè aduertunt intolerabile esse, & Christianis indignum, si saltem in solemnioribus festis missam non audiant, aliàs videri consuetudinem irrationabilem.

36 Item excusantur mulieres, quę post partum per aliquos dies, etiam si plenè conualuerint ab Ecclesiæ ingressu abstinent, vbi talis tamen viget consuetudo, dūmodo hoc non faciant ex superstitione, aut Mosayco ritu, sed potius ex quadam reuerentia, & deuotione, quæ non est improbanda *ex c. unico de purific. post partum, & dicit Gl. in c. si mulier. 5. dist. v. pondere peccati in fine*, quod licent possint eadem hora, qua genuerunt, Ecclesiam intrare, nō obstante antiqua lege, qua hoc prohibebatur *in c. 1. eadem dist. 5.* de consuetudine tamen, nec hodie intrare, quam esse seruādam, vbi ex deuotione fuit introducta, vult idem *Suar. d. §. sextum. caput. ex Caiet. cit.*

Sed

Sed in Ciuitate Neap. cum talis consuetudo non adsit, si postquam conualuerint, missam non audiunt, peccant mortaliter, sicuti nulla legitima excusatione suffultæ, sublata n. antiqua prohibitione, subiacent iuri communi, *c. cum cessante de appellat.*
37 sicuti nec excusantur, ob menstrua ordinaria, nisi essent in tanta quantitate, vt debilitas aliud non permitteret, quia tunc excusarentur tamquam infirmæ *Nauar. in manual. cap. 21. sub num. 9. Suar. cit. & aly a-*
38 *pud Bonac. d. pun. fin. num. 28.* Sed ne putes consuetudinem statim induci, quia multa requiruntur. quę habentur *in c. cum tanto vbi Gl. magna de consuetud.* quæ propterea subdit difficile esse illam probare.
39 Quintum caput vocant impedimentum spirituale, vt si quis sit excommunicatus, (cui Ecclesiæ ingressus saltem, dum diuina aguntur, prohibetur) iuxta *DD. apud Dian. par. 5. tract. 9. resol. 86.* impossibile n. est quē obligari ad id, à quo per censuram abstinere tenetur *Sylu. v. missa n. 1. Nauar. d. c. 21. n. 3. Tolet. lib. 6. cap. 9. n. 1.* quod procedere, etiam si sua culpa censuram contraxit, docet *Suar. vbi supra §. 1.* quia licet in eo peccauerit; postquam tamen iam factus est impotens ad missam audiendā, non peccat, nō audiendo, neq; si negligens
40 sit ad absolutionē censuræ obtinendā idē Suar. ibidem ex eodem Nauar. cit. cuius doctrinam multos doctos viros approbare dicit, & addit numquam talem negligentem peccare, sicuti nec in vinculis detentum, si negligens sit in procuranda libertate.
41 Sed Nauar. quamuis dixerit non peccare, non audiendo missam, quod verum est ex supradictis; peccare tamen si absolutionem procurare neglexerit ex eodem principio per Suar. concesso, quod peccet quis, quando sua culpa censuram contraxit, ergo eodem modo, si absolutionem impetrare negligit; contrariorum enim eadem est disciplina *§. 1. instit. de ijs, qui sunt sui, vel alien. iur. vbi Gl. & alia Gl. in §. furtorum v. nec manifestum de obligat. quæ ex delict. nascunt.* dum n. ex propria voluntate, saltem implicita, non absoluitur, voluntariè consequenter missam omittit, & propterea excusationem non habet. Sed *Dia. par. 5. tract. 9. resol. 88.* videtur inclinare in opinionem Suar.
42 Idem ex eadem ratione dicendum videtur de interdicto speciali, vel generali, non dico ab audienda missa, ad quam certum est non teneri ex *c. alma mater §. adijcimus de sent. excomm. in 6 ibi, excommunicatis, & interdictis exclusis, vbi etiam Gl. v. Ecclesijs ex c. in partibus de verb. signific.* sed solùm an peccent, non procurando absolutionem? & simili modo, nec peccare docet *Bonac. d. pun. vlt. n. 22. ex Sot. in 4. dist. 13. q. 2. art. 1. Henriq. & alijs,* quod verum non puto de interdictis specialiter ex allata ratione, secus de interdictis generaliter, quia non est in potestate cuiuslibet de Ciuitate interdicta absolutionem procurare, & proinde cum non sint in culpa, nō peccant *l. culpa caret ff. de regul. iur.*
43 Non excusarem tamen ab aliqua culpa eos, ad quos Ciuitatis Gubernium spectat, si negligentes fuerint, qui sicut tenentur de negligentia in administratione rerum temporalium Ciuitatis *l. Lucius Titius ad municip.* & adsunt in Regno Neap. *Pragmaticæ præcipuè 5. §. 8. & 10. de administr. vniuers.* ita à simili, vel à fortiori de negligentia rerū spiritualiū, vt sūt animæ ciuiū, non dico vt boni, & sancti sint, cum hoc pertineat ad Pastores Ecclesiæ, sed benè ad procurandam absolutionem à censura interdicti generalis, cuius cura non potest nisi ad prædictos de iure spectare; & cum hac distinctione recipio doctrinam *Nauar.*
44 *d. n. 3.* Habentes autem bullam de missa audienda tempore interdicti, non tenentur quærere sacerdotem non interdictum, eique stipendium tribuere, quia nemo cogitur vti priuilegio suo contra se *Dia. par. 1. tr. 11. resol. 2.*
45 Ex eadem ratione excusantur à missa audienda, quando nullus alius adest, nisi sacerdos excommunicatus, vel hæreticus, suspensus, interdictus; aut degradatus, *Tolet. lib. 6. cap. 8. n. 1. Suar. d. sect. 6. §. vltimū caput;* addunt autem *Nauar. cap. 25. nu. 80. & Tolet. cit.* etiam sacerdotem publicum concubinarium ex *c. fin. de cohabit. Cleric. & mul.* sed falluntur, quia ex Concilio Cōstantiensi hoc ius fuit correctum, cuius virtute non excusantur à missa talis sacerdotis, donec sit ab Ecclesia suspensus, vel declaratus excommunicatus Suar. vbi supra Henriq. Rodriq. & alij apud *Bonac.*
46 *cit. pun. 12. sub n. 1.* Et quamuis tales concubinarij publici, sint etiam hodie ipso iure suspensi *ex Trid. & declar. S. Congr. relat. supra resol. 2. n. 6.* numquam tamen tam istæ, quam aliæ pœnæ, sortiuntur effectum in

foro exteriori, nisi post sententiam Iudicis audita parte, etiam si lex diceret ipso iure, vel ipso facto, vel nulla expectata declaratione, vt ex quamplurimis DD. probat P. *Dia. par. 2. tract. 17. resol. 67. & vide infra resol. 188. n. 1. & seq.*

47 Sextum, & vltimum caput, est ignorantia, quando quis ignorat talem diem esse festiuum, quæ dicitur ignorantia facti, regulariter excusans *l. error ff. de iur. & fact. ignor.* non tamen si sit ignorantia supina, aut affectata, *arg. l. nec supina, & l. regula §. sed facti ff. eodem*; sub ea tamen ignorantia comprehendi naturalem obliuionem, vel inconsiderationem, rationabiliter docet *Suar. d. sect. 6. §. solet etiam*, quem multi cum *Bonac. loco cit. pun. vlt. n. 18. secuntur, & nos latè supra resol. 19.* Quod si dicatur aliquē omnino ignorare adesse hoc præceptum in Ecclesia in diebus festiuis, quæ est ignorantia iuris, hæc neminem excusat *l. 2. & d. l. regula in princ. ff. eodem*, nisi hominem valdè stupidum, aut in syluis enutritum, vel pueros, quibus rationis vsus incipit elucescere iuxta dicta per Suar. ibidem, quod etiam probatur in dicta l. regula, & in §. *sed iuris ibidem*, quibus generaliter

48 addit *Tol. d. lib. 6. cap. 9. in fine*. quod licet aliquando causa, non sit sufficiens ad excusandum, si tamen aliquis putet bona fide esse veram, & sufficientem, non peccat mortaliter, sed hoc procedit in ignorantia facti, vt supra dictum est non iuris.

Ordo.

SVMMARIVM.

1 *Ordinis in genere sumpti definitio.*

2 *Ordo debitus est, vt minor potiori reuerentiam exhibeat.*

3 *Ordine non seruato, non subsistit vniuersitas.*

4 *Prælatio, quæ nunc est inter Angelos, & Angelos; homines, & homines; dæmones, & dæmones cessabit in fine mundi, nō tamen ordo.*

5 *Ordo hominum ordini rerum præfertur, sicuti etiam homines Deo dicati, cæteris.*

INTRODVCTIO.

1 Ordinem in genere sumptum latissimam habere significationem constat ex *D. August. lib. 19. de Ciuit. Dei cap. 13.* vbi ait, quod est parium, dispatiumque rerum, sua cuique loca tribuens dispositio, ita etiam sumitur *in Rubr. decretal. de ordine cognit. & in Rubr. ff. de decret. ab ordine faciund. & in Catech. Rom. hoc tit. par. 2. n. 9.* dicitur ordinem esse dispositionem superiorum, & inferiorum rerum, quæ inter se aptæ sunt, vt vna ad alteram referatur, sequitur *Belar. eod. tit. lib. 2. dist. 9. c. 1.* In qua acceptione aiunt *Greg. & Bonifac. P.P. relati in c. ad hoc dist. 89.* ex dispēsatione diuina, gradus diuersos, & ordines esse constitutos, & distinctos in Cœlo, & in terra, vt dum reuerentiam minores po-

2 tioribus exhiberent, & potiores minoribus dilectionem impenderent, vera concordia fieret, & ex diuersitate cōtextio, & recta officiorum gereretur administratio singulorum; neque n. vniuersitas, alia po-

3 terat ratione subsistere, nisi huiusmodi magnus eā differentiæ ordo seruaret, quia verò quæque creatura in vna, eademque qualitate gubernari, vel viuere non potest, cælestium militiarum exemplar nos instruit, quia dum sunt Angeli, & sunt, Archangeli, liquet quia non sunt æquales, sed in potestate, & ordine differt alter ab altero; cum n. quæ à Deo sunt, ordinata sunt *D. Paul ad Rom. 13.* oportuit in Ecclesia, quę a Deo est, ordinem esse. *Sot. in 4. sentent. dist. 24. qu. 1. art. 1.* vbi confutat Lutheri hæresim, & aliorum, ecclesiasticos ordines, & Hierarchiam, confundentium.

4 Hinc Gl. *in d. c. ad hoc* ex Apost. ait, quod dum mundus iste durabit, homines præerunt hominibus, dæmones dæmonibus, & Angeli Angelis, cum autem Deus erit omnia in omnibus, cessabit omnis prælatio, non tamen ordo, vel maioritas; aliquis n. maior erit alio, sed non præerit ei *c. in*

5 *domo de pænit. dist. 4.* quia verò hominum ordo, præfertur ordini rerum, *l. 2. ff. de statu homin. & §. fin. cum Gl. instit. de iure natur. gent. & ciuil.* & inter homines præferuntur spirituales, & Deo dicati *c. solitæ de maiorit. & obed.* & consequenter appellatione ordinis simpliciter, intelligitur per antonomasiam de ecclesiastico, vti sacramento, tamquam digniori, quia digniora præferuntur *c. vnico de consecr. Eccl. vel Altar. in 6.* propterea de isto aliquid dicturi, primo quæritur.

Quid,

Quid, & quotuplex sit ordo, a quo, & quando fuerit institutus, an sicuti sacerdotium singuli alij ordines sint sacramenta, & num in illo tantum imprimatur character, quo ad omnes ordines.

SVMMARIVM.

1 *Ordinis definitio pro vt est Sacramentum. Est septenarius significans septem dona Spiritus Sancti n. 2.*

3 *Episcopatus an sit ordo, & an Clericatus? n. 4. Nequit dari non sacerdoti n. 5. Est dignitas maior presbyteratu quo ad honores exteriores, non autem quo ad sacrificium conficiendum. n. 6.*

7 *Ordinis sacramentũ fuit institutum à Christo ea nocte, qua fuit traditus.*

8 *Sacerdotes sunt successores Apostolorum, quo ad dignitatem sacerdotalem.*

9 *Ordines licet sint septem, vnum tamen esse sacramentum volunt aliqui, alij verò tres, cæteros verò sacramentalia, & n. 10. & seq.*

13 *Clericus si laicus fiat, potest postea, quando vult, Clericatum reassumere absque alia solemnitate.*

Resolutio CXXXVI.

Omissa disputatione an ordo sit sacramentum, de qua D. Thom. *par. 3. in suppl. q. 34. art. 3. & alij*, postquam hodie est de fide Sacramentum esse *ex Trid. can. 3. sess. 23. hoc tit.* transeo ad eius definitionem, *ex magi. sent. in 4. dist. 24. §. si autem, & eod. Sancto cit. art. 2. alijs omissis, videlicet.*

1 *Est signaculum quoddam, quo spiritualis potestas traditur ordinatis, & officium*; addunt *Nauar. in man. cap. 22. n. 17. & Bonac. tom. 1. disp. 8. q. vnica pun. 1. n. 1. ad conficiendum corpus, & sanguinem Christi*. Signaculum autem dicit idem Sanct. ad 1. non esse inconueniens sumi pro interiori charactere, sed posse rectius sumi pro eo, quod exterius geritur, quod est signũ interioris potestatis, & causa; Qui quidem ordo est septenarius, significans septem dona Spiritus

2 Sancti, vt ex eodem Mag. docet Sanc. vbi supra *q. 35. ar. 1. in corp.* eosque postea *q. 37. art. 2.* numerat, explicat, & comprobat; de quo ordinum numero latè confutatis aliorum congruentijs discutit *Sot. in 4. dist. 24. q. 1. art. 3.* hi tamen sunt Ostiaratus, Lectoratus, Exorcistatus, Acolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Præsbyteratus, ita D. Thom. cit. quem omnes sequuntur apud *Vasq. eadem par. 3. tom. 3. disp. 236. Henriq. lib. 10. cap. 2. Gregor. de Valent. to. 4. disp. 9. q. 1. pun. 2.*

3 Hinc quæri solet, vtrum Episcopatus sit ordo, & affirmatiuam sententiam amplexi sunt multi apud *Valent. cit. pun. 4. Eman. Sà v. ordo n. 7. Vasq. disp. 240. cap. 3.* ea ratione, quia per Episcopatum confertur specialis potestas, & character, per quem creare possunt sacerdotes. Sed negatiuam firmat *D. Tho. cit. q. 40. art. 5.* ex rationibus per eum, quibus adde, quod alias, ordines essent octo contra communem, licet autem *in c. Diaconos dist. 93. & c. si seruus 20. dist. 54.* appelletur ordo, hoc tamen vel in latissima significatione (vt in introduct. supra fuit dictum) intelligendum est, sicuti in simili Clericatus appellatur

4 ordo *in c. omnium dist. 31. & in c. cum contingat de ætat. & qualit.* imo Sixtus 5. in bulla anni 1588. eum appellat characterem clericalem, & tamen ordinem non esse, sed præparationem ad ordines dicunt omnes, & præcipuè *D. Thom. cit. q. 40. ar. 2. Belar. hoc tit. lib. 2. dist. 9. cap. 2. & nouissimè P. Dia. par. 6. tr. 8. resol. 29. & par. 10. tract. 14. resol.*

5 *14.* Vel ratione dignitatis sacerdotalis, in ea inclusæ; quia non potest quis esse Episcopus, nisi sit sacerdos; Character enim sacerdotalis in assumptione ad Episcopatum extenditur, & perficitur, sicut etiam quando ordinandus, potestatem accipit conficiendi corpus Christi, non dicitur recipere nouum ordinem per potestatem, sibi postea traditam absoluēdi à peccatis, sed priorem extendi, & perfici secundum DD. apud *Bonac. tom. 1. eod. tit. q. vnica pun. 1. n. 3. circa finem*; quam sententiam idem *Nauar. cap. 22. n. 18.* (qui cõtrarium docet)

6 communem Theologorum confitetur; benè verum est Episcopatum esse gradũ maiorem simplici præsbyteratu, nõ quoad sacrificium conficiendum, circa quod parem omnino habent potestatem, sed quo ad iurisdictionem, & honores exteriores, in quo sensu sumitur in c. cum in præterito dist. 83. Verũ Canonistæ putant ordines esse nouem, addendo prædictis septem duos alios, nempe Psalmistatum, qui con-

fun-

funditur cum prima tonsura, & Episcopatum, vt docet *Paul. Lancell. instit. canonic. lib. 1. de ijs, qui sunt in minoribus ordin.* §. *est, & Psalmista. ex c. Psalmista dist. 23. Abb. in c. cum contingat de aetat. & qualit. & Hostien. in summ. tit. de ordin. ab Episc.* Nam vt Deo in Ecclesia Triumphante nouem Angelorum Chori ministrant, sic Christo in Ecclesia militante nouem Clericorum ordines. Sed pro Theologica opinione defendenda. vide DD. cit. supra. & Ioa. Lup. tr. de libert. Eccles.

7 Ad secundum respondetur institutum fuisse hoc sacramentum à Christo, sicut de caeteris suis locis dictum est *Trid. sess. 23. can. 3. hoc tit.* & in nocte Cœnae, qua tradebatur, vt in eod. *Trid. sess. 22. c. 1. ibi, Corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent,*
8 *tradidit. Et eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, praecepit per haec verba, hoc facite in meam commemorationem, vti semper Catholica Ecclesia intellexit, & docuit.* Ex quibus dubium non est eandem omnino potestatem habere quemcumque simplicem sacerdotem in consecratione corporis Christi, quam eundem Pontificem vt percipitur etiam ex *D. Tho. par. 3. q. 82. ar. 1.* hoc idem habetur *in c. accipite de consecrat. dist. 2. apud Luc. cap. 22. & ad Corinth. cap. 11.* vbi quamuis ordo tantum sacerdotalis institutus videatur, omnes tamen alios, tanquam in illo contentos, institutos tunc fuisse docent communiter DD. praecipuè *Valent. ubi supra disp. 9. q. 1. pun. 4. Henriq. lib. 10. cap. 3. num. 6. Regin. lib. 30. n. 6.*

9 Ad tertium respondetur tres fuisse circa hoc opiniones, prima fuit, solùm sacerdotium esse sacramentum, quia si singuli ordines, essent sacramenta, non essent septem, sicuti realiter sunt, & declaratur per *Trid. sess. 24. can. 1. de matrim.* sed tredecim, ergo alij ordines praeter sacerdotium, non sunt sacramenta; secunda fuit aliorum relatorum per *Nauar. cit. nu. 18.* cum quibus ipse pertransit, & postea *Valsq. disp. 237. cap. 2. in princip.* vbi recentiores, volentes tres tantum ordines maiores esse sacramenta, caeteros quatuor sacramentalia; quia illi tres tantùm appellantur sacri, alij verò non sacri; vt dicit etiam *Dia. in summa v. ordo n. 1.*

10 Sed non est discedendum à communi omnium Mag. docente omnes esse sacramenta, sed in ordine ad vnum completũ, & perfectum, quod est sacerdotium, cuius verba *in 4. dist. 24. q. 2. art. 1. quaestiunc. 1. ad 2. sunt videlicet; distinctio ordinum non est totius integralis in partes, neque totius vniuersalis, sed totius potestatiui, cuius haec est natura, quod totum secundum completam rationem est in vno, in alijs autem est aliqua participatio ipsius, & ita est hic. Tota enim*
11 *plenitudo huius Sacramenti est in vno ordine, sc. in sacerdotio, sed in alys est quadam participatio ordinis, & hoc significatum est in hoc, quod Dominus dixit Moysi lib. num. cap. 11. auferam de spiritu tuo, & tradam eis, vt sustentent onus Populi, & ideo omnes ordines sunt vnum sacramentum addit Palud. relatus à Tab. v. ordo 1. num. 5.* vnitate finis, & perfectionis, quia omnes ordinantur ad vnam consecrationem sr. corporis Christi, idem volunt *Valent. cit. aliique per Eman. Sà hoc tit. nu. 1.* ex quibus patet responsio ad obiecta.

12 Ad vltim. respondet idem *Sanct. par. 3. in suppl. q. 35. ar. 2. in corp. & ad 2.* circa hoc tres etiam fuisse opiniones: quidam enim dixerunt, quod in solo ordine sacerdotali character imprimitur; sed hoc non est verum, quia actum Diaconi nullus potest exercere licitè, nisi diaconus, & ita patet, quod habet aliquam spiritualem potestatem in dispensatione sacramentorum, quã alij non habent; & propter hoc alij dixerunt, quod in sacris ordinibus imprimitur character (vt etiam postea dixit *Sotus in 4. dist. 24. q. 1. art. 3. ex D. Paulo 1. ad Timoth. 3. & Act. Apost. 6.*) non autem in minoribus. (quod *ex Magist. senten. Caiet. & alijs probat cit. Sot. d. q. 1. a. 4.*) sed hoc nihil iterũ est, quia per quemlibet ordinem aliquis constituitur super plebem in aliquo gradu potestatis ordinatę ad sacramẽtorum dispensationem, vnde cum character sit signum distinctiuum ab alijs, oportet, quod in omnibus character imprimatur, cuius etiam signum est, quod perpetuo manent, & numquam iterantur; & haec est tertia opinio, quae communior est.

Deinde idem *Sanct. ad 2. ibi, quantumcunque homo ad laicatum se transferat, semper tamen manet in eo character, quod patet*
13 *ex hoc, quod si ad Clericatum reuertatur,* (quem potest propria authoritate reassumere, etiam post delictum commissum,

&

& gaudere priuilegio fori *Ricc.par. 2. decis. 267. P. Dia. par. 4. tract. 1. resol. 18. §. notãdum vbi alij*:) non iterum ordinem, quem habuerat suscipit, quam doctrinam reiterãdo sequitur *Tabie. cit. n. 6.* & est communis omnium, docentium, characterem recipi in primi ordinis collatione, & postea semper dilatari, & perfici in alijs vsque ad vltimum sacerdotij *Valent. tom. 4. disp. 9. q. 1. pun. 4. §. tertia opinio & q. 2. pun. vnico §. secundus effectus. Henriq. lib. 10. cap. 6. n. 2. in fine, & cap. 14. n. 2. Fillinc. tract. 9. cap. 2. qu. 7. n. 44.*

Agitur de materia, & forma Sacramenti ordinis, & num contactus materiarum, eodemque contextu sit de essentia in singulis ordinibus?

SVMMARIVM.

1 *Materia singulorum ordinum, quæ sit remota, & quæ proxima?*

2 *Clericatus, seu prima tonsura fuit instituta à D. Petro cum corona in capite in memoriam coronæ spineæ Saluatoris.*

3 *Ostiariatus materia, tàm remota, quàm proxima, eiusque forma quæ sit, quãdo fuerit institutus, & quando imprimatur character?*

4 *Lectoratus cum materia tàm remota, quàm proxima, eiusque forma, quæ sit, quando fuerit à Christo institutus, & quando extendatur character, idem quæritur de exorcistatu, Acolytatu, Subdiaconatu, Diaconatu, & præsbyteratu. n. 5. vsque ad 11.*

10 *Præsbyter consecratus sacerdos, si moreretur Episcopus ante prolationem illorum verborum, accipe Spiritum Sanctum, &c. haberet potestatem consecrandi, sed non absoluendi à peccatis.*

11 *Vestes, quæ adhibẽdæ sint in singulis ordinibus sacris, & nõ sacris, & quid significent?*

12 *Materiarum contactus per ordinandum, est de necessitate sacramẽti in singulis ordinibus suscipiendis secundum aliquos, sed secundum alios est de necessitate præcepti tantum vsque ad n. 16. & 20.*

17 *Possessio vt acquiratur an sit necessaria apprehensio, vel sufficiat aspectus? & num. 18.*

19 *Ordo quo ad contactum materiarum differt à baptismo, & confirmatione?*

21 *Ordo collatus sacerdoti cum porrectione patenæ hostia, & calice, sed sine vino per obliuionem num sit validus, & n. 22.*

23 *Forma verba in modico variata, firmo remanente eius sensu, validum est sacramentum ordinis, sicut dictum est de cæt.*

Resolutio CXXXVII.

1 Materia singulorum ordinum sicut dictum est de cæteris Sacramentis, est duplex, remota st. & proxima, illa est res, quæ tradenda est ordinando, ista verò est porrectio, seu traditio eiusdem rei eidem, vt latius infra exemplis patebit; Omissa prima tonsura, quæ non est ordo secũdum communem opinionem, de qua in priori resol. & propterea non habet materiam, sed eius loco sunt capilli, qui tondentur, & loco formæ, est figura circularis ad modum coronæ, quæ ei per tonsionem fit, vt docet Dia. ibidem relatus. Siquidem fuit ab Apostolis instituta, seu à
2 D. Petro in memoriam coronæ spineæ, quæ ex spinis contexta, Saluatoris nostri capiti fuit imposita, vt quod impij ad Christi ignominiam, & cruciatum excogitarunt, eo Apostoli ad decus, & gloriam vterentur *Catech. Rom. par. 2. hoc tit. n. 14. ex DD. Areopagita, Hieron. & August. & postea Belarm. eodem tit. cap. 2.*

3 Primus ordo est ostiariatus, cuius munus est templi claues, & ianuam custodire, canes de Ecclesia, excõmunicatos, & infideles prouido iudicio eijcere, cãpanas pulsare, strepitus, clamores, & omnia, quæ celebranti impedimento sũt cohibere *c. Ostiarius dist. 23.* cuius ordinis materia remota, sunt cymbalus, & claues, proxima verò eorum traditio per Episcopum ordinando, qui debet illa tangendo accipere manu dextera; & tũc forma per Episcopum prolata, vt infra, imprimitur character, institutũque fuisse a Christo, quando ementes, & vendentes è Templo eiecit, ait Belarm. citat. vel in vltima Cœna, vt dictum est in priori resol. *n. 7. & 8.* forma verò, sunt verba, quæ per Episcopum eidem ordinando dicuntur, quando prædicta traduntur, quæ sigillatim sicuti, & omnium aliorum ordinum legũtur in *Catech. cit. n. 15. & seq.*

4 Secundus est lectoratus, cuius munus est, libros noui, & veteris testamenti clara voce in Ecclesia recitare, primaque Chri-

Christianæ Religionis rudimenta fideles docere; vnde antiquitus prædicationi vacabat. *c. perlectis dist.* 25. materia remota est liber, in quo prædicta sunt, proxima verò, est eius traditio, & contactus; forma tandem sunt verba per Episcopum proferenda, quorum prolationis tempore, & cõtactus, extenditur character, institutusq; fuit à Christo, quando accepit librum Isaię, legit, clausit, & dedit ministro, vt refert *Luc. cap.* 4. vel in vltima Cœna, vt supra Belar. cit.

5 Tertius est exorcistatus, cuius munus est nomen Domini inuocare erga eos, qui ab immundis spiritibus obsidenrur; vt sunt Energumeni; materia remota est liber, in quo exorcismi continentur; proxima verò, eius traditio, & contactus; & forma sũt verba, quibus prolatis, & contactu secuto, extenditur character, vt dictum est de antecedentibus, & dicetur etiam de subsequentibus; institutusque fuit ab eodem Domino nostro, quando eiecit dæmones ab obsessis, vt legitur *Matth.* 8. *in fine*, & tradit Belarm. vbi supra, vel in vltima Cæna.

6 Quartus, & vltimus inter minores, est Acolytatus, cuius munus est parare materiam necessariam ad Euchàristiam in vasculis non sacris; Subdiacono, & Diacono in Altaris ministerio subseruire, deferre lumina, & assistere, cum missæ sacrificium conficitur, præcipuè quando legitur Euangelium; materia remota istius ordinis, est duplex, nempe candelabrum cũ cereo extinto, & vrceolus vacuus ad significandum Acolyti officium esse, cereum accendere, & vrceolos implere; proxima verò est eorum traditio ordinando, qui debet tangere candelabrum, & saltem vnum vrceolum, institutusque fuit talis ordo à Christo, quando dixit apud *Io. cap.* 8. *Ego sum lux mundi*, vel in vltima Cæna, vt dictum est; forma verò sunt verba, quæ proferuntur per Episcopum in traditione materię *D. Tho. par.* 3. *in supplem. q.* 37. *art.* 2. *in corp.* ex quo omnes sumpserunt *Catech. Rom. & Belar. cit. Henriq. lib.* 10. *cap.* 10. *n.* 1. *litt. E.*

7 Quintus in ordine, & primus inter maiores, est subdiaconatus, cuius munus est, vt nomen ipsum declarat, Diacono inseruire in Altari, sacra lintea, vasa, panẽ, & vinum ad sacrificij vsum necessaria parare, Epistolam in missa legere, missæ sacrificio assistere, crucemque in processionibus deferre; materia remota est calix vacuus cum patena, & liber Epistolarum: proxima verò, eorum traditio ordinando, extenditurque character in traditione calicis, formæ verbis ab Episcopo prolatis, fuitque iste ordo institutus in vltima cæna, & secum trahit obligationem recitandi diuinum officium, habetque annexum votum castitatis *Catech. cit. n.* 19. *Belar. vbi supra. Henriq. lib.* 10. *cap.* 5. *Filliuc. tract.* 9. *c.* 2. *qu.* 2. *n.* 45. Et quamuis antiquitus non numeraretur inter sacros, tamen postea cæptus est numerari. *c. decernimus, & c. nullum dist.* 28. *& cap.* 1. *de Cler. coniug.*

8 Secundus est Diaconatus, cuius munus est Episcopum perpetuo sequi, concionãtem custodire, eique, & sacerdoti in sacrificio assistere, & euangelium legere, materia remota est liber Euangeliorum, proxima verò eius traditio; forma tandem sũt verba, quæ ab Episcopo proferuntur, extenditurque character in traditione libri, institutusq; pariter fuit in vltima cæna *Catech. & Belar. cit. cum Henriq. c.* 7. *Filliuc. q. c. num.* 29.

9 Tertius ordo maior est sacerdotium, cuius munus est conficere Euchatistiam, esse mediatorem inter Deum, & homines, docere populum legem Dei, illique hoc, & alia sacramenta ministrare; materia remota est calix cum vino, & patena cum hostia, proxima verò eorum traditio, quo tempore similiter extenditur character, forma per Episcopum prolata, videlicet, *accipe potestatem offerendi sacrificium Deo.* Quod si

10 Episcopus ante prolationem illorum aliorum verborum, nempe, *accipe Spiritum Sanctum, & quorum remiseris peccata, &c.* cum manuum impositione, per quæ traditur potestas absoluendi à peccatis moreretur, esset iam sacerdos consecratus, *arg. c.* 1. *de sacram. non itera.* & consecrandi potestatem, sed non absoluendi haberet *Suar. tom.* 5. *disp.* 42. *art.* 4. *&* 13. *Valent. to.* 4. *disp.* 9. *q.* 1. *pun.* 5. *Henriq. cit. & in par. Catech. & Belar. vbi sup. & vide Sot. in* 4. *dist.* 24. *quast.* 1. *art.* 4. *concl.* 5. *grauiter discurrentem ex D. Thoma mente.* Cæremoniæ verò adhibendę in consecrationibus prædictis leguntur in Pontif. Rom. institutusque fuit hic ordo sicut de cæteris dictum

11 fuit à Christo in vltima Cæna: de vestibus autem adhibendis in prædictis ordinibus, earumque significatu discurrit sigillatim

Bo-

Bonac. tom. 1. disp. 8. q. vnica pun. 5. à nu. 62.
vsque ad finem.
12 Ad secundum respondet *Bonac. cit. pun.*
3. n. 11. contactum prædictũ adeo esse de
essentia, vt minimè censeatur ordinatus,
qui materiam realiter, & physicè non tan-
git; citat *D. Thom. in suppl. par. 3. qu. 38. art.*
5. qui hoc ibi non dicit, & vlterius *Sylu.*
Valent. Henriq. Vasq. Eman. Sà v. ordo nu. 3.
& Regin. lib. 36. n. 8. quam opinionem, licet
appellauerit probabilem *P. Dia. par. 2. trac.*
16. resol. 3. illam tamen respuit postea *par.*
3. tract. 4. resol. 185. loquendo de necessita-
13 te sacramenti. De necessitate verò præ-
cepti tenetur ordinandus ex Rituali Rom.
tangere saltem calicem, & patenam licet
non tangat hostiam *Coninch. disp. 20. dub. 7.*
n. 71. conclus. 6. imo sufficeret tangere solũ
calicem, etiam ex vi præcepti, quamuis
ad omnẽ bonum finẽ, etiam circumscrip-
to præcepto, debeant ordinandi diligen-
ter curare, vt in ordinatione subdiacona-
tus tangatur calix cum patena: in diaco-
natus liber Euangeliorum; in Præsbitera-
tus calix cum vino, patena, & hostia. *Vil-*
lalob. in summa tom. 1. tract. 11. diffic. 4. nu. 3.
Io. de la Crux. in direct. conscient. par. 2. de
Sacram. ordin. dub. 2. concl. 1. & alij.
14 Hanc tamen quæstionem D. Tho. vide-
tur reliquisse sub dubio *in 4. dist. 24. q. 1. a.*
2. in fine ibi, quia enim potestas ordinis non
accipitur à materia, sed à ministro principa-
liter, ideo porrectio materiæ magis est de es-
sentia Sacramenti, quàm tactus: tamen ipsa
verba formæ videntur ostendere, quod tactus
materiæ sit de essentia Sacramenti, quia dici-
tur accipe hoc, vel illud; propterea *Tab. v.*
ordo 2. n. 1. post recitatas multorũ opinio-
nes laudat contactum realem, & quod
sufficiat per vnam, vel alteram manum,
vel etiam per vnum digitum; sed ex eodẽ
D. Tho. Alber. & alijs tenet non esse de
substantia sacramenti, nisi solam porrecti-
onem materiarum.
15 Quam opinionem multi DD. compro-
bant apud *P. Dia. d. resol. 185. §. Sed ego,*
præcipuè *Layman in Theol. moral. lib. 5. tr.*
9. cap. 5. n. 4. qui respondet contrarijs dicẽ-
do, *illud verbum, accipe, significare solum*
spiritualem potestatem ordinando conferendã
per exhibitionem symboli externi, quo colla-
tio talis potestatis significatur: quare negandũ
est, verbum illud ex necessitate sacramenti
referri ad eum, qui ordinandus est, vt capiat
seu manu tangat extremum symbolum. Cur n.
16 *necessario illud tangere debeat, non video a-*
liam causam afferri posse, nisi vt traditio pote-
statis ab illo acceptetur; id verò dici non potest
cum sacramentum istud non consistat in con-
tactu aliquo, sicut matrimonium, quod pro-
inde traditionem, & acceptationem postulat,
sed neque ad ipsum matrimonij contractum,
corporum contactus necessario requiritur, cum
alia signa mutuæ traditionis, & acceptationis
exhiberi possint; quanto igitur magis cum
traditio spiritualis potestatis fieri possit sine
reali contactu per solam exhibitionem symboli
factam homini præsenti. hæc ille.
Hanc idem conatus est probare idem
P. Dia. d. par. 2. resol. 3. tract. 16. (licet
ibidem contrariam appellauerit probabi-
lem, vt dictum est) cum illo legali medio,
quia vere (ait ipse) dicitur quis accipere
equum, vel nummos in suos, licet illos
non tangat; modo sit ostensio præsens,
qua tradantur, & ab ipso acceptentur, si-
cuti etiam potest acquiri possessio, & esse
17 vera traditio sine reali apprehensione,
modo fiat per aliquod signum exterius.
Verum pro istis firmandis nihil allegat: &
propterea sic indistincta (cum pace) ve-
ra non sunt: nam si hæc eadem bona, vel
quæcunque alia sint vacantia, vel pro de-
relicto habita, requiritur realis apprehẽ-
sio *l. 1. ff. de acquir. possess. ibi. Item bello*
capta; insula in mari nata, & gemmæ lapilli,
& margaritæ in littoribus inuentæ, eius fiunt,
qui primus eorum possessionem nactus est; idem
in §. insula instit. de rerum diuis. ibi occupan-
tis fit &c. ergo sine reali apprehensione,
possessio eorum minimè acquiritur.
18 Si verò sint ab aliquo possessa, qui ea
tradere alteri velit, & tunc verum est ab-
sque reali apprehensione per aspectũ ac-
quiri, & ratio est secundum *Gl. in d. l. 1. v.*
qui primi, quia isto casu concurrit traden-
tis, & acquirentis consensus *l. quod meo*
§. si venditorem ff. eodem ibi si vendito-
rem, quod emerim, deponere in domo mea
iusserim, possidere me certum est, quamquam
id nemo attigerit; Aut si vicinum mihi fundũ
mercatum venditor ex mea turre demonstret,
vacuamque possessionem se tradere dicat, non
minus possidere cœpi, quam si pedem finibus
intulissem. Ex quibus licet requireretur
pro forma traditio, seu porrectio materiæ
ab Episcopo in ordinatione, videtur tamẽ
sufficere etiam solus aspectus cum cõsen-
su ex parte vtriusque; dico ergo non esse
necessarium ex parte ordinandorum ma-

teriarum contactum de necessitate Sacramenti.

19 Rationes autem Bonac. & sequacium loco cit. facilè resoluuntur, non n. est eadem ratio inter hoc Sacramentum, & baptismum, confirmationem, & extremam vnctionem, vt ipsi putant, quia vt rectè docet *Dia. d. resol. 3.* non dicitur quis lauari, vel vngi, sicut ibi requiritur, nisi aqua, vel oleum attingendo lauent corpus, seu eius partem, sed in contactu requisito materiarum sufficit aspectus ordinandi, vt diximus, qui habet eundem effectum, ac cõtactus, & proinde dum est diuersa ratio, diuersa etiam est iuris dispositio *l. Papinianus exuli ff. de minor l. illud à contrario sensu ff. ad l. Aquil.*

20 Imo vt etiam fatentur contrarij apud *Bonac. cit. n. 12.* nequidem de necessitate præcepti opus est, vt eodem instanti, quo verba formę proferuntur, tangantur materiæ, sed sufficit vtrumque fieri simul moraliter, idest paulo ante, vel post verba ordinantis *Eman. Sà hoc tit. n. 5. Valent. to. 4. disp. 9. q. 1. pun. 4.* Quod ex eo clarius patet, quia etiam in ordinatione Præsbiterorum, qui est ordo omnibus maior, sufficit vnica forma in plurali per Episcopum prolata, præbere materiam pluribus successiuè tangendam, forma non repetita, quia censentur materia, & forma simul moraliter inesse, & ita fuisse decisum in Vrbe, testatur *Martin. Fornar. de ordinatione cap. 2. n. 5.* quia quæ incontinenti fiũt, censentur inesse *l. lecta si cert. pet.*

21 Sed quæritur, num valida sit ordinatio sacerdotis, si porrecta patena cum hostia, vinum intra calicem ex obliuione appositum non sit? *Henriq. lib. 10. cap. 6. n. 1.* putat non esse iterãdum de necessitate sacramẽtum, cum quo pertransit *Bonac. to. 1. disp. 8. q. vnica pun. 3. n. 3.* quod probabile appellant Homobonus, Filliuc. & alij apud *Dia. par. 3. tract. 4. resol. 186.* Cum autem hic casus accidisset in partibus Hispaniarum, vt refert *Villalob. in summa tom. 1. tract. 11. diffic. 4. n. 1.* decisum fuit esse repetendum sub conditione, cuius verba sunt, videlicet, *si sucedieße en platica (como ha sucedido vezes en estos tiempos) dexar deponer el vino en el caliz por desuido, hase de reiterar el Sacramento de baxo de condition, como se hizo en estos tiempos, y deste parecer fueron los mas doctos desta vniuersidad de Salamanca à cerca dello.*

22 Sed P. *Dia.* vbi supra sequitur opinionem Henriq. quam postea videtur negasse *par. 4. tract. 4. resol. 119.* vbi DD. per ipsum allegati volunt simpliciter, obligationem esse recipiendi iterum sacerdotium per veram materiam, & formam, sed latius *par. 6. tract. 8. resol. 22. in fine*, sequitur Villalob. cuius sententiam ego libentissimè amplector, tum quia per conditionem non fit iniuria sacramento; tum etiam ratione maioris securitatis, & damni proximorum vitandi, quia si talis homo vere non esset sacerdos, non conficeret sacramentum Eucharistiæ, nec validè absolueret à peccatis, ex quibus tantum detrimentum illis sequeretur. Non omittam

23 tandem id, quod de cæteris Sacramentis dictum est, nempe modicam variationem verborum formæ, dummodo sensus eiusdem formę non mutetur, non Inualidare hoc sacramentum, nec inuocationem sanctissimæ Trinitatis esse de essentia huius formæ, sicut est in baptismo, & confirmatione, ita *Henriq. lib. 3. cap. 2. n. 4. Filliuc. & aly. loc. cit. cum Bonac. vbi supra n. 4.*

De ministro Sacramenti ordinis, cuius occasione multa dubia ad id attinentia diluuntur.

SVMMARIVM.

1 *Ordinum minister est proprius Episcopus, & nullus inferior; de licentia vero Põtificis potest simplex sacerdos ordines tãtum minores conferre & n. 2.*

3 *Episcopus degradatus, vel quomodolibet suspensus, imo hæreticus, valide confert ordines, sed sine gratia, imo ordinatus ab eo, est suspensus, cessante ignorantia inculpabili num. 4. Ex quadruplici causa si non sit impeditus, est legitimus minister in collatione ordinum, & quæ illæ sint? extra quas ordinans suspenditur à collatione ordinis dati, sicuti etiam ordinatus ab eius exercitio nu. 6. vsque ad 9.*

10 *Domicilium numquam potest acquiri, nisi constet de animo habitantis, sed ex quibus cognoscatur?*

11 *Ciuilitas Neapolitana quomodo acquiratur ratione domicily ex praxi Curiæ Archiepisc. Neap.?*

12 *Episcopus quomodo fiat competens ratione beneficy in ordinum collatione, & quid si bene-*

beneficium ad victum non sufficiat, vel sit in aliena diœcesi, & in alia domicilium. an competat variatio? n. 13. An, & quādo possit ordinare suum familiarem alias sibi non subditum; & quid si ei non assistit, sed in Ciuitate remota sumptibus tamen ipsius n. 14. vsque ad 17.

18 *Litteræ dimissoriæ ad ordines suscipiendos, an, & quando sicut possunt à Vicario cōcedi in Episcopi absentia, ita etiam possint à Capitulo sede vacante?*

19 *Ordinari quis non potest legitimè ab Episcopo non suo, etiam cum breui Apostolico absque litteris saltem commendatitijs ordinarij, quid de Regularibus? nu. 20. & qui de ordinatis furtiuè? n. 21.*

Resolutio CXXXVIII.

1 Ordinarius minister istius sacramenti est proprius Episcopus, & nullus eius inferior, vt declaratur per *Triden. sess. 23. cap. 5. can. 7. hoc tit.* sed de licentia summi Pontificis potest etiam simplex sacerdos ordines minores, non autem maiores conferre *Henriq. lib. 10. cap. 23. n. 1. Regin. lib. 30. tract. 1. n. 11. Suar. tom. 1. disp. 11. sect. 1. n. 6.* quod ante eos docuit, & rationem assignauit *D. Tho. par. 3. in suppl. q. 38. ar. 1.*

2 *ad 3.* videlicet. *Papa, qui habet plenitudinem potestatis, potest committere non Episcopo ea, quæ ad Episcopalem dignitatem pertinēt, dummodo illa non habeant immediatam relationē ad verum corpus Christi, & ideo ex eius commissione aliquis sacerdos simplex, potest conferre minores ordines, & confirmare, non autem aliquis non sacerdos; nec iterum sacerdos maiores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi, supra quod consecrandum Papa non habet maiorem potestatem, quā simplex sacerdos.*

3 Episcopus autem, si in hæresim lapsus est, vel degradatus, aut quouis modo ab Ecclesia præcisus, potest hoc, & alia sacramenta, excepta pœnitentia extra mortis artic. validè conferre, quia vt August. tract. 4. sup. Io. ait Sacramētorū minister, non sua propria, sed Christi facultate confert *c. non nocet, & c. baptismus de consecr. dist. 4.* verum cum eis gratiam non tribuit, hoc tñ nō est propter eorum inefficaciam, sed propter peccata recipientiū illa ab eo contra prohibitionem Ecclesiæ, vt tradit idem *Sanct. loco cit. ar. 2. in corp.* imò ordinatus ab ipso incurrit suspensionē *c. si quis hæretica 1. qu. 1. & c. ab excommunicatis 9. q. 1. Henriq. cit.*

4 *cap. 21. Vasq. disp. 243. & 245.* Et addit *Suar. de censur. disp. 31. sect. 2. num. 62.* hanc pœnam incurri etiam ab ignorante, quē tamen meritò reijcit *P. Dian. par. 5. tract. 10. resol. 39.* quia iura per eum allegata debent intelligi de ignorantia culpabili, non autem inculpabili, sicuti est ignorantia facti alieni, vt supponitur ista, quæ regulariter excusat *l. regula ff. de iur. & facti ignor.* quod si talis esset, vt ille solus ignoraret in ciuitate, quod omnes sciunt, tunc ignorantia non excusaret, vt ait idem *l. C. ibidem §. sed facti*, quia hæc est crassa, & vincibilis.

5 Verum istam potestatem legitimè ordinandi, quam habet proprius Episcopus, ex quadruplici causa ei competere potest, vel ratione originis, vel domicilij, vel beneficij, vel familiaritatis ordinandorum *c. 3. de tempor. ordin. in 6. Trid. sess. 23. cap. 8. de reform.* quod si ex nulla ex his causis ad se pertineret ordinatio, & tamen ordinaret, remaneret suspensus per annum à collatione ordinis dati, & interim alij sui subditi, patefacta eius suspensione, possent absque alia eius licentia à vicinis Episcopis ordinàri *cap. 2. eod. tit. & lib.* quo ad ordinatos verò ab illo, valida esset ordinum collatio, sed remanerent suspensi ab executione illorum, donec proprius Episcopus talem illegitimam collationem ratam haberet *c. 1. & toto fere tit. præcipuè c. fin. 9. q. 2. c. illud quoque vbi Gl. v. ordinatio dist. 71. c. 2. & seq. de tempor. ordinat. lib. 6. Trid. sess. 23. c. ordinationes 8. de reform.*

6 Quam tamen suspensionem circa ordinatos, tolli posse ab eodem Episcopo ordinante propter generalem potestatem sibi per idem Trid. traditam *sess. 24. cap. licet 6.* si modo delictum sit occultum probare conatur *Bonac. tom. 1. hoc tit. pun. 4. n. 26.* quod si verum esset, posset eodem modo extēdi ad eundem Episcopum, concedendo alteri potestatem sibi tollendi suspensionē, quia quod potest in beneficium aliorum, potest etiam pro se ipso *Sylu. v. confessor 1. q. 9. Suar. tom. 5. disp. 41. sect. 2. nu. 9. Sayr. lib. 7. cap. 14. n. 5. Dian. in summa v. absoluere à reseru. n. 6.* Sed hoc esset aperire viam fraudibus, quod generaliter prohibetur *l. 1. & toto fere tit. ff. quæ in fraud. credit.* vnusquisque enim Episcopus ordinando non subditos, posset suspensionem tollere, & insimul leges prædictas, illam in-

inserẽtes, quod propterea verum nõ puto.
7 Incurritur ergo hæc suspẽsio per cõferentem, & recipientem scienter etiam primam tonsuram in aliena diœcesi, tàm si sint sui subditi, quàm alterius Episcopi sine istius licentia, vel literis dimissorialibus, vnde *Rota Rom. teste Verallo dec. 126. par. 1. apud. Ricc. resol. 297.* censuit promotũ à non suo ordinario esse malè promotum *ex c. fin. de tempor. ordin. in 6.* & quamuis male promotus habeat characterem Clericatus, non tamen habere executionem illius, & ita fuit nouissimè practicatum Neap. contra filium Præsid. Amendolæ promotum ad Clericatum ab Episcopo Nuceriæ paganorum, à quo etiam beneficium obtinuerat, dum spectabat ad Neapolitanum, & propterea fuit eius causa à Iudice seculari cognita.
8 Episcopus autem originis dicitur ille, in cuius diœcesi natus est ordinandus, vel eius pater, secus si alibi natus esset, vbi parentes itineris causa casualiter transijssent *Vasq. 3. par. disp. 243. n. 56.* quod probatur *in l. 3. C. de municip. lib. 10.* (vbi dicit Gl. quod si Auus fuit aliunde, non sequitur eum nepos; alias oporteret quærere vbi Adam natus fuit, quod dicitur fuisse in agro Damasceno,) *Molfes. in summa tom. 1. tract. 2. cap. 2. n. 7. Barb. de potest. Episc. par. 2. alleg. 4. n. 7. Ricc. resol. 298. in secunda editione, & ita fuisse pluries decisum per Sac. Congreg. testatur P. Dian. par. 4. tract. 4. resol. 148.* si tamen extendatur ad natiuitatem Aui, & quandoque matris lege *Barbos. tr. de indic. ad l. hæres. absens de iudic. & in l. assumptio, & l. libertus ff. ad municipa.* sed clarius hoc docent *Boer. decis. 13. n. 3. Cæsar. de Graff. dec. 15. n. 15 de probat. & plenius Griuell. decis. dolan. 123. n. 7.* vbi generaliter probat, quem originem trahere ex loco, in quo eius parentes, vel alij maiores nati sunt confert *Cochier. sup. reg. 15. alias 16. Cancellar. n. 45.*
9 Episcopus domicilij dicitur ille, in cuius diœcesi quis habitauit per decennium iuxta *tex. in l. 2. C. de incol. lib. 10.* qui tamen est intelligendus iuxta explicationẽ DD. *per Rou sup. pragm. 1. de immunit. Neapolit. st.* quando quis domicilium suum transtulit in aliquem locum cum animo vero, & non ficto, ibi perpetuo permanendi; tunc enim absque alio priuilegio efficitur verè ciuis illius loci de iure communi, ac si ibi natus esset *Afflict. decis. 384. n. 6.* & in tantum requiritur habitatio per decennium, quatenus aliunde non constat de animo domicilium acquirendi; quod si aliunde constat, absque alia temporis expectatione, domicilium acquiritur *Abb. in c. fin. de Paroch. Felin. in c. dilectus il secondo post nu. 12. de rescript. Argent. in consuet. Britan. ar. 449. Gl. 1. in fine.* vbi ait, quod vno solo die cõstituitur quis ciuis, si de voluntate appareat. *vide cit. Barbos. art. de foro domicilij.* vbi optimè de vero, ficto, & præsumpto domicilio tractat.
10 Ex contrario licet quis habitauerit alicubi per decennium, & vltra, sed ex alijs coniecturis appareat animus recedendi, numquam dicitur acquisitum domicilium *Felin. cit. Bar. in l. lex Cornelia §. si tamen ff. de iniur. idem Bar. & Angel. in l. hæres absens §. 1. de iudic.* nec sufficit declaratio, voce tantum facta ab habitante, nisi concurrat etiam aliquod factum, vt ex duabus Gl. tradit idem Rouit. cit. cum exemplo primi casus, vt si quis venditis bonis omnibus, aut maiori parte, quæ habebat in propria Patria, se transtulit eum tota familia ad alibi habitandum, ibique alia bona emit. Exemplum secundi est, quando quis gerendi magistratus, legationis, exilij, aut studij causa ad aliquem locum ierit, tunc semper præsumitur animus redeundi cessante causa.
11 In Curia tamen Archiepisc. Neap. seruatur capi informationem de prædictis, & constito, interponitur decretũ quẽ esse ciuem Neapolit. quibus peractis conferuntur ordines absque litteris dimissorijs *Ricc. resol. 304. in prima editione.*
12 Episcopus beneficij est, in cuius diœcesi quis habet beneficium ecclesiasticum, etiã non residentiale, quia tex. *in c. 3. de tempor. ordin. in 6.* generaliter loquitur, & generaliter est intelligendus ad regulam *l. de pretio ff. de public. in rem act. Henriq. lib. 10. cap. 24. n. 1. Ricc. resol. 299.* imò & quod magis est, etiam si beneficiũ non esset maioris reditus duorum scutorum, vt ex simili decisione S. Congreg. tradit *P. Dia. part. 4. tract. 4. resol. 51. & par. 6. tract. 8. resol. 24.* contrarium tamen fuisse resolutum in Curia Archiep. Neap. testatur *Ricc. resol. 301.* nempe non prodesse beneficium, nisi saltem cum patrimonio sufficiat ad victum; ad tollendam fraudem, vt etiam dicit *Bonac. tom. 1. hoc tit. pun. 4. n. 14.* verum DD, apud eundem *Dian. par. 11. tract. 4. resol. 1.* di-

dicunt non esse talem fraudem in consideratione, etiam si quis nouiter fundaret in aliena diœcesi beneficium duorum aureorum ad finem se eximendi ab Episcopo domicilij, quia vtitur iure suo, qnod hanc potestatem ratione beneficij tribuit *d.c.3.* bene verum est, quod vt possit ordinari in sacris, opus est habere patrimoniũ sufficiens cum beneficio ad victum iuxta *Trid.cap.2.sess.21.de reform.* vt benè dicunt cit. DD. in contrarium, qui ita intelligi debent, Verum post hæc scripta dixit mihi Eminentiss. D. Gualterius, dum eum informabam de causa consimili fuisse per S. Congr. nouissimè decisum, quod quando constat de fraude in fundatione beneficij, non possit hoc fieri.

13 Addit etiam *d. resol. 24. Dia.* oriundum ex certa diœcesi, habentem domicilium in alia, & in alia beneficium, posse pro eius arbitrio à quolibet Episcopo eorũ locorũ ordinari: quod proportionabiliter rectè etiam dicit de habente plura domicilia, vel beneficia in diuersis locis sita, sed hoc restringit *Ricc. resol.306. in fine*, quãdo ordinandus sumpsit aliquem ordinem ab vno ex prædictis, vt non possit variando sumere cæteros ab alijs. Ego verò puto eum in hoc falli tum ex *l.eum qui certarum §. cum pure ff. de verb.obligat.* (vbi qui potest eligère, potest variare) tũ ẽt *ex l.vni.C. quãdo Imper.inter pupill.& vid.* vbi permittitur generaliter electio, & variatio *Afflict. in const. Regn. statuimus vt magnæ num. 25. Achill. de Grassis dec.15. Balb.decis.25. Carauit.super ritib. M.C.V. 228. 229. & 233.* prout ex multis alijs concludit idem *P. Dian. in alia resol. quæ est 35.par.6. tr.7.*

14 Potest quarto, & vltimo Episcopus ex *Trid.sess.23. cap.9.* ordinare suum familiarem non subditum, qui per triennium fuerit secum commoratus (dummodo beneficium quacunque fraude cessante statim illi conferat) in ordinibus sacris, & non sacris, & à fortiori primam tonsuram tantum conferre *Suar.de censur.disp.31.sect.1. n.15. Henriq. lib.10. cap.12. nu.1. Regin.lib. 32. sub n.69. Ricc. resol. 307. Quaranta ex decis. Rotæ v. ordo versic. circa secundum*, etiam si familiaritas initium habuisset ante assumptionem ad Episcopatum, vt fuisse decisum per S. Congreg. testatur idem *Ricc. res. 310.* quod limitatur in familiari non assistente Episcopo, sed manente in Ciuitate remota, etiam si ibi viuat sumptibus Episcopi, qui non potest à longe cognoscere mores sui familiaris; quæ est mens Trid. vt dicunt Quar.& Ricc. cit.

15 Limita secundo, quando beneficiũ nõ fuit statim ordinato collatum, vt concilium requirit, sed post sex menses, vt fuit decisum in Archiepiscopali Curia Neap. apud eundem *Ricc. resol. 308.* vbi dicit dictionem (statim) intelligi infra tres dies, vel ad summum 10. Vnde per S. Congregationem declaratũ fuit non satisfecisse Concilio Episcopum, qui suo familiari, collata prima tonsura post 11. menses contulerat beneficium, vt *in declar. eiusdem Concily d.sess.23. cap.9.* Limita tertio, quãdo tempus triennale non fuisset continuũ, nisi absentia esset modica, vel causa infirmitatis, vt fuisse resolutum in eadem Curia, refert idem *Ricc.resol.309.* Amplia quando Episcopus contulit familiari beneficium in sua diœcesi, tunc non expectato triennio potest eum ordinare, vt dicit *Dia.par.4.tract.4.resol. 145.in fine.* quæ ampliatio videtur superflua cum scitum sit ratione beneficij posse Episcopum ordinare beneficiatum, si id possidet in sua diœcesi, vt supra dictum est, nulla habita ratione familiaritatis.

16 Qua de re excitato dubio in citatis declarationibus in fine, videlt, quare requirat tex. in præsenti in familiari triennium, & beneficium, si sufficit beneficium? respondent multa cumulando *Zerola in praxi Episc.p.2. §. dimissoria ad ordines nu.1. & v. ordo versic. quinto dubitatur. Rota diuersor.731. Farin.decis. 222. vbi resoluit, quod beneficium est statim re ipsa conferendum, alias si post aliquos menses, non satisfacit concilio. hæc ibi*, sed dicta responsio meo videri non tollit difficultatẽ. Propterea dicendũ est, quod quando quis ordinatur in maioribus, vel minoribus, vel etiam initiatur prima tonsura, vt supra ab Episcopo ratione beneficij, opus est, vt beneficium possideat in territorio eiusdem Episcopi iuxta dispositionem relati *c.cum nullus 3. de tẽp. ordin. in 6.* quando verò ratione familiaritatis, sufficit habere beneficium alibi, quãuis non in territorio Episcopi, cui per triennium inseruiuit, quod procedit ex dispositione alterius capitis eiusdem Triden. nempe *2. sess.21.de reform.* quod est generaliter statutum ne ordinatus, non habens vnde viuat, cogatur cum ordinis dedecore mendicare; cui etiam satisfit si ordinatus

tus, pacifice possideat pensionem, vel patrimonium ad victum sufficientia, vt in *d. c.2.* & ita audiui sæpè ab Episcopis practicatum, quo modo familiaritas est profi-
17 cua. Verum si quis obtineret beneficium in fraudem, & illius intuitu ordinaretur à suo Episcopo, quamuis illicita esset ordinatio, valida nihilominus remaneret, cum suppositione tamen pœnis statutis in *c. 2. de tempor. ordin.in 6. secundum Guid. Pap. decis.449. Franc. Marc. decis.445. & eundem Ricc. res. 303. in fine.*
18 Sed vtrum sicut potest Episcopus, vel eius Vicarius in illius absentia vltra montes, vel etiam vltra dietam, vt dicit *Gl. in c. 3. v. remotis de tempor.ordin. in 6.* concedere litteras dimissoriales ordinãdis *ex d. c. 3. & c. 1. dist. 72. Seraph. dec. 985. num. 3. Barb. de offic. & potest. Episc. p2. alleg. 7. n. 4.* possit etiam hoc facere Capitulum Sede vacante? Respondetur negatiuè *ex Trid. cap. 10. sess. 7. & sess. 23. c. 10. de reform.* nisi transacto anno à die vacationis sub pœna suspensionis ad beneplacitum futuri Prælati quoad ordinatum in sacris, in prima verò tonsura non gaudet fori priuilegio, & interdicti quo ad capitulum cum suspẽsione per annum ab officio, & beneficio, quam tamen pœnam in capitulo non intelligi de prima tonsura censuit *S. C. vt in declar. Conc. post cit. sess. 7. cap. 10. n. 3.* vide etiam *Ricc. resol. 472. n. 8.* licet olim *ex d. c. 3.* totum hoc ei permitteretur de iure cõmuni, verum creato Vicario, quod potest quandocumque capitulum facere, illc nõ impeditur concedere dimissoriales.
19 Præterea est notandum, quod si quis obtinuit breue apostolicum, vt possit à quocunque Episcopo ordinari, licet non egeat propterea litteris dimissorijs, indiget tamen testimonialibus proprij ordinarij, in quibus probitatem, & mores suos commendet, sine quibus ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sũt suspensi, vt fuit statutum in eod. *Trid. sess. 23. cap. 8. de reform. Henriq. lib. 13. cap. 3. v.*
20 *bi cæteri.* Circa verò regulares idem ius videtur statutum, etiam si habeant similia breuia, dum in multis æquiparantur secularibus circa ordinationem priuilegijs, quibuscũque, quoad hoc penitus exclusis *ex Trid. sess. 23. cap. 12. eod. tit. cit. vide etiã Dia. par. 6. tract. 7. resol. 35. in fine, ibi, & certè hodie ex vi decreti Clem. 8. regulares non audent mittere subditos pro suscipiendis ordinibus, nisi ad Episcopos Diœcesanos, sed quando agitur de litteris commendatitijs tantum, credo sufficere illas suorum superiorum, qui melius alijs possunt esse informati de vita, & moribus suorum subditorum.* Si tamen suspensionem incurrerent, possunt absolui à suis superioribus regularibus, vt probat idem *Dia. par. 3. tr. 2. resol. 85.*
21 Est etiam notandum, suscipientes ordines furtiuè, idest sine approbatione, & examine, si contra tales erat lata antea excommunicatio per Prælatum ordinantem, vt fieri solet, sunt suspensi ab executione ordinum cum reseruatione absolutionis Pontifici, si secus absoluit idem Episcopus *c. 1. & 3. de eo, qui furtiuè ordin. suscep. Henriq. lib. 10. cap. 20. Bonac. de censur. disp. 7. q. 3. pun. 4. n. 5. imo Suar. to. 5. disp. 42. sect. 3. nu. 5.* vult fieri etiam irregulares, si ante licentiam obtentam, in illis ministrauerint, quod puto verum ex iuribus modo cit.

Agitur de subiecto ordinis, & alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Ordines validè, sed non legitimè conferũtur etiam infantibus, & furiosis, vel à dæmone obsessis, dummodo sint baptizati, sunt tamen suspensi, nec tenentur ad votum castitatis, nisi illud adueniente ætate ratificauerint verbo, vel facto per exercitium ordinis: Episcopus autem ordinans peccat grauissimè? & n. 2. & 3.*
4 *Hæreticus validè similiter ordinatur, sed non legitimè, & ideo ordinans, & ordinatus peccant mortaliter, sed feminæ nec licitè, nec validè ordinari possunt. n. 5. & quid de Hermaphroditis? n. 6.*
7 *Confirmationis sacramentum non est necessarium simpliciter ordinando, citra contemptum, sed an prima tonsura? n. 8. vbi de ætate in omnibus ordinibus requisita, quod si ante eam, ordinatio fiat, incurritur suspensio, qua durãte si quis celebrat, contrahit irregularitatẽ, si comes non sit ignorantia inuincibilis, n. 9. 10. & 11.*
12 *Episcopus si ordinetur ante trigesimum annum*

num vt supra nu.8. censetur Pontificem dispensasse.

13 *Litteræ dimissoriales debent expediri à propria Episcopo, quando ordines sunt conferendi ab alieno, alias ordinati, sunt suspensi; item de scientia ordinandorum, & an debeat stari ipsis dimissorijs absque nouo examine? num. 14. & de beneficio, vel patrimonio in ordinando requisitis vsque ad n. 19.*

20 *Interstitia temporum sunt seruanda ab Episcopis in ordinatione, qui possunt dispensare super illis sed non sine causa legitima, cum regularibus verò dispensant sui Prælati, sed neutro casu, quamnis dispensare non possent, censuram aliquam incurrunt, & num. 21. vsque ad 27.*

22 *Ordines duo maiores vna die suscipi non possunt sub pœna suspensionis.*

23 *Ordinatus per saltum est ipso iure suspensus ab ordine, taliter suscepto, per cuius exercitium fit irregularis cum reseruatione absolutionis Pontifici. debet suscipere ordines omissos ab Episcopo, postquam fuerit à suspensione incursa absolutus, si non exercuerit ordinem per saltum receptum n.24.*

28 *Irregulares omnes, tàm ex delicto, quàm defectu arcentur ab ordinis sacramento, sicuti etiam censura aliqua ligati, necnon serui, & alij vsque ad n.30.*

31 *Episcopus nō potest quis esse, si uxorem habeat, nisi ipsa fiat monialis legitimè profitendo.*

32 *Vir non potest ad religionem transire, nisi vxor fiat etiam monialis, vel saltem sit ita senex, quod possit sine suspicione in sæculo remanere, prænto castitatis voto, & quid si vellet fieri sacerdos. n. 33.*

34 *Intentio ordinandi an sit necessaria in hoc sacramento de necessitate medij, vel saltem præcepti? nu. 35. vsque ad finem.*

38 *Originale peccatum licet infantibus remittatur per baptismum, Ecclesia pro eis intentionem supplente, furiosis tamen nequaquam, si baptizentur, nisi tales semper extitissent.*

Resolutio CXXXIX.

1 ORdo supponit baptismum, sicuti etiam supponunt cætera sacramenta, quia ille est ianua omnium sacramentorū, & propterea omnis masculus baptizatus
est capax ordinis, etiam si sit infans, rationis vsu carens *D.Tho. par. 3.supplem.q.39. art. 2. corp.* ac etiam furiosus, vel à dæmone obsessus *c. quamuis 7.q. 1. & c. maritum, vbi Gl. v. in furiam iuncto c. communiter 33. dist.* qui quidem Sanctus distinctione facta circa pueros, rationis vsu carentes, & non carentes subdit postea, vi-
2 delicet. *In minoribus ordinibus requiritur discretionis tempus de honestate propter dignitatem sacramenti, sed non de necessitate præcepti, neque sacramenti (contra Duran. in 4. dist. 24. q.2. quem reijciunt Sot.ibi. q.1.ar.2. aliique ex tit. de Cleric. per saltum promo.) vnde aliqui, si necessitas adsit, & spes profectus, possunt ad minores ordines ante annos discretionis promoueri sine peccato; sed ad maiores ordines requiritur vsus rationis de honestate, & necessitate præcepti propter votum continentiæ, quod habet annexum; & quia etiam eis sacramenta tractanda committuntur Catech. Rom. sub hoc tit. n. 33. & Belar. eod. tit. cap. 3. Nauar. in summa cap.25. nu. 70.* dicit peccare primos, si rationis vsu polleant, & ante legitimam ætatem ordinentur, & esse suspensos ipso iure secundos, imo irregulares, si illo ordine vtantur, vt infra *n. 9.* Episcopum autem ordinantē, certum est etiam grauissimè peccare propter iniuriam, quam irrogat sacramento.
3 Sed non tenentur infantes, nec furiosi voto castitatis in ordinibus sacris contento, post quam rationis vsus accesserit, nisi illud ratificauerint verbo, vel facto per exercitium ordinis, quia votum est promissio spontaneæ voluntatis cum deliberatione, quibus isti carent *Azor. lib. 13. cap. 14 q. 9. Henriq. lib. 10.c.14. nu.3. in fine, & alij*
4 *communiter*, & dictum est etiam supra *resol.108. n.6.* Addit *Bonac. to.1. hoc tit. pun.5. nu.1.* etiam hæreticum esse capacem ordinis, & à fortiori excommunicatum, seu qualibet alia censura irretitum; sed agentem, & patientem peccare grauissimè.
5 Feminæ verò ab hoc Sacramento arcētur *c. sacratas dist. 23. D.Thom. cit. Vasq. disp. 245. n.12. cap.2. & alij.* An autem non solùm ex Ecclesiæ præcepto, sed etiā Christi institutione, & naturali iure, disputat *Sot. in 4. dist. 24. q.1. ar.2.* nec refert fieri in sacris canon. de istis mentionem, tamquā diaconissis, & præsbiteris, vt in *c. mulieres dist. 33. & c. diaconissam 27.q. 1.* nam respōdet ibi Gl. non agi de ordine, sed quia fundebatur super eas aliqua benedictio,
ex

ex qua consequebantur aliquod officium speciale legendi st. homilias, vel Euangelium ad matutinas horas, quod non licebat alijs, & isto munere funguntur moniales nostri temporis. addit etiam *D. Tho. cit.* præsbiteram idem esse, quod viduam, quia Præsbiter idem est, quod senior, vide etiam *Greg. de Valent. to. 4. disp. 9. q. 4. pun. 1. ad finem*. De vera tamen diaconissarum institutione, & officio tractat *Petrus Greg. syntagm. iuris uniuer.*

6 Hermaphroditus autem, si magis participat de sexu virili, quàm femineo, valide ordinatur, sed non licite, quia est irregularis secund. *Suar. to. 5. disp. 51. sect. 2. Syl. v. Hermaphrod. Tol. verò lib. 1. c. 58. n. 5.* vult non esse irregularē, quia vitiū est latens, & citra culpam, secus si esset notoriū propter scandalum populi. sed ego sequor *Syl. & Suar. cit.* Aut verò viget magis sexus femineus, vel est parilitas in vtroq; sexu, & tūc quātum ad ordines pro femina reputatur, arg. *c. illiteratos dist. 36. & c. fin. dist. 49. Tab. v. Hermaphroditus n. 2. Sylu. & Tol. cit.*

Ad secundum respondetur de iure diuino sacramentum ordinis solùm inhiberi feminis, hominibus non baptizatis, & hermaphroditis eum dist. modo dicta, & de necessitate Sacramenti, de iure verò positiuo bigamis, homicidis, mutilatoribus, cæcis, mutis, hæreticis, excommunicatis, & omnibus irregularibus, vt infra, sed de necessitate præcepti, quibus deficibus cessantibus, adhuc multa requiruntur, vt ordinatio legitimè fiat, & primò vt ordi-
7 natus sit confirmatus *Trid. sess. 23. cap. 4. de reform. Regin. lib. 8. n. 24.* qua omissa vult *Bonac. disp. 8. pun. 5. n. 5. hoc tit.* peccare mortaliter, tàm ordinantem, quam suscipientem scienter ordines, quia faciunt contra Trid. & consuetudinē Ecclesiæ in re graui. Sed *Sot. in 4. dist. 24. q. 1. art. 4. Nauar. in summa cap. 22. n. 9. Henriq. lib. 14 cap. 6. n. 3. Suar. & aly cum P. Dia. par. 2. tract. 16. resol. 4.* dicunt citra contemptum, peccare solùm venialiter, quia in Trid. hoc non est impositum sub aliqua stricta obligatione, sed solùm præscribitur Episcopis modus in ordinatione tenendus.

8 Secundo requiritur, vt ordinandus, initietur prima tonsura, si eam antea non habebat, vt communiter seruatur; valida tamen erit ordinatio absque ea, vt ex Tolet. & alijs scribit *Bonac. cit. nu. 11.* Tertiò ætas legitima, nam in prima tonsura requiritur septennium completum *P. Dia. par. 11. tr. 6. resol. 8.* idem in tribus minoribus ordinibus, in Acolytatu verò 12. annus completus *Summa Dia. v. ordo n. 7.* in Subdiaconatu 22. in Diaconatu 23. in Præsbiteratu 25. omnes saltem inchoati *Trid. sess. 23. c. 12. de reform.* in Episcopatu 30. completi *c. cum in cunctis de elect. & argum. l. qua ætate, vbi Gl. de testam. idem P. par. 5. tract. 2. resol. 19.*; an verò sit computandus in ætate requisita dies bissextilis, videndus est idem, qui latè de hoc agit *par. 10. tract. 11. resol. 67.*

9 Qua de re ordinati ante legitimam ætatem, sunt suspensi ex bulla Pij 2. expedita anno 1401. quæ tamen non ligat eos, qui minores ordines susceperunt, cum loquatur de maioribus, sed peccant secund. *Nauar. in summa cap. 25. n. 70. Tolet. in parte lib. 1. cap. 49. n. 4. Henriq. lib. 10. cap. 12. litt. M. & P. Dian. par. 3. tract. 4. resol. 192.* Quæ suspensio in maioribus durat, quamdiu ordinario videbitur ex *Trid. sess. 23. cap. 8.* celebrantes verò ante licentiam sunt irregulares, prout declarasse Sacram Congr. testatur *P. cit. par. 5. tract. 10. resol. 30.*

10 Sed excusantur laborantes ignorantia inuincibili, qui probabiliter legitimam ætatem habere putabant, secus si ignorantia crassa, vel iuris, quæ neminem excusant *l. regula ff. de iur. & facti ignor. Tolet. d. n. 4.* & consequenter adueniente sciētia, si celebrant, non solùm peccant mortaliter, sed etiam sunt irregulares à solo Pontifice dispensabiles iuxta eundem Tolet. ibidem, & in parte *Bonac. cit. sub n. 13.* aliqui tamen apud P. Dia vbi supra *& par. 5. tract. 10. resol. 32.* volunt ordinatos ante legitimam ętatem ex ignorantia crassa nō posse vti ordine antequam ad legitimam ætatem peruenerint, verum ea adueniente, nec ligari censura, vel peccato aliquo, a quibus ego dissentio, quia ignorantia crassa æquiparatur dolo, qui neminem excusat, vt in cit. *l. regula, & l. 1. eodem tit. Bonac. de censur. disp. 3. pun. 5. §. 1. num. 2. Layman. in Theol. moral. lib. 5. tit. 3. cap. 10. num. 2.*

11 Quamuis autem absolutionē à prædicta suspensione sibi reseruauerit Sixtus 5. hoc tamen reuocauit Clemens 8. & sic possunt Episcopi, & Prælati regulares, suos subditos absoluere, (quando non celebrarunt ante dispensationem, vt supra) sicut etiam si fuissent ordinati extra tempora

pora debita sine culpa Episcopi, *Suar. de censur.disp.* 31.*sect.*1. *n.* 32. *Rodriq.in compend. quaest.regul. resol.*106.*n.*26. *Hurtad.in*
12 *tr. de suspens. diff.*13.*n.*36. sed non includuntur in prędicta bulla Episcopi ante tēpus ordinati, tum quia in ea non fit de ipsis expressa mentio, vt requiritur ex *c. quia periculosum de sent. excomm.in* 6. tum quia cum ordinantur à Pontifice, videtur implicitè dispensare.
13 Item requiruntur literæ dimissoriales propriorum Episcoporum, si aliqui in aliena diœcesi ordinari volunt, alias sunt similiter suspensi ordinantes, & ordinati, etiam si esset prima tonsura *c.* 1. *& fin.de tēpor. ordin. in* 6. vt etiam dictum est supra in priori resol. *nu.* 7. sed ordinati possunt absolui ab eorum ordinarijs, vt etiam di-
14 ctum est *supra n.*9. Item scientia, nempe vt prima tonsura initiandi, fidei rudimenta, & legere, & scribere sciant *Trid.sess.* 23. *cap.* 4. *de reform.* ad minores ordines admitrendi, saltem latinam linguam *ibid. cap.*11. ad Subdiaconatum verò, & Diaconatum ea, quæ ad ordines prędictos pertinent ibidem *c.* 13. ad Præsbiteratum, vt ad populum docendum ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ministranda sacramenta diligenti examine prędecedente idonei comprobentur *cap.*14. *eod.* quod procedit etiam in regularibus *c.* 12. *ibidem Vasq. in* 3 *par. to.*5. *disp.*246. *cap.*6. *n.*55. Verum debere prudentes Episcopos suas conscientias exonerare eum testimonialibus litteris sibi præsentatis per ordinandos à suis Prælatis absque nouo examine aduertit *P.Dia.par.*2. *tract.* 16. *resol.* 2.*S.sed prima*.
15 Sexto vt habeant beneficium ecclesiasticum sufficiens ad victum, vel pensionem, aut patrimonium æquiualens, quod tamē alienari nequeat sine licentia Episcopi, donec beneficium ecclesiasticum sint adepti, quod neque resignare possunt sub nullitatis pœna *Trid.sess.*21.*cap.*2.*de reform.* quod si ordinentur absque titulo beneficij, vel patrimonij, valida est ordinatio, sed Episcopus tenetur eis pręstare alimenta, donec in aliqua Ecclesia conuenientia stipēdia militiæ clericalis assignet *c. Episcopus de præbend.& c.cum secundum eod.tit.* Imo si
16 Episcopus ordinauerit, seu aliquis patronus Ecclesiæ ad illam præsentauerit ordinandum, promissionem ab illo recipientes, quod super prædictis eos non inquieteret, ordinator à collatione ordinum, præsentator à præsentatione per triennium sunt suspensi, ordinatus autem est etiam ab executione ordinum suspensus, donec dispensationem à Sede Apostolica obtinuerit *c.per tuas, & c. si quis de simon. Suar. & alij apud Dia.par.*5. *tr.*10.*res.*54.
17 Si quis autem falsò probaret habere patrimonium, vel beneficium, quæ non habet, vel procuraret ab amico donationem fictam in fraudem, certum est, si ordinans bona fide ordinaret, nulla pœna affici, si secus, idem ius esse statuendum, quod de priori diximus ex paritate rationis; ordinatum autem in vtroque casu esse suspensum, vt constat ex *bulla Vrban.*8. *edita* 11.*Decembris* 1624. *incipiente secretis æternæ prouidentiæ*, & ante eius promulgationē ita scripserāt *Nau.in man.c.*27.*n.*158 *Suar.de cens.disp.*31.*sect.*1.*n.*35. vbi optimè hoc probat *Vasq. in* 3.*p.disp.*246. *c.*6.*n.*61.
18 Cōtra, quod non sit suspensus dicunt *Tol. lib.*1.*cap.*49. *n.*5. & post eum quamplures cum *P.Dia. par.*2.*tract.*16. *resol.*5. vbi priorem fatetur esse probabilem in princ.ibi, *quam malueris elige, & par.*5.*tract.* 10. *resol.* 50. Ego verò sequor priorem sententiam, quam ex multis exornat *Sanch.de matr. lib.* 6. *disp.*32. *nu.*8. imo si sic suspensus celebrat, irregularitatem contrahit, vt docet idem Suar. vbi supra, sequitur *Bonac. disp.*8. *pun.* 5. *nu.* 24. quod etiam negat P.
19 *Dia. d. resol.* 5. A quibus quidem censuris licet potuisset antea absolui ab ordinario, quando ipse non fuisset in culpa, aliàs etiam reseruaretur Pontifici per *c. si quis* 45.*de simon.* hodie tamen ex citata *bulla Vrb.* 8. omnino illi reseruatur, vt probat *Bonac.cit.sub n.*48.
20 Item seruanda sunt temporum interstitia, non solùm in conferendis maioribus, sed etiam minoribus ordinibus, super quibus potest Episcopus dispensare ex potestate sibi tradita per *Trid.sess.*23. *cap.*11.*&* 14. sed non potest hoc agere sine causa legitima *Ricc.resol.*561. secundum primam impressionem, vbi loquitur de maioribus, & addit *n.* 5. dispensationem prædictam quo ad regulares spectare similiter ad Episcopum, & ita declarasse S. Congr. cuius verba ibidem recitat, quod legitur etiā in declarat. eiusdē *Conc.sup.d.c.* 11.*Dia. par.*3.*tract.*2.*resol.*31. vbi dicit de facto dispensasse cum religiosis sui ordinis. Sed
21 *Suar. de Relig. to.*4.*tract.*8.*lib.* 2. *cap.*12. *à nu.*

*nu.*21. ex priuilegio concesso Societati Iesu per Greg.13. extenso ad omnes Religiones probat spectare dispensationem ad superiores Regularium erga suos subditos, & ita vult etiam cum Villalob.& alijs idem *P.Dia.par.3.tract. 2.resol.32.& 12.* vbi dicit fuisse per aliud priuil. Clem. 8. sub die 13.Nouembris 1593. concessum Patribus Congreg.S.Io.Euangel.vt possint ordinari extra tempora, & per quemcunque Episcopum in tribus Dominicis, vel festis continuis, aut interpolatis, sed hoc priuilegium in nostra Italia non practicatur.

Verum interstitijs non seruatis suspĕtionē non contrahi, sed solùm peccatum vti contra Trident.operando,rectè dicunt,non solùm prædicti huius sententiæ, sed etiam prioris locis cit.quia non reperitur in iure expressa *Dia.par.5.tract.10. resol.*40. secus

22 si quis susciperet duos ordines maiores eodem die: quo casu ordinans,& ordinatus essent ipso iure suspensi, ille à collatione, & iste ab administratione eorundem ordinum, cuius absolutio est reseruata Pontifici ex *c.litteras de tempor.ordin.Bonac. de suspens.disp.3. pun.5. §.1. nu.4.* licet de suspensione ferenda, non autem lata, hoc intellexerit, sed malè *Suar.cit.n.*41. eum tex; clarè loquatur, hancque interpretationem non admittat.

23 Item requiritur, vt ordines suscipiantur gradatim, & non per saltum: si quis n. post minores ordines, vel etiam post subdiaconatum susciperet præsbiteratum, esset suspensus à Præsbiteratu, *c. solicitudo dist.52.& DD.communiter in c.vnico de Cleric. per salt. prom. Dia.par.5.tract. 10.resol.* 27. non tamen ab alijs ordinibus ritè susceptis *Sua. de censur. disp.31.sect.1. n.42. Henriq. lib.14. cap.6.n.3. Ricc.resol.318.* sed peccat mortaliter, & si exereet Præsbiteratus ordinem, est irregularis, DD. apud Dia. cit. resol. 28. cuius absolutio spectat ad Pontificem ex *Trid.sess.23.cap.14.in fine.idem P. ex Suar. Sayr. Ricc. & alijs loco cit.resol.*29.

24 Verum recipiendo ordines maiores relictis minoribus, non est suspĕsus,nec irregularis per illorũ exercitium, licet grauiter peccet. vt ex Nauar. & alijs probabile existimat idem P. Dia. vbi supra *resol.*47. debet tamē recipere ordines omissos, sed super ista suspensione, si adesset, potest Episcopus dispensare; in prioribus autem minimè, quando in ordinibus sic per saltũ susceptis administrauit *Suar. d.disp. 31. sect.1. n.51. Henriq. loco cit. Dia. d.resol.27. §.notandum.* & percipitur ex Trid. cit. in fine à contrario sensu.

25 Sunt etiam in ordinatione obseruanda legitima tempora; sed prima tonsura dum nullo tempore à iure dari prohibetur, potest quolibet die, & hora conferri *Lasq. in 3. par.disp.246. cap.5.n.46.* ordines minores quolibet die festiuo, maiores verò in sabbathis quatuor temporum, vel sabbatho de Passione, & sabbatho sancto *c.3. de temp. ordin.* quorum temporum determinationis ratio traditur per *Catech. Rom. sub hoc tit.n.30.* vt st. Populus fidelis ieiunijs, necnon pijs, & sanctis præcibus à Deo impetret ministros, qui ad tanti ministerij potestatem rectè, & cum Ecclesiæ vtilitate gerendam aptiores sint.

26 Dierum autem festorum appellatione, contineri etiam eos, in quibus fit officium duplex. quamuis à populo ex præcepto non seruatos docet cum multis *P.Dia.par. 5.tract.13. resol.97.* quod si concedatur in collatione ordinum minorum;trāseat,quia vt multi volunt, non sunt sacramenta,sed sacramentalia; in collatione autem ordinum maiorum, seu sacrorum, quando Pontifex dispensat, vt possint suscipi in tribus diebus festiuis (qui est casus ab eo ibidem relatus) non puto discedendum à communi, & contraria sententia, quam docent *D.Anton.3.par.tit.4.c.16.§. 16. Palud.in 4.dist.25. q.2.n.15.Sylu.v.ordo 2.q. 2. Azor.par.2. lib.1.cap.17.qu.vlt.Barb.de pot. Episc.par.2.alleg.11.num.22.& in collect. ad ius canon.to.1.lib.1.tit.11.cap.3.n.5.* ratio est, quia secundum communem vsum loquēdi,qui est attendendus, quia dat significationem rei *l. labeo 7.ff.de suppell.leg.* appellatione festorum, veniunt solùm illa de præcepto.

27 Accedat authoritas *Trid.sess. 24. cap. 1. de reform. matrim.* vbi dum statuitur denunciationes matrimonij faciendas esse diebus festiuis, communis praxis obseruat fieri in diebus, qui de Ecclesiæ præcepto seruantur, & in *l.quadragesima l. omnes,& l.fin.C.de ferijs,* fit magna differentia inter diem Dominicum, & alios dies festos de præcepto cum alijs diebus non festiuis; si ergo extra tempora prædicta suscipiantur maiores ordines, est pœna suspensionis per bullam Pij 2. relatam per eun-

eundē *Dia. par. 3. tr. 4. resol.* 192. vbi ex *Nau.* Suar. & alijs excluditur ignorātia, sed non crassa, vt putabat *Auila de censur. par. 3. disp. 5. dub. 7.* quia hæc ex *l. quod Nerua ff. deposit.* æquiparatur dolo, qui ex eodem Auila non excusat, quæ tamen posset locum habere in ordinato; minimè verò in Episcopo ordinante, qui tenetur ista scire, cum pertineant ad officium suum *D. Tho. 1. 2. q. 76. ar. 2. cor.*

28 Item repelluntur ab hoc sacramento omnes irregulares, siue ex defectu, siue ex delicto ante dispensationem, vt dictum est supra v. irregularitas, & tradunt *Catech. Rom. hoc tit. n. 33. Belar. lib. 2. dist. 9. cap. 3. Bonac. disp. 8. eod. tit. pun. 5. n. 55.* Item omnes aliqua censura perstricti, præsertim excommunicatione *Nauar. in summa cap. 25. n. 69. Suar. tom. 5. disp. 31. sect. 1. n. 57.* Item serui *cap. 1. & 2. & c. qui ex familijs dist. 53. Catech. & Belarm. cit.* si tamen ordinentur valida, quāuis illicita est ordinatio *D. Tho. in 3. par. suppl. q. 39. art. 3.* sicuti omnes alij supra, & infra notati præter illa tria genera personarum relata supra *n. 7.*

29 Item qui non sunt in gratia, non suscipiunt licitè hoc sacramentum; nam si habent conscientiam mortalis, debent confessionem præmittere, vel saltem contritionem, nisi sint Eucharistiam suscepturi, quo casu contritio sine confessione non sufficeret *Trid. sess. 13. cap. 7. & can. 11. & Bonac. n. 60. ex Tolet. Regin. & alijs*. Item vxorati durante matrimonio, qui si de facto ordinentur, sunt etiam tàm eo constante, quàm soluto suspensi, nisi probabilis ignorantia excuset, vt est casus relatus per eundem *Dian. part. 5. tract. 10. resol. 59.* de eo, qui putabat vxorē esse mortuā; quo casu, soluto matrimonio suspensio cessaret, quod si ignorantia sit supina, vel affectata, non solū non excusatur, sed absolutio reseruatur Pontifici per *extrau. an-*

30 *tiquæ de voto*. Sed an remanente vxore in sæculo, & consentiente possit eius vir ordinari præsbiter? *in c. Episcopus dist. 77.* legitur non posse, nisi præuio per vxorem Religionis voto, sed *in c. coniugatus de conuer. coniug.* videtur sufficere votum castitatis, & propterea *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 39. num. 6.* distinguendo dicit, satis esse castitatem vouere vxorem senem, secus si esset iuuenis Hurtado verò, & alij apud *Dian. par. 4. tract. 4. resol. 129.* volunt in vtroque casu sufficere votum castitatis *ex d. c. coniugatus, & quo ad c. Episcopus* respondent, non esse generale, sed Concilij Agathensis. Quibus tamen non obstantibus, contrariū puto in praxi esse seruandum, & minimè ordinandum virum in sacris, nisi vxor ingrediatur Religionem. moueor, quia non

31 potest quis esse Episcopus, nisi vxor prius professa continentiam, sacrum sibi velamen imponat, vestemque religiosam assumat *ex c. sanè de conuers. coniug.* sed eadem continentia requiritur in Episcopo, quam in simplici sacerdote, qui eandem omnino habent potestatem super corpus Christi in eius consecratione ex dictis sup. resol. 136. *nu.* 8. eandemque in dimittendis peccatis, vt infra *resol. 152. n. 5. ex Trid. sess. 23. cap. 1. de Sacram. ordin. & latius resol. 159. à nu. 1.* ergo idem ius in vtroque seruandum est, quod enim disponitur in vno de æquiparatis, disponitur in alio *l. 3. §. pro inde ff. de in rem verso, & §. pari ratione instit. quib. mod. ius patr. pot. solu. cum concord.*

32 Præterea non potest vir ad religionem transire, nisi etiam vxor, vel saltem, si ita senex sit, & sterilis, quod sine suspicione in sæculo remanere possit, & tunc sufficit votū castitatis *c. cum sis eod. tit.* (de quibus tū dictum est ēt sup. *ref. 112. in fine, & 119. num. 4.*) sed minor suspicio potest esse in viro, transeunte ad Religionem, quàm in sæculo cum Præsbyteratu remanente propter accessum ad vxorē in priori casu à superiore non permissum, & in secundo continuum, ergo ex maioritate rationis, si in priori casu requiritur transitus vtriusq; ad Religionem, multò magis in secundo, saltem vxoris, de facto tamen vidimus in Ciuitate Neap. viros ingredi Religionem, & vxores senes in sæculo, præuio castitatis voto remanere, sed non Præsbiteros effectos cum vxoribus amplius vitam ducere, etiam si seorsim habitarent, quia eodem modo facilis esset accessus, & quodammodo vteremur iure Græcorum, quod latinis vetitum est. (Qua autē ætate dicatur vxor senex, vide Dia. aliosque citat.)

33 Quam opinionem tenēt *Albert. Mag. in 4. dist. 37. art. 4. Sot. ibidem q. 1. ar. 2. Coninc. disp. 35. dub. 6. n. 32.* imo ipse idem Dian. etiam cit. dicit priorem opinionem in puncto iuris esse veram, quasi quod in praxi sustineri non possit; similem rationem tradit *Gl. in extrauag. antiquæ de voto v. noueris conuenire*; quare potius permittatur virum ad religionem transire, vxore in sæculo re-

manente, & castitatem vouente, quam Præsbiterum fieri, etiam si vxor pari modo voueat per hæc verba. *Ratio diuersitatis reddi consueuit, quia vbi vir in sæculo remaneret, ad sacros ordines promotus de licentia vxoris, votum continentiæ emittentis, tenetur eidem in necessarijs prouidere c. omnino dist. 31. & sic sibi materiam incontinentiæ, prætextu defectus necessariorum affertur,* sed ego me remitto in casu isto ad dicta supra in relata resol. 112. in fine per rationes, vt ibi.

34 Addit tandem *Bonac. d. pun. 5. num. 57.* requiri de necessitate sacramenti intentionem in adultis, in pueris autem vsu rationis carentibus supplere Ecclesiam; sed cõtrarium videtur voluisse *D. Tho. tàm in 4. dist. 25. q. 2. ar. 1. q. 2. quàm in 3. par. supplem. q. 39. art. 2.* nempe requiri solùm rationis vsum de necessitate præcepti, cuius verba vtrobique sunt, videlicet. *Respondeo dicendum, quod per pueritiam, & alios defectus, quibus tollitur vsus rationis, præstatur impedimentum actui, & ideo omnia illa sacramenta, quæ actum requirunt suscipientis sacramentum, talibus non competunt, sicut pænitentia, matrimonium, & huiusmodi, sed quia potestates infusæ sunt priores actibus, sicut & naturales; quamuis acquisitæ sint posteriores, remoto, autẽ posteriori, non tollitur prius, ideo omnia sacramenta, in quibus non requiritur actus suscipientis de necessitate sacramenti, sed potestas aliqua spiritualis diuinitùs datur, possunt pueri suscipere, & alij, qui vsu rationis carent.*

35 Deinde ad 2. subdit, in receptione ordinis non requiri aliquem actum ex parte recipiẽntis; si ergo nullus actus requiritur, & intentio est actus voluntatis, consequenter non requiritur intentio, sequitur *Tab. v. ordo 4. n. 1.* dicens suscipientem ordinem concurrere solùm passiuè. *in Catech. Rom. hoc tit. n. 33. legitur, videlicet. Pueris autem, & furiosis, qui vsu rationis carent, hoc sacramentum dandum non est,* quamuis *si ijs quoque administraretur, sacramenti characterem in eorum animam imprimi certò credendum sit Belar. eod. tit. cap. 3.* si igitur talibus collatum, qui intentionem nullam habere possunt illud recipiendi, validum est; ergo non requiritur de necessitate sacramenti intentio.

36 Nec valet responsio Bonac. dicentis in pueris supplere Ecclesiam, & furiosos non recipere sacramentum, quia Ecclesia non supplet defectum, nisi in Sacramentis necessitatis, & præterea obstat doctrina D. Thom. & relatorum, quibus addo *Regin. lib. 30. tract. 1. nu. 30.* vbi ait, omnes baptizatos, etiam si rationis vsu careant, vt infantes, & amentes, aut alium patiantur defectum, quo inepti sint ad ordines exercendos, vt cæci, manci, hæretici, & similes si de facto ordinentur, factum tenere, & imprimi verum characterem ordinis, citat *Gregor. de Valent. to. 4. disp. 9. q. 4. pun. 1.* restantem esse communem Theologorum sententiam *in 4. dist. 25.* Durand. excepto, & proinde absq; alia intentione tenendum est sufficere accessum spontaneum ad ordinem, in quo inest intentio implicita, &

37 solùm excludimus contrariam intentionem habentem, qui licet ordinetur, nec characterem recipit ex generali doctrina *c. maiores §. fin. in fine de baptis. ibi, tunc ergo characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contraria non inuenit obsistentem.*

Minus prodest dictum eiusdem Bonac. quod, sicut furiosi inualidè baptizantur, si ante furorem baptismum non petierunt *d. c. maiores, §. item quæritur,* ita etiam inualidè ordinantur; nam responsio percipitur ex eodem text. §. *verum, &* §. *sequenti,* quia si remittitur per baptismum pueris originale peccatum, quod sine consensu contraxerunt, & sine consensu remittitur, Ecclesia supplente pro eis, furiosis autem adultis, qui ante amentiam vltra originale habebant actualia peccata, cum consẽsu contracta, non possunt sine contrario consensu remitti, & propterea requiritur intentio (nisi nati, & semper furiosi extitissent, qui æquiparantur infantibus:) nec potest remitti originale solùm, sicuti pueris, quia eo remisso deberent videre Deum, & pro actualibus in inferno esse, quod est impossibile, vt *in d. c. maiores §. penult.* à Pontifice declaratur; hæc autem omnia cessant in ordine, vt patet, & proinde sunt inapplicabilia.

Vtrum ordinatus per metum cadentem in virum constantem sit validè ordinatus, item de effectibus ordinis, & ordinati potestate.

SVMMARIVM.

1 *Ordinatus per metum àn dicatur validè ordi-*

ordinatus, ita vt characterē suscipiat, & ad votum castitatis, diuinique officy recitationem teneatur? Et quid si transacto metus timore votum castitatis in ordine inclusum dicto, vel facto ratificet? num. 2.

3 *Ordinis sacramentum confert gratiam, & characterem imprimit, si ritè; & rectè sumatur.*

4 *Potestas ordinis, qua sit, & qua iurisdictionis?*

5 *Iurisdictio, qua vnicuique sacerdoti, quando ordinatur tribuitur, est suspensa, donec ei iterum, & in specie concedatur, licet antiquitus eam absque alia cōcessione haberet.*

6 *Clauis scientia, & potestatis in quibus consistat, an illam habeant sacerdotes indocti, & an differant inter se? vsque ad num. 9.*

10 *Iurisdictio qua sit ordinaria, qua delegata, & qua subdelegata, qui singulas habeāt, & qui possint delegare, vel subdelegare, & num. 11.*

12 *Confessio inualidè fit cuicumque sacerdoti, non ordinario, vel delegato, vel subdelegato à potestatem habente, excepto articulo mortis, quando potest quicunque sacerdos absoluere ab omnibus peccatis, & censuris, etiam Pontifici reseruatis, sed quid de Regularibus? n. 13.*

14 *Intentio sacerdotis quando celebrat cum Episcopo tempore quo ordinatur, & consecrat, an debeat esse secundum voluntatem Ecclesia, vel explicitè consecrandi?*

15 *Acolytatus officium exercens apud sacerdotem celebrantem, si sit in mortali, aliud mortale non committit, sed quid de subdiacono, vel Diacono? n. 17.*

16 *Extrema vnctionis sacramentum, dum potest à quolibet sacerdote administrari fortius ab Episcopo.*

18 *Sacramenta nequeunt exerceri in peccato, tàm actiue, quàm passiuè sine nouo peccato, & quid de administrante solùm Eucharistiam, & n. 19.*

Resolutio CXXXX.

1 AD primum respondetur cum distinctione, aut metum, seu coactionem passus, semper restitit, numquam consentiendo, & hic, nec characterem recipit, nec ad votum castitatis, vel recitationem diuini officij tenetur, & potest vxorem ducere *c. 3. §. itē quaritur de Bapt. c. 1. & c. cum dilectus de ijs, qua vi, metusue causa fiunt*, rationem tradit *Innoc. 3. in d. §. item quaritur*, quia st. est Religioni Christianæ contrarium, vt semper inuitus, & penitus contradicēs ad hoc aliquis compellatur, & addit *Gl. in c. vbi ista dist. 74. ex c. integritas 32. qu. 1.* quia votum est liberæ voluntatis, non coactionis.

2 Si verò ex metu coactus, ne detrimentū comminatum incurrat, spontè accedit ad ordinem, characterem suscipit sacramenti, quia voluntas coacta, voluntas est *d. §. item quaritur*, sed non tenetur ad castitatē seruandam, quæ debet esse omnino volūtaria ex *d. c. integritas, & c. ante triennium n. dist. 31.* (nisi transacto metus timore spōtè verbis, vel facto per exercitium ordinis suscepti votum ratificauerit *Azor. 1. p. lib. 12. cap. 14. q. 8.*) & consequenter potest liberè matrimonium contrahere *Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 29. n. 6. & 7. ex Nauar. Eman. Sà, & alys, & addit n. 8.* nec teneri ad continentiam prædictam, quamuis metus non fuisset cadens in constantem virum, modo fuisset talis, vt præ timore initiatus esset, eoque secluso, nullatenus initiatus fuisset.

3 Ad secundum, ordinis Sacramentum duos parit effectus, gratiā sc. si ritè, & rectè suscipiatur *c. cum scriptura 3. in Trid. sess. 23. & can. 4. hoc tit. D. Tho. 3. par. supplem. q. 35. art. 1. Catech. Rom. hoc tit. n. 34. Belar. eod. tit. cap. 1. n. 13. & characterem imprimit* Trid. *cit. cap. 4. idem Sanctus ibidem art. 2. Catech. & Belar. cit. omnesque DD. communiter.*

Circa 3. dictum est supra *resol. 137. nu. 2.* de singulis ordinibus, seu ordinatis, in quibus consistat eorum munus, sed quia Præsbiteratus latiùs se extendit, ideo de isto alia nōnulla dicemus; datur ergo du-
4 plex potestas, ordinis sc. quæ est super corpus Christi verum ad conficiendam, & ministrandam Eucharistiam; & iurisdictionis super corpus Christi misticum, quod est Ecclesia, idest fideles, seu fidelium cōmunio, & vtraque ista potestas datur cuicumque sacerdoti, quando ordinatur, sed
5 ista iurisdictionis est suspensa, donec ei concedatur, vel à summo Pontifice, qui iurisdictionem habet in toto mundo *c. cūcta per mundum 9. q. 3.* vel ab Episcopo in sua diæcesi, vt inferius dicetur; in primitiua tamen Ecclesia omnes sacerdotes eā

æqua-

æqualiter iure proprio habebant, sicut Apostoli, in cuius locum successerunt Sacerdotes; *Trid. sess. 22. cap. 1. hoc tit.* postquam verò fuerunt per Pontifices. diuisæ Parochiæ, & tradita vnicuique in suos subditos iurisdictio, fuit etiam suspensa alijs eadem iurisdictio, vt latè dicetur *infra resol. 159. à n. 2.*

6 In isto eodem ordine continetur clauis scientiæ, & potestatis, illa consistit in examinando pœnitentem, an capax sit absolutionis, vel non; ista verò in eum absoluendo, & propterea omnes sacerdotes licet indocti eas habent, si tollatur prædicta suspensio, sicuti iudex secularis, dum sibi conceditur iurisdictio, potestatem habet examinandi, condemnandi, vel absoluẽdi reum, & multoties est indoctus. Quilibet ergo sacerdos habet claues, sed non vsum earum ex ratione ante dicta, donec ei concedatur iurisdictio, vt etiam

7 docet *D. Tho. loco cit. q. 17. art. 2. ad 2.* huncque loquẽdi modum metaphoricè de clauibus adhibent casistæ, dum eo vsus est Christus cum Petro apud *Matth. cap. 26. ibi tibi dabo claues &c.* etenim sub iurisdictionis nomine omnia hęc continentur, vt ex eius definitione (quæ latius se extendit) docent *Gl. Bar. & DD. communiter in l. 1. ff. de iurisd. omnium iudic. videlicet, est potestas de publico introducta cum necessitate iurisdicendi, & æquitatis statuendæ.*

Quod clarius patet ex doctrina eiusdem Sanct. *d. ar. 2. ad 1.* vbi ait, quod ad duo, quorum vnum est causa alterius, vna potestas ordinatur, etenim dum omnis gratia, & remissio in corpore mistico ex capite suo prouenit, ideo eadem potestas esse

8 videtur per essentiam, qua sacerdos conficere potest, & qua potest soluere, & ligare, si iurisdictio adsit, nec differt, nisi ratione, secundum quod ad diuersos effectus comparatur, sicut etiam ignis dicitur secundum aliam rationem calefactiuus, & liquefactiuus, & quia nihil aliud est character ordinis sacerdotalis, quàm potestas exercendi illud, ad quod principaliter ordo sacerdotij ordinatur, sustinendo quod sit idem quod spiritualis potestas, ideo

9 character, & potestas conficiendi, & potestas clauium est vnum, & idem per essentiam, sed differt ratione; idem voluit *art. 3. corp. in fine, ibi, & hæ duæ claues non distinguuntur in essentia authoritatis, quia vtraque ad officium idem competit, sed ex comparatione ad actus, quorum vnus alium præsupponit.*

10 Diuiditur autem hæc iurisdictio in ordinariam, delegatam, & subdelegatam, ordinaria residet plenissimè in summo Pontifice, (quæ extenditur ad omnes homines mundi) in Episcopis in suis diœcesibus erga suos subditos, & in Parochis in suis Parochijs erga Parochianos *c. cuncta per mundum 9. q. 3. c. 1. de offic. & potest. Iudic. ordin, c. 2. & c. super eo de Paroch.* Delegata est, quam habet ille, cui ab aliquo ex his iurisdictio conceditur ex iuribus vulgat. dummodo delegatus à Parochiano sit etiã approbatus ab Episcopo iuxta declarationem S. Congr. relatam *à Dia. par. 3. tract. 4. resol. 110. in fine, & 146.* licet de iure cõmuni *ex c. omnis de pœnit. & remiss.* possent delegare absque alia Episcopi approbati-

11 one. Subdelegata est, quam tribuit qui vult solus delegatus Pontificis, vel Regis circa secularia *c. 3. c. quãuis de offic. & potest. Iud. deleg. l. à iudice C. de iudic.* habent enim delegati à Pontifice, & Rege ordinariam iurisdictionem, & propterea subdelegare possunt *c. 2. de offic. leg. in 6.* hinc est, quod

12 si quis ab aliquo præter quemcunque ex prædictis confiteretur, non esset validè absolutus *d. c. omnis §. si quis autem*, essetq; reperenda confessio, excepto mortis articulo, in quo omnes simplices sacerdotes possunt absoluere quoscunque pęnitentes à quibusuis peccatis, & censuris etiam Pontifici reseruatis *Trid. sess. 14. cap. 7. de pœnit.*

13 Regulares autem habent potestatem se confitendi omni tempore à suis Prælatis, vel delegatis ab eis *c. fin. de pœnit. & remiss.* qui possunt etiam absoluere seculares, volentes de proximo ad religionem intrare absque licentia, vel approbatione ordinarij, & si sunt approbati ab Episcopo, etiam à casibus eidem reseruatis secundum *Summ. Dia. v. Confessarius regularis n. 2. & par. 3. tract. 2. resol. 46.* vbi dicit sic sibi respondisse Procuratorem suæ Religionis, (postea Cardinalẽ) de mente Clem. 8. sed circa casus reseruatos hæc Dia. opinio, si prius sustentabilis erat, fuit expressè damnata per bullam *Alex. 7. emanatam sub die 2. Octobris 1665. incip. Sanctissimus D. N.*

14 Aduertendũ ẽt est, quod quando sacerdotes ordinantur, & proferunt super eadẽ hostia verba consecrationis cum Episcopo cum-

cum quo concelebrant, licet alij apud eundem *Dia.par.3.tract.4.resol.50.& par.5 tract.14.resol.82.* voluerint debere omnes habere explicitam intentionem consecrandi, attamen ex quo potest facilè accidere, vt vnus ea proferat ante aliū, quo in casu, quia semel prolatis, non potest suspendi Sacramenti effectus, & consequentèr secuta consecratione, sacrilegè iterarentur, *ex D.Tho.in 4.dist.23.qu.1.art.1.quæst.2. ad 3. Sayr.de censur.lib.7.cap.8.num.29.* ideò ego libentèr adhæreo opinioni *Laym. in exam. Theol.mor.lib.5.tract.2.cap.7.nu.6. ex Caiet. par.3.qu.82 art.2. Richar.Suar.& alijs* volentibus nouos Sacerdotes habere debere generalem intentionem in proferēdo verba secundum voluntatem Ecclesiæ, iuxtà quod cessant omnia inconuenientia, quæ ex causa relata euenire possent, & nulla fit iniuria Sacramento.

15 Si quis autem ministraret in Acholytatu Sacerdoti etiam solemnitèr, & in mortali reperiretur, aliud mortale non committeret secundum veram sententiam; quam docent *Suar.tom.3.disp.16.sect.3.§.3 quæri Cabrera de sacram.in 3.par.q.64.art.6 disput.1.§.6. num.55.* ea ratione, quia vt multi probabilitèr docent, supra relati, isti minores ordines non sunt Sacramenta, sed Sacramentalia, sequitur *P.Dia.par.3. tract.4. resolut. 196.* vbi suauitèr repræhendit *Nauar. in man. cap.25. sub num.72.* tamquam quod contrarium voluerit, qui tamen loquitur de administratione Sacramentorum, vt patet ex tex. quem ad hoc

16 allegat, qui est *c.illud 95.dist.* vbi loquitur Innoc. de administratione extremæ vnctionis, & dicit posse administrari ab Episcopo, sicut à quolibet Presbytero, de quo antea dubitabatur *ex Epist.Iacobi ibi si quis infirmatur, inducat Presbyteros,* ergo dicebant aliqui non potest Episcopus, quod dubium sustulit Pontifex ex rationibus vt

17 ibi. Quo ad subdiaconatum autem, & Diaconatum hoc quoque docuere *idem Suar.cit.§.de alijs Vasq.in eadem 3.par.to.3. disp.136.c.4. Valent.tom.4.disp.9. q.1.pun.4. ad 4. & alij,* ratio est quia talis actus non est dispensatio meritorum Christi, vt sunt Sacramenta, aut opus in se, tàm sanctum, vt adsit adeo grauis obligatio illos exercendi in gratia, quiequid in contrarium voluerint *idem Cabrera cit. num.48.& alij.*

18 De Sacerdote tamen non dico celebrante in peccato, quem non dubitatur sacrilegè agere, sicuti per administrationem cæterorum Sacramentorum, vt generalitèr docet *D. Tho. par.3.qu.64. art.6.* sed solùm de Sacram Eucharistiam administrante ambigi potest, an etiam mortale committat, si in mortali ministret, & affirmatiuam ex eod. Sancto ibid. amplexi sunt *idem Suar.d.disput.16.sect.4. §.2.argumentor. Valent. disput.9. quæst.10. punct.1. Villalob.in summa par.1.tract.4.dub.14.n.2 & alij.* Contrariam tamen probabiliorem

19 vocat *Vasq.in 3.par.tom.2.disp.136.cap.3. num.38. cui concordant Ledesma. in summa to.1. cap.6.conclus.8.diffic.5. Nugn.in 3.par. tom.1.quæst.64.art.6.diffic.1.conclus.2.& alij* qui eam probabilem putant. ratio est, quia qui ministrat Eucharistiam, non est Minister Dei ad directam iustificationem proximi, sicut in alijs Sacramentis, sed solùm applicat actiua passiuis; in alijs enim idem Sacerdos conficit, & ministrat Sacramenta, non autem in hoc, in quo iam confecta, solùm ministrat, aliàs oporteret dicere, quod dum Sacerdos innumerabiles aliquando communicat singulis diebus, innumerabilia etiam, si in peccato sit, peccata committat, quod videretur quodammodò satis durum, & à Diuina pietate alienum, & vlteriùs omnes, qui retigerunt Christum, dum fuit visibilitèr in Mundo, mortale contraxissent, quam opinionē probabilem putauit, etiam idem *Dia.par.2.tract.14.resol.23.* qui se fundat in doctrina *D. Tho.in 4. dist.5. qu.2.art.2. quæst.4.* vbi dicit quod Minister Ecclesiæ in quocumque spirituali se exhibet Ministrum Ecclesiæ, si in mortali existat, probabile sit quod peccet, nec aperit si mortaliter, aut venialitèr, conficientem autē Sacramenta in mortali peccare, mortalitèr (nisi in casu necessitatis baptizaret sine solemnitate, sicut quicumque secularis) propterea dum loquimur de ministrante non conficiente, & D. Thom.dicit esse probabile, quod peccet, ergo probabile putant Authores relati, quod non peccet mortalitèr, non autē probabilius secūdum Vasq. vbi supra, verùm quia *idem Sanctus in 3. par. quæst.64.art.6.in corp.* apertè dicit peccare mortalitèr administrantem Sacramenta in mortali (baptismo in casu necessitatis excepto) propterea nolo discedere ab eius sententia, non tamen quod tot mortalia committat, quot homines communicat, vt dicunt DD. relati

ti *in resol.59.num.7.& resol.168.num.15.* sed vnum tantum ex rationibus, & DD. ibidem cit.

Pænitentia vti Virtus.

SVMMARIVM.

1 *Pænitentia etymologia cum suo triplici, & diuerso significatu, & in quo eorum sit verè virtus?*

2 *Pænitentia, seù dolor de peccatis commissis regulariter non sufficit, sed est exoluenda pæna, in hac vita in corpore, vel in alia in anima.*

3 *Deus quando in scriptura dicitur se pænituisse, quomodò intelligatur?*

4 *Pænitentiæ nomen quare tribuatur eidem, tàm vti virtuti, quàm vti Sacramento.*

5 *Prout est virtus non prodest hodie sine Sacramento saltem in voto, nec istud sine illa num.5. & 6. Eius definitio num.7.*

INTRODVCTIO.

1 Circa etymologiæ nomen omnes conueniunt, pænitentiam dici à pœna, vnde *D. August.lib. de vera, & falsa panit. cap.19.* vocat pænitentiam idest pænætenentiam, quia verò pæna dolorem, ac tristitiam causat, ideò pænitentiæ nomen significat detestationem, & retractationem prioris facti, vel omissi; Quare non est simplex resipiscentia, & transmentatio, vt malè hæretici credunt, sed insuper est dolorosa detestatio *ex Gen.6. Iob.30. & Matthæ.11.* quod tripliciter accidere solet secundum *Cathech. sub tit.de sacramen. panit.num.2.* primò quando aliquid displicet, quod antea placuerat, nulla habita ratione, bonum ne, an malum fuerit, & hæc pænitentia non est secundum Deũ, & dicitur irrissoria, vt in *cap. irrisor de pænit.dist.3.* Secundò cum quis ex scelere commisso, quod antea placebat, dolorem, non Dei, sed sui ipsius causa concipit, veluti si quis dolet de homicidio perpetrato, ob quod ad mortem, vel ad triremes damnatus sit, & solius pœnæ tristitiam habeat, & hæc neque est virtus supernaturalis, de qua agendum hic erit. Tertiò cum non solùm admissi sceleris causa intimè dolet, vel eius doloris externum etiam aliquod signum exhibet; verùm etiam vnius Dei causa in eo mœrore est, & hæc pænitentia, est vera virtus, *Belarm.lib.2.eod.tit.in preludijs.* Quamuis

2 autem dolor sit in corde, remanet tamen exoluenda pæna pro peccatis commissis in corpore in hac vita, vel in alia in anima, nisi adeo intensus esset dolor, vt absq; alio medio tolleret omnem pænam, vt dictum est supra v.contritio, vnde *in l.qui ea mēte ff.de furt.legitur videlicet, qui ea mente alienum quid contrectauit, vt lucri faceret, tametsi mutato consilio id Domino postea restituit, fur est; nemò enim tali peccato pænitentia sua nocens esse desijt.*

3 Aliquando etiam pro mutatione, seù retractatione prioris voluntatis, licet mala nō fuerit, pænitentia accipitur, quo modo per metaphoram dicitur *Genes.c.6.* Deum pænituisse fecisse hominem, *& Reg.15.* constituisse Saul. Regem *Suarez. de panit. disp.1.sect.1.in princip.ex catech.cit. num.3.* quia verò dolor ex ipsa pænitentia ortus, est pars Sacramenti, sine qua istud non

4 subsistit, vt infrà; ideò hæc vox ad prædictum Sacramentum significandum translata est, à parte, totum nominando, atque ita constat, hoc nomen commune esse Sacramento, & virtuti, sicuti & confessio ipsa, aut satisfactio solent pænitentia appellari *Greg.de Val.to.4.disp.7. qu.2. pun.1.§.quarta assertio.*

5 Imò adeo sunt ista coniuncta, vt nec ipsa virtus prodesse valeat in lege gratiæ sine Sacramento, saltèm in voto, nec Sacramentum sine ista virtute consistere rectè dixerit ex *Trid.sess.13.cap.7.& can.11. Suar. vbi supra in præfatione versic. est au-*

6 *tem*; Supponimus enim pænitentiam, vel esse virtutem, vel actum virtutis *D.Tho.3. par.qu.85.art.1.in corp.* De varijs autem pænitentiæ qualitatibus, nempè de Inani, de Sera, de Infernali, seù desperata, de publica, de solemni, & similibus habes *in c.Iudas cinantis de panit.d.3.& c.nemo.d.7 vbi Canonistæ Nauar.cap.1.in manual.* Sed vera de qua loquimur variè definitur per *August. in cit. cap.19. Gregor. homil.14. in Euangel. D.Tho.d.q.85.art.2. & per Belarm. citat.cap.1.ex catech.sub eod.tit.num.1.* videlicet est conuersio animi ad Deum cum detestatione, & odio peccatorum commissorum, & cum certa deliberatione malam vitæ consuetudinem emendandi, cum spe veniæ, à Dei misericordia consequendæ, quæ definitio in substantia differre

differe non videtur à definitione contritionis, vt apud eundem *Belarm. cap.3. & percipitur ex Trid.ſeſſ.14.cap.4. de quo vide infra reſol.ſeq.num.11.* nihilominus quia de iſta ſatis eſt dictum ſupra v. contritio; propterea de illa aliqua breuitèr attingemus, & primo.

In quibus conueniant virtus pænitentiæ, & Sacramentum pænitentiæ, & in quibus differant.

S V M M A R I V M.

1 *Pænitentia conuenit cum Sacramento in nomine, & in effectu, quia vtrumque remedium inſtuit ad tollendum peccatum, quod poteſt Deus remittere ſine Sacramento, ſed non ſine pænitentia num.2. Item quia tàm illa, quàm iſtud vocantur ſecunda tabula poſt naufragium num.3. & dicitur ſecunda, non ſolùm in ordine ad primum, vel ſecundum lapſum, ſed etiam ad tertium, quartum & vlteriores, ſicutì dicuntur ſecunda vota poſt primum matrimonium, etiam ſi centies fuerint contracta nu.4. Item quia vtriuſque materia remota, eſt peccatum, quod deteſtatur; & vtrumque remedium conuenit adultis, non autem infantibus. nu.5.*

6 *Pænitentia, & Sacramentum differunt, quia illa conſtituitur in genere habitus, vel actus, iſtud autem in genere ſigni, Vt Sacramentum, eſt actus exterior; vt virtus, interior, cum conſiſtat in interiori actu animæ num.7. Vt Sacramentum confert gratiam ex opere operato; vt virtus non ſic, ſed ex diſpoſitione operantis, non tamen proprie ex merito, ſed de congruo num.8. Differt à Sacramento, quia iſtud habuit ortum à Chriſti aduentu, illa verò ab initio mundi, & eſt de iure naturali num.9. Item quia illa debet durare vſque ad finem vitæ, ſaltem in habitu; iſtud autem vſque ad determinatum tempus, & ſecundum menſuram peccati nu. 10. vſque ad 13.*

11 *Sanctis diſplicebit etiam in Cœlo peccaſſe in terra, ſed ſine omni dolore, cuius ipſi capaces non ſunt.*

Reſolutio CXXXXI.

1 Diximus ſupra in introd.n.4. conuenire primò in nomine, Secundo in effectu ratione vtilis medicinæ, & neceſſariæ ad delendum peccatum actuale, ſi mortale ſit (nam de venialibus, vtilis eſt pænitentia, non tamen ſimplicitèr neceſſaria, cum gratiam non tollant, *vt in reſol. ſeq.num.10.*) ſicuti enim pænitentia erat neceſſaria in lege veteri ad effectum prædictum, vt ſcribitur apud *Ezech. cap.18. & 33. Ion.3.* & alibi paſſim, ita etiam regularitèr in lege noua cum Sacramento *Luc.cap.3. Io.20. Trid.ſeſſ.14. cap.4. Suar. to.4.diſp.1.de pænit.ſect.1.n.3.* dixi regulari-
2 tèr, quia poteſt Deus remittere peccata, etiam mortalia ſine Sacramento, vt fecit Magdalenæ, & adulteræ, quamuis tunc non erant inſtituta Sacramenta, ſed non ſine pænitentia, vt probat *D. Tho.par.3. qu.86.art.2.in corp.*
3 Tertiò conueniũt metaphoricè, quia ſicut pænitẽtia dicitur ſecunda tabula poſt naufragium, vt tradunt *Tertull.in princ.libri de pænit.& Ambroſ.ſub eod. tit. ad Virgin. lapſ. cap.18.* ibi; *tu quæ iam ingreſſa es agonem pænitentiæ, inſiſte miſera, fortiter inhære, tamquam naufragus tabulæ. concordat cap.2. Apoc. & cap.miror de pænit.diſt.1.* ita etiam Sacramentum *Trid.ſeſſ.6. cap.14. & docet D. Tho.par.3.quæſt.84.art.6.in corp.* ibi, *& ideò pænitentia tenet ſecundum locum reſpectu ſtatus integritatis, qui confertur, & conſeruatur per Sacramenta; nam primum remedium Mare tranſeuntibus eſt, vt conſeruentur in Naui integra, ſecundum autem, vt poſt Nauem fractam, quis tabulæ adhæreat.* Primum n. remedium in Mari huius vitæ, eſt quod homo integritatem ſeruet, quæ recipitur per baptiſmum; Secundum autem eſt, ſi per peccatum, integritatem perdiderit, quod per pænitentiam redeat, *Magiſt.ſent.in 4.diſt.14.in princ.* vbi obſer-
4 ua quod licet quis tertio, vel decies millies, aut vlterius ad pænitentiam redierit, ſemper dicitur ſecunda tabula poſt naufragium, non autem tertia, vel quarta, aut vlterior; ſicut à ſimili, ſi quis tertio, vel quarto, aut vlterius nupſerit, ſemper dicitur tranſire ad ſecunda vota, non autem ad tertia, vel vlteriora, *vt in titulis C. ſi 2.nupt.mulier, & C.de ſecund.nupt. vbi Gl. in rubric.*

5 Quartò conueniunt in materia, quia vtriusque materia remota, est peccatum actuale, non acceptandum, sed detestandum, vt loquitur *D. Tho. cit. art. 2. in corp.* Quintò in subiecto, quia vtrumque habet locum in adultis; infantes n. non sunt capaces peccati, quamuis habitu pęnitentiæ (quia suo tempore poterunt peccare) polleant *Valent. to. 4. disp. 7. qu. 2. par. 1. §. fin.* & tandem, quia vtrumque remedium iterabile est; de pænitentia namque, vti virtute non dubitatur, nec vti Sacramento, si fiat de diuersis, vel ijsdem peccatis iteratis; si verò de ejsdem numero, est etiam prædictum remedium iterabile, si de illis in noua cõfessione fiat materia, vt dicetur infrà de Sacramento pænitentiæ, & docet latissimè *D. Tho. vbi supra art. 10. Suar. d. sect. 1. num. 7. & comm. DD.*

6 Differunt autem virtus, & Sacramentum, quia istud constituitur in genere signi, vt infrà *v. Sacramentum in introduct. num. 3.* virtus verò, in genere actus, vel habitus, vt probat *D. Tho. loco cit. qu. 85.*
7 *art. 1. in corp.* Secundò quia pænitentia vt Sacramentum, est actus exterior, vt virtus interior: Cum enim Sacramentum sit signum sensibile, necesse est vt consistat in exteriori actu, quia solus interior non obijcitur sensibus; virtus autem in interiori actu animæ potissimum consistit, vt tradit *Suar. d. disp. 1. sect. 2. n. 2.* an autem sit in voluntate, vel nè, vide eundem *D. Thom. in 4. dist. 14. qu. 1. art. 2. Suar. de pænit. disp. 3. sect. 1. & resol. seq. n. 12.* Sed vtrumque
8 causa salutis est, & iustificationis, vt ait *Magist. vbi supra*, diuerso tamen modo; nam virtus est causa disponens, Sacramentum autem est causa efficiens, vnde dicitur, & verum est conferre gratiam ex opere operato, vt suis locis latè dictum est, virtus autem non dicitur propriè conferre gratiam, qua remittatur peccatum, sed eam obtinere ex dispositione operantis, non tamen propriè, ex merito sc. de condigno, sed solùm de congruo, vt docet *Suar. citat. n. 4.* & hæc potest esse tertia differentia.

9 Quarto differunt in origine, & antiquitate, etenim hoc Sacramentum sicut & cætera ortum habuerunt ex Christi institutione *Trid. sess. 7. can. 1. de Sacram.* virtus autem pænitentiæ est de iure naturali iuxtà *D. Tho. cit. ad 1.* illustrato tamen lumine fidei, quod dictat, honestum, & rectum esse, agere pænitentiam de peccatis commissis, & propterea etiam in statu legis naturæ fuit hominibus necessarium agere pænitentiam cum spe veniæ *Suar. to. 4. disp. 1. sect. 1. n. 5.* ibi, *quia Sacramenta nostra initium habuerunt ex noua lege, illa verò ex initio Mundi, quam certum est fecisse Adam de peccato suo, vt in lib. Sapien. cap. 10.*

10 Quinto, & vltimo differunt diuturnitate, nam pænitentia debet durare vsque ad finem vitæ, quia semper debet homini displicere, quod peccauerit, si enim ei placeret peccasse, iam ex hoc ipso peccatum incurreret, fructumque veniæ perderet, displicentia autem dolorem causat in eo, qui est susceptiuus doloris, qualis
11 est homo in hac vita, post quam Sancti non sunt capaces doloris; vnde displicebunt eis peccata præterita sine omni tristitia secundum illud *Isaia 65. obliuioni traditæ sunt angustiæ priores.* Quæ quidem
12 diuturnitas pænitentiæ debet esse continua in habitu, non tamen in actu; quia impossibile est, quod homo continuè pęniteat, cum necessè sit, quod actus pænitentis, siuè interiores, siuè exteriores interpolentur ad minus somno, & alijs ad necessitatem naturæ pertinentibus; In habitu verò oportet, quod homo numquam aliquid cõtrarium pænitentiæ agat, debetque in proposito gerere, quod semper sibi præterita peccata displiceant, ita *D. Tho. par. 3. qu. 84. art. 8. & 9. in corp.*
13 Sacramentum autem pænitentiæ, quod Sanct. d. art. 8. appellat exteriorem pænitentiam, non oportet quod duret vsque ad finem vitæ, sed vsque ad determinatum tempus secundum mensuram peccati, vt loquitur ibidem, quod exponit *Suar. cit. in fine*, quia requirit hoc Sacramentum aliquam, vel necessitatem, vel peculiarem occasionem, & conuenientem etiam mensuram, vt exerceatur; pænitentia verò vti virtus requiritur vsque ad mortem, & vt sit continua, non quidem actu, sed habitu, vt dictum est.

Vtrum pænitentia debeat esse vniuersalis de omnibus peccatis, vel an ea habita de vno, extendatur virtualitèr ad alia, & in quo differat hæc virtus à contritione.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Pænitentia, seu detestatio peccati potest esse vniuersalis formaliter, & virtualiter, sed an differant inter se? Verum si sit vnius peccati ex motiuo particulari, non extenditur ad alia, neque virtualiter, nu. 2. secus e contra nu. 5. vsque ad 10.*

3 *Peccatum nullum mortale potest remitti sine alio, vel alijs. Eorum detestatio præuio dilegenti examine, remissionem etiam oblitorum operatur, confessione sequuta num. 4.*

10 *Venialia non tollunt caritatem.*

11 *Pænitentia, licet in proprio significatu sit de præteritis peccatis dolor, includit tamen propositum non peccandi in futurū. Vti virtus est in voluntate, sicut in subiecto nu. 12. Eius effectus nu. 14. vsque ad finem.*

13 *Contritio non solùm est illa, qua quis detestatur peccata super omnia detestabilia, sed etiam, qua quis diligit Deum super omnia, si tunc de peccatis non recordatur, & in hoc differt à pœnitentia vti virtute.*

Resolutio CXXXXII.

1 AD primum præmitto pœnitentiam, seu peccatorum detestationem, posse esse vniuersalem duobus modis formaliter st. & virtualiter: primo modo dicitur, quando tali detestationi ex aliquo supernaturali motiuo precedit in intellectu recognitio peccatorum omnium, siue distincta per singula peccata, siue confusa, ita tamen vt formalem distributionem cōtineat; virtualiter autem est detestatio vniuersalis, quando licet peccatum recogitatum sit particulare, ratio autem, seu causa illud detestandi est similiter vniuersalis propter amorem st. Dei, vel timorem Gehennę, & propterea sufficiens ad auertendam voluntatem ab omni peccato. Quod
2 si detestatio peccati sit ex particulari ratione, seu motiuo, & non sit de omnibus sigillatim, vel in confuso, non erit vniuersalis formaliter, neque virtualiter, quod exemplificat *Suar. in 3. par. de pœnit. tom. 4. disp. 3. sect. 8. à n. 1.* quando quis detestatur furtum, propter infamiam, quæ exinde sequitur, & turpitudinem eius, non propterea odio habet fornicationem, imo potest cum illa propositum fornicandi habere, & sic de singulis, ratio est, quia furtum non aduersatur castitati, neque vnum motiuum detestandi habet necessariam connexionem cum alio.

3 Qui tñ loquendi modus mihi nō placet, quia si posset dari casus, vt vnum sine alio, vel alijs mortalibus remitteretur, quod est impossibile, vt probat *D. Tho. 3. par. q. 86. art. 3.* nec talis detestatio sufficiens esset ad illud idem, & solùm peccatum eo modo detestatum abolendum, cum non sit ex motiuo supernaturali, sicut requiritur, vt fatentur omnes apud eundem *Suar. disp. 5. sect. 2. n. 11.* ex eodem D. Tho. Sed est ve-
4 rum, quod quando peccata detestantur primo modo; præuio diligenti examine, & confessione in re, vel in voto secuta, si desit Confessarij copia *ex Trid. sess. 14. cap. 4.* omnia etiam oblita, remissa sunt iuxta idē *Trid. cit. cap. 5. ibi, Constat n. nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quam vt postquam quisque diligentius se excusserit, & cōscientiæ suæ sinus omnes, & latebras explorauerit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum, & Deum suum mortaliter offendisse meminerit; reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur.*

5 Sic etiam (quando detestatur aliquod peccatum in particulari secundo modo, & ratio detestandi est vniuersalis, puta propter Gehennæ timorem, vel quia ita est contrarium charitati, vt dissoluat amicitiā cum Deo, vel quia est grauis eius offensio; talis n. detestatio licet peccati particularis, extenditur virtualiter ad omnia, etiam non recogitata, nec sigillatim, vel in confuso detestata; fortasse ob inaduertentiam, si enim verè displicet illud peccatum propter alterutram ex causis vniuersalibus prædictis, displicent, etiam virtualiter omnia *D. Tho. d. qu. 86. art. 3. in corp.* quia per quodlibet peccatū incurritur in æternæ pœnæ reatum, non minus quam per multa iuxta doctrinam *Iacobi 2. ibi, qui in vno offendit, factus est omnium reus*; quamuis in intensione, pœnæ sint dispares; Item quia per vnum datur auersio à Deo, sicut per multa, & hæc dicitur detestatio peccatorum vniuersalis virtualiter, vt dictum est.

6 Et ratio rursus est, quia qui efficaciter intendit aliquem finem, vult virtualiter, & implicitè media necessaria ad illum finē;

qui n. vult consequens, vult etiam antecedens *l. illud ff. de acquir. hered.* vbi Bar. ait. ad positionem consequentis, sequi positionem antecedentis; & è conuerso, qui
7 efficaciter odio habet aliquod malum, & intendit illud omnino fugere, vult etiam virtualiter vitare quicquid inducere potest tale malum, quia voluntas efficax, secū fert executionem, quantum est in potestate volentis, sed qui detestatur vnum peccatum efficaciter propter aliquod ex dictis motiuis vniuersalibus, & supernaturalibus, intendit absolutè vitare pœnam æternam, quæ vel ex vno illorum prouenit; ergo virtualiter vult vitare omnia, quæ talis pœnę reatum inferunt. Adde
8 quod hoc motiuum est totum in singulis, & totum in omnibus peccatis, & omnia peccata talem habent connexionem respectu illius, vt non possit illud, odio haberi absolutè, nisi in singulis, & omnibus peccatis odio habeatur; sed per veram detestationem alicuius peccati propter tale motiuum, perfectè, & absolutè odio habetur ipsummet motiuum; ergo in illo virtute displicent omnia peccata, quæ induunt talem rationem mali, ita perbellè *Suar. disp. 3. sect. 8. n. 4. & 5. & post eum Henriq. lib. 4. cap. 28. n. 5. Nugn. & aly recentiores apud Bon. de pœnit. disp. 5. qu. 5. sect. 1. pun. 4. num. 10.*

9 Hinc sequitur detestationem mortaliū propter aliquod ex relatis vniuersalibus causis, non necessario continere in virtute, detestationem venialium, quia si motiuum sit timor inferni, venialia non sunt tali pœna digna; si sit diuina caritas, & amici-
10 tia, venialia eam non dissoluunt, & ex contrario, detestationem venialiū, ex quo offensa Dei sunt, virtualiter continent detestationem mortalium; impossibile quidē videtur, displicere alicui venialia, & placcere mortalia; qui n. efficaciter fugit ægritudinem, efficacius fugit mortem, & consequenter, qui fugit pœnam temporalem, à fortiori fugit æternam; quia si de quò minus, ergo de quò magis, *auth. multo magis C. de sacros. Eccles.* sed venialia impediunt tantùm feruorem caritatis, quam mortalia tollunt: ergo idem *Suar. d. sect. 8. n. 11. & 14.*

11 Ad secundum videbatur dicendū, quod cum pænitentia in suo proprio significatu, sit displicentia peccati commissi, seu retractatio, & dolor de præteritis, vt tradit *Suar. cit. disp. 2. sect. 1. n. 1. & 2. disp. 3. sect. 2. nu. 1.* non includeret propositum non peccandi de cetero, & sic differret in hoc à contritione; quæ continet in se vtrumque, vt latè dictum est supra v. contritio. Sed quia pœnitentia includit etiam propositum, vt *in c. ecce de pœnit. dist. 1. & in c. pœnitentia eod. tit. dist. 3. vbi Gl. v. non committere subdit, id est non committendi propositum habere, & D. Thom. 3. par. q. 85. art. 4. in corp. ibi manifestum est, quod pœnitentia secundum quod est*
12 *virtus, est in voluntate, sicut in subiecto, & proprius eius actus; est propositum emendandi Deo illud, quod contra eum commissum est;* propterea non differunt in hoc, sed magis conueniunt; & quia vt supra initio *num. 6.* diximus ex Belarm. ambæ definitiones, quę essentiam definiti demonstrant, non videntur differre, consequenter nulla differētia inter eas assignari posse videretur, vt de contritione in genere concedit idem *Suar. vbi supra disp. 4. in princ.*

13 Verum quia DD. separatim de illis loquuntur, contrarium asserendum videtur; propterea differre censeo solùm in hoc, quia contritionis actus elicitur non solùm per detestationem peccatorum cum proposito non peccandi in futurum, sicuti pænitentia, sed etiam per actum explicitum amoris Dei super omnia, qui dicitur dolor implicitus, dummodo ant defectus temporis, aut inculpata peccatorum inconsideratio, sit in causa, quo minus peccator doleat formaliter de peccatis iuxta sententiam *Scoti in 4. dist. 14. q. 1. ar. 10.* quam esse communiter receptam testatur *Nauar. in man. cap. 1. nu. 5.* Et hoc non potest conuenire pœnitentiæ, cuius est proprium dolere de pręteritis, cum proposito non peccandi de cętero, vt dictum est. Quod enim tradit *Suar. d. disp 3. sect. 2. n. 1. ex August. de vera,*
14 *& falsa pænit. cap. 13.* quod st. ex pœnitētia nascatur gaudium de satisfactione exhibita pro peccatis, de iustit. & obseruatione mandatorum, hic est effectus pœnitentiæ iam actæ, non autem ipsa pœnitentia; non n. sunt idem causa, & causatum, vt omnes sciunt.

15 Quod aūt ait *Bonac. disp. 5. q. 1. pun. 2. n. 3. 3. tom. 1. sub hoc tit.* elicientem actum pœnitentiæ, non recipere gratiam, & consequenter, in hoc differre à contritione ex qua illam consequimur, cum isto casu dicatur sacramentum in voto iuxta *Trid. sess. 13. can. 11. & sess. 14. cap. 4.* potest procede-

re

re de actu pœnitentiæ remiſſo , ſicuti etiã
dicimus de actu attritionis , qui neque
gratiam producit ſine effectuali ſuſceptio-
ne ſacramenti , vt in *d.c.4.* ſed quando ac-
tus pœnitentiæ eſt perfectus , quia inclu-
dit etiam propoſitum nõ peccandi de cæ-
tero , vt dictum eſt , & ſucceſſiuè compa-
ratur , ſeu eſt idem quod contritio, dubiũ
non eſt gratiam tribuere. Non enim eſt ac-
16 tus pœnitentiæ ille , quem exemplificat
Bonac. ibidem de volente ſatisfacere Deo
pro injuria ſibi illata, quia velle facere non
eſt facere *l. qui non facit ff. de regul. iur.* & ſi-
militer velle pœnitere, non eſt pænitere ;
ſed actualiter, & perfectè pœnitere , hæc
eſt vera pœnitentia , quæ in hoc concor-
dat cum contritione, vt dictum eſt.

Pœnitentia .

SVMMARIVM.

1 *Definitiones variæ Sacramenti Pænitentiæ referuntur, & n. 7.*
2 *Attritio ſufficit cum ſacramento pænitentiæ ad ſalutem .*
3 *Propoſitum ſatisfaciendi , cæteris concurrentibus, ſufficit in confeſſione , & n. 5.*
4 *Ablatiui abſoluti important conditionem.*
6 *Actus pænitentis in confeſſione qui ſint ?*
8 *Confeſſionis , quæ ſit materia.*
9 *Pænitentiæ ſacramentum exercetur ad inſtar actus iudicialis , & n. 10. vſque ad 13. Eſt neceſſarium ad ſalutem, ſaltem in voto num. 14.*
15 *Contrariorum eadem eſt diſciplina .*
16 *Læſæ Maieſtatis crimen inter alia ſingularia habet, vt puniatur affectus non ſecuto effectu , aliquo tamen modo declaratus, ſed quid in raptu monialium ? num. 17.*

INTRODVCTIO.

QVo ad nominis etymologiam dictum
eſt ſupra *v. pænitentia vti vir-
tus in introd. nu.* 1. in quantum at-
tinet ad idem nomen pænitentię vti virtu-
tem, quæ quia vti talis, eſt pars pœniten-
tiæ vti ſacramenti , (de quo nunc loqui-
mur) vt ibidem dictum eſt *n.4.* & quia in
multis conueniunt , vt ſupra reſol. 141.
propterea tranſeo ad eius definitionem
variè à DD. traditam. *Lancell. enim inſtit.*
1 *can. de pænit. & remiſſ. in princ. ita definit; eſt
ſacramentum, quod contritione, confeſſione, &
ſatisfactione concurrentibus , peccatorum ope-
ratur remiſſionem* ; ſed iſta non placet ex
multis, ſiquidem *ex Trid. ſeſſ.* 14. *cap.4. hoc*
2 *tit.* ſufficit attritio cum ſacramento , nec
requiritur præſentialiter ſatisfactio , ſed
3 tantùm propoſitum ſatisfaciendi , vt
infra, & cum ipſe eam ponat per modum
4 ablatiui abſoluti , quod importat conditi-
onem , *l. fidei commiſſa* §. *cum eſſet ff. de lega.*
3. DD. in rubr. ff. ſolut. matrim. videtur vel-
le , quod ea quomodocumque non cõcur-
rente, non remittantur peccata ex natura
conditionis , quæ nihil ponit in eſſe , niſi
purificetur *l. id quod ff. de conſt. pecun.* quod
eſt falſum vt infra.

5 Item dum non aperit , cui ſit facienda
confeſſio , poſſet intelligi , quod ſufficiat
confiteri alteri, vel non ſacerdoti, vt dicunt
hæretici per illud Iacobi cap. 5. ibi, *Confi-
temini alterutrum*, vel ſacerdoti, non habẽ-
ti licentiã ab Ordinario, quorum neutrum
eſt verum ex *Trid. cap.6. & 7. & can.10. hoc
tit. ſeſs.* 14. nec placet quam tradunt *ad-
dent. ibid. ex c. ecce de pænit. diſt.* 1. *& c. pæni-
tentia eod. tit. diſt.* 3. quod ſc. ſit præterita
mala plangere, & plangenda iterum non
committere ; hæc n. dicit *Gl. in d. c. pæni-
tentia*, eſt potius effectus pęnitentiæ, quàm
definitio . Minus placet illa *Bonac. tom.* 1.
*diſp.5. q.2. pun.2. nu.1. videlicet , eſt ſacra-
mentum conſiſtens in actibus pænitentis , &
abſoluentis , inſtitutum à Deo per modum iu-
dicij emendatiui ad remiſſionem peccatorum* ;
quia actus, ſi generaliter ſumantur, inclu-
dunt quamcumque actionem humanam
etiam ſeruilem , vt conſtat *ex tit. ff. de iti-
nere actuque priuato, & inſtit. de ſeruit. ru-
ſtic. §. actus eſt*, & propterea *Trid. cit. cap.3.*
6 loquendo de talibus actibus, eos ſtatim
reſtringit ad contritionem, confeſſionem ,
& ſatisfactionem : & ſi ſpecialiter ſuman-
tur , non declarat , an actus debeant eſſe
attritionis, vel contritionis .

7 Amplector propterea definitionem *Na-
uar. in man. cap.22. n.11.* cui addo ſolùm
in fine (cum debita intentione) quo ad-
dito talis eſt. Eſt ſacramentum, quo ſacer-
dos ſibi ſubditum , & confitentem legitĩ-
mè ſua peccata cum iuſto dolore , & pro-
poſito ſatisfaciendi , abſoluit ab eis cum
debita intentione. ſequuntur multi cum
Regin. lib.28. tom.2. c.7. n. 37. vbi dicit ma-
nifeſtari per eam talis ſacramenti naturã ,
quæ ex *Trid. cit. cap.5. & 6.* conſiſtit in for-
ma iudicij, in quo peccator gerit perſonã

Rei cum dolore confitentis peccata; sacerdos verò personam Iudicis, vti ministri Dei, dantis sententiam absolutoriam præuia salutari pœnitentia, satisfactioneque iniuncta.

Cum autem in hoc sicut in cæteris sacramentis requirantur materia, forma, &
8 intentio, constat inesse relatæ definitioni materiam tàm remotam, vt sunt peccata, quàm proximam vt sunt pænitentis actus, contritionem st. vel attritionem, confessionem, & satisfactionem, vel propositum satisfaciendi, de quibus D.*Tho. par.3. qu.* 84. *art.1. & 2.ad 1.Tolet.lib.3.cap.3.num.2. & cap.4.n.2.* formâm, vt est absolutio, de qua supra v.absolutio, & in Rit. Rom.de pænit.in princ.& intentionem, quæ triplex est, vt omnes sciunt; actualis st. virtualis, & habitualis, de quibus sigillatim, & quæ ex illis in hoc sacramento requiratur, vide infra *resol.*160.à *n.*12.*& alijs in locis*; sed an venialia sint etiam materia huius sacramenti dicetur *resol.seq.n.6.*

9 Si ergo in eius administratione exercetur iurisdictio, & est verum iudicium, dum in eo profertur sententia per sacerdotem, vti iudicem iuxta *Trid.cap.2.sess.cit. ibi sed ante hoc Tribunal, &c. & in cap.6.eadem sess. ibi ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à iudice sententia pronunciatur, & in can.* 9.
10 *ibid.* Modo iudiciū debet cōstare ex tribus personis, nēpe Actore, Iudice, & reo, vnoq; ex his deficiente, nullū est.*c.forus de verb. & rerum signif.* ergo opponunt aliqui, cum in hoc iudicio pœnitenti duo tantùm interueniant, nempe Iudex, & Reus, nullum erit iudicium, & nulla absolutio. Sed res-
11 pondetur in hoc etiam iudicio tres adesse, cum propria conscientia, actoris vice fungatur vt *in psalmo* 48.*ibi, iniquitas calcanei mei circundabit me*, & in praxi vnusquisque cernit propriam conscientiam, cū ream intuetur; semper contra ipsum exclamare, addit *Caramuel in Theol.mor.lib.3. disp.4. nu.* 1478. pœnitentem esse reum in quantum peccauit, actorem autem, in quantum peccata detestatur, & accusat; ergo iudicium est validum, *arg.etiam c.qualiter, & quando* 24.*de accus.* & vide *infra resol.*149.*n.*24.

12 Quod autem hoc sacramentum sit omnino necessarium ad salutē, si adsint mortalia, etiam si esset vnum, nemo est, qui ignorat, & legitur in *Trid.sess.*14.*cap.*1. *& can.6.* quod propterea *idem Triden.sess.* 14 *can.*2. *& c.*2. *de pænit.dist.* 1. D.*Ambros. ad Virginem lapsam.c.*8. *& D. Thom.par.3.qu.* 84.*art. 6.* vocant secundam tabulam post naufragium, & ibidem *art.* 5. arguit contra de adultera, quæ absque confessione
13 sacramentali fuit absoluta à Christo Domino; sed respondet hoc pertinuisse ad potestatē Excellentiæ, quam solus Christus habuit, cuius vigore effectum sacramenti, ei contulit sine exterioris pœnitentiæ sacramento, licet non sine interiori pœnitentia, quàm ipse in ea per gratiam est operatus, sed tunc sufficiebat ad salutē virtus pænitentiæ, cum postea fuerit à Christo hoc sacramentum institutum, vt ex *Trid.sess.7.can.1.& sess.14.c.1.ex Io.* 20. ideoque falsò alij putarunt institutum in Paradiso terrestri, aut a Iosuè, aut ab Apostolis. *Iacob.5. vide Theolo. in 3. par. qu.* 84.*art. 7. Faust.2. de pænit.q.6.Nauar.in man.c.2.n.2.*

14 Similiter certum est, satis esse ad salutē istud sacramentum in voto, si non potest recipi in re, id est per actualem confessionem, quæ postea necessaria erit data confitendi opportunitate, *Trid.loco cit.cap.4. & sess.6.c.*14.Hinc *in psal.*31. *dixi confitebor, & tu remisisti, &c.* (quamuis hoc intelligatur de confessione interiori, quia tunc non erant instituta sacramenta, vt diximus; sicuti enim, si quis statuit offendere Deum mortaliter, contrahit suam indignationem, etiamsi non sequatur effectus; ita ex contrario, si conteritur, obtinet remissionē,
15 siquidem contrariorum, eadem est disciplina *l.*1. *ff.de ijs, qui sunt sui, vel alie. iur. Gl.ex Aristot. in §.1. v. simul. instit eod.tit.* Quod etiam dispositum est in crimine læsæ Maiestatis humanæ *l.quisquis C.ad l.Iul. Maiest. ibi, eadem seueritate voluntatem sceleris, qua effectum puniri iura voluerunt,* & sic fuit seruatum in Ciuitate Neap. annis præteritis contra Principem Sanxi, qui solum voluntatem suam prauam explicuit absque aliqua attentatione requisita, etiā
16 in raptu virginum Deo dicatarum per *l.si quis C. de Episc. & Cler.* quem tex. gratis propterea allegant aliqui DD. ad hoc propositum; bene verum est requiri explicationem voluntatis, cum nuda cogitatio sit solùm Deo nota, & consequenter impunibilis ab hominibus *l.cogitationis pænam ff. de pæn.*

An

An votum pœnitentiæ sacramenti requiratur explicitum, vel satis sit implicitum, an pro venialibus clauibus submissis actus amoris Dei sufficiat absque dolore formali, & num pro mortalibus ritè confessis, si iterum clauibus supponantur, sit noua attritio necessaria.

SVMMARIVM.

1 *Confessio in voto in casu necessitatis an satis sit ad salutem, si votum sit implicitum, & nu. 3. Quod declaratur .nu. 4. & 5.*

2 *Taciti, & expressi idem est iudicium.*

6 *Venialia possunt taceri in confessione absq; peccato; sed si ei supponantur, an necessaria sit attritio, vel sufficiat actus dilectionis Dei? num. 7. vsque ad 10.*

11 *Confessio est pars principalis materia proxima.*

12 *Attritio in confessione mortalium, aliàs ritè confessorum, non est de necessitate iterãda, dummodo talis dolor non sit retratactus, quamuis contrarium doceant alij, quod bonum est pro maiori serenitate cõscientiæ, & n. 13. vsque ad finem.*

Resolutio CXXXXIII.

1 AD primum, *Caiet. lib. 1. opusc. opusc. 4. q. 1. Belarm. lib. 2. eod. tit. cap. 6. & 7. & alij* docent necessarium esse votum explicitum, sed multi apud *Bonac. to. 1. disp. 5. q. 2. pun. 3. n. 8.* volunt contrarium, ea ratione, quia in contritione inest vtrumque, dolor, st. de præteritis, & propositum saltem tacitum de futuro com confessione, data opportunitate, facienda ex *Trid. sess. 14. cap.*
2 4. sed taciti, & expressi, idem est iudicium, eademque virtus *l. cum quid ff. si cert. pet.* ergo sufficit votum implicitum, quam rationem roborat *Regin. lib. 28. cap. 27. post nu. 42.* quia contritio est ex se sufficiens ad mortalium remissionem, cum semper sit illi coniuncta gratia. citat *Ezech. cap. 18. nu. 21. & 22.* modo contritio non requirit actualem memoriam confessionis faciendæ, sed tantùm dolorẽ de præteritis cum proposito illi tacitè insito non peccãdi in futurum, ergo.

3 Mediam tamen opinionem sequi placet quod, aut quis cum elicit actum contritionis, totus dolori intentus, non recordatur de confessione facienda, & proposito de futuris vitandis, & tunc sufficit votum implicitum; aut recordatur, & negligit proponere, & data opportunitate confiteri, & non sufficit, ita *Nauar. in man. cap. 1. nu. 6. & 11. ex Andr. de Vega lib. 13. cap. 21. de iustific. Sylu. v. contritio q. 1. & postea Suar. tom. 4. disp. 17. sect. 3. n. 9. in fine, Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 7. q. 8. pun. 6. circa finem, Dian. par. 3. tract. 4. resol. 119.* licet *Regin. loco cit. in fine,* dicat ex hoc argui tãtùm posse, fuisse imperfectam contritionem.

Sed isto casu oon sufficeret votũ implicitum, cum secundum omoes ad hoc vt tale sacramentum in voto sufficiat, necessaria sit perfecta contritio, non autem attritio, quæ requirit actualem confessionẽ *Trid. vbi supra cap. 4.* ad rationem Regin. cum authoritate Ezech. respondetur, procedere per legem veterem, quando non
4 erant instituta sacramenta, nec meo videri, potest assignari ratio, ex qua possit quis excusari tempore, quo conteritur, & in mente habet peccata, si non proponat confiteri, & futura vitare. Quod au-
5 tem dicit *Summa Corona hoc eod. tit. post. n. 11.* requiri st. propositum explicitum, quando vrget tempus confitendi, veluti in Paschate, vel in articulo, aut periculo mortis, reincidit in idem, quod supra diximus; nam in his, & similibus casibus, verisimile est haberi in mente confessionem, & propterea, omittendo tunc propositum, non daretur excusatio, oisi inesset inculpabilis ignoraotia:

6 Verum quamuis venialia sint etiam materia huius Sacramenti, non tamen necessaria, sed sufficiens, cum oon tollant gratiam; & ideò omitti posse in confessione absque peccato legitur in *Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7.* posito tamen quod quis de illis confiteatur, (& est responsio ad secundum) non sufficit actus dilectionis Dei iuxtà *Henriq. lib. 4. cap. 26. n. 7.* quia, licet iste actus, sit perfectior, & de se sufficiens contra omnia venialia, vt dicunt omnes, & præcipuè *D. Tho. par. 3. qu. 87. art. 3. in corp.* non tamen est materia Sacramenti, quam concilia, & Patres dicunt necessariam, dolorem st. actualem *Regin. lib. 5. sect. 1. nu. 47. Bonac. d. disp. 5. q. 3. pun. 2. num. 8.* tolluntur ergo ex actu dilectio-

ctionis Dei, non ex vi Sacramenti.

8 Sed addit Regin. ibidem, deficiente tali dolore actuali, vel virtuali, & existente complacentia de aliquibus venialibus, clauibus suppositis, non per hoc cõmitti mortale peccatum, sicuti dicunt aliqui DD. apud *Suar.* statim citandum, dummodò dolor adsit de alijs, quia integritas attritionis de omnibus venialibus non est de necessitate Sacramenti, sicut nec integritas confessionis de ijsdem, vnde sicut non obessent Sacramento, si nullo modo supponerentur clauibus, vt dictum est, ita si non sufficienter supponantur *Suar. tom.4.disp.20.sect.6.num.7. & disp.22.sect.10.num.7.* imò alij putant neque attritionem supernaturalem, si clauibus supponantur requiri, quos retuli supra *resol.45.num.12.& seq.* sed naturalem tantum, quod ex rationibus ibi, *& resol.46.in fine* dictis, videtur esse probabile.

9 Insuper notandum est numquam remitti illa venialia, siuè clauibus supposita, siuè quocunque alio actu, vt oratione Dominica, tunsione pectoris, aqua benedicta, vel alijs quam pluribus modis, nisi detestentur explicitè, vel implicitè saltèm in generali, in confessione, vel extrà confessionem per Sacramentalia, vel alia prædicta *D.Tho.loco cit.& ad* 1. nec remittuntur ea, quibus mens actualitèr inhæret *idem Sanctus ad* 2. quia vt rectè ait *Regin.vbi supra num.44.* dum actualiter, vel virtualiter placent, durante complacentia, quæ est causa, impossibile est cessare suum effectum; imò in confessione,
10 vel extra eam, vltrà detestationem, necessarium quoque esse propositum vitandi in futurum, si memoriæ occurrat ea cogitatio, aliàs sufficere virtuale in detestatione generali inclusum, docet etiam *Suar.loco cit.n.5.*

Ad tertium respondet *Ledesma in summa de pænit. cap.4. versic. la 2. duda es fol. mihi 195. negatiuè*, & hanc opinionem dicit esse absque dubio sequendam, quia licet non adsit distincta materia totalis, attritio st. & confessio, vt aliàs opus es-
11 set, adest tamen confessio, quæ est pars principalis materiæ proximæ, super quam benè potest cadere absolutio; & vlteriùs
12 quia supponitur dolorem confessionis antecedentis non esse retractatum, etiam si multò ante esset secuta, aliàs doctrina non procederet, & consequenter aderit in secunda, vel vlteriori confessione dolor virtualis, si non actualis, & proindè integra materia proxima, cum proposito satisfaciendi, vel satisfactione subsequente; alterutrum enim vti materiæ complementum, etiam supponitur. Eandem opinionem tuetur. *Io: de la Crux in direct. conscien.par.2. eod.tit.qu.1.* contrariam defendunt *Henriq.lib.4.cap.9.nu.4. & cap.26. num.7.Suar.disp.18.sect.1.nu.7. Regin.lib.6. cap.4.eod.tit.nu.95.Bonac.tom.1.disp.5.qu.3. post num.9.* sed incidentèr, qui omnes hoc enunciant sub alia quæstione, num st. peccata semel dimissa, possint esse nouæ confessionis materia, quibus propterea potest responderi cum *Abb. in c. bonæ memoriæ, versic. sed mihi plus placet num.3. de postul. Pral.* quem alijs relatis sequitur
13 *Rouit.decis.20.nu.11.* quod DD.qui perfunctoriè loquuntur, nec disputant articulum, non solùm non merentur allegari, sed nec faciunt numerum in communi opinione.

14 Eodem quoq; modo respondetur *Diana par.3.tract.4.resol.116.* qui relatis sigillatim verbis Ledes.cit.dicit in fine, probabiliorẽ esse opinionem supradictorum, licet ex verbis antecedentibus appareat nõ negare opinionem Ledes. esse etiam probabilem; dum dixit ex ea posse sedari multos scrupulos, præsertim illorum, qui confitentur de peccatis venialibus, & cum illis de aliquo mortali, aliàs confesso, & absoluto, quod in tali confessione, non teneantur elicere nouum actum doloris, ergo vtraque opinio est tuta. Secunda verò magis proficua conscientiæ, quam debet vnusquisque amplecti, sed quando dubitaret in casu prædicto de dolore nõ habito, posset pro quiete conscientiæ consolari, cum rationibus pro prima opinione adductis.

15 Quæ tamen cum fuisset improbata à P. *Bernal. Societ.Iesu de Sacram. disput.6. sect.4.nu.74. ipse idem Dia.par.10.tract.16. resol.30.* quia eam probabilem existimauerat, licet contrariam probabiliorem, vt in cit. *resol.116.* corroborauit pluribus rationibus aliorum DD.& præcipuè *Cardin. de Lugo de Sacram.pænit.disp.14.sect.3. num.34. Tambur. in opusc. de confess. lib.1. cap.2.§.5.n.7.& Leand.eod.tit.tom.1.tract.5 disp.7.qu.4.* qui eandem priorem opinionem tuentur.

Vtrum confessio possit esse in formis, & an remota fictione habeat effectum?

SVMMARIVM.

1 *Confessio informis quæ sit? & quem sortiatur effectum? num. 2. cum mult. seq.*

4 *Attritionis defectu ex causa ignorantiæ inculpabilis, non committitur nouum peccatum in confessione, secus in casu contrario num. 6. & 16.*

7 *Confessarius si aduertit pœnitentem, nullum habere dolorem de peccatis, & tamen absoluit, sacrilegium committit.*

11 *Materia Sacramenti pœnitentiæ quæ sit? qua deficiente Sacramentum non conficitur, & num. 12.*

13 *Nullum quod est quoad effectum, est etiam tale quoad substantiam, & num. 14.*

15 *Sententia non potest pro parte valere, & pro parte non, nisi quando continet capita diuersa.*

18 *Sacramenta omnia, fictè recepta, fictione recedente, aliqui dicunt habere effectum, alij hoc soli baptismo concedunt.*

23 *Error facti excusat aliquando, vt infrà in Sacramento pœnitentiæ.*

24 *Gratiam Dei habere, est ad sciendum impossibile in hac vita.*

29 *Confessio informis an sufficiat ad satisfaciendum præcepto Ecclesiæ?*

Resolutio CXXXXIV.

1 PRo cognitione terminorum, illa dicitur confessio informis; ex qua verum conficitur Sacramentum, accedente sacramentali forma, & tamen etiam post illud receptum, informis manet, quia non est sufficiens ad effectum eius consequendum ex defectu doloris, vt post alia exempla tradit *Suar. de pœnit. to. 4. disp. 20. sect. 5. n. 1. in fine*, & dicitur informis, idest non formata caritate, seu gratia Dei *D. Thom. in suppl. 3. p. qu. 11. art. 1.* itaque est valida quoad substantiam, inualida, quoad effectum, vt percipitur etiam ex eod. *D. Tho. in 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. & alys*. Ad cuius quæsiti responsionem *Suar. ibidem num. 7.* post relatas tres sententias omnium ferè antiquorum cum nonnullis modernis, easque reiectas dicit, tunc solùm

2 dari confessionem informem, quando pœnitens sine noua culpa confitetur cum vera attritione aliquorum peccatorum, non verò omnium, quæ commisit, & istam dubitatiuè asserit sufficientem esse ad cóficiendum validum Sacramentum, sed non ad consequendum eius effectum, nempè gratiam.

3 Verùm cautiùs agendo se remittit ad dicta *in anteced. sect. n. 25. & 26.* vbi distinguendo dicit, quod si pœnitens sciens, vel ex ignorantia culpabili omisit attritionem alicuius peccati mortalis, licet de alijs eam conceperit, confessio sit nulla, si verò illa omissio attritionis contigerit ex ignorantia, vel inaduertentia inculpabili, non sit simpliciter nulla, sed solùm teneatur peccatum illud iterùm confiteri, cuius veram attritionem non habuit, si defectum commissum ampliori discussione, postea facta recognoscat; vel vt subdit *d. sect. 5. num. 15.* tollitur etiam attritione generali, vel saltem attritione speciali peccati prædicti absque noua confessione, si modo aliud nouum mortale non commisit (cum neque ex defectu attritionis modo relato, mortale committatur, vt 4 ipse supponit;) quod si aliud nouum mortale commiserit post talem confessionem, tunc nó possit remoueri ille obex sine contritione, vel confessione talis peccati, quia Sacramentum priùs receptum, nequit habere efficaciam circa peccatum postea commissum, & hanc esse veram sententiam fatetur *ibidem n. 7. in titulo quæstionis*.

5 Quamuis autem *Alens. Vasq. & alij apud Lanfranc. in opusc. de pœnit.* sustineant non posse Sacramentum pœnitentiæ esse validum, & informe; communis tamen opinio est in contrarium, de qua *D. Tho. in 4. dist. 17. qu. 3. art. 4. quæstiunc. 1. & par. 3. supplem. qu. 9. art. 1. Suar. cit. Thomistæ, & alij*. Dicit ergo Sanctus accedentem ad tale Sacramentum sine contritione, non teneri iterare confessionem, sed non percipere fructum absolutionis, nisi recedente fictione; rationem assignat ibidem *ad 2. & 3.* quia st. contritio, & satisfactio fiunt Deo, sed confessio fit homini, & ideò de ratione contritionis, & satisfactionis, est quod homo sit Deo per caritatem vnitus, non autem de ratione confessionis, & proinde valet confessio quoad substantiã,

 non

non quoad effectum, quo tamen frui incipiet recedente fictione per actum contritionis etiam post confessionem.

6 Quam fictionem explicat *Caiet. sup. & in to. 1. opusc. tract. 5. qu. 5.* non esse intelligendam de ea, quæ pertinet ad substantiam Sacramenti, veluti si confitens non intenderet recipere Sacramentum, sed derisoriè agere, vel si nollet confiteri omnia mortalia, vel nullo modo de præteritis dolere, aut futura cauere, quia in his casibus, & vnoquoque ipsorum sacrilegium committeret, & teneretur iterare confessionem iuxtà comm. omnium sen-

7 tentiam, de qua ipse ibidem testatur; Imò si confessarius absolueret eum, aperientem tales defectus in confessione, etiam sacrilegium committeret propter iniuriam, quam inferret Sacramento *Nauar. in c. fratres n. 34. de pænit. dist. 5. & omnes.*

8 Sed fictionem à D. Tho. ibi intentam, ait Caiet. in primo notabili, esse ignorantiam crassam, non malitiosam, quia licet talis cõfitens adhuc affectum peccati cordi teneat, tamen secundum suam crassam estimationem putat rectè agere, quæ tamen ignorantia crassa non excusat totalitèr, sed solùm à repetitione confessionis, & ideò tenebitur defectum prædictũ in sequenti confessione aperire, doloremque in àntecedenti confessione non habi-

9 tum habere; Et licet hanc sententiam improbabilem dixerit *Suar. vbi supra sect. 5. num. 4. & 5.* eam tamen amplexi sunt *Syl. v. confessio 1. q. 22. & 23. Victor. in summa hoc tit. n. 144. Palud. dist. 17. qu. 8. Nauar. in d. c. fratres nu. 33. alyque relati à Couar. in c. alma mater par. 1. §. 4. num. 13. de senten. ex com. in 6.* quibus fauent *tex. in c. quod quidem 5. de pænit. & remiss. & c. si quis autem iuncto §. fin. de pænit. dist. 3.*

Verùm hanc crassam ignorantiam ex alio capite puto non excusare, cum sit idem, quod lata culpa; ignorare st. quod omnes sciunt *l. regula §. sed facti ff. de iur. & facti ignor. l. latè de verb. & rer. signif.*

10 imò æquiparatur dolo *l. quod Nerua ff. depositi, & l. 1. §. hæc actio ff. si mensor fals. mod. dixer.* vnde dicit *August. in cap. fin. dist. 37.* non excusari eos, qui habentes à quo discerent, operam non dederunt, & proinde succedit regula legis, quod fraus, & dolus nemini debet prodesse *l. ex facto 31. in fine ff. de negot. gest.* & consequentèr cum quis dolosè accedit ad confessionem, non non potest lucrum reportare, vt confessio valeat, dum talis crassa ignorantia, non differt à malitiosa.

11 Quibus addo quod postquam Trid. declarauit, materiam huius Sacramenti esse contritionem, vel attritionem, confessionem, & satisfactionem, vt *in sess. 14. c. 3. & 4 hoc tit.* videtur, non posse subsistere confessionem absque attritione, cum ignorantia iuris neminem, si maior est, regularitèr excuset *l. penult. & fin. C. de iur. & facti ignor.* Et si D. Tho. secundum expositionem Caiet. per fictionem, intellexit ignorantiam crassam, non est interpetrandus de ignorantia circa prædictos defectus substantiales, sed tantum accidentales, vt esset modica negligentia in examine conscientiæ, & similes, vel si interpretur de prædictis defectibus essentialibus, loquitur de contritione, vt in locis cit. legitur, non autem de attritione.

12 Præterea ex eodem defectu attritionis esset talis confessio contra statuta per idẽ *Trid. in cap. 14. de iustif. sess. 6.* & proinde nulla, vti contra legem arg. *l. non dubium C. de ll. & l. 1. §. item cum contra ff. quæ sen-*

13 *tent. sine appell. rescind.* & consequentèr, si nulla, nec potest valere quoad substantiam, quia non entium, nullæ sunt partes *l. eius qui in Prouincia ff. si cert. pet. Gl. in §. ea quoque res v. futura instit. de legat.* & hoc ex alijs medijs certissimum, & tenendum esse dicit *Eman. Sà v. confessio num. 6. & 7.*

Inualida iterùm etiam ex alia ratione fortasse dici potest, non solùm quo ad effectum, vt dicunt omnes, sed etiam

14 quo ad essentiam; etenim absolutio Sacramentalis est actus iudicialis, quo à Sacerdote habente iurisdictionem, sicuti à Iudice, sententia pronunciatur *Trid. sess. 14. cap. 6. & can. 9. de pænit.* sed sententia

15 quando continet vnum caput, est indiuidua, & non potest pro parte valere, & pro parte non *l. in hoc iudicio ff. famil. ercisc.* ergo absolutio prædicta, si non valet quo ad effectum, neque valebit quoad essentiam, nec ad rem pertinet *tex. in l. Carmelia Pia ff. de iure Patron.* vbi sententia pro parte valet, & pro parte non, quia istud procedit, quando continet plura capita, & tunc dici solet, quot capita, tot sententiæ; sed in sententia absolutoria confessarij vnum solum caput continetur, nempe absolutio à peccatis, & sic est indiuidua; nec valet responsio, plura esse

pec-

peccata, & proinde plura capita, quia sententia absolutoria est vna, & nequit inferri nisi super omnibus indiuisibilitèr, cum non possit remitti vnum mortale sine alijs *D. Tho. 3. p. qu. 86. art. 3.*

Quæ veritas clarior fit ponderando doctrinam *Nauar. in cit. c. fratres nu. 35. & in man. cap. 9. num. 13.* quem alij DD. simplicitèr secuntur, vbi dicit quod si præterita displicent, & futura vitanda proponuntur, quamuis non tàm displiceant, nec tàm vitanda proponantur, vt ex his conflectur conrritio, delendis peccatis sufficiens, neque attritio talis, quæ per Sacramenti adiunctionem fiat contritio, non oportet confessionem iterare. Ex quibus colligi-
16 tur secundum ipsum, quod etiam si quis cognoscat non habere dolorem, et propositum sufficientia, adhuc confessio erit valida; quod videtur absurdum, quia cognito hæc deficere, adest per necesse affectus ad peccatum secundum Suar. & alios per eum relatos *disp. 20. sect. 4. nu. 11. tom. 4.* & parum videtur differre iste casus ab antecedenti de confessione sacrilega *ab eod. Nauar. sup. nu. 7.* relato, nisi quo
17 ad expressum, vt ibi, & tacitum, vt hic; quæ si in foro exteriori non differunt, vt *in titulis ff. quib. mod. pign. vel hypot. & C. in quib. caus. pign. vel hypoth. tacitè contrah. iuncta l. cum quid ff. si cert. pet.* multò minus apud Deum, qui pari modo scit vtrumq; His tamen non obstantibus non audeo cōtra tor, & tantos Patres aliquid ex dictis inferre, eo magis cum asserat *Villalob. in summa to. 1. tract. 5. difficult. 21. num. 2. que*
18 *en esta quastion no ay cosa cierta*; Multi enim, & graues DD. relati per *Dia. par. 5 tract. 13. resol. 30.* volunt omnia septem Sacramenta fictè recepta, recedente fictione suum sortiri effectum, sed alij aliquibus ex eis, & alij baptismo tantum hoc concedunt.

19 Mea tamen opinio est, quod confessio informis tunc regulariter dici possit, si contingat aliquem re vera non habere attritionem, qualem esse oportet, & tamen prudentèr æstimet eam habuisse, cum cognoscat præcipuè affectum ad peccatum aliquod non habere (quod vnusquisque si sibi fictitiè non blandiatur, facilè percipere potest;) sed nihilominus ampliori conscientiæ discussione post confessionem facta, vel alio quouis modo defectum prædictum detegat. Et tunc licet ista putata attritio, non sit talis apud Deum, vt cum confessione ad peccata delenda sufficiat, est tamen validum Sacramentum in substantia, & noua confessio non requiritur, caret autem effectu gratiæ, quæ, accedente postea quandocunque vera attritione, etiam accedit, dummodò inter talem confessionem, & veram attritionem, nouum mortale non interueniat (suppo-
20 nitur enim in tali confessione informi, mortale non committi propter bonam fidem ex ignorantia inuincibili facti, quæ ibi concurrit, & consequentèr excusat *c. si virgo 34. q. 2. c. 2. de regul. iur. in 6. & c. ignorantia eod. tit. Suar. disp. 20. to. 4. sect. 5. n. 15.*)

21 Ad tale autem nouum mortale delendum, si interuenerit, non sufficit attritio absque confessione, vt est regulare de omnibus mortalibus iuxtà *Trid. sess. 14. cap. 4.* neque contritio sola, nisi desit confessarius, & tunc sufficit sacramenti prædicti votum *d. cap. 4.* quamuis contrarium incautè dixerit *Suar. dicto num. 15.* sufficiet ramen confessio illius solius mortalis, dummodò vera attritio interueniat, tàm de isto, quàm de alijs peccatis informitèr, vt supra in alijs confessionibus confessis, vt bene tradit *idem Suar. sub eod. num. 15.* Et hanc esse confessionem informem do-
22 cent *Petrus Soto lect. 8. de confess.* alijque per eum relati, quod probant ex multis, præcipuè ex regulis bonæ fidei, seù ignorantiæ inuincibilis, quæ in tali confessione cōcurrunt, vt supra, de quibus etiā *res. 19. & infra n. 23.* idē volūt *Greg. de Valent. to. 4 disp. 7. q. 11. de qualit. cōfess. pun. 3. litt. C. Henriq. lib. 5. cap. 11. nu. 3. & 4. idem Suar. d. n. 15.* quibus tamen videntur etiam obstare supradicta *sub num. 15.* quod st. non possit sententia absolutionis pro parte valere, & pro parte non, Sed respondetur conclu-
23 sionem ibi firmatam, esse nō posse vnum peccatum mortale dimitti alijs retentis, secus quando sentētia plura capita saltem virtualitèr continet, de perse separata, vt hic; vnum n. est caput validitatis, vel inualiditatis confessionis, alterum est effectus gratiæ, proinde valida potest esse confessio in substantia, Inualida quo ad effectum arg. eiusdē *tex. in l Carmelia pia ibi cit.* prout in simili dicimus quod possit super vno eodem fundo esse quæstio de possessione, & de proprietate, & nasci sentētia diuersa *l. 1. ff vti possidet. & l. naturaliter §. nihil commune ff. de acquir. pos.* alias

non posset dari confessio informis, quàm
tamen *D.* Thom. & omnes admittunt, vt
dictum est supra n. 6. & in fine &t dicetur.

Item dico Sacramentũ tali modo rece-
ptum validum esse ex errore facti, qui re-
gulariter excusat *l.2.ff.de iur.& facti.ignor.*
ibi plerumque etiam prudentissimos fallit; tã-
ta n. est potentia bonæ fidei, vt etiam a-
dulterium cum coniuge alterius, qui pu-
tabatur solutus, dum erat coniugatus, &
fuit in virum ductus; non sit peccatum,
bona fide durante *d.c.si virgo 34.q.2.*& so-
lùm in hoc nostro casu suspenditur effec-
tus gratiæ, quæ accedit, attritione acce-
dente, & dum hæc bona fides cessat in a-
lijs supradictis casibus per DD. relatis, vt
dictum est, merito cessat ibi dispositio, à
ratione, & causa cessantibus *c.cum cessante*
de appell. & l.adigere §.quamuis ff. de iure
patron.

24 Adde pro confirmatione, quod si quis
sciret ire ad confessionem cum contrione,
vel vera attritione, sciret consequenter,
confessione secuta, esse infallibiliter in
statu gratiæ, & amicum Dei *cap.4. & 5.de*
pœnit. dist. 1. quod tamen impossibile est
consequi in hac vita *c.accepimus de purgat.*
canon.ibi etiam si simplex fuero, hoc ipsum
ignorat anima mea, & in c.9. Ecclesiast. ibi
nemo scit an odio, vel amore dignus sit; & è
contra si semper dubitaret de confessione
inualida; vtique semper oporteret iterare
confessionem; quod esset nimis graue; &
etiam si millies iteraret, semper esset in
eadem dubietate, cum impossibile sit pos-
se hoc pro certo in hac vita sciri, vt dictũ
est, & proptera satis erit attritio subse-
quens, quę, & proficiet ad effectum gra-
tiæ consequendæ, & ad eandem multipli-
catis actibus augendam.

25 Quod etiam proderit ad sedandas om-
nes conscientias, sæpè à dubijs vexatas, si
malè, vel benè confessi sint; quotiescum-
que n. similia dubia occurrerint, atterãtur,
& sufficit, dummodo in confessionibus an-
tecedentibus, si defectum fuerit à vera
attritione, comes fuerit bona fides, seu
ignorantia inuincibilis facti eo modo, quo
supra explicatum fuit; & licet secundum
magis rigorosam opinionem requireretur
copulatiuè eodem tempore vera attritio,
& confessio pro materia Sacramenti, & in
casu prædicto defuerit talis attritio, atta-
men ex bona fide excusatur, & adest ma-
teria licet immunda, sed sine culpa, vt in
fortioribus terminis docet *Sylu. v.confessio*
26 *1. num.27.* A qua opinione nec discrepat
idem Suar. vbi supra *sect.4.post nu.22.*licet
asserat hunc casum, aut rarò, aut numquã
contingere posse, & tamen in praxi omnia
circa hoc dubia versari cernitur.

Ad argumentum Nauar. *loco cit.n.36.&*
sequacium, quod st. alia sacramenta pos-
sint esse valida quo ad essentiam, & inua-
lida quo ad effectum etiam si dans, & re-
cipiens sint mortali peccato infecti, vt in
baptismo, qui validè confertur, non solùm
in peccato existẽti, sed etiam infideli, quã-
uis cum fictione illum recipiant *c. sicut fi-*
cti 1. *q. 1. c. maiores §.item quæritur de bapt.*
D. Tho.par.3. q.68. art.8. & q.69. ar.9 er-
go idem debeat esse in sacramento pœni-
tentiæ cum nullibi reperiatur contrarium
statutum, vt ipse testatur. Respondetur
27 per doctrinam eiusdem *Sancti in 4. dist.*
17. qu. 3. art. 4. quem refert, & sequitur
Suar. loco cit.sect. 5.sub n. 3. quod in nullo
Sacramento contritio, quæ est dispositio
ad gratiam, & remouet obicem, est es-
sentialis pars sacramenti, nisi in hoc, &
constat etiam ex *Trident. citat. sess.* 14.
*cap.3.*vbi vt dictum est, assignatur pro eius
materia contritio, in baptismo autem ma-
teria est aqua, & ablutio, & in alijs, aliæ
materiæ, quod si opponatur attritionem
in adultis baptizandis esse etiam materiã,
respondetur hoc permitti, quia baptismus
non potest iterari *c.3.§.itẽ quæritur de bapt.*
sicut nec ordo, vel confirmatio, prout po-
test pænitentia, & consequenter si etiam
illa essent omnino inualida ex defectu at-
tritionis, numquam possent amplius re-
cipi, proinde cũ sit diuersa ratio de illis ad
pęnitẽtiã, diuersa est iuris dispositio *l.Pa-*
pinianus exuli ff. de minor. l.si seruus ff. ad l.
aquil. Eucharistiam verò, extremam vnc-
tionem, & matrimonium non dubitatur
posse validè confici, non solùm si cogno-
scatur nullam adesse attritionem, sed etiam
si conficiantur in peccato, vt omnes sciũt,
& suis locis dictum est; quod de sacra-
mento pœnitentię nullus dicit, & prop-
terea si in actu confessionis attritio omni-
no deficiat, & ita probabiliter iudicet pæ-
nitens, non potest confici sacramentũ, quia
deficit pars principalis ipsius, nõ sic quan-
do probabiliter iudicat se attritum, quia
adest materia, licet immunda, sed existi-
mata inuincibiliter munda, vt supra fuit
dictum.

Ad-

18 Adde quod si procederet argumentum Nauar. de baptismo ad istud sacramentũ, posset quis cum peccato cognito, & non retractato accedere ad istud, & valeret, sicuti valet baptismus, taliter receptus, vt diximus, quod tamen idem Nauar. negauit in *d.c.fratres n.34.* & de hoc nemo dubitat, vt supra etiam dictum est, & quamuis contrariam sententiam, vti in schola D. Tho. communiter receptam, probabilem vocet *Dian.par.2.tract.17.resol.31.* loquitur tamen de nullitate confessionis ex defectu examinis, nos autem ex defectu
19 doloris. An autem supposito sacramento informi satisfactum sit præcepto annuæ confessionis, consequenter disputant *Suar. disp.25.sect.4.Palud. Gabr.Sot. aliique in 4. dist.17. & seq.Nauar.cap.10.& Faust.4.de pœn. qu. 53. cum seq.* & magis communiter affirmãt, quia quoad substantiam impletur præceptum, sed de hoc infra resol. 151.

Vtrum peccata dubia sint materia sufficiens confessionis; quid si dubitetur, an sint reseruata, vel non; & quid si quis recordetur commisisse aliquod mortale, sed non de specie peccati; & tandẽ num mortalia ritè confessa, & absoluta, possint esse materia nouæ confessionis?

SVMMARIVM.

1 *Dubia peccata in Tribunali pænitẽtiæ quatuor modis contingere possunt, & num sint de necessitate illi subycienda? nu.3. cum multis seq.*
2 *Dubium quid sit? quid opinio? num. 6.& an possit amplecti probabilis relicta probabiliori & n.7. & 8.*
10 *Sententia inferri nequit contra reum, nisi conuictum, vel confessum.*
12 *Absolutio in multis casibus potest dari sub conditione.*
13 *Reus accusatus, quamuis non possit condemnari, nisi conuictus, vel confessus, nequit tamen liberari, si contra eum indicia aliqua appareant, sed quid eo casu agendum sit? & n.15.*
14 *Accusanti non creditur in foro exteriori, etiam si fuisset vulneratus, & in accusatione vsque ad mortem perseuerasset.*
16 *Tortura inferri solet, quando adest contra reum semiplena probatio, & nolente reo illam subire, transigitur iudice annuente.*
17 *Reo in fortijs non existente, si indicia contra ipsum sunt sufficientia, fit forisditatus, & potest à quocunque impunè occidi; quod si in eo statu capiatur, punitur pœna mortis absque alia sententia. & n.18.*
20 *Peccata in dubio, si dicantur reseruata, vel non, quis iudicabit?*
21 *Hæresim externam proferens, & dubitans si interius ita etiam senserit, iudicandũ est consensisse, & esse casum reseruatũ; sed quid agatur de eo in foro fori, & num.22.*
23 *Dubia peccata nequeunt in confessione pro certis fateri, & è contra, aliàs mortale committitur ratione mendacij, nisi adsit bona fides.*
24 *Mendacium dicere in confessione quando sit mortale, & quando veniale?*
25 *Oblitus de specie, vel indiuiduo peccati, quod recordatur in genere commisisse, ad quid teneatur, & quid si confessus sit in dubio, & postea recordetur de veritate?*
26 *Confessarius indoctus, si eligatur ad quid noceat?*
27 *Peccata semel dimissa, sunt materia noua confessionis, etiam si aliqua ex illis confiteantur, & alia taceantur.*

Resolutio CXXXXV.

1 AD primum hæc dubia pluribus modis contingere posse dicit *Sanch. in summa lib.1. cap. 10. n. 65.* primò quando quis peccatum commisisse recordatur, sed an sit mortale, vel veniale, nunc ignorat, & hoc pertinet ad ius. secundo an mortale commiserit vel non, tertio quando pro vero habet mortale commisisse, sed an de illo sit confessus, in mentem non venit, & hæc ad factum; quamuis autem Sanch. disputationes diuersas de his constituat, quia tamen de omnibus videtur eadem ratio, vt infra, & propterea alij DD. sub vna tantùm quæstione illas includant, eas multiplicare opus non est; sed præmitto
2 dubium definiri ab *Arist. & D.Tho. in 3.dist. 17. relatis à Sylu. v.dubiũ n.1.* quod sit contrariarum rationum æqualitas, vnde propriè homo dubitat de alio, vel circa aliquod, quando habet rationes ad vtramq; partem æqualitér, aut quasi ęqualiter mouentes, ita quod non inclinet notabiliter ma-

magis ad hoc quā ad illud; idē *Sylu.v.cōfessio 2.n.3.* dubitare(dicit ipse)est,quando nō habetur assēsus,vel credulitas alicuius, sed nec creditur,nec decreditur;quādo st. quis est in æquilibrio,nō declinans ad vnā partem magis, quàm ad aliam,saltem notabiliter, etiam si aliqualiter leuiter coniecturet sine probabili ratione de altera earum, eodem modo describitur *à Suar. to.4.disp.26.sect.6.sub n.1.de pænit.* quamuis ad aliud propositum.

3 Hoc posito respondent cōmuniter DD. teneri quemquam de peccatis dubijs confiteri, aliàs mortale iterum committere; & consequenter confessionem esse inualidam *Sylu.d.n.3. ex eod.D.Thom. Nauar.in summa cap.9.n.14. Sanch.cit.n.66. vbi DD. ad nauseam vsque refert, & addit num.69.* hæc dubia frequentius euenire in cogitationibus venereis, an st. quis consenserit desiderio feminæ, vel non, & quod teneatur explicare etiam circumstantias, nempe suum, & illius statum cum istæ similiter dubio subijciantur, & proinde illis tacitis, non explicaretur sufficienter peccatum dubium.

4 Suar. autem *tom.4. disp.22. sect.9.nu.5.* tres distinguit casus; quorum primus est, quando quis probabiliter iudicat vnam partem, & de alia non habet iudicium probabile, sed suspicionem aliquam, vel timorem, aut formidinem, & tunc potest sequi tale iudicium, ita vt si iudicet probabiliter se mortaliter peccasse, vel numquam esse confessum tale peccatū, teneatur illud cōfiteri,& è conuerso.

5 Secundus est quando pro vtraque parte habet iudicium probabile, quamuis in alteram cum maiori,vel minori probabilitate inclinet, & tunc dicit videri rem dubiam,quia illud est probabile dubium, & isto in casu asserit,quod quoties homo iudicat probabiliter nō peccasse mortaliter, vel iā cōfessum esse tale peccatum,ēt si in contrarium habeat coniecturas etiam probabiles,possit conformari priori iudicio,vt tale peccatum confiteri non teneatur,citat *Sylu.d.v. confessio 2.n.3.* & addit rationem, quia st. potest quis sequi opinionem probabilem, relicta etiam probabiliori.

Tertius est, quando habet probabiles rationes dubitandi,& non potest determinari ad ferendum iudicium probabile pro altera parte, & tunc procedere propriè communem doctrinam, quod st. teneatur sequi illas probabiles opiniones, subjiciēdo confessioni illa peccata dubia,vel è cōtra, si rationes probabiles sint pro altera parte,& sic cōcordat cū cōmuni in primo, & tertio casu. Restat ergo secundus,in quo negatiuam partem tuetur, & citat solùm Sylu. vbi supra, qui docet contrarium, nam dubium eo modo, quo supra definitum est, vult omnino confitendum esse,

6 descendit postea ad opinionis definitionem, quam dicit esse, quando quis non habet certitudinem sine hæsitatione, sed habet assensum, vel credulitatem de aliquo cum formidine oppositi, & concludit videlicet, qui ergo opinatur probabili ratione de aliquo,quod nō sit mortale, non tenetur illud confiteri, (statim autem dicam,quid iste intelligat pro probabili) sed opinio est longe diuersa à dubio,vt dictumest supra *resol. 122. num. 10.* ergo non potest inferri de illo ad istam *l. Papinianus exulis ff. de minor.* alias Sylu.fuisset contrarius sibi ipsi, cuius contrarium constat loco cit.

7 Ad rationem per Suar. adductam concedimus posse, quē sequi opinionem probabilem, relicta probabiliori (hoc enim commune est, & latius fundat *Sanch. in summa tom.1.lib.1.cap. 9. nu. 14.*) sed hoc procedit in opinionibus aliorum, non in propria, quam solus pænitens in casu proposito habet pro probabili, & proinde si posset super hoc iudicare,esset Iudex in causa propria, quod iura vetant,etiam in causis vxoris, vel liberorum, aut libertorum, & cæterorum, quos secum habet *l. qui iurisdictioni ff. de iurisdict. omni. iudic.*

8 Hinc in propria materia, & loco cit. ab eod. Suar. ait *Sylu.ex lib.Top.* illam dici rationem probabilem, quæ videtur vera omnibus sapientibus,aut maiori parti, vel saltē præcipuis eorum; (quando aūt vnus doctus, probusq; vir faciat opinionē probabilē vide *Dia.p.4.tr.4.res.30*)vnde infert *Fagund.pr.2.lib.3.c.4.n. 7.* quod pænitens non est iudex, sed testis, & accusator sui ipsius, & quod ideo debet talia peccata dubia confiteri, vt docent etiam *Nugn. in add.ad 3. par.q.9.ar.2.dub.5. in fine. Dian.p. 3. tract.4.resol.60.in fine. & par.4. tract 3. resol. 5.* vbi ex multis DD. contrariam, improbabilem existimat, oblitus eam etiam probabilem appellasse in eadem *par. 3.tract.4.resol.* 10. ex eod. Suar.cit. ibique addit non posse intelligere,quomodo pænitens sequendo opinionem probabilem se

se exponat periculo peccandi mortaliter.

9 Verum contra hæc omnia acriter insurgit doctissimus Caramuel *in Theol. mor. lib. 3. disp. 4. n. 1478. & seq.* constanter asserens non teneri aliquem cõfiteri peccata dubia ex subscriptis arg. *Pænitenti legitimè confitenti, debet confessarius absolutionem impendere, sed nõ potest absolui absolute, qui cõfitetur sub dubio; ergo. minor probatur, quia absolutio absoluta requirit materiã certam, & absolutam, quæ in huiusmodi confessione non reperitur. Secundo in nullo forensi Tribunali potest quis pæna aliqua determinata condemnare reum, antequam conuictus sit; sententia*

10 *n. quæ virum condemnat, quem tueri, & absoluere potest, iniqua est: ergo nec in confessionis Tribunali, ergo confitenti crimen dubium, imponi nequit pænitentia certa, nec dari sine conditione absolutio, igitur cum ais, si furatus sum, me accuso, Confessarius dicet, si verè furatus es, ego tibi talem impono pænitentiam, absoluo, quicquid alij clament, hoc non est ferre sententiam, hoc non est reum multare, hoc non est eum absoluere. hæc ille.* Tertio declarando sigillatim verba *Trid. sess. 14. cap. 5.* dicit patere ex illis nõ deberi peccata du-

11 bia confiteri; propterea quo ad istud tertium argumentum respondet *Dian. par. 10. tract. 12. resol. 2. §. sed his*, vbi strenuè se opponit, probando verba prædicta secundum vniuersalem interpretationem Ecclesiæ, intelligi etiam de peccatis dubiis, à qua non, esse recedendum, cum eius initiũ ab Apostolis emanasse credatur, quo ad reliqua verò dicit respondere *P. Bardi de conscient. discept. 6. cap. 11. par. 4. §. 1.*

Qua de re fouendo ego opinionem Dia. & aliorum, respondetur ad primum, quod quando vltra peccata dubia, non adessent venialia, neque mortalia præsentia, vel alias confessa (qui est casus metaphysicus) super quibus vti materia certa, benè ca-

12 dit absolutio, & pœnitentia certa, posset dari absolutio sub conditione, si st. sit materia sufficiens, nec hoc est de genere omnino prohibitorum, sed aliquando permissorum, non solùm in alijs sacramentis, præcipuè in Baptismo, quando dubitatur, an quis fuerit baptizatus, vt diximus supra v. baptismus, sed etiam in isto. Etenim quando quis ex subitaneo accidenti loquelam amisit, & antea confessionem petijt, vel etiam si non petijt, sed rectè antea vixerat, constito de bona vita antecedenti, tribuitur absolutio sub conditione, cum qua non fit iniuria sacramento, vt dictum est supra *resol. 1. & infra resol. 149. num. 17.* latius dicetur; ergo hoc idem poterit seruari in casu isto; cum valeat argumentum non solũ de casu simili ad alium similem, vt hic ex *l. non possunt ff. de ll.* sed etiam de vno sacramento ad aliud *ex D. Thom. in 4. dist. 30. q. 1. art. 1.*

13 Ad secundum respondetur distinguendo maiorem. in nullo forensi iudicio potest quis condemnari, nisi sit conuictus, vel confessus concedo; sed potest liberari aliquibus contra eum indicijs apparentibus, vt infra, nego; pro cuius intelligentia supponendum est, non dari dubium in isto Tribunali, quando quis accusat Sortem dubitans, vtrum furatus fuerit, vel Ambrosium, cum nullus testis id asserat, quæ sũt exempla eiusdem D. Caramuel (quamuis in tertio exẽplo ibidẽ per ipsum allato de Anselmo, accusato de furto rei leuis, quod non admittatur accusatio, puto falli, quia pro re, quantumuis modica, admittitur de iure accusatio *l. 2. §. si in re in fine ff. de vi bonor. rapt. §. gallinarum instit. de rer. diuisione*, vbi datur actio furti, etiam pro vna gallina adde *l. 5. ff. Arbor. furtim cæsarum l. Vulgaris ff. de furtis. & Auth. vt omnes obediant §. hæc considerantes*. quod etiam probatur ex communi eius definitione, videlicet. est contrectatio rei alienæ inuito *Domino l. 1. de furt.* non dicit rei alienæ modicæ, vel magnæ, sed indefinitè; indefinita autem æquipollent vniuersali *l. si necessarias §. si annua de pignor. act.* ergo committitur furtũ, etiam in rebus modici valoris, & consequenter datur pro eis actio

14 furti.) Etenim si loquimur de accusante, ipsi non creditur, siue asserat, siue neget, sibi furtum factum fuisse, vel vulneratum ab aliquo, etiam si vsque ad mortem in tali assertione perseuerasset *Gl. in l. mater in Gl. 1. C. de calumniat. quam dicunt communiter receptam Villalpand. super l. 22. cap. 61. post n. 8. Iul. Clar. in pract. crim. §. fin. qu. 3. n. 3. & q. 21. n. 24.* & si nullus testis id deponat, sumus etiam extra casum dubij, quia actore non probante reus absoluitur *l. qui accusare C. de edendo*, & proinde exempla nõ sunt applicabilia.

15 Est ergo dicendum, tunc dari dubium in Tribunali forensi, quando vnus testis tantum de visu, qui semiplenè probat, vel alia indicia, siue coniecturæ super facto, de quo agitur, adsunt, quæ similiter semiple-

nam

nam faciunt probationem, de quibus latissimè *In l. Clar. cit. d. q. 21. per totam, & ibi addentes*, & tunc licet certum sit condemnati accusatum non posse, cum probationes in criminalibus debeant esse luce meridiana clariores *l. sciant cuncti C. de probat. & rectè dicit Caramuel*; attamē certum est, nec pos-
16 se liberari; & tunc aut reus subijcitur, quæstioni, seu torturæ (quæ præcedente semiplena probatione, ex indicijs nascente, inferri regulariter solet, si qualitas delicti hoc patitur; aliàs minimè, vt etiam ex professo docent *Clar. cit. q. 64. num. 9. & ibi addentes*; quo casu expeditur reus eo modo, quo dictum est supra *resol. 87. num. 3.*) in qua, vel confitetur delictum, & iure merito condemnatur, quia nulla est maior probatio, quam otis confessio *l. 1. ff. de confess.* aut negat, & dicuntur euacuata indicia præcedentia, verum neque liberatur totaliter, sed præstita cautione de se præsentando nouis superuenientibus indicijs, vt practici sciunt. Aut verò reus non vult tormentum prædictum subire; & annuente Iudice, si delictum erat rale, quod probatum plenè, erat reus pœna mortis damnandus, probatum semiplenè vt supra, & accedente consensu eiusdem, transigitur in pęnam triremium, vel relegationis, aut exilij ad tempus, inspecta indiciorum, & delinquentis qualitate.

17 Quod si reus non est in fortijs, quia indicia prædicta sufficiunt ad eum citandum ad informandum, & ad capitula, tunc elapso anno fit foriudicatus, & potest à quocūque impunè occidi, quamuis nulla alia adsint indicia, vt seruatur iu Regno Neap. per *constit. pœnam eorum, vbi Afflict. n. 8. & 11. cum Regen. de Tap. ibid. & latè Foller. in pract. crim. v. foriudicentur*; quod si in
18 eo statu captus fuerit, exequitur contra eum sententia mortis, iam inflicta tempore foriudicationis ex doctrina *Bar. in l. Diuus n. 5. ff. de custod. Reor.* vbi se ita practicasse testatur, prout etiā in Ducatu Mediol. affirmat *Clar. vbi supra q. 94. n. 3. ibiq; Baiard. n. 4.* addit, ita etiam seruari in terris Ecclesiæ ex motu proprio *Py 4. & Pij 5.* si tamen sententia fuerit lata prædictis præcedentibus indicijs. Nec dicas iniustā istam foriudicationis sententiam; quia dum reus citatus comparere coram iudice recusat, ista contumacia cum indicijs præcedentibus faciunt plenam probationem, ex qua iustè condemnatur; etenim si innocens esset, præsentiam iudicis non formidaret iuxta illud, fugit impius nomine persequente.

19 Ex quibus ni fallor patet responsio ad obiecta per D. Caramuel, siquidem fugiente pænitente reo à facie Confessarij, sui iudicis, à quo per viam transactionis (vt ita dicam) subeundo modicam pænitentiam, præuia dubiorum peccatorum confessione, posset absolui, si daretur casus, vt ista essent vere mortalia, vel non confessa, quod ipse dicit ignorare, faciens se iudicem in causa propria, dum aliud medium non datur gratiam recuperandi, nisi hoc Sacramentum in re, vel in voto in casu necessitatis, repetietur foriudicatus in Tribunali diuino, & pęnam ęternam (quod Deus auertat) subibit, quam sine vllo, vel modico labore vitare potuisset, imò etiam si non essent mortalia, cum sufficiat dubitare, quia existente dubio, & confessione omissa, mortale committitur, vt statim ex D. Thom. dicam. Boni Patres familias dum negotia domestica peragunt, nolunt ea sub dubijs relinquere, sed quãtum possunt in tuto ponunt, aliàs imprudētiæ adscribitur; sic ergo debent prudentes christiani peragere pro conscientia. concludo cum *D. Thom. in 4. dist. 21. qu. 2. art. 3. ad 3. cuius verba sunt, videlicet, quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione manente, quia qui aliquid committit, vel omittit, in quo dubitat esse mortale, peccat mortaliter, discrimini se cōmittens, & similiter periculo se committit, qui de hoc, quod dubitat esse mortale, negligit confiteri, non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram, & lepram.*

20 Ad secundum quando dubitatur, an peccatum sit reseruatum, vel ne, est de necessitate confessatio fatendum ex rationibus antedictis, præcipuè ne pænitens sit iudex in causa propria, sed potest ille, si sic sibi videbitur, negatiuæ sententiæ inhærere; quia cum reseruatio sit odiosa, est strictè interpretanda ex *c. odia de regul. iur. in 6. Henriq. lib. 6. cap. 26. n. 7. Suar. tom. 5. disp. 4. sect. 6. n. 5. & Sanch. in summa lib. 1. cap. 10. n. 74.* vbi dat exemplum in reseruatione percussionis grauis, quod in dubio sit interpretanda leuis, seu mediocris, & consequenter non reseruata; secus in hæresi ex-
21 terna, quæ est peccatum reseruatum, quan-

quando iungitur cum interna, si modo dubitat illam proferens, an ita etiam mente senserit, est iudicandum esse reseruatam, quia verba sunt naturaliter signa intentionis, & nullus præsumitur dicere, quod in corde non habet, nec aliter quam in eo habet, vt probat idem *Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 9. num. 13.* & proinde præsumptio est, hæresim externam processisse ex interno; imo hodie si proferatur hæresis exterius, est casus contentus in bulla Cœnæ, vt fuit nouissimè declaratum per *Alex. 7. in bulla emanata sub die 2. Octobris 1665.* de qua meminimus *supra resol. 104. n. 2. & seq.* vbi videas.

22 Præterea in foro externo, qui de externis iudicat *c. erubescant dist. 32.* iste talis haberetur pro vero hæretico, si tamen ibi hæresis probata fuisset, vt in resol. cit. quod idem esset in casu superiori percussionis, quando similiter ibi probata, & habita fuisset pro graui, quia hæc iudicia non sunt diuersa, nisi probationes in foro externo falsæ essent, tunc enim licet esset iudicandum secundum allegata, & probata *l. illicitas §. veritas ff. de offic. præsid. D. Tho. 2. 2. q. 67. art. 2.* secus autem in conscientia vbi Deus vti ipsa veritas non fallitur. Sed

23 cauendum est in confessione, ne peccata dubia fateantur pro certis, vel è contra, idem *Sanct. in 4. dist. 21. q. 2. art. 3. ad 3.* imò addit *Suar. disp. 22. to. 4. sect. 9. num. 2.* id esse ex suo genere mortale, quod latius firmat *Sanch. cit. lib. 1. cap. 10. n. 68.* vterque tamen fatetur ibidem, excusari à tali peccato pænitentē, si bona fide, & simplicitate dubia fateatur pro certis, existimans cōsultiùs esse se taliter accusare, quàm exculpare, vel ita confitendum esse.

24 Quibus generaliter addit *Tolet. lib. 3. c. 9. nu. 2.* quamuis mentiri in confessione, graue regulariter peccatum sit, non tamē semper esse mortale, sed solùm quando peccatum negatum, vel falsò affirmatum, est mortale; quando verò veniale, similiter veniale, quia venialia non sunt materia necessaria confessionis, nisi quando vnum solùm veniale clauibus subijceretur, & proinde fieret materia necessaria, & cōsequenter grauis, quo casu inferretur iniuria Sacramento ex nullitate confessionis propter materiæ defectum, & hanc esse communem opinionem dicit post multos relatos *Dia. par. 3. tr. 4. resol. 96.* (*licet Philippus Faber publicus* Theologia *professor in Academia Patauij in 4. sentent. dist. 17. qu. vnica disp. 14. cap. 3. n. 51. voluerit, mendacium in confessione de veniali semper esse veniale.*)

25 Ad tertium si quis recordetur mortale commisisse, sed non de specie peccati, necesse est confiteri mortaliter deliquisse semel, vel pluries, eo modo, quo recordatur, non autem de indiuiduis *Nauar. in man. cap. 10. n. 7. in fine. Bonac. qui recentiores refert tom. 1. q. 5 disp. 5 sect. 2. pun. 4. num. 7.* quod si recordetur postea de dictis indiuiduis, tenetur iterū de illo, vel illis confiteri, dum plenè prius non erant in confessione expressa; sicuti etiam si quis confessus sit, se dubitare, an consenserit delectationi venereæ, vel alteri peccato, & postea ampliori conscientię discussione facta, certus sit de consensu, tenetur in sequenti confessione peccatum prædictum explicare, secus verò quando dubium versaretur in iure, an aliquod esset mortale, vel veniale, & confessarius in priori confessione errasset, existimando illud veniale, quod alter doctior iudicauit mortale, tunc non est repetenda confessio talis peccati, nisi

26 data opera pęnitens elegisset Confessarium indoctum, *Sanch. in summa to. 1. lib. 1. cap. 10. n. 69. ex Corduba in summa qu. 9. & Io. Maior. in 4. sentent. dist. 17. q. 3. col. penult. ad 4.* quia tunc esset in dolo, vel saltem in culpa lata, quæ eidem æquiparatur *l. quod Nerua ff. depositi.*

27 Ad quartum quamuis de hoc aliqui antiquitus dubitarint, quos refert *Suar. disp. 18. sect. 1. n. 6.* Imò *Scot. in 4. dist. 19. in fin.* absolutè negat posse confiteri, cum in nullo Sacramento, forma super eandem materiam iterari valeat; hodie tamen indubitata est omnium sententia affirmatiua, vt ibidem testatur idem Suar. per extrau. 1. de priuil. & licet ibi in Codice nostro hoc non inuenerim, ita tamen docēt *Henriq. l. 2. c. 16. n. 6. Sot. in 4. dist. 18. qu. 2. art. 5. Nauar. c. 9. & c. 21. Suar. disp. 22. sect. 1. aliique communiter*, quos ad saturitatem refert *Bonac. tom. 1. disp. 5. q. 3. pun. 1. nu. 10. & 11.* omnesq; rectè addunt, posse aliqua ex his peccatis, alias remissis confiteri, & aliqua taceri, vt etiam diximus de venialibus, quę omnia approbauit cunctorum pia cōsuetudo, quę est optima legum interpres; Ratio ex multis patet, primo, quia de confessis semper regulariter aliquid remittendum remanet, saltem quoad pœnam tem-

Nnn po.

poralem. secundò ad deprimendas prauas inclinationes, tertio, quia potest de ijsdem peccatis sępius dari contritio, & confessio. Vnde non repugnat, vt nouæ materiæ proximę, super eadem remota iteretur forma absolutionis. vide *Faust. 2. de pæn. q. 32.* an autem de talibus peccatis, iterum clauibus submissis, sit etiam iterum de necessitate conterendum, vel atterendum, dictum est supra resol. 143. n. 12. Sed dubitari solet, an S. Pontifex possit de confessis iniungere præceptum iterum confitendi. & negat communis opinio; quia præceptū nimis graue, & difficile est, non secus ac debitorem ad grauem solutionem bis faciendam obligare. Verum idem peccator ex causa posset voto, aut iuramento ad id se obligare, vt latè notat *Nauar. c. placuit de Pænit. & remiss. n. 112. & in man. c. 9. nu. 1. & c. 21.*

Vtrum mortalia remittantur sine pœnitentia formali, & consequenter sufficiat virtualis, vt est actus amoris Dei super omnia, deficiente copia Confessarij, & de examine ante confessionem faciendo.

SVMMARIVM.

1 *Pænitentia formalis requiritur ad mortalia delenda secundùm vnam opinionem.*

2 *Amoris Dei actus super omnia tollit vniuersa peccata secundum aliam opinionē, & qui talis sit? n. 3. & 6.*

4 *Violentia si mulieri inferatur, quæ potius occidi patiatur ex Dei amore, quàm consentire, non solùm sufficit ad salutem, etiam si antea mortaliter peccasset, & pænitentiam formalem non egisset, sed est verè martyr.*

5 *Amator Dei verus non potest non dolere de peccatis, si de hoc recordetur, & ideò si non dolet, conuincitur non amare.*

7 *Martyrium subiturus, si de peccatis recordatur, tenetur etiam de illis dolere; & si non est baptizatus, baptizari, si potest, quibus non peractis, & periculo euaso tenetur ad ea.*

8 *Amore captus, & ebrius non puniuntur in foro exteriori pæna ordinaria, si delinquunt, & in hoc æquiparantur. n. 9.*

10 *Attritio cum confessione, prauio diligenti examine, satis est ad remissionem peccatorum.*

11 *Confessione secuta, attritione præuia cum mediocri diligentia in examine, non tenetur quis de actis prius amplius cogitare, nec confiteri, nisi de ijs, quæ potest iurare fuisse mortalia, & numquam de illis fuisse confessum, & n. 12.*

Resolutio CXXXXVI.

1 AD primum respōdent negatiuè multi, quos refert, sed nō sequitur Suar. *to. 4. de pænit. disp. 9. sect. 1. in summario, & à n. 2. vsque ad 5.* fundati præcipuè in locis sacræ paginæ *Act. Apost. 2. ibi pænitentiam agite, & accipietis donum Spiritus Sancti, & cap. 3. ibi pœnitemini igitur, vt deleantur peccata vestra, psalm. 7. ibi, nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, & Apocal. 2. pænitentiam age, si quo minus veniam tibi cito,* & alibi passim; quæ locutiones vti conditionales, non tribuunt peccatorum remissionem, nisi pænitentia præmissa iuxta naturam conditionis, quæ nihil ponit in esse, ea non purificata *l. cadere diem ff. de verb. & rer. signific. & l. id quod ff. de constit. pe-*
2 *cun.* Contrarium docet *Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 7. qu. 3. pun. 2. litt. C.* hoc est ad iustificationem peccatoris satis esse virtualem, quæ in actu dilectionis Dei super omnia includitur, vt per eam homo rebus omnibus, quæ vnquam caræ, & gratæ sibi esse potuerint, vel poterint, Deum anteponat, quod multis etiam authoritatibus, & argumentis confirmat, & respondet locis citat. sacræ paginæ, debere intelligi de pænitentia prædicta virtuali, non autem formali, & explicita; quod autē eum docuere *Scot. Gabr. Maior Medina, & alij apud Suar. cit. n. 6. & Nauar. in summa cap. 1. nu. 10.*
3 Sed placet opinio *Regin. lib. 5. cap. 1. nu. 4. & aliorum,* sufficere st. virtualem, quando defectus temporis, aut inculpata incōsideratio peccatorum fuit in causa, ne eorum actualis detestatio adiungeretur eidē amoris actui, vt si infidelis minetur occidere fidelem, nisi fidem neget, vel aliud peccatum committat, veræ virtuti aduersans, & is sine memoria peccatorum patratorum, eleuata mente ad Deum, mori magis eligat, quàm peccare, tunc sufficere
4 istam virtualem pænitentiam. Item secūdo si quis inuadat mulierem, cam occisu-

rus

rus, nisi sibi in peccato consensiat, & ipsa similiter, sine memoria suorum peccatorũ, potius mori eligat, quàm lasciuo consentire, ne Deum offendat: hoc etiam non solùm sufficit, sed facit eam verè martyrem, quia moritur pro defensione vetæ virtutis, vt ex *D.Thom.diximus supra resol.3.n.*1. si modo, vt dictum est, nulla adsit memoria peccatorum, quia si ista in mente essent, necessaria esset displicentia, quæ est pænitentia formalis, alioquin (dicit ipse) & verum est, legitima præsumptio esset, quod nec habuisset dolorem virtualem, in actu amoris Dei inclusum.

5 Quo enim modo potest quis verè dicere Deum diligere, si dum actu eum offendisse recordatur, de tali offensione non dolet? (Verum quamuis conscientiam peccati noscat, si tamen bona fide putat, actum illum amoris sufficere, saluabitur secundum *Faust.lib.*1.*de pænit. qu.*49. qui de hac re *q.*48.*D.Thom. & Scoti* opiniones refert.)

6 Illam tamen adeo ante *Regin. tuitus est Suar. vbi supra num.*9. *ex Soto Caiet. & alijs* statimque pænitentem iustificari, vt etiam de fide esse voluerit, & cum ratione, dum in multis Sacræ Scripturæ locis exprimitur *Io:* 14. *ibi qui diligit me, diligetur, item apud Petrum Epist.*1. *cap.*4. *ibi charitas operit multitudinem peccatorum*, *Luc. c.*7. *ibi remittuntur ei peccata multa*, *quoniam dilexit multum, & alibi passim*, quod tamen est intelligendum, dummodò periculo mortis euaso, vel etiam tali periculo non existente, confiteatur postea, confessarij copia tributa, quia si ad hoc tenetur pænitens formalitèr *ex Trid. cap.*7. *sess.*13. *& can.*11. *item sess.*14.*c.*4. *& ex Bulla Alex.*7. *statim cit.* multo magis pęnitens virtuali-
7 tèr. Quod procedit etiam in subituro martyrium; sicuti tenetur etiam baptizari, si potest, qui non dum est baptizatus Regin.ibid.in fine; vnde non videtur tuta opinio *Bonac.disp.*5.*to.*1. *qu.*5.*sect.*1.*pun.*2. *num.*2.*versic.verum*, dicentis eum, qui fuit iustificatus per hanc pænitentiam virtualem, de qua loquimur, si ex inconsideratione recordatus nõ est peccatorum mortalium, non teneri ad pænitendum de ipsis, postquam in mentem venerint, & propterea ipsemet Bonac. hanc appellat communem, & in praxi consulendam, licet suam dicat probabiliorem, illam tamẽ docent Medina, Suar. Regin. Graff. & alij ab eodem ibidem citati, sed hodie *ex bulla Alex.*7.*incip.Sanctiss. D. N. emanata* 24. *Septembris* 1665. *sub num.*11. generalitèr est determinatum, vt quomodocumque peccata non confessa, postea memoriæ occurrant, debeant clauibus subijci sub pœna excommunicationis Papæ reseruatæ, contrarium docentibus, vnde opinio Bonac. est iam reiecta.

8 Ad confirmationem prioris axiomatis dicitur, quod si quis delinquit tempore, quo est amore captus, non potest puniri pœna ordinaria, cum æquiparetur ebrio *Gl.in §.fin.instit.de success.subl.* qui nec potest puniri pœna prædicta *Bar. in l. respiciendum §.delinquunt num.*3.*ff.de pæn. Bald. in l.data opera num.*6. *C. de ijs qui accus.non poss.Tiraquel.in tract.de pæn.temper.causa* 6. & videtur tex. expressus minuens pœnã, tàm in ebrio, quàm in amore capto *in l. omne delictum §. per vinum ff. de re milit.* quin immò fuisse totalitèr absolutum quendam delinquentem, tamquam quod ex nimia vehementia amoris, non esset mentis suæ compos testatur *Iul. Clar. in pract.crim.qu.*60.*nu.*9. vbi ex Platonis authoritate in Phedro ait, amorem esse spe-
9 ciem furoris. Et ex eadem causa excusatam à pœna ordinaria mulierem capitalis criminis ream scribit *Chassan. sup. consuet. burgund.fol.*39.*num.*13. nihilq; tandem furore amoris vehementius inueniri dicit *Gl.loco cit.ex §.illud auth. quib. mod. natur. effic. legit.* ergo si leges humanæ excusant delinquentes amore captos à pœna ordinaria, quare dicendum erit leges Diuinas ex vi eiusdem causæ non excusare peccatores, iuxta tamen modos supra declaratos, cum mitiùs agatur cum Deo, quam cum homine *extrauag. vnica de Iudais Gl. in l.celsus ff.de arbitr.* si modo actus amoris sit verus, & non exterior, seù fictus; hoc enim casu neque leges humanæ parcunt, & ex indicijs exterioribus præcedentibus dignoscitur, quæ tamen apud Deum non sunt necessaria, cum ipse sit scrutator cordium.

10 Ad secundum notum est, concurrente sola attritione cum confessione, peccata etiam oblita remissa esse *ex Trid. sess.*14. *cap.*4.*&* 5. sed hoc intelligitur præuio diligenti examine, qua diligentia deficiente, alij dixerunt confessionem esse validam, sed informem, alij omninò inualidam, quos refert *P. Dian.par.*2. *tract.*17. *resol.*31. quomodo autem cognoscatur an fue-

fuerit, vel nè adhibita diligentia requisita pro validitate confessionis, talis regula traditur, si st. post confessionem plura peccata memoriæ occurrant, quam confessa fuerint, examen tunc dicitur non fuisse sufficiens, & consequentèr confessionem iterandam, si vero multò pauciora, minimè, sed satis esse confiteri peccata non confessa, & negligentiam antecedentem *Nagn.3.par.to.2.qu.9.art.1. idem Dia.d.ref.31. in fine*, vbi dicit hanc esse cōmunem Patrum Dominicanorum sententiam.

11 Ad quorum confirmationē addit *Ioannes Sancius in selectis disp.4.n.18.* relatus, & secutus ab eodem *Dia. par.3.tract.4. resol. 107. in fine*, vbi dicit, esse valde notandum ad tollendos multos scrupulos, quod st. post adhibitam mediocrem diligentiam in conscientiæ examine, confessione secuta, non teneatur quis de antecedenti vita cogitare, & si putet aliquod non fuisse in confessione explicitum, posse sibi persuadere omnia solemnitèr, & ritè gesta, imo addit *Eman. Sà v. dubium n. 5.* quod scrupulosus non tenetur confiteri, nisi quæ potest iurare fuisse mortalia, & numquam de illis fuisse confessum, quod tamen est intelligendum de confessionibus antiquis, & in vita præterita gestis, aliàs regulariter contra, vt supra *resol.144.*

12 Hæc autem diligentia tunc dicetur mediocris, quando ea adhibetur in examine, quàm diligens Paterfamilias solet in negotijs proprijs, vel alienis adhibere, non autem diligentissimus *Gl. communiter recepta in §. præterea instit. quibus mod. re contrah. oblig.* & ad istam mediocrem teneri pœnitentem, docent etiam *Nauarr. in man.cap.9. n.16. Bonac.tom.1.disp.5.q.5.sect. 2.pun.2.§.1.n.2.* vbi innumeros DD. de more cumulat, aliàs repetendam esse confessionem, nisi Confessarius suppleret interrogando, vel in casu mortis, aut belli, & similium ex eodem Nauar. ibidem, de quibus tamen sigillatim suis locis dictum est; Per tramites ergo certos ambulando, dum ex Trid. cit. requiritur diligentia in examine, si hæc modo relato adhibeatur, securus est ex hoc capite pænitens remissionis, & consequenter Gloriæ, si sciri posset contritem fuisse saltem attritionē, quod est impossibile in hac vita ex *c. accepimus de purgat. canon.*

Vtrum dolor de peccatis confessionem præcedere debeat, vel satis sit in ipsa confessione, aut postea? & de satisfactione per Confessarium iniungenda.

SVMMARIVM.

1 *Contritio, seu attritio potest præcedere, comitari, vel subsequi confessionem, dummodo ante absolutionem expleatur. Et de tempore indiuiduali vsque ad n.4. dummodo non sit retractata.*

5 *Satisfactio est iniungenda pænitenti ante absolutionem, sed potest etiam postea, si tamen sit grauis, non est ordinandum fieri corā adstantibus, ne veniant in cognitionem peccatorum & n.6.*

Resolutio CXXXXVII.

1 Communis est DD. sententia posse talem dolorem præcedere, vel comitari, vel subsequi confessionem, dummodo eliciatur ante absolutionem, multos cumulat *Bon.disp.5.q.3.pun.2.to.1.n.17.* per rationes trāscriptas ex *Suar.to.4.disp.20.sect. 4. nu. 29.* de quibus diximus obiter supra v. absoluere in introd. n.8. & quia sic seruat quotidianus vsus, non oportet hic immorari; dubitari tamen potest de quanti-
2 tate temporis; aliqui enim dixerunt posse, quem pœnitere de peccatis in ordine ad confessionem, & post multum tempus confiteri, vt tradit Bonac. ibidem, ea ratione, quia sicut absolutio datur aliquando, etsi multis ante diebus fuerit cœpta confessio, vt quando est generalis, quæ censetur moraliter præsens Confessario, ita potest tradi absolutio, quamuis dolor præcessetit confessionem, & citat *Vasqu. 3.par.q.67. art.6.disp.148. n.56.*

3 Suar. autem non venit ad indiniduum, *Henriq.lib.4. cap.10. num.3.& 4.* ait posse talem dolorem præcedere multis diebus, sicuti accidit in matrimonio, quod contrahitur inter absentes per Procuratorem, vbi consensus de necessitate præcessit; in eandem iuit sententiam *Hurtad. disp.1. de Sacram.in genere diffic.11.* ratione sumpta à iudicio forensi (ad instar cuius ex *Trid. sess.14. cap. 6.* proceditur in hoc) vbi sicuti multo tempore post discussionem causę deuenitur ad sententiam, ita in isto peniten-

tentię, donec n. dolor præcedens de peccatis non fuerit retractatus explicitè, vel implicitè, semper validè dabitur absolutio absque nouo dolore. Quas tamen opiniones non recipit *Granado 3. par. de sacram. cont. 7. tract. 3. disp. 3. sect. 1. nu. 7.* quia inter materiam, & formam cuiuslibet sacramenti debet esse moralis coniunctio, quæ nequit tanto tempore conseruari; & consequenter, cum dolor sit materia sacramenti, vt ex *Trid. sess. 14. cap. 3.* inter illum, & absolutionem, quæ est forma, debet esse ea solùm distãtia temporis, quę non obstet, quominus adsit cõiunctio moralis, quæ dicitur virtualiter perseuerare, quamdiù si pœnitens interrogetur, cur doluerit, respondere absque noua deliberatione possit, quia vult confiteri.

4 Verum hæc etiam opinio scrupulosis adhuc potest dubium afferre, & propterea dicit *P. Dian. par. 5. tract. 14. resol. 67. in fin.* quod interrogatus, an qui serò elicuerat actum contritionis in conscientiæ examine, statuens sequẽti die confiteri, vt fecit absque alio dolore, valida esset confessio, respondit affirmatiuè, fretus authoritati *Io. Præpos. in 3. par. D. Thom. qu. 2. de contrit. dub. 1. n. 30.* Mihi tamen videtur magis iuridica, & fundata opinio Henriq. sup. quia dolor præhabitus in ordine ad confessionem, vsquequo non retractetur explicitè, vel implicitè per aliud peccatum, censetur semper durare, quod n. non mutatur stare nõ prohibetur, *l. sancimus C. de testam.* si durat, ergo licet sit materia sacramenti, coniungitur cum forma, & validum est, vide etiam *infra resol. 168. n. 2.*

5 Circa verò satisfactionem per Confessariũ iniungendam pœnitenti, consulto solet imponi ante absolutionem, vt per *Io. Andr. in Clem. dudum de sepult.* & alios relatos per *Sylu. v. Confessor 4. n. 1.* ea ratione quia absolutio, vti forma non potest præcedere materiam, sub qua vltra dolorem, & confessionem includitur etiam acceptatio pænitentiæ, seu satisfactionis, secundum nonnullorum opinionem, & fortius hoc debet fieri, quãdo timetur, ne pænitẽs acceptet pænitentiam; probabilis tamen est opinio posse tradi, etiam post datã absolutionem, vt iterum dicetur infra *resol. 155. n. 14.* & vide *Bonac. loco cit. nu. 21.* vbi etiam consuluit; & rectè, ne Confessarius iniungat pœnitentiam statim post confessionem adimplendam, quando esset grauis, & non posset fieri secretè, ne adstantes veniant in cognitionem fieri ob grauia peccata, quia esset quędã species manifestationis peccatorum, nisi consensus pænitentis, iusta de causa datus, id iustificaret, vt addit *Nauar. in man. cap. 8. num. 17. in fine.*

Vtrum cõfessio de necessitate debeat fieri secretè, vel possit etiam publicè fieri ad voluntatem confitentis, & quid de pœnitente muto, vel surdo, vel Confessario surdo; & an liceat omnibus etiam non surdis, & mutis confiteri per scriptum Confessario præsenti, vel etiam absenti?

SVMMARIVM.

1 *Confessio nõ potest fieri publicè ad vitandũ scandalum aliorum, & alijs ex causis; Contrarium facientes peccant mortaliter tàm Confessarius, quàm pœnitentes, quia faciunt contra consuetudinẽ Ecclesiæ, & n. 2. & 3. an sit de necessitate sacramenti? num. 4. vsque ad 7. vbi fallentia ad regulam.*

8 *Confessionis requisita, licet sexdecim connumerentur à DD. tria tamen, vel quatuor videntur necessaria simpliciter, cætera ad bene esse, & n. 9.*

10 *Mutus, & surdus ex accidenti, siue sciat, siue nesciat scribere, vel legere, dummodo intelligat, quod agit. potest per nutus, & signa confiteri, sed an mutus, & surdus à natura? n. 11. qui potest matrimonium contrahere, & al. a, vt infra vsque ad n. 16. sed si sit etiam cæcus à natiuitate, nihil horum gerere potest n. 17.*

18 *Confessarius surdus potest in casu necessitatis audire pænitentes per nutum, vel scriptum, cum distinctione, vt infra, & absoluere. Si dormit, vel distrahitur, dum pænitens sibi confitetur, an sit iteranda confessio, & num. 19. & 20. Et an hæc possit fieri in scriptis Confessario præsenti, vel etiam absenti, num. 21. & 22.*

Resolutio CXXXXVIII.

1 PRo regula statuendum est, non posse fieri publicè, vt percipitur ex *c. omnis*

12.de pænit.& remiss.ibi,omnia sua solus peccata semel saltem in anno confiteatur Triden. sess.14. cap.5.hoc tit. ibi magno, vnanimique consensu secreta confessio sacramentalis,qua
1 *ab initio Ecclesia sancta vsa est, & modo etiã vtitur, fuit semper commendata*:& propterea cum introducta sit vniuersalis consuetudo in Ecclesia confitendi secretè,operari contra illam in re graui,est mortale, vt est
2 in confesso apud omnes. Rationẽ assignat *D.Thom.in 4.dist.17.qu.3.art.4.in fine, ibi, propter scandalum aliorum,qui possunt ex peccatis auditis ad malum inclinari, non debet confessio fieri in publico,sed in occulto.* aliam rationem addit Gregor. de Valent. statim citandus, quem sequuntur multi apud *Bonac.disp.5.q.5. sect.2. pun.2.§.2. num.23.* quia st. prodigitur fama propria.

3 Vnde si verum est, quod aiunt *Sylu. v. confessio 1.n.23. & Nauar.in c.sacerdos de pænit.dist.6.n.109.quos approbat Suar.tom.4. disp.21.sect.2. nu.11.* nempe sacerdotes in confessione, audientes simul plures pueros doli capaces, peccare mortaliter propter scandalum ex propalatione peccatorũ oriens, & tamen supponitur confessionem fieri coram tribus, vèl quatuor pueris, multò magis peccabunt absoluentes, & absoluti, quando fiet in publico. argum. *auth. multò magis C.de sacros. Eccles.* quia ambo transgrediuntur præceptum ecclesiasticum *secundum Sylu.ibidem,& Greg. de Valent.to.4.disp.7.q.11.pun.1.sub tit.quomo-*
4 *do debeat confessio esse secreta. Imò Scotus, Gabr.Angel.& Ricch.relati à Suar.d.sect.2.n. 1.* volunt secretum esse de necessitate Sacramenti.

5 Verum fallit regula in multis casibus, & primò quando imminente morte, veluti in naufragio, vel incendio, vnus post alium confiteri non potest, tunc plures simul audire licet *Sylu.d.n.23. Suar. loco cit. n.10.* vbi addit aliũ, quando confessio facienda esset per interpretem: tertio fallit in peste infectis, quibus ob timorem non appropinquat Confessarius.quartò in vulneratis in prælijs inter medendum audientibus Chirurgis, & alijs adiuuantibus, *Nauar.in man.cap.2.n.7. in fine;verum Valentia loco cit.versic.2. asserimus* addit, quod licet in his, & similibus casibus possit cõfessio fieri publicè, non tamen quisquam ad hoc teneatur, quia nemo famam suam prodere cogitur, sed potest per contritionem sibi consulere, quam opinionem ex Cano in relect.de pœnit.dicit esse communem, vt etiam fatentur multi apud *Dian. par.3,tract.4. resol.129.* in princ.dicto solũ secundo casu à Cano excepto de confessione facienda per interpretem, quando talis reperitur in articulo mortis.

6 Sed neque iste casus admittitur à Valentia, quem dicit non probari à Cano; admittitur tamen *à Suar.disp.36.sect.6.nu. 5.* vbi ait teneri, quem in articulo mortis confiteri per interpretem, si probabiliter dubitat de contritione, ne se exponat periculo æternæ damnationis, secus verò si probabiliter æstimet habuisse contritionẽ, quam sententiam innumeri DD. secuntur apud *Bonac. d.q.5.disp.5. sect.2.pun.4.num. 5.* estque omnino tenenda pro conscientiæ securitate,etiam in alijs prædictis casibus, morte tamen imminente, vt st. fiat publicè, si alio modo non potest, & dubitetur de contritione ex eadem ratione ad regulam *l.3. §. proinde ff. de in rem verso §. pari ratione inst. quib.mod.ius patr.pot.solu. Præs. de Franch. dec.489. num. 14.* In quibus ta-
7 men rectè addit *Suar.d.n.5. in fine,*non teneri pænitentem ad confessionem materialiter integram,sed formaliter tantùm, ad confitendum st. ea solum peccata, quæ cum minori infamia explicare potest,cum causa famæ conseruandæ,excuset ab integritate confessionis,vt *infra res.150.Em.Sà v.confessio n.13. Fagund. pr.2.lib.1. cap.6.n. 8.alijque multi cum P.Dia. cit. in fine:*vbi in dictis casibus validam esse etiam aiunt cõfessionem,si quis confiteatur in particulari de venialibus, & in genere de mortalibus, sed euaso periculo tenetur ad integram confessionem, etiam materialiter, idem *P.loco cit.resol. 131. par. 5. tract. 3.res.72. & 74. & par.11.tr.2.res.1.*

8 Ex dictis infertur non debere concurrere ex necessitate tàm in casibus prædictis, quàm in alijs omnia illa requisita in confessione, quæ sequentibus versibus includuntur,relatis per *D. Thom. in 4.dist. 17. art.4.ex Magistr.sentent. ibidem,* à quibus cæteri postea transcripserunt.

Sit simplex, humilis confessio,pura, fidelis.
Atque frequens,nuda,discreta, libens, verecunda
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata
Fortis, & accusans, & sit parere parata.

quo-

quorum explicationem si maior desideratur, habetur per Nauar. sigillatim *in manual. cap. 2. n. 5. & per Bonac. alijs omissis to. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. pun. 2. §. 2. n. 1. & seq. vbi n.*
9 2. addit requisita necessaria simpliciter esse tria, alia verò ad bene esse, illa sunt, vt confessio sit integra, dolens, seu lacrymabilis, & vera, seu pura, *Henriq. lib. 2. de pænit. cap. 4. n. 1.* quibus ex prædictis adde quartum, vt st. sit secreta, & ex Nauar. loco citat. cap. 9. num. 16. quod præcedat examen conscientiæ, nisi dicas contineri hoc in supradicto de integritate, quale autem debeat esse examen, vt sit sufficiens diximus supra *resol. 146. n. 10. & seq.*

10 Ad secundum de muto, & surdo ex accidenti, si scit legere, vel scribere, nulli dubium est posse per nutus, & signa, siue per scripturam confiteri *D. Tho. quodlib. 1. art. 10. Suar. disp. 21. to. 4. sect. 3. n. 2. Henriq. de pænit. lib. 2. cap. 3. n. 8. Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 8. n. 12. circa finem, ibi tandem, quia hi secundum omnes possunt confiteri, & absolui,* alios ad saturitatem refert, & sequitur *Dia. par. 5. tract. 6. resol. 4* quod si nolit per scripturam, non teneri probabile esse dicit ex multis idem *Dia. par. 3. tract. 4. res. 128.* sed tenetur, eo casu ad contritionem, vel confiteri per signa cum attritione, vt supra.

11 Dubium autem potest esse de muto, & surdo à natura; etenim dato quod ex lumine naturæ omnibus infuso cognoscat offensam Dei, & esse detestandam, vnde dicemus istum didicisse, fuisse à Christo instituta sacramenta ad expianda peccata, cum supponamus scribere, nec legere nescire? Enimuerò si ego non intelligo scripturam græcam, vel alterius idiomatis, licet illam videam, numquam potero in eius cognitionem, venire, si aliquis viua voce illam me non doceat, quod tali impedito à natura non permittitur. facit *tex. in l. discretis C. qui testam. fac. poss. Gl. in §. item surdus in v. certis instit. quib. non est perm.* fac. testam. & quod dixit Plato in Mennone de eo, qui quæreret hominem, quem nullo modo nouit, siquidem, etiam si ipsi obuiam fieret, adhuc non cognosceret; sic in proposito, si mutus, & surdus ignorat sacramentorũ institutionem, impossibile est cognoscere eorum vim, & consequenter, non solum frustra ea reciperet, sed Confessarius peccaret illa ei tribuendo, quia frustraret eorum effectum.

12 Propterea cum in summistis, quos perlegi, non inuenerim rationem affirmatiuæ, quam souent; recurro ad ius commune, vbi permittitur eis matrimonium contrahere *c. cum apud de sponsal. ibi, quod verbis non potest, valeat signis declarare,* item consentire filijs manumittentibus seruos per nutum, vel litteras *l. surdi ff. de manumiss. vind.* item si sunt milites, possunt testari *§. quin immo instit. de milit. testam. & l. 4. ff. eod.* & etiam si non sunt milites, possunt hæreditatem adire nutu *l. seruo inuito §. si pupillo ff. ad Trebell. §. item extraneus versic. cum qui surdus instit. de hæred. qualit. & dif-*
13 *fer.* In quibus, & alijs similibus locis licet expressè non assignetur ratio, intrinsecè tamen inest, & potest esse, quia rerum natura Deus, sicut infundit omnibus lumẽ sufficiens, vt cognoscant peccatum, & esse detestandum, ita vlterius addit istis lumẽ ad cognoscendũ hæc exteriora tẽporalia, & etiam spiritualia, vt est adesse Sacramenta, quibus facilius peccata expientur, quo adiuti percipiant veritatem, & sicuti primum lumen omnibus concedit, cum indefinitè dicatur in psalmo 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, & indefinita æquipolleant vniuersali *l. si necessarias §. si annua ff. de pignorat. act.* ita hoc secundum non omnibus, sed quibus vult, & præcipue istis impeditis à natura supponendum est concedere ex gratia.

14 Hinc dicit Sanch. vbi supra, aliquos esse mutos ita perspicacis, & acuti ingenij, vt multa explicatu difficillima, facilè signis manifestent, aliaq; ipsis significata intelligant, vt experientia docet; legitur tamen *in d. §. si pupillo in fine,* mutum, nihil intelligentem non posse de per se hæreditatem adire, sed per Curatorem; ergo supponitur, quod non omnes sunt hoc secundo lumine particulari supernaturaliter illuminati, & consequenter non omnes tenẽtur confiteri per nutus, & signa, sed illi tantum, qui signis, & nutibus percipiunt, & cognoscunt saltem in genere detestanda esse peccata, adesse sacramenta, & velle in posterum abstinere.

15 Nec Confessarius posset absolutionem impartiri absque de hoc aliquali notitia, aliàs iste actus iudicialis exerceretur absque causę cognitione, quod est contra intrinsecam naturam istius, & omnis iudicij *l. de ætate 44. ff. de minor.* & ita in puncto tenuit *Nald. in summa v. mutus nu. 1.* quem alijs cit. sequitur P. *Dia. par. 5. tract. 6. resol.* 3. pro-

3.probabile tamen puto,quod dicit *Anton. Fernand.instruct.confess.p.1.docum.4. nu.33.*
16 posse st. Confessarium tempore, quo obligat præceptum confessionis absoluere mutum præbentem signa doloris, etiam si nullum valeat ex illis intelligere peccatum, aliusque Confessarius non adsit, qui melius intelligat, quia sufficit eo casu pænitentem præbere signa,quamuis Confessarius de illis capax non sit in specie, sed tantùm in genere. Signis autem omnino cessantibus consultum est prædictis per actum contritionis, quem ex vniuersali lumine naturali,Deo dante, elicere possunt.
17 Si verò reperiretur aliquis mutus, surdus, & cæcus à natiuitate, puto absque dubio confiteri non posse,cũ etiam signa sint ei ignota; & *Sanch.loco cit.nu.13.*rectè dicit, neque matrimonium contrahere posse, quia omne,quod agit,ignorat.
18 Circa verò Confessarium surdum, alio non existente, potest quilibet sibi confiteri per nutum, vel scripturam, vt diximus supra *n.* 10. de pęnitente muto, & surdo ex accidenti,dicit tamen *Hurtado de pœnit. disp.* 8. *diffic.* 4. *in princ.* quod per nutum tenetur,per scripturam autem nequaquã, & ratio est secundum eum, quia talis modus confessionis de se est publicus, & nemo tenetur sic publicè confiteri, ne periculo infamiæ se exponat. *Fagund. autem prac.2.lib. 1.cap.6.nu.9.*vtramque opinionẽ probabilem asserit, casu vero, quo pęnitens probabiliter de contritione (quæ necessaria est) cessante alio Confessario, dubitaret, censet debere etiam per scriptum confiteri iuxta primam opinionem relatã per *Dia.par.3. tract.4.resol.* 129.*& magis in specie par.5.tract.6. resol.* 19. ne se exponat periculo damnationis ęternæ, vt etiam diximus cum Suar & alijs supra *n.6.*
19 Quod si Confessarius non surdus inter audiendas confessiones dormiat,vel distrahatur, aut aliud agat,ex quo peccata confitentiũ non audiat,dicit *Syl.v.cõfessio 1.sub n.6.* esse iterandas; sed *P.Dia.p.3.tr 4.res.* 109.*&p.4.tr.4.res.*198.negat,exceptis illis peccatis, quæ Confessarius non audiuit, *Hẽriq.autem lib.5.c.14.n.5.*dicit confessionem repetendam esse, nisi pœnitens id nõ aduertit, & absolutus est, sed quod teneatur repetere peccata, quæ putat Confessarium non audiuisse,& addit sub litt. O. esse communem, & certam sententiam, quia nullo modo exercetur Iudicis officiũ
20 sine causæ cognitione. Idem dicunt *Layman in Theol.moral.lib.4.tract.6. cap.9. n.5. & Mercer.ab eod.Dia. vtrobique cit.* sed hoc est repetere totam confessionem, quia vt sciatur quale peccatum Confessarius non audiuit, necesse est pænitentem repetere sigillatim omnia peccata, aliàs contingere posset, vt illud peccatum, non repetitum Confessarius non audierit. vide etiam infra *resol.161.n.9.*
21 Ad vltimum respondet *D. Tho. quodlib. 1.art.10.* validum esse Sacramentum, sed teneri vnumquemque regulariter confiteri ore ex institutione Ecclesię, & propterea secundum *Fagund.prac.2. lib.3.cap.1.n.* 8.extra necessitatem est peccatum mortale, quia mutatur consuetudo Ecclesiæ in re graui, pro ut censuit etiam *Suar. tom.4. disp.21. sect.3.nu.6.* ex causis tamen potest quicunque absque peccato confiteri per scriptum Confessario præsenti, puta si quis ex nimia verecundia, vel per dolorẽ in gutture cum difficultate loqueretur, tradat scripturam sacerdoti, eamque offerat loco accusationis, & illa esse peccata sua affirmet,expectetque dum ille legit,& absoluit, imposita pænitentia *Suar. loco cit. n.7.Vasq.tom.*4.*qu.*91. *art.*4. *dub.*4. *num.*7. *Layman cit.lib.5.tract.6. cap.6.n.3.Dia.par. 3.tract.4.resol.*127. *Villalob.autem in summ. to.1.tract.9.diffic.31.num.*1. docet nulla interueniente causa esse veniale, eo magis cum D. Thom.vbi supra dicat esse peccatum; sed non aperit,an sit mortale, vel veniale; & epist. ad Rom. quam allegat ibi,ore fit confessio ad salutem, dicit esse intelligẽdam de confessione fidei,non autem peccatorum. Sed probabilius est esse mortale cum iuris diuini præceptum sit ore proprio confiteri iuxta *tex.in c. quem pænitet de pænit. d.*1. vbi dicitur; quod illa erubescentia confitendo ore proprio,partẽ habet remissionis, & ideo ita fit faciendũ.
22 Si verò fiat per scriptum Confessario absenti; certum est illicitam, inualidamque esse iuxta declarationem *Clem.* 8. *in anno 1602.die 20.Iulij, de qua in declarat. Concilij Trid. sess.* 14. *post cap.* 5. vbi damnat vti falsam temerariam, & scandalosam talem propositionem, & ita declarasse S. Congr.Card.sub die 14. Iulij 1605. testatur *Dia.par.3.tr.7.res.7.& par.5.tr.17. res.* 60.ex multis idem asserentibus, & sic videmus seruari in tota Ecclesia Catholica.

Qui-

Quibus in casibus quis excusetur ab integritate confessionis?

SVMMARIVM.

1 *Confessio est facienda integraliter de omnibus peccatis regulariter: quod fallit in multis casibus. nu. 2. cum multis seq.*

5 *Molliciei peccati, vel periurij an possit dari ignorantia inuincibilis?*

6 *Feminæ si minus solemniter confecerint inuentarium in adeunda hæreditate habēt in integrum restitutionem.*

9 *(Omnis) dictio est vniuersalis, complectēs quoscumque casus.*

10 *Confessione secuta, licet oblita censeantur remissa, præuio diligenti examine, intelligitur tamen cum tacita conditione de illis confitendis, quādo in mentē venerint.*

19 *Vsus rationis si dubitetur, an pueris accesserit, datur absolutio sub conditione in articulo mortis, sicuti etiam adultis de peccatis dubijs.*

20 *Ratio vbi eadem est, eadem etiam est iuris dispositio, & à fortiori, si est maior in vno casu, quàm in alio.*

24 *Iudex, an & quādo possit ex officio procedere in causis criminalibus, & n. 25. & 26.*

27 *Oris confessio, vel saltem signa, sunt pars essentialis sacramenti pænitentiæ.*

28 *Lex quantumuis generalis non extenditur ad casus specialissimos, de quibus si eius conditor fuisset interrogatus, ita verisimiliter respondisset, & n. 29.*

Resolutio CXXXXIX.

1 Dictum est supra *resol.* 132. quando ex defectu contritionis, seu attritionis excusetur, vel ne quis à repetitione totius confessionis; dicemus hic, & in sequenti, quando ex defectu integritatis, quod multis ex causis potest accidere, sed regulariter debet esse integra *ex Trid. sess.* 14. *c.* 5. (non loquimur quando malitiosè fuit tacitum aliquod mortale, quia tunc vti nulla est omnino repetenda, vt ex Caiet. & omnibus dictum est *d. resol.* 131. *n.* 7. nec quando non præcessit diligens examē conscientiæ, quo casu aliqui nullam, aliqui tantum informem dicunt confessionem, vt in *resol.* 134. *n.* 10. dictum est ex multis cum *Dia. par. 2. tract.* 17. *ref.* 31. sed in alijs casibus;) & primò ex capite ignorantiæ,

2 vel obliuionis. Etenim si quis per ignorantiam aliquod mortale omisit in confessione, putans tale non esse, excusatur ab iteratione totius confessionis, & sufficit solum peccatum omissum in sequenti cōfessione aperire;

3 vnde pueri & puellæ noniter cognoscentes esse mortale, quod aliàs in pueritia scienter omiserunt, putantes tale non esse, confessionem iterare non tenētur, sed solùm de illo omisso, etiam alteri Confessario confiteri *Angel. in summa v. confessio* 1. *n.* 6. *Sylu. eadem v. & nu. Nauar. in c. fratres de penit. dist.* 5. *& in man. cap.* 9. *n.* 15. *Regin. lib.* 6. *tom.* 1. *num.* 153. *Dian. qui cæteros refert, & sequitur p.* 3. *tr.* 4. *ref.* 108.

4 Sed contra insurgit difficultas, quia dū ignorantia iuris ciuilis non excusat *l.* 2. *&* 3. *C. de iur. & fact. ignor.* & fortius iuris diuini, vel naturalis *Glos. in c. fin.* 1. *q.* 4. *& in c. ignorantia de regul. iur. in* 6. consequenter videtur confessionem, in qua omissum est mortale, licet ignoratum tale, esse nullam, tamquam non integram, & proinde in totum repetendam. Pro responsione

5 *Sanch. in summa to.* 1. *lib.* 1. *cap.* 16. *num.* 33. docet posse in rusticis dari ignorantiam inuincibilem peccati periurij, vel in alijs molliciei, argum. *l. error. ff. de iur. & facti ignor.* vbi ignorantia iuris aliquando excusat, (sed in pollutione contrarium ego teneo, vt dixi *supra resol.* 41. *n.* 2. *& resol.* 57. *n.* 8. *ex D. Thom. ibi relato.*) Et propterea

6 feminæ, etiam maiores, si minus solemniter confecerint inuentarium tempore aditionis hæreditatis, habent restitutionem in integrum, & seruantur illæsæ supplendo defectum, quamuis sit ignorantia iuris, vt fuisse decisum in S. C. testatur *de Frāch. dec.* 229. & postea pluries, vt refert *Capic. Latro decis.* 129. *n.* 38. *ex l. regula in princ. ff. eod. tit.* minores enim 25. annis de iure communi non dubitatur restitui in omnibus casibus, si fuerint læsi *l.* 1. *ff. de minor. & l.* 3. *& toto fere tit. C. de in integr. rest.* etiam si per ignorantiam hoc acciderit *l. minoribus C. eod. tit. ibi quæ prætermiserunt, vel ignorauerunt &c.* & consequenter poterit valere confessio, in qua omissum fuit peccatum ignoratum tale; dummodo ignorantia sit inuincibilis.

7 A fortiori valet confessio rusticorum, nescientium discernere species morales, aut numerum; sed grosso modo confirentium, eo magis si à Parocho non interrogantur; & proinde non esse repetendam confessionem, sed solùm omissa explican-

da docet *Henriq.lib.5.cap.8. n.2.* tutius tamen esse, facere in casu prædicto generalem confessionem dicit *Medin. instruct.cōfess.lib.2.c.8. in fine*, quē sequitur *Regin. loco cit.num.*140. (de quo non est dubium) sed Henriq. secuntur *Eman.Sà in summa v.cōfessio n.*40.*& alij*, pro quibus facit illud *Gl. in §. item seruiana instit.de actiō sancta rusticitas, quæ non nouit, nisi ligones, & aratra.*

8 Quod si quis prævio debito examine oblitus fuerit alicuius mortalis, excusatur à repetione confessionis, & tenetur peccatum oblitum in sequenti confessione aperite, vt de communi testatur *Bonac.disp.5. to.1.q.5. sect.2.§.3. diffic.4.n.3.* sicuti diximus de ignorantia; vtrumque enim casum æquiparant DD. apud *Azor. part.1. instit. moral.lib.1.cap.16.q.3.Sanch.in summa to.1. lib.1.cap.16.n.*8. sed hoc videtur aduersari *Trid.sess.14.cap.5.ibi,reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitanti non occurrunt,in vniuersum eadem confessione inclusa esse intelliguntur*, & consequenter dum præcessit diligentia in examine, vt supponimus, non videtur quis obligatus ad confessionem, nequidem peccati obliti; prolata enim sē-

9 tentia absolutionis ab omnibus peccatis, extenditur etiam ad oblita, quod est de natura illius dictionis vniuersalis (omnis) *Gl.& Bar.in l.Moschis ff.de iure fisci*, proinde sententia siue benè, siue malè lata nō potest amplius retractari *l.iudex 55.ff. de sēt. & re iudic.* præcipuè à sacerdotibus, qui in hoc sūt successores Apost.*ex Trid.sess.22.c. 1.de sacrif. missæ*, & proinde vti à sententia Principis in quo nō supponitur dolus, nec ignorātia dū habet omnia iura in scrinio pectoris *§.quorū,& ibi Gl.inst.in proœm.* nō potest appellari *auth. quæ supplicatio C. de precib. Imper. offer.* aliàs semper quis esset in suspēso, nū benè, vel malè absolutus esset.

Ad cuius confirmationem addo, quod notauimus ex Sancio, & alijs sup. *res.134. n.12.* quod st. prævia mediocri diligentia in examine, & secutā confessione, non tenetur quis de ante acta vita amplius cogitare, quem sequitur Dian. ibidem relatus (quamuis hoc vt diximus ibi, procedat in confessionibus generalibus de vita præterita) quibus rectè respondet Angel. loc.

10 cit. quod quamuis pœnitens etiam de oblitis fuerit apud Deum, & Ecclesiam absolutus iuxta doctrinam Trid. hæc tamen absolutio intelligitur cum tacita conditione, quod debeat de illis confiteri si

11 memoriæ postea occurrent; Dispositio n. quando inest tacita conditio, habet effectum, donec ignoretur conditio *l.conditiones, & ibi Gl. ff.de condit.& demōstr. iuncta l.1.§.fin.ff. eod.* sed ea scita, suspenditur effectus, donec purificetur, vt est regulare de conditionibus *l. si Titio cum simil. ff. quando dies legat. ced.* bona enim fide durante, excusatur pœnitens, qua cessante, per recordationem peccatorum, non amplius excusatur *c.si virgo 34.q.2.cap.2.& c. ignorātia de reg.iur.in 6.* Nec hodie ex bull. Alex.7. dubitari dehoc amplius potest sub pœna excōmunicationis, ipso facto incurrendæ, & Papæ reseruatæ. & ita in cæteris casibus infra declarandis, data opportunitate tenetur omissa confiteri, quā bullā retulimus & sup. *ref.63.n.1.& 3.& ref.146.n.7.*

12 Secundo excusatur ab integritate confessionis infirmus, qui morte imminente non potest explicare omnia peccata, sed aliqua tantùm, tunc rectè absoluitur ab omnibus *Suar.to.4.disp.23.sect.1.n.1.Tolet. lib. 3. cap. 8.* vbi idem dicit de illo (& est

13 tertius casus) qui ante aduentum Confessarij petijt confessionem, sed eo adueniente amisit sensum, tunc si adstantes asserant ita esse, potest absolui, citat S. Anton. in sum.de pœnit.& canones in genere, sed reuera legitur in *c.qui recedūt, & c.is, qui 26. q.6.iūcto c.ægrotātes 75.de consec.dist.4.Suar. cit. n.3.& 5.Sanch.de matr.to.1.lib.2.post n.8. ibi ostendēti signa cōtritionis absente sacerdote, potest in articulo mortis absolutio impendi.*

14 Imò non solùm posse, sed etiam teneri Confessarium absoluere pœnitentem in casu prædicto cum talibus signis volunt *Suar.ibidem n.15.Pesant.& alij apud Bonac. tom.1.disp.5. q.5.sect.2. pun.2.diff.4.post nu. 7. & 19.* quicquid in contrarium dixerint *Nauar.in man.cap.27. n.268.* vbi licet optimus Canonista, nec retulit canones cit. qui clarè loquuntur, & ante eum *Abul.in Matth.c.16. qu.43.& 49.* quos cum multis alijs relatis, reijcit ex innumeris penè authoritatibus *Dian.par.3.tr.3. resol. 4. & 9.*

15 Hanc tamen conclusionem aliqui dicunt esse intelligendam cum duobus adiunctis, vt st.prædicta signa contritionis, quæ præcesserunt, fuerint in ordine ad claues; etenim si moribundus se ostenderit contritū absque tamen mentione confessionis, nec dixerit vocari Confessarium, & in eo statu sensum amiserit, non potest secundum eos dari absolutio à Confessario postea

ad-

adueniente ; secundo quod etiam prædictis signis præcedentibus , detur absolutio sub conditione expressa,vel tacita in quãtum st. possum, vel in quantum materia est sufficiens , vtrumque requirunt *Suar. ibidem n.* 12. *&* 13. *Eman.Sà v.absolutio nu.* 10.*Bonac.vbi supra n.*8.

16 Sed primum negatur concedendo secundum;quia etiam si dubitetur,an talia signa,quæ præcesserunt, fuerint in ordine ad claues , vel ex angustia mortis, id non distinguentibus adstantibus , potest dari absolutio sub conditione , vt rectè docent *Sancius in select.disp.*44.*n.*35.*in fine.Laymã. in Theolog.moral.lib.*6.*tract.*6.*cap.*8.*n.*4.*quos sequitur Dia.par.*3.*tract.*3.*resol.*3. vbi sufficiens ratio redditur, quia st.per conditionis appositionem,vitatur periculum sacrilegij, & iuuatur infirmus , nec fit iniuria
17 Sacramento . Imo , & quod magis est , si quis confessionem non petijt,nec signa contritionis dedit in articulo mortis , sed christianè vixit. & bonus,ac fidelis existimatus est,potest etiam sub conditione absolui,*Homobon.in exam.Eccles.p.*1.*tr.*7.*c.*18. *q.*84.*Molfes.in summa to.*1.*tract.*7.*c.*5.*n.*48. *&* 49. quod approbasse Gregor.15. tempore , quo erat Archiepisc, Bonon. refert cum verbis approbationis *Dian.cit.resol.*8. *vbi etiam & par.*4.*resol.*92.addit quamplurimos eiusdem opinionis sectatores, quapropter eam etiam probabilem putat d. *resol.* 8. circa medium, licet priorem Suar. ipse sequatur .

18 Sed plusquam probabilis dici potest , dum eam in praxi amplexus est Pontifex ille sanctissimus,& sapientissimus *Clem.*8. talis à toto Christiano orbe existimatus , qui videns quendam de fabrica Sancti Petri cadentem , absolutionem ex remoto loco impartitus est,dicens, si es capax absolutionis , ego te absoluo a peccatis tuis, vt ex traditione habetur, & testantur omnes, qui præfatã opinionem tuentur apud *Dia.par.*3.*tract.*3.*resol.*8.*in princ.* rationem assignat *Bartol.à S.Fausto inTheol.moral.to.* 1.*lib.*4.*qu.*204.quia dum est in confesso a-
19 pud Casistas, posse absolui sub conditione puerum in art. mortis , quem dubitatur habere vsum rationis, vt infra resolut. 160.*n.*7. vel adultum , quando confitetur de peccato dubio, vt diximus supra resol. 145.*nu.*12. nulla ratio conuincit,cur id similiter fieri non possit constituto in articulo mortis in casu relato, maximè si deuotus erat, & frequentabat confessiones , & communiones tempore sanitatis.

20 Potest enim esse, pro ut in dubio præsumitur *ex c. cum in iuuentute de præsumpt.* vt memor salutis æternæ conceperit interius attritionis actum,quo dispositus recipiendo absolutionem de attrito, fiat cõtritus , & nulla fit iniuria sacramento , vt rectè dicunt *Molfes.in summa to.*1.*tract.*7.*c.* 5.*n.*48. *&* 49. *& alij apud Dian.part.*3.*tr.*3. *resol.*8. *in princ.* eo magis cum per absolutionem conditionalem, cessante dispositione , absolutio pro non tradita habeatur iuxta naturã conditionis,vt diximus ; imò maior ratio concurrit in hoc casu absoluendi , quàm in prædictis de puero , & adulto , quia isti in sequentibus confessionibus possunt supplere defectum præteritarum, ille vero nequaquam, si mors interuenerit arg. *c. scriptum de elect. authent. multo magis C. de sacr. sanct. Eccles. Gl. in l. tale pactũ de pact.Capic.Latro decis.*98.*n.*39.

21 Casu verò quo cautius agendo esset infirmus absoluendus virtute signorum in absentia Confessarij èmissorum, vel constito de bona vita antecedenti , dubitari posset de quantitate testium , qui de illis deponere debeãt , quod percipi potest ex *c. is qui* 26. *qu.* 6. vbi locutio est pluralis ; quam nõ posse locum habere, nisi in duobus ad minus scribitur *in l.vbi numerus ff. testib. sed Dia.loco cit.resol.* 5. vult sufficere vnum, etiam sine iuramento, ex *Felin.in c. veniens n.*8. *de testib.* & *Regin.to.* 1.*lib.*8.*cap.* 1.*n.* 8. qui solùm tradit formam absolutionis sub conditione , non autem ponit casum prædictum, obstant tamen leges mãdantes dictum vnius,dictum nullius,etiam si esset Consiliarius Principis,& tanto minus absque iuramento *l. iuris iurandi C. de*
22 *testib.* Sed respondetur ideo ibi non sufficere vnum testem,etiam cum iuramento, quia agitur de interesse partis , quod tamen nullum in casu isto considerari potest,dum quo ad Deum qui omnia scit,nõ valet cõfessio,si attritio desit,& cõsequẽter cessat dispositio *c. cũ cessãte de appell.*faciũt tex.*in l.Theopõpus ff.de dote priuil.c.*3.*tit.* 12*de Proc.*sed magis decisio S.C.Neap.apud Cap.Latr. vbi ita fuit iudicatũ in causa ẽt concernẽte interesse partis nõ ex alia probatione, quã vnius testis, ea sola ratione, quia agebatur de fauore animæ;adde sentẽtiã absolutionis esse cõditionalẽ,quę nihil ponit in esse,vsque quò purificetur cõ-

ditio §. *ex conditionali instit. de verb. oblig.* & consequenter, si attritio non præcessit, sententia vti conditione deficiente, nulla est.

Opponit aduersus hãc piissimã DD. conclusionẽ *Hẽriq. lib. 3. c. 10. n. 9. litt. Q. vbi ex Trid. sess. 14. c. 6. & can. 9.* ait absolutionẽ esse actũ iudicialẽ, & proinde requirere co-
23 gnitionem causæ, quæ cũ in casu præfato nullo modo interueniat, non potest dari absolutio, cui respõdetur nõ deficere causę cognitionẽ, dũ nõ ex abrupto datur absolutio, sed constito de bona fama dicti moribũdi, & quod solebat frequẽtare sacramẽta, vt diximus, & hęc est vera causæ cognitio, quæ potest dici materia præsens à *Triden. sess. 14. cap. 9.* requisita, vt per DD. cit. sed in puncto *Dia. d. res. 8. p. 3. tr. 3. §. vnde ego*, vbi hanc sententiã appellat probabilẽ, licet ipse ibid. inferius fouendo contrariã, quam probabiliorem vocat, sic arguat.

Absolutio ex Trid. cit. est actus iudicialis; sed iudicium non exercetur, vbi nulla est accusatio: ergo. respondetur minorem
24 esse falsam, quia iudicium criminale forense, ad instar cuius proceditur in hoc confessionis, dum agitur de criminibus, & delictis, subsistit etiam sine parte accusante; quod enim peccata sint delicta; patet *ex Iob. cap. 13. D. Thom. in 4. sent. dist. 33. qu. 1. art. 3. q. 2. argum. 2. ex Tob. c. 4.* & alibi passim; quod autem procedant Iudices absque accusatore, quando non adest, & ex officio, licet de iure ciuil. posset dubitari per *Gl. in l. 2. §. si publico v. sine accusatore de adult. quæ citat tex. in l. rescripto §. si quis accusatorem ff. de muner. & honor.* vbi voluit neminem sine accusatore regulariter posse damnari, quãuis tot fallentias ibid. referat ad regulã, vt meritò dixerit *Iul. Clar. in pr. cr. §. fin. q. 5. n. 3.* ex illis, & alijs per DD. adductis posse regulã incontrariũ firmari.
25 His tamen non obstãtibus, & quicquid sit de iure ciuili, aiunt *Clar. cit. q. 3. num. 6. ibique addentes.* in quocunque casu de consuetudine vniuersi orbis permissum esse iudici procedere ex officio, quod probãt ex quamplurimis DD. authoritatibus ibi de more cumulatis, vltra quos adest decisio *Gram. 37. nu. 13.* vbi rationem assignat, quia st. Reipublicæ interest delicta puniri, quę impunita remanerent, si cessante accusatore non posset iudex procedere ex officio *l. ita vulneratus ff. ad l. aquil. Bar. omissis alijs in l. 1. §. vsque adeo de iniur.* imò hoc de iure canon. difficultatem non habet, per quod in quacunque causa potest procedi ex officio *c. 1. de accusat. & ibi scribentes, idem Clar. d. q. 3. n. 3. ex Archid. & alijs;*
26 ergo dũ iudex iure potest procedere ex officio in omnibus causis, accusatore cessante, cessat argum. *P. Dia.* & consequenter poterit iudex ex officio in casu relato absoluere pœnitentem, præuia tamen informatione prædicta, quæ deseruit pro materia, quam sententiã ex alijs medijs docent cum Homob. Molfes. & alijs P. Lother, P. Salmeron Societ. Iesu, P. Lupus Capucc. & alij relati ab eod. *P. Dian. d. resol. 8.* Ergo dicet quis, poterit Confessarius ex officio absoluere pœnitentem non confitentẽ, neque confiteri volentẽ, quod est falsissimum. cui respondetur hoc permitti in casu prædicto, quia supponitur infirmum velle confiteri, & non posse, vti sensibus repentinè destitutũ, vt supra, alias certum est, quod fieri non posset.
27 Insistunt *Zambranus de casibus oc current. tempore mort. cap. 4. dub. 2. sect. 8. num. 46. & sequaces*, dicentes, quod, his concessis, adhuc requireretur oris confessio, vti pars essentialis sacramenti *ex Trid. sess. 14. cap. 3. & can. 4.* vel saltem signa contritionis, vt dictum est iuxta communem opinionem, de qua testatur *Layman. in Theol. moral. lib. 5. tract. 6. cap. 12. n. 4.* quæ cum etiam deficiant in casu proposito; meritò non potest dari absolutio; quibus vltra rationes adductas per supradictos authores, respondetur pro signis sufficere informationem de bona vita pręcedenti, vt dictum est *n. 17. & 21.* & vlterius qnod quamuis
28 Trid. loquatur vniuersaliter, non extenditur ad casus specialissimos, de quibus si eius cõditores tũc fuissent interrogati, ita verisimiliter respondisset, vt statim probabo, pro ut in facti contingentia respondit Pontifex relatus; & si vniuersaliter absq; vlla exceptione requireretur de essentia oris confessio, mutus, quamuis ex accidenti, non poset hoc sacramentum recipere, quod ex dictis supra resol. 148. n. 10. patet esse falsum; & consequenter credendum est, quod si tempore Trident. casus similis accidisset coram illis Sanctis Patribus, ita similiter ad saluandam animã peregissent; & ita cum relatis DD. docet etiam *Bonac. tom. 1. de sacram. in genere disp. 1. q. 6. n. 9.* vbi ait, posse in casu relato dari absolutionem sub conditione, si infirmus catholicè vixit, quia taliter viuendo cen-

censetur implicitè petijsse sacramenta.

29 Regulam prædictam habes *in c.in generali de regul.iur.in 6.& per Salic.in l.fin.C.de iure dotiū, aliasq; similes per Ronit.sup.Pragmat in rub.de exul. n.33.* vbi ampliat etiā si lex concerneret publicam vtilitatem.

Vtrum ad vitandum aliquod graue damnum proprium, vel proximi corporale, siue spirituale, possit confessio mutilari? & quid ad vitandum Complicis infamiam?

S V M M A R I V M.

1 *Cōfessionis integritas est de iure diuino positiuo, sed damnū inferre proximo, siue corporale, siue spirituale per manifestationem sui peccati est prohibitum de iure naturali, quod præfertur.*

2 *Confessionis integritas formalis, quamuis non materialis, sufficit in aliquibus casibus, ut infra.*

3 *Mulier si confessura sit de peccato lasciuia, & timet propterea solicitari à Confessario, non tenetur de eo confiteri, idem quando quilibet pænitens probabiliter dubitat de alio periculo corporali, vel spirituali, si secus, contra n.4. Non excusantur tñ ab aliorum peccatorū confessione n.5. Cessantibus aūt periculis tenentur de omnibus statim cōfiteri n.6.& 27.*

7 *Pænitens si potest absque manifestatione complicis confiteri de peccatis proprijs, tenetur sub mortali hoc facere; sed si nequit hoc fieri, quid agendum? Referūtur opiniones hinc inde n.8. & 9. Rationes pro affirmatiua n.10.& 20. Quibus respondetur n.11.21.& 22.& concluditur contrariam esse probabiliorem duobus casibus exceptis n.23.cum seq.*

12 *Complicem renunciare iuri suo circa obligationem socij de fama tegenda, ut aliqui dicunt, non præsumitur. Illum reuelare in confessione cum intentione eundē infamandi, est mortale, si secus, & cum causa, licitum secundum aliquos nu.13. quia illam vocant detractionem formalem, istam materialem n.14. & 15. quibus respondetur n.17.& 19.*

16 *Vitam sibi abbreuiare, an, & quibus modis quis licite possit? & n.18.*

20 *Socius criminis cogi potest, & torqueri in foro exteriori ad manifestandū suū consociū.*

24 *Attritio naturalis tantùm non sufficit in confessione, quamuis de solis venialibus in casu, vt infra.*

29 *Famam propriam an quis magis, quam vitam conseruare teneatur?*

30 *Correctio fraterna, est actus charitatis, & iustitiæ, quo ordine facienda, & an sit de necessitate præcepti? n. 31.*

32 *Christus communicauit Iudam cum cæteris Apost. ne eius famam prodigeret.*

Resolutio C L.

1 AD primum respondetur affirmatiuè, quando quis ex manifestatione alicuius peccati timet aliquod graue damnum spirituale, vel corporale, sibi, vel alijs vt percipitur *ex D.Tho.in 4.sent.dist.17. q.3.art.3.q.4.ad 5.* ratio per eum est, quia integritas confessionis est de iure diuino positiuo, vt fuit postea etiam declaratum *per Trid.sess.14. cap.5.in princ.tit.de confess.* quod ius non extenditur vltra præcipientis intentionem, quæ est finis præcepti, nempè charitas secundum *Apost.1. ad Timoth. 1.n.5.* & legitur etiam *in const. Regn. Neap. incip.finis præcepti charitas*; sed hæc est de iure diuino naturali, vt quod tibi nō vis, alteri ne facias, & è contra *Grat. dist. 1. in princ. vbi allegat tex. Matth.7.ibi omnia ergo quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*: itaque concurrentibus his duobus præceptis de integritate confessionis, & charitate non lędenda, istud vti maius præfertur illi, vti minori *c. solitæ de maiorit.& obedien. Suar.de Sacram.tom.4.disp.34.sect.2.n.2.vers.& declaratur. Nauar.in man.c.7. à nu.1.vsque ad* 4.

2 Alia ratio est, quia licet ad vitanda talia nocumenta propria, vel proximi, differatur confessio alicuius peccati, vsque ad tempus opportunum, interim tamen valida est, quamuis mutila; siquidem ad veritatem, & religionem Sacramenti, sufficit integritas formalis, vt loquitur *Suar. cit.disp. 23. n.4.* quod si nullum aliud adsit peccatum, & propterea omittatur omninò confessio, necessaria est contritio, vt est generale, & notum de omnibus mortalibus non confessis, præcipuè quando non potest recipi aliud sacramentum; ex quolibet enim eorum quis ex attrito fit contritus, deficiente copia Confessarij, vt *sup. resol.45.n.5.& resol.79.n.10.* De venialibus enim non tenetur confiteri, cum gratiam non tollant *Trid.sess.14. cap.5.hoc tit. Suar. d.disp. 23.sect.2.num. 6. P. Dian. part. 11.*

tract. 6. resol. 59.

3 Exempla prædictæ doctrinæ habes apud eundem Nauar. vbi supra; etenim si mulier confitendo peccatum lasciuiæ Confessario suspecto de honestate, timet probabiliter ab eo solicitandam, potest omittere tale peccatum, & confiteri de alijs, sicuti etiam si quis occidisset consanguineum, vel affinem Confessarij, qui per explicationem talis peccati veniret probabiliter in cognitionem homicidæ, quà de causa timeret magnum damnum suæ personæ, teneretur tamen vterque confiteri alteri Confessario integrè, si posset, vel expectare tempus opportunum, quando præcisis periculis possit de omnibus confiteri, vt infra, & docent etiam *Regin. to. 1. lib. 6. n. 158. ex Henriq. lib. 5. cap. 9. n. 2. Bonac. vbi quamplures tom. 1. hoc tit. disp. 5. q. 5. sect. 2. pun 2. §. 3. diffic. 4. n. 20.* alia similia exẽpla habes apud *Suar. cit. d. sect. 2. num. 2.* Ex quibus facile potest deueniri ad notitiam aliorum occurrentium, dum ista referuntur, & approbantur ab omnibus, *vt per Nauar. & Suar. cit. Henriq. lib. 5. cap. 12. n. 5. aliosque apud eundem Bonac. n. 11.* quia vna determinatio respiciens plura determinabilia, debet ea æqualiter determinare *l. iam hoc iure ff. de vulg. & pupill.*

4 Quod si probabiliter graue periculum spirituale, vel corporale non timeatur, sed tantùm adsit leuis suspicio de prædictis, vel si solùm timeatur ob manifestationem peccati, Confessarium malam opinionem de pœnitente habiturum, non excusatur ab integritate confessionis, quia erubescentia, seu pudor non sunt causa legitima excusationis *c. quẽ pœnitet dist. 1. Sylu. v. confessio 1. n. 12. Nauar. cit. n. 8. Henriq. vbi supra litt. V.* Oportet ergo timorem esse cadentem in virum prudentem, magnumque habentem fundamentum, ne detur occasio hominibus facilè omittendi integritatem confessionis, vt rectè dicunt *Suar. d. n. 2. in fin. & Regin. cit. n. 157.* Cæterum deficiente copia alterius Confessarij, de quo similia pericula non timeantur, & coram quo posset, & teneretur pœnitens de omnibus confiteri, non excusatur ab aliorum peccatorum cõfessione cum eodem Confessario, à quo damnum veretur, omittendo peccata, vel circumstantias prædictas, quæ licitè in præfatis casibus omittuntur, cum proposito tamen de illis confitendis cum primum potuerit alteri, vel eidem remotis periculis *Nauar. cit. n. 6.* alijque supra *n. 2.* rationem tradit *Reginal. n. 159. ex Medin.* & alijs, quia præceptũ, quod totaliter impleri nequit, seruandum est in eo, quo potest, vt de ieiunio quadragesimæ, quod qui implere nõ valet, ieiunando per totam, obligatur ad partem, quam potest.

6 Verum difficultas est, an pœnitens teneatur statim confiteri de dictis peccatis, seù circumstantijs tacitis, data opportunitate alterius Confessarij, cum quò cessẽt pericula, & respondent *Greg. de Valent. Reginal. & alij apud Bonac. cit. n. 21. Dia. par. 5. tract. 14. resol. 54. ex Gran. 3. parte de Sacrã. contr. 7. tract. 9. disput. 5. sect. 3. n. 21.* negatiuè, nisi interuenerit tempus mortis, vel præceptum annuæ confessionis *Suar. vbi sup. n. 4.* sed ex bullis *Alex. 7. relatis supra resol. 63. n. 1. & 3.* tenetur statim data opportunitate ex præcepto, non ex cõsilio, quod si non adsit commoditas, posse etiam obtruncati mortis tempore confessionem in casibus relatis, vel similibus ob periculũ vitandum, licet non adsit spes integraliter confitendi, etiam materialiter, & sufficere votum, seu desiderium docent *idem Suarez d. num. 4. in fine. aliyque DD. apud eum.*

7 Ad secundum quamuis ex prædictis possit multum inferri ad istud; cum tamẽ difficilior aliquibus ista quæstio videatur, libet propterea separatim de ea tractare: In primis aũt est pro certo tenẽdum, quod si pœnitens possit confiteri ei, qui nequeat venire in cognitionem complicis, aut aliã similem diligentiam adhibere, vt sine notia illius, peccatum, vel peccata propria cum omnibus circunstantijs, specie differentibus confiteri valeat, tenetur absque complicis manifestatione id sub mortali facere, vt percipitur *ex D. Thom. in 4. sent. distinct. 16. q. 3. art. 2. q. 5. ad 5. videlicet, homo in confessione debet famam alterius custodire quantum potest, sed suam conscientiam magis purgare debet, & ideo si circunstantia, quæ ducit in cognitionem personæ sit de necessitate confessionis, tunc debet confiteri, occultãdo personam, quantum potest, si autem non sit de necessitate confessionis, debet dimittere, ne peccatum alterius prodat*, quod clarius docet *Suar. to. 4. de Sacram. disp. 34. sect. 1. n. 2.* Difficultas ergo remanet iuxta eundem *Suarez sect. 2. n. 1. in fine.* quando hic, & nũc, vnum de duobus est necessarium, aut tacere

cere peccatum, vel circumstantiam eius necessariam, aut quod Confessor veniat in cognitionem complicis.

8 In quo quidem casu *Marsil. in 4. qu. 12. art. 4. ad 7. Armill. verb. cōfessio n. 11. Nauar. in c. consideret de pænit. dist. 5. & in sum. cap. 7. n. 3. ex Host. Innoc. & alijs Alens. 3. par. qu. 77. memb. 3. art. 1. Sotus 4. dist. 18. quæst. 2. art. 1. ad 1. & alij relati sup. num. 1.* docent pœnitentē non solùm non teneri ad integritatem confessionis, verum nec posse licitè eam perficere cum illo proximi detrimēto, ea ratione quia præcepta positiua, vt est istud de integritate confessionis, non obligant cum tanto dispendio, & ideò qui non potest alitèr confiteri illud, seu illa peccata, censetur pro tunc moralitèr imporens ad ea confitendum, & proinde excusatur, quod probant, quia ad effectum Sacramenti sufficit integritas formalis, quæ adest in hoc casu, quamuis dimidietur confessio, quia dimidiatur ob legitimam causam, referuntque eamdem regulam reportatam *supra n. 1.* quod duobus concurrentibus præceptis, si nequit adimpleri vtrumque, præferatur maius.

9 Alij verò docent oppositum, nempè non solum licere, sed etiam teneri pænitentem eo casu ad integram confessionē, etiam si confessarius cogniturus sit personam complicis; Isti sunt *D. Bonau. tom. 1. opusc. tract. de modo confit. cap. 2. & in 4. dist. 21. qu. 3. art. 1. D. Bernard. in formula honestæ vitæ D. Antonin. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 11 Adrian. qu. 1. de confess. §. sed oritur dubium, Duran. in 4. dist. 16. qu. 4. Caiet. in sum. verb. conf. condit. 3. & tom. 1. opusc. tract. 11. responsf. 5. Sylu. v. confessio 1. qu. 24. Angel. eod. n. 3 & nouissimè Faustus lib. 4. hoc tit. qu. 181. ex Medin. Regin. Nug. Coninc. Cordub. alijsq; recentiorib.* facit etiam doctrina *D. Thom. sup. relata, & in opusc. 12. qu. 6.* qui breuitèr de

10 hoc loquutus est. Sed rationes ab illis traditæ, sunt, quod teneatur vnusquisque salutem propriam præferre famę alterius, possitque iure suo vti, etiam si aliquod incommodum alteri sequatur, eo magis quod parui ponderis istud consideretur respectu complicis, cum eius peccatum sub eodem sigillo claudatur, ipseq; complex huic periculo se exposuerit, suoque iuri renunciauerit, quando associatus est alteri peccanti.

11 Quibus tamen respondet *Suar. d. disp. 34 sect. 2. num. 4.* posse saluari conscientiam pænitentis, & famam proximi per confessionem integram formalitèr, quamuis non materialiter, vt supra, & proinde nullum ius habere pænitentem, quo vti possit cum damno proximi, dum ad salutem propriā hoc illi necessarium non est. Secundò, quod, quando timetur infamia extrinseca, per reuelationem sigilli, tunc ex sententia omnium nequeat pænitens complicem reuelare, idemque respondetri possit ratione infamiæ, quæ ex hac confessione oritur, saltem apud Confessarium, cui peccatū cōplicis reuelatur, cum nèquidem apud vnā personam maximè grauem, & honestam, vt supponitur Confessarius, possit fama proximi, tuta conscientia prodigi (vt statim probabo), & tandem negat posse pænitētem legitimè reuelare cōplicem, ex quo huic periculo se exposuerit, & renunciauerit. quia hoc est in quæstione, & proinde esset separarè probandum

12 (quibus addo ego, quod aut dicunt contrarij interuenisse renunciationem expressam, & de hac non constat, quod propterea non obstat ad regulam *l. qui accusare C. de edendo*, vbi actore non probante, reus absoluitur, aut tacitam, & potius supponitur contrarium, quia verisimilitèr nemo præsumitur velle, vt fama sua iactetur, qui autem habet verisimile pro se, casum legis habere dicitur pro se, vt infrà *resol. 154. num. 4. & resol. 204. num. 2.* vbi etiam habes verisimilitudinem esse cognatam naturæ; vnde coniecturæ, quæ ex hac oriuntur, dicuntur liquidissimæ probationes *l. licet Imperator ff. de legat. 1. & secundum eas iudicandum Afflict. dec. 13. n. 10. & Pres. de Franch. dec. 153. n. 7.*) validiores ergo rationes requiruntur, vt soluatur illa fortissima oppositio *supra num. 1.* quod cum teneamur de iure naturali Diuino ad famam proximi conseruandam, nequeat hoc præceptum infringi per illud de integritate confessionis faciendæ; quod est solùm de iure Diuino positiuo, eo magis, quod istud etiam seruatur per integritatē formalem, vt supra dictum fuit.

13 Inter has opinionum diuersitates mediam viam esse tenendam arbitratur *Suar. citat. disp. 34. sect. 1. num. 2.* vbi docet, reuelare peccatum proximi in confessione cum eius infamia, & sine rationabili causa esse de genere suo mortale ex communi omnium sententia (*contra Caiet. in 2. 2. q. 73. art. 2.* volentem infamare proximum apud vnam

vnam tantum personam non esse mortale) ex legitima verò causa licitum, esseque etiam communem; rationem assignat ex *D. Thom. d. art. 2.* vbi dicit docere detractionem formalem esse intrinsecè malam, non autem materialem, est autem (subdit *Suar. n. 3.*) detractio formalis, quando peccatum proximi reuelatur, vel ex intentione illum infamandi, vel sine rationabili causa; quibus præcisis, est materialis, & consequenter non per se mala, sed licita esse potest, & magis in confessione, vt integrè fiat etiam materialitèr pro maiori serenitate conscientiæ, quam posse esse causam legitimam, nisi probabilitèr timeatur confessarium reuelaturum complicem, aut alium nocumentum ei illaturum, quia tunc nullo modo licere dicit ibid. *sect. 2. num. 1.* Sicuti ex contrario, & à fortiori licere, quādo ex reuelatione peccati complicis, per pœnitentem facta, seù facienda, nulla illi causaretur infamia, si scilicet persona, & culpa talis essent conditionis, vt pro nihilo æstimaretur, quod de tali complice, tale peccatum reuelaretur, quod vltimum docet etiam *Caiet. in 2. 2. q. 73. art. 2.* ab ipso non cit. ibi, *Sunt autem personæ multa, quarum famam simplex fornicatio in nullo lædit, vt iuuenes seculares, qui tanti faciunt, quod hoc dicatur de eis, quantum quod cantauerunt, & simile est de adulterio apud multos.*

14

15 In priori ergo casu, quando detractio sit materialis tantum, & proinde licita, secundum *Suar. ibid.* subdit *num. 6.* quod quamuis præceptum positiuum de integritate confessionis nequeat per se derogare præcepto naturali de non lædendo famam proximi, si materia eius, & circumstantiæ necessariæ in eodem statu maneant, sæpe tamen fieri posse, vt ratione præcepti positiui mutentur materia, vel circumstantiæ præcepti naturalis, ita vt ex præcepto positiuo oriatur causa sufficiens honestandi actionem, quæ alioquin per se facta sine vlla causa, fuisset contra rationem; Pro cuius doctrinæ intelligen-

16 tia, duo tradit exempla, primum est de homine damnato ad mortem per priuationem alimenti necessarij, qui potest licitè (iuxtà probabilem opinionem, quam ipse dicit dubiam) non comedere, etiam si ab amico offeratur occultè cibus, vt iusta sententia in eo impleatur, quæ (iuxta eumdem Suar.) est veluti quædam humana lex, qua seclusa non esset licitum non comedere. Secundum de Monacho Carthusiensi, qui etiam potest licitè iuxta aliorum opinionem seruare vsq; ad mortem Statutum non comedēdi carnem, quod eo secluso, talisque regulæ professione, censeretur contra præceptum naturale seruandi vitam; Sic in proposito (concludit ibidem) seclusa institutione Sacramenti pænitentiæ, peccatum esset dicere alteri peccatum proximi secretum sine causa, vel ratione, posita autem prædicta institutione, resultare sufficientem causam, vt propter integritatem confessionis ad bonum pænitentis id fieri possit sine infamia formali, sed tantum materiali.

17 Hæc sunt in compendio, quæ latiùs docet *Suar. in cit. disp. 34.* quæ quamuis ingeniosa, mihi tamen non omninò satisfaciunt; etenim esto quod pænitens reuelet in confessione complicem sine intentione illum infamandi, vel cum causa rationabili, (quam vocat detractionem materialem,) non propterea sequitur complicem per talem reuelationem non esse infamatum apud Confessarium, vt dixi supra num. 11. si peccatum sit graue (quia alias sumus extra casum) sicuti si quis fornicetur absque intentione offendendi Deum, sed ex causa magnæ tentationis, & putans se coactum ex stimulis carnis, non propterea sequitur Deum non remanere offensum, quia indistinctè hoc prohibetur in Decalogo, maius tamen peccatum esset, si fornicaretur principalitèr cum intentione offendendi Deum, (quod esset odium formale Dei) & sic à simili, maius peccatum esset, si pænitens reuelaret complicem in confessione cum intentione eum infamandi, vel sine causa, absq; tamen hac intentione, & cum causa non desinit esse peccatum, *vt per DD. supra num. 7. & 8.*

18 Circa verò allata exempla, quantum attinet ad damnatum ad mortem, quod possit licitè non comedere, idem Suar. fatetur esse dubiam opinionem, sed ego addo esse adeò improbabilem, vt neque de iur. Can. neque Ciuili, talis pœna statuta reperiatur, nec vnquam inter Christianos audita, vel practicata fuit, sed solum inter Gentiles contra eosdem Christianos, proinde cum non possit esse iusta sententia, quod erat fundamentum Suar.

imò

imò iniqua, iniusta, & non seruanda, vti contra ius naturale, iuxta Caiet. mox citandum, teneretur omninò talitèr damnatus comedere *D. Thom. & ibi Caiet. 2. 2. qu.69. art.4. ad 2. Dian. & alij par.5 tract.4. resol.41.* aliàs diceretur homicida sui ipsius, quod patet esse peccatum grauissimum ex eisdem *Thom. & Caiet.* prohibitùmque etiam in foro fori ex *l. liber homo 13. ff. ad l. aquil. & c. contingit 36. de sent. excom. cum simil.* & quoad Monachum Carthusianum, quem dicit multos censere, posse licitè non comedere carnem vsq; ad mortem, respondetur contrariam opinionem esse communiorem, & vlterius nõ esse omninò contra ius naturale non comedere carnes, quia sunt alij cibi, quasi æqualis substantiæ, de quibus licitè vescendo, seruat statutum, & quatenùs paululum ex hoc, vita abbreuiaretur, licitum esse, vti opus virtutis docent *DD. apud Dia. par.11. tract.6. resolut.46. §. sed quamuis.*

19 Quod autem attinet ad D. Thom. allegatum per eumdem *Suar. d. art 2.* de detractione materiali, quod non sit intrinsecè mala, respondetur loqui Sãctum, quando detractio est in re leui, vt patet ibid. *in corp. videlt si autem proferat ex animi leuitate, vel propter causam aliquam non necessariam, non est mortale, nisi forte verbum, quod dicitur, sit adeo graue, quod notabilitèr famam alicuius lædat, & præcipuè in ijs, quæ pertinent ad honestatem vitæ, quia hoc ex ipso genere verborum habet rationem mortalis, & tenetur ad restitutionem famæ, sicut ad restitutionem cuiuslibet rei subtractæ.* Deinde ad tertium *videlicet, dicendum quod August. loquitur in casu, quò aliquis dicit aliquod leue malum de alio, non ex intentione nocendi, sed ex animi leuitate, vel ex lapsu linguæ,* quam doctrinã explicans ibidem Caiet. sic loquitur. *cum distinxisset Author, quod dicere verba detractoria, contingit dupliciter st. formaliter, & materialiter, & quod detrahere formaliter, est ex suo genere mortale, quia tollit famam, detrahere autem materialiter non excipit à materiali detractione casum notabilis læsionis famæ, & hunc casum præcipue accidere posse dicit in verbis detractorijs quo ad honestatem vitæ, quia huiusmodi verba ex suo genere sunt ademptiua famæ, quasi diceret, quod inter detrahere materialiter in alijs materijs, & in materia honestatis, hæc est differentia, quod in alijs materijs rarò accidit notabilis læsio famæ, in materia autem honestatis sæpe, quia huiusmodi detractio habet ex suo genere rationẽ infamatiui, ac per hoc peccati mortalis, de quo est sermo, hoc est detractionis, & hoc quia peccata carnis, sunt maioris infamiæ; sunt enim quadam personæ, quæ ex quibuslibet inhonestis infames redduntur, vt moniales, puellæ nubiles, nuptæ pudicæ, religiosi sui nominis curam habentes, & huiusmodi.* Qua de rè cernens Suar. difficultatem dixit *in d. disp. 34. sect. 2. nu. 11. in fine.* non posse negare priorem sententiam de non manifestando complicem in confessione, esse probabilem, cum habeat authores graues, & rationes probabiles.

20 Maiorem autem vim mihi facit pro eadem sententia Suar. & sequacium, quod in iudicio pœnitentiæ proceditur ad instar iudicij forensis *ex Trid. sess. 14. cap. 6. hoc tit. & alibi,* sed in isto potest cogi reus ad manifestandum complicem, argum. *c. in fidei de hæret. in 6.* imò torqueri solet ad eum, vel eos aperiendos, vt de iure, & praxi fuit ad aliud propositum probatum supra *resol. 87. n. 18. & resol. 88. nu. 8.* tenetùrque reus sub mortali dicere veritatem iudici legitimè interroganti iuxta *D. Thom. 2. 2. q. 69. art. 1. cum alijs supra resol. 28.* vbi reijcitur cõtraria opinio, ergo eodem modo tenebitur pœnitens in illo pęnitentiæ, maximè si Confessarius interroget, quia quod disponitur in vno, de æquiparatis, disponitur in alio *l. 3. §. proinde ff. de in rem verso. Præses de Franch. decis. 489. n. 14.* responde-
21 ri tamen potest istam coactionem in foro exteriori pertinere ad bonum totius vniuersi, quia si facinorosi nõ punirentur, passim homines occiderentur, paxque publica turbaretur, & propterea dicit *Iur. Cons. in l. ita vulneratus ff. ad l. aquiliam.* Reipublicæ interesse delicta puniri, ex quo sequitur conseruatio vniuersorum, quod est de iure naturali ad omnes attinente, & consequenter præfertur illi iuri naturali de non lædendo famã proximi, quod potest dici particulare, dum redundat in bonum priuatorum.

22 Quod si obijcias ita posse à pœnitentibus reuelando peccata complicium in cõfessionibus lędi famam multorum contra ius naturale, sicuti per quamplurima homicidia, vel alia delicta, si non punirentur; respondeo, quod in iudicio pœnitentiæ nõ potest Confessarius punire complicem à

suo pænitente reuelatum, vti suę iurisdi-
ctioni non submißum, cui propterea tol-
litur fama absque vllo profectu, non pæni-
tentis; quia sine ista reuelatione, valida, &
fructuosa est confeßio, vt supra *nu.* 2. *& 6.*
Neque complicis, quem non potest corri-
gere absque fractione sigilli (quod non
permittitur, quamuis vniuersa Ecclesia, to-
taque fides Christiana perire deberet, neq;
pro saluãda vita propria, vt infra *resol.* 177.
nu. 1.) neque Reipublicæ ob eamdem cau-
sam sigilli; quod contra accidit in foro ex-
teriori, vbi reus negando veritatem per
occultationem complicis, peccat mortali-
ter, & damnum infert Reipublicæ, quo non
sequuto augentur delicta, & deliquentes,
vt supra.

Solutis ergo obiectionibus in contra-
rium, non audeo dicere opinionem docen-
tium posse, & debere pęnitentem confiteri
de peccatis suis, etiamsi per talem confes-
sionem reueletur complex, non esse proba-
bilem, vt supra, quia authoritas tot, & tãto-
rum DD. hoc nõ sinit, quamuis rationibus
destituta videatur, sed benè contrariam
esse probabiliorem, ius n. naturale, cui in-
nititur, immobile semper, & immutabile
permanet, fereque apud omnes gentes
seruatur, vt docet Imp. in §. quod verò, &
§. sed naturalia instit. de iur. natur. gent. &
23 ciuil. in duobus tamen casibus illam re-
cipio. primus est, quem notaui supra n. 14.
ad finem, ex ratione vt ibi. secundus quã-
do pœnitens non haberet alia peccata, nisi
illud, vel illa patrata cum complice, qua
de rè confiteri non posset, illo, vel illis o-
missis, nec ob aliam causam aliud Sacramẽ-
tum recipere valeret, ratio est, quia non so-
lum cum pœnitentia, sed cum quolibet a-
lio sacramento, quando illa recipi non po-
test, sufficit attritio ad delenda peccata,
vt constat circa pœnitentiam *ex Trid. seß.*
14. *c.* 4. *eod. tit.* & circa alia, probatum est su-
pra *resol.* 45. *n.* 5. *& resol.* 79. *nu.* 10. Sed om-
nibus omissis ob impotentiam, necessaria
est contritio ex Trid. cit. cuius actus, quam
sit difficilis, patet *ex Ioele cap.* 2. *ibi. conuer-
timini ad me in toto corde vestro in fletu, &
planctu, quis scit an Dominus conuertatur, &
ignoscat.* Omittere ergo confessionem pec-
catorum in casu prædicto, & esse in dubio
an dolor peruenerit ad veram, & necessa-
riam contritionem, nullus pœnitens tene-
tur, quia de iure naturali obligatur, etiam
in necessitate corporali prouidere prius
necessitati propriæ, & postea proximi sui,
si potest vtrique. aliàs non tenetur, etenim
charitas ordinata incipit à se ipso *l. Præ-
ses C. de seruit. & aqua Caiet in* 2. 2. *q.* 73. *ar.*
2. *in fin.* multò magis ergo animæ suæ, quã
famę, vel corpori proximi, vnius n. animæ
salus, præfertur mille corporibus *c. si habes
circa finem* 24. *q.* 3.

Hic tamen casus difficiliter, seu quasi
impoßibiliter euenire potest, cum n. sep-
ties in diem (dici soleat) cadere iustum
venialiter, poterit pœnitens, alijs mortali-
bus non obstrictus, confitendo de veniali-
bus, obtinere remißionem mortalium ta-
citorum ad tegendam famam complicis;
24 sed in hoc casu cum agatur de remißio-
ne mortalium, nõ sufficit attritio naturalis
tantũ, vt probabile dixi *sup. resol.* 45. *n.* 11. *&*
13. quãdo subijcisitur clauibus venialia tã-
tũ, sed erit necessaria attritio omninò su-
pernaturalis ex *Trid. cit.* Ex quibus exclu-
do omnes alios casus, etiã articuli mortis,
quando dicunt Henriq. & alij multi viri
docti, per eum relati *lib.* 5. *cap.* 9. *nu.* 4. *litt.* G.
esse necessariam confeßionem integram
etiam materialiter, cum non remaneat spes
illud, vel illa peccata amplius cõfitendi, e-
tenim; impertinens dicit hoc esse *Suar. d.
disp.* 34. *sect.* 2. *n.* 12. & verum est, quia non
minus infamatur complex in morte per
reuelationem peccatorum, quam antea, ne-
que integritas confeßionis, præcisa famæ
illius læsione, est magis necessaria in mor-
te, quam in alijs confeßionibus, siquidem
dato pro vero remitti ob impotentiam ea
cõfitendi, eo modo quò supra dictũ est, eo-
dẽ modo remittũtur in morte, quã antea.
25 Addit *Suar. cit. sect.* 2. *sub nu.* 8. quod ad-
missa opinione posse taceri peccatum pro-
prium, quando subest periculum reuelan-
di complicem, multa inconuenientia se-
querentur, & signãter, quia sæpè oporteret
dimidiare confeßionem, præcipuè virum,
& vxorem circa peccata, quæ inter se cõ-
mittunt, dum cognoscuntur à confeßore,
ne iste veniat in cognitionem peccati alte-
rius; Item quia inde possent praui homi-
nes occasionem sumere grauißima pecca-
ta committendi, scientes excusari mutuo
ab obligatione confitendi; quæ tamen non
videntur multi ponderis; etenim omissa
illa generali responsione, quod ita lex scri-
pta sit, *vt sup. n.* 1. & ideo seruanda *l. prospe-
xit ff. qui, & à quibus,* dico, posito requiri
omninò in confeßione attritionem supra-
natu-

naturalem ex *Trid. cit.d. c. 4.* aut pœnitens istum actum expleuit,& difficile ad eadem peccata redibit, aut secus, & eorum remissionē non obtinebit ex eodem Trid. eo magis, quia dolus, cum quò agit, irritat confessionem *argum. l. 1. ff. quæ in fraud. cred. ibi, quodcumque fraudis causa factum est, videtur his verbis reuocari qualecumque fuerit,* & proindè cessaret disputatio,cuius finis est, vt tacendo peccatum proprium, ne manifestetur complex, valeat eiusdem proprij remissionem obtinere.

26 Item potest se accusare peccasse mortaliter,semel,bis, aut pluries cū circūstantia,specie differēte, & aggrauāte in infinitū,sed in genere, absq; explicatione complicis,nec peccati indiuidualis, vel omissa etiam circumstantia, si ista quamuis generaliter prolata, posset præiudicium afferre complici,ad quod puto omnino teneri, etiam sub mortali, si taliter confitendo nequear veniri in cognitionem complicis, vt dixi supra *n.7.* Cessat n. causa,ex qua permittitur dimidiatio cōfessionis, qua cessāte,cessat effectus *l. adigere §. quamuis ff. de iur. patron. c. cum cessante de appell.* Et tan-

27 dem quia casu, quò etiam per talem generalem accusationem, dubium sit veniri in cognitionem complicis (quod perdifficile satis,si non impossibile videtur) non omnino liberatur pœnitens ab indiuiduā confessione omnium peccatorum,sed donec,& quamprimum offeratur opportunitas confitendi alteri, cui absque tali periculo possint omnia aperiri, vt *ex bulla monitis. Alex.7. dictum est supra n.5. & 6.* & interim securus est in conscientia, quamuis numquam talis opportunitas daretur, vt etiam supra nu. 2. & 6. probatum est,quæ omnia concedit Suar.cum alijs relatis sup. n.11. Verum fingit casum, quando nullum ex prædictis remedijs potest adhiberi, sed omninò, vel est tacendum peccatum proprium,vel explicandus complex, vt *in d.n. 7. in fin.* quod tamen impossibile fere est,vt dixi contingere posse,considerando singula remedia relata,sed esto contingeret,non puto discedendum à DD. pro prima sententia relatis *n.8.*

28 Quam eo magis amplector, quia idem *Suar.d.disp.23.sect.2. nu.1. & 2.* agens de nocumento spirituali,vel corporali, quod quis timet inferendum sibi, vel proximo ex confessione peccati proprij per reuelationem peccati eiusdem proximi,dicit esse omninò tacendum tale peccatum,& ita docere Theologos omnes, ex eisdem rationibus supra *n.1.* à nobis relatis,& ex eadē lege charitatis, quæ obligat ad diligendū proximum,sicut nos ipsos, vt loquitur ibidem *n.2.* nec in tota *d.sect.2.* vbi latè agit de materia, profert verbum aliquod de facienda confessione integra, etiam materialiter, imò tàm in casu mortis,quàm pro satisfaciendo præcepto annuæ confessionis, & similibus docet ibidem *nu.4. & seq.* esse mutilandam confessionem, & sufficere fieri integrè formaliter, satisque esse votum,seu desiderium confitendi integrè, etiam materialiter, sicuti quando in eodē articulo mortis,nullo modo ob aliud accidens confiteri quis potest. Sed ista nocu-

29 menta,præcipuè corporalia proximi, non sunt minoris ponderis,quam fama eiusdē, quæ apud viros honestos ęstimatur magis, quam vita, vt dicit *Paul.in l. isti quidem §. si is, & §. quod si. ff. quod metus causa*, & facit illud *Eccles. cap.41. curam habe de bono nomine, hoc enim magis permanebit tibi, quam mille thesauri magni, & pretiosi.* imò dicit *Caiet.in 2.2. qu.73. art. 2. ad fin.* quod licet quis teneatur magis diligere propriam vitam,quàm propriam famam, & magis curam habere de priuatione vitæ, quam de priuatione famæ,tenetur tamen magis curam habere,ne apponatur sibi infamia,quā nè auferatur ab eo vita,vel sanitas, vel libertas, quoniam hoc consistit in mala pati, quod non est malum, illud verò in mala facere,quod est malum, ergo si ad vitanda illa nocumēta propria, vel proximi,potest & debet ex eodem Suar. mutilari confessio, ita imo à fortiori ad conseruandam eius famam.

Ergo dicet quis, quando post primum gradum correctionis fraternæ,qui nō profecit,deueniendum est ad secundum, vel tertium, reuelando peccatum occultum proximi amicis, vel Ecclesiæ, vt corripiatur, iuxta præceptum Christi Domini nostri,de quo *apud Matth.c.18.* peccatum erit hoc facere iuxta prædicta, cui respondet *D.Tho.q.68.art.1. & qu.73. art.2.* quod qui

30 hoc agit,nullatenus peccat, sed facit actū virtutis, vel charitatis, dum quando denunciat,intendit emendationem fratris,vel iustitię, quia si non vult emendari,punitur à Iudice, & sic saltem ex timore corripitur iuxta illud, timent peccare mali formidine pœnæ; In confessione autem nequit

complex corripi à Confessario, neque puniri à iudice, ne reueletur sigillum; quod est cum tanto secreto seruandum, vt antea dixi, & consequenter per talem reuelationem nullus actus virtutis exercetur, imo fit contra præceptum iuris naturalis, quod prohibetur, vt supra. Sed quatenus esset
31 facienda correctio à Confessario per secundum gradum correctionis de licentia pænitentis, qui nec potest eam dare, vt alibi dixi, transgrederetur ordo constitutus à Deo, qui mandauit primò fieri inter te, & ipsum solum ex *eod. tex. Matth.* quod est de necessitate præcepti, vt infra *resol.* 185. *num.* 10. *in fine ex D. Tho. & alijs*, ergo deberet primo fieri à socio criminis, sed huic est istud prohibitum, vt docet idem *D. Thom.* 2. 2. *q.* 33. *art.* 5. vbi ait esse indebitam correctionem peccatoris erga alium sibi similem, allegat illud *Matth.* 7. *quid vides festucam, &c.* ergo à neutro fieri licitè potest; Diuersa enim est ratio de reuelatione peccati complicis in confessione ad correctionem fraternam ex supra dictis, diuersumque ius statutum, & proinde ex diuersis non fit illatio *l. Papinianus exult ff. de minor.* Adde quod etiam in correctione fraterna est conseruanda quantum possibile sit fama proximi, & ideo secreta admonitio, quæ præcedere debet, est de necessitate præcepti, vt dicā in cit. resol. 185. n. 10. quia potest per eam corrigi, & sic vitando secundum, vel tertium gradum correctionis, eius fama seruatur illæsa.
32 Confirmantur prædicta ex locis Euangel. nam Iesus Christus Dominus noster, ne prodigeret famam Iudæ, à quo sciebat tradēdum fore, vt ei pluries prædixit, dedit sicut alijs suum sanctissimum corpus, imò quando hoc illi prædixit, semper id sub velamine egit, ne alij Apostoli in eius cognitionem venirent: vnde nescientes quis eorum esset traditor, interrogabant, *numquid ego sum Domine?* quod totum omnes Euangelistæ testantur. Ergo sicuti Christus communicauit Iudam in tam magno sacrilegio existentem, vt eius famam seruaret illæsam, ita potest quis mutilare suam confessionem ad famam proximi sui seruandam.

Vtrùm faciens confessionem informem, satisfaciat Ecclesię præcepto; & quid si esset omninò nulla?

SVMMARIVM.

1. *Ecclesia præcepto de annua confessione an satisfiat, si sit informis, & quid si nulla? n. 2. vsque ad finem.*

Resolutio CLI.

1 Dictum est supra resol. 144. confessionem informem esse validam in substantia, vacuam tamen effectu gratiæ, ita vt non sit necesse repetere confessionem, sed accedente attritione, accedere etiam gratiam; propterea non est dubitandum satisfieri pręcepto Ecclesię *Suar. to.* 4. *disp.* 36. *sect.* 7. *n.* 6. *Henriq. lib.* 4. *cap.* 5. *in princ. Bonac. tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 5. *sect.* 2. *pun.* 4. *nu.* 22. & in hoc fere nullus contradicit, nec dubium est ex contrario, quando confessio est omninò nulla, quia st. voluntariè omittitur aliquod mortale, vel deest dolor, aut propositum abstinendi in futurum, & similia, vt solet fieri a meretricibus, concubinarijs, vel publicis vsurarijs, quod si tales defectus explicent Confessario, & propterea non absoluuntur, non satisfaciant præcepto, nec euadant pænas contra tales ab Ecclesia statutas docent *Azor. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 40. *q.* 4. *Bonac. vbi supra n.* 2. *& alij.*
2 Sed quæstio est, quando quis aliquem ex defectibus prædictis voluntariè committit sibi, non autem Confessario notis, & tamen absoluitur, & in isto casu dicit Henriq. cit. quamuis confessio sit nulla, & præcepto diuino minimè satisfaciat, quia tamen res est occulta, euadere confitentem Ecclesiæ censuras ab Episcopis latas, aliasque iuris pœnas, quæ sunt, vt viuens arceatur ab Ecclesia, & moriens Ecclesiastica careat sepultura ex *c. omnis* 12. *de pænit. & remiss.* Bonac. verò cit. vbi multi tàm per eum, quàm *Dian. par.* 3. *trac.* 4. *resol.* 120. tenent contrarium (quamuis
3 iste etiam priorem appellauerit prababilè) quia præceptum confessionis est diuinum *Luc.* 5. *&* 17. *Ioan. epist.* 1. *cap.* 1. quod fuit ordinatum ab Ecclesia adimpleri saltem semel in anno, aliàs eam omittens in-

incurrit in pęnas prędictas statutas in eod. *c. omnis cit.* sed qui aliquem defectum ex prædictis malitiosè in confessione committit, non adimplet præceptum diuinum, vt in *Trid. sess. 14. c. 5.* ergo nec ecclesiasticum; sed hæc ratio pace tantorum virorũ videtur non conuincere: etenim, si vera esset, vtique procederet etiam in confessione informi, per quam certum est non satisfieri præcepto diuino, vt ex D. Thom. & communi probatum est supra d. resol. 144. & tamen satisfit pręcepto Ecclesiæ, vt etiam ex communissima DD. sententia modo dictum est.

4 Propterea dico, satisfieri Ecclesiæ præcepto, eo modo quo infra, non autem diuino, siquidem Deus vti scrutator cordiũ dum videt confessioné imperfectam, quia peccator vel non dolet, vel non vult peccatum relinquere, & sibi reconciliari, impossibile est, quod peccata remittat ei, qui remissionem ex corde non petit, suamque amicitiam reijcit; Ecclesia verò, quæ nec scit, nec scire potest animum confitentis, si eum absoluit, iam est eius præcepto satisfactum, quantum ad vitandas pœnas exteriores, sed sacrilegium committit ex *c. omnis de pænit. & remiss. vt fuit etiam declaratum per Alex. 7. in sua bulla incip. Sanctissimus D.N.n. 14. emanata die 2. Octobris 1665.* quia cum nec iudicet, nec iudicare possit de internis, soli Deo notis *c. erubescant dist. 32. D. Thom. 1. 2. qu. 91. ar. 4. cor. & q. 100. ar. 9. cor.* videndo in exteriori peccatorem sua peccata confitentem, putat rectè confiteri, aliàs posset sæpe accidere peccatores verè contritos, vel attritos, & confessos, indebitè puniri ab Ecclesia, putando contrarium, quod non est ferédum,
5 obstante regula legis, quod in dubio potius debemus nocentem liberare, quam innocentem condemnare *c. ex litteris in fine de probat. l. absentem §. 1. & l. penult. de pæn. l. Arrianus ff. de action. & obligat. l. factum 198. de regul. iur.* Facit Gl. in *l. item mela §. sed si plures v. percusserint ff. ad l. aquil.* vbi dicit, quod si quis fuerit percussus ab vno ex pluribus, & non apparet à quo, omnes pœnam euadunt, vt clarius explicat alia Gl. in margine (quod tamẽ intelligitur in rixa, quia quando plures aggrediuntur vnum appensatè, etiam si vnus occidat, vel vulnera inferat, nec constet quis fuerit, omnes tenentur *Foller. in pract. crim. v. pænis debit. feriant. n. 26.* bonus tex. in *c. sacris de sepult.*) Et ideò si talis pœnitens absoluatur ab Ecclesia, vitat pœnas exteriores, licet in conscientia ob nullitatem confessionis, sit sacrilegus, vt supra.

6 Suar. tũ *to. 4. disp. 36. sec. 8. n. 4.* voluit et incurrere has pœnas exteriores, sed non rectè, prolata enim sententia absolutoria per sacerdoté, qui eã dat nomine Ecclesiæ, non potest amplius retractari arg. *l. diui fratres, ff. de pænis vbi suam mutare sententiam neminem posse, idque insolitum esse fieri, & cat. l. Paulus de sent. & re iudic.* quam opinionem ex alijs medijs docent, & probant *Fagund. prec. 2. lib. 1. cap. 4. nu. 4. in fine, & ante eum Palud. in 4 dist. 17. q. 7. Sylu. v. confessio 4. n. 3. in fine,* vbi plus dicit, nempe quod etiam si pœnités dicat nolle à peccato cessare, quia ex *c. quod quidam de pænit. & remiss.* est admittenda talis confessio, & pœnitentia salutaris, ac consilium exhibendum, non tamen absoluendus, nihilominus cum tali inualida confessione, satisfaciat præcepto Ecclesiæ: quod tamen nõ recipio, quia omnes supponunt pœnitentem tacuisse prædictos defectus, & habuisse absolutionem in casu relato, quæ aliàs tribui non potuisset, de quo hodie dubitari nequit ex cit. bulla, quę si prædictis non obstantibus, sit intelligéda indistinctè, & iuxta opinionem Suar. remitto me totaliter, & humiliter iudicio S. M. Eccl.

Vtrum adimpleta pęnitentia à Confessario iniuncta, tollatur omnis pœna purgatorij, quid si pœnitens illam acceptare nolit, volens pœnam in purgatorio subire? & tandem num acceptata pœnitentia, & non satisfacta, per negligentiam, vel obliuionem, committatur mortale, vel veniale peccatum?

S V M M A R I V M.

1 *Contritio perfecta cum confessione, si confessary copia sit, tollit omnem culpam, & pœnam, quæ subeunda esset in purgatorio. & n. 3.*

2 *Satisfactione per pœnitentem adimpleta, quæ fuit à confessario sibi iniuncta, an omnis purgatorij pœna tollatur? & n. 4. cum multis sequent.*

5 *Christus concessit omnem potestatem Apostolis dimittendi peccata, & consequenter Episcopis, & per eos etiam presbyteris.*

6 *Verbum (quodcumque) est signum vniuersale.*

8 *Acti-*

8 *Aestimatione alicuius rei in Tertij arbitriũ collata, si ipse, dolo, & culpa cessantibus parum minus, vel plus errauerit in aestimatione, dicitur iusta aestimatio.*

11 *Pænitentia, quæ à Confessario imponitur potest esse duplex, medicinalis, & satisfactoria, quæ sint, & qui earũ effectus? Illius definitio n. 12. Quæ sint pænitẽtibus imponendæ n. 24. & 26. An sit in pænitẽtis potestate eam respuere cum proposito satisfaciendi in purgatorio? num. 13. & 14.*

15 *Confessarios non esse iudices ordinarios, sed arbitros tenuit Scotus, alij contra.*

16 *Arbitrorum sententiæ, seu laudo est de necessitate parendum, si ab eo non appelletur, seu non petatur reduci ad arbitrium boni viri.*

17 *Confessarij electio est in potestate pænitentis (excepta confessione annuali ab ordinario facienda,) sed post electionem, & confessionem secutam, est necessario adimplenda pænitentia ab eo imposita, & si secus, an sit mortale, vel veniale, & n. 18. cum multis seq. Procedit vt iudex, sed siue sit ordinarius, siue arbiter, sua sententia semper est coactiua; quatuor de hoc assignantur rationes nu. 21. 22. & 25.*

27 *Leges obligant necessariò ad obseruantiã, quia important præceptum, non consilium.*

Resolutio CLII.

1 AD primum est aduertendum, talem
posse esse contritionem, vt accedẽ-
te confessione (si modo Confessarij copia
sit) tollat omnem culpam, & pœnam, vt
testatur *Magist. sentent. in 4. dist. 20. sub
tit. de illo, cui sacerdos & cæt.* vbi ait, docu-
mentum nos de hoc habere in illo latro-
ne, qui sola mentis contritione, & confes-
sione, statim vt conuersus fuit, Paradisum
ingredi meruit; sed dubium nostrum est,
2 quando facta confessione cum sola attriti-
one, & pœnitentia peracta, quæ iniuncta
fuit à Confessario, si statim pœnitens in
tali statu gratiæ moreretur, euolaret ad
Cælum sine transitu per purgatorium;
supponimus etiam non accepisse indulgẽ-
tias, quæ pœnas quoq; prædictas tollunt,
vt suo loco dicemus, & in hoc articulo
D. Thom. loco cit. q. 1. art. 2. q. 2. pro affirma-
tiua sic arguit.

Pœnitens non videtur debitor maioris
pœnæ, quàm illius, quæ à sacerdote est si-
bi iniuncta, quia sacramentum semper cõ-
sequitur suum effectum, nisi sit defectus
ex parte recipientis, vel conferentis; sed
si aliquando imponitur minor pœnitentia,
quam sit condigna, non est defectus ex
parte recipientis, qui est paratus ad omnẽ
pœnitentiam, nec ex parte conferentis sa-
cramentum, qui secundum conscientiam
suam, & discretionem, talem pęnitentiam
taxat, ergo videtur, quod cum tale sacra-
3 mentum, sit ordinatum ad peccatum tota-
liter destruendum, quantum ad culpã, &
& quantum ad pœnam, non remaneat lo-
cus ampliori pœnæ, pænitentia peracta.
Et respondet, quod quandocunque iniun-
gitur pœnitentia, minor cõdigno, defectus
est ex parte recipientis, vel imponentis,
sed quandoque potest esse sine culpa vtri-
usque, vt quando imponens, debitam di-
ligentiam adhibet, & recipiens paratus est
ad implendum, & propter hoc non est in-
conueniens, si totaliter à reatu pęnæ non
liberetur.

Per quod argumentum, & alia duo si-
milia supponit Sanctus, & percipitur etiã
4 ex magistro vbi supra in princ. quod si
Confessarius pænitentiam condignam in-
iunxisset, & pœnitens impleuisset, non
remaneret locus amplioris pænæ in pur-
gatorio, de quo non est dubitandum; so-
lutione n. eius, quod debetur, omnis tolli-
tur obligatio, vt ait Imper. *in tit. instit. quib.
mod. toll. obligat. in princ. Nauar. in man. cap.
26. n. 16.* vbi affert in argum. tex. *in l. iusti-
tia ff. de iustit. & iur.* sed de communi testa-
tur *Vasq. tom. 4. de pænit. qu. 94. ar. 2. dub. 6.
n. 1. & 3.* Quod si erraret Confessarius im-
ponendo pænitentiam minorem cõdigno,
luendum est residuum in purgatorio *Va-
lent. tom. 4. disp. 7. q. 14. versic. duo tamen, Su-
ar. to. 4. disp. 38. sect. 5. n. 3. Tolet. lib. 6. cap. 23.
n. 6. Nauar. & alij apud Regin. lib. 7. n. 47. &
Bonac. tom. 1. disp. 5. qu. 5. sect. 3. pun. 1. n. 2.*

5 In contrarium tamen satis vrgent loca sacræ paginæ, vt apud *Matth. cap. 16. Ioan. 20. & alibi,* quibus in locis amplissimam legitur Deum dedisse potestatem Apostolis peccata dimittendi, eandemque Ecclesiæ in Episcopis, & presbiteris, vt explicat Gl. ordinaria apud Matth. ibidem, & legitur *in Trid. sess. 23. cap. 1. de Sacram. ordin.* de quo non dubitatur, & talem potestatem arbitrandi etiam pœnam condi-

gnam

condignam esse collatam in Confessariũ,
non negant *Suar.n.2.& Vasq.cit.* quia dum
eam non limitauit Christus, sed generali-
ter locutus est ibi, *quodcunque ligaueris, &c.*
generaliter est etiam illud intelligendum
ad regulam *l. de pratio ff. de public. in rem*
act. illudque verbum (quodcunque) est
signum vniuersale, cõplectens omnes ca-
sus *Gl. in Clement. 1. v. quibuscunque de iud.*
Frases de Franch. decis. 162. n. 2. Grat. discep.
for. cap. 82. n. 31.

Vlterius si diceremus, pœnitentia pe-
racta iuxta prudens consilium Confessa-
rij, non esse totam pœnam remissam, eo-
dem modo posset dici non esse remissam
totam culpam, dum per eadem indiuidu-
alia verba fuit concessa potestas Confes-
sario circa vtrumque, quod tamẽ asserere,
esset hæreticum, si confessio ritè præcessit,
vt apud *Io. d. c. 20. & Trid. sess. 6. cap 14. &*
c. 29. Quamobrem *Scot. in 4. dist. 19. qu. 1. §.*
ad quaestionem motam Gabriel. dist. 18. q. 1. ar.
1. not. 5. conclus. 2. Maior dist. 20. q. 1. Med. C.
de confess. qu. de effectu pœnit. iniunctæ, Sot.
dist. 20. q. 2. art. 3. alijque apud Suar. & Va-
7 *squ. locis cit.* asserunt, ita in arbitrium sacer-
dotis collatum esse iudicium causæ pæni-
tentis, vt si ipse imponat omnem pænitentiam,
quam iustam arbitratur, etiam si
errauerit parum minus, remissam omni-
nò esse pœnam temporalem in alia vita
soluendam, ita vt non sit necessarium iu-
dicium sacerdotis ferri ad indiuisibile. Et
propterea consideratis peccatis, eorumq;
circumstantijs, prudenterq; assignata pæni-
tentia, & peracta, iure optimo intelligi
absolutam causam, debitumque omnino
8 extinctum, ad similitudinem, vt aiunt, æsti-
mationis domus, vel ruris, quãdo fuit col-
lata in arbitrium virorum prudentum, &
expertium, qui si prudenter agendo, bo-
na tamen fide, non dolo, vel culpa decep-
ti, minus plusue æstimauerint, dicitur illa
æstimatio iusta; facit in argum. *tex. in l.*
2. C. de rescind. vendit. (licet ipsi DD. nihil
allegent) vbi non rescinditur venditio, nisi
fuerit erratum in prætio vltra medietatem
iusti valoris.

His tamen, & similibus non obstantibus,
non est à sententia D. Thom. & aliorum
priori loco adductorum discedẽdum, quã
vlterius probat Sanctus ibidem ad 3.
9 quia nequit Confessarius quantitatem pę-
nę debitæ cognoscere soli Deo notam; &
propterea in casibus supra dictis iura per-
mittunt errorem hominum, quia si illum
scire possent, vt scit Deus, certè non con-
sentirent; adde quod quandoque etiam
ex industria minorem pœnitentiam im-
ponens, plus prodest pęnitenti, quàm no-
ceat, qui fortè magnitudine pænæ posset
à pœnitentia peragenda retrahi propter
debilitatem virtutis, ad hoc in eo de no-
uo recuperatæ; & ideò negligit minus
damnum, vt maius vitet; & iterum pau-
latim confortatus, in eo diuinus amor ad
plura pænitentiæ opera peragenda, ipsum
incitabit propria sponte, quàm sacerdos
illi secundũ quãtitatẽ peccatorũ iniunge-
re potuisset; quod si aliquãdo maiorẽ cõ-
digno pœnitentiam Confessarius impo-
neret, hoc ait Sanctus ibidem ad 2. deser-
uire pro medela ad cauenda futura.

10 Ad loca relata scripturæ respondet *Ni-*
col. de Lyra in d. c. 20. Io. esse hoc intelligẽ-
dum, quando iudicium Ecclesiæ, seu Con-
fessarij diuino iudicio conformatur, tri-
buendo pœnitenti pænitentiam condignã;
tunc ea persoluta, nihil remanere soluen-
dum in purgatorio, quod confirmatur ex
Trid. sess. 14. can. 12. ibi, si quis dixerit totam
pænam simul cum culpa remitti semper à Deo,
anathema sit; si non remittitur semper; er-
go aliquando, & est, quando fuit assigna-
ta condigna pœnitentia; doctrinam autem
Scoti, & aliorum supra relatorum, etiam si
admittamus, non contradicit sententiæ
D. Tho. quia de minimis non curat Prætor
l. omnino ff. de impens. in reb. dot. fact. Dec. in c.
de appell. de appellat. 2. notabili Alciat. lib. 2. de
verb. signif.

11 Ad secundum præmitto nos non loqui
de pœnitentia medicinali, quæ applicatur
ad peccata futura præcauenda, vt sunt v.g.
Concubinæ dimissio, odij capitalis depo-
sitio, alieni restitutio, & similia, quia cer-
tum est, etiam si Confessarius ignoranter
hoc non ordinaret, & pænitens ab illis
abstinere, vel restituere nollet, confessio
esset nulla, & consequẽter id mandando,
tenetur pœnitens talem pœnitentiam ac-
ceptare, aliàs non potest absolui, & si de
facto absoluitur, mortaliter peccat Con-
fessarius, & confessio est nulla *Nauarr. in*
man. cap. 26. n. 20. Regin. lib. 7. cap. 2. nu. 14.
& est inconfesso apud omnes.

12 Quæ quidem pænitentia definitur per
Grat. ex *August. in c. satisfactio de pœnit. dist.*
3. quam approbat *D. Thom. in 4. dist. 15. q.*
1. quaestiunc. 3. videlicet, est peccatorum causas
exci-

excidere, *nec earum suggestionibus aditum indulgere*; dubium ergo est de poenitentia satisfactoria, quæ imponitur pro pæna temporali debita pro culpa remissa, & respondet, Nauarr. ibidem sibi placuisse sententiam subtilis Scoti *in 4. dist. 17. Gabr. dist. 16. q. 2. & Medin. in C. de confess. trac.*
13 *2. q. 45.* asserentium, sufficere pœnitenti habere propositum satisfaciendi Deo hìc, vel in purgatorio, & subdit quod, licet videatur inutilis disputatio, cum nemo reperiatur tàm saxeus pænitens, qui bona fide confiteatur, & nolit etiam modicam pænitentiam acceptare, nihilominus testatur in Vrbe, & Orbe receptum, non negari cuiquam absolutionem, si nolit acceptare pænitentiam satisfactoriam, modo habeat verum propositum satisfciendi Deo in hac eadem vita per alia bona opera, & indulgentias, vel in alia in purgatorio. Quam
14 sententiam confirmat *Reginald. loco citato post num.* 15. ex ratione supra allata D. Tho. & aliorum de pæna luenda in Purgatorio, quando pænitentia imposita à Cõfessario non fuit æqualis, seu correspondens poenæ debitæ pro peccatis; sic in proposito inquit Reginal. dum eo casu est soluendum residuum pęnæ in purgatorio, consentaneum erit, vt volenti omnem pænam ibidem soluere, non denegetur electio, & absolutio. Idem docent multi alij apud *P. Dian. par. 11. tract. 7. resol. 2. §. 2.*

15 Argumentum cui se fundat Scot. loco cit. est, quod Confessarij non sunt iudices ordinarij, sed tamquam arbitri, ex electione st. & acceptatione pænitentium quo ad illos actus, in quibus velint se ipsos illis subijcere, ergo poenitentes tunc debẽt implere pœnitentiam, si eam acceptent, velintque se Confessarijs in ea re subijcere, aliàs nequaquam; Supponit ergo Scot. ideo Confessarios non posse obligare pęnitentes, quia sunt arbitri, secus si essent Iudices ordinarij, quasi quod esset in potestate compromittentium acceptare, vel refutare laudum arbitrorum, quod, pace tanti viri, non est ita, vt statim probabo, à quo tamen argumento pertermiti supradicti, & alij DD. eum sunt secuti. *Gregor. de Valent. tom 4 disp. 7. q. 14. pun. 4. vers. sed ad primum* dicit, quod Confessarij non sunt arbitri, quia à Christo, & Ecclesiæ Præpositis authoritatem sui muneris in illo conscientiæ foro receperunt, & propterea sunt censendi iudices ordinarij, & consequenter pœnitentes debent simpliciter illorum sententiæ stare, acceptando, & soluendo pænitentiam iniunctam; supponit ergo etiam iste Doctor, quod si Confessarij essent arbitri, non possent obligare pœnitentes, sed hoc vt dixi verum non est.

16 Ex tex. enim in *l. Habeo §. stari autem ff. de recept. arbitr.* constat non esse voluntatis, sed necessitatis, sententiæ arbitrorum parere, idem habetur *in c. 1. & 2. in fine de arbitr.* verba text. sunt videlicet, *stari autem debet sententiæ arbitri, quam de re dixerit, siue æqua, siue iniqua sit, & sibi imputet, qui compromisit, nam & Diui Pij rescripto adijcitur, vel minus probabilem sententiam æquo animo ferre debet, &c.* & sic, licet sit in cuiuscunque volũtate arbitrum eligere, postquam tamen fuerit electus, & iudicauerit, est in necessitate laudo obtemperare; est tamen appellabile, seu reducibile arbitrio boni viri, sicut omnes sententiæ aliorum Iudicum, vt infra.

17 Sic in proposito, est in arbitrio pænitẽtis eligere Confessarium (excepta annuali confessione ab ordinario facienda ex *c. omnis de pænit. & remiss.*) sed post electum, & iudicatum per pænitentiæ impositionem, necesse est eam acceptare, & implere, & propterea videtur non subsistere fundamentum prædictorum, nec relata ratio Regin. cui respondetur cum D. Tho. paulo ante adducto, ideò soluendũ esse eo casu residuũ pænæ in purgatorio, quia nequit Confessarius quantitatem pænæ debitæ agnoscere soli Deo notam. Contraria igi-
18 tur sententia, nempe quod necessarium sit pænitenti acceptare, & complere in hac vita, vt diximus pænitentiam impositam à Confessario sub pæna, non inualiditatis confessionis, sed peccati mortalis, (& est responsio tertij dubij) docent idem *de Valent. loco cit. versic. est igitur tertia sentẽtia, Suar. disp. 38. sect. 7. n. 2. vsque ad 6. tom. 4. ex Magistr. sentent. in 4. dist. 16. & 18. D. Tho. ibidem q. 1. art. 3. quæstiunc. 3. D. Anton. 3. part. tit. 18. cap. 19. §. 19. Soto dist. 20. quæst. 2. art. 2. & multis alijs Tolet. lib. 3. cap. 9. n. 6.* vbi dicit non esse audiendum Caiet. contrarium docentem.

19 Quæ tamen regula fallit, quando pænitentia imponeretur pro mortalibus alias confessis, vel pro venialibus tantum, quia tunc

tunc esset etiam veniale, secundo si Confessarius vellet nimis rigorosas pænitẽtias
iniungere, puta ieiunia in pane, & aqua
seni, vel debili, & similia, quæ diceretur
claue errante imposita, tunc posset pænitens non acceptare pænitentiam, aliumq;
Confessarium adire, *idem Suar. ibidem nu. 4. Regin. sibi contrarius loco cit. n. 13. & alij.*
tertiò fallit, quando pænitentia imposita
pro mortalibus esset leuis, vt solet fieri cũ
infirmis, tunc eius omissio (cõtemptu cessante) non est mortalis, vt ex eodẽ Suar. &
Henriq. docet *Regin. d. lib. 7. n. 77.* quartò
fallit iuxta *Nauar. in c. contrarium de pænit. dist. 5. n. 18. & in man. cap. 9. n. 17.* quando
pœnitentia non fuit impleta per obliuionem, quæ assimilatur ignorantiæ, nisi esset
affectata, vt supra *res. 19.* Item in confessi-
20 one venialium, etiam si pro illis, grauis
imponeretur pœnitentia *Suar. to. 4. disp. 38. sect. 7. nu. 5. Dian. par. 3. tract. 4. resol. 102.*
quicquid incontrarium dixerit *Bonac. to. 1. disp. 5. q. 5. sect. 3. pun. 4. n. 4.* euius rationes
reijcit *Layman. lib. 5. tract. 6. cap. 15. num. 7.*
dicens durum esse obligationem satisfaciendi pro culpa leui, effici posse grauem,
sicuti, quod peccata semel confessa, & pænitentia pro eis peracta, pęnitens si iterum
ea clauibus subijciat, nouam contrahat
obligationem satisfaciendi sub mortali.
21 Fundamenta prædictæ sententię sunt,
quia in hoc Sacramento proceditur ad
instar iudicij ex *Trid. sess. 14. c. 5. & can. 9.*
in quo siue procedatur à Confessario, vti
iudice ordinario iuxta Valent. cit. siue vti
arbitro iuxta Scot. etiam cit. semper est
coactiuum. prima pars probatur *in l. à Diuo Pio ff. de re iudic. secunda in dictis §. stari autem, & c. 1. & 2. de arbitr.* ergo cogitur
pœnitens obtemperare sententiæ Confessarij, pænitentiam ab eo iniunctam acceptando, & soluendo, exceptis casibus præ-
22 dictis. Secundo quia *in c. omnis de pænit. & remiss.* in princ. statutum fuit, debere
pænitentem adimplere pænitentiam sibi
iniunctam, & non loquitur de purgatorio;
ergo est de necessitate soluenda in hac vita; cui accedit communis vsus fidelium
timoratæ conscientiæ, qui si pænitentiam
iniunctam adimplere negligunt, peccare
putant, & de illa non adimpleta, vel neglecta, tanquam de peccato in sequenti con-
23 fessione se accusant. Tertiò, quia *in Trid. sess. 14. cap. 3.* dicitur, inter partes integrales Sacramenti esse satisfactionem; ergo
si non adimpleatur, mutilatur Sacramentum, & proinde, licet validum sit, quia nõ
est pars substantialis, committitur tamen
mortale per eius contentiosam omissionẽ,
sicuti partem integralem, vt docet *Belarm. super eodem loco Trid.* & confirmat de Valent. vbi supra versic. quartum est.
24 Quarto omissis alijs, quia in eodem
Trid. cit. cap. 8. mandatur Confessarijs, vt
pro criminum qualitate, & pænitentium
facultate conuenientes satisfactiones iniungant, ne si forte indulgentius cum pænitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur
(de quibus tamen pænitentijs iuxta qualitatem delictorum, & statuta sacrorum
can. scribit sigillatim *Regin. lib. 7. nu. 54. & seq.*) ergo si Confessarij omittentes imponere, non dico totaliter pænitentiam, sed
solùm leuem iniungendo pro peccatis
grauibus, peccant, multò magis peccabũt
pęnitentes, illas non adimplendo, postquam fuerint sibi iniunctæ; quia si de
quo minus, ergo de quo magis, *auth. multo magis, C. de sacrosanct. Eccles.* Imò
25 in *dict. cap.* 8. inferius subditur, claues
sacerdotum non ad soluendum dumtaxat,
sed ad ligandum cõcessas, etiam antiquos
Patres credidisse, & docuisse; & propterea
inferunt *Suar. d. sect. 7. n. 2. & 3. & Valent. vbi supra,* quod non posset dici, esse apud
Cõfessarium potestatem ligandi, nisi esset
obstrictiua, & coactiua ad obseruantiam
eius, quod ordinatũ est pro satisfactione,
& adeo hoc verum esse, vt etiam de fide,
ex locis citatis, teneri debere dicit *Victor. in summa hoc tit. n. 240.* contrariumque improbabile vocat *Eman. Sà v. satisfactio n. 4. ex D. Tho. Palud. & alijs,* quod volens vitare *Nauar. d. cap. 26. n. 20. in fine* dicit, debere authoritates prædictas Trid. intelligi
de Confessario imponente minorem pænitentiam, quam iustam arbitratur, quod
ex paulo ante dictis constat non militare.
26 Minus obstat responsio *Regin. d. lib. 7. c. 2. n. 16.* qui contendit debere intelligi de
pœnitentia medicinali, aut de satisfactoria iam acceptata, vel acceptanda non ex
præcepto, sed ex consilio, quasi quod optime ageret pænitens pænitentiam, sibi discretè taxatam acceptando, & implendo,
sed nullum præceptum ad id eum obligare, quę tamen responsiones (cum pace)
Qqq viden-

videntur somniantium deliraméta;etenim cuique legenti cit. *Trident.cap.*8. impossibilis est talis expositio, præcipuè de pœnitentia medicinali, cum nec mens, nec verba tex. talem intellectum admittant; & circa secundum est contra omne dictamē
27 rationis, inceassum n. ferrentur omnes leges,si ex consilio tantùm essent prolatæ, & contrarium legitur in *c.omnis autem dist.* 3. *l.* 2. *& l. legis virtus ff. de legib.* & latius *infra resol.*200. *n.*22. *& seq.* sicuti latius etiam dicetur de priori quæst. infra *res.*161 *à num.*13.

Vtrum necessarium sit adimplere pœnitentiam in statu gratiæ, & de triplici genere bonorum operum, eorumque effectibus, an illa possit per alium adimpleri; an ab eodem, vel alio Confessario tolli, vel mutari etiam extra confessionem,vel ab eodem pœnitente propria authoritate in meliorem,vel æqualem, & tandem infra quot tempus adimpleri, quando non fuit hoc à Confessario præscriptum.

SVMMARIVM.

1 *Satisfactio per Confessarium pœnitenti iniuncta sufficit, si adimpleatur etiam in statu mortalis,nec propterea committitur aliud mortale,sed tantùm veniale,& an in illo statu impleta, tollatur pœna purgatorij pro eisdem debita? num.* 2. 3. *&* 5.

4 *Opera pia facta in statu mortalis prosunt animabus purgatorij, si illis applicentur per modum suffragij, vel indulgentiæ, & probabiliter sibi ipsis ad minuendam eandem purgatorij pœnam, si ad statum gratiæ transierint. Sunt in triplici differentia; explicantur singuli eorum effectus n.6.& 7.*

8 *Pœnitentia potest solui per alium, Confessario permittente, si est satisfactoria; secus si præseruatiua, & n. 9. Imposita ab vno Confessario, an possit ab alio mutari, etiam si imponens esset Pontifex? nu.*10. *An possit commutari etiam extra confessionem? n.* 13. *cum multis seq.*

11 *Sententia diffinitiua non potest reuocari ab eodem Iudice proferente.*

14 *Pœnitentiæ debent dari diuersæ secundum variam personarum qualitatem,& quæ tales sint?*

17 *Clausula, rebus in eodem statu permanentibus, semper, & in quocunque contractu intelligitur apposita, quamuis non apponatur.*

18 *Reus potest instare apud Iudicem superiorem, vt causa absque nouo termino decidatur.*

22 *Votum potest propria authoritate commutari à vouente in melius, secus pœnitentia à Confessario imposita.*

24 *Pœnitentiæ adimplendæ tempus, quando nō fuit præscriptum à Confessario,est vnius anni secundum aliquos, sed quid si fuerit ab eodem determinatum.*

Resolutio CLIII.

1 QVoad primum respondetur negatiuè *Nauar. in man.cap.3.n.6.Suar.tom.4. disp 38.sect.8.nu..1.Eman.Sà v. satisfactio n.7.Regin. lib.7.nu.9. & 84.Bonac. tom.1.disp.5. q.5. sect.3. pun.4.num.15.* ratio est, quia Confessarius præcipit opus tantum, non autem modum,& propterea illo impleto, est congruenter satisfactum, etiam si impletum sit in statu mortalis,sed committitur veniale, quia ponitur voluntariè obex effectui Sacramenti, licet non essentiali, iam secuto tempore absolutionis, sed integrali, tempore satisfactionis. *P. Dian.par.3.tract.4.resol.70.* Bene verum
2 est, quod talis satisfactio non prodest ad tollendam temporalem purgatorij pœnā, sicuti prodesset, si fieret in statu gratiæ,& ratio est, quia opera nostra nō sufficiūt ad solutionē pœnæ,nisi innixa meritis infinitis Passionis Christi, vt in *Trid.sess.14. cap.8.* ex nobis n. tanquam ex nobis nihil possumus iuxta *Apost.2. Corinth.3.* sed Christus non dat sua merita inimicis, quia si donatio etiam post facta reuocatur ob ingratitudinem donatarij *l. fin, C.de reuocand. donat.* multò magis, si præsciretur ingratitudo, non fieret; ergo perseuerante peccato, nō fit remissio pœnæ, *Nauar. vbi supra n.7. & Suar.cit. n.3. contra Sco.in 4. dist.15. qu. 1. ar. 4.* aliosque multos putantes hunc sacramentalem effectum non requirere statum gratiæ. Vide Scotistas ibi.

3 Dubitatur tamen, num reuerso peccatore in gratiam,satisfactio in illo statu peracta

tacta, adeo suum sortiatur effectum, vt tollat eam pœnam temporalem, quam ab initio abstulisset, si in statu gratiæ fuisset effecta, & respondetur affirmatiuè per *Suar.cit.nu.5. Regin.& alios DD. supra cum Dian. qui cæteros refert part.3.tract.4. resol.* 85. eamdem omnes rationem repetentes, nempe quia sacramentum pœnitentiæ, sicut baptismus, & alia, recedente fictione, suum consequuntur effectum; ergo eodem modo satisfactio sacramentalis in mortali præstita, recedente fictione, vti pars integralis sacramenti; pars enim, sicut accessoria sequitur naturam sui principalis *l. cum principalis ff. de regul. iur.* quam responsionem idem Suar. ibidem dicit non esse multi ponderis ex rationibus per eum adductis, quas non repeto, sed sufficit dicere, quod hoc probatur *in c. quæras* §. *illud in fine de pœnit. dist.3.* à prædictis DD. non citato.

4 Alia responsio est originaria Augustini Triumphi Anconit. Augustiniani ordinis *in summa par. 1. qu. 32. art. 2.* vbi strenuè tuetur, opera pia, quæ fiunt in Ecclesia, et ab existentibus in mortali prodesse animabus purgatorij, si pro eis offerátur, vel per modũ suffragij, vel indulgétiæ ad relaxationem partis, vel totius pœnæ ipsis debitæ, quã doctrinã meritò extollit *Nau. in c. Diuina §. sicut ergo. n.5. de pœnit. dist.4.* & faciunt dicta per *D.Thom. par.3. q.89. art.3. in corp. & ad 1.* Si ergo existens in mortali, potest per opera sua bona suffragari alijs, multò magis poterit sibi ipsi, sed nonnisi recedente peccato, ex maioritate rationis auth. *multo magis C. de sacros. Eccles.* irrationabile namque omninò esset, quod quis posset alios, & non se ipsum ab eadem pæna propter eandem causam iniuncta liberare *c. cui licet plus de regul. iur. in 6. & Suar. d. nu.5.* generaliter dicit hanc satisfactionem habere effectum recedente fictione, quod si contentiosè obijceretur procedere hoc non posse, ducta similitudine ab illis, qui sunt funibus obstricti, quia potest alter soluere alios, sed non se ipsũ; respondetur, omissis alijs, diuersam rationem esse in impedimentis iuris, & facti, *ex tit. ff. de iuris, & facti ignor.* vnde ex diuersis non fit illatio *l. Papinianus exulit ff. de minor.* & vlterius non esse ipsum orantem, qui se soluit, sed Deum ex eisdem bonis operibus, & multò magis ex diuina liberalitate, si sic sibi placuerit.

5 Alia ratio quare ista bona opera satisfactionis, facta in peccato mortali, recedente peccato, habeant effectum, vt dictũ est, cetera verò bona opera in peccato, non prosint, nisi ad temporale præmium, vel ad minus supplicium in inferno subeundum, vt dicunt *D.Thom. cit. q.89. art.6. ad 3. & Gl. in d.§. illud v. non percipitur, & in c. quod quidam de pœnit. & remiss.* est, quia licet vt opus operantis sit mortuum, tamẽ vt opus sacramentale, & applicatio meritorum Christi, semper est viuũ, quãuis mortificatum ratione præsentis status pænitentis, & sicut opera bona facta in charitate, mortificantur per sequens peccatum, & reuiuiscunt recedente peccato, vt per eandem Gl. & D. Tho. cit. art. 5. ita satisfactio ex applicatione meritorum Christi per sacramentum incipit habere effectum, ablata fictione, vt etiam discurrit *Suar. d. disp.38. sect.8. n.5.* quod ante eum docuere *Angel. in summa v. pœnitentia n.8. ex Soto in 4. dist. 15. qu. 1. Tolet. lib.3. cap.1 1. n.4. & 5.*

6 Ex quibus colligitur, triplex esse genus bonorum operum; primum est, quod fit in peccato, & hoc dicitur mortuum, & numquam reuiuiscit *D.Thom. d. art.6.* nisi ex sententia Anconit. supra relatæ applicetur animabus Purgatorij, vel secundum eundem Sanct. & Gl. cit. prodest, vt ex illis excitetur peccator ad peccatum relinquendum, vel ad temporale præmium consequendum, vel ad minus supplicium subeundum in inferno vbi Gl. allegat versus, quos transcribit *Nauar. im man. prel. 7. num. 3.*

Quæ cum mortali bona fiunt, dant bona terræ,
Cot faciunt humile, minuunt tormenta gehennæ.

7 Secundum est, quod etiam fit in peccato; sed quia fit pro pœnitentia à Confessario imposita, non solùm satisfit illi obligationi, sed etiam ex quo, opus dicitur sacramentale ex applicatione meritorum Christi, reuiuiscit adueniente gratia per recessum à peccato; & proindè parit effectum diminutionis pænæ tẽporalis, vt sup. dictum est, tertium est, quod fit in caritate, qua recedente per peccatum, dicitur mortificatum, & accedente gratia à fortiori omninò reuiuiscit, & prodest ad vitam æternam consequendam *D. Tho. vbi supra art.5.* quod si numquam charitas, seu gratia redierit (quod absit,) habet eundem effe-

effectum, quam primum opus *D. Tho.* & Glos. cit. multaque ex his leguntur in *c. pium est cum 2. sequent. de pænit. dist. 3.* quã materiam cum repetierit *Bonac. to. 1. disp. 5. q. 6. de pænit. sect. 4. pun. 1. n. 1.* inter bona opera, erroneè connumerauit peccata.

8 Quo ad secundum respondet *D. Tho. in 4. dist. 20. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3.* cum distinctione, quod aut loquitur de satisfactione iniuncta pro cautela; & præseruatione futurorum, & non potest per alium satisfieri, quia ex ieiunio vnius, caro alterius non domatur, aut de satisfactione debiti, & potest per alium, dummodo sit in charitate, vt opera eius satisfactoria esse possint (vel cum distinctione, vt supra dictũ est) pro cuius doctrinæ certitudine affert Sanct. ibid. in corp. exemplũ in vitis Patrũ, quod propter caritatem vnius, qui alterius fratris sui caritate ductus, pænitētiam egit pro peccato, quod nõ cõmiserat, alteri peccatũ, quod cõmiserat dimisũ est; hoc tñ nõ
9 posse fieri, nisi Confessario mandante, qui non debet id permittere, nisi defectus aliquis appareat in pænitente, vel corporalis, per quem sit impotens ad sustinendũ; vel spiritualis, per quem non sit promptus ad portandam pænam docent *Angel. v. satisfactio n. 3. Sylu. eod. v. & n. Eman. Sà. eodem n. 20. Tolet. lib. 3. c. 11. n. 13. Suar. to. 4. disp. 38. sect. 9. n. 1.* vbi quamplures, & post eos *Regin. lib. 7. n. 80. qui addit n. 81. ex Angelo & Sylu. cit.* quod si is, qui satisfactionẽ alteri commisit, moriatur ante eam impletam, non euadet debitas pænas purgatorij, nisi completa satisfactione.

10 Quo ad tertiũ DD. conueniunt in parte, in parte dissentiunt; conueniunt, quod possit pænitentia mutari ab eodem, vel ab alio Confessario maiori, siuè æquali, siuè inferiori in confessione, vnde si Episcopus potest minuere pœnitentiam, quam indixit Papa *secundum Gl. communiter receptam in c. tempora v. suo iudicio 26 qu. 7.* eodem modo poterit Parochus eam, quam indixit Episcopus, vel alius superior, quia eandem potestatem habent omnes Confessarij in dimittendis peccatis, etiam cũ Pontifice, vt dictum est supra *resol. 152. num. 5.* præter reseruata, vt infra *n. 12.* sicuti etiam eandem in consecrando, vt supra *res. 136. n. 8.* quod licet neget *Sotus in 4. dist. 20. qu. 2. ar. 3.* ex illo vulgato axiomate, quia par in parem non habet imperium per text. ab eo non adductos, qui sunt *c. innotuit §. quamuis de elect. & c. inferior dist. 21.* cũ alijs, quem citat *Dia. part. 2. tr. 15. resol. 53.* qui *est in Lille à quo §. tempestiuum ff. ad Trebell.*

11 Respondetur tamen, hoc non esse exercere iurisdictionem in Confessarium, qui posset dici par (quod iura prædicta prohibent,) sed in pœnitentem, cui liberum est iterum peccata sua clauibus quorumcunque Confessariorum competentium subijcere ex generali potestate omnibus tradita à Christo, nec propterea dici potest reuocari ex hoc sententiam prędecessoris, quæ cum sit diffinitiua non posset ex *l. Iudex posteaquam ff. de re indic.* nam vtraque stat de per se; & dum potest pœnitens iterum de eisdem peccatis confiteri, nouumque iudicium instituere, poterit etiã, quam vult pænitentiam ex iniunctis adimplere, vt rectè aiunt *Angel. v. confessio 6. n. 66. Sylu. eodem 1. num. 31. Nauar. in man. cap. 26. nu. 22. Tolet. lib. 3. cap. 11. n. 11. Suar. to. 4. disp. 38. sect. 10. n. 4. & 12. Regin. lib. 7. nu. 90. Bonac. tom. 1. disp. 5. q. 5. sect. 3. pun. 3. nu. 1. & 13.* nisi quando esset imposita pœnitentia publica in foro exteriori, quàm certum est non posse æqualem, vel inferiorem commutare *c. latorem 33. qu. 2. Sylu. v. confessio 1. n. 31.*

12 Quod si pœnitens haberet casus reseruatos, ex quibus absolutus, & pęnitentiatus à superiore fuisset, non posset tũc mutari pœnitentia ab inferiore iuxta Angel. & Sylu. cit. *Nauar. cap. 26. n. 22. Henriq. lib. 5. c. 22. Conínc. de Sacram. disp. 10. de satisfac. dub. 12. Regin. lib. 7. n. 91. Molfes. in summ. to. 1. tr. 7. c. 23. & alij* quibus tñ non obstantibus contrarium generaliter docēt *Vasq. tom. 4. q. 94. art. 2. dub. 3. n. 9. Valent. to. 4. disp. 7. qu. 14. pun. 4. circa finem, Bonac. supra num. 6. Dia. vbi multi par. 2. tr. 15. resol. 53. versic. sed graue*, ea ratione, quia per absolutionem casuum reseruatorum, remanent illa peccata non reseruata, & consequenter, nec reseruata pænitentia pro eis imposita; sic similiter quando Papa votum sibi reseruatum commutat in non reseruatum, potest deinde quilibet Episcopus in isto dispensare, vt latissimè docet *Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. c. 10. n. 15.* idem dicitur de mutatione pænitentiæ præseruatiuæ; dumodo fiat in aliam æqualiter præseruatiuam, & salutarem, quia militat eadem ratio ex regula *l. à Titio de verb. signific. Sanfelic. decis. 202. num. 15. Bonac. cit. num. 5.* licet contrarium velit *Regin. vbi supra num. 92.* sed

ſed ſine ratione.

13 Hanc tamen mutationem non eſſe faciendam ſine aliqua rationabili cauſa; quæ ſunt ſecundum Tolet. ibidem, quando pęnitens eam non impleuit, & timetur nõ impleturum, vel eſſe ei incongruam, & ſecundum *Bonac. n.2.* neceſſitas, vel notabilis vtilitas pœnitentis, vel obliuio pænitentiæ iniunctæ; quibus in caſibus debet tribui alia æqualis, vel etiam mitior, ſi ita prudenter Confeſſarius exiſtimauerit, cum pœnitentiæ, licet ſint arbitrariæ iuxta tex. *in d. c. tempora 26. q.7.* haberi tamen
14 debet reſpectus ad deuotionem pænitẽtium, ætatem ſenilem, vel ægritudinem, & addit Gl. ibidem, iuuentutem *c. in adoleſcentia 33.q.2. & c. pœnitentes diſt.50.* nobilitatem *c. non cogantur diſt.41.* paupertatem *c. de his, & c. quamuis de ſentent. excom.* imo addit *Suar. loco cit. n.6.* poſſe aliquando non ſolùm in mitiorem, pœnitentiam mutari, ſed omnino tolli, ſi talis ſit contritio, & diſpoſitio pænitentis, de quo vide etiam ſequentem reſol. in princ.

15 An autem poſsit mutari pænitentia non auditis peccatis, pro quibus fuit impoſita, in hoc DD. diſſentiunt; aliqui n. dicunt, quod ſi adeatur idem Confeſsarius infra breuem terminũ, ita vt probabiliter poſſit idem iudicium exiſtimari, & habeat peccata in mente ſaltem in generali, poſſit ſecundum Suar. loco cit. *ſect. 10. nu.3.* quem terminum vſque ad tres dies, & non amplius extendit *Regin. lib.7. nu.87. ex Sot. in 4. diſt.20. q.2. art.3. ſed Henriq. lib.5. cap.21. in fine* vſque ad hebdomadam. alij autem Confeſsarium confeſsione non audita, nullo modo poſſe, defendit idem *Suar. n.4.5. & 8.* vbi aliquibus rationibus id probare conatur; idem ante eum docuit *Sylu. v. confeſſio 1. n.31. & poſtea Regin. cit. n. 93. Bonac. etiam cit. n. 7.* per eadem fundamenta Suar. quæ ſunt, quia eadem eſt poteſtas ligandi, atq; ſoluendi in hoc foro; ſicut ergo non poteſt ſuperior ligare imponendo pænitentiam ſacramẽtalem peccatis non auditis, ita nec poteſt ab illa ſoluere commutando; ſecundò quia vterque eſt actus ordinis, iuriſdictionis, & iudicij, qui non poteſt exerceri cauſæ meritis inauditis. tertia reincidit in idem ſub diuerſis verbis.

16 Quibus reſpondetur, quod ſi ſecundum eorum opinionem eſt repetenda confeſſio, vel hoc requiritur ad remiſſionem culpæ, vel pœnæ, non primum cum iam peccata fuerint remiſſa ex vi abſolutionis præcedentis, ſuppoſitis alijs requiſitis; neque ſecundum, cum per aliam æqualem pęnitentiam ab alio Confeſsario imponendã, vt infra, poſsit illi ſatisfieri; ergo non eſt opus repetere confeſsionem, *Sot. Caiet. Nauar. Vaſq. & alij apud Coninc. diſp.12. dub.9. n. 86.* & conſequenter non obſtant rationes Suar. quæ poſsent locum ſibi vendicare rebus in eodem ſtatu permanentibus
17 *l. cum quid ff. de ſolut.* Quam clauſulam intelligi ſemper in quocunque contractu appoſitam, etiam ſi penitus omittatur, ſcribit *Merlin. centur. 2. cap. 11. nu. 1.* ſed poſtquam vincula per Suar. conſiderata, fuerunt ſoluta per abſolutionem, iudiciumque completum, nec Confeſsarius mutãdo pænitentiam, iterum abſoluit, non eſt propterea neceſse iterum de eadem cauſa diſceptare, niſi de voluntate pœnitentis, qui poſſet de eiſdẽ peccatis ad libitum reconfiteri, ſumpta ſimilitudine à iudicio forenſi, ad inſtar cuius proceditur in hoc ex *Trid. ſeſſ. 14. c. 5.*

18 Etenim ſi reus ex ſuis criminibus ad debitam pænam damnetur, poteſt appellando ad ſuperiorem inſtare, vt cauſa abſque noua diſcuſſione, vel compilatione proceſsus ex eiſdem actis decidatur, renunciando omni termino, vt practicatur quotidie in omnibus Tribunalibus circa condemnatos ab inferioribus; & præcipuè in M. C. V. erga condemnatos ab audientijs Regni, quæ informata, ſaltem extraiudicialiter de meritis cauſæ, priorem ſentẽtiam temperat, mitiorem aliquando pęnã imponendo, quod à fortiori poteſt Princeps, vel Delegatus eius, ille n. eſt legibus ſolutus *l. princeps, ff. de legib.* Sic in propoſito poterit pęnitens, grauatus ab vno Confeſsario circa pęnitentiam, vel vti nimiam, vel vti ſibi incommodam recurrere ad alium Confeſsarium pro moderatione; & licet vnus non ſit ſuperior altero, quia tamen omnes ſunt delegati à Chriſto vniuerſali omnium Domino, qui conceſſit omnibus Confeſsarijs in Petro omnimodam poteſtatem, vt dictum eſt ſupra *reſol. 152. n.5.* & alibi, poterunt proinde pænitentiam commutare, vel minuere, delegatus enim fungitur vice delegãtis *c. ſignificaſti & c. ſane de offic. & pot. iudic. deleg.*

19 Hoc tamẽ non eſt faciendum ex abrupto, nulla ſt. habita cognitione ſtatus pæni-

nitentis, vt videtur voluisse *Dia.par.2.tr. 15. resol.53.* vbi inuehit contra Suar. Vasq. & alios per eum relatos, qui contrariam omnino sententiam sunt secuti, dicens eam in Cathedra, vel in Cella docuisse, sed habita de eo aliquali notitia, vt sciat cui grauis, & cui mitis imponenda pœnitentia sit, tuncque poterit in aliam, peccatis non auditis commutare ad similitudinem fori externi, in quo licet nō requiratur parte instante minuta discussio causæ, requiritur tamen aliqua saltem extraiudicialis, vt modo diximus *Nauarr. in man. c.9.n.17. ex D. Tho. Caiet. & alijs; & iterum cap.26. n.22. Gregor. de Valent. tom. 4. disp.7.q.14.pun.4. in fine, Eman. Sà v. satisfactio n.5. vbi multi.* Hoc quando pœnitens

20 non recordatur pænitentiæ à priori Cōfessario impositæ, quia si de ea recordatur, & solùm commutari cupit, non est opus alia peccatorum notitia, nequidem extra confessionem, *Rodriq. 1. par. cap.56. num.8. Nugn. in addit. 3. par. q.18. art.3. ad finem,* pluresque alij, quos refert, & sequitur *Bonac. to.1. disp.5. quæst.5. sect.3. pun.4. sub n. 8.* ex ea enim habet aliqualem cognitionem status pænitentis, vt communi vsu seruari solet, qui practicè securus putatur ab *Anton. Fernand. in exam. Theol. moral. p.3. c.6. §.7. n.20. & Syluio in addit. ad 3.p.q.18. a.3. dub. 4.*

21 Sed vtrum pœnitens possit propria authoritate pænitentiam à Confessario impositam in æqualem, vel meliorem commutare? respondet *Henriq. lib.5. cap.20. n.5.* negatiuè. *sequitur Regin. lib.7. n.85.* & patet ex dictis supra resol. 152. *à n.21.* nam pœnitentia tamquam pars integralis est à solo Confessario imponenda, cui iure diuino data est ligandi, & soluendi potestas; (excepto quando fuit iustè imposita, sed postea pœnitens factus est impotens ad eam implendam, vel orta est alia causa sufficiens ad eum excusandum, tunc locus est interpretationi) *Bonac. n.12.* vbi rationē assignat, quia st. ista commutatio, est actus iurisdictionis, qui fit à Confessario, tamquam à superiore, iurisdictionem exercēte, & propterea non potest fieri à pœnitente, cum nequeat in se iurisdictionem exercere, sibi ipsi imperando; quæ ratio est vera, & sufficiens, vt etiam dicunt DD. per eum relati, sed nullus eam probat, & tamen eleganter docet *I.Consf. Vlpian. in l. ille à quo §. tempestiuum ff. ad Trebell.* vbi Alex. summans tex. ait, quod par in parem non habet imperium, neque in se ipsum.

Quamuis autem *Dia. d. resol.53. in fine* dicat probabilem esse opinionem contrariam; ego tamen libenter adhæreo negatiuè Henriq. & cæterorum (nisi ageretur de pænitentia leui, vel pro venialibus imposita, vel etiam mortalibus alijs ritè confessis, vt in simili diximus in *d. res.152. n.18.*) tum quia lex prædicta, & ratio legis

22 obstant, tum quia inapplicabilis videtur similitudo per eū adducta de voto quod, sicut potest commutari à vouente authoritate propria in melius, vt infra verb. votum, ita etiam pęnitentia; votum enim, sicuti propria fit electione, ita eadem etiam in melius commutatur; pænitentia autem imponitur à Confessario ex præcedenti obligatione peccatorum, vt discurrit Henriq. loco cit. & de communi tradit Bonac. relatus, & consequenter quia militat diuersa ratio, diuersa etiam est iuris dispositio *l. Papinianus exuli ff. de minorib. Affl. decis.350.n.2. Præs. de Frāch. decis.354.nu.4. Sanfel. dec.78. n.9.*

23 Ex quibus iterum dissentio ab eodem Dia. in eo, quod dixit in eadem resol. 53. §. *sed pro coronide*, non posse st. fieri commutationem pœnitentiæ a Cōfessario extra confessionem, sed posse in confessione peccatis non auditis, vt supra, etenim dū voluit posse fieri ab eodem pœnitente, vt in citata res. in fine, iste quando commutat sibi pęnitentiam, hoc necessario agit extra confessionem, quia si in ea, hoc consultius impetraret à Confessario; ergo vel est erroneum primum dictum; vel secundum; nam si per eum non potest fieri commutatio à Confessario extra confessionē, multò minus poterit ab ipso pœnitēte, ne sit iudex in causa propria *arg. l. qui iurisdictioni de iurisd. omnium iudic.* vel potest fieri ab eodem pœnitente extra confessionem, vt ipse testatur, & magis poterit ab ipso Confessario, quia vel est eadē, vel maior ratio ad tex. *l. 1. §. interdum ff. de fonte, & auth. multo magis C. de sacr. Eccles.* quod ex alijs medijs docent *Valent. to.4. disp.7. qu.14. pun.4. Eman. Sà v. satisfactio n.5. & alij apud eos.*

24 Ad vltimum respondetur: tempus, quādo non est præscriptum à Cōfessario pro adimplenda pœnitentia satisfactoria, esse vnius anni iuxta *Anton. Fernand. instruct.* Con-

Confess.par. 1. docum.4. n.5. & docum.7. §. 2.nu.2. quod colligi dicit *ex c.omnis de pænit. & remiss. in princ.* vbi præceptum fuit ab Innoc. 3. quod omnis vtriusque sexus fidelis, saltem semel in anno sua peccata proprio sacerdoti confiteatur, (& postea subdit,) & iniunctam pænitentiam studeat adimplere, quasi quod secundum eum censeatur repetitum tempus anni ad pænitentiam explendam; quod dictum extollit *Dia. d.resol.53. in fine*, sed si probabiliter, alij iudicent, nàm *Eman. Sà d. v. satisfactio num.14.* tangit punctum, & non soluit; *Suar.verò disp.38. tom.4.sect.6.n.6.* dicit, adimplendam esse quam primum potuerit, ita etiam Bonac. vbi alios refert *tom. 1.disp.5. q.5. sect.3.pun.4.nu.6.* Si verò fuit præscriptum tempus, potest etiam ex causa post octo dies à lapsu temporis adimpleri, quia datur paruitas materiæ *Dian. par.3.tract.4.resol.92. & par.5.tract. 5.resol.15.*

Quæ pœnitentiæ sint à Confessario pœnitenti imponendæ, & de triplici earum genere; item num possit imponi pro pœnitentia cessatio à peccato; an tempore iubilæi imponatur pœnitentia de necessitate, vel ad benè esse, & an quando de necessitate imponitur, possit satisfieri per opus alias debitum?

SVMMARIVM.

1 *Pænitentiæ, quæ imponuntur pænitenti à Confessario, debent esse contrariæ peccatis, & licet relinquantur Confessarij arbitrio, hoc tamen debet esse regulatũ iuxta diuersitatem personarum, & peccatorum, aliàs ipsi participes fiunt peccatis eorum & n.2.*

3 *Testium fides est in iudicis arbitrio, quod tamen debet esse regulatum secundum personarum qualitates, verisimilitudines, aliasque coniecturas, vt infra.*

4 *Verisimilitudo habetur pro lege, est cognata naturæ, probat semiplenè, & iuncta cum alys adminiculis, vel cum alia verisimilitudine, plenè.*

5 *Pænitentiæ omnes in tria genera diuiduntur, quæ etiam subdiuiduntur.*

6 *Cessatio ab opere dicitur opus, sed an possit illa pro pænitentia imponi? & nu.7.vel opus alias ex præcepto debitum? n.11.*

8 *Iubilæi tempore non est necesse imponere pænitenti alias pænitentias vltra iniunctas à Pontifice: sed solùm ad bene esse. nec tenetur eas pænitens acceptare, nisi sint præseruatiuæ n.10.*

9 *Gratiæ vnus gradus, plus valet, quam omne pænæ remissio.*

Resolutio CLIV.

1 AD primum respondet *Tolet.lib.3.cap. 11.nu.7.* esse imponendas pœnitentias contrarias peccatis, lasciuis st. ieiunia, auaris eleemosynas, blasphemis, & periuris laudes diuinas, & pro omnibus generaliter Sacramentorum frequentiam, non autem pauperibus eleemosynas, aut famulis peregrinationes, vel alia opera pœnitentium statui, & qualitati repugnãtia; quantitas autem pænitentiæ ait *Nauar.in man.cap.26. nu.* 18. nunc, & semper relinquitur prudentis Confessarij arbitrio *ex c.mensuram de pænit.dist.1.* Sed hoc arbitrium debet esse regulatum, qualitate personæ, & delictorum, earumque circumstantijs, & nouitate, vel vetustate pensatis *c.Deus 8. de pænit. & remiss.* quod adeo verum est, vt dixerit *Abul. in c. 18.Matth. q.40.* Confessariũ imponentem pænitentiam ad libitum voluntatis, nulla de his habita consideratione, peccare, vt postea declarauit etiam *Trid.sess.14.cap.8.* statuẽs pænitentias conuenientes esse à Confessarijs imponendas, ne si fortè peccatis conniueant, & indulgentiùs cum pænitentibus agant, leuissima quædam opera pro grauissimis delictis iniungendo, alienorũ peccatorum participes efficiantur. 2

3 Hinc à simili notandum est doctrinam traditam *à Reg.Cap.Latro.decis.60.* testium st. depositiones esse in arbitrio iudicis, quibus velit magis, vel minus credere, nõ esse sic simpliciter ad literam intelligendam, sed iuxta *tex.in l.3.§.1.ff.de testib.* vbi tradita regula esse arbitrarias, statim subditur (quod etiam in parte dictum fuerat in l. præcedenti) examinandas st. esse fidem, dignitatem, mores, grauitatem, qualitatem, existimationem, & super omnia verisimilitudinem, idem *in l. ob carmen §. si testes ff. eod.* cum ista sit imago veritatis, & qui eam habet, casum legis dicitur pro se habere *R.de Marin. resol.91. nu. 22. & resol.*

& resol.297.nu.9. Grat.discept.for.cap. 948. *n.* 31. vbi dicit testi deponenti verisimilia esse credendum, licet aliàs non crederetur
4 & *nu.* 32. quod habeatur pro lege, sit cognata naturæ, & quod inducat plenam fidem, si adsint adminicula *cap.796. nu.* 26. imò quod vna verisimilitudo, addita alteri, inducat etiam plenam fidem *c.* 948. *nu.* 33. & secundum eas iudicandum *cap.*884. *num.* 33.

5 Ad tria autem genera pœnitentiarum, vniuersas reduci non abre putauit *Tol.d.c.* 11.*sub n.*2.ieiunia st.orationes, & eleemosynas, dummodo sub ieiunio complectamur alia opera pœnalia corporis, nempe disciplinas, cilitia, peregrinationes, & similia, sub orationibus, non solùm meditationes, omnesque preces vocales, sed etiam missarum celebrationes, prædicationes, lectiones, & cæt.& tandem sub eleemosynis, opera quoque misericordiæ corporalia, quibus etiam rectè *n.*4. addit, maioris efficaciæ esse, cæteris paribus, pœnitentiam à Confessatio impositam, & adimpletam, quam voluntate assumptam; quia illa est pars Sacramenti, cui insunt merita Passionis Christi, vt in priori resol. n.5. dictum est, & notant *Suar. & alij per eum to.*4. *disp.*38.*sect.*8.*n.*5.

6 Posse autem imponi pro pœnitentia cessationem à peccato, vitæque emendationem, non dubitat *Nauar.d.cap.*18. *nu.* 24. quod licet alij non admittant, quia pro pœnitentia sunt imponenda opera, & cessatio ab opere, siue bono, siue malo, non est opus, ipse tamen vult, cessationem ab opere, esse etiam opus ex *Gl.in l.* 2.*v.in dando ff. de verb. obligat.* vbi dicit sub promissione de faciendo comprahendi non facere, sed rectius probatur in §.*si vxor tua instit. de nupt.* vbi ait Imper. iure facturos eos, qui à quibusdam nuptijs, ibi relatis se abstinuerint; ergo abstinere, seu nō facere, est facere, vt etiā notauit alia *Gl.ibid.v.*
7 *facturos*. Quod licet verum sit; secundum tamen declarationem seq. resol. vbi latiùs, non propterea prudenter ageret Confessarius hanc imponendo pænitentiam, quia daret causam noui mortalis committendi; cum iuxta opinionem supra *resol.* 152. *nu.* 18. *relatam*, pænitens non adimplens pænitentiam voluntariè, mortale committat cum distinctione, vt ibi, debet tamen hoc facere per modum consilij iuxta documētum eiusdem Nauar. vbi supra, & *nu.*25. *Eman.Sà v.satisfactio n.*13.*& Suar.cum alijs disp.*38.*se.*4.*sect.*4.*n.*4.

8 Quo ad secundum respondetur non esse necessarium imponere pęnitentiam, nisi aliud à Pontifice iubilæum concedente, exprimatur; ratio est, quia pęnitentia datur ad extinguendam, vel minuendam pænam temporalem, vt supra in dicta *resol.* 152. sed Iubilæū tollit omnem pœnā, posito quod per contritionē, vel attritionē, & absolutionē sit sublata culpa ergo ita colligitur ex *D.Tho.in* 4.*sent. dist.*20.*q.* 1.*art.*3.*quæstiunc.*1.*in cor.* imò si Confessarius pœnitentiam iniunxit, non tenetur pænitens ad eam *Sylu.v. indulgentia num.* 23. Bene verum est quod potest Confessarius ad omnē bonum finem aliquam pœnitentiam, vel modicam imponere, & rectè facit pœnitens eam soluendo; rationem tradit *Tolet.lib.*6.*cap.*23.*nu.*10. quia st. per eius adimplementum consequitur augmentum gratiæ, per solam verò indulgentiam, pænæ temporalis remissionem,
9 plus autem valet vnus gradus gratiæ, quā magnæ pœnæ remissio; *Dia.verò in summa v.pænitentiam imponere n.*1. *refert Gl.in extrauag. antiquorū de pænit. & remiss.* quam dixisse ait, quòd Bonifac. 8. reprehendebat Confessarios, qui tempore iubilæi pęnitentias imponebant vltra opera in eo præscripta, sed talem Gl. in codice nostro non inueni.

10 Rationem prioris propositionis tradit *Bonac.to.*1.*de pænit.disp.*5. *q.*5.*sect.*3. *pun.*4. *n.*7.quia st. sicut debitor non tenetur amplius soluere debitum sibi remissum à creditore, ita pęnitens non tenetur amplius satisfacere pro pæna sibi per Indulgentiā remissa; sed pęnitentias preseruatiuas nō remittit indulgentia, quantumuis plenaria, idem *n.*9.*ex D.Thom.Sylu.Tab.Angel. Nauar.& alijs Dia.par.*5.*tract.* 12.*resol.*3.*in fine.* Quod si indulgentia non fuerit plenaria, tanta pœna satisfactoria remittitur, quanta fuerit per indulgentiam concessa, vt si indulgentia sit quadraginta dierum, idem numerus dierum, qui erant standi in Purgatorio, remissus est, *Bar. à S, Fausto de indulg.lib.*2.*q.*153.*&* 155.

11 Ad vltimum, si imponatur opus aliàs debitum in pænitentiam, vt v.g.missa in die festo, quæ ex præcepto audiri debet. posse vtrumque debitum cum vna sola missa solui alij affirmant, alij negant apud *Nauar.in summa cap.*26.*n.*24. & licet *Nugn.*

gu. in addit. ad 3. par. q. 15. art. 1. diffic. 1. conclus. 2. asserat, peccare mortaliter Confessarium imponentem opus aliàs debitum, si confessio fit de mortalibus, venialiter autem si sit de venialibus; contrariam tamen opinionem esse in praxi sequendam docent quamplures DD. apud *Dia. par. 3. tr. 4. resol. 83. imo* Thomas *à Iesu en el Tribunal de conscientia l. 2. c. 2.* docuit, hoc non solùm licere, sed aliquando etiam expedire, considerata pœnitentis dispositione, & infirmitate, regulariter autem non debere fieri docet *Dia. cit. vers. notandum*, quod probabilius puto ex rationibus per eum adductis, & alijs per *Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 6. n. 5.*

Vtrum liceat extra tempus Iubilæi, & præcisis indulgentijs pro venialibus, vel mortalibus alias confessis nullam imponere pœnitentiam, vel ad tempus priuare pœnitentem communione, & num etiam pro mortalibus, aliàs non cõfessis possit iniungi aliquod opus pro animabus purgatorij, & tandem quando iniungenda sit pœnitentia?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius non imponens pœnitentiam pœnitenti, vel non correspondentem peccatis peccat aliquando venialiter, aliquando mortaliter, & aliquando nullo modo n. 3. & 4.*

2 *Iudex in foro exteriori absoluens reum, vel pœnam debitam non tribuens, punitur eadem pœna, qua ille puniri debuisset, si hoc fecit pecunia, vel calore iræ, mitius autem si imprudentia.*

5 *Communione an quis aliqua certa die possit priuari à Confessario in pœnitentiam peccatorum? & n. 6. 7. & 8.*

9 *Pœnitenti num possit iniungi in pœnitentiã aliquod opus bonum pro animabus purgatorij? n. 11. vsque ad finem.*

10 *Opus bonum quodlibet tria continet, meritũ, satisfactionem, & impetrationem, sed quale ex his tribui alteri possit?*

14 *Confessarius potest licitè iure iniungere pœnitentiam tàm ante absolutionem cõfessione secuta, quàm post eam.*

Resolutio CLV.

1 AD primũ respondetur non solùm nõ licere regulariter, sed etiam peccare Confessarium nullam pœnitenti imponentẽ pœnitentiam, vel peccatis nõ correspondentem *Trid. sess. 14. c. 8.* & percipitur *ex c. omnis in princ. de pœnit. & remiss. Suar. tom. 4. disp. 38. sect. 3. n. 1. Regin. lib. 7. n. 11.* qui ait alioquin reddi Sacramentum mutilum ex defectu satisfactionis, vti partis eius, *Dia. par. 6. tract. 6. resol. 44.* Alia ratio est, quia sicut iudex in foro exteriori
2 non potest, nec debet absoluere reum nulla imposita pœna, vel delictis non correspondente *l. respiciendum ff. de pœnis*; aliàs ipse punitur eadem pœna, quæ illi imponenda fuisset *l. lex. Iulia. 7. §. hodie ff. ad l. Iul. repetund.* ità à simili Confessarium, qui iudicis officio fungitur *ex Trid. cit. cap. 5.* omittentem pœnitentiã imponere, peccare rationabiliter dicitur, & si confessio fit de mortalibus, aliàs non confessis mortaliter *Cardin. de Lugo de pœnit. disp. 35. sect. 4. nu. 4.* quæ opinio sicut temperatur in Iudice, quando malè iudicauit non pecunia, vel calore iræ, sed imprudentia *instit. de oblig. quæ ex quasi delect. nasc. Rou. dec. 36. nu. 21.* ita ex eadem causa in Confessario, qui etiam veniale tantùm contrahere dici poterit, quando pro mortalibus, licet aliàs non confessis, pœnitentiam non imponit, illis correspondentem, sed per imprudentiam, quod si nullam penitus imponeret, non facile eum excusarem à mortali, cum videatur talis ignorantia, nimis crassa, quæ quia dolo æquiparatur non excusat *l. nec supina ff. de Iur. & fact. ignor.* & dictum est latè *supra res. 19.*
3 Duos tamen casus excipiunt *Suar. n. 4. & Regin. d. n. 11.* primus est propter impotentiam pœnitentis ex propinquitate mortis, tunc licet nullam imponere pœnitentiam, vel vt semel proferat nomen Iesus; secundus quando Confessarius cognoscit ex signis, & contritione pœnitentem integrè satisfecisse, quia contra æquitatem iudicij est, vt iteretur pœna, iam soluta per contritionem pro eodem reatu, sed quãuis prior sit verus, vt testantur ex *Caiet. Nauar. in man. cap. 26. n. 20. & alij*; iste non ita, quia cum contritio sit actus omnino internus, soli Deo notus, nec consi-

ſtat in actibus ſenſibilibus, impoſſibile eſt poſſe Confeſſarium eum cognoſcere, & ex hoc omittere pœnitentiæ impoſitionē, vt idem Suar. cit. in fine, vel inuitus fatetur, niſi tot eſſent lachrymæ, quæ licet non ſint contritio, ſunt tamen effectus eius vt ſup. v.cōtritio dictum eſt,& ex hoc poſſet etiam probabiliter minui pænitentia.
4 Poſſe etiam imponi in pœnitentiam opus in generale, illud st. quod adiungi ſolet à Confeſſarijs in abſolutione, quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, & cæt. videtur voluiſſe *D.Thom.in quodlib.3. art.* 28. quod etiam ex iure ciuili probat *Nauar.diſt.6. de pænit.cap.1.n.36. ſed ſubdit n.37.* poſſe propterea minui pænitentiam, non in totum tolli, & eleuari opus prædictum ad ſatisfactionem ex opere operato, ſequitur *Suar.d.diſp.38 ſect.6.n.6.*
5 Item quod nequeat Confeſſarius in pœnitentiam priuare pænitentem ad tempus ſacra communione,& priuando,quod non teneatur pænitens obedire docent conſtanter Sancius *in ſelect.diſp.33. & Baũc.in miſcell.caſ.conſcient.to.2.opuſc.2.q.228.* ea ratione quo ad primum, quia ceſſatio ab opere ſecundum eum non eſt opus, & conſequenter non imponitur ſatisfactio, ſicut requiritur per Trid.vt in priori reſol. quo ad ſecundum, quia tale præceptum non eſt actus virtutis, cum ſit impeditiuum maioris boni, fructus st. & augmenti gratię, procedentium ex perceptione talis Sacramenti, roboriſq; ad reſiſtendū tentationibus hoſtilibus, fomitemque mi-
6 tigandum. Contrarium docet *Salaz. tr.de freq.commun. cap.24.§.1.*vbi affirmat,hunc eſſe communem ſenſum Eccleſiæ,praxiq; accommodatum, cui adhæret *Dia. part. 3. tract.4.reſol.115.in fine,& par.10.tract.13. reſol.* 47.

Sed hęc ſententia ſic indiſtincta, non videtur tuta, obſtante Trid.cit.& quia nō ſemper verificatur axioma Nauar. in priori reſol.relatum, ceſsationem st. ab opere eſſe opus, etenim Gl. ab eo adducta, hoc non probat, niſi à contrario ſenſu, quod argumentum locum ſibi non vendicat in ijs, quæ dicuntur à DD. ſed ſo-
7 lùm à Iure Conſ. Et circa §. *ſi uxor tua cum Gl. ibidem relata*, vbi probatur non nubere eſſe facere, nec ad rem pertinet, quia qui non nubendo, vult conſeruare caſtitatem,multa bona opera facere oportet, vt experientia, & ſacræ paginæ docent, & propterea aſſumptum ibi relatum, ceſſationem à peccato eſſe opus, diximus procedere poſſe, quia ad vitanda peccata, multis bonis operibus eſt opus,ex quibus mouetur Deus ad conſeruandum hominem in ſtatu gratiæ iuxta *D. Petrum in Epiſt.2. cap.1. ibi.ſatagite,vt per bona opera certam veſtram vocationem faciatis*,ſed non per hoc ſequitur, abſtentionem à cōmunione, eſſe generaliter pænitentiam pœnalem a Trid. requiſitam in cit. *c.8.*

8 Et proinde ex his diſtinguendo dico, quod aut Confeſſarius pro venialibus iniungit pœnitentiam alicui, ne in certa die communicet, & poteſt hoc aliquando facere, quia animæ iuſtæ ſolent de tali pænitentia mortificari, vt dicebat ille Sanctus, vnus ſit nobis dolor,hac eſca priuari; aut pro mortalibus aliàs non confeſſis, & numquam poſse, nec debere hoc fieri puto,ne magis tepeſcendo, gratia nouiter acquiſita,ceſsante auxilio tanti Sacramenti; iterum per reditum ad peccatum amittatur, & ſic etiam,quia ſicut illi per talem pænitentiam mortificantur; ita iſti falsò credentes, ſe exoneratos ab eo onere, dū pro tali illud apprehendunt, quodammodo abſque pœnitentia abirent, quod ſupra dictum eſt fieri non poſse *Cardin. de Lugo de pœnit.diſp.25.ſect.5.nu.65.ibi non videtur dubium in genere loquendo, quod poſſit aliquando præcipi pœnitenti,vt tali die à communione abſtineat,quando st.conſtat melius eſſe tunc abſtinere, quàm accedere, quod ex ſtatu pœnitentis, & defectu reuerentiæ, & diſpoſitionis colligi prudenter poteſt.*

9 Quo ad ſecundum reſpondet affirmatiuè *Dia.par.11.tract.8. reſol.26.*non tamē improbando contrariam ſententiam (licet in alia reſol. quæ eſt *54.par.3.tract.4.*referat ſolùm opiniones aliorum, neutri adhærendo) fretus authoritati *Decaſtill.tom. 2. de Sacram.tract.8.diſp.14. dub. 6. nu.95.* volentis,quoſt ſicut licet Confeſsario,imò aliquando expedit pro pœnitentia, & ſatisfactione ſacramentali iniungere eleemoſynam erogandam indigēti iuxta poſſibilitatem pænitentis ad eum liberandum à carceribus corporalibus; ita, & magis ſuffragium offerēdum pro animabus purgatorij ad eas liberandas à carceribus ſpiritualibus,& ſic tranſire ad gloriam,quam opinionem certam, & contrariam improbabilem exiſtimat *Turr. in ſelect. centur.3. Theol.dub.1.in fine,*quem reprehendit *Dia. d.re-*

d. resol. 26. dicens, esse nimis pronum ad censurandas aliorum opiniones, licet in alia eit. resol. 54. eum commendauerit.

10 Pro adæquata responsione quæsiti, rememorandum est, tria in quolibet bono opere ab existente in gratia confecto adesse, meritum st. satisfactionem, & impetrationem; meritum nulli potest tribui, sed bene satisfactio, & impetratio; illud n. semper inhæret acquirenti; & ratio est, quia nullus iustus (solo Christo Domino excepto, qui omnibus nobis meruit gratiam) potest per sua opera mereri alteri homini gratiam, sicut meretur sibi, etenim gratia nulli tribuitur à Deo, nisi per opera eiusdem, gratiam accepturi *Tolet. in summa lib. 6. cap. 2 t. nu. 4.*

11 Satisfactio ergo, & impetratio pro operibus nostris, cum certum sit non esse valoris infiniti, vt possimus pro omnibus satisfacere, & impetrare, sed restrictas ad certum terminum, soli Deo notum, sequitur quod applicando eas pro animabus purgatorij, & satisfaciendo pro ipsis iuxta valorem operum, non possumus cum eisdem operibus satisfacere, etiam pro nobis, sicuti non potest quis soluendo decem debitos à Titio, eumque à carceribus liberando, liberare etiam seipsum, si pro alijs decem detineretur, cũ quibus soluitur argmentum paritatis Dicastill. à Dian. relatum, & approbatum, quod ex alio corruit, quia satisfactio, & impetratio orientes ex eleemosyna carcerato tributa, remanent in tribuente, qui illud opus misericordiæ egit, non sic quãdo illa eadem satisfactio, & impetratio applicatur animabus purgatorij.

12 Bene verum est, quod si Confessarius quando iniungit pœnitẽtias pro animabus purgatorij, aperit pœnitẽti doctrinam prædictam, quod st. non potest satisfacere regulariter vtrique debito; & ipse contẽtatur; Iure poterit Confessarius huiusmodi pœnitentiam imponere, quia de re sua quilibet est moderator, & arbiter *l. in re mandata. C. mandati. & l. etiam §. licet ff. solut. matr.* quam opinionem rectè fũdarunt, sed ex alijs principijs *Vegha in summa tom. 2. cap. 64. cas. 4. Sancius in select. disp. 16. num. 1. & alij.* Ex quibus satis constat non posse cum vno opere satisfieri pluribus debitis, nisi tanta esset vis contritionis, & pœnitentiæ, vt satisfactis debitis proprijs, posset quis etiam aliquatenus prodesse animabus prædictis; non tamen propterea est numquam omittẽdum orare pro illis, cũ in sacra pagina hoc commẽdetur *Macchab. 2. cap. 12. in fine ibi sancta ergo, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur,* & alibi sæpissimè, & experientia nos docet multas gratias in diem Deum concedere deuotis animarum prædictarum, sed hæc sunt scripta, vt sciatur veritas quæstionis.

14 Ad vltimum respondetur posse imponi pænitentiam tàm ante, quàm post absolutionem, vt percipitur *ex c. fin. §. fin. de censib. in 6. & ex Clem. dudum §. statuimus de sepult.* in illo enim tex. dicitur confessiones audiendas, absolutionem impartiendam, & pænitentiam iniungendam, & sic secũdum ordinem literæ prius impartitur absolutio, quam pænitentia, In isto verò post confessionem ordinatur iniunctio pænitẽtiæ, & tandem absolutio, & iuxta hunc posteriorem modum dicit *Glos. ibidem in v. audire*, fieri debere, quam reprobat alia *Glosella in margine d. §. fin.* ergo iuxta ordinem literę textuum prædictorum vtroque modo fieri potest, quamuis in contrarium sit opinio *Nugn. par. 3. tom. 2. qu. 18. art. 4. difficult. 2.* volentis Confessarium, imponentem pœnitentiam post datam absolutionem, peccare venialiter, vtrumque n. ei licet ex supradictis, vt etiam docet *Dia. par. 5. tract. 13. resol. 36. & dictum est supra resol. 147. nu. 5.* Sed rectius ante absolutionem iniunget, vt possit ad id, pænitentem constringere, alioquin functus officio suo, per sententiæ prolationem, nequibit pænitentem nolentem obligare.

Ad quid teneatur Confessarius, qui malè absoluit ex defectu intentionis, vel iurisdictionis, vel constantiæ, puta si ex timore, vel verecundia non ausus est absolutionem denegare, & in quibus casibus peccet mortaliter, vel venialiter?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius, qui malè absoluit ex defectu intentionis, vel iurisdictionis, aut alijs ex causis ad quid teneatur, & an pænitens taliter absolutus sit tutus in conscientia, si fuit in bona fide? n. 2. vsque ad finem.*

 3 Ex-

3 *Excommunicatus potest absolui etiam absens, ignorans, & inuitus, aliquibus tamen concurrentibus vt infra.*

11 *Regularium priuilegia circa absolutionem à casibus reseruatis, & censuris fuerũt reuocata per Vrban.8.*

Resolutio CLVI.

1 QVo ad priores duos defectus respõdent *D.Anton.par.3.tit.17.cap.12.n.13. Naua. in man. cap. 26. num.14.* posse Confessarium supplere defectum per se ipsum, adiungendo quod defuit, supplendo st.intentionem, vel petendo iurisdictionem à superiore, & repetendo, his peractis, absolutionem, etiam in absentia pænitentis, qui si reperiatur dispositus, habebit effectum, quod tamen cum fuerit discussum in Concil. Basil.ob varietatem opinionum, nihil fuisse conclusum referunt *Victor.de Sacram.nu.185. Sot.in 4. dist. 18.q.4.art.6. col.4. ex Io.Nider. qui dicto Concilio interfuit.* 2 Et quamuis *Sylu.verb. Confessor 3.n. 1.* vtrumque casum complectendo, & loquendo prius de pœnitente, afferat, istum si hoc ignoret, excusari, quoad Deum, hoc tamen si concedatur ex defectu iurisdictionis, vt volunt *Henriq.lib.4. cap.12.n.5. in fine, & alij apud Dian.par.3. tract.4. resol.122.* ex quo communis error, dum putabatur Confessarium iurisdictionem habere, tribuit ius *ad l. Barbarius ff. de offic.prat.* (de qua tamen quæstione latè infra *resol. 163.*) ex defectu autem intentionis hoc Sylu. dictum iure non probatur, quia absolutio est forma, non quomodocumque prolata, sed cum debita intentione, per quam supposita materia, cõficitur Sacramentum, quod ex Concil. Florent. tribus perficitur materia, st. forma, & debita ministri intentione; sed deficiẽte intentione, non dicitur absolutio sacramẽtalis, ergo deficit debita forma, & consequenter nulla est confessio *Trid. sess.14. cap.6. ibi, aut sacerdoti animus seriò agendi, vel absoluendi desit.*

Et propterea *Suar.tom.4. disp.32. sect.6. n.3.* quo ad priores duos defectus distinctione vtitur, quam multi apud Dian. pluribus in locis recipiunt, nempe *par.1.tract. 11.resol.25.par.2.tract.15.resol.6.par.11.tr. 3.resol.2.in fine.* videlicet si in foro exteriori Confessarius pœnitentem decepit, relinquens eum in excommunicatione, qui putabat discedere absolutus; vel cum absoluit ab excommunicatione per superiorem inflicta absque istius venia, tunc vel in priori casu supplendo defectum intentionis, vel in posteriori absolutionem, obtenta à superiore potestate, poterit in absentem, & ignorantem, vel etiam inuitum, impartiri, quia non est Sacramentum, sed quasi iudicialis sententia fori contentiosi, tribus tamen concurrentibus, quod st. non sit in præiudicium tertij, cessent scandalũ, & contemptus censuræ; sed quod attinet ad iuuitum, procedit, quando quis absoluitur ex potestate ordinaria, independente à voluntate excommunicati, vnde per iubilæum non potest absolui inuitus, qui eo vti non vult DD. apud *Dia.par.1.trac. 11. resol.25. & par.5. tract.9. resol.10. in fine.*

4 Si verò loquimur de absolutione à culpa in foro interiori, & hæc nullo in casu potest conferri in absentem, dum contrariam opinionem falsam temerariam, & scandalosam appellauit Clemens 8. per decretum editum die 20. Iunij 1602, relatum à *Dia.par.3.tr.3. res.7.* & similiter per referentes *declarationes S. Congr.in Triden. sess.14. post cap.5.tit.de confessione,* & consequenter quod teneatur Confessarius in casibus prædictis defectus intentionis, vel iurisdictionis, habita à superiore venia, vocare, & monere pœnitentem de nullitate confessionis, vel saltem eum accedẽtem iterum spontè ad confessionem interrogare, si doleat de peccatis in illa confessione nulliter confessis, & si aliquis ibi accidisset defectus, an cupiat iterum absolui, & respondentem affirmatiuè absoluere; vocatio autem, & monitio fieri debeat, quando sine scandalo, & graui Confessarij incommodo fieri possunt, aliàs non teneatur, & committere eum possit summo sacerdoti Christo secũd. *Sylu.loco cit.n.1.in fine,* vel putare secundum *Suar.d.sect.6.n.5.* quod pœnitens per contritionem, vel sequentes confessiones validè factas, aut faciendas, iustificatus, vel iustificandus sit, quia peccata, quæ per priorem inualidam confessionem remissa non fuerunt, per sequentem saltem indirectè tollentur. Sed

5 cessante scandalo, & monito pænitente per Confessarium de errore, tenetur consilium Confessarij accipere, aliàs quod transfundatur in ipsum pœnitentem culpa Confessarij, dum respuit sine causa reme-

remedium, probabilissimè tenuit *Regin. ex Vict. & alijs lib. 8. nu. 30.* quod si accideret articulus mortis, nec verisimiliter pœnitentem iterum confiteri crederetur, tunc omni difficultate cessante, admonendum esse ad reconfitendum, ne periculo damnationis æternæ subijciatur, docet rectè Suar. *vbi supra n. 7. in fine.*

6 Quo ad tertium defectum, supponitur non defuisse intentionem, neque iurisdictionem, sed solùm propter inconstantiam, vel verecundiam fuisse tributam absolutionem, quæ neganda erat propter malam dispositionem pænitentis, vel aliud simile, & tunc aut pænitens manebat in proxima occasione peccandi, propter quod, cum nō deberet absolui, nisi sublata occasione, fuit absolutus, & tenetur Confessarius illum monere, & facere suum posse, vt occasionem prædictam deserat *Suar. d. sect. 6. num. 8. vbi aly* (cum talis confessio iuxta opinionem Sylu. & aliorum supra *resol.* 144. relatorum sit valida quo ad substantiam, non quoad effectum, qui potest suppleri per nouum actum attritionis, sed secundum alteram opinionem, quam ibi defendimus, confessio est nulla, & repetenda.)

7 Aut verò fuit absolutus cum damno tertij, cui debebat fieri restitutio, & tamē ante restitutionem, vel saltem promissionem de restituendo quam citius potuerit, processit absolutio, & iterum distinguo, aut hoc fecit Confessarius ex ignorantia crassa, vel affectata, quæ æquiparatur dolo *l. nec supina ff. de iuris, & facti ignor. l. 1. §. hac actio ff. si mensor fals. mod. dix.* illa enim est ignorare id, quod omnes sciunt *l. regula §. sed facti ff. eo tit.* ista verò est malitia *l. lata culpa ff. de verb. signific. Gl. in §. suspectus v. non æquè instit. de suspect. tutor.* sed quasi pro eodem sumuntur, vt in dictis iuribus habetur, & tenetur etiam ad restitutionem secundum *Rosell. in summa v. restitutio 2. §. 5. Gabr. dist. 15. qu. 2. art. 3. dubio 5.* quam communem vocat *Suar. cit. vbi n. 9. eam limitat,* quando Confessarius monuit pænitentem ad restitutionem, antequam ad impotentiam deueniret; aut absolutio fuit impartita ex inaduertentia, vel ignorantia iuris, præcipuè si casus erat difficilis, & secundum *Nauar. in summa cap. 17. n. 22.* ad nihilum tenetur.

8 Sed *Syl. v. Confessor. 3. n. 14.* in casu prædicto facit aliam distinctionem, si Confessarius spontè se obtulit, & fortius si procurauit confessionem, vt Parochus, & tenetur de omni exacta diligētia, quia vnusquisque tenetur scire ea, quæ pertinent ad officium suum, vt docet *D. Thom. 1. 2. qu. 76. art. 2. cor.* similitudine sumpta à depositario, qui regulariter tenetur solùm de dolo, & lata culpa, quia cogi solet ad depositum recipiendum *§. præterea instit. quib. mod. re contrah. oblig. l. 1. §. si vestimenta, & vtrobique Gl. ff. depositi,* sed si spontè se obtulit ad depositum seruandum, tenetur etiam de leuissima culpa *d. l. 1. §. sæpè,* ita vt si non adhibuit in deposito seruando diligentiam, quam etiam diligentissimus Pater familias adhibere solet in rebus suis, tenetur de proprio ad restitutionē, pro vt exēplificat Imper. exactissimā diligentiam in *§. fin. instit. de locat. & conduct. iuncta Gl. ibidem v. diligētissimus.* Aut Confessarius non spontè, sed requisitus, & fortiùs si compulsus exercuit officium prædictum, & non tenetur ex ignorantia, nisi in quantum scit, vel commodè scire potest *ad l. regula § sed iuris, ibi, si iurisconsulti copiam habeas ff. de iur. & fact. ignor. idē Sylu. vbi supra,* qui cum prædicta fundauerit ex iuribus cir. gratis propterea fuit reprehensus à Suar.

9 *d. sect. 6. nu. 8.* non negauerim tamen in omni casu, etiam cuiuslibet ignorantiæ, vel inaduertentiæ monendum esse pænitentē à Confessario post scientiam, quando sine graui scandalo moneri potest, vt docent prædicti authores, præcipuè *Suar. n. 7.*

10 An autem peccet propterea Confessarius mortaliter, vel venialiter Suar. non apperit, sed solùm dicit teneri ad pænitētiam agendam *d. sect. 6. nu. 5. & 8.* nec apud moderniores, quos vidi inueni tactam quæstionem, *solus Sylu. v. confessor 3. nu. 1.* dicit peccare mortaliter, quando hoc egit ex ignorantia iuris crassa, vel defectu iurisdictionis (fortiùs dico ego si ex defectu intentionis; in casu n. defectus iurisdictionis potuit credere, licet erroneè superiorem ratum habiturum, vel alijs excusationibus muniri; in isto verò oportuit ex malitia hoc agere) citat *Richar. in 4. dist. 18.* & à fortiori si ex ignorantia affectata; generaliter autem, quando tenetur ad restitutionem, semper etiam mortaliter peccat, in casibus verò simplicis inaduertentiæ, vel ignorantię iuris difficilis, maximè si requisitus, vel compulsus exercuit, & monuit pænitentem, si sine scandalo potuit

tuit, non peccare, nisi venialiter puto ex
11 supradictis. Sed *Dia.par.2.tr.17.resol.30.* loquendo de defectu iurisdictionis refert decretum *S.Congr.Cardin.super negotijs Episc. & Regul.* per quod sunt excommunicati ipso facto Confessarij, tam Regulares, quàm seculares, absoluentes quoscunque à casibus reseruatis Episcopis, vel à quibusuis alijs, quorum absolutio est reseruata Pontifici, & hoc, non obstante quocumque priuilegio Regularium, vt fuit declaratum per eandem Sacram Congregat. sub die 18. Nouembris 1628. ex mādato Vrbani 8. de quo testatur idem Dia. loco cit. in fine. quod fuit nouissimè confirmatum *per Alex.7.in sua bulla emanata die 2.Octobris 1665.num.* 12.

Quid agendum à Confessario, cum sine absolutione per inaduertentiam dimisit pœnitentem, qui debebat absolui, & quid quando ipse pœnitens erat excommunicatus, & fuit absolutus à peccatis prius, quam a censura, siue habuerit Confessarius, siue non potestatem absoluendi ab ea.

SVMMARIVM.

1 *Confessarius si per inaduertentiam dimisit pœnitentem absque absolutione, an teneatur eum reuocare ad confessionarium, vel absoluere, etiam in absentia, si sit paululum remotus ab eo? & quid si absoluit excommunicatum sine potestate absoluendi? quæ quando adest, prius absoluitur à censuris, & postea à peccatis nu. 2. 3. & 4. absolutus tamen simpliciter à peccatis, remanet absolutus etiam ab excommunicatione minori, quæ potest tolli à quocumque simplici sacerdote, n.4. & 5. quid tandem quando fuit tradita absolutio ex bona fide n.9. vsque ad finem.*

6 *Excommunicatus etiam minori excommunicatione, grauiter peccat celebrando, antequam ab ea absoluatur, maiori verò, dicitur membrum diaboli. n.8.*

7 *Absolutio à peccatis, non est valida excommunicatione manente, siue iustè, siue iniustè quis excommunicatus fuerit.*

Resolutio CLVII.

1 EX dictis in priori resol. facilè patet responsio ad 1. quæsitum, sed respondet etiam *Regin. tom.1.lib.8.sect.3.num.32.* debere Confessarium reuocare pœnitentem ad confessionem, si adhuc sit in Ecclesia, & fieri possit sine scandalo; quod si nequeat, & probabiliter ex qualitate personæ constet non incidisse in nouum mortale, debere absolui, etiam aliquantulum remotè. Quod tamen dictum, si sit probabile; alij iudicent. mihi n. videtur continere diuinationem, si sit, vel ne in mortali, & vlterius contradicere decreto *Clem.8. in eadem resol. n.4. relato*; propterea puto, quod semper monendus sit de errore, si sine graui scandalo possit, & reuocandus ad cōfessionem iuxta ibidem dicta de defectu intentionis, seu iurisdictionis, vel constantiæ in negando absolutionem, quādo negari debebat; sed *Ochauia de sacram. tract.2.de confess.q.41. n.6.* quem refert, sed non sequitur *Dia.par.5. tract.13. resol. 56.* tenet cum Regin.

2 Quo ad secundum *Tol.lib.3.cap.12. n.3.* breuiter dixit, pænitentem excommunicatum prius esse absoluendum ab excommunicatione, siue maiori, siue minori, quàm à peccatis; imò melius esse ante confessionem peccatorum absolui à censura, licet hoc non sit necessarium; Suar. verò aliquantulum plus se extendit *tom.4.disp.22.sect.7.n.1.* ita distinguens, vel pænitens bona fide fuit absolutus à sacerdote, iurisdictionem habente quo ad peccata tantùm, non quo ad censuras, & tunc iuxta veriorem doctrinam valida est absolutio, cum obligatione tamen procurandi absolutionem à censura, quia sola censura suscipientis non irritat sacramentum, sed solùm prohibet eius vsum; vel mala fide, quia sciebat grauiter peccare, sic recipiendo absolutionem, & tunc confessio
3 est nulla. Sed *Nauar.in c.consideres S.cantus à n.24.& seq.& in c.fratres à nu.38. vsque ad 50.de pœnit.dist.5.* plures distinguit casus, & primo ait *d.nu.38.* mortaliter peccare pænitentem, qui sciens se excommunicatum, siue maiori siue minori; absolui permittit, ea ratione, quia excommunicatus etiam minori, arcetur à susceptione Sacramentorum, sicuti etiam ab eorum collatione, & proinde tàm penitentem, quàm

quàm Confessarium peccare mortaliter, si scienter hoc egerint, vt probari asserit in *c. si celebrat de cler. excom.* & successiuè pænitentem non remanere absolutum à peccatis, neq; à censura, quia vt addit ibidem, vel talis pænitens tacet excōmunicationē, & confessio nō est integra, aut confitetur, & petit absolui, & de facto absoluitur, & probabiliter desunt attritio, & dispositio, cum nolit adire superiorem pro absolutione, & consequenter vtroque casu confessio est nulla, vt loquitur in *d. c. fratres num.* 48.

4 Quam tamen doctrinam (licet vera si in excommunicato maiori cum distinctione, vt infra, procedere tamen non puto in excommunicato minori, quem certum est absolui posse à quocumq; sacerdote *c. nuper de sent. excomm. & docent idem Nauar. in man. cap. 27. n. 39. Tol. lib. 1. cap. 18. nu. 4. qui nu. 3.* etiam probat, communicantem cum excommunicato minori, adhuc ministrando ei sacramenta, non contrahere aliam minorem excommunicationem, & consequenter nec committere veniale, idem *Tol. d. lib. 1. cap. 5. n. 5.* communicantem verò in humanis cum excommunicato maiori, veniale tantùm committere ex *Alter. Regin. & alijs docet Dia. part. 5. tract. 9. resol. 2. §. 2.* de quo non dubitatur. Et proinde

5 validam esse absolutionem à peccatis, & dicta minori censura, si de ea confiteatur, etiam si Confessarius cum recta intentione solùm dixisset super pœnitentem, absoluo te in nomine Patris, &c. & omisisset dicere à censuris ex Gers. Palud. & alijs docēt idem Nauar. sibi contrarius *in d. §. cautus n. 30. in fine, & Bonac. ex Suar. & Fillιuc. to. 1. disp. 1. de censur. in communi q. 3. pun. 5. n. 3.* vbi probat in dictis verbis, te absoluo, includi generaliter absolutionem etiam à censuris, si adsit potestas absoluendi ab eis; rectam autem intentionem illam esse dicit Nauar. ibidem, qua Confessariús absoluere proponit à necessarijs, & hanc omnes Confessarios siue expressam, siue virtualem habere credendum est.

Deceptio Nauar. circa prædictam propositionem, quod etiam excommunicatus minori mortaliter peccet permittendo absolui à peccatis ante absolutionem à censura prædicta, fuit ex æquiuoca interpretatione *tex. in c. si celebrat. de Cler. excomm. ministr.* ab eo, *num.* 38. adducti, vbi habetur

6 excommunicatum minori diuina celebrātem, grauiter peccare, licet sacramenta ab eo collata virtutis non careāt effectu, quod non est dubitandum, quia dum celebrat in statu talis excommunicationis, peccat, secus est in pœnitente, qui accedens ad tribunal confessionis, & se accusans de peccatis, & censura, absoluitur ab vtrisque ex *d. c. nuper, & alijs*, etiam si absoluatur à peccatis simpliciter; dum n. potest absolui à quocumque sacerdote, ab excommunicatione minori, & de facto absoluitur, nulla potest assignari ratio, quare confessio sit nulla, vel nouum mortale committat, & nulla lex hoc dicit.

7 Quod verò attinet ad aliam propositionem, excommunicatum st. maiori, si scienter absolui permittat à peccatis, mortaliter peccare, nullamque esse absolutionē, etiam quo ad peccata, rectè distinguit *Richar. in 4. dist. 18. art. 9.* qui concordat cum Nauar. in illo, qui iustè est excommunicatus, & stat per eum, vt ab excommunicatione non absoluatur, quia stat in mortali, de quo non pænitet, dum sententiam Ecclesiæ contemnit, quod nequeat absolui à peccatis, excommunicatione manente; in illo autem, qui iniustè est excommunicatus, vel iustè, sed per eum non stat quin absoluatur, dicit non esse ita clarum, sed ipsum putare nequidē absolui posse ab homine, quamuis absolutus dicatur in iudicio Dei, si conteratur, & ita consuetudinem, quæ est optima legum interpres, obtinuisse testatur.

Sed *Sylu. v. Confessor 3. nu. 12.* tenet simpliciter, excommunicatum siue iustè, siue iniustè (si tamen excommunicatio teneat, non autem si sit nulla) siue stet per eum, vel non, vt ab excommunicatione non absoluatur, non posse à Confessario absolui à peccatis excommunicatione manente; & proinde aliud etiam mortale committere, hancque esse communem opinionem dicit Theologorum, & Canonistarum, reiecta opinione *Angel. in summa v. confessio. 5. n. 6.*

8 & rè vera sic in praxi videmus indistinctè seruari, dicit enim *Gl. in c. dilectis §. quia verò v. suspendendum de appell.* excommunicatum esse membrum diaboli, & priuatum sacramentis, & communicatione fidelium, hoc idem docent *Suar. de censuris disp. 10. sect. 3. n. 7. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 17. pun. 2. §. esset autem*, cum aliquibus limitationibus, vt infra; quamuis *Dia. par. 5. tract. 9 resol. 82. in princ.* eos citauerit pro con-

contraria opinione, sed ipse in §.1. ibidem
9 hanc etiam docet. Licet autem absolutio à censuris, si modo adsit sufficiens potestas, semper præcedere debeat absolutionem à peccatis, vt fieri solet ab omnibus Confessarijs, & fatentur omnes cum *Richar. & Suar. cit. sect. 2. num. 7.* si tamen desit potestas, non debet Confessarius habere intentionem absoluendi ab vtrisque, vt modo dictum est, nisi in quantum ipse potest, & remittere ad superiorem pro reseruatis, si putet Confessarius, velle superiorem tollere excommunicationem, vt dicunt prædicti, de quibus vide infra *resol.* 164. vbi circa hoc vltimum teneo contrarium.

10 Quod si pęnitẽs bona fide fuit absolutus à Confessario, potestatem habente absoluendi à peccatis tantùm, quia ignorabat se esse excõmunicatum, vel alia censura irretitum, & Confessarius non excommunicatus eum absoluit, validè absoluit ex Suar. vbi supra, qui generaliter loquitur, sed est intelligendus de ignorantia inuincibili, non crassa, vel affectata *c. Apostolicæ de Cler. excomm. ministr. Eman. Sà ex Soto, & alijs v. ignorantia n. 1. in fine, & v. absolutio nu. 16. Dian. par. 5. tract. 9. resol.* 53. & 81. quæ tamen ignorantia, ac etiam iuris exẽplificatur, licet ad alium propositum, per *Tolet. lib. 5. cap. 26. n. 9.* & iterum *in tract. de sept. peccat. mort. cap. 1. n. 7.* & per nos latè su-
11 pra *resol.* 19. Sed in casibus prædictæ ignorantiæ, quorum plures inuenies etiam apud *Nauar. d. c fratres n.* 50. post habitam bona fide absolutionem, adueniente sciẽtia, procurãda est absolutio ab excõmunicatione citra iterationẽ cõfessionis ex eod. Nauar. cũ Suar. cit. eodemque modo si pæ-
12 nitens cum esset excommunicatus accessit ad confessionem, oblitus censuræ, validè etiam est absolutus cum obligatione, vt supra *Nauar. cit. ex D. Thom. Caiet. & alijs Dia. d. resol.* 53. ratio est, quia defectus memoriæ est naturalis, vbi non potest cadere culpa *c. præterea 23. dist. c. fundamenta §. dignè itaque de elect. in 6. l. peregre ff. de acquir. poss. l. hac consultissima §. at cum humana C. qui testam. fac. poss.*
13 Vlterius si quis sciret se esse excommunicatum, sed iuris, vel facti errore ductus, putat posse à Confessario absolui à peccatis, à quibus absoluitur, est rectè absolutus à peccatis secundum *Nauarr. in d. c. fratres num. 45. in fine*; quod tamen sic generaliter, verum non puto, quia ignorantia iuris regulariter non excusat *l. 2. C. de iur. & fact. ignor.* nec ignorantia in facto proprio, *l. quamquam ff. ad Senat. Consul. Vell. ibi quia non poterit facti ignorantiam prætendere*, est propterea intelligendus iuxta *tex. in l. regula §. sed iuris ff. de iur. & fact. ignor. ibi sed iuris ignorantiam non prodesse, labeo ita accipiendum existimat, si iuris Consulti copiam habeat, vel sua prudentia instructus sit, vt cui facile sit scire, ei detri-*
14 *mento sit iuris ignorantia. Item in §. sed facti ibi sed facti ignorantia, ita demum cuiquã non nocet, si non ei summa negligentia obyciatur. quid n. si omnes in ciuitate sciant, quod ille solus ignorat?* quæ doctrina fie intellecta concordat cum priori n. 10. & propterea eam huic casui applicans *Tolet. lib. 5. cap. 26.* dicit excusandos esse pænitentes, qui eligunt Confessarios doctos, secus si indoctos.

Num liceat Regularibus confiteri Regularibus alterius Religionis, vel etiam Confessarijs secularibus, nequidem ab Ordinario approbatis, & quid de secularibus?

SVMMARIVM.

1 *Regulares in quibus casibus possint à quocumque sacerdote confiteri, & absolui cum licentia suorum Prælatorum, vel sine ea? & n. 2. vsque ad 7.*

8 *Subditi quare non possint eligere Confessarium sine licentia superioris, etiam ex vi bullæ Cruciatæ, omnibus talem potestatem concedentis.*

9 *Confessio à secularibus debet fieri semel saltem in anno proprio Parocho, vel alijs de licentia ordinarij, si secus ex communicantur n. 12. extra verò annualẽ confessionem possunt à quocumque approbato ab Ordinario confiteri.*

10 *Confessarij non possunt extra locum suæ iurisdictionis confessiones excipere. Sed ibi etiam exterorum n. 11.*

Resolutio CLVIII.

1 AD primum respondetur, posse in tribus casibus à quocumque sacerdote, etiam seculari confiteri, & absolui absque venia suorum superiorum, in mortis

tis 3t. articulo iuxta *Trid. sess. 14. cap. quoniam in fine*, (quod est intelligendum deficientibus Confessarijs regularibus ;) vel extra eum, quando confiterentur de peccatis venialibus, vel mortalibus, aliàs ritè confessis, & ratio est, quia cum de illis nemo teneatur confiteri, dum non tollunt gratiam, & nec de istis iuxta *D.Tho. quodlib. 1. ar. 12.* & ab omnibus catholicis receptam conclusionem, *Nauar. in summa cap. 9. nu. 1.* cessat ratio ob quam hoc eis prohibetur, quæ vt infra *n. 8.* probabitur, est, vt eis de remedio subueniatur à suis prælatis ad præcauenda futura, quod fieri nequit ab alijs non suis superiorib. ob defectum potestatis, quo remedio, quia non est opus in venialibus, vel mortalibus cõfessis, meritò cessat prohibitio ; cessante

2 enim causa, cessat eius effectus *c. cum cessante de appell. Regin. lib. 8. sect. 4. n. 35. Bart. à S. Fausto lib. 2. q. 76.*

3 Item dum iter agunt transeundo per loca, in quibus non adsunt Confessarij eiusdem Religionis, possunt quibuscumque confiteri, etiam sacerdotibus non approbatis ab Ordinario, ac etiam de mortalibus amplius non confessis *S. Faustus cit. d. lib. 2. q. 77. vbi citat eundem Regin. nu. 36.* quod tamen de approbatis admitto ; quia data venia itinerandi, intelligitur etiam data de confitendo, vt in fortioribus terminis docet ex Nauar. & alijs. *Eman. Sà. v. absolutio num. 22.* (& etiam de non approbatis, quando in transitu non adessent approbati, aliàs permissio redderetur inutilis contra iuris regulam dictantem, concesso vno intelligi concessa omnia illa, sine quibus concessio esset frustratoria *l. 2. ff. de iurisd. omnium Iudic.*)

4 De non approbatis verò, nego regulariter, quia si id contenditur probari ex *c. fin. de pænit. & remiss.* ibi solùm permittitur Episcopis, & exemptis eligere Confessarium prouidum, & discretum ; sed dato quod sub exemptis comprehendantur superiores regulares, & quòd ipsi possint concedere suis subditis potestatem eligendi, vt multi tenent, & verum dicunt, hæc tamen electio, non conceditur ad libitum per tex. cit. sed quod sit prouidus, & discretus, quas qualitates, loquendo de sacerdote simplici, & maximè extero scire non potest regularis, vti de sibi incognito, & dato quod haberet de eo aliquam notitiam, si esset generaliter in potestate pœnitentis regularis electio, posset eligere indoctum, & amicum, & consequenter iudicare quasi in causa propria, essetque quodammodo actio, & passio in eodem subiecto, quod iura non permittunt *l. vbi repugnãtia ff. de reg. iur. & l. qui iurisdictioni de iurisd. omn. iudic.* & propterea generaliter sacerdotes subdũtur examini Episcoporũ, vt verificatis qualitatibus prædictis, confessiones audire valeãt *ex Trid. sess. 23. c. 15.*

5 Generaliter n. prohibetur etiam Regularibus examine non præcedente, confessiones secularium, vel Regularium alterius Religionis audire, quod fuit amplissimè confirmatum *per bullam Vrban. 8. sub die 12. Septembris 1628.* non obstantibus quibuscumque priuilegiis, quæ nulla quo ad hoc declarauit, adest alia bulla eiusdẽ incipiens *in specula edita sub die 19. Iunij 1630.* in cõfirmationẽ alterius bullæ Clemen. 8. ibidem relatæ, quod tamen nimis restringit *Suar. tom. 4. disp. 27. sect. 2. n. 10. in fine*, vbi vult, etiam superiores Regulares eligere debere Confessarium intra eandẽ Religionem, & non extra (licet videatur sibi contrarius *disp. 28. sect. 4. n. 4.*) sed hoc non probatur ; & est contra tex. in *d. c. fin.* vbi indefinitè permittitur prædictis superioribus exemptis eligere Confessarium, modo indefinita æquipollent vniuersali *l. si necessarias §. si annua ff. de pignor. act. ergo.*

6 Et propterea ex prædictis dico, tàm superiores Regulares, vt sunt Prouinciales, Guardiani, Priores, Rectores, & huiusmodi ex propria potestate, quam eorum subditos, ex concessione tamen suorum superiorum, & itinerantes etiam absque concessione expressa posse eligere Confessarios alterius Religionis, vel etiam seculares, dummodo sint approbati ab Ordinario, vel etiam non approbati, deficientibus approbatis, itinere durãte, quod ex alijs medijs docet *Texeda in Theol. mor. to. 2. lib. 3. cõtr. 6. tr. 1. q. 3. n. 71.* quẽ refert, sed nõ sequitur *Dia. par. 9. tr. 8. res. 55.*

7 Quamuis autem *Suar. d. disp. 28. sect. 4. n. 5. Regin. lib. 1. n. 175. & P. Dia. p. 1. tract. 5. resol. 30. §. sed hic quæro, & §. seq.* velint posse Regulares eligere Confessarium nõ approbatum ab Ordinario in casibus prædictis, hoc tamen mihi nullo modo placet, non solum ex relatis rationibus, & quia Suar. est sibi parum cõstans vt supra, sed etiam quia, tàm ipsi loc. cit. quàm omnes affirmant eosdem Episcopos, qui eandem eligendi potestatem habent ex *d. cap. fin.* si vellent eligere non subditum, non

posse eligere non approbatum à suo Ordinario, sed Regulares ad summum in hoc & cæteris habent potestatem, quasi Episcopalem, non maiorem, *Gl. in c. 2. in vltimo notab. & v. eligere de pænit. & remiss. in 6. & clarius Canus relect. de pænit. par. 5. Vasq. in 3. par. tom. 4. q. 93. ar. 2. dub. 5. vbi recentiores.* ergo sicut illi non possunt, neque isti: quod enim disponitur in vno de æquiparatis, disponitur in alio *l. 3. §. proinde, & §. quoties ff. de in rem verso. Præs. de Franch. decis. 489. n. 14.*

8 In eadem bulla *Vrbani cit. §. 2. in fine* assignatur ratio, quare subditis Regularibus sit prohibitum confiteri aliis, quam Regularibus eiusdem Religionis, extra tamen casus permissos, vt dixi, *ibi, in maximum status, & obseruantiæ regularis præiudicium, &c.* quia vt supra etiam tetigimus, nequeunt superiores alterius Religionis præcauere futura mala Regularium ex defectu potestatis; quod tamen facile est vnicuique superiori erga suos subditos, vnde stantibus dictis bullis recessit ab aula, quod dicunt *Angel. in summa v. Monachus n. 7. in fine, & Sylu. v. Religio 7. n. 13.* posse st. Regulares confiteri ab Episcopo, vbi degunt, quia sine venia superiorum, exceptis tribus casibus prædictis, cum declarationibus ibidem notatis non possunt hodie, nequidem virtute Bullę Cruciatæ, quę tribuit omnibus vtriusque sexus potestatē eligendi Confessarium, quia Regulares excluduntur, vt etiam statutum fuit in dicta Bulla, puto tamen sine difficultate posse à Pœnitentiarijs Pontificis, vti delegatis ipsius, qui ordinariam potestatem habet in omnes homines mundi *c. cum Ia per vniuersum 9. q. 3.* delegatus enim fungitur vice delegantis *c. significasti, & c. sane de off. & pot. Iud. deleg.*

9 Ad secundum seculares tenentur etiam confiteri proprio sacerdoti, qui est Parochus, saltem semel in anno, vel etiam cuicunq; de licentia Ordinarij, & communicare, vt in *c. omnis de pænit. & remiss.* & solet fieri in Dominica Resurrectionis, vt praxis admisit; quo non facto, Ordinarij procedunt ad excommunicationem, & ideò subdit tex. *alioquin & viuens ab Ecclesiæ ingressu arceatur, & moriēs Christiana careat sepultura;* & hæc est pœna excommunicatorū, nisi in fine saltē vitæ Sacramenta prædicta, vel vnum eorū, st. pęnitētiā, si aliud nō potuerit, receperint, cū ab omnib. tunc excōmunicationib. & peccatis, quantumuis Pontifici reseruatis quilibet à quolibet sacerdote absolui possit, vt in Trid. cit. extra verò confessionem annalem necessariā, licitum est omnibus prædictis confiteri, & communicare quibuscūque Confessarijs approbatis ab eorum Ordinarijs, quamuis non sint ordinarij pœnitentium, cum cæteræ confessiones sint actus supererogationis, ad quos Ecclesia Catholica non obligat, & proinde possunt vbique expleri.

10 E contra Confessarij, licet approbati nequeunt extra locum approbantis confiteri, quāuis multi etiam docti teste *Nau. in c. placuit de pænit. dist. 6. n. 8.* indistinctè teneant posse vbiq; sed vnde hoc deducant, ignoro, cum hic sit actus iurisdictionis, & sicut non potest iudex iurisdictionem exercere extra territorium exercere in foro exteriori *auth. qua in Prouincia C. vbi de crimine agi oport.*, ita nec in foro interiori, vt ex alijs principijs probat Nauarr. vbi supra, authoritate Adriani, & Panorm. ibidem relatorum, quod confirmat *Vasq. par. 3. to. 4. q. 93. art. 1. dub. 26. n. 36.* & proinde absque difficultate, si Confessarij reperiuntur in territorio alieno, necesse est habere licentiam ordinarij illius territorij, aliàs absolutio est nulla, vti sententia lata extra

11 locum iurisdictionis. Sacerdotes autem talem iurisdictionem exercentes in loco iurisdictionis, sed in non subditos, vt sunt exteri, fructuosè, & validè absoluunt, quia sicut potest iudex ius dicere contra quoscumque in loco suæ iurisdictionis, qui est forus potentior *d. auth. quà in prouincia*, ita, & Confessarius cū à pari procedant, vt supra, & ita videmus vbique seruari, alias illud maximum sequeretur absurdum, quod in ciuitatibus magnis, vbi concurrunt exteri, nequirent Confessarij confiteri, cum difficillimum esset cognoscere ciues, & exteros.

12 Ratio verò quare talis confessio annalis nequeat fieri validè, nisi à proprio sacerdote, vt supra, est, quia Confessarius sententiam absolutionis pronunciat vti Iudex, proprium actum iudicialem exercens *Trid. cap. 6. & can. 9. sess. 14.* sed sētentia lata à iudice incompetenti, est ipso iure nulla ex defectu iurisdictionis *l. fin. ff. de iurisd. omnium Iudic. & l. fin. C. si à non compet. Iudic.* ergo eodem modo sententia absolutionis ab alieno sacerdote interposita, vt etiam legitur in *d. c. omnis c. 2. de pænit. in 6 &*

6. & c. quoniam 7. in princ. sess. 14. Suar. tom.4.disp.16.sect.3.n.4. Sed dicet quis ergo aliæ confessiones infra annũ factæ alijs Confessarijs approbatis, erunt etiam nullæ, cuius contrarium supra dictum est, respondetur in casu confessionis annalis suspensam esse iurisdictionem aliorum Confessariorum ex *cit.c.omnis,*& propterea non valere, quod rationabiliter fit, vt sc.scire possint Ordinarij an eorum subditi obediant præcepto Ecclesiæ de annua confessione, & inobedientes pœnis debitis puniant, quod aliter scire non possent.

Dum sacerdotes, quando ordinantur recipiunt potestatem absoluendi a peccatis per illa verba accipite Spiritum Sanctum, & quorum remiseritis, &c. quæritur quare non possint eam exercere, nisi denuo, & seorsim concedatur eis ab eisdem Ordinarijs?

SVMMARIVM.

1 *Potestas in corpus Christi verum, & mysticum, item potestas ordinis, & iurisdictionis, quæ sint, & quando conferantur?*

2 *Sacerdotes omnes primitiuæ Ecclesiæ habebant potestatem absoluendi quemcumque pœnitentem absq; alia venia, vel approbatione superiorum, & sic fuit practicatum vsque ad tempus Vrban. 2. qui diuisit parochias, & hoc prohibuit. & n.3. cum multis sequent.*

4 *Lex potest per non acceptationem populi abrogari Principe dissimulante, sed non eo contra dicente.*

11 *Character imprimitur, seu dilatatur in sacerdotio ad conficiẽdum Corpus Christi verum, sed non imprimitur nouus character in concessione potestatis ad dimittenda peccata.*

12 *Ius diuinum potest per Pontificem ex legitima causa dispensari, vel interpretari, sicuti fit in voto, quod etiam commutatur per Episcopos, & eius Pœnitentiarios.*

14 *Iurisdictio est triplex ordinaria, delegata; & subdelegata, quæ differunt inter se, ordinariam autem, siue delegatam receperunt à Christo sacerdotes, quæ non aufertur, sed suspenditur, donec constiteris de eorum moribus, & scientia, & nu.17. & 18. Feudalis, quæ conceditur alicui magno Domino cum amplissimis, & singularibus priuilegijs, concedi infidelitis, si postea transferatur in personam alterius humilis conditionis, nõ intelligũtur concessa illa priuilegia specialia n. 15.*

16 *Sacerdotes omnes absque vlla approbatione vel licentia possunt absoluere quosc.umque à venialibus, & mortalibus aliàs ritè confessis; & in articulo mortis ab omnibus, etiam Pontifici reseruatis. Habuisse initio similitudinem cum indultibus chartularijs putat Suar. sed negatur, vt infra n.19. & qui isti sint? n.20.*

Resolutio CLIX.

1 PRæmittendum est fuisse Apostolis, eorumque successoribus, vt sunt omnes sacerdotes à Christo Domino traditã potestatem consecrandi corpus, & sanguinem suum sanctissimum, & dimittendi, vel retinendi peccata, vt in *Trid. sess.23. cap.1. de sacram.ordin.* prima dicitur potestas in corpus Christi verum, secunda in corpus Christi mysticum; prima dicitur potestas ordinis, secunda iurisdictionis, & vtraque in sacerdotio confertur *Suar.cum communi Theologorum tom.4.disp. 16.sect.3.num.1. ex Trid. d.c.1.* sed seorsim tributæ fuerunt hæ potestates Apostolis, prima sc. in nocte Cænæ in illis verbis *hoc facite in meam commemorationem*; secunda verò post resurrectionem in illis verbis *accipite Spiritum Sanctum Io.20. Mar.18. & Matth.16. D. Thom. in 4.dist.24.qu. 2. art. 3. ad 2.*

2 Vlterius dicunt *Durand.in 4.dist.19. qu. 2.& Nauar. in c.placuit de pænit.dist.6. n.1. 11.& 27.*communem esse doctrinam, quẽlibet Ecclesiæ primitiuæ præsbyterum potuisse absoluere quemuis Christianum absque alterius superioris venia, quia dũ per verba relata, fuit tradita iurisdictio Apostolis, & per ipsos omnibus sacerdotibus iuxta declarationem Trid.cit. non est dubitandum potuisse tunc hoc facere, sicque fuisse practicatum vsque ad tempus Vrb.2. qui floruit circa annum 1100.quãdo diuisit Parochias, & vnicuique Parocho suam plebem commisit, & prohibuit, ne quis in aliena Parochia se intromitteret, vt etiam dicit *Nauar.cit.num.3.*& per-

cipitur *ex d.c.placuit ibi placuit, vt deinceps nulli sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri sacerdoti ad pœnitentiã suscipere*; ergo antea licebat, vt benè arguit *Nauar.d.nu. 1. & 2.* de qua diuisione meminit etiam *Gl.in c. 2. versic. pro intellectu de pœnit.in 6.* vbi ait, quod licet omnes sacerdotes receperint eandem potestatem, quando non erant Parochiæ distinctæ, tamen propter quasdam diuisiones inter Apostolos, & Discipulos, & postea inter sacerdotes fuerunt diuisæ, & distinctæ Parochiæ, & territoria in foro pænitentiæ, sicut in foro contentioso.

3 Sed statim insurgit difficultas *ex c. Ecclesias 13.q.1.* vbi Dionis. Papa, qui floruit circa annum 250. testatur, ipsum diuisisse Parochias, & in *c.nullus 1.in ordine 9.q.1.* Calixtus, qui gubernauit Ecclesiam circa annum 228. videtur eas diuisisse, cui respondet *Nauar.nu.4.* Calixtum non loqui de Parochijs, sed de Episcopis (hoc autẽ verum non est, vt patet ex d. tex. ibi, nec alterius Parochianum indicare) & ad tex. Dionisij relatum, non fuisse tunc vsu receptum, & hoc est verum de vtroque, nã dum *Vrb.2.in cit. cap.* mandat, quod deinceps nullus Parochianus se intromittat in populum alteri commissum, clarè patet, licet antea fuisset facta diuisio per Calixt. & Dionis. non tamen fuisse illas ordinationes vsu receptas.

4 Quamuis enim non sit in potestate populi leges non recipere, (& si contrarium, & malè dicat *Nauar.cit.post nu.4.per c.in istis §.leges dist. 4.*) si tamen populo non recipiente, legislator dissimulet, tunc verum est non obligare & tolli, vt docent *Gl.in d.§.leges v.abrogatæ Sylu. v.lex post n. 6.versic. esto tamen. Dia.post alios v. lex in summ.n.26.* quod latius probatur infra *res.*

5 *200.n.22.& seq. Suar.autem tom.4. disp.16. sect.3.n.22.* conatur probare, Episcopatus, & Parochias semper fuisse diuisos, (& diuisas iuxta Ecclesiarum frequentiam, & necessitatem, sed durum est contra stimulum calcitrare; verba enim *tex. in d.c. Ecclesias sunt, videlicet, Ecclesias singulas singulis presbyteris dedimus, Parochias, & cæmeteria eis diuisimus, &c.* quod licet clarius non potuisset dicere Dionis. declarando ipsum diuisisse Parochias; nihilominus contendit Suar. ibidem, hoc non probari ex tex. prædicto.

6 Si ergo secundum Nauar. teneatur, diuisionem contigisse tempore Vrbani, quia illa Dionis. non fuerit vsu recepta, vt supra, siue tempore eiusdem Pontificis Dionisij sequitur (dum certum est, vt supra tempore primitiuæ Ecclesiæ, quemcumque sacerdotem recepisse per verba prædicta (accipite Spiritum Sanctum) potestatem actualem erga quoscumque Christianos, qui eis confiteri vellent, remittẽdi peccata, vt testatur *Nauar.cit.n.2.& 27.* ex communi omnium sententia) quod vsque dum non fuit eis sublata, semper eandem iure exercuerint, & exercere potuerint, quia quod non mutatur, stare non prohibetur *l. sancimus C. de testam.*

7 Hodie verò, quia hoc reperitur prohibitum tàm *ex dicto c.placuit, quam ex c.omnis de pœnit. & remiss. c.2.eod. tit. in 6. & ex Trid. cap.7. sess. 14. in princ.* meritò non possunt absoluere, nisi præuia approbatione ordinarij, vt in praxi seruatur ex iuribus cit. & si iuxta interpretationem Suar. hoc fuisset sacerdotibus semper prohibitum, frustra denuo fuisset inhibitum à Dionis. & imposita pœna contra facientibus *in d.c.placuit*, firmato igitur axiomate Nauar. & communis sententię prædictæ, quod absque alia venia, vel approbatione Ordinarij potuerit quilibet sacerdos primitiuæ Ecclesiæ absoluere quemcumque Christianum ipsi confitentem ex amplissima potestate, sibi à Christo tradita, per medium Apostolorum, vt supra, remanent diluenda motiua Suar. in contrarium.

8 Primum est vt dicit loco *cit.n.15.* quod si sacerdotes omnes in verbis Christi relatis habuissent iurisdictionem erga quoscumque, non potuissent ea ab Ecclesia priuari; Si autem illa non priuentur, non potest Ecclesia ita illam impedire, vt actũ eius reddat inualidum, sed constat hoc fecisse Ecclesiam; ergo. Probatur maior;

9 nam ideo potestas ordinis auferri non potest ab Ecclesia, quia datur ex vi ordinationis per impressionem characteris; ergo si potestas iurisdictionis eodẽ modo datur, auferri non potest per Ecclesiam. Idem confirmare nititur inferius, licet sparsim, asserens, quod ideo si talis potestas à Christo concessa esset, auferri non potuisset, quia est de iure diuino, sicut non aufertur ordo sacerdotalis, nec auferri potest, sed

10 vltra dicta per *Nauar.vbi supra num. 48.* non posse Pontificem iurisdictionem, vel po-

potestatem absoluendi ipsis præsbyteris tollere, posse verò subtrahere materiam, in quam illam exerceant; & sicut vino, & pane subtractis, præsbiter non consecrat, neque sine aqua baptizat, ita subtracto populo à subiectione alicuius præsbyteri, subtrahitur quoq; illi materia, in quā absoluendi potestatē exerceat, & ita iurisdictio-
11 ne vti non possit, respondetur pretereà nō esse nouum in iure, & in praxi ea, quę sunt iuris diuini posse aliquando, & cum causa
12 per Pontificē interpretari, vel dispensari, vt idem Suar fatetur *sub n.21.* vnde videmus, votum quod est de iure diuino, etiā solemne aliquādo dispensari per Pontificem, vt etiam de communi diximus supra *resol.119.n.4. & 5.* sicuti etiam dispensari, vel cōmutari cætera vota per Episcopos, vel suos pænitentiarios, vt infra *resol.196. n.31.* & præterea iurisdictio non tollitur, sed suspenditur, vt statim dicam, sicuti etiā quotidie suspendi solent cum causa sacerdotes ab exercitio ordinis, qua de rē impediuntur postea celebrare suspensione durante, vt infra latè v. suspensio, quam potestatem non dubitatur habere quemcumque superiorem erga suos subditos, vt ibidem dictum est.
13 Secundum est, iurisdictio, quæ datur in ordinatione, vel est ordinaria, vel delegata cum hæc duo tantùm membra iura distinguere testetur; non est autem ordinaria, quia non omnes sacerdotes ex vi suę ordinationis, & diuini iuris constituuntur pastores animarum, seu Episcopi, vel Parochi, quorum est hæc iurisdictio ordinaria; ergo ex vi ordinationis non recipiunt iurisdictionem ordinariam, neque recipere possunt delegatam, alioquin delegarētur immediatè à Christo; qui si immediatè delegaret, nullus inferior posset illā auferre, quia iurisdictio à superiore data, non potest pendere ab inferiori, vt *ibidem nu. 17.* ergo. Respondetur falli primò Suar. in
14 diuisione iurisdictionis; nam datur alia iurisdictio, quæ dicitur subdelegata, delegatus enim non potest subdelegare, si est ab ordinario *l. à Iudice C. de iudic.* sed si est à Principe, vel eius delegato, potest *c. quamuis, & c. pastoralis de offic. & potest. Iudic. deleg.* iurisdictionem autem ordinariam, siue delegatam non dubitatur recipere sacerdotes immediatè à Christo, dū ita fuit declaratum per *Trid. cap. 1. sess. 23. de sacr. ordin.* quæ non aufertur ab eis, vt vt putat Suar. sed solùm suspēditur, donec præuio examine constet de eorum vita, moribus, & scientia; Christus n. quando concessit iurisdictionem Apostolis, eorumque succęssoribus, vt sunt sacerdotes, probabile est, intellexisse de ijs, qui conformes fuissent, vel quam minus deflexissent à vita eorum, & scientia.
15 Sicuti quando Imperator, vel Rex concedunt feudum alicui magno Domino, & eius successoribus cum aliquibus priuilegijs particularibus, nempe iudicandi etiā inter viduas, & miserabiles personas, non obstante priuilegio electionis fori eis tributo *in l. vnica C. quando Imper. inter viduam, & alias miser.* vel etiam cognoscendi de crimine perduellionis in secūdo capite, quę concedi non solēt, si istud feudum deuenit ad manus alicuius personæ inferioris conditionis, ēt cum Regio assēsu, non intelliguntur concessa illa priuilegia particularia, quæ fuerunt data intuitu personæ tàm illi, quàm eius successoribus, vt docet *Pres. de Franch. decis. 275. sub n.7. ex Bal. & alys,* & ita sæpè fuisse iudicatum per S. Cons. Sic in proposito, fuit concessa iurisdictio Apostolis, & sacerdotibus successoribus, sed æqualis conditionis, saltem pro viribus naturæ, quæ conditiones debent verificari per examen à Pontifice, vices Christi gerente, vel ab Episcopis vti iudicibus, ab eo deputatis; donec autem verificentur, manet suspensa iurisdictio, non ablata, & ista suspensio initium habuit in supradictis temporibus.
16 Hinc videmus quia in absolutione à venialibus, vel etiam mortalibus, aliàs ritè confessis, non requiritur scientia, posse quoscunque sacerdotes ex sola potestate, & iurisdictione eis in sacerdotio tributis absoluere *Nauar. ex Caiet. in man. cap. 4. nu. 6.* & dictum est supra in *priori resol. num. 1.* sicuti etiam in articulo mortis ab omnibus peccatis, & censuris etiam Pontifici reseruatis, deficiente approbato, *Triden. sess. 14. cap. 7. idem Nauar. cit. num. 4. ex D. Tho. & alys.*

Modo ego quæro à Suar. posito absque dubitatione verum esse in absolutionibus prædictis confici Sacramentum, vnde habent istam potestatem sacerdotes, quæ omnibus alijs est prohibita iuxta *Trid. cit. cap. 6.*? certè ex nullo principio, nisi ex sacer-
17 dotio, mediante Christi concessione, vt dictum est, quæ potestas fuit vniuersalis vsque

vsque ad tempora relatorum *PP.* & postea restricta ad casus prædictos, vt latius explicando confirmat *Nauar. in cit. c. placuit n. 22. 23. & 24. de pænit. dist. 6. Dia. verò par. 8. tract. 1. resol. 55. versic. sed hanc, & versic. probatur* dicit, fuisse concessam ab Ecclesia, quod vtique si verum esset, oporteret constare de concessione, sicuti constat de prohibitione in *eod. c. placuit*, non constat, ergo gratis asseritur, & re verà potest dici, hanc esse infirmitatem intellectus, dum habemus certam concessionem à Christo factam, & quærimus incertam, sicuti in simili dicit *Capic. Latro. decis. 103. n. 26.*

18 Suar. cit. n. 24. concedit hanc potestatem habere sacerdotes ex iure diuino, sed hoc esse speciale, nec generaliter extendendũ, quod tamen contradicit litteræ, & sensui tex. in loco cit. in quibus vniuersalem potestatem dedit Christus Apostolis dimittendi, vel retinendi peccata, quæ potestas licet videatur etiam vniuersaliter restricta à cit. PP. præcipuè *in d. c. placuit*, quia tamen ratio intrinseca prohibitionis, quamuis in tex. non expressa, illa fuit, quod non quilibet præsbyter idoneus ad id erat propter scientiam Confessario necessariã, quæ non requiritur in absolutione à venialibus, nec à mortalibus aliàs confessis, vel à quibusuis in articulo mortis, propterea cum non extendatur ratio tex. ad illa, nec extenditur eius dispositio, cessante enim ratione legis, cessat lex *Ladigere §. quamuis ff. de iure patron.* & consequenter remanet sacerdotibus libera potestas absoluendi in casibus prædictis, prout per medium Apostolorum à Christo eam habuerunt, quod etiam docet *Nauar. cit. sub num. 23.*

Illud tandem quod idem *Suar. sub n. 32.* dicit pro responsione ad contraria adducta

19 sub *n. 25.* Sacerdotes st. per potestatem prædictam habere similitudinem quamdam cum Iudicibus Chartularijs, qui ex DD. per eũ adductis *d. n. 25.* (quos verum dicere fatetur *n. 26.*) nõ erant olim merè arbitri, sed ab Imperatoribus designabantur, & accipiebant potestatem iudicandi contra eos, qui se illis subijcere volebant, quamuis non possent ad iudicium cogere, & vlterius citat *Bar. & Gl. in l. 1. ff. de iudic.* vnde infert, quod sicut isti ex sola concessione Imperatorum non habebant subditos, nec materiam applicatã, ita neque sacerdotes eam habent à Christo, ex vi solius ordinationis, quod etiam docet *Vasqu. tom. 4. q. 93. art. 1. dub. 2. nu. 24. licet n. 26.* fateatur sacerdotes in ipsa ordinatione constitùi Iudices à Christo, sibiq; conferri iurisdictionem, materiam tamen reliquisse assignandam in Ecclesia à Pontifice, qui eligẽdo Episcopos, & Parochos, per eundem actum censetur tradere materiam, subdendo Populos Episcopatus, vel Parochiæ eorum iurisdictioni.

20 Verum priora dicta pace tantorum virorum dixerim, Poetarum figmenta dici possunt. Iudices enim Chartularij, vel sunt iudices ad contractus secundum *Rouit. decis. 48. num. 30.* vel sunt Notarij *secundum addentes ad Bar. in d. l. 1. nu. 7. & eundem Rouit. in pragmat. 2. num. 5. de iurisd. ad inuic. non turb. ex Gl. Panorm. & alijs*, vbi subdit, quod quando isti exercent officium magistri actorum, dicuntur exercere iurisdictionem volunrariam in actitantes, quod est etiam impropriè dictum; nam iurisdictio sine modica coërtione, quam ipsos Notarios, etiam actuariatum exercẽtes, certum est non habere, nulla est *l. fin. ff. de offic. eius cui mandat. est iurisd.* imò addit *Bar. in l. 2. C. de iure fisci lib. 10.* officium prædictorum ab initio fuisse calculare cõputa debitorum fisci, & instare apud Thesaurarium, vt ea exigeret, quod suo tẽpore dicit fuisse seruatum solùm in Curia Romana, nec posse apud prædictos expediri aliqua, nisi solam actorum productionem; ergo nulla conuenientia potuit esse inter ipsos, & sacerdotes initio, nec postea; ex quibus patet responsio ad quæsitum in rubrica, idest. non posse sacerdotes hodie absoluere absque venia, & approbatione Ordinariorum, sicut poterant in Ecclesia primitiua, quia, fuit eis post Parochiarum diuisionem prohibitum, vt supra.

In quot, & quibus casibus confessio sit inualida? Cuius occasione agitur de intentione, tàm in ministrante, quàm in Sacramenta suscipiente requisita.

SVMMARIVM.

1 *Pueri ante septennium completum, quando regulariter lumen rationis oritur, non obligantur ad cõfessionem, neque ad alia præcepta, secus si sint rationis lumine præuenti & num. 2. & quid in foro exteriori*

riori vsque ad num. 8.

9 *Intentio est necessaria tàm in ministrante, quàm in recipiente sacramenta, sed diuersimodè; in neutro tamen sufficit ex post facto. Neutralis, an sufficiat? n.* 10. *& 11. Est triplex actualis, virtualis, & habitualis, n.* 12. 13. *&* 14. *Habita in captura sacrorum ordinum, vt quis minister fieret* Ecclesiæ, *licet numquam reuocetur, non sufficit postea, si numquam renouetur ad conficienda sacramenta, sicut putabat* Henriq. *n.* 15.

16 *Intentio saltem habitualis requiritur in adulto baptizando, vt validus sit baptismus. Implicita recipiendi sacramenta dicitur esse in habente contritionem, vel attritionem peccatorum, vel in accedente sponte ad illa recipienda, vel in eo, qui catholicè vixit n.* 17. *&* 23.

18 *Sacramentum recipiens omninò coactus, illud non recipit, nec rem* Sacramenti, *secus si fuit inductus ex metu, sed postea sponte recipit, & n.* 19. *&* 20.

21 *Hereditatem adiens coactus, est vere hæres, licet postea restituatur, si velit.*

22 *Intentio non obsistens non sufficit in suscipiendis sacramentis, si non præcessit aliquando saltem implicita.*

Resolutio C L X.

EX dictis sparsim in superioribus, facilè patet responsio ad primum quæsitum, specialiùs autem de his agitur hic, & in duabus sequent. resol. de eisdem scribunt post alios multi apud P. Dia. infra citandum, *& Bartol. à S. Fausto lib. 4. sua Theol. moral. qu.* 208. qui respondet in nouem, quos hic examinabimus, dum ipse
1 obiter de illis locutus fuit; primus ergo est ex defectu ætatis, etenim si pænitens vsum rationis non habet, confessio est inualida, sed non propterea est repetenda, quia ante annos discretionis non obligatur, vt ait *Innoc. 4. in c. omnis 12. de pænit. & remiss.* Iste autem vsus, seu lumen rationis regulariter oritur in septennio ex *Gl. in c. pueris v. grandiusculis de delict. puer. & ex alia Gl. in §. minorem natu in margine instit. de adopt.* vbi non explicatur an talis ætas debeat esse incepta, vel completa, sed communiter dicunt DD, apud *Dian. par. 4. tract. 3. resol.* 52. Glosis tamen prædictis non citatis debere intelligi de completa.

2 Huius occasione notat *Sancius in select. disp. 51. n. 8.* quod quamuis constaret, puerum antea habere vsum rationis, non propterea obligari præcepto aliquo positiuo, quia leges positiui iuris ante illam ætatem non intendunt obligare, et de hoc non esse discordiam inter DD. & addit Dia. cit. nec teneri ad confessionem, cum quibus
3 tamen ego non conuenio; Leges n. tàm canonicæ, quàm ciuiles non parcunt omnino pueris, quando malitia supplet ætatem, vt in casu proposito, peccato tamen solo carnis excepto, quod certum est non posse eos in illa ætate committere *dict. c. pueris, & l. si minor ff. ad l. Iul. de adult.* in alijs verò de iure ciuili mitiùs puniuntur, non autem omninò parcitur *l. auxilium §. in delictis ff. de minor.*

4 Etenim de impuberibus loquitur in specie *text. in l. 1. §. impuberi ad S.C. Syllan. ibi, & alias solet hoc in vsu obseruari, vt impuberes non torqueantur, terreri tamen solent, & habena, vel ferula cædi, & cæt.* sicuti fuit practicatum in quibusdam pueris ferula cæsis de ordine M. C. V. teste *Grammat. decis.* 49. ad idem tex. *in l. excipiuntur in fine à contrario sensu ff. eod. tit.* quod si opponatur, non posse intelligi tex. prædictos de minoribus septemnio completo; omissa disputatione prædictorum iurium, quamuis fortius stringat tex. *in §. in summa instit. de obligat. quæ ex delict. nasc.* vbi concluditur puniendos esse tales pueros delinquentes, si intelligant se delinquere.
5 Habemus particularem doctrinam *D. August. in Epist. ad Renatum Episcop.* quam refert *Gl. in c. paruuli v. loqui de consecrat. dist. 4. & in d. c. pueris v. grandiusculis, & in Dialogo* D. *Gregorij relato per eandem Gl.* vbi testatur de puero quinque annorum, qui iurans, detestans, & blasphemans, fuit à Dæmone raptus in anima, & corpore; ergo si scit peccare, debet scire confiteri, & si quando blasphemabat, rationis vsũ non habuisset, non potuisset à dæmone rapi; ergo tenebatur confiteri, quamuis ante se-
6 ptem[n]ium, non negando tamen, si dubitetur an sit, vel non rationis lumine præditus ante septemnium completum, debere iudicari pro negatiua, sicuti eo completo, pro affirmatiua, quia vt plurimum ex communiter accidentibus eo completo solet accedere, & leges adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt l. nam ad ea ff. de legib. & ita docent multi *apud Dia. d. res.* 52.

7 Si autem hoc dubium acciderit de puero

ro

ro septemnio non completo in mortis articulo, debere tunc confiteri, & pro securitate Confessarij sub conditione absolui saltem in mente retenta, eo modo, quo fit, quando ætate maior confitetur de aliquo peccato dubio, vt dixi supra resolut. 145. cuius conditionis virtute (quę nihil ponit in esse *l.interdum ff. de verb. obligat.*) non fit iniuria sacramento, pro ut docent *Villalob. & alij apud eum in summa to. 1. trac. 9. diffic. 28. nu. 3. his verbis. quando se dudasse si el muchacho tiene bastante vsu de razon, ò nò para confessarse, toda via estarà obligado à ello, como el que duda, si tiene pecado mortal ò nò, y hase de absoluer de baxo de condition.*

8 Ratio huius exceptionis à regula priori esse potest, quia ibi, si adest defectus, poterit opportunè suppleri in sequentibus confessionibus, ætate maiori superueniente, in isto verò casu excepto, nequaquam, dum mors omnia soluit §. *deinceps auth. de nupt.* & cum tractetur de salute, vel morte æterna, non est hoc maximum negotium ponendum in contingentia *Laym. in Theol. moral. lib. 5. tract. 6. c. 5. n. 7. & alij.*

9 Secundus casus est ex defectu intentionis, quæ requiritur tàm in ministrante, quàm in suscipiente istud, & omnia alia sacramenta (cum distinctione, vt infra.) saltem faciendi quod facit Ecclesia, *Trid. sess. 7. can. 11. & sess. 14. c. 6. in fine de pænit. D. Thom. par. 3. q. 64. art. 10. & DD. communiter apud Bonac. de sacram. in genere disp. 1. q. 6. pun. 2. n. 1.* sed intentio, siue explicita, siue implicita non sufficit, si accedat ex postfacto, quia ad validitatem sacramenti non sufficit intentio, sed etiam requiritur copulatiuè, eodemque contextu, materia, & forma, quando autem accedit intentio absente, v. g. Baptizando, vel pænitente, non adest amplius materia, & forma, quæ iam præcesserunt, vt discurrit idem *Bonac. cit. pun. 3. nu. 2. & 3. ex Suar. Henriq. & alijs, de quo non dubitatur.*

Est tamen differentia in intentione requisita à ministrante, & suscipiente sacramenta, in illo enim requiritur actualis, vel saltem virtualis, in isto verò sufficit habitualis, imò sat est pœnitenti sano accedere ad confessionem cum contritione, vel attritione; in quibus inest intentio implicita velle sacramenta, quia si quis inuitus accederet eo modo, quo interius ex-

10 plicatur, vel cum intentione neutrali, non sufficit secundum *Bonac. cit. pun. 2. n. 7.* sed melius est dicere, intentionem neutralem, quando quis non reijcit, nec vult sacramenta, non posse reperiri in adulto, vt probat *Caie. in 3. par. q. 68. art. 7. versic. & vt ab hac.* Si verò intentio aliquando habita fuerit à suscipiente, etiam sufficit, vsq; quo reuocata non fuerit, *Greg. de Valent. to. 4. disp. 4. q. 2. p. 2. in fine ex Concil. Carthag. 3. c. 34. & Arausic. c. 11. Sylu. v. baptismus 4. q. 14. Regin. lib. 26. nu. 50.* & propterea

11 si infirmus petijt sacramenta, & postea obmutuit, etiam si nullum daret signum contritionis, vel etiam si non petijt, antequam obmutuerit, sed catholicè vixit, datur sub conditione absolutio, quia taliter viuendo censetur intentionem habuisse, & habere ea petendi, & ex infirmitate exprimere non posse, vt latè dictum est supra *resol. 149. nu. 13.* & tradit etiam *Bonac. allegatus n. 9.*

12 Quæ quidem intentio, vt omnes sciunt, est triplex, actualis sc. virtualis, & habitualis, actualis est, quæ habetur in actu, quo quis intendit conficere, & de facto cōficit Sacramentum, virtualis est, quando quis habuit actualem, quæ non sublata per contrariam intentionem, vel per longam temporis moram, adhuc virtualiter durat in opere inchoato. Habitualis, est, quando quis facit actum ex habitu, nulla præcedente intentione de proximo; vel si præcessit de proximo, veluti die antecedenti, fuit tamen interrupta per somnum, vel per aliud opus diuersum ab eo, super quod cecidit intentio, nec fuit renouata. E. g. hesternadie habuit quis intentionem baptizandi infantem, quem hodie baptizat absque noua intentione, vel si mane habuit eandem intentionem, & postea discessit ad vineam, vbi se occupauit in operibus ruralibus, & serò reuersus, baptizat absque noua intentione, dicitur in vtroq; casu hæc intentio habitualis, sicuti in similibus, quæ sufficit ad suscipiendum, non autem ad conficiendum sacramentum, vt

13 infra *n. 14.* Vel secundum *Caiet. in 3. par. qu. 64. art. 8. ad 3. versic. & hæc propterea*, habet quis habitum iustitiæ, qui acquiritur sicut cæteri habitus ex multiplicatis actibus; tunc dicitur habere intentionem actualem, quando in actu ius reddit, iustitiam administrando; tunc virtualem, quando accedit ad Tribunal, vt iustitiā faciat iuxta solitum, sed postea mens eius euagatur ad impertinentia, ita quod etiam

si

si non haberet habitum iustitiæ, ex solo accessu ad Iudicis officium agendum in omnibus, quæ exercet iudicijs, quantumcumque euagetur, semper dicitur habere intentionem virtualem, quia semper perseuerat ius primæ intentionis, quam primum proposuit in iudicando exercere; tunc tandem dicitur habere habitualem, cum illum iustitię habitum antea acquisitum, etiam dormiendo retinet.

Ad quælibet ergo sacramenta conficienda, seu ministranda debet minister studiosè curare, vt actualem intentionem adhibeat, licet sufficiat virtualis, vt repetit idem Sanct. *d. art. 8. ad 3.* & subdit *Caiet. ibidem in fine*, non esse studendum, vt
14 habeamus hoc actualiter continuò in mente, ego intendo conficere sacramentum, sed vigilandum post actum intentionis, vt actualiter mens nostra ad ea, quæ sunt consecrationis attendat, puta ad prolationem distinctam formæ, ad reuerentẽ contrectationem materiæ, ad futuram tunc ineffabilem præsentiam Diuinæ gratiæ in sacramento, vel etiam ipsius Christi, quo ad Eucharistiam; habitualis autem non sufficit sacramentorũ ministro, sed bene susceptori, vt tradunt post Caiet. cit. etiam *Sotus in 4. dist. 1. q. 5. art. 8. Vasq. 3. par. disp. 138. cap. 6. Bellar. lib. 1. de sacram. cap. 27. Bonac. eod. tit. to. 1. disp. 1. q. 3. pun. 2. §. 3. n. 11. & alij.*

15 Quod etiam ex multis docuit P. *Dian. par. 2. tract. 17. resol. 32.* reiecta vti nimis laxa opinione *Henriq. in summa lib. 1. cap. 10. n. 2.* vbi voluit, quod si quis in collatione sacrorum ordinum habuit intentionem eos suscipiendi, vt fieret minister Ecclesiæ, & absque contraria intentione celebrare consueuit, & ministrare sacramenta etiam cum mentis distractione, quod conficiat Eucharistiam, aliaque sacramenta; In su-
16 scipiente vero loquendo de baptismo, *D. Thom. 3. part. q. 68. art. 7. in corp.* iterum repetit requiri intentionem in adultis, quam doctrinam explicando Caiet. ibid. versic. his excursis vult, non esse intelligẽdam de necessitate sacramenti, sed sufficere non inueniri in baptizando obicem voluntatis contrariæ, quod probari dicit *ex c. maiores in fine de bapt. ibi, tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, cum obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem.*

Sed reuerà *Innoc. 3. cuius est tex. ille* discurrendo ibi latè de materia, & plures distinguendo casus, concludit postea, paulò ante verba prædicta recitata per Caiet. loquendo de catechumenis, quod si propositum habuissent baptizandi, & postea in dementiam incurrissent, vel dormiendo constituti fuissent in articulo mortis, tunc eos consueuisse Ecclesiam baptizare; ergo præcessit intentio, quæ dicitur habitualis, & consequenter etiam
17 in suscipiente requiritur omninò aliquis actus positiuus, vel explicitus, vel implicitus, vt est contritio, vel attritio, aut accessus spontaneus ad baptismum, sicuti de confessione dictum fuit, quod etiam docet *Dian. par. 5. tract. 13. resol. 32.* vbi citat Caiet. non approbando, neque reprobando suum dictum, qui solùm notauit verba finalia Innoc. non alia antecedentia.

18 Et propterea idem docent *Scot. in 4. sent. dist. 4. q. 2. & Sanctus ibidem dist. 6. qu. 1. art. 2. quæst. 3. ibi, & ideò in adultis, in quibus potest esse contraria voluntas actu, vel habitu, requiritur contritio ad percipiendam rẽ sacramenti, & intentio, vel voluntas ad recipiendam sacramentum; in pueris autem absque vtroque percipitur sacramentum, & res sacramenti, & inferius subdit: Tamen sciendum, quod non requiritur in adulto voluntas absoluta suscipiendi, quod Ecclesia confert, sed sufficit volũtas cõditionata, sicut est in voluntarijs mixtis, vt dicitur in 3. Ethic. & ideò si sit coactio sufficiens, ita quod principium sit ex toto extra. nil conferente vim passo, vt cum aliquis reclamans immergitur violenter, tunc talis nec sacramentum suscipit, nec rem sacramenti; si autem sit coactio inducens, sicut minis, vel flagellis, ita quod baptizatus potius eligat baptismum suscipere, quàm talia pati, tunc suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti.*

Ex quo D. Tho. loco (licet Caiet. eum adducat pro se) percipitur, quod quamuis baptizandus, coactus eligat baptis-mum, vt in finalibus verbis. Sponte ta-
19 men ad illum accedit, quamuis timor minarum ad hoc eum inducat, & differt à primo casu, quando ex toto reclamans immergitur violenter; in isto enim, vt ait Sanctus, nec Sacramentum suscipit, nec rem sacramenti: in illo verò suscipit sacramentum, sed non rem sacramenti, ratio differentiæ est, quia voluntas coacta, voluntas est, vt docet idem *Innoc. 3. in d. c. maiores §. item quæritur ibi, propter quod, in-*

ter inuitum, & inuitum, coactum, & coactum,
30 *aly non absurdè distinguunt, quod is, qui terroribus, atque supplicijs violenter attrahitur, & ne detrimentum incurrat, baptismi suscipit sacramentum, talis sicut, & is, qui fictè ad baptismum accedit, characterem suscipit christianitatis impressum, & ipse tamquam conditionaliter volens, licèt absolutè non velit, cogendus est ad obseruantiam fidei Christianæ, & cæt.* idem legitur *in l. si mulier §. penult. & fin. ff. quod metus causa ubi Gl. v. volui allegat versum, sic volens factum, quod nollem velle coactus.* Simile habetur *in c. sacris eod. tit. & alibi passim præcipuè in c. merito 15. q. 1.* & consequenter ista secunda voluntas origine est coacta, sed actu est libera; illa verò origine, & actu est coacta, in quo consistit differentia.

Ex quibus si D. Tho. doctrinam spectemus ibi, *eligat baptismũ*, constat de expressa explicatione voluntatis baptizandi; & sic de actu positiuo, si tex. canon, constat etiam de intentione saltem tacita, ibi ad baptismum accedit; si tex. ciuiles, de inten-
21 tione, seu voluntate expressa, ibi n. fuit quis metu antecedenti coactus adire hæreditatem, quàm postea spontè adijt, licet post aditam, si velit, possit ex contraria volũtate, metu probato, in integrum restitui; hęreditas enim etiam solo animo aditur *l. pro hærede ff. de acquir. hæred.* sed animo declarato per aliquem actum positiuum *l. gerit, ubi Gl. in margine ff. eod. tit. Capic. Latro dec. 8. n. 2.* & sic vndequaque patet non sufficere voluntatem non obsistentem in susceptione Sacramentorum, vt dicit Caiet. quia hæc dici potest voluntas, seu intentio neutralis, non obsistens, neque assistens, quam ipsemet Caiet. ibidem, paulò ante *versic. & vt ab hac*, apertè dicit esse impossibilem in adulto.
22 Sed requiri saltem habitualem, & si remotam, vel interruptam, non tamen reuocatam, vel intentionem implicitam contentam in contritione, vel attritione, aut accessum spontaneũ, (vel ẽt coactũ in baptismo secundum modũ tñ explicatum) imò quod magis est, sufficit etiam consensus generalis, qui supponitur in Christiano, qui catholicè vixit, sæpè recipiens tempore sanitatis sacramenta, cui non denegantur in articulo mortis, si ipsa instante obmutuit & illa non petijt vt supra *n. 11.* & tradit etiam *Dia. d. resol. 32. in fine*: quoquidem in casu adsunt etiam actus positiui de bona vita præterita, quam supponimus, aliàs nec possent conferri Sacramenta, si nec in illo actu ea petijsset, nec de bona vita priori constaret.

Num confessio facta ob malum finem, puta vanam gloriam, vel ex defectu attentionis Confessarij, aut propositi pœnitentis sit nulla.

SVMMARIVM.

1 *Confessio facta ob finẽ peccaminosum mortalem, est nulla, quid si ob vanam gloriam? n. 2. quid si sub verbis obscuris? n. 10. & quid si cum animo non satisfaciendi, vel sine hoc animo, sed postea non satisfiat? n. 11. cum mult. sequent.*

3 *Opera bona peragere propter vanam gloriam, an & quando eorum occasione cõmittatur mortale, vel veniale, si dirigantur ad eam, tamquam ultimum finẽ, & n. 4. vsque ad 7.*

8 *Confiteri mortalia uni extraordinario Cõfessario, & postea venialia ordinario, ne amittatur bona opinio apud istum an sit mortale, vel veniale?*

9 *Pænitens si confitendo aduertit Confessariũ dormire, tenetur eum excitare, aliàs confessio est nulla; secus si ad hoc non aduertit, & absoluitur, tenetur tamen quandocumque postea hoc sciuerit, non audita repetere.*

14 *Cõfessarij appellantur iudices, & propterea, incognita causa rectè iudicare non possunt. Eorum potestas est coactiua, siue sit ordinaria, siue delegata, sicuti illa quam habent iudices in foro exteriori. n. 15. 16. & 17.*

Resolutio CLXI.

1 TErtius casus est sequendo thema resol. antecedentis, quando confessio fit ob finem peccaminosum; etenim si quis confiteretur; vt Deus prosperet suos contractus illicitos (quod potest contingere in vsurarijs) vel suos venereos amores, vt faciunt meretrices, & huiusmodi, de quo ipse conquæritur in psalmo 49. ibi, *existimasti inique, quod ero tui similis*, certum est confessionem esse inualidam, vti sacrilegam, tum ex defectu doloris, quem impossibile est adesse in tali anima, tum etiam

etiam ex defectu integritatis, quia hoc est nouum peccatum, de quo, vel pœnitens non confitetur, & confessio non est integra; vel confitetur, & non est absoluendus, donec resipiscat; quod si absolueretur, peccaret etiam Confessarius, vt notum est, & tradunt omnes apud *Bonac. de pænit.disp.5.q.5.sect.2.pun.2.§.2.nu.4.* Diffi-
2 cultas ergo potest esse, quando fit ob finem venialem, puta ad captandam vanam gloriam, et si finis principalis est illius gloriæ vanæ, accessorius autem remissionis peccatorum, etiam confessionem esse nullam dicunt *Abulens. super Matth. cap.6. qu.3.& 55. Angel. v. vana gloria §.1.Sylu. v.confessio 1.q.7.* asserentes sacramentum pænitentiæ, susceptum principaliter ex quocumque alio fine, quam remissionis peccatorum, esse inualidum, quia ista sola causa, est principalis effectus Sacramenti.

3 Verum *D.Tho.2.2.q.132. art.3.in corp.* post aliud caput distinctionis subdit, videlicet, *alio modo ex parte ipsius gloriantis, qui intentionem suam refert ad gloriam, tamquam ad vltimum finem, ad quem st.ordinat etiam virtutis opera, & pro quo consequendo, non prætermittit facere etiam ea, quæ sunt cõtra Deum, & sic est peccatum mortale*, quod volens probare, adducit *D. August. lib.5. cap. 14.de Ciuit. Dei ibi, hoc vitium st. amor humanæ laudis inimicum est piæ fidei, si maior in corde sit cupiditas gloriæ, quàm Dei timor vel amor.* concludit postea sic: *Si autem amor humanæ gloriæ, quamuis sit inanis, non tamen repugnat charitati, neque quantum ad id, de quo est gloria, neque quantum ad intentionem gloriam quærentis, non est mortale, sed veniale.* Sanch. autem *in summa lib. 1. c.*
4 *3. n.1.* respondet per hæc verba, *res quãtumuis sacras principaliter ob vanam gloriã efficere, vt Sacramenta omnia ministrare, vel recipere, sacrum celebrare, non excedit culpam venialem*, citat relatum locum *D. Thom. & Nauar. in man.cap 23.n.13.in fine*, qui idem
5 dicit, & addit, quod ex contrario, facere eadem principaliter propter Deum, vel quia sunt honesta, & sancta, & secundariò propter gloriam, vel laudem humanam, non solùm non est peccatum, sed etiam meritum.

6 Sed antea *D. August.lib.2. de serm. Dom.in monte cap.12.* breuius materiam repetendo ait in quatuor casibus vanam gloriam esse peccatum mortale, in cæteris veniale; primò cum est de aliquo mortali, qui enim complacet, aut appetit laudari de aliquo mortali, peccat mortaliter. Secundò cum appetitur talis laus ob finem mortalem, vt qui vult laudari de aliquo facto ad consequendum finem carnalem fornicationis, aut aliud simile. Tertiò cũ quis paratus est transgredi, vel de facto transgreditur aliquod præceptum ob vanam gloriam, vt medicus, qui ne laudem populi amittat, non vult in morbo periculoso, quem non bene dignoscit, socium adhibere, vel qui errorem docuit perniciosum, & non vult se retractare, ne laudem perdat. Quartò, quando ob vanam gloriam sequitur notabile damnum proximi, nempè si medicus, vel legista ignari laudantur multum ab alijs, ex qua laude sequitur; vt totus populus ad ipsos concurrat, quem nesciunt curare, vel defendere, nisi laudem reuocent, dicendo non ita esse, peccant mortaliter.

7 Idem docet Nauar. cit. quod st. si fiant bona opera ex vana gloria ob finem mortalem, est mortale, si ob finẽ venialem, veniale, sequitur *Regin.lib.6.n.149. ex Soto in 4.dist.18.q.3.art.2.& 3.* quia peccatum veniale, non obijcitur gratiæ, *Dia.par.4.trac. 4.resol.212.ex Vasq.& alijs*, quod comprobatur ex *Matth.cap.6. ibi, & cum oratis, non eritis sicut hypocritæ, qui amant in Synagogis, & in angulis platearum stantes orare, vt videantur ab hominibus; Amen dico vobis receperunt mercedem suam, &c.* & paulò ante *cum ergo facis eleemosynam, noli tuba canere, sicut hypocritæ, vt honorificentur ab hominibus*, ex quibus videtur, quod licet isti actus fiant principaliter ex vana gloria, sicuti denotat illa causalis (*vt*) non tamen pertingere ad mortale, sed solum ad veniale cum priuatione meritorum, & proinde illationem prædictorum DD. quod st. nul-
8 lo modo peccet, qui alicui Confessario confitetur mortalia, & postea alteri venialia, ne suam honestam existimationem apud istum amittat, esse probabilem, & posse ad summum esse veniale, vt docent *Nauar.& Bonac.d.§.2.n.5.* si tamen hoc rarissimè ageretur, secus si continuò, & ex industria, ne animæ suæ status deplorandus plenè intelligatur, vt subdit Regin. citat.

9 Quartus casus est ex defectu attentionis in Confessario, si dum pœnitens confitetur peccata, ille dormit, confessio est

 nulla,

nulla, quando aduertit pœnitens illum dormire, & non curat à somno excitare, quia est in dolo, dum non vult sua peccata audiri à Confessario; quod idem est ac si minimè confiteretur; cæterum si bona fide confitetur, nec aduertit ad somnum Confessarij, à quo absoluitur, valida est confessio, adest enim materia, forma, & intentio, & abest omnis dolus, cuius causa prior non valet *Sylu. v. confessio 1. sub nu. 6. Nauar. in man. cap. 9. sub nu. 14. Suar. tom. 4. disp. 22. sect. 7. nu. 4.* qui rectè subdit ex D. Anton. & alijs, quod si postea constiterit pœnitenti Confessarium aliquod mortale non audiuisse, tenetur non auditum repetere *Vasq. de pænit. q. 92. art. 3. dub. 2 ad finē, Henriq. lib. 5. cap. 14. n. 5. Regin. lib. 6. n. 149. Bonac. de pænit. tom. 1. disp. 5. q. 7. pun. 4. §. 2. n. 11. & nos supra resol. 148. n. 19.* Eodem mo-

10 do est nulla confessio, si peccata non fuerunt aperta, & declarata, sed dolosè sub verbis obscuris, vel æquiuocis confessa, ita ut Confessarius ea non benè intellexerit, debet enim esse nuda, quod est vnum de principalibus requisitis, vt supra dixi, & tradunt *Sylu. & Nauarr. citat. Bartol. à S. Fausto lib. 4. quæst. 212. ex Victor de Confess. num. 169.* estque inconfesso apud omnes.

11 Quintus est ex defectu doloris, de quo supra resol. 144. & v. contritio. Sextus est ex defectu propositi satisfaciendi; etenim si de satisfactione, seu pœnitentia medicinali sermo sit, certum est deficiēte proposito eam adimplendi, confessionem esse nullam, & peccare mortaliter, etiam Confessarium absoluentem, si hoc aliqualiter aduertat, vt supra *resolut. 152. num. 11.*

12 si verò de pœnitentia satisfactoria, quam confessarius imponit, seu imponere debet pro peccatis commissis; & aut confessio est de venialibus, vel mortalibus aliàs ritè confessis, & siue acceptetur pœnitentia pro eis imposita, siue non, numquam eius omissio transcendit culpam venialem, vt etiam dictum est ibidem *n. 18.* cum *P. Dia. par. 3. tr. 4. res. 102.* contra Bonac. ibi relatum & consequenter valida est confessio.

13 Aut tandem loquimur de mortalibus alias non confessis, & respondent quamplures apud *Dia. par. 2. tract. 15. resol. 52. §. his tamen*, quod si pœnitens sit contritus, vel saltem attritus, licet habeat propositum explicitum, vel implicitum non satisfaciendi, probabile est, quod possit absolui, & valida sit absolutio, ipse tamen P. hanc opinionem non approbat, neque reprobat, idem fecit *in resol. 51. par. 3. tract. 4.* vbi iterum pro eadem opinione alios DD. cumulauit, ratio cui illi innituntur, est, quia potest pœnitens habere propositum satisfaciendi in purgatorio, quod sufficit secundum ipsos, de qua quæstione dictum est etiam in d. resol. 152. vbi fuit talis opinio reiecta.

Principalis ratio, ex qua moti sumus ibi, & hic pro contraria opinione cum distinctione, vt infra, est illa, quam docent *PP. in Trid. sess. 14. cap. 8. & can. 15. ibi, nam claues sacerdotibus, non ad soluendum dumtaxat, sed ad ligandum concessas, etiam antiqui Patres, & credunt, & docent. vlterius in eadem sess. cap. 4. in princ.* Confessarij vocan-

14 tur iudices, & consequenter subditur inferius, videlicet, *hoc iudicium incognita causa exercere non posse, neque æquitatem in pænis iniungendis seruare posse, si in genere tantùm, & non in specie pœnitentes sua peccata declarent*. Si ergo potestatem habent ligandi, appellantur iudices, & vti tales iudicium

15 exercent, pænitentias iniungentes peccatis correspondentes, præuia cognitione meritorum causæ, hoc totum conuenit iudicibus in foro exteriori, quorum potestas, vel sit ordinaria, vel delegata, semper est coactiua *c. 1. & toto ferè tit. de offic. iudic. ordin. c. 1. & toto etiam ferè tit. de offic. iudic. deleg. l. 2. & 3. ff. de iurisd. omn. iudic. & alibi passim*: iudicium enim in inuitum redditur. *c. facta dist. 4. l. inter stipulantem §. si stichum ff. de verb. obligat. Præs. de Franch. decis. 346. n. 7.*

16 Proinde non est gratis assignanda differentia inter hoc interius, & exterius iudicium, cum nullibi tradatur, & insuper rectè intuenti patet, omnia, quæ ad hoc cōcurrunt, illi etiam inesse, vt dictum est supra *hoc eod. tit. in proæmio nu. 9.* quibus addo, quod sicuti iurisdictio exterior non potest exerceri in non subditos *l. 3. ff. de offic. Præsid.* ita ista interior Confessarij, loquendo de confessione annali *c. omnis de pænit. & remiss. Trid. sess. 14. cap. 7.* Vlterius substantialia iudicij exterioris sunt actor, iudex, & reus, *c. forus, de verb. & rer. signif.* & eadem sunt istius interioris, iudex est Confessarius, actor est propria conscientia, vel idem pænitens, quatenus se accusat. Reus verò quatenus condemnatur à Confessario, vti iudice ad pœnitentiam peragendam, vt etiam dictum est *ibidem nu. 11.* & consequenter de similibus ad simi-

lia

lia fit extentio *l. quadam §. nummularios ubi Gl. v. quia ff. de edendo, l. non possunt ff. de ll. ibi qui iurisdictioni praeest ad similia procedere, atque ita ius dicere debet.*

Item hoc exprimitur in eod. *Trid. cit. c. 6.* loquendo de Confessario, ibi, *sed ad instar actus iudicialis, quo ab ipso velut à Iudice sententia pronunciatur*; idem legitur *in*
17 *can. 9. ibidem*, sed sententiæ tenemur de necessitate parere *l. celsus §. fin. de arbitr.* aliàs esset elusoria, quod esse non debet *l. si prætor 75. ff. de iudic.* & patet ex definitione sententiæ tradita per DD. communiter, videlicet, *est iudicialis definitio controuersiæ finem imponens per condemnationem, vel absolutionem*, non posset autem rectè dici imponere finem, si non cogeret. Præterea in eod. *Trid. sess. 14. cap. 8.* vbi agitur de ista pænitentia satisfactoria, titulus rubricæ est de satisfactionis necessitate; ergo non potest pænitens eam spontè dimittere; valet enim argum. sumptum ex verbis rubr. *Gl. in l. non idcirco v. discerni, & in margine ff. de iudic.*

18 Ex quibus indubitanter assero, quod non debet, nec potest absolui penitens, nolens pænitentiam à Confessario impositam acceptare, eo etiam magis, quia vt dicit *Faber de pænit. in 4. sentent. dist. 19. qu. vnica disp. 35. cap. 10. n. 229. quem sequitur P. Dia. d. resol. 51.* verisimile satis est, accedentem ad confessionem, & nolentem penitentiam, & si modicam acceptare, contritionem, neque attritionem habere; quod si de facto absoluatur, ex quo pænitens non recusat penitentiam, sed intrinsecum propositum habet eam non implēdi, valida est confessio, si pænitens saltem attritus accessit, & putat ex ignorantia inuincibili, tale propositum non impedi-
19 re effectum Sacramenti. Ratio est, quia pœnitentia, de qua loquimur non est pars essentialis sacramenti, sed tantùm integralis *Trid. sess. 14. cap. 3. de pænit.* & bona fides eum excusat, dum non habemus legem exprimentem, nullam esse in tali casu confessionem, sed ex statutis per Trid. cit. percipiunt tantùm DD. pænitentem pænitentiam non acceptantem, vel acceptatam nō implentem, si sit pro mortalibus, peccare mortaliter, vt *ex Magist. sent. D. Tho. Richar. Palud. & alijs fundat Suar. to. 4. disp. 38. sect. 7. à n. 2. vsque ad 5.*

20 Si verò quis accederet ad confessionem cum proposito non satisfaciendi, quia consequenter peccaret mortaliter, bona fide cessante, non solùm non reciperet gratiam sacramenti, peccato mortali manente, sed etiam confessio esset inualida *Tolet. lib. 3. c. 9. in fine, ibi, satis est, quod non habeat contrarium propositum, quia tunc ineptus est omnino confessioni, & absolutioni recipiendæ*; licet enim satisfactio sit pars integralis, vt dixi, & eius omissio confessionem non vitiet, hoc tamen procedit ex postfacto; secuta namque confessione valida, & cum proposito satisfaciendi, potest tunc contrahi mortale, satisfactionem non implēdo iuxta distinctionem traditam supra *resol. 152. n. 18.* non autem inualidari quod ab initio validum fuit *l. qua ab initio à contrario sen-*
21 *su ff. de regul. iur.* In priori verò casu non est dubitandum confessionem esse inualidam, eo magis, quia, vt dixi, non potest in ea, contritio, neque attritio adesse; dolor enim de peccatis, & voluntas ea committendi, & de facto committere, sunt omninò repugnantia, quæ nequeunt in eodem esse subiecto *l. vbi repugnantia ff. de regul. iur. Nauar. in man. cap. 9. n. 17. in fine, ibi, tunc enim nihil valeret, etiam si postea pænitentiam iniunctam exequeretur, non quia illam non adimpleuit, sed quia quando illa iniungebatur, peccauit; & de illo peccato non se accusauit, atque ideo non fuit integra confessio.*

Num, & quando confessio ob defectum materiæ, vel formę, vel scientiæ Confessarij, aut potestatis ordinis sit nulla?

SVMMARIVM.

1 *Materia remota sacramenti pænitentiæ, sunt peccata, proxima verò contritio, seu attritio.*

2 *Peccatum mortale omissum in confessione ex industria, vel negligentia culpabili, seu lata culpa, eam annullat, & qua ista sit? n. 3.*

4 *Absolutionis forma est omnino necessaria, aliàs inualidatur confessio, sed non sufficit à Diacono, etiam in casu necessitatis. n. 5.*

6 *Clauis Ecclesiæ est triplex nempe ordinis, seu potestatis, iurisdictionis, & scientiæ, & quæ istæ sint n. 7. & 8.*

9 *Clauis tàm potestatis, seu iurisdictionis, quā scien-*

scientia licet conferatur in collatione ordinis sacerdotalis, non tamen rectè exercetur absque scientia.

10 *Confessarius habens mediocrem doctrinam non peccat confitendo, nec Episcopus eum admittens, imò indoctus in multis casibus excusatur n.16. secus pœnitens, si illum data opera eligit n.17.*

11 *Iudex in foro exteriori, vel interiori non peccat, si habet mediocrem doctrinā, sed si omnino per imperitiā male iudicauit, in ciuilibus tenetur parti ad refectionē dānorum, in criminalibus autem punitur etiam corporaliter, in interiori verò peccat mortaliter, etiam si hoc ageret ex precepto superioris n.14. cum multis seq. sed quid de medico similiter indocto? num.15.*

12 *Fornicationem simplicem ignorare esse mortale, est ignorantia non solùm iuris diuini, & canonici, sed etiam naturalis, quæ neminem excusat.*

13 *Ius gentium est idem, ac ius naturale secundarium, & competit omni humano generi, cum quo proditum est.*

18 *Sententia prolata à Iudice in foro exteriori, numquam est nulla, nisi sit contra expressum casum legis, eodem modo sententia absolutionis prolata à Confessario.*

Resolutio CLXII.

1 SEptimus casus est iuxta ordinem *prioris resol.n.*11. ex defectu materiæ, vel formæ, qua propter, si loquimur de materia remota, vt sunt peccata in confessione omissa, et de hoc dictum est supra *resol.*149. *num.*1. vel ex contrario dicta, quæ non fuerunt commissa, & de hoc etiam fuit sermo supra *resol.*28.*nu.*1. si de proxima, vt est contritionis, vel attritionis defectus, & etiam est dictum supra *resol.*144. *& alibi*; est tamen aduertendum ad illud, quod dicit *Bart.à S. Fausto lib.*4.*q.*216. circa hanc eandem materiam, nempè quod si quis non ex industria, sed per ignorantiam, vel negligentiam, quamuis mortaliter culpabilem tacuit aliquod mortale, non teneatur talem confessionem iterare, cum sit informis, & valida. Siquidem puto ego, salua pace, talem doctrinam non esse admittendam (excepto casu ignorantiæ inuincibilis, de quo dixi supra *resol.* 149. *num.*2.) dum fatetur ipse peccatum

2 ex industria, seu dolo (quod idem est) omissum in confessione eam inualidare, quod euenit, quia cum confessio non sit integra, committitur mortale, quod eam destruit; sed in secundo casu supponit etiam adesse mortale, dum ait negligentiam esse mortaliter culpabilem, & de mortali ad mortale, quo ad hoc non adest discrimen: ergo idem est primus casus, quam secundus; & proinde si per ipsum confessio in illo casu est nulla, idem erit in isto, quia similium eadem est virtus *l.non possūt & l.& ideo ff.de legib.*

3 Præterea negligentia, de qua ipse loquitur, est latæ culpę, quæ æquiparatur dolo *l.quod nerua ff.depositi*, ista enim culpa est ignorare quod omnes sciunt *l. latæ ff.de verb. & rer. signif.* & proinde sicut dolus per ipsum, & omnes inualidat confessionem, ita ista negligentia supina, seu culpalata, quia quod disponitur in vno de ęquiparatis, disponitur in alio, *l.3.§.proinde, & §.quoties ff.de in rem verso. Præs.de Franch. decis.*711. *n.*11. & 12. ex *Imola in Clem.* 2. *de priuil.* & circa doctrinam *D.Thoan* 4. *dist.*17.*q.*3.*art.*4. per eum adductam, aliter eam explicat Caiet. ibi, & latius *par.*3. *q.* 9.*art.*1.*in supplem.* vt retuli supra res. 144.

4 Si verò loquimur ex defectu formæ absolutionis à Confessario prætermissæ in toto, vel in parte, & similiter est nulla confessio, vt dixi supra *v. absoluere in introduct. n.*7. necessaria enim omninò sunt illa verba (*absoluo te*) in hoc sacramento, sicut forma consecrationis, est de essentia Eucharistiæ, vt sup. v. Eucharistia, & alij in alijs, vt notant in specie *Regin.lib.*6.*cap.*1.*n.*146. *& alij*.

5 Octauus est ex defectu potestatis Confessarij, de qua aliqua dixi, sed non sufficienter supra *resol.*159.*nu.*1. vnde primò aduertendum est, hanc potestatem solis sacerdotibus esse concessam, non autem subdiaconibus, vel diaconibus, etiam in casu necessitatis, & consequenter illa verba apud *Matth.*16. & *Io.* 20. *quorum remiseritis peccata, &c.* non omnibus Christi fidelibus, sed solis sacerdotibus dicta fuere iuxta *Trid.sess.*14.*cap.*6. & *can.* 10. & sic de fide hoc etiam esse dicit *Bellarm. super eod.Concil.lib.*2.*de pœnit.cap.*5. et *legitur in Catech.Rom.par.*1.*cap.*11.*n.*6. Quæ quidem

6 potestas in genere sumpta appellatur clauis Ecclesiæ, & est triplex secundum *Tabien.*

bien. verb. clauis num. 2. prima dicitur clauis ordinis, seu potestatis, quæ suscipitur in receptione ordinis sacerdotalis; tunc enim datur potestas in corpus Christi verum conficiendi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, & in corpus Christi misticum per traditionem potestatis absoluendi pænitentes à peccatis suis, vt dixi *in dict. resolut.* 159. secunda dicitur clauis iurisdictionis, qua traditur potestas vtendi clauibus ordinis recepti; Tertia dicitur clauis scientiæ, & est potestas discernendi, seu scientiam exercendi erga subditos, in quos fuit iurisdictio con-
7 cessa. Sed *D. Thom. in 4. sent. dist.* 18. *qu.* 1. *art.* 1. duas tantum esse claues probat; nam duas primas, ordinis st. & iurisdictionis, vnam dicit, vel quia prima est causa secundæ, etenim nihil aliud (ait Sanctus) est character ordinis sacerdotalis, quam potestas exercendi illud, ad quod principaliter ordo sacerdotij ordinatur, sustinēdo quod sit idem, quod spiritualis potestas, ideo character, & potestas conficiendi; & potestas clauium sunt vnum, & idem per essentiam, sed differunt solùm ratione in ordine ad diuersos effectus, vt explicat Chetius statim citandus sub n. 1. Vel quia quando datur ordo, datur potestas clauium, sed suspenditur executio, donec tradatur materia debita, quæ est plebs subiecta per iurisdictionem, & propterea habet sacerdos in collatione ordinis sacerdotalis potestatem Clauium, sed non actum clauium, quem tamen consequitur tradito iurisdictionis vsu, vt etiam dixi *in resol. cit. n.* 14.
8 Secunda ergo iuxta eundem Sanct. est clauis scientiæ, (& hic est nonus, & vltimus casus nullitatis confessionis secundum tamen distinctionem, vt infra in fine) quæ est authoritas actum scientiæ exercendi, & quandoque sine scientia est, quandoque autem scientia sine ipsa, sicut patet etiam in iudicijs secularibus; statim enim ac quis est creatus iudex, authoritatem iudicandi habet, & tñ multoties sciētiam non habet; & è conuerso habet quis aliquando scientiam, & non authoritatem iudicandi; scientia enim vt sic, cum non sit virtus moralis, neque Theologalis, non infunditur per impressionem characteris, sed est habitus acquisitus. Et propterea clauis scientię, est propriè potestas exercendi scientiam, vt ex D. Thom. loco cit. percipitur, & hęc iuncta eum claui potestatis, seu ordinis, & iurisdictionis confertur sacerdoti, dum ordinatur.
9 Hinc dixit *Chetius tom. 1. sua Theol. mor. in v. clauis sub n.* 4. quod licet hæ duæ claues tradantur in collatione ordinis sacerdotalis, rectè tamen exerceri non possunt sine scientia, prout est habitus, & ideo malè facere eos, qui ordinantur sine sufficienti peritia; cum enim clauis scientiæ, sit potestas iudicandi, quomodo iudicare quis rectè poterit sine scientia? cum clauis scientiæ sit potestas vtendi scientia, quomodo poterit vti quis eo, quod non habet? quot mala oriantur ex vsu clauium sine scientia, experientia docet, & propterea subdit ibidem, peccare mortaliter tàm ordinatos ignorantes, quàm ordinantes, eosque ad vsum clauium admittentes, & tanto grauius Principibus secularibus admittentibus iudicem ignarum, & ipso iudice ignaro exercente, quantò tribunal penitentiæ, & pænitentium conscientiæ, præeminent Tribunali seculari, & foro exteriori.

Penes quos autem resideat iurisdictio ordinaria, vel delegata, dictum est supra *ref.* 159. *n.* 13. & quando possit exerceri etiam in non subditum *resol.* 158. vbi dictū quoque est, obligationem confitendi proprio sacerdoti esse solùm de confessione annali; aliàs verò vti actus superogationis posse fieri cuicumque etiam extero, dummodo iurisdictionem habeat, vbi confitetur, supradicta tamen doctrina Chetij
10 circa Confessarios, non est sic indistinctè admittenda; etenim non peccabit Confessarius, habens mediocrem scientiam, vt ex *Innoc. in c. cum in cunctis de elect. docet Nauar. in man. cap. 4. sub n.* 8. & minus Episcopus, qui eum ad istud munus admisit.
11 Ratio est, quia satis est etiam in iudicio exteriori mediocrem quamdam causarum peritiam habere, & quia mille ab hinc annis, ita communiter in tota Ecclesia seruatum fuisse, traditur ex eod. Nauar. ibid. peccabit tamen vterque, si Confessarius nesciat secernere in quibus casibus valeat, aut nequeat absoluere, neque differentiam inter maiorem, & minorem excommunicationem, vel ignoret peccata mortalia communia, vt simplicem fornicationem, aut voluntatem deliberatam ad peccandum mortaliter, esse peccatum mortale, vel si putet quamcumque superbiam, irā, inui-

inuidiam, aut gulam esse mortalem, vel si circa dubios contractus, saltem dubitare minimè nouit, ita idem *Nauar. cit. n. 12. argum. c. non est sine culpa de regul. iur. in 6.* vbi etiam citat *Magist. sent. DD. Tho. & Bonau. in 4. dist. 5. & 6.* idem docet *Tol. lib. 3. cap. 15.* & est ex mente *Suar. to. 4. disp. 22. sect. 6. num. 6.*

12 Licet autem P. *Diana par. 4. tract. 4. resol. 201.* tenuerit cum prædictis, addit tamen, posse Confessarium excusari ex bona fide à peccato, sed hanc limitationem sic indistinctam ego non recipio, nisi vt modo ex Nauar. dixi; ignorare enim simplicem fornicationem esse peccatum mortale, & similia, & maximè sacerdotem, non solum est ignorantia iuris diuini, & canonici, quæ regulariter non excusat *l. 2. ff. de iur. & fact. ignor. l. liberorum §. ignorantia, vbi Gl. v. non iuris,* dicit æquiparari dolo *ff. de ys, qui no-*

13 *tant. infam.*; verum etiam iuris naturalis, non primæui, quod competit etiam brutis iuxta descriptionem traditam ab Imperatore nostro *in §. ius naturale instit. de iur. natur. gent. & ciu.* sed secundarij, quod est idē ac ius gentium *§. singulorum instit. de rerum diuis.* appellatur autem ius gentium, quia eo omnes gentes vtuntur *§. quod verò instit. eo tit.* & competit omni humano generi *§. ius autem gent. eod. tit.* quia cum ipso genere humano proditum est *l. 1. ff. de acquir. rer. domin.* & ita est intelligendus D. *Tho. in 4. dist. 33. q. 1. ar. 3. q. 1. cor.* vbi docet fornicationem esse contra ius naturale *Tol. lib. 5. cap. 10. n. 6. ex Apost. ibi, omnis fornicator non habet hæreditatem in Regno Christi*; neque excusatur vllus per talem ignorantiā, nam est naturale præceptum, in quo illa locum non habet, sicut nec in homicidio, circa quod bona fides non præsumitur, cū sit omnibus insitum à natura ex prædictis, & conferunt tradita per *Nauar. in manual. prel. 9. sub n. 8.*

14 Vltr. ius sicuti puniendus est iudex, qui per imperitiam malè iudicauit *l. 2. ff. quod quisque iuris,* & tenetur parti ad interesse, seu ad refectionē dānorū in ciuilibus *l. fin. C. de pœna Iudic. qui malè iudic.* & fortius si ex lata culpa *Alex. in l. 4. §. eam in fine ff. de damno inf. Clar. in §. fin q. 83. n. 2.* imò in criminalibus punitur corporaliter citra mortē, nisi dolus esset in causa, quia tūc punitur eadem pęna, qua innocentem damnauit *Rouit. decis. 36. n. 21. & 22.* prout punitur

15 etiam medicus, qui eodem modo malè curauit *Lillicitas §. sicuti ff. de offic. Præsid. l. medicus ff. de var. & extraord. cognit.* & etiā Chyrurgus *c. tua nos §. nos in fine de homic. volunt. ibi, interdicenda est ei sacerdotalis ordinis executio de rigore,* nec excusantur, licet non procurauerint, sed tantum electioni consenserint, vt tradit *Glaud. l. 2.* ita simili modo, nec Confessarij, sine mediocri saltem scientia, vt dixi, quos parificari cum Iudicibus in foro exteriori, idemque ius in vtroque foro respectiuè seruari ex Trident. & alijs supra in priori resol. probaui, & in specie quod peccat is, qui confessiones audit, etiam præcepto superioris vrgente, si non sit idoneus, sicut peccat superior iubens, docuit idem *Nauar. in man. c. 4. n. 14. argum. c. nihil. de elect. & c. fin. eod. tit. lib. 6.*

16 Sed excusatur Confessarius ignarus in multis casibus, & primò si pœnitens sit satis peritus, & fidelis, qui optimè conscientiam suam explanet, & facienda sibi ipsi cum consensu Confessarij imponat; secundo quando est persona spiritualis, & solita sępè confiteri, nullosque habeat casus difficiles, sed vt plurimum veniales. Tertio quando pęnitens est in articulo mortis, & deest alter Confessarius doctus. Quartò in terris infidelium, vbi reperirentur Christiani, dummodo desit doctus, *Nauar. loco cit. n. 13. ex D. Anton. 3. par. tit. 17. cap. 9. §. 1. Tolet. lib. 3. cap. 15. nu. 4.* generaliter tamen non requiritur tanta scientia in Confessario, qui confitetur in pagis, & villis, quàm in ciuitate, nec tanta in ciuitate parua, seu mediterranea, quam in magna, & maritima, nec tanta in Confessario ciuium simplicium, sicuti mercatorum, & Iudicum, idem *Nauar. num. 11.*

17 *& Tol. nu. 3.* Hæc quoad Confessarios, quo ad pęnitentes autem, qui Confessarijs ignaris confitentur, peccare mortaliter, & nullam esse confessionem docent non solū *Tolet. ibidem n. 5.* sed etiam alij æque docti viri. prout sunt *Rich. in 4. dist. 17. ar. 2. q. 8. ad 1. Anton. 3. part. tit. 14. cap. 19. Ledes. in 4. q. 18. art. 2. Sylu. v. confessio 1. sub n. 6. & Vasq. 3. par. to. 4. q. 93. art. 3. dub. 2. n. 2. cum Homoben. in consult. casconsc. vol. 2. par. 5. resp. 86. Turrian. de pœnit. disp. 25. dub. 2.*

Talis nihilominus opinio, pace tantorum virorum sic indistincta sustineri iure nequit; dato enim pro vero, sententiam absolutoriam Confessarij æquiparari sententiæ Iudicis in foro exteriori, idemque ius

lus vtrobique respectiue seruari, vt paulò ante dixi, illud indubitanter sequitur,
18 quod sicut iudicialis sententia fori exterioris numquam potest esse nulla, nisi sit contra expressum casum legis *l. 1. §. item cum contra ff. quæ sent. sine appell. rescind. & l. 2. C. quãdo prouoc. nõ est necesse*, ita nec sentẽtia fori interioris; quod n. disponitur in vno de æquiparatis, disponitur in alio *l. 3. §. proinde, & §. quoties ff. de in rem verso, & §. 1. instit. quod cum eo. Imola. & Præs. de Franch. supra cit.* Siquidem nullam legem
19 expressam habemus statuentem, quod in casu relato, si bona fide pænitens confiteatur sacerdoti exposito, & potestatem habenti, absolutionis sententia nulla sit propter eius ignorãtiã, quia aliàs frustratoria esset disputatio, quam super hoc faciunt prædicti, & alij DD. & consequenter impossibile est, talem sententiam esse nullam, si tamen supponamus non deesse alia requisita per *Trident. sess. 14. cap. 3. 6. & 7.*

Accedat quod si in tali confessione quis mortaliter peccaret, nullaq; esset cõfessio, hoc sacramentum videretur esse laqueus damnationis, in vicem remedij saluationis, dum putans quis omnia rectè facere ex bona fide, quam principaliter supponimus, tantum damnum absque culpa reportaret, & ita quamuis ex alijs medijs docent *Gabriel. in 4. dist. 17. q. 1. art. 3. dub. 2. Cordub. in summ. hysp. q. 9. Petrus Soto ex Caiet. sect. 6. de confess. Hurtad. de pœnit. disp. 10. diffic. 15. Sylnius in 3. par. D. Thom. q. 8. ar. 5. & alij, quos post Suar. disp. 22. tom. 4. sect. 6. post n. 6. refert, & sequitur P. Dian. par. 4. tr. 4. resol. 201. & ante eum Henriq. lib. 2. de*
20 *pænit. cap. 14. n. 5.* Idem docet *Sanch. in sũma tom. 2. lib. 1. cap. 10. n. 69. ibi, quando pænitens integre confessus est peccatum, quod fecit, dubitabat tamen an esset mortale, quamuis enim confessor simili dubio teneretur, non est iterum confessio illius peccati repetenda, si postea alteruter doctior factus, aut alijs consultis nouit illud peccatũ esse mortale, nisi aliunde cõfessio fuerit irrita, vt quia data opera ille quæsiuit Confessorem ignarum, ac insufficientem ad eius confessionem excipiendam. hæc ille.* quæ fallentia vera est, & propterea dixi priorem opinionem nõ esse sine distinctione admittendam.
21 Etenim quia peccatum committitur in confessione, consultò cum ignorante facta, ex dolo in causa existente, qui sicuti operatur nullitatem, tàm contractus, quam cuiuslibet alterius actus dolosè factorum *l. iuris gentium §. pactorum, & §. sine igitur ff. de pact.* ita operatur nullitatem confessionis, ex lege quoque dictante, peccatum non posse simul stare cum gratia, vti res ad inuicem pugnantes *D. Tho. part. 3. q. 86. art. 3. facit in argum. l. vbi repugnantia ff. de regul. iur. Suar. citat ibi, qua propter si talis defectus non redundet in prauam dispositionẽ pænitentis per se, non inualidat sacramentum, redundadit autem in huiusmodi defectum dispositionis, si pænitens sciens, & videns, voluntariè eligat illi confiteri, quem scit esse ineptum ad suam conscientiam cognoscendam, quia hoc ipso vult malè confiteri, & iudicari, sequitur Bonac. de pænit. tom. 1. disp. 5. q. 5. sect. 2. pun. 3. num. 14.*

Vtrum confessio facta sacerdoti, iurisdictionis exercitium non habenti, sed cõmuniter putato habere, sit valida, & num sequuta confessione probabiliter valida, expediens sit eam sæpe repetere, vel non?

SVMMARIVM.

1 *Intrusus in benificio, vel Parochia, an & quando gesta per eum sint valida, vel non? & n. 2. & 13.*

3 *Hæreticus statim, ac talis est declaratus, amittit beneficia, & prælaturas omnes, si quæ, vel quas habebat, secus si priuatio fuit occulta, quia valent gesta medio tempore per eum in foro fori.*

4 *Intrusio, vel fit cum violentia, vel falsitate, regulariter autem non nocet, nisi ipsi intruso, quia priuatur beneficio, in quod se intrusit, & iure si quod in eo habebat.*

5 *Confessio bona fide facta intruso, seu sacerdoti publice exposito, qui vsum iurisdictionis non habebat, an valeat, suppleatq; Ecclesia defectum? n. 8. cum multis seq.*

6 *Cõmunis error absq; alio requisito facit ius.*

7 *Filius familias, si publicè vti pater familias negotiatur, & existimatur, non iuuatur exceptione Macedon.*

14 *Ecclesia fauore valent contractus vtiles, gesti per intrusum, secus si sint inutiles.*

18 *Gl. & Abb. in moralibus faciunt communẽ opinionem, sicut in ciuilibus Gl. & Bart.*

19 *Vicarij gesta si talis non erat, sed communiter talis existimatus, valida sunt.*

20 *Tabellio si sit in quasi possessione officij, talisque communiter reputatus, an valeāt contractus eo tempore gesti, licet nullo modo tabellio creatus fuerit, vel non legitimè?*

22 *Confessio semel legitimè facta, nō est de necessitate iterum repetenda, sed an proficiat eā repetere? n. 24. usque ad finem.*

23 *Sententia absolutoria in foro pænitentia prolata, regulariter valet, nisi deficiat in substantialibus, quia tunc est contra casum legis.*

Resolutio CLXIII.

1 Circa primum *Tabie.in summa v. absolutio 1.n.62.* recitat in proposito doctrinā *Abb.in c.nihil de elect.* qui posuit tres casus, quorum primus est, quando aliquis se gerebat pro Prælato, non tamen erat in possessione de iure, quia non cum authoritate superioris, sed de facto se intruserat in beneficio, vel possessione, & tunc dicit, quod indubitanter, gesta per eum non valeant, nec suffragetur *tex. in l. Barbarius de offic. Prætor.* fundatus super communi errore, & superiorum authoritate; nam ille seruus *in d. l. memoratus*, qui putabatur liber, habebat officium à superiore, & sic concurrebant duo, authoritas sr. superioris, & communis error; secus autem vbi
2 adesset vnum tantùm. Secundus casus est quando quis se gerit pro Prælato, & habet confirmationem à superiore, sed ex aliquo defectu non tenet confirmatio, & tunc gesta per ipsum, non debent retractari, ex quo legitimè sunt gesta, cum hic concurrat authoritas superioris, & communis error, vnde sumus in casu *d. l. Bar-*
3 *barius*. Tertius est quando is, qui se gerebat pro Prelato, fuit confirmatus per superiorem, sed postea incidit in hæresim, vel irregularitatem, propter quod remanet ipso iure priuatus Prælatura, tunc si ista priuatio fuit occulta, tenent omnia gesta per eum, quod dicit probari ex *c. non ne 8. q. 4.* sed si suspensio, vel priuatio essent nororiæ, tunc non tenerent gesta per eundem ex *c. veritatis de dolo, & contumac.* quos casus dicit Tab. facere ad propositū, & infert confessorem excommunicatum, occultum tamen, & toleratum, si audiat confessiones, valere, nec superueniente scientia iterandas esse (sed hoc dico ego procedit ex bull. *Martin. 5.* de qua pluries supra meminimus; quod quomodo procedat, vide etiam supra *res. 72. n. 15.*) illos autem qui confitentur intrusis, & numquam institutis à superiore, addit idē Tabie. saluari propter fidem sacramenti: Si tamen hoc ante mortem scirent, teneri iterum confiteri. Quod est verum, vt infra in fine dicam, sed non ex relata doctrina Abb. quæ est casui nostro inapplicabilis, ibi enim vt in primo casu legitur (nam in alijs duobus adest confirmatio superioris,
4 quæ in casu isto cessat) agitur de intrusione in beneficio, quæ vel fit cum violentia, vel cum falsitate *c. eum qui cum Gl. de præb. et dign. in 6.* primo casu non potest dari occultatio, neque communis error, cum violentia nequeat inferri, nisi inuito; secundo verò falsitas nocet principaliter ipsi intruso, qui eam commisit, non autem Tertio, & propterea priuatur beneficio, in quo se iniustè intrusit, & etiam iure, si quod in eo habebat *d. c. eum qui.* casus verò noster est diuersus, violentia enim in confessione locum habere non potest; & circa falsitatem, non negamus puniendū
5 esse Confessarium; sed non pænitentem, qui bona fide illum publicè expositum, & communiter iurisdictionis exercitium habere putatum adiuit, aliàs multi cum inuincibili ignorantia deciperentur, æternamque damnationem absque culpa subirent; quod si talem ignorantiam cum sit facti, iura ciuilia excusant. *l. error. & l. regula ff. de iuris, & facti ignor.* multò magis iura diuina, cum mitius agatur cum Deo, quàm cum homine *extrauag. vnica de Iudæis Gl. in l. celsus de arbitr.* idemque Abbas alibi hoc docuit, vt inferius dicetur.

Præterea, licet in citata l. Barbarius concurrerent duo prædicta requisita, authoritas st. superioris, & communis error; ex vi tamen huius solius fuit creatus Prætor, sed quicquid sit de hoc, verum est a-
6 xioma præfatum, communem errorem absque alio requisito facere ius, quod etiam probatur *in l. 1. C. de testam.* vbi cum in testamento interuenerint serui pro testibus, quos iura in tali actu regulariter repellunt, *l. quoniam liberi C. de testib. & l. quod attinet ff. de regul. iur.* testamentum tamen fuit declaratum validum, ex quo communiter existimabantur liberi. Vlte-
7 rius, licet filius familias in mutuo tutus sit

sit exceptione Macedon. vt in *tit. ff. & C. eod.* si tamen erroneè communiter existimabatur sui iuris, non prodest ei exceptio *l. Zenodorus C. eod. tit. & l. 3. ff. eod.* vbi rationem prædictam assignat Bart. quia sic communis opinio excusat mutuantem, quod didicit *ex Gl. ibidem v. publicè*, vbi dicit, quod communis error excusat, & citat pro concordantia eandem *l. Barbarius*, & alia iura, ergo à simili communis error ex-
8 cusat pœnitentem, & Ecclesia tunc tradit iurisdictionem, quam Confessarius non habebat; Ad prudentem enim, & conuenientem Ecclesiæ gubernationem pertinet non permittere Sacramentum, tàm necessarium esse incertum, & dubium, sicuti non esset expediens eidem Ecclesiæ, vt baptismus, vel Eucharistia conficerentur aliquando modo aliquo incerto, & sic cum possit subuenire huic incommodo, istamque incertitudinem tollere, tribuendo iurisdictionem, verisimile est hoc in casu illam conferre, vt rationabiliter docet *Suar. tom. 4. disp. 26. sect. 6. n. 7.*

9 Sed contra prædicta videtur valde stringere *tex. in c. dudum 54. de elect. ibi, in sua quoque salutis, & multarum animarum dispendium prædictas Parochiales Ecclesias retinebat, cum earũ cura, quæ iam priuatus fuerat, ipso iure ad eum nullatenus pertineret, & sic per ipsum eædem animæ damnabiliter sunt deceptæ*, ex quo text. dicit *Sanch. to. 1. lib. 3. de matrim. disp. 22. n. 4. in fine* cõstare, quod licet concurreret communis error, & titulus à superiore collatus, quia tamen iste cessauerat, Prælatum illum absoluentem decepisse damnabiliter animas; ergo vt gesta in foro interno valeant (concludit Sanch.) neque sufficit præsumptus tit. & communis error, aliàs istæ animæ non fuissent damnabiliter deceptæ, sed veram absolutionem obtinuissent. *Gl. in d. c. dudum*
10 *in v. decepta* respondet, non perire in casu relato animas, non quia talis sacerdos iniustus, vel incompetens hoc possit, sed propter fidem, quam habebant de sacramento, cum crederent illum adhuc esse suum Prælatum, vt in simili legitur *in c. debitũ de bapt. & clarius in c. 2. de presbit. non bapt.* vbi Præsbyter non baptizatus, qui in Sanctæ Matris Ecclesiæ fide, & Christi nominis confessione perseuerauerat, credens, probabiliter se esse baptizatum, non dubitatur ab originali peccato solutum, & Cœlestis Patriæ gaudium omnino assecutum; alio tamen obice non obsistente; sed valet argumentum de vno sacramento ad aliud, vt docent *D. Thom. in 4. dist. 30. qu. 1. art. 2.* & communiter DD. prout etiam arguit Gl. ibidem; ergo sicut in Sacramẽto baptismi probabilis ignorantia excusat, ita in isto pænitentiæ.

11 Sed melius ad cit. *c. dudum* respondet *Abbas ibidem sub n. 20.* impedimentum illius Prælati notorium fuisse, cum contentio de electione apud diuersos Iudices controuersa fuisset, & consequenter, communi errore probabili, & iusto cessante, qui est fundamentum nostræ propositionis, iure merito gesta per eum fuisse nulla declarata, cessante namque ratione legis, cessat lex *l. adigere §. quamuis ff. de iure patron.* Verum addit *Sanch. cit. n. 49.* videlicet; *vt gesta valeant,*
12 *non satis est communis error, sed necessarius est titulus collatus à superiore, quamuis inualidus sit ob aliquod vitium latens, quare dũ aliquis sine titulo, & authoritate superioris in officium iudicis, Parochi, aut Confessoris se intrusit, licet communis error facti accedat, gesta per illum ad vtrumq; forum pertinẽtia sunt prorsus inualida, nec oppositum reputo probabile, citat tex. in c. infamis versic. verũtamen 3. q. 7.* & tandem citat *l. Barbarius*, *Gl. final. in c. nihil de elect.* quam dicit hoc expressè tenere, aliosque multos DD. can. & ciu.

Pro responsione aduertendum est, idem dici *in l. Barbarius*, quod in d. versic. verumtamen, nisi quod ibi seruus constitutus erat iudex ordinarius, nempe Prætor à Populo Romano, hic erat solùm delegatus, & propterea cum fortior sit iurisdictio ordinaria, quàm delegata, quia ille eam habet iure proprio, & irreuocabilem, iste alieno beneficio, & ad nutum concedentis reuocabilem, vt omnes sciunt, meritò cum ex supradictis nõ obstet *l. Barbarius*, à fortiori, & ex eisdem rationibus, nec obstabit §. *verumtamen*; circa verò Gl. allegatam potius probat contrarium, cuius verba sunt, videlicet. *Sed po-*
13 *ne quod talis Prælatus tempore confirmationis suæ reperitur minus idoneus, & sic repellitur, numquid ea, quæ medio tempore fecit, sunt cassanda? videtur, quod sic per c. fraternitatis de heret. sed contrarium verum est in hoc casu, quia fuit in quieta administratione, & in quasi possessione prælationis de licentia Papæ, & pro Prælato habitus est, vnde omnia*

quæ fecit medio tempore rata sunt; & inferius
14 subdit, *sed si quis intrusus acquirat Ecclesiæ, numquid & illud cassabitur cum ipso? videtur quod sic per iura prius dicta, sed credo quod non cassabuntur, nisi ea, quæ perperam sunt in præiudicium Ecclesiæ, utilia verò remanebunt penes Ecclesiam*,

Ex quibus cernitur, quod licet in primo casu interuenerit licentia Papæ, in secundo verò minimè; intrusus enim iniustè se gerit, & absque ordine superiorũ, aliàs non esset intrusio, vt supra fuit etiam dictum, & tamen medio tempore per ipsum gesta, firma remanent secundum prædictam Gl. & minus obstant DD. allegati,
15 qui loquuntur in foro exteriori, vbi regulariter ostenduntur, & præsentantur commissiones Iudicum, siue ordinariorum, siue delegatorum, aliàs possessio tribui nõ potest; & partes, quarum interest, possunt eas ad libitum videre, cum inserantur in actis publicis, quæ omnibus patent, & sic seruatur in quocumque Tribunali, vt practici sciunt, & consequenter, illis visis, possunt impugnari, si falsæ quouis modo videantur, quod si non fiat, sibi imputent partes, quæ iure suo vti nolunt; vltra quod prædicti DD. per Sanch. allegati non probant absolutè axioma, pro quo afferuntur.

16 In Tribunali verò confessionis, res aliter se habent; non n. licet pauperibus mulierculis, vel rusticis, nec quibuscunque interrogare Confessarios, an habeant veniam superiorum circa iurisdictionis suæ exercitium, & vtique si liceret, non tenentur illi ostendere suas commissiones, & licentias pœnitentibus, qui scire vellēt, si eas habeant, & si habeant, an sint falsæ, vel veræ, quod si ab alijs, de hoc se oretenus informare vellent, nequidem hoc ad praxim educi posset, etenim non habent ius pœnitentes interrogandi testes cum iuramento, sine quo fidem non faciunt, etiam si essent mille *l. iuris iurandi C. de testib. & c. hortamur 3. q. 9.* Sed omnibus cessantibus, ridiculum omninò videretur, vt pœnitentes, Ecclesiam ingredientes, sua peccata confessuri, à testibus, vel ab eisdem Confessarijs, de sua potestate infor-
17 mare se vellent, & proinde standum est immemorabili consuetudini omnium fidelium, qui intrãtes Ecclesiã, ibique reperientes confessarios expositos, bona fide illis accedunt, & validè confitentur, etiam si nullam haberent iurisdictionem, dummodo sint sacerdotes; illa enim publica expositio, & communis, licet erronea existimatio, excusat, suppletque Ecclesia iurisdictionis vsum, si deficeret; vt supra dixi, pœnis tamen debitis sacerdote feriendo, de quibus alibi, qui solus in tali casu delinquit.

18 Nec stricto iure viderentur teneri pœnitentes ad confessionis repetitionem, etenim vt supra probatum est, sicut validi semper remanent contractus filiorum familias, & testamenta, in quibus serui pro testibus interuenerunt, quæ absque communi errore, nulla essent, ita confessiones sacerdotibus factæ, qui ex communi errore putabantur iurisdictionem habere, comite tamen indiuiduo semper bona fide pænitentium, quod in indiuiduo *Gl. in Clem. dudum §. statuimus in fine v. audituræ de sepult.* apertè decidit ibi, *si non electus se ingerit, vel electus extra diœcesim, in qua deputatus est, bona fide illi confessus, & ab illo absolutus, tutus est quo ad Deum.* Quę quidem Gl. citat se ipsam in suprad. *c. dudum v. decepta de elect.* quam supra retuli, & sic dum bis repetijt idem in diuersis locis, nõ est verisimile sibi ipsi contradixisse in *d. c. nihil in fine eod. tit.* vt asserit *Sanch. loco cit. n. 49.* idem cum prædictis Glosis in puncto docet *Abb. in d. Clem. dudũ n. 25.* vnde si verum est, quod dicunt *DD. Gl. & Abb. facere* communem opinionem in materia morali, deficiente tex. sicut in ciuilibus cõmunem opinionem faciunt *Gl. & Bar. ex dictis per Præs. de Franch. dec. 588. n. 7.* imò *in dec. 578. n. 15. ex Bar. Imola, & alijs* addit, quod quando non reperitur tex. sufficit Gl. pro tex. hæc erit communis opinio; vnde patet gratis fuisse per Tab. reportatam in contrarium supradictam doctrinam eiusdem Abb. qui vt optimus Canonista, nec est ferendum sibi contradixisse, & propterea ibidem aduertimus non esse illam præfato casui applicabilem. Vide *Dia. par. 3. tr. 4. resol. 122.* ex Molfes. & alijs vbi generaliter dicit talem confessionem valere, quia ille error communis tribuit iurisdictionem, & adest bona fides pœnitentis, & subdit hanc sententiam ipsum libenter tenere.

19 Hoc idem tuetur Anastas. Germon. *in tr. de indulg. §. tibi quod vixeris n. 58.* vbi à simili docet aduersario opponente aliquẽ non esse verum Vicarium, sufficere parti aduer-

uersæ probare ita fuisse communiter re-
putatum,&tractatum,vt acta per eum va-
20 leant ex *d. l. Barbarius*,quod tandem fir-
matur authoritate subscriptorum DD. te-
stantium per aliud simile satis esse, vt Ta-
bellio sit in officij quasi possessione, talis-
que communiter credatur, quamuis titu-
lum, & creationē à Principe minimè ha-
beat, sed dolosè intrusus sit,vt instrumen-
ta medio tempore ab eo confecta,valida
sint *Innoc. in c.1.nu.2. de fide instrum. ibique
Hostiens.n.1.Io.Andr.nu.4. Dec.n. 49. Felin.
n.18.Fulgos.in cit. l.Barbarius nu.13.*vbi ait
ab hac sententia non esse recedendum
tàm in consulendo, quam in iudicando
*Bar.ibidem n.9.Cardin.in c.2.eo tit. Præs.de
Frāch.decis.444. & clarius Ronit.sup.pragm.
1.n.2.de Notar.*Quamuis autem (vt supra
21 *nu.*18. dixi) quando deest omnino actus
iurisdictionis, & sacerdos se ingessit ad
confitendū,validę videātur cōfessiones bo-
na fide illi factę,easq;repetere fortasse non
oporteret, etiam detecto errore, vt ex cit.
legibus, & DD cum tamen tractetur de
salute æterna, & soleant fideles etiam ab-
sque necessitate, ex deuotione, & humi-
litate repetere, assero in facti contingen-
tia, postquam fuerit patefactum iurisdic-
tionis exercitium defecisse, repetendas
esse, vt ex eod. Abb. docent cit. *Nauar.
nu.11. Sanch.d.nu.49.& alij apud eos.* ad si-
militudinem non baptizati, qui probabi-
liter putabat se baptizatum,cognito enim
errore, tenetur ad baptismum *c 3.§.quia
verò de præsb.non bapt.*post quæ scripta ga-
uisus sum inuenisse decisionem S. Congr.
apud referentes declarationes eiusdem in
Trid.sess.23. de reform.post cap.15. sub n.5.
à nemine adductam, quę talis est *Absolutio
data à sacerdote vigore facultatis generaliter
à summo Pōtifice,vel specialiter à Parocho cō-
cessa,si ab Episcopo is sacerdos examinatus, &
approbatus non fuerit,valida non censetur, ēt
quo ad eos, qui tali sacerdoti bona fide confessi
sunt, putantes esse approbatum, vel ignoran-
tes approbationem requiri. Congregatio n. Cō-
cilij censuit eam absolutionem esse nullam, ta-
metsi confitentes quo ad Deū excusati censeā-
tur,vbi tamen resciuerint,reiterandā esse con-
fessionem respondit eadem Congregatio.*
22 Ad secundum respondetur conclusio-
nem esse ab omnibus Catholicis receptā,
de qua testatur *Nauar.in man.cap.11.nu.2.*
peccata semel legitimè confessa, & abso-
luta, non esse de necessitate iterum confi-
tenda, imò dicit *D.Thom.quodlib.1.art.12.*
nec posse hoc per humanam legem sanci-
ri absque pęnitentis consēsu,vt *res.145.in
fin.* ratio est, quia sicut iudicialis sententia
valet in foro exteriori, licet sit iniusta, vt
quādo est contra ius litigatoris, nisi sit cō-
tra casum legis *c.cum inter §.quānis de sent.
& re iud.l.1.§. item cum contra ff.quæ sent.si-
23 ne appell.* ita etiam ex eadē ratione valet
regulariter sententia absolutoria Confes-
sarij, etiā si in aliquo accidentali deficiat
(non tamen si deficeret in substantialibus,
vt de communi etiam omnium *in 4. sent.
dist.17.tradit cit. Nauar. n.* 2. quia tali ca-
su est contra legem, vt puta quando defi-
cit materia, vel forma,vel integritas mor-
taliū,aut iurisdictio,quā scitur non adesse
*Trid.sess.14.de pænit.c.3.& seq.*vt de singulis
in superiorib.dictū suis locis fuit)& proin
de dū valet, nō est de necessitate iterāda.
24 Imò,& quod magis est, si quis confes-
sionem legitimè factam, pluries repeteret
propter scrupulos, & cū nimia tristitia,vel
graui Confessarij scandalo,peccaret iuxta
eūdem *Nau.in c.21.n.42.& in c.inter verba
11.q.3.n.729.& c.fin.de pænit.dist.5.n.30.ex
Caiet.& alijs*,ea ratione,quia procuranda
est tranquillitas conscientiæ, quam huius-
modi scrupulosa repetitio, vel tollit, vel
minuit, & propterea completa confessio-
ne, & absolutione iuxta iudicium docti
Confessarij, quiescere debet pœnitens,&
credere se rectè confessum fuisse, etiam
de illis, quæ postea occurrent, de quibus
non bene recordatur, an confessus fuerit,
vel non, sed habet solam formidinem op-
positi, & probabilem causam credendi
de illis confessum fuisse, quia ob hoc nul-
li se periculo subijcit (etenim si esset me-
re dubiū,teneretur ad confessionē,vt dictū
est sup.res.145.nisi ageretur de cōfessioni-
bus antiquis, vt *in res.146.n.11.*) Siquidē
25 *morbus scrupulorū,quo laborat,eū excusat,&
facit,vt pro certo habere debeat id,de quo a-
lius rectè compositus non timeret,passio quoque
inordinata timoris,iudicij constantiam ei adi-
mit,& tot dubia excitat phantasia, vt ad ti-
mendum inducat, numquam fuisse bene con-
fessum, & nō sine magna molestia sedare que-
at phantasiæ motus, ex quo multa pericula tā
corporis, quàm animæ incurruntur, & multa
bona opera impediuntur. huc vsque Nauar.*
26 Hoc tamen sano modo intelligendum
est, quia licet nemo ad confessionem
peccatorum,semel legitimè factam iterā-
dam

dam teneatur, sanctum tamen est, iterum ea, vel aliqua ex eis aliquando confiteri, si deuotionis causa cum quieta conscientia, & sine tædio Confessariorum, aliorumque bonorum operum impedimento fiat; quamuis n. per primam confessionem remissa fuerit culpa, non tamen semper remittitur tota pæna temporalis, hic, vel in purgatorio subeunda, quæ per secundam, & vlteriores confessiones tollitur, vel saltem minuitur tàm ratione humilitatis exercitæ per subiectionem sacerdoti, & erubescentiæ, qua pœnitens in confessione afficitur, vt ait *D. August. in c. quem pænitet de pænit. dist. 1. ibi laborat mens patiendo erubescentiam, & quoniam verecundia, magna est pæna, qui erubescit pro Christo, fit dignus misericordia; vnde patet, quod quanto pluribus confitebitur in spe veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius consequetur misericordiam remissionis*; quam etiam ratione sacramentalis absolutionis, quæ non solùm auget gratiam, sed etiam tollit, vel minuit pænam, vt dictum est, & tradit *Nauar. in d. cap. 21. n. 42.*

Vtrum superior possit absoluere pœnitentem à casibus reseruatis, & remittere ad ordinarium confessarium pro absolutione à cæteris, & an è contra iste possit eundem absoluere à non reseruatis, & remittere ad Superiorem pro absolutione à reseruatis; vel in aliquo casu possit eundem absoluere ab omnibus, cum obligatione de se postea præsentando coram superiore?

SVMMARIVM.

1 *Confessio de peccatis reseruatis tantùm nũ possit per pænitentem fieri superiori reseruan i, qui eum remittat inferiori pro absolutione ab alys non reseruatis? & n. 2. 3. & 7. & an è contra inferior Confessarius possit eundem absoluere à non reseruatis, & remittere ad superiorem pro reseruatis? nu. 6. cum multis seq.*

4 *Confessionis integritas est non solùm de iure canonico, sed etiam diuino.*

5 *Gratiam habere, & eodem tempore in statu damnationis esse, est impossibile.*

19 *Peccatum reseruatum ex inculpabili obliuione omissum in confessione, censetur remissum cum alys.*

13 *Hæreticus quod possit confitendo inferiori Confessario tacere hæresim, vel de illa eidem confiteri cum obligatione se præsentandi coram superiore, vt dicit Dia. reycitur, & n. 14.*

15 *Negatiua præposita verbo potest, tollit omnem potentiam, vnde actus non obstante prohibitione secutus, est irritus; imo talis negatiua reddit actum de iure impossibilem. & n. 16.*

18 *Sacerdos simplex, licet habeat de iure potestatem absoluendi à venialibus, ex nulla tamen necessitate, nisi in articulo mortis potest absoluere à mortalibus.*

19 *Pænitens si habet casus reseruatos, & non pateat aditus ad superiorem pro absolutione, concurratque necessitas communicãdi, vel celebrandi quid facere debeat?*

Resolutio CLXIV.

1 QVo ad primum, posse hoc fieri validè, & licitè etiam absque causa dicit *Caietan summa v. confessio cond.* 10. vbi addit talem esse consuetudinẽ Romanam, & non esse in dubium reuocandam, neque oportere plus sapere, quam oportet. ad idem *D. Anton. 3. par. tit. 14. cap. 19. §. 6. Palud. in 4. dist. 17. q. 5.* quod temperant *Petrus Soto lect. 10. de confess. & Nauar. in c. consideret §. cautus n. 12. & 18. de pænit. dist. 5.* si fiat ex rationabili causa, adduntque, pænitentem, sic absolutum teneri postea integram confessionem, etiã de reseruatis inferiori Confessario facere, vt conficiatur Sacramentum, quod per priorem confessionem, & absolutionem dicunt non esse consummatum.

2 Alij dicunt hoc fieri non posse, sed debere superiorem audire integram confessionem, & ab omnibus absoluere, vel si hoc facere nolit, non debere, nec posse sacramentaliter absoluere, sed tollendo reseruationem, eum remittere ad inferiorem, vt ab omnibus absoluatur: hi sunt *Adrian. q. 5. de confess. Victor. in summa nu. 149. & 162. Sylu. v. confessio 1. qu. 14.* vbi dicit in Curia Romana non esse talem cõsuetudinem, sed practicari vt superior non absoluat pænitentem propriè à peccatis, nisi totum dicat, sed solùm ab obligatione confitendi sibi, seu à reseruatione, cui vti sacri Palatij Magistro credendum est. confes-

sen-

sentiunt *Rodriq. p. 1. c. 55. n. 13. Henriq. l. 6. c. 14. Coninck. disp. 2. dub. 9. n. 82. Valent. tom. 4. disp. 7. q. 11. p. 1. Nugn. Regin. Sayr. apud Bonaci. disp. 5. q. 7. pu. 4. §. 3. Suar. autem tom. 4. disp. 31. sect. 2. n. 2.* quamuis neget esse talem consuetudinem in Ecclesia, dicit tamẽ *sect. 1. n. 7.* posse superiorem ex graui causa, & necessitate interdum absoluere pœnitentem à reseruatis, eumque remittere ad Confessarium ordinarium pro absolutione à non reseruatis, audita prius per ipsum confessione illorum; verum non sufficere ad hanc necessitatem, multitudinem negotiorum, sicut alij authores censent, sed alias grauiores concurrere debere, & confici ex hoc verum Sacramentum distinctum ab alio, quod postea ab inferiore confertur, & ita videntur voluisse etiam *Regin. lib. 1. n. 63. Laym. Sot. Nauar. & Vasq. apud Faust. de pænit. lib. 8. q. 17.*

4 Sed hæc opinio sicuti prima, vt verũ fatear, mihi non placent, quia integritas cõfessionis, & vni soli Confessario facienda, est vnum de requisitis necessarijs ad eam, sicuti omnes admittunt, imò esse de iure diuino docet *D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. 3. quæstiunc. 4. ad 5.* sicuti fuit postea declaratum per *Trid. sess. 14. cap. 5. in princ. sub tit. de confess. idem Suar. cit. nu. 6.* & quod sit etiam de iure canon. non dubitatur ex *c. omnis de pænit. & remiss. ibi omnia sua solus peccata proprio sacerdoti, &c.* ergo non possunt peccata reseruata confiteri superiori, & alia inferiori, aliàs peccaret mortaliter superior hoc admittens; quia ex parte sua faceret voluntariè Sacramentum nullum, cum ipse ex quo tenetur scire ea, quæ pertinent ad officium suum, *D. Tho. 1. 2. q. 76. ar. 2. cor.* ignorantia non excusetur. Probatur ratione; etenim quãdo quis de solis reseruatis superiori confitetur, & pro alijs mortalibus remittitur ad inferiorem, certum est, ista vti non confessa, nec absoluta, remissa non esse; imò neque reseruata, & confessa, quia non potest remitti vnum mortale sine aliò, vt docet *D. Tho. in 3. par. q. 86. ar. 3.* ergo pro prioribus confessis, & absolutis non potuit confici ve-
5 rum Sacramentum, quia sequeretur pœnitentem esse in gratia ex priori confessione, & eodem tempore in statu damnationis pro alijs mortalibus non confessis, quę sunt repugnantia, & impossibilia in eodem subiecto argum. *l. vbi repugnantia ff. de de regul. iur.*

6 Paritas autem quam dicit Suar. esse in hoc casu cum casu obliuionis, dum dicuntur remissa peccata obiita, seu inclusa in confessione aliorum peccatorum clauibus submissorum ex *Trid. sess. 14. c. 5.* est longe impertinens, seu inapplicabilis; in isto enim casu, prærequiritur diligẽs examen, aliàs confessio non valet ex eodem *Trid. cit.* & per nos supra *resol. 146. n. 10.* Ex qua præuia diligentia excusatur omninò pœnitens, dum obliuio ex defectu memoriæ, vti naturalis *l. peregre ff. de acquir. poss.* inculpabilem eum reddit, prout legitur in *Trid. sess. 14. cap. 5. hoc tit.* qua de rè est magna differentia inter hunc, & casum prædictum; vbi voluntariè dimidiatur confessio; quod est de iure diuino prohibitum, vt supra, & consequenter ex diuersis non fit illatio *l. Papinianus exuli ff. de minor.*

7 Quamuis autem posset argui ex aduerso, multos dari casus, in quibus licitè dimidiatur, vt in muto, surdo, vel in articulo mortis, siue ex causa incendij, vel pestis, aut propter periculum vitæ propriæ, vel alterius, aut famæ tertij; ne quis confitendo peccatum proprium prodigeret famam complicis, & similium, de quibus latè supra *resol. 149. 150.* & alibi; ergo idem deberet procedere in isto; negatur tamen hæc paritas; In istis enim, aut sunt leges particulares, quæ hoc permittunt, aut fit ex vi iuris naturalis, quod alijs potentius est, vt in dictis locis notaui, & discurrendo per singulos casus inspicitur.

Ad secundum licet ex prædictis possit multum inferri ad istud, quia si non potest superior, vt dixi, minus poterit inferior *auth multo magis C. de sacr. sanct. Eccles.* pro maiori tamen declaratione dicam in particulari quid de hac re senserint DD. siquidem *Palud. in 4. qu. 5. D. Anton. cit. cap. 18. §. 6. Angel. v. confessio 5. nu. 9. Nauar. cit. n. 10. & alij* dicunt posse ordinariũ
8 Confessarium absoluere pœnitentem etiã à casibus reseruatis, adsit, vel ne necessitas, dummodo iste intelligat habere obligationem iterum peccata reseruata superiori confitendi, idque facere proponat, sed *Petrus Soto lect. 10. de confess. ex Alex. Ales. 4. p. q. 77. mem. 5. art. 2. ad vlt.* dicit, posse pænitentem confiteri solùm ea peccata, quæ subsunt iurisdictioni talis Confessoris, reliqua superiori reseruando.

9 Verũ *Suar. vbi supra sect. 2. n. 4. & 5.* vult posse absolui directè à nõ reseruatis, reser uata

uata per accidens tollendo, sicut oblita,
interueniente tamen aliqua necessitate,
quamuis non extrema mortis, sed quando
adimplendum est præceptum annuę con-
fessionis, vel sacrum faciendum, quod nō
possit omitti sine graui scandalo, vel infa-
mia, & interim non pateat aditus ad supe-
riorem, vt *sect. 3. n. 1. quod repetit n. 3.* & cō-
cludit, esse probabilius, idque confirmat,
10 quia si peccatum reseruatum tantùm re-
linqueretur ex obliuione, & de alijs fieret
confessio bona fide coram inferiore, & da-
retur absolutio, fieret sacramentum, & in-
directè tolleretur peccatum reseruatū. ad-
dit postea, videlicet, *fingamus peccatum
reseruatum non esse oblitum, tale tamen esse
vt nequeat hic, & nunc confiteri huic inferio-
ri Confessario sine aliquo graui damno extrin-
seco, & occurrere necessitatem sacramenti, de
qua agimus, tunc posset confiteri sacerdoti re-
liqua peccata, tacendo reseruatum, quia quo
ad integritatem pertinet, illa est sufficiens ra-
tio tacendi, æquiualens obliuioni; ergo tunc
poterit absolui, & indirectè tolli peccatum re-
seruatum; cur ergo non poterit etiam si illud
proferat, vel cur aliàs erit melioris conditio-
nis solum propter extrinsecam occasionem oc-
currentem, propter quam tacere poterit pec-
catum?* hæc ille.

11 Imò dicit *nu. 6.* non solùm licere in tali
euentu absoluere, quando casus reserua-
ti non habent excommunicationem anne-
xam, verum etiam si habeant, & auferri
non possint per istum ordinarium Confes-
sarium, vnde *P. Dia. par. 3. tract. 14. resol.
104. in fine* reassumendo dicta per Suar. &
alios DD. ibidem relatos, vult pænitentē
habentem casum reseruatum, etiam cum
excommunicatione, vrgente necessitate ad
celebrandum, vel communicandum, pos-
se, vt sibi magis libuerit, vel expedierit,
aut confiteri peccata non reseruata, seu si-
mul reseruata, & non reseruata, vel elicere
actum contritionis, & sine præuia confes-
sione celebrare, aut communicare. Et ad-
12 dit *par. 5. tract. 13. resol. 10.* satis probabi-
liter consuluisse contra quemdam ignarū
confessarium, potuisse adolescentem, qui
magnum ruborem habebat confiteri pec-
cata reseruata cum quodam sacerdote, illa
non confiteri, sed alia mortalia, & absolu-
tionem obtinere; & tandem interrogatum
à viro magnæ authoritatis quid facere de-
beret ille, qui tenetur confiteri tempore
paschali, vel facere sacrum, aut Euchari-
stiam sumere ratione scandali, innodatus
13 tamen excommunicatione propter hære-
sim, respondisse, quod talis hæreticus, vel
tenetur dimidiare confessionem, tacendo
hæresim, vel illam exponere Confessori
approbato, qui directè possit absoluere à
peccato simplici, & indirectè ab hæresi, &
quod tunc possit impleri præceptum quo-
ad substantiam, eique sit imponendum
onus comparendi coram superiore ante
aliam confessionem sacramentalem, quod
si culpatè non comparet, committat nouū
peccatum, vrgente autem præcepto secū-
da vice, sit maior cautio exigenda, quod
si pertinax sit in comparendo, neganda sit
ei absolutio, vt alijs, de quorum emenda-
tione desperatur.

14 Verum nec ista opinio mihi satisfacit,
quandoquidem *Trid. sess. 14. cap. 7. in fine
sub hoc tit.* satis clarè locutum est in hac
materia *ibi, extra articulum mortis sacerdo-
tes, cum nihil possint in casibus reseruatis, id
vnum pænitentibus persuadere nitantur, vt
ad superiores, & legitimos Iudices pro beneficio
absolutionis accedant.* Ex quibus, licet nul-
lum dubium apud sensatos viros oriri de-
beret, quod nullo modo possint inferio-
res Confessarij mittere manum in messem
alienam, nisi eis hoc à superiore expressè
concedatur; pro maiori tamen claritate
15 dico, quod negatiua præposita verbo po-
test, vt in relatis verbis, tollit omnem po-
tentiam, ita *Bart. in l. Gallus n. 4. ff. de lib. &
posth. in l. fin. ff. de ferijs, & in l. cum lex de
fideiuss. Bal in l. 1. n. 62. C. qui admitti Meno-
ch. de arbitr. lib. 1. q. 30. nu. 7.* Et consequen-
16 ter, denegata potentia, actus non obstan-
te prohibitione secutus, remanet irritus
idem *Bal. in l. fin. sub n. 22. C. de fideicom. ex c.
1. de regul. iur. in 6. & in l. 1. ff. de iniusto ru-
pto, & irrito Butr. in c. propterea col. 5. de dilat.
Curt. Sen. in Consil. 72. n. 30. Grat. discept. for.
cap. 755. n. 32. & 33.* & quod importet ne-
cessitatem præcisam, *Paris. in addit.* ad *Bar.
in l. nemo potest litt. A. ff. de leg. 1. ex Felin. in
c. pastoralis de excess. Prælat.* imo quod red-
dat actum de iure impossibilem probat
*Sanfel. decis. 195. n. 13. ex Couarr. in c. tua de
testam. n. 2. & alijs;* ergo negatiua prædicta
reddit impossibilem absolutionem de iu-
re, & si de facto detur, est nulla.

Et mirū est quod Suar. *d. sect. 3. n. 5.* diffe-
rentiam sibi constituit (imparem tamen
tanto viro) inter illa verba *nihil posse*, in
personam habentem casus reseruatos, &

nihil

nihil posse in casibus reseruatis; & addit ampliora esse priora, cum tamen, si differrent, prout ipse fatetur, contrarium esset dicendum, quia ista, quæ sunt in Concil. cit. vti indefinita, æquipollent vniuersali iuxta proprietatem indefinitorum *l. si necessarias*
17 *§. si annua ff. de pignor act.* & proinde *Rich. in 4. dist. 17. art. 2. quæst. 8. ad 2. Durand. ibidem q. 15. Adrian. q. 4. de confess. Sot. dist. 18. q. 2. ar. 5. & alÿ* dicunt in casu prædicto non posse inferiorem sacerdotem sacramentaliter absoluere pænitentem, sed debere illum ad superiorem remittere, hancque sententiam idem *Suar. d. sect. 2. n. 3.* dicit esse omninò veram, neque alteram posse cum probabilitate seruari, nisi ad summum in casu necessitatis.

Hanc etiam docet *Hurtad. complut. de pænit. disp. 1 t. diffic. 14. ex Trid. cit. ibi extra articulum mortis nihil posse sacerdotes in casibus reseruatis, videlicet, si ergo sacerdotes inferiores post auditionem reseruatorum possunt ab illis aliquo modo absoluere, iam aliquid possent in casibus reseruatis sibi confessis.*
18 *Adde quod ex contraria opinione sequeretur extra articulum mortis in casu grauis necessitatis, eum qui habet mortalia, & venialia posse confiteri simplici sacerdoti, non approbato, & ab eo generaliter absolui, consequens autem est contra consuetudinem Ecclesiæ: sequela patet, quia simplex sacerdos habet iurisdictionem completam in venialia, ergo auditis mortalibus, & venialibus posset pænitentem absoluere etiam à mortalibus: Vasq. in 3. par. to. 4. q. 91. ar. 3. dub. 9. Turriā. de pænit. disp. 31. dub. 9. & alÿ.*

Quam difficultatem cum antea egerit contra se ipsum *Suar. cit. sect. 3. nu. 9.* varias responsiones attulit, quas nec sibi ipsi satisfacere asseruit, & propterea non est opus illas referre: fixum ergo sit axioma prædictū, non posse inferiorem Confessarium absoluere pęnitenem à casibus reseruatis, sed spectare ad reseruantem, nisi in articulo mortis, quando potest etiam sacerdos simplex iuxta *Trid. d. sess. 14. cap. 7.* vel ex causa probabilis ignorantiæ, quæ excusat pœnitentem, non autem Confessarium, qui peccaret mortaliter, vt supra
19 *n. 4.* vel tandem ex alia necessitate extra articulum mortis, puta si necesse sit communicare, vel sacrum facere, quod nequeat sine graui scandalo, aut infamia omitti, & tali tempore non pateat aditus ad superiorem, potest tunc pænitens, non dico confiteri inferiori, sed conteri, & sacrum facere, vel communicare tāquam qui non habet ea in necessitate copiam Confessarij, vt rectè docent *Rich. Durand. & Adriā. cit.* quod idem *Suard. disp. 31. sect. 2. nu. 3.* vel inuitus fateri in parte videtur. faciunt dicta per *D. Thom. in 4. sentent. dist. 17. qu. 3. art. 3. qu. 4. ad 5.* quem cum alijs ad hoc propositum retuli *supra resol. 2. n. 11.*

Sacramentum.

SVMMARIVM.

1 *Sacramētum in genere varias habet significationes. Aliquando accipitur pro secreto, aliquando pro mysterio, vel signo. n. 2. & 3. Eius definitio num. 4. sicuti, & signi. num. 5.*
6 *Signa sunt in triplici differentia, quæ autem ista sint exemplificatur n. 7.*
8 *Legato fundo Titiano, qui appellabatur Sempronianus, valet legatum: secus si quis legat vestem, putans legare argentum, & è contra.*
9 *Sacramēta sunt signa rememoratiua, demōstratiua, & prognostica. Sed quare fuerint instituta in rebus sensibilibus? n. 10. Eorum numerus quare fuit septenarius, & non maior, aut minor.? n. 11. Singulorū effectus, qui sint? n. 12.*
13 *Matrimonium est necessarium ad bonum publicum, & propterea dos est priuilegiata, & diffusa in toto corpore iuris.*

INTRODVCTIO.

1 Sacramētum alio modo à profanis scriptoribus, alio à sacris sumitur, ab illis pro iuramento, vt *ex Imperat. in auth. Sacramenta puberum C. si adu. vendit. & apud Cicer. 1. offic. ac etiam à Grat. ex D. Ambros.*
2 *in c. 1. & 2. 22. qu. 4.* ab istis verò aliquando pro secreto, vt apud *Tob. c. 12. ibi, etenim Sacramentum Regis abscondere bonum est, & ad Ephes. 1. ibi, vt notum faceret nobis Sa-*
3 *cramentum voluntatis suæ*, aliquando pro mysterio, idest re sacra occulta, vt in *lib. sapient. cap. 2. ibi, & nescierunt sacramenta Dei, & in Epist. 1. ad Timoth. cap. 3. ibi magnum est pietatis Sacramentum Bellarm. de sacram. in genere lib. 2. dist. 3. cap. 1. num. 1.* Aliquando tandem pro signo, quod significat, & facit rem significatam, idem *Belarm. ibidem Nauar. in man. cap. 22. nu. 1.*

& secundum hanc vltimam acceptionem multis modis illud definiunt præfati authores, præcipuè *Nau.d.n.1.ex D. August. in c.sacrificium de consecrat.dist.2.* quod sit sacræ rei signum, sed hanc vti generalem non esse definitionem videtur voluisse *Gl.in d.c.sacrificium v.Sacramentum*, quia eo modo parum, vel nihil differt à mysterio, & talis est propriè definitio imaginis, crucis, & similium signorum. Verum *Sot. in 4.sent.d.1.q.1.a.2.§.satis ergo ex D. Tho. & alijs* magistraliter eam defendere conatur, si res sacra, non quęcumque, sed vt simpliciter sacra vsurpetur, hæc autem vt ipse dicit, est sola gratia sanctificans animam, ex qua signum sacramentale distinguitur à sacrificio missæ, cæterisque rebus sacris, aut aliarum rerum sacrarum signis. Quia verò gratia habitualis, non potest naturaliter ostendi; ideo sacramenta sunt signa ad placitum. Hoc autem soli Deo reseruatur, cum sit in ordine supernaturali, idcircò Sacramenta sunt signa ad placitum Dei, seu Christi Dei hominis, gratiæ sanctificantis. Sed clarius alijs omissis definitur in *Catech.Rom.hoc eod.tit. par.2.cap.1.n.4.* videlicet. Sacramentum est inuisibilis gratiæ visibile signum ad nostram iustificationem institutum.

4

5 Est autem signum ex D. August. *in c.signum de consecr. dist.2.* res, quæ præter speciem, quam sensibus ingerit, aliquid aliud ex se facit in cognitionem venire E. g. ablutio aquæ in baptismo, addita forma, signum est omnem peccati maculam dilui, sic visibilis hostia consecrata, signum est adesse ibi Christum, et dignè recipienti conferre infallibiliter, & inuisibiliter gratiam, & sic de singulis sacramentis, vt in

6 *Catech. cit. n.6.* Signa autem sunt in triplici differentia; alia enim sunt instituta à natura, vt fumus, quo viso cognoscimus adesse ibi ignem, item frequentia pulsus in febricitante, &c. alia sunt instituta à Deo, vt panis azimus, & similes figuræ, quæ pertinebant ad Mosaici cultus cæremonias, & leguntur *in lib. Exod. cap. 12. 15. 18. & 23.* item, & sacramenta, de quibus loquimur, quæ differunt à signis prædictis figuratiuis, institutis solum ad significandum; cum illa sint ad significandum, & efficiendum, vt dictum est, & docet *Belar. cit. n.3.* alia tandem sunt instituta ab hominibus, vt voces scripturæ imagines, cruces, & cæt.

7 Conueniunt tamen signa instituta à Deo significatiua, & efficientia sacramenta, & signa instituta ab hominibus, vel à natura, (licet ista differant inter se, vt postea dicam) quia sicut in illis, variatis verbis formę, sed non substantialiter, conficiuntur sacramenta, actusque est validus, & è contra variatis substantialiter, est inualidus, vt omnibus patet, & dicetur infra resol. 167. n. 10. ita in istis. Etenim si quis le-

8 gauit alicui fundum Titianum, qui appellabatur Sempronianus, licet variatum sit signum, valet legatum, quia variatio est accidētalis *l. si quis in fūdi vocabulo ff. de legat.1.* secus si legauit vestem, putans legare argentum, istud namque signum, vti appositum à natura, est immutabile, substantialisque variatio, & propterea error in isto inualidat actum, vt docet Vlpian. ibidem, ideoque dixi, quod differunt ista signa instituta ab homine ab illis à na-

9 tura. Quodlibet autem Sacramentum non solùm est signum rememoratiuum eius, quod præcessit, st. Passionis Christi, & demonstratiuum eius, quod in nobis efficitur per Christi passionem, st. Gratiæ sed etiam prognosticum, idest prenunciatiuum futuræ gloriæ *D.Thom.3.par.qu.60.art.3.in corp.Catech. Rom.hoc tit.par.2.cap.1.n.12.ex Epist.B.Pauli Apost.ad Roman.cap.6.Belarm. vbi supra n.4.Tolet.lib.2. cap. 15.nu.5.* qui hoc probat ex illa antiphona, quam canit Ecclesia, *O sacrum conuiuium in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius, mens impletur gratia &c.*

10 Sed conuenienter fuerunt instituta Sacramēta in rebus sensibilibus, quia connaturale est homini, vt per sensibilia perueniat ad cognitionem intelligibilium; signū enim, vt dictum fuit, est id, per quod aliquis deuenit in cognitionem alterius, vnde cum res sacræ, quæ per sacramenta significantur, sint quædam spiritualia, & intelligibilia bona, quibus homo sanctificatur, consequens est vt per aliquas res sensibiles, significatio sacramenti impleatur, sicut etiam per similitudinem sensibilium rerum in Diuina scriptura, res spirituales nobis describuntur, & inde est, quod ad sacramenta requiruntur res sensibiles, vt *ex Dion. de cælest. hierar. in c.1. inter medium, & finem probant D.Tho.cit.art.4.in corp.Catech. etiam cit. n.15. Belarm.cap.3.n.1.& 2.* Cum autem vita spiritualis conformitatē aliquam habeat cum vita corporali, sicut

&

& cætera corporalia conformitatem quan-
11 dam spiritualium habent, meritò septem, & non minora, nec plura fuerunt instituta sacramenta; homo enim corporaliter primo generatur, & recipit esse, secundò crescit vsque quo peruenerit ad perfectã quantitatem, & virtutem, tertiò conseruatur in vita per nutritionem, quartò cum infirmatur, sanatur per curationem, quintò restituitur ad pristinam valetudinem per conuenientem dietam, & exercitium, sexto perficitur ad bonum totius communitatis, quando accipit potestatem gubernandi multitudinem, actusque publicos exercendi, & septimò quantum ad naturalem propagationem, in quantum est naturæ officium.
12 Ita pari modo idem homo spiritualiter primò recipit esse spirituale per baptismum, per quem regeneratur, vt in *Epist. ad Titum cap. 3.* secundò confirmationem, in qua recipit robur ex Spiritu Sancto, vt in *c. fin. Luc. ibi, sedete hic, donec induamini virtute ex alto.* tertiò cõseruatur in vita spirituali per Eucharistiã *Io. 6. ibi, nisi manducaueritis carnem filij hominis*, quartò si infirmatur ob peccatorum incursionem, recuperat spiritualem vitam per pænitentiam, quintò ad tollendum reliquias peccatorũ, & eum restituendum ad priorem valetudinem, paratumque reddendum ad gloriam, datur extrema vnctio, sextò ad bonum communitatis recipit ordines sacros, cui etiam septimò prodest per matrimonium, ita *D. Thom. cit. qu. 65. art. 1. in corp.* quam doctrinam *Catech. Rom. loco cit. n. 20. Bellarm. sub eod. tit. cap. 5. n. 11.* & omnes re-
13 petunt. Etenim ad bonum publicum, non solum attinet, sed est necessarium matrimonium, vt repleantur hominibus Ciuitates *l. 1. ff. solut. matrim. l. 2. ff. de iure dot. l. ambiguitates §. tale igitur C. de indic. viduit. toll.* & propterea semper, & vbique præcipua sunt dos, dotisque priuilegia, vt ait *Pompon. in d. l. 1.* imò sunt diffusa in toto corpore iuris, sicut spiritus in toto corpore humano *l. rem in præsenti C. de rei uxor. act.* quibus præcognitis quæro.

Quando cœperint esse Sacramenta, & de differentijs inter vetera, & noua.

SVMMARIVM.

1 *Mundus in triplici statu successiue fuit ante aduentum Christi, nempe Innocentiæ, naturæ, & legis scriptæ.*
2 *Circumcisio initium habuit in Abraham 400. annis ante legem scriptam.*
3 *Lex naturalis, & scripta non cessarunt per aduentum Christi, vt putauit Bonac.*
4 *Sacramenta non fuerunt in statu innocentiæ, sed an in statu naturæ n. 6. vel legis scriptæ? num. 9. & quid de matrimonio. num. 5.*
7 *Legis naturalis tempore homines saluabantur ex fidei protestatione, iuncta cum attritione, si deficiebat contritio, & n. 8.*
10 *Sacramenta veteris, & nouæ legis in multis differunt.*

Resolutio CLXV.

1 PRæmittendum est, ante aduentum Domini nostri Iesu Christi triplicem statum assignari posse, primus dicitur innocentiæ, in qua fuit creatus Adam cum iustitia originali, secundus naturæ, quando solũ vigebat lex naturalis, hominum mentibus impressa, de qua canit Dauid *in psalmo 4. Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*, quæ sola durauit vsque ad Moys. quando eã permanente, fuit addita lex scripta, eidem Moysi tradita à Deo *Exod. 20. deuteron. 5. & alibi*, licet cir-
2 cũcisio fuisset ordinata Abrahamo 400. annis ante prædictam legem, vt colligitur *ex Genesi cap. 17. & Io. cap. 7.* cuius rationem assignat *D. Thom. par. 3. q. 70. ar. 2. ad 2. & 4.*
3 Istas autem leges durasse vsque ad aduentum Christi tradit *Bonac. de Sacram. in genere tom. 1. disp. 1. q. 1. pun. 3. n. 1.* sed non rectè, lex n. naturalis adhuc hodie perseuerat, sicut & lex scripta; scimus namque præcepta Decalogi, & alia similia tradita Moysi, & Propheris ante aduentum Christi, etiam hodie nos obligare, aliàs gratis dixisset *Christus apud Matth. cap. 5. non veni soluere legem, aut Prophetas, sed adimplere*; non negatur tamen multas cæremonias legis prædictæ scriptæ cessasse, seu in desuetudinem abijsse post aduentum eius.
4 Discurrendo nunc per singulos status prædictos, certum est in primo statu non

 fuisse

fuisse sacramenta; ratio (ait *D.Tho.3.par.q.61.art.2.in corp.*) accipi potest ex rectitudine status illius, in quo superiora inferioribus dominabantur, & nullo modo dependebant ab eis; sicut enim mens suberat Deo, ita menti suberant inferiores animæ vires, & ipsi animæ, corpus; Contra hunc autem ordinem esset, si anima perficeretur, vel quantum ad scientiam, vel quantum ad gratiam per aliquid corporale, quod fit in sacramentis, & ideò in statu innocentiæ homo sacramentis non indigebat; non solùm in quantum sacramenta ordinantur ad remedium peccati, sed etiam in quantum ordinantur ad animæ perfectionem, vt latius de breuissimo illo tempore discurrunt *Suar. ad D. Thom. cit. disp.3. sect.3. Nugn. Coninck. aliique apud Angles q.2.ar.2. & Filliuc tract. 1.c.3.qu.3.*

5 licet autem in eo statu fuerit matrimoniū, vt in *Genes. c.2.* quod appellatur sacramētum *ab Apost. cap.5. ad Ephes.* tamen respondet *idem Sanctus ibidem ad 3.* fuisse tunc institutum matrimonium, non secundum quod est sacramentum, sed secundū quod est in officium naturæ, imò & fuisse tunc figuram futuræ incarnationis docent *Henriq. lib.1.c.5.n.1. Suar. cit. vers. solū, & alij.* Vnde idem Suar. benè obseruat D. Pauli verba, qui non vniuersaliter, sed appositè dixit matrimonium esse magnum sacramentum in Christo, & Ecclesia, denotando Christi incarnationem.

6 In statu verò naturæ fuisse aliqua sacramēta tradunt Valēt. & alij apud *Bonac. cit. n.3.* ea ratione, ait iste, quia non est credibile, Deum, qui vult omnes homines saluos fieri, illos reliquisse in eo statu sine remedio, quo saluari possent, & hoc remedium fuisse sacramenta, sed hoc tutum non videtur; dum enim in d. statu nulla lex aderat, nisi sola naturalis, quæ vt ait *D.Tho.1.2.q.100.art.1.* non addiscitur, sed ex naturali instinctu habetur, quia infun-
7 ditur à Deo, consequens est etiam ex eodē instinctu homines per contritionem Deo satisfecisse de peccatis suis, vel per attritionem cum protestatione fidei, vt dicunt aliqui apud *Suar. to.3. disp.10. sect.3. nu.2.* eadem namque lex naturalis, quæ dictabat Deum per peccatum offendi, dictabat etiam per pœnitentiam placari, et hęc poterat esse sufficiens remedium ad ea tollenda; hinc *D.Thom.3.par.q.70. art. 4. ad 2. ait, quod sicut ante institutionem circumcisionis sola fides Christi futuri iustificabat tam pueros, quàm adultos, ita etiam, & circumcisione data, sed antea non requirebatur aliquod signum protestatiuum huius fidei, quia nondū homines fideles seorsum ab infidelibus caperant adunari ad cultum vnius Dei, probabile tamen est, quod Parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo existentibus aliquas preces Deo funderent, vel aliquam benedictionem eis adhiberent (quod erat quoddam signaculum fidei) sicuti adulti pro se ipsis preces, & sacrificia offerebant.*

Si enim eo tempore adfuissent sacramenta, haberetur de illis aliqua notitia in Sac. Scriptura, & in quibus constitissēt, vt ait *Belarm. lib.2. hoc tit. cap.2. num.3.* sicuti eam habemus in lege scripta, vt modo dicemus, & illam protestationem fidei à Parentibus factam, qua protestabantur omnes homines saluandos fore per Christi aduentum in remedium paruulorum, quam contendit *Bonac. to.1. disp.1. qu.1. pun. 3. n.7. hoc tit.* fuisse sacramentum illius tēporis, hoc dicitur de circumcisione, quæ fuit in lege scripta, (licet antea etiam ordinata, vt dictum est supra *n.2.*) quo in actu fiebat ista protestatio teste eodem *Be-*
8 *lar. ibid. n.1. & 2.* Quamuis autē fatear hanc protestationem fuisse etiam in vsu in statu naturæ, non per hoc sequitur istam protestationem fuisse Sacramentum; quæ consistebat in eo, quod Adultus, qui circumcidebatur, profitebatur se suscipere talem fidem pro se, vel pro alijs paruulis, qui circumcidebantur *Tabie. in summa v. circūcisio n.5.* & proinde *Suar. tom.3. hoc tit. disp. 10. sect.3. in princ.* tenet eo tempore non fuisse sacramenta præter circumcisionem, quæ fuit in remedium originalis peccati; hæc tamen per modum transeuntis dicta sint, quia nec modo, nec vnquam intendo contradicere *D.Thom. qui in 4. sent. dist.1. q.1. art.2. quæstiunc.3.* ait sacrificia, decimas, oblationes, & huiusmodi, quæ illo tempore seruabantur, fuisse sacramenta, licet minus propriè, vt ait *Magist. ibid.*

9 In statu autem legis scriptæ fuisse sacramenta non dubitatur, quæ fuerunt circumcisio prius etiam in vsu, vt supra, agnus paschalis, panis propositionis, & alia, quæ leguntur in *Genesi cap.17. Exod. cap.12. & alibi*, quæ correspondere sacramentis nouæ legis testatur *D.Tho.1.2. qu. 102. art.5. ad 3.* veluti circumcisioni baptismum, qui est fidei sacramentum, vnde dici-

dicitur *ad Colos. 2. circumcisi estis in circumcisione Domini nostri Iesu Christi, consepulti ei in baptismo*; Conuiuio Agni Paschalis, sacramentum Eucharistiæ; omnibus purificationibus veteris legis, Sacramentum pœnitentiæ; consecrationi Pontificis, & sacerdotum, sacramentum ordinis, matrimonium autem fuisse in veteri lege in officium naturæ, vt supra dixi, non autem prout sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ non dum erat facta, aduertit idem Sanctus ibidem, vbi prosequitur comparationem aliorum sacramentorum.

10 Differunt tamen multis modis sacramenta vetera, & noua, circumcisio enim erat dolorosa, non sic baptismus, qui successit in locum illius, secundò illa fuerunt sicut vmbræ, seu figuræ istorum, tertiò illa conferebant gratiam ex opere operantis, non autem ex opere operato, sicut ista iuxta expositionem *Suar. tom 3. disp.* 10. §. *dico primo*, (de quibus me remitto ad dicenda infra *resol. seq. n. 2. & 3.*) vnde significabant gratiã, non tamen eam efficiebant ex vi Sacramenti, saltem adeo copiosam, sicut ista, & successiuè Christum venturũ, ista verò venisse. Vnde à *D. Paulo ad Gal.* 4. appellantur elementa vacua, egena, & nullius roboris iuxta eundem Suar. citat. quartò illa non poterant aperire Cœlũ, & plenè iustificare, ista verò facere verum ij possunt, quintò illa non habebant determinatam formam verborum, sicuti ista; sextò, & vltimò non faciebant illa de attrito contritum, sicuti ista *Belar. de sacram. in genere lib. 2. dist. 3. cap. 2. n. 3. ex D. Tho. 3. par. q. 62. ar. 6 & Catech. Rom. eod. tit. n. 17. & 23. Bonac. cit. num 13. vnde in Trid. sess. 7. can. 2. de sacram. in genere.* dicitur anathema esse eum, qui dixerit sacramenta nouæ legis à veteribus non differre.

An per circumcisionem delebantur olim peccatum originale, & actualia, sicuti hodie per baptismum in eius locum subrogatum, & num conferebatur gratia; item quomodo saluabantur feminæ, quæ non poterant circumcidi, & num tandem circumcisio erat necessaria necessitate medij, seu Sacramenti, vel præcepti?

SVMMARIVM.

1 *Circumcisio delebat peccatum originale, & per eam conferebatur gratia quo ad omnes gratiæ effectus (licet aliqui id negauerint) aliter tamen, quam per baptismum n. 2. 3. & 4.*

5 *Feminæ nõ poterant circumcidi, ideo quæritur antequã fuisset institutus baptismus, quomodo saluabantur?*

6 *Circumcisio non obligabat, nisi descendentes ab Abrahamo, sed poterant alij eam adhibere, si vellent. Fuit necessaria adultis necessitate præcepti, non sacramẽti, infantibus verò ante rationis vsum morientibus nullo modo n. 7.*

8 *Necessarium necessitate medij, seu sacramenti, vel præcepti quomodo differant inter se? exemplificatur vtrumque n. 9.*

Resolutio CLXVI.

1 AD primum respondet *D. Tho. par. 3. q. 70 art. 4. in corp.* communem esse sententiam, quod originale remittebatur, aliquos autem dixisse, quod non conferebatur gratia, sed tantũm tollebatur originale, quod meritò reijcit Sanctus, quia culpa non remittitur, nisi per gratiam, vt probat *Apost. in Epist. ad Rom. cap. 3. ibi iustificati gratis per gratiam*; alios etiam dixisse, quod conferebatur gratia, quantum ad effectus remissionis culpæ, sed nõ quãtũ ad effectus positiuos gratiæ, quos etiam reijcit Sanctus, quia per circumcisionem dabitur pueris facultas suo tempore perueniendi ad gloriam, quæ est vltimus effectus positiuus gratiæ, sed per alias rationes, relatis etiam, & reiectis alijs similibus opinionibus, ipse residet in ea, quod

2 in circũcisione conferebatur gratia, quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamẽ, quam in baptismo, nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet, in quantum est instrumentũ Passionis Christi iam perfectæ; in circumcisione autem conferebatur gratia; non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei Passionis Christi, cuius signum erat circũcisio, ita sc. quod homo qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro paruulis.

3 Preterea baptismus imprimit characterem

ctere incorporátem hominē Christo, gratiamquè copiosiorem confert, quàm circumcisio, maior n. est effectus rei iā præsentis, quàm spei; item statim aperit hodie baptismus ianuam cælestis Regni, quod non faciebat tunc, nec poterat facere circumcisio ob passionem Christi non seeutam, quia, vt ait idem Sanctus loco citat. ad 4. in circumcisione auferebatur originale peccatum ex parte personæ circumcisæ, remanebat tamen impedimentum intrandi in Regnum Cælorum. ex parte totius naturæ, quod fuit sublatum per passionem Christi, & ideò etiam baptismus ante passionem Christi, non introducebat in Regnum; sed & circumcisio, si haberet locum post passionem Christi, introducéret in Regnum, si modo non adesset aliquod peccatum actuale, quia circūcisio non tollebat omnem reatum pœnæ, sicut baptismus, vt explicat Sanct. cit. ad 5.

4 In adultis ergò, si peccatis actualibus tenebantur, requirebatur in circumcisione attritio, sicuti in baptismo; vt suo loco dictum est, & docet *Henriq. lib. 1. cap. 5. n. 5. litt. E. vbi cæteri.* tollebantur etiam actualia quo ad omnem culpam, sed non quoad omnem pœnam, vtrumque eñ tollitur in baptismo; *D. Thom. in 4. dist. 1. qu. 2. art. 4. Henriq. cit.* ratio est, quia dum per circumcisionem tollebatur originale, quod est mortale, consequenter tollebantur etiam actualia, quia non potest vnum mortale sine alio auferri, vt notum est, & docet idem *D. Thom. 3. par. q. 86. ar. 3.*

5 Ad secundum respondetur, pro feminis perseuerasse vsque ad aduētum Christi, qui instituit baptismum, illud idem remedium, quod erat in statu legis naturalis, protestationem st. fidei, sicuti dixi in resol. antecedenti n. 6. & sicuti etiam seruabatur pro pueris moriētibus ante 8. diē, tunc n. non poterat circumcisio præueniri, sed bene postponi, cuius præuentionis impeditæ rationes vanas assignat noster Sanctus *ead. q. art. 3. ad 3. & art. 4. ad 3.* vbi etiam testatur pueros incircumcisos, & mortuos ante 8. diem, tunc saluatos fuisse eum sola fidei protestatione parentum pro eis, idemque processisse pro feminis, si tamen adultæ erant, tenebantur actum fidei explere, & de peccatis actualibus atteri *Henriq. cit. alijque recentiores apud Bonac. hoc tit. disp. 1. qu. 1. pun. 3. num. 7.* quod eodem modo seruabatur in alijs aliarum natio-

6 num; nam descendentes tantùm ab Abrahamò ad circumcisionē tenebātur, vt notant idem *Henriq. ibidem cap. 6. nu. 3. Nugn. q. 70. art. 2. conclus. 2. Pitigian. dist. 1. q. 6. ar. 6.* dicet alij etiam potuerint circumcidi, vt percipitur *ex cap. 17. Genes. ibi tam empticius, quàm vernaculus circumcidetur, & quicumque non fuerit de stirpe vestra, & cæt.*

7 Ad 3. respondetur circumcisionem fuisse necessariam adultis necessitate præcepti tantū, vt colligitur ex *eod. cap. 17. ibi masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo, quia pactum meum irritum fecit &c.* & docet *D. Thom. d. q. 70. art. 3. ad 3.* vnde cum in deserto populus non fuerit circumcisus non per hoc fuerunt damnati, quia tunc non vrgebat præceptum iux *Gl. in c. sed & illud 26. quæst. 2. & Sanct. cit. art. 4. ad 3.* paruulis verò non fuisse necessariam necessitate præcepti, quia infantes ante rationis vsum non sunt capaces præcepti, nec fuisse necessariam necessitate medij, quia vt modo diximus, si moriebantur ante 8. diem saluabantur. Illud autem (tyronum gratia) dicitur necessarium necessitate medij, seu sacramenti, (quod idem est) quo prætermisso etiam ex ignorantia, obliuione, aut quacunque causa, salus non contingit: illud verò necessitate præcepti, quod oblata opportunitate, necessariò præstandum est ad salutē obtinendam, vndè si omittatur ex ignorantia inuincibili, vel impotentia, aut obliuione, non propterea impeditur Gloriæ consecutio, vt percipitur ex *D. Tho. d. qu. 70. art. 3. ad 3.*

9 Exempli gratia baptismus est necessarius necessitate sacramenti, vel in re, vel in voto in casu necessitatis, vt latiùs supra v. baptismus dictū est; si ergo ex quacumque causa prætermittitur, salus non obtinetur, vt in Euangelio Ioan. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spir. Sancto non poterit introire in Regnum Dei.* Eucharistiæ sumptio saltem semel in anno, & in articulo mortis, est de necessitate præcepti ex *c. omnis de pœnit. & remiss.* Sed si omittatur ex impotentia, aut alia ex prædictis causis, non propterea salus non contingit, vt etiam suo loco dictū est.

Verum

Vtrum omnia sacramenta constẽt materia, & forma, an Ecclesia possit eas substantialiter, vel saltem accidentaliter mutare, & an mortale committatur, si minister vtatur materia, vel forma dubijs, coque in casu quid agendum?

SVMMARIVM.

1 *Sacramenta omnia nouæ legis constant mamateria, & forma, sicut omnia composita, non tamen omnino physica, sed per quamdam similitudinem ad ea.*

2 *Materia partis, forma partis, & materiale, seu materia totius, & formale, seu forma totius differunt, & n. 3.*

5 *Sacramentorũ omnium materiæ, tàm remotæ, quàm proximæ quæ sint? num. 7. & quid si istæ mutentur substantialiter, vel accidentaliter. n.8. cum mult. seq.*

6 *Forma omnium sacramentorum nouæ legis sunt verba. quid si ista transponantur, vel corrumpantur, aut deprauentur, vel sint æquiuoca? quid si sint materia, vel forma dubiæ? n.18. & seq.*

12 *Particulæ (ego) & (enim) tàm in sacramentis baptismi, & pænitentiæ, quàm Eucharistiæ non sunt de substantia, sed an sit mortalis earum omissio?*

13 *Forma baptismi cepta, & non completa per mortis præuentionem pueri, vel sacerdotis, an valeat baptismus?*

16 *Stipulatio an, & quando valeat actu extraneo intermedio?*

17 *Testamentum an, & quando valeat, si eius contextura interrumpatur per naturalem necessitatis actum testatoris, vel alicuius ex testibus?*

23 *Aquæ omissio, vel consecratio in pane fermentato in* Ecclesia Latina, *est mortale, sicuti etiam baptizare in brodio seclusa necessitate, vel confirmare cum oleo benedicto tantùm, dum est copia Chrismatis.*

25 *Baptismus factus in nomine Christi vtrum sit validus? & nu.26.*

27 *Sacramenta iterantes, quæ non sunt iterabilia, vt baptismus, confirmatio, & ordo, sacrilegium committunt, & sunt irregulares, sed quid si iterentur sub conditione? vel cognoscatur non fuisse formam rectè prolatam? n.28.*

Resolutio CLXVII.

1 AD primum respondetur cum *D. Tho. par.3.q.60.art.6.ad 2.& art.7.in cor.* in omnibus sacramentis requiri res sensibiles, quæ se habent sicut materia, & determinata verba, quæ se habent vt forma; quod procedit etiam in omnibus compositis; omnia enim constant sua materia, & forma, & consequenter cum sacramenta, sint quædam composita (non tamen omnino physica, sed per quamdam similitudinem ad ea iuxta *Regin. lib.26. nu. 12.*) constant materia, & forma, quam assertionem probari ex communi consensu Theologorum omnium testatur *Suar. sup.3. par. D.Thom.to.3. disp.2. sect 1. §.dico tertio.*

2 Sicuti in composito artificiali addit *Bonac.to.1.disp.1.q.2. pun.1.n.1. hoc tit.* præter materiam partis, & formam partis, reperitur materia totius, quę compræhendit materiam partis, & formam partis, & dicitur materiale; & præterea reperitur formale, quod dicitur forma totius, adducit exempla scamni, & nauis, quæ sunt composita quædam artificialia, in quibus reperitur materiale, & formale: materiale scamni, seu materia totius, sunt ligna, quæ constãt sua materia, & forma partialibus, formale vero, seu forma totius, est aptitudo ad sedendũ, quæ resultat ex lignis artificiosè dispositis; materiale scamni duo includit materiã st. partis, & formam partis, materia partis est illa, ex qua compositum est lignum, quæ dicitur materia prima; forma verò partis est forma ligni, quæ constituit lignum in esse ligni, quod idem proportionabiliter asseritur de naui. Ita
3 quoque (addit num. 2.) res se habet in sacramentis, in quibus reperirur materiale, & formale; materiale cuiuslibet sacramenti continet materiam partis, & formã partis; formale verò continet formam totius; dat exemplum in baptismo, cuius materiale dicit consistere in ablutione aquæ, quæ est eius materia proxima, & in præscripta verborum forma (ego te baptizo in nomine Patris, &c.) quæ dicitur forma partis; formale verò, esse, quod resultat ex ablutione aquæ, & prędicta verborum forma, & hoc esse significatiuum gratiæ, illamque conferre, & tandem concludit materiale baptismi continere materiam

par-

partis, & formam partis, vnde sequatur materiam partis, & materiale non esse idẽ citat Suar. vbi sup. Coninc. Vasq. & Filliuc.

4 Verum quicquid sit de rebus artificialibus iuxta exempla per eum adducta; hęc non sunt omnino applicabilia sacramentis, nec vllus ex DD. per eum cit. hoc dicit; Suar. enim *d.§.fin.* cui cæteri conformantur, ponit exemplum domus, quæ constat ex solo, parietibus, & tecto, quarũ partium vnaquæque constat, ex materia, & forma, ipsæque partes cum suis materijs, & formis partialibus componunt totam domum, sic in proposito materia baptismi est aqua, & forma, (Ego te baptizo in nomine Patris, &c.) ista materia, & forma, vti partes integrales, componunt sacramentum, quod confert gratiam, non autem quod materiale baptismi, contineat materiam partis, & formã partis, & quod resultat ex materia partis, & forma partis, sit formale, vt dicit Bonac. d.n. 1. circa finẽ, quia hoc modo non esset differentia inter materiam, & formam, quod est falsissimum.

Et proinde dicendum est cum D. *Tho. in 3. par. q. 60. art. 6. ad 2. & Suar. cit. sect. 2.* §. 1. quod ex rebus, & verbis fit quodammodo vnum in Sacramentis, sicuti ex materia, & forma tamquam ex partibus, quibus illa componuntur; qua de re pro maiori declaratione, in baptismo materia

5 remota est aqua, in confirmatione Chrisma cum oleo, & balsamo, in Eucharistia est panis frumenti, & vinum, in pœnitentia sunt peccata, in extrema vnctione oleum benedictum, in ordinatione sacerdotali (omissis alijs ordinibus sacris, & non sacris vti notis) est calix cum vino, & patena cum hostia; in matrimonio tandem sunt ipsæ personæ contrahentes; materia verò proxima in baptismo est ablutio; in confirmatione, & extrema vnctione vnctio; in Eucharistia sunt species panis, & vini; in pœnitentia actus pœnitentis, in ordinatione sacerdotali est porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia, in matrimonio sunt corpora coniugum mutuo tradenda, iuxta DD. supra *ref.* 107. *n.* 3. quibus adde *D. Tho. in 4. dist. 26. q. 2. art. 1. ad 2.* vbi docet materiam esse actus coniugum sensui subiectos, & *D. Ant. 3. p. tit. 1. c. 2. ante* §. 1. nõ negando probabilitatem alterius sententię ex alijs per Dia. ibi cit. quam idem Layman. ibidem relatus dicit *num. 4. in fine* sibi non displicere.

6 Forma verò omnium sacramentorum sunt verba secundum *D. August. tract. 80. in Ioannem post medium tom. 9. relatum ab eod. D. Tho. cit. art. 4. in corp. ibi accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*, qui postea *in art. 7. in corp. subdit, videlicet in sacramentis verba se habent per modum formæ, res autem sensibiles per modum materiæ; In omnibus autem compositis ex materia, & forma principium determinationis, est ex parte formæ, quæ est quodammodo finis, & terminus materiæ, & ideò principalius requiritur adesse rei determinata forma, quàm determinata materia. Materia enim determinata requiritur, vt sit proportionata determinatæ formæ; cum igitur in sacramentis requirantur determinatæ res sensibiles, quæ se habent in sacramentis, sicut materia, multò magis requiritur in eis determinata forma verborũ.*

7 Licet autem dubitari posset in sacramento pœnitentiæ non adesse materiam, cum actus pęnitentis, quos dixi esse materiam, consistant in verbis, sicut absolutio, quæ est forma, quo argumento conuictus *Durand. in 4. dist. 1. q. 3.* dixit hoc sacramẽtum non consistere in rebus, & verbis; respondet tamen *Suar. cit. d. sect. 1. n. 3. ex eod. D. Thom.* appellatione rei, non intelligi solùm substantiam sensibilem, sed quamlibet actionem sensibilem, quæ verbis supponatur, & proinde actus contritionis, confessionis, & satisfactionis esse materiã.

8 Ad secundum respondetur negatiuè per eundem *Suar. tom. 3. disp. 2. sect. 6. nu. 3. Coninck. q. 60. a. 6. n. 42.* ea ratione, quia materia, & forma sacramentorum sunt determinatæ à Christo, sed Ecclesia non est ipso superior, qui est caput Ecclesiæ, ergo. Contra verò sic arguit *Bonac. eod. tit. to. 1. disp. 1. q. 2. pun. 1. sub n.* 11. Ecclesia statuit, vt matrimonium non celebratum coram Parocho, & duobus testibus sit inualidũ *Trid. cap. 1. sess. 24. de refor. matrim.* sed matrimonium ex diuina institutione perficitur solo consensu *c. sufficiat 27. q. 2. Magist. sentent. in 4. dist. 27. §. efficiens vbi D. Tho. q. 1. ar. 2.* ergo dum non obstante consensu, matrimonium ex ordinatione Ecclesiæ non valet absque præsentia Parochi, & testium, signum est ipsam Ecclesiam mutasse materiam, & formam.

9 Et respondet idem Bonac. hoc esse particulare in sacramento matrimonij, cum sit contractus, & materia, & forma in genere

re contractus sint à Christo eleuata ad esse Sacramenti; ideoque cum ad publicum bonum conseruandum possit Papa legitimum consensum, qui est forma contractus alterare, potest etiam in matrimonio idem consequenter statuere. Imo roboratur argumentum, quia non solùm in matrimonio clandestino, sed quod rem hanc intimius tangit, in consensu conditionali sub conditione impossibili, spreta conditione mutauit materiam in puram, vt in *c.fin.de condit. appos.* & declarauit matrimonium validum, et si conditio non impleretur; quare vltra Bon. dicunt etiam alij speciale esse in hoc sacramento, vt Pontifex potestatem mutandi habeat, quia contractus. Quod tamen non tollit difficultatem, quia non est purus contractus, sed magis consideratur vti sacramentum, vt dictum est supra *resol.92. nu. 26.* & proinde vti tale sumptum concederetur Ecclesiam mutasse, quod Christus mandauit.

Respondet secundò Ecclesiã nõ mutare materiã, sed solùm reddere contrahentes impotentes ad ponendam veram formam, & materiam, nisi seruauerint conditiones prescriptas ab ea, quod nec satisfacit, quia cum materia in hoc casu sit naturalis, nequit impediri; fortius n. & antiquius est ius naturale iure positiuo, vt latè dictum est supra *resol.19.* propterea dicendum est Ecclesiam non mutasse materiam, siquidẽ tunc diceretur mutare, quando loco corporum, mutuo tradẽdorum, vel solius cõsensus secundum alios iuxta dicta *sup.n.5. in fine*, substitueret aliã materiam, quod nõ fecit, nec facere poterat, cum nequeat impedire consensum, vel corpora mutuo tradenda, quæ sunt de iure naturali *l.1. ff. de pact. Sanch. de matrim.lib.7. disp.68. num.6.* sed tantùm addidit circumstantiam, vt st. in contractu matrimonij interueniat cum testibus Parochus (cuius verba neque sũt necessaria, vt *in res.seq.n.11.*) eadem materia, & forma permanentibus, & hoc ad bonum finem, ne st. clandestinè quis coniugiũ contrahendo, ad alia postea conuolaret, & in peccato maneret, vt in eodẽ Trid. cit. declaratur, & istud voluit in effectu dicere *Suar.d.n.3.circa finem*, licet nõ sic se declaret, circa verò statuta in *d.c.fin.* neque potest dici mutatio materiæ, sed potius interpretatio mentis contrahentium, vt docent scribentes ibidem.

10 Quod tamen dixi non posse mutari formam Sacramentorum, intellige substãtialiter, quando st. variatur sensus, & significatio formę, quia si variatio sit tantũ accidentalis, non impeditur confectio sacramentorom *c.retulerunt de consecr. dist.4.* accidentia enim non mutant substantiam rei *Suar.cit.sect.4.n.3.* quod tunc fit, quando in eodem idiomate adhibetur verbum Synonimum, aut verbum alterius linguæ idem significans, vel alijs modis, vt infra, nisi sacerdos per talem accidentalem mutationem nouum ritum inducere intenderet *D.Thom.3.par.q.60.art.8.in corp.* in ratione, quia qui vult introducere ritum ecclesiasticæ traditioni contrarium, non intendit facere quod facit Ecclesia *Suar. vbi supra sect.5. n.4.Sot. in 4.dist.1.q.1. art. 8.Henriq. lib.1.cap.9. n.13.& alij.* licet au-

11 tem hoc nollet, sed sequi, & amplecti quod eadem Ecclesia statuit, adhuc peccaret grauiter secundum *Tol. lib.2. cap.19. nu. 3.* si consulto verba formæ aliquorum sacramentorum, quamuis accidentaliter mutaret, sed illa conficeret, vt de forma baptismi ibidem testatur, & de Eucharistiæ forma, & alijs, suis locis dictum est, quæ quidem mutatio pro maiori declaratione sex modis contingere potest iuxta eundem *Tolet. nu.4* nempe subtractione verborum, additione, variatione, transpositione, corruptione, interruptione, quæ subscriptis versibus continentur, & vide cit. Sotum, ex quo desumuntur.

Nil formæ demas, nil ponas, nil varia- bis,
Trasmutare caue, corrumpere verba, morari.

12 De prima ergo mutatione, quæ est subtractio, si quis baptizando dicat, baptizo te in nomine Patris, & cæt. absque (Ego) ait *D.Tho.par.3.q.66.art.5.ad* 1. validum esse baptismum, quia illa particula (Ego) non est de substantia formæ, sed ponitur ad maiorem expressionem; hoc idem docent *Glos. in c. 1. v.ego te baptizo de bapt. Tabi. v.baptismus 3.n.2.Tolet.cit.* qui addit peccare grauiter eam particulam omittẽtem, secus si omitteret amen. Ego verò non puto peccare mortaliter, sed tantùm venialiter, si omittat sine causa, non enim hoc prætermisissent aduertere isti magni DD. si tale esset, & *Suar.d.disp.2.§.penult.* ait nequidem in absolutione sacramentali esse de substantia,) vt ex eodem, & alijs dictum etiam est *supra v. absoluere nu. 2.*)

neque in conficiendo Eucharistiæ sacramento omissionem in formæ prolatione illius particulæ (enim) & addit *Bonac. hoc tit. disp. 1. q. 2. pun. 1. n. 19. ex Soto, Henriq. & Valent.* neque esse mortale; sed *D. Thom. cit. q. 60. art. 8. in corp.* non aperit si sit mortale, vel veniale, quando dicta particula (enim) omittitur per negligentiam, vel cõtẽptũ, de quo dubitat, nec immeritò Sotus cit. cum sit continuatiua sacræ actionis. Reliqua verò verba formæ baptismi omnia, & singula sunt de substantia; inualidus enim esset baptismus omissa particula (baptizo) vel (te) vel personis Trinitatis, vt legitur apud DD. cit. & nos supra

13 de baptismo, quod si vna persona nominata, puta dicto in nomine Patris, puer vel sacerdos moreretur, tunc creditur quod inuisibilis sacerdos Christus suppleret defectum, vt ex *D. Ambros.* dicit *D. Th. in 4. dist. 3. q. 1. ar. 2. quæstiunc. 3. ad 4. sequitur Tab. v. baptismus 3. nu. 18. in fine*, quod tamen piè potest sperari, sed contrarium videtur securius, eo magis quod D. Tho. non affirmatiuè, sed dubitatiuè loquitur.

14 Secundo mutatio accidere potest per additionem, quo circa est distinguendum, aut enim additur aliquod fidei contrariũ, e. g. baptizo te in nomine Patris maioris, & filij minoris, & non valet, sicuti etiam si diceretur in nomine Patris, & filij, & Spiritus Sancti, & Beatæ Mariæ, nisi nomen Virginis addatur deuotionis causa, non quod ex virtute ipsius Virginis baptismus efficaciam habeat, sicut habet ex virtute Trinitatis, sed vt eius intercessio baptizato proficiat ad salutem, nempe si dicatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, & per intercessionem B. Virginis Mariæ, alioquin, vt in modo superius exposito demonstraret mutationem substantialem, nec valeret baptismus, vt dictum est in nomine Dei Patris maioris, &c. *D. Tho. in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiunc. 3. in corp. & part. 3. q. 60. art. 8. in corp. Tolet. lib. 2. cap. 19. n. 6. Tab. v. baptismus 3. num. 18. Suar. cit. §. quinta mutatio.* Sed validus est

15 baptismus si quis diceret in nomine Patris, qui te creauit, Filij qui te redemit, &c. aut alia similia verba adderet, dummodo non tollatur significatio verborum formæ, *idem Sanctus cit. quæstiunc. 4. in corp. Tabie. Tolet. & Suar. loc. cit. Bonac. vbi supra nu. 18.* quod tamen est intelligendum, dummodo additio sit breuis, secus si quis diceret in nomine Patris, & interponendo longam fabulam, postea subderet, & Filij, & Spiritus Sancti, vt ait *Sanct. d. quæstiunc. 4. ad 1.*

16 Quod etiam iure consultorum authoritate comprobatur; etenim in stipulatione si inter interrogationem, & promissionem longus actus extraneus interueniat, inutilis est stipulatio *l. continuus de verb. obligat.* Secus si actus extraneus interpositus, sit breuis, vt puta si stipulator dixerit promittis mihi centum, & promissor respondeat arma virumque cano, spondeo *l. qua extrinsecus 65. ff. eod. tit.* vel aliquod momentum naturę *d. l. continuus*, quod Glos. ibidem declarat, quando quis resumit anhelitum, vel screat, aut emungit, & postea respondet stipulanti, *promitto*, etiam valet stipulatio, cui concordat *D. Tho. cit. ibi. Si autem ita fiat parua interruptio, vel verbi non corrumpentis formam, vt si dicatur in nomine Patris omnipotentis, aut silentij, aut tussis, vel alicuius huiusmodi, quod intentionem non discontinuet.* Idem procedit in

17 testamentis, vt declarat Imperator *in l. cum antiquitas iuncto §. & siquidem C. de testam. videlicet, & si quidem à testatore aliquid fiat testibus paulisper separatis, cum coram his facere aliquid naturale testator erubescat, iterum introductis testibus, consequentiam factionis testamenti procedere, si tamen in quemdam, vel quosdam testium aliquod tale contingat, siquidem ex breui temporis internallo necessitas potest trãsire, iterum eorumdem testium recursum expectari, & solemnia peragi sancimus; sin autem longiore spatio refectio fortuitis casus indiget, & maximè si salus testatoris periclitantis immineat, tunc illo, vel illis testibus, circa quos aliquod tale eueniet separatis, alios subrogari, & ab eo, vel ab eis tàm testatorem, quàm alios testes siscitari, si ea, quæ eorum præsentiam antecedunt, omnia coram his processissent.*

18 Tertiò contingere potest mutatio formæ per variationem verborum; Etenim quãtum ad idioma non impeditur forma, si Hyspano, vel Germano, vel Italico, vel quouis idiomate dicatur, dummodo idem retineatur sensus *Suar. cit. nu. 5.* in baptismo tamen solemni omnes latini, latino sermone vti debent secundum *Tol. n. 7.* verum nõ licere latinis in forma Græcorum baptizare, & si ita præsumerent, secũdum quosdam

dam non esse baptismum, secũdum quosdam autem esse, sed grauiter peccare docet *D. Thom. in 4. dist. 3. q. 1. ar. 2. quæst. 2. ad 1. sed in 3. par. q. 60. art. 7. ad* 1. dicit, cuiuscumque linguæ verbis proferatur talis sensus, perficitur Sacramentum; Quod planum est de iure ciuili, nihil enim interest, an quis in stipulatione interroget græcè & respondeatur latinè, vel contra, vel quocumque alio idiomate, dummodo vterque alterius linguã intelligat *l. 1. §. fin. de verb. obligat, & §. in hac re instit. eod. tit.* eodem modo valet baptismus, si adhibeantur verba synonima v. g. loco verbi (baptizo) dicatur abluo, vel immergo, vel lauo, aut tergo, aut si mutetur singulare in plurale; vt solent Episcopi loco (baptizo) dicere (baptizamus) & loco (te) dicere vos *Tol. d. n. 7. Suar. cit. §. atque ex dictis, & Bonac. num. 24.*

19 Quartò per transpositionem, vt si quis dicat in nomine Patris ego te baptizo, & Filij, & Spiritus Sancti, vel è conuerso in nomine filij, Ego te baptizo, & Patris, & Spirit. Sãct. si non intendit errorẽ inducere contra fidem, baptismus est, quia manet idem sensus formæ, sed peccare eum qui taliter baptizaret docent *D. Tho. cit. ad 2. in fine. Tolet. nu. 8. Suar. tom. 3. disp. 2. sect. 4. §. tertia mutatio*, quod extendit Bonac. vbi supra *n.* 22. etiam si in consecratione quis diceret meũ enim est hoc corpus, sed non peccare sacerdotem, & citat Henriq. pro eadem opinione, quod etiam comprobatur authoritate Imperatoris in *l. præposteri C. de testam.* vbi habetur transpositiones verborum non vitiare contractus, nec vltimas voluntates, *ibique Gl. v. testamentis* notat, prepositerationem generaliter non nocere. ad idem *tex. in §. item si quis instit. de inutil. stipul.*

20 Quintò per corruptionem, seu deprauationem verborum formæ; si quis enim diceret baptizo te in nomine patria, & filia, & spiritu sancta; & non intenderet errorem introducere, aut hæresim, sed pro sola ignorantia latinę locutionis infringendo linguam, validum esse baptismum asserunt *Zacharias Pontifex in c. retulerunt de consecr. dist. 4. Magist. sent. in 4. dist. 6. §. quæri etiam solet D. Thom. ibidem dist. 3. qu. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 6. & par. 3. q. 60. art. 7. ad 2, Suar. cit. § penult. Tol. & Bonac. locis cit. ille n. 9. iste n. 20.* quod comprobatur per *l. Imperator cum Gl. ff. de statu homin.* vbi legitur, non vitiari contractum, neque sententiam per falsam grammaticam, & vide *l. qui habebat ff. de manum. testam. iuncta l. 1. & 2. C. de form. & l. 1. & 2. C. de errore aduocat.*

21 Sexto, & vltimo per æquiuocationem verborum formæ, mutatio est etiam accidentalis, nisi sacerdos intenderet ea proferre in sensu alieno à forma per Ecclesiam tradita *Suar. d. sect. 4. §. secunda mutatio vers. nihilominus, ibi, nihilominus si debita intentione proferatur in eo sensu, quo sacramentalia verba, dicendum est mutationẽ esse accidentalem, & in primis si ex adiunctis verbis, & circumstantijs, satis determinentur verba ad talem significationem, res videtur clara, sicut etiam è contrario, si ex adiunctis determinarentur verba ad alium sensum, & significationem, mutatio esset essentialis, & destrueretur sacramentum Bonac. cit. nu. 25.* hęc autem omnia, quę de baptismo dicta sunt, de omnibus quoque sacramentis intelligenda esse docet *Tol. loco cit. n.* 10. quod tamen dictum, an indistinctè procedat, & an dato quod conficiantur sacramenta per mutationem verborum formæ accidentaliter, si mortale, vel veniale committatur, in singulorum sacramentorum tractatu latius dictum est.

22 Ad 3. respondetur non licere vti materia, vel forma dubijs, vel incertis, omissis certis, esseque regulariter mortale *Scot. in 4. dist. 3. q. 1. art. 3.* tenetur enim quis in sacramentis conficiendis seruare modum in tali materia, & forma, quem Ecclesia præscripsit, vel quem de vniuersali, & recepta consuetudine obseruat, esseque hoc de præcepto ait *Suar. tom. 3. de sacram. disp. 16. sect. 2. §. 3. addendum*, iuxta communẽ Theologorum sensum *in 4. dist. 3.* pręcipuè *Palud. q. 1. art. 3 Sot. dist. 1. q. 1. art. 8. circa*
23 *finem.* Exempla dat ibi Suar. circa materiam, si quis omitteret mixtionem aquæ in consecratione sanguinis, vel consecraret in pane formentato in Ecclesia latina, sicuti etiam si quis adhiberet in sacramẽto confirmationis oleum benedictum ab Episcopo, dũ non habet in promptu chrisma confectum ex balsamo, & oleo, & cõsecratum etiam ab Episcopo, quod est materia certa, illaque incerta; ratio est, quia exponit se periculo non conficiendi sacramentum, quod est regulariter sacrilegium iuxta *Suar. cit. n. 3. Coninch. q. 60. art. 8. dub. 2. n. 80. Nugn. & alij apud eundem Bon.*

supra; in casu verò necessitatis licitè adhibetur materia dubia sub conditione, vt dictum est *supra v. baptismus*, melius n. est adhibere Sacramentum cum conditione, quam illo omnino carere, vt docet idem *Suar. cit. num. 4. & vide etiam infra n. 27.*

24 In formis verò adhibendis idem dicũt DD. citati, sed non potest dari excusatio pro casu necessitatis; cum possit deficere materia, sed non verba iuxta *Henriq. lib. 1. cap. 9. n. 7. in fine, & Coninch. cit. num.* 81. nisi quando quis deberet baptizari, & nullus adesset, qui linguam latinam sciret, quæ est forma à Christo, & ab Ecclesia ordinata; dummodo non mutaretur sensus formæ, vt supra *Suar. d. sect. 2. in fine.* in omnibus autem sacramentis generaliter loquendo non potest mutari substantialiter forma, etiam si hoc præciperetur sub pæna mortis, quia videretur in contemptum Ecclesiæ, vt benè dicit Coninch. ibidem, nisi præcipiens esset verè catholicus, & mandaret in casu particulari vti forma dubia, quã putaret esse omnino veram iuxta *Henriq. d. n. 7. litt. 6. & Coninch. num.* 82.

25 Si quis autem baptizaret in nomine Christi, verum validè baptizaret? respondet *D. Tho. in 4. dist. 3. q. 1. art. 2. quæstiunc. 2. ad 3. quod forma, quam Dominus tradidit, non fuit ab Apostolis mutata quantum ad intellectum, quia in Christi nomine tota Trinitas intelligitur, sed solùm quantum ad vocem, & hoc est, quod quidam dicunt, quod est mutata forma sensibilis, sed non intelligibilis, nec hoc ipsum potuissent, nisi ex familiari consilio Spiritus Sancti, ratio autem mutationis fuit, vt nomen Christi amabile redderetur, & hoc etiam Ecclesia nũc posset, si speciale præceptum à Spiritu sancto haberet, non autem propria authoritate, & quia illius mutationis causa fuit conueniens illi tempori, ideo cessante causa, cessat effectus, & modo non esset baptismus, si quis in Christi nomine baptizaret, vt communiter dicitur, quamuis quidam contrarium dicant. hac ille. idem docet in 3. part. q. 66. ar. 6.*

26 Sed contrariũ legitur apertè *in c. à quodam de consecrat. dist. 4. vbi Gl. fin.* dicit valere baptismum, sed non debere hoc fieri, comprobatur *ex act. Apost. cap. 2. & 19.* vbi legitur Apostolos baptizasse in nomine Christi, idem volunt *D. Ambros. lib. 1. de Spir. Sancto cap. 3. Bern. Epist. 340. Hugo de S. Victor. lib. 2. de sacram. par. 6. c. 2. Magist. sentent. in 4. dist. 3. Adrian. q. 2. de bapt. Caiet. in 3. par. q. 65. art. 5.* ratio est, quia licet Christus mandauerit baptizari in nomine Patris, & Filij, & Spir. Sanct. *Matth. cap.* 28. idem tamen significatur per Christum implicitè, quod per Patrem, & Filium, & Spir. Sanct. explicitè ex eod. Sancto, & Caiet. citatis. & propterea dicit Ambros. vbi supra; qui Christum nominat, dicit filium, qui vnctus est, Patrem à quo vnctus est, & Spir. Sanct. quo vnctus est; sed implicitè, & explicitè eadem est virtus *l. cum quid ff. si cert. petat.*; ergo idem est baptizare in nomine Christi, quam in nomine Patris, & Filij, & Spir. Sancti.

Quod autem dicitur ex contrario Apostolos baptizasse in nomine Christi ex diuina reuelatione (quatenus verum esset, de quo me remitto) non habuisset locum vsque ad tempus Nicolai Pontif. qui hoc statuit in *d. c. à quodam*, & floruit 850. annis post mortem Christi, aliàs oporteret dicere ipsum etiam ex diuina reuelatione hoc præcepisse, quod si concedatur, corroboratur argumentum, nam dum generaliter hoc mandauit, & sine definitione temporis, idem est seruandum vsque ad contrariam determinationem, quod adeo verũ est, vt Suar. qui contrarium strenuè tuetur *tom. 3. disp. 21. sect. 3. §. 3. sequitur vsque ad finem* aperto ore fatetur *ibidem §. fin. in princ.* difficile esse d. text. respondere, qui inferius dicit Pontificem, vt priuatum Doctorem falsæ opinioni adhæsisse, cum similibus responsionibus, quę ex se corruunt, idem dicit *Henriq. lib. 2. cap. 10. nu. 1. in fine*, & trãscribunt alij apud *Bonac. de bapt. q. 2. disp. 2. pun. 4. n. 70.*

Ad locum D. Thom. respondet Caiet. vbi supra in fine intelligendum esse de necessitate præcepti, non autem sacramenti, & proinde mortale esse baptizare in nomine Christi tantùm, sed confici sacramentum, prout notatur etiam apud *Tolet. lib. 2. cap. 19. sub nu.* 7. in margine; in hac tamen re alij iudicent; sed generaliter loquendo in dubio de validitate, vel

27 inualiditate sacramenti; vel si adhibita sufficienti diligẽtia, remaneret etiam dubiũ, potest iterum administrari sub conditione iuxta documentum *Alex. 3. in c. 2. de bapt.* quem refert, & sequitur *D. Thom. par. 3. q. 66. art. 9. ad 4.* secus verò dicendum, quando adesset leuis scrupulus, quia iteratio sacramẽti, ob talem causam, videtur quædam irrisio sacramenti, & successiuè peccatum de sua natura graue, vt ex communi

ni DD. sententia notat etiam *Valent. tom. 4. disp. 4. q. 1. pun. 4. versus finem*, quod vocat sacrilegium *Catechis. Rom. par. 2. de bapt. effect. n. 57.* & amplius contrahitur irregularitas ex *c. 2. de Apostat. & reiter. bapt.* vbi dicitur, per talem reiterationem iniuriam fieri sacramento, quam ex eo nasci dicit. *Gl. ibidem v. iniuriam*, quia eum per baptismum imprimatur animæ character, seu pictura, si alia imago supponatur, illa prima pictura obscuratur, seu obfuscatur primum Sacramentum. In omnibus autē
28 casibus siuè materiæ, siue formæ dubiæ datur excusatio à mortali ex leuitate materiæ, præciso tamen contemptu, vel scandalo, aut nimia negligentia, vt ex *D. Thom. par. 3. q. 60. ar. 8. in corp. & alijs docet Henriq. lib. 1. cap. 9. in fine*, vbi rectè addit mutationem sensus in forma excusare etiam à mortali propter indeliberationem, aut leuem negligentiam, dum præceps fuit prolatio, quod qui aduertit postea, debet iterare secretè formam verborum, si dubium sit probabile, & in iteratione baptismi addere conditionem ob periculum irregularitatis, si verò obrepat tantum scrupulus, an aptè protulerit formam, repellendus est, idem dicas de inaduertentia iuxta *Fillius. tract. 1. cap. 4. q. 9. & Bonac. de Sacram. in genere disp. 1. q. 2. pun. 1. n. 34. & vide sup. resol. 103. n. 8. in fine.*

Quæritur de distantia temporis, quę possit esse inter materiam, & formam sacramentorum, eorumque causa efficiente, & an semper peccet mortaliter, non solùm quodcūque Sacramentum conficiens in peccato, sed etiam sacramentalia?

SVMMARIVM.

1 *Forma an, & quanto tempore possit subsequi materiam, & an illis discontinuatis, conficiantur Sacramenta? & n. 3.*

2 *Confessio si præcedat per multos dies, & postea sequatur absolutio, valida est, dummodo dolor præhabitus non sit retractatus.*

4 *Sacramentorum causa authoritatiuè est solus Deus, Christus autem vt homo non ita, sed quatenus habet à diuinitate illam potestatem, quæ appellatur excellētia, & n. 5.*

6 *Sacerdos est causa ministerialis tantùm sacramentorū, & dicitur instrumentū, per quod Deus confert gratiam per illa.*

7 *Angeli non possunt ministrare sacramenta, sicut homines, nisi illis hoc specialiter concedatur à Deo, sed quia sunt nuncij veritatis, si ab eis ministrarentur, essent rata habenda, sed quid si ministrarentur à diabolo? n. 8.*

9 *Sacramenta ministrare in mortali, est regulariter mortale, aliquibus casibus exceptis, vt infra num. 10. & seq.*

13 *Ordines minores, & etiam maiores si quis exerceat in mortali, aliud mortale non committit, excepto præsbiteratus ordine.*

14 *Sacramentalia quæcumque in mortali exercens an peccet mortaliter?*

15 *Eucharistia Sacramentum transferens de vno altari ad aliud in mortali, aliud mortale non committit, secus si alijs distribuat, sed non tot mortalia, quot personas communicat.*

16 *Sacramenta verè conficiuntur à quolibet sacerdote, licet in mortali, dummodo interueniat materia, forma, & intentio.*

Resolutio CLXVIII.

1 AD primum respondetur non eamdē distantiam in omnibus, & singulis requiri; in sacramentis enim baptismi, confirmationis, extremæ vnctionis, & ordinis potest parua tantum morula intermediari, & talis vt minister, dum formam profert, verè dicere possit, quod abluit, vngit, & tangit; quod si aliquantulum longior mora interponatur, ita vt actus discontinuari videatur, sufficit ad irritanda hæc sacramenta *Tol. lib. 2. cap. 19. nu. 10. Sayr. lib. 1. cap. 4. n. 7. Chamer. de baptis. cap. 3. & alij apud Bonac. to. 1. hoc tit. disp. 1. q. 2. pun. 2. n. 2.* Suar. statim citandus. In sacra-
2 mento verò pęnitentiæ potest maior mora interuenire, dum administratur per modū iudicij, vt ex *Trid. sess. 14. cap. 5. de pœnit. & alibi*, in quo prius fiunt acta, peccatorum st. confessio cum contritione, vel saltem attritione ex *eod. Trid. cit. cap. 4.* quæ sunt materia, & postea longissima etiam mora interueniēte, succedit absolutionis decretum, quod dicitur forma, & validum est Sacramentum, vt pro absoluto tradit *Suar. tom. 4. de pænit. disp. 18. sect. 4. n. 2. ibi, ali-*

quan-

quando pracedit confessio; & post plures dies sequitur absolutio, quod tamen est intelligendum dummodo dolor præhabitus de peccatis non sit retractatus, vt etiam supra dictum est *ref.147.n.1.& seq.*

3 Idem dicitur in matrimonio, cuius materia, siue sint corpora mutuo tradenda, forma verò verba eorumdem iuxta *Palud. in 4.dist.26. q.4.ar.6.ad 2.n.23.Adr.ibidem q.1.& Layman*, qui alios refert *lib.5.tr.10. pun.1.cap.2.n.3.* siue sint verba eorumdem contrahentium, quatenus contractum inchoāt, forma verò quatenus illū complēt, & acceptant iuxta *Sanch.de matrim. tom.1. lib.2.disp.5.n.6.& alios apud Dian.par.3.tr. 4. resol.* 251. de quibus dixi in priori *resol. sub n.5.* semper solet per multos dies, & aliquando menses inter materiam, & formam mora intercedere, & nihilominus validum est sacramentum; in conficienda autem Eucharistia, hoc accidere non potest, quia actus, qui fiunt in tota missa, nullo modo discontinuari possunt, & multò minus quando conficitur sacramentum iuxta Pontificum ordinationes, quæ in missali habentur, & in praxi quotidie seruamus.

4 Ad secundum respondetur, solū Deum esse causam principalem sacramentorum, & successiuè Christum, vt Deum esse eorum principalem causam, vti verò hominem, non ita, sed quatenus habet à Deo potestatem illa instituendi, vt docet *Belar. de Sacram.in genere lib.2.dist.3.cap.6. quæ à D.Thom.par.3.q.64.art. 3.in corp.* vocatur potestas excellentiæ, *sicut enim*) ait ipse) *Christus in quantum Deus habet potestatem authoritatis in sacramentis, ita in quantū homo habet potestatem ministerij principalis, siue potestatem excellentiæ; quæ quidem consistit in*
5 *quatuor. Primò per meritum, & virtutem Passionis eius; secundò quia ad potestatem excellentiæ, quam Christus habet in sacramentis pertinet, quod in eius nomine sanctificentur; & quia ex eius institutione sacramenta virtutem obtinent, inde est quod tertio ad excellentiam potestatis Christi pertinet, quod ipse, qui dedit virtutem sacramentis, potuit ea instituere, & quia causa non dependet ab effectu, sed potius è conuerso, quarto ad excellētiam potestatis Christi pertinet, quod ipse potuit effectum Sacramentorum sine exteriori sacramento conferre, vt fecit Sanctæ Magdalenæ*; hinc *in Trid.de sacrā.sess.7.can.1.* constat omnia sacramenta à Christo Domino fuisse instituta. idem legitur *in Catech.Rom. eod.tit.n.23.*

6 Sacerdos autem dicitur causa ministerialis Sacramentorum, quia concurrit ad ea conficienda in nomine, & virtute Christi, vt ex eod. Sancto ibidem *art.1.in corp.* dicitur instrumentum conferendi gratiam, sed sortitur effectum interiorem ex virtute principalis agentis, quod est Deus, vt legitur in *Epist.1.ad Corinth.cap.4.ibi sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores ministeriorum Dei; & 2. Corinth. 3.qui idoneos nos fecit ministros noui testamēti, hocque modo*, solus homo potest ministrare sacramenta, vt ait Sanctus vbi supra *art. 7. in corp.ibi, tota virtus sacramentorum à passioneChristi deriuatur, quæ est Christi secundum quod est homo, cui in natura conformantur homines, non autem Angeli, sed potius secundum passionem dicitur modico ab Angelis minoratus, vt patet Hebr. 2.* Et ideo ad
7 homines pertinet dispensare sacramenta, & in eis ministrare, nō autem ad Angelos; sciendum tamen est, quod sicut Deus virtutem suam non alligauit sacramentis, quin possit sine sacramentis effectum sacramentorum conferre, ita etiam virtutem suam non alligauit Ecclesię ministris, quin etiam Angelis possit virtutē tribuere ministrandi in sacramentis, & quia boni Angeli sunt nuncij veritatis, si aliquod sacramētale ministeriū à bonis Angelis perficeretur, esset ratum habendum, quia deberet cōstare hoc fieri voluntate diuina, (prout factum fuisse creditur S.Raymūdo Nonnato, qui Angelorum ministerio sub specie Religiosorum sui ordinis apparentium salutari viatico refectus fuit, vt legitur in lectionibus sui proprij officij ordine Clem.9. cōpositis, & promulgatis sub die 13. Augusti 1669.) sicuti quædā rēpla dicūtur angelico ministerio cōsecrata; Si ve-
8 rò dæmones, qui sunt Spiritus mendacij, aliquod sacramentale mynisterium exhiberent, non esset ratum habendum, idem Sanct. vbi supra, sed addit *Bonac.to 1. hoc tit.disp.1. q.3.pun.1.sub n.12.ex Pitigian.& alys*, posse dæmonem validè baptizare in corpore assumpto de mandato Dei, eiusq; potentia absoluta, cum sit sua creatura, ilique obedire teneatur, constare autem deberet esse hoc à Deo præceptum.

9 Ad 3. respondet *D.Thom.par.3.q.64.ar. 6. in corp.* peccatum mortale esse ex suo genere ministrare sacramenta in mortali,

quamuis ipsa sacramenta secundum se in contaminabilia sint *Sot. in 4.dist.1. q.5.art. 6.* excipitur tamen ab hac regula minister baptizans in mortali in casu necessitatis idem *Sanct. ibidem ad 3.* contra quam exceptionem arguit Caiet.ibidem, quod casus euitabilis solo volūtatis propriæ arbitrio non constituit articulum necessitatis, sed sic est in proposito, quia indignus minister potest statim conteri si vult,& transire de malo in bonum, ac per hoc non est casus necessitans ministrum cum indignitate ad baptizandum accedere. Et respon-
10 det, quod administratio huius sacramēti ab indigno ministro ex officio, est mortale de genere suo, secus verò in casu necessitatis, quo licet etiam laico baptizare, quia dum baptizat sine solemnitate, non gerit tunc personam ministri ex officio, quem oportet esse iustum, sed personam ministerialiter subuenientis necessitati patiētis,& propterea primo casu nō excusatur ratione impossibilis contritionis, quoniam in instanti posset conteri de innumerabilibus peccatis, sed secundo ex necessitate cogente ad se exhibendum eo casu, non vt ministrum ex officio, sed sicuti se exhibere teneretur, etiam quilibet laicus, quem constat baptizando in mortali aliud mortale nō committere *Suar.to.3. disp.16. sect.3.Henriq.lib.1.c.29. n.24.Coninch q.64. a.6.dub.t.n.22. Eman.Sà v.Sacramentum n. 1.Vasq.3.par.disp.136.n.39. P.Dian.par.5. tract.13.resol.74. & par.6.tract.6. resol.56.* vbi ex eadem causa necessitatis excusat sacerdotem vocatum ad dandum sacramenta infirmo morienti, si ex malo habitu ad peccatum, conteri non potest, sed apud me est valde dubiū, quod dicit de cōtritione, quasi quod sit in potestate hominis, conteri quādo vult; etenim si hoc verū esset, gratis dixisset *Propheta Ioel cap.2. cōuertimini ad me in toto corde vestro in fletu, & planctu, scindite corda vestra, & c. quis scit an Dominus conuertatur, & ignoscat?* & vlterius si hoc fieri semper posset ad libitū, sciret consequenter pro certo vnusquisq; se in gratia Dei esse, quod est impossibile in hac vita iuxta illud *nemo scit an odio, vel amore dignus sit*, quem locum cum alijs sacræ paginę retuli sup. *resol.144.n.24.*

11 Eodem modo nec peccat mortaliter sacerdos culpę mortalis reus, assistens matrimonio, quia vt aiunt idem *Suar.cit.sect. 4. sub §.penult.Sanch.de matrim.to.1. lib. 2. disp.6.n.5.ex Palud.Ledesm.Henriq.& alijs* non est minister conficiens sacramentum; sed benedictio, quam prestat, est quodam sacramentale, seu actio sacra, in quantum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, & quod illa verba à Parochó prolata, nempe (ego vos coniungo in matrimonium) non sint forma huius Sacramenti, sed solùm per illa declaretur coniuges esse coniunctos, coniunctionemque illam, Parochum approbare; forma enim iam præcessit verba Parochi, quæ consistit in consensu coniugum, quod ante eos docuit *D.Thom.in 4.sentent.dist.26.qu.2.art.1. quæstiunc.1. ad 1. ibi verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma huius sacramenti, non autem benedictio sacerdotis, quæ est quodam sacramentale,* & ad 2.addit, actus coniugum esse materiam, sicuti in pœnitentia, materia sunt actus pænitentis *Belar.lib.2. de matrim.dist.10.cap.6. num.3. Suar.cit.sect.2.& alij apud eundem Sanch.cit. disp.5.n.6.* hinc sacra Congr. declarauit sufficere præsentiam Parochi matrimonio, etiam inuiti, vt *in declar. Trid.post.sess. 24. de reform.matrim.ad cap 1. in prætermissis.*

12 Et consequenter quia ipsi contrahentes conficiunt sacramentum matrimonij per eorum actus, & consensum, si contrahunt in mortali, aliud mortale committunt, non quatenus administrant, cum ipsi non sint ministri ad hoc consecrati (licet verè ministri dicti Sacramenti vocentur à DD. cit. cum *Sanch.de matrim.lib.2.disp.6. n.4.* Quamuis *Nau.in c.1.§.Sacerdos nu.10. de pœnit. dist. 6. in solutione ad 6.* velit peccare mortaliter etiam vti minisrros, quod probabile dicit *Suar.de sacram.disp.16.sect. 2.*) sed quatenus recipiunt sacramentum, dum ponunt obicem ad gratiam, quam alias conferret sacramentum, quod est regulare in cuiuscumque sacramenti susceptione *Sot.in 4.dist.1. q.5.ar.6.Suar.cit.sect. 4.sub §.penult.Sanch. etiam cit.num.3.Bonac. hoc tit. disp.1.q.3.pun.2.n.10.& alij.*

13 Parimodo nec peccant mortaliter, sed tantum venialiter exercentes ordines minores in mortali, & etiam maiores, veluti subdiaconatum, & diaconatum, sed bene celebrantes, & ratio est, quia actiones istæ non sunt de per se sanctificantes, sicuti susceptio, vel confectio sacramentorum, & quia non reperitur hoc iure cautum *Sot.cit.dist.24. q.1. art.4. circa finem, Suar vbi supra sect.3. n.7. Greg.de Valent. tom.4.*

disp.

disp.3.q.5.pun.3.Vasq.tom.3.de sacram.disp.
14 *136.n.40.&41.* Contrarium voluit etiam de benedicente aquam lustralem in mortali *Nauar.de horis canon.cap.6.num.41.* sed implicitè *D.Tho. cit.ad* 1. generaliter velle videtur, conficientes quæcũque sacramentalia, mortaliter non peccare, quamuis sint in mortali; quod *Suar.cit. nu.*8. extẽdit non solùm ad sacerdotes, sed etiam ad Episcopos dantes primam tonsuram, vel consecrantes Ecclesiam, & similia, Nauar. autem doctrina posset procedere in casu tantùm, quo diaconus ministraret sacramentum Eucharistiæ tempore pestis, vel alterius similis necessitatis, quando potest hoc facere, & ratio est, quia tunc exercet illud munus ex proprio officio, vt dixi de sacerdote baptizante similiter ex proprio officio *Sayr.lib.2.de sacram.cap.7.q.1.art.5. Valent.tom.4. disp.6.quæst. 10.pun. 1. Suar. cit. sect.* 4. *ab initio, & per totam Bonac. cit. num.* 13.

15 Item excusatur à mortali sacerdos trãsferẽs Eucharistiam de vno altari ad aliud, quia hoc non est administrare sacramentum, nec materia sufficiens ad nouũ mortale contrahendum, vt dicunt multi apud eundem *Bonac.d.n.*13. sed peccant mortaliter sacerdotes communicantes quoscũque in mortale post iam confectum sacramentum, quod si hoc dixi de diacono, à fortiori dicendum est de sacerdotibus ex allata ratione, & quia est actio ordinata ad gratiam conferendam, sicuti in effectu confert illud recipientibus sine obice, & propterea non potest dici materia leuis, dũque supra cum D. Tho.& alijs dictum est peccare mortaliter sacerdotem administrantem sacramenta in mortali regulariter, rationabilius hoc fatendum est de Eucharistia, vti cæteris perfectiori, quod probatur in *c.fin.15.q.48.docentque Sylu. v. Sacerdos* §. 6. *& Suar. disp.72.q.3.n.3.* Imò tot mortalia committere, quot personas in peccato communicat, volunt *Coninch.q.64. art.6.dub.1.nu.13.& Bonac.allegatus nu.*15. quia sunt plures sacramẽti distributiones, pluresq; actiones terminatæ, & completæ, quamuis fiant successiuè, quæ tamen ampliatio vti nimis rigorosa non placet ex rationibus, & DD supra *resol.59. num.7. & resol.140.n.19.relatis.* Sed P. Dia. vult nequidem in priori casu peccare mortaliter sacerdotem, si conteri non potest, vt in *par.2.tract.14 resol.23.& tract.17.resol.13. & par.5.tract.14. resol.56.* qui tamen contrarium docet in administratione tàm istius, quàm aliorum sacramentorum, quando conficiuntur *par.6.tract.6.res.53.* quod baptismo excepto, iuxta distinctionem supra *n.*10. in dubium non venit, sicuti nec quod interuenientibus materia, forma, & intentione sacerdotis, verè conficiantur sacramenta, etiam si ipse sacerdos pessimus peccator sit *c.Christus. c.non nocet, & c. sacerdotes* 1.*q.*1.*Trid.sess.7.can.*11.*&* 12.

Vtrum conficiantur sacramenta ab hæretico, vel etiam ab infideli, & num, & quando mortale committatur per eorum administrationem cõditionalem, quamuis à non impedito.

SVMMARIVM.

1 *Forma, materia, & intentio sunt de necessitate sacramenti in illis conficiendis, sed an etiam fides? num.*2. *vsque ad* 6.

7 *Conditiones vel sunt de præterito, vel de præsenti, vel de futuro, sed an valeant sacramenta confecta sub illis? & nu.*8. *vsque ad finem.*

9 *Stipulatio conditionalis transmittitur ad hæredes, sed non legatum conditionale, & quare?*

Resolutio CLXIX.

1 Dictum est in priori, & antepriori resol. de materia, & forma requisitis in confectione sacramentorum, item de intentione similiter necessaria resol.160.nu.9. sequebatur videndum vtrum sicuti prędicta sunt omnino necessaria, & vno eorũ deficiente, sacramenta non conficiuntur, vt ibi dixi, & aduertunt ẽt *Nauar.in man. cap.22.sub n.* 2. *& alij communiter*, ita pari
2 modo sit fides? cui quæsito respondet *D. Tho.3.par.q.64. art.9.in corp. videlicet, quia minister in sacramentis instrumentaliter operatur, non agit in virtute propria, sed in virtute Christi, sicut autem pertinet ad propriam virtutem hominis caritas, ita, & fides, vnde sicut non requiritur ad perfectionem sacramenti, quod minister sit in charitate, sed possunt etiam peccatores Sacramenta conferre, ita non requiritur ad perfectionem sacramẽti fides eius, sed infidelis potest verum sacramentum præbere, dummodo cætera adsint.*

quæ

quæ sunt de necessitate sacramenti. Item ibi-
3 dem ad 1. videlicet, *si aliquis patiatur fidei defectum circa ipsum sacramentum, quod exhibet, licet credat per id, quod agitur exterius, nullum sequi interiorem effectum, non tamen ignorat, quod Ecclesia catholica intendit per huiusmodi, quæ exterius aguntur, præbere sacramentum, vnde non obstante infidelitate potest intendere facere id, quod facit Ecclesia, licet æstimet id nihil esse, & talis intentio sufficit ad Sacramentum, quia minister sacramenti agit in persona totius Ecclesiæ, ex cuius fide suppletur id, quod deest fidei ministri.*

4 Bene verum est ex eodem Sanct. *cit. ad* 2. quod licet isti tales, si adhibeant materiam, & formam ab Ecclesia consuetas, vt supra, & habeant intentionem faciendi saltem quod facit, seu intendit eadem Ecclesia catholica, conferunt sacramentum suscipienti, non tamen rem sacramenti, id est gratiam, quia ex hoc ipso, quod aliquis accipit sacramenta ab eis, peccat, & per hoc impeditur ne effectum sacramenti consequatur, (quod autem dicit *D. August. in c. Christus* 1. *q.* 1. loquendo de sacramento Eucharistiæ, quod dona Dei perueniũt ad eos, qui cum fide accipiunt, etiam si talis sit, per quem accipiunt, qualis Iudas fuit, est intelligendum vel in casu ignorantiæ inuincibilis iuxta *D. Thom. cit. ad* 3. vel in extrema necessitate iuxta *Suar. hoc tit. to.* 3. *disp.* 13. *§. penult. quæ iuxta Trid. sess.* 14. *cap.* 7. est artic. mortis, de quibus latius
5 infra *res.* 171. *nu.* 10. Hæc tamen vera sunt de hæretico, vel schismatico, non autem de infideli, vt idem Sanctus docet loco cit. ad 2. declarando suam doctrinam præ-
6 cedentem; infidelis n. propriè dicitur ille, qui non est baptizatus, qui propterea cum non possit esse sacerdos, meritò non potest conficere sacramenta, excepto baptismo *ex c. Romanus, & c. à quodam Iudæo de consecr. dist.* 4. *Nauar. in man. cap.* 22. *n.* 7. & matrimonio, quod in ratione puri contractus, vt infideles agunt, non est sacramentum, & proinde non est peccatum, cum inter eos talis contractus sit licitus idem *Sanct. in addit. ad* 3. *par.* 4. *q.* 46. *art.* 6. *Tol. lib.* 7. *cap.* 1. *nu.* 3. *&* 4. *& vide supra resol.* 108.

7 Ad secundum præmitto pro expositione terminorum tria esse genera conditionum, vel enim sunt de præterito, vt puta, si quis dixit, promitto tibi cẽtum, si Titius fuit factus Cardinalis in præterita promotione, vel ego te baptizo, si non fuisti baptizatus; vel de præsenti videlicet, promitto tibi centum, si Titius viuit, vel ego te baptizo, si es masculus, & istæ conditiones, vel validant statim obligationem, & sacramentum, si sunt veræ, vel statim infirmant, si sunt falsę. argum. §. *conditiones ibique Gl. instit. de verb. obligat. l. conditio ff. eod. tit. & l. illa institutio ff. de condit. instit.* ratio est, quia dum in conficiendis sacramẽtis requiritur de necessitate medij intentio, ista concurrit, quando conditiones sũt veræ, & conficitur sacramentum, sed deficit, quando sunt falsæ, ideoque non cõficitur, sed in Sacramento pænitentiæ hoc dictum est cum distinctione supra resol. 1. ad quam me remitto.

8 Tertium genus conditionum est, quãdo protrahuntur ad tempus futurum, vt promitto tibi centum si nauis ex Asia venerit, vel ego te baptizo, vel absoluo si Rex fecerit me suum Consiliarium, & in hoc est differentia, quia stipulatio valet purificata conditione §. *ex conditionali inst. de verb. obligat.* sed sacramentum minimè, ratio est, quia etiam si verificata fuerit cõditio, desunt eo tempore materia, & forma, quæ sunt necessariæ omnino ad validitatem sacramenti, in quod tempus fuit dilata intentio ministri similiter necessaria, vt dixi *Nauar. d. c.* 22. *n.* 61. *& seq. Bonac. de sacram. in genere disp.* 1. *q.* 3 *pun.* 2. *n.* 18. & hæc procedunt in omnibus sacramentis, excepto matrimonio, quod non inualidatur per conditionem de futuro *c. super eo, & c. per tuas de conditionib. apposit.* ratio est, quia vt in priori *res. n.* 3. dixi, materia sunt ipsi cõtrahentes, & forma est eorũdem cõsensus; qui censetur continuari, & de facto continuatur vsque ad purificationem conditionis, quod non est in alijs; sed hodie licet in sponsalibus possit apponi conditio de futuro; in matrimonio tamen per verba de præsenti regulariter minimè, vt dixi supra v. matrimonium *resol.* 109. *nu.* 25. quod aliquando et conditionatum S. Cõgregat. declarauit validum, vt dictum est ibidem *n.* 26. *in fine*. Obiter autem nota
9 differentiam de iure ciuili inter promissionem conditionalem, & legatum conditionale; illa enim etiam si sit de futuro, transmittitur ad hęredes stipulatoris *d. §. ex conditionali*, qui possunt agere pro consequenda re promissa, istud verò non transmittitur moriente legatario ante cõ-

ditionis euentum *l.1.§.fin.autem aliquid C. de caduc.toll.* ratio differentiæ assignatur à *Gl.in d.§.ex conditionali*, quia st.in stipulatione interuenit factum stipulantis, volentis sibi prospicere, & hæredi suo, etiam si hoc non expresserit *ad l.si pactum 9.ff. de probat.* quod non est in legatario, cuius nullum factum interuenit, de quibus habes pulchram *decis. S.C.apud Capic. Latro. quæ est 2. n.9.*

10 Modo respondendo ad quæsitum dico, grauiter peccare sacerdotem, quamuis nulla censura impeditum apponentem conditionem de præterito, vel de præsenti absque causa rationabili in administratione sacramentorum, ea ratione, quia se exponit periculo non conficiendi sacramentum, quod non conficitur absque intentione ministri, sed iste, vt supponitur non intendit illud conficere, nisi dependenter à tali conditione, ergo si ea conditio non reperiatur purificata tempore, quo conficit sacramentum, non subsistit, & consequenter grauiter peccat conficiendo, seu putando illud conficere sub conditione; interueniente verò iusta causa, iustè etiam adiministratur sub conditione de præterito, vel de præsenti honesta E.g. si non fuisti baptizatus, ego te baptizo, vel quando Sacerdos non recordatur absoluisse pœnitentem, dicendo si non es absolutus

11 ego te absoluo. Si verò apponatur conditio de futuro incerto, vltra inualiditatē sacramenti, erit etiam sacrilegium; nec vlla ex causa excusatur, nisi in sponsalibus, ac etiam in matrimonio, eo modo, quo ante dictum est, & in *resol. 1. num. 6.* vbi me remitto *Suar. de sacram. to. 3. disp. 13. sect. 3. §. dico tertio, vbi in versic. quæ conditio*, rectè addit, posse conditionem interdum exprimi exterius, & interdum sola mente, & intentione concipi *Henriq. lib.1.cap.10. n.7. Regin.lib.36. n.39. Eman. Sà v.sacramentum n. 10. & alij apud eos.*

Vtrum omnia sacramenta conferant gratiam ex opere operato, & quę primam, & quæ secundam, item an, & quæ dispositio requiratur in ea suscipientibus, ad hoc vt illam recipiant?

SVMMARIVM.

1 *Gratia diuiditur in gratis datam & gratum facientem, quæ vtraque sit, & quomodo illa possit etiam in peccatore reperiri?*

2 *Gratiæ gratum facientis definitio, & explicatio, & n.3. Continet sub se 4. causas nempe efficientem, materialem, formalē, & finalem, n.4.5.& 6. Si non adest in anima, dicitur mortua spiritualiter, sicuti est corpus materialiter sine anima. num.7.*

8 *Bona opera absque gratia, seu charitate facta, non prosunt ad vitam æternam, quod est de fide, sed ad alia, vt infra n.9.& 10.*

11 *Gratiæ gratum facientis plures diuisiones afferūtur, & n.18.& 19. Operās quæ sit, & quæ cooperans, & an eadem sit cum gratia præueniente, & subsequente excitante, & adiuuante, seu concomitante? nu. 12. vsque ad 15. Habitualis in quantum iustificat, siue gratum Deo reddit, dicitur operans, in quantum autem est principium operis meritorij, quod ex libero arbitrio procedit, dicitur cooperans n.16.*

17 *Membra nostra omnia exteriora dominantur à voluntate, eiusque Imperio mouentur, excepto pudendo.*

20 *Sacramenta instituta ad conferendam secundam gratiam, vt sunt omnia præter baptismum, & pœnitentiam (quæ conferunt primam) aliquando conferūt etiam primam, quam nemo mereri potest, & consequenter gratis fit remissio peccatorum. nu. 21. Illam tamen conferunt infallibiliter non ponenti obicem, num. 22. si st. recipiens duplicem dispositionem habeat.*

Resolutio CLXX.

1 NE per incognita tendamus præmitto quantum ad prioris quæsiti respōsionem attinet duplicem esse gratiam, gratis datam vnam, gratum facientem alteram, illa est, quæ datur ad vtilitatem aliorum, veluti prophetia, donum linguarū, gratia miraculorum, & similia, & potest reperiri, etiā in homine peccatore, vt docent *D.Tho.2.2. q.178.art.1.& 2.in corp.& ad 3.Sylu.v.Gratia num.1.* & talis fuit in Balaam, de quo loquitur etiam *D. Petrus epist.2.cap.2.nu. 15.* quod tamen rarò euenit, vt legitur apud S. Matrem Theres. in eius vita pluribus in locis, & propterea illam

illam *D.Thom.1.2.q.111.art.5.* vocat inferiorem, seu minus dignam ista. Etenim,
2 hæc est, per quam homo Deo coniũgitur ex eodem D. Thom. cit. & definitur per *Nauar. in summa prælud.7.num.2.* ex mente eiusdem Doctoris Sancti ab eo cit. videlicet, est donũ Dei supernaturale, infusum à Deo creaturæ rationali, quo est illi ad vitam æternam accepta, estque tanti valoris, quod etiam illa, quam habet vnus particularis, est maius bonum, quam bonũ naturale totius vniuersi iuxta eiusdem Sancti sententiam *1. 2. quæst. 113. art. 9. ad 2.*

3 Item definitur secundo in *Catech. Rom. par.2. sub tit. de bapt. effectibus n.50.* videlicet, est diuina qualitas in anima inhærens, ac veluti splendor quidam, & lux, quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores, & splẽdidiores reddit, sub qua definitione quatuor illas causas contineri rationabiliter
4 dicit *Belarm. hoc tit. lib.2. dist.3. cap.5. nu.7.* prima est efficiens; & est Deus per communicationem diuinæ suæ naturæ; secunda materialis, & est subiectum gratiæ, id est anima, cui gratia inhæret; tertia formalis, & est gratiæ forma, quæ est lux, & splendor animę, sicuti est aeri lux, & splẽdor solis, quarta est finalis, quæ est duplex, vna quia remouet omnia mala ab anima, nempe ignorantiam malitiam, peccatum, deformitatem, & ideo dicitur in definitione maculas delet; altera, quia confert omnia bona, nempe pulchritudinem, splendorem, iustitiam, scientiam, bonitatem, virtutem, & alia, & ideo additur, ipsasque animas pulchriores, &c. quibus subdit Catech. vbi supra, solere gratiam in sacris litteris Spiritus Sancti pignus appellari.

5 Pro maiori tamen declaratione gratiæ dantur aliquæ similitudines per *D. August. lib. de grat. & lib. arbitr. D. Tho. 1.2. qu.112. art. 1. & eundem Catech. cit.* quas congerit *Belar. nu.8.* prima est facere eundem effectum, gratiam in anima, quam solis lux in aere, vt dixi, secunda est ignis, & ferri; Deus n. est sicut ignis, scientia verò, potẽtia, & bonitas Dei sunt, sicut proprietates ignis, nempè illuminare, calefacere, & cõ-
6 burere. Anima est sicut ferrum; ignorantia malitia, & infirmitas animæ, sunt sicut qualitates ferri, esse st. nigrum, vel obscurum, frigidum, durum; Gratia seu communicatio diuinæ naturæ, est sicut communicatio naturæ ignis ferro, effectus igitur gratiæ sunt sicut effectus ignis in ferro, quod significat, quia sicut ignis tollit à ferro nigredinem, & alias prædictas eius qualitates, & ponit in illo lucem, mollitiem, & actionem ignis, ita gratia tollit ab anima ignorantiam, malitiam, & infirmitatem, & ponit in ea sapientiam per fidem, potẽtiam per spem, bonitatem per charitatem.

7 Tertia est animæ, & corporis; gratia n. est sicut vita animæ, quia sicut corpus per animam sibi vnitam habet vitam, idest principium faciẽdi operationes ipsius vitæ, ita homo per hoc, quod Deus sibi vnitur, habet gratiam, quæ est quodam principium, per quod potest, Deo fauente, facere operationes diuinas, & supernaturales; sicut etiam corpus est mortuum cum fine anima est, & viuum cum illa; ita homo est viuus vita spirituali, cum habet gratiam & mortuus, cum illa caret, & propterea
8 est omnino necessaria ad salutem, quia sine ipsa, impossibile est mereri vitam ęternam; siquidem ipsa gratia, est principium meriti, quia opera nostra bona, per quæ possumus ipsam æternam vitam mereri, absque diuina gratia non prosunt ad illã acquirendam; quod est de fide iuxta declarationem *Trident. sess.6. can.1.2. & 3.* sed solum ad consequendum aliquod bonum spirituale, vel temporale iuxta *Gl. in c. quodquidem circa finem de pænit. & remiss.* quæ hoc declarat subscriptis versibus,

Quę cum mortali bona fiunt, dant bona terræ,
Cor faciunt humile, minuunt tormenta gehennę.

9 Quod declaratur etiam in *c. si quis autẽ de pænit. dist. 3.* vbi referendo verba *Apost. 1. Corinth.13. si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero nihil mihi prodest;* exponit *August. in lib. de patien cap.26. relatus à Grat. in cit. tex.* intelligenda esse, quod non prosint ad Regnum Cælorum obtinendum, sed ad extremi iudicij tolerabilius supplicium subeundũ; & quod etiam prosint ad bona temporalia obtinenda testantur *Gregor. homil.40. & Chrysost. homil.67. ad Popul. Antioch* ambo relati ab eod. *Grat. in c. si quando & c. cauendum tit. cit.* item prosunt vt cor taliter operantis illustretur à Deo ad pænitentiam veram, quod est melius iuxta sententiam

Gregor. 7. relati in c. falsas de pænit. dist. 6.
10 Quam amplexus est *D. Tho. par. 3. q. 14.*
art. 4. in corp. in quæst. additis, vbi voluit o-
pera extra charitatem facta non esse me-
ritoria de condigno, neque æterni, neque
temporalis alicuius boni apud Deum, sed
tantùm de congruo ad tria prodesse, ad
temporalium st. consecutionem, ad dis-
positionem ad gratiam, & ad assuefactionē
bonorum operum; & *in q. 99. art. 5. ad 4.*
in eisdem qq. additis explicãdo Sanctus do-
ctrinam *Ambros. in Epist. 1. ad Timoth. cap. 4.*
vbi dixerat non periturum eum, qui lubri-
cum carnis patiatur, sed sine dubio vapu-
laturum, si sequatur disciplinam Christia-
nam Misericordiæ, & pietatis, respondet,
non periturum, quia disponetur per talia
opera misericordiæ ad non pereundum,
gratia introducta à Domino, qui est bene-
dictus in sæcula sæculorum amen.
11 Subdiuiditur autem supradicta gratia
gratum faciens in operantem, & coope-
rantem, præuenientem, & subsequentem,
excitantem, & adiuuantem, seu conco-
mitantem, idem *Sanct. in 1. 2. q. 111. ar. 2.*
& 3. ibique Caiet. explicato ergo primo
membro diuisionis, remanent explicata
cætera, vti sub illo contenta, quia differunt
solùm ratione secundum *Lelium Zecch. in*
sua summa par. 1. de diuis. gratia cap. 13. n. 3.
& clarius cap. 14. n. 1. facit Gl. in Clem. 1. v.
cooperante gratia de magist. & ne aliquid Su-
ar. in parte tom. 4. disp. 8. sect. 2. num. 15.
12 dicitur enim gratia operans, quatenus
primo mouet hominem ad bonum, indu-
cendo voluntatem eius, quæ malum vole-
bat, vt incipiat velle bonum; dicitur etiam
operans in quantum sanat, iustificat, &
hominem gratum Deo reddit *Belarm. hoc*
tit. lib. 2. dist. 3. cap. 5. n. 5. ex Trid. sess. 6. cap. 7.
11. 13. & 16. & hæc datur gratis à Deo
nullis præcedentibus meritis, alioquin si
ex operibus, gratia non esset ait *Apost. ad*
Rom. cap. 5. & confirmat Trid. citat cap. 8. di-
citur autem cooperans, quatenus coope-
rando adiuuat hominem ad meritum vitæ
æternæ idem *Belar. ibidem.*
13 Sed clarius subdiuisiones prædictas
explicat citat. Sanct. *d. art. 2. in corp. ex D.*
August. de grat. & lib. arbitr. cap. 1. tom.
7. videlicet cooperando Deus in nobis, perficit
quod operando incapit, quia ipse vt velimus
operatur incipiens, qui volentibus cooperatur
perficiens; & inferius. *gratia dupliciter po-*
test intelligi vno modo, diuinum auxilium,
quo nos mouet ad bene volendum, & agendum,
alio modo habituale donum, nobis diuinitus
inditum; vtroque autem modo gratia conuenien-
ter diuiditur per operantem, & cooperantē,
operatio n. alicuius effectus nō attribuitur mo-
14 *bili sed mouenti.* In illo ergo effectu, in
quo mens nostra est mota, & non mouens;
solus autem Deus mouens, operatio Deo
attribuitur, & secundum hoc dicitur gra-
tia operans, in illo autem effectu, in quo
mens nostra mouet, & mouetur, operatio
non solùm attribuitur Deo, sed etiam ani-
mæ, & secundum hoc dicitur gratia coo-
perans; est autem in nobis duplex actus,
primus quidem interior voluntatis, &
quantum ad istum actum, voluntas se ha-
bet, vt mota. Deus autem vt mouens, &
præsertim cum voluntas incipit bonum
velle, quæ prius malum volebat, et ideo
secundum quod Deus mouet humanam
mentem ad hunc actum, dicitur gratia o-
perans.
15 Alius autem actus est exterior, qui cum
à voluntate imperetur, consequens est,
quod ad hunc actum operatio attribuatur
voluntati, & quia etiam ad hunc actum
Deus nos adiuuat, & interius confirman-
do voluntatem, vt ad actum perueniat, et
exterius facultatem operandi præbendo,
respectu huiusmodi actus, dicitur gratia
cooperans, vnde subdit August. cit. videli-
cet, *vt autem velimus operatur, cum autem*
volumus, vt perficiamus, nobis cooperatur;
si igitur gratia accipiatur pro gratuita Dei
motione, qua mouet nos ad bonū meritoriū, con-
uenienter diuiditur gratia per operantem, &
16 *cooperantem*; *Si verò accipiatur gratia pro*
habituali dono; sic est secundus gratiæ effectus,
sicut, & cuiuslibet alterius formæ, quorum
primus est esse, secundus est operatio; sic igi-
tur habitualis gratia in quantum animam
sanat, vel iustificat, siue gratam Deo facit,
dicitur gratia operans; in quantum verò est
principium operis meritorij, quod ex libero
arbitrio procedit, dicitur cooperans. Idem
17 Sanct. id, quod dixit, actum exteriorem
imperari à voluntate; vt supra probaue-
rat in cap. *1. 2. q. 17. art. 9. in corp. ex eod. Au-*
gust. ibi imperat animus, vt moueatur manus,
& tanta est facultas, vt vix à seruitio discer-
natur imperium; limitat in solo pudendo,
cuius rationem tradit ibidem *ad 3. ex eodē*
August. lib. 14. de Ciuit. Dei cap. 16. non pro-
cul à fine per hac verba; hoc quod motus ge-
nitalium membrorum rationi non obedit, est

ex

ex pœna peccati, vt st. anima sua inobedientia ad Deum in illo præcipue membro pœnam inobedientiæ patiatur, per quod peccatum originale ad posteros traducitur.

18 Item subdiuiditur, hæc eadem gratia, gratum faciens in sufficientem, & efficacem, sufficiens dicitur, per quam potest homo pijs actionibus, & bonis operibus salutem suam procurare, & consequi, & hanc nemini rationis vsum habenti Deus denegat, vt ex quamplurimis sacræ paginæ locis probat *Coninch. de pœnit. disp.* 2. *dub.*1.*n.*5. efficax autem, per quam re ipsa id facit, sed non omnibus concedit, de illa habetur 2. *Cor.* 12. *sufficit tibi gratia mea, ad Philipp.* 4. *omnia possum in eo, qui me confortat*, *Deut.* 32. *Matth.* 23. *& alibi*, de ista verò *Ezech.*36. *spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam vt in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis, & operemini*, ad *Philipp.* 2. *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere*, & de vtraq; agit *August. lib. de gratia, & lib. arbitr. cap.* 15. *quem refert, & sequitur Zecch. loco cit. cap.*13. *n.*5.

19 Tertiò subdiuiditur gratia in primam, & secundam, illa est, quæ nullam aliam supponit in anima, vt est quæ recipitur per baptismum, cum ante eum non habeatur, vel quæ recipitur per sacramentum pœnitentiæ cum attritione post peccatum mortale, cum antea nec habeatur propter mortale non dum deletum, ista verò dicitur, quæ supponit aliam in subiecto, vt est illa, quæ recipitur in cæteris sacramentis in gratia susceptis (quæ semper augetur quotiescumque in gratia recipiuntur ex *Trid. sess.*7.*can.*7. *Tolet. lib.*2.*cap.*16. *nu.*8.)

20 Quod tamen procedit ex sua institutione, & regulariter, quia licet cętera sacramenta præter baptismum, & pœnitentiam sint instituta ad conferendam secundam gratiam, aliquando tamen conferunt primam, operando remissionem peccati mortalis, vt de Eucharistia suscepta in mortali, sed bona fide docet *D.Thom. par.*3.*qu.* 79. *ar.*3.*in corp. in fine*, quãdo nempe quis probabiliter putabat, sed erroneè fuisse attritum in confessione præcedenti, tunc quia putabat esse in gratia, non peccat, sed si deuotè, & reuerentèr huic sacramẽto accedit, recipit gratiam, quam infallibiliter conferunt sacramenta, non ponenti obicem, vt mox dicemus. Sed hæc non est secunda gratia, quæ non poterat adesse in anima in mortali existente, ergo est prima, vt ex doctrina prædicta D. Thom. tam de Eucharistia, quam de cæteris sacramentis, (præfatis duobus exceptis) arguunt *Regin. lib.*26. *n.*45. *Bonac. hoc tit. disp.* 1.*q.*4.*pun.*2.*n.*2. *P. Dian. par.*5.*tract.*13.*resol.* 31. hoc tamen est intelligendum, si vera saltem attritio cum Eucharistia, vel alijs sacramentis, postea susceptis accedat, alias nequaquam, vt implicitè docet D. Thom. ibidem, & est generale, & certum, vt probatum est supra *resolut.* 144.

21 Hinc obiter notat *Gl. in c. ille Rex.* 33. *qu.* 3. *in v. peccatum ex Ambros. in Apolog. David.* quod primam gratiam nemo mereri potest, & consequenter gratis fit remissio peccatorum, quia in isto sacramento pœnitentiæ remittuntur nullo præcedente merito, quod si adesset in anima, consequenter adesset gratia iuxta scripta per *Nau. in man. prælud.*7. *n.*2. *ex Gl. in Clem.*2. *§. fin. v. omnibus, de summ. Trinit. & fide cath.*

22 His pręmissis respondetur ad quæsitum omnia sacramenta nouæ legis conferre gratiam ex opere operato (aliqua tamen primã, aliqua secundam, vt modo dictum est) infallibiliter quantum est ex parte Dei non ponenti obicem, quod est de fide, vt ex *Trid. sess.*7.*can.*6.7.*&* 8. & legitur in sacr. pagina. de baptismo enim habetur apud *Ioann. cap.* 3. *ibi nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spirit. Sanct.* & c. de Eucharistia apud eundem *Io. cap.*9. *ibi qui manducat meam carnem*, &c. de confirmatione apud *acta Apost.* 8. *ibi per manuum impositionem dabatur spiritus sanctus*; de ordine in *epist.*2. *ad Timoth. cap.*2. *ibi, vt resuscites gratiam, quæ est in te per impositionem*; de pœnitentia *apud Io.*20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, de extrema vnctione *apud D. Iacob. cap.*5. *oratio fidei saluabit infirmum*; & tandem de matrimonio *in Epist. ad Ephes. cap.* 5. ibi, *Sacramentum hoc magnum est &c.* quæ omnia confirmantur per *D. Thom. par.*3.*q.*62.*art.*4.*& latius Suar. to.* 3.*disp.*7.*sect.*4. *in princ.*

23 Ad secundum requirtur in recipientibus prædicta duo sacramenta, baptismum st., & pœnitentiam, quæ conferunt primam gratiam, duplex dispositio, vna st. in intellectu, altera in voluntate, in illo requiritur fides, si baptizandus est adultus, alias sufficit fides parentum, quia sicuti originale contraxit ex communi parente Adamo, ita tollitur ex fide parentum, seu

Matris

Matris Ecclesiæ baptismũ cõferentis;(qui quidẽ baptismus potest ẽt sine recta fide suscipi, sed sine gratia, vt dixi *supra v. baptismus resol.* 10. *n.*3.) in ista verò st. voluntate,attritio, per quam peccatum odio habeatur; in cætera verò sacramenta recipientibus hæc duo supponuntur, quia requirunt statum gratiæ, vt notum est, et docet *Dian.in summa hoc tit. nu.* 9. alijque communiter.

Vtrum recipientes sacramenta cũ æquali, vel inæquali dispositione æqualem,vel inæqualem gratiam recipiant tàm ex opere operato, quàm operantis, quid referat ea à meliori ministro recipere, & quid si sciretur eum in mortali reperiri,& tandem num possint indignè petentibus administrari?

SVMMARIVM.

1 *Gratiam conferri ex opere operantis, & operato quid importet? Equalem recipiunt, qui cum æquali dispositione sacramentis accedunt, inæqualem, qui cum inæquali ex opere operato vsque ad n.*5. *sed potest Deus etiam æqualiter dispositis maiorem vni, quam alteri conferre, quod tamen esset ex miraculo. num.* 3.

6. *Attritio extra sacramentum non est sufficiens ad obtinendam gratiam, sed est dispositio ad eam.*

7 *Minister sanctior non confert suscipienti sacramenta maiorem gratiam, quam malus, quia est instrumentum Christi, & n.*8. *sed potest ille, vti acceptior Deo aliquid impetrare pro suis amicis, quod non potest malus, & n.* 9.

10 *Hæretici possunt tempore necessitatis administrare sacramenta necessitatis, & suscipientes ab eis non peccant. idem dicitur de schismaticis, excommunicatis, & degradatis, dummodo tamen desint alij non impediti, & n.*11. *sed quid de alijs sacramentis? n.* 12. *quæ an licite recipiantur à ministris in peccatis publicis existẽtibus etiam extra necessitatem donec ab Ecclesia tolerentur? n.*13. 14. *&* 15. *& an è contra licitè tribuantur publicis peccatoribus? num.* 16. *vsque ad finem.*

Resolutio CLXXI.

1 PRæmitto tyronum fauore gratiam ex duplici capite conferri per sacramenta non ponentibus obicem, ex opere st. operato,id est ex vi ipsius sacramenti, seu diuina institutione, & meritis operatis Christi; & ex opere operantis idest propter meritum, & dispositionem suscipientis, Vnde peccator eliciens actum contritionis, seu dilectionis Dei super omnia, dicitur recipere gratiam ex opere operantis,id est propter propriam dispositionem, *Tolet.lib.*2.*cap.*16.*n.*7.*Regin. lib.*26.*num* 46.
2 eum declaratione tamen vt infra. respondendo modo ad quæsitum, dico cum *D. Thom.par.*3.*qu.*69. *ar* .8.recipientes sacramenta cum æquali dispositione, æqualem gratiam regulariter recipere, inæqualem verò, si cum inæquali; vnde infantes in baptismo, qui non in fide propria, sed in fide Ecclesiæ baptizantur, omnes æqualẽ gratiam recipiunt; adulti verò, qui per propriam fidem baptismum recipiunt,non æqualiter se habent; quidam enim cum minori, quidam cum maiori feruore charitatis accedunt, & ideo quidam plus, quidam minus de gratia accipiunt.
3 Exemplum tradit idem Sãctus de igne, qui cum idem sit, plus tamen caloris accipit, qui plus ei appropinquat, *licet* ignis quantum est de se, æqualiter ad omnes suum calorem effundat;potest tamẽ Deus etiam æqualiter dispositis, maiorem vni, quàm alteri gratiam tribuere; hoc tamen erit ex miraculo particulari, non ex vi sacramenti; sed posito vt dixi, maiorem
4 gratiam recipi regulariter à magis disposito ex opere operato, vtrum idem sit ex opere operantis? respondent *Suar. tom.*3. *disp.*7.*de sacram.sect.*5. *num.* 5. *& alij apud Bonac. eod.tit.tom.*1.*disp.*1.*q.*4.*pun.*3.*num.*3. quod,aut istæ dispositiones sufficiunt extra sacramentum ad conferẽdam gratiam, vt est contritio, vel quilibet actus amoris Dei super omnia, & tunc magis dispositus recipit maiorẽ gratiam altero minus disposito præter sacramentalem; dum enim extra sacramentum confertur gratia à Deo per vtrumque actum, à fortiori cum sacramento, quia inducta in augmentum, non debent operari diminutionem *l. legata inutiliter à contrario sensu ff. de adimend. legat.*

Aut

5 Aut verò dispositiones prædictæ non sufficiunt ad obtinendam gratiam extra sacramentũ, & tunc vltra gratiã sacramẽtalẽ non recipitur alia gratia, & consequenter contritus, non solùm recipit maiorem gratiã attrito, ex opere operato, per quod maior gratia confertur magis disposito, vt dictum est, sed etiam ex vi dispositionis
6 operantis, seu conterentis, quia attritio de per se non sufficit ad obtinendam gratiam, sicuti contritio, quæ propterea non potest esse deterioris conditionis cum iũgitur Sacramento, & insuper, quia attritio vt ait Suar. est dispositio ad gratiam, & proinde non potest idem actus attritionis esse dispositio ad gratiam, eodemque instanti meritum ad nouam gratiam. Recipitur ergo semper maior gratia tàm ex opere operato, quàm operantis per magis dispositum, dum hoc generaliter ita declaratur *per Trident. sess. 6. cap. 7. ibi, iustitiã in nobis recipientes vnusquisque secundum suam mensuram, quam Spiritus Sanctus partitur singulis prout vult secundum propriam cuiusque dispositionem; & cooperationem, Coninch. q. 62. art. 1. dub. 3. num.* 49. qui hoc de communi testatur; ratio est secũdum Suar. citat. vt sic omnes excitentur ad maiorem deuotionem, ac reuerentiam in sacramentis suscipiendis; & quia etiam causæ naturales potentius operantur circa passum melius dispositum.

7 Ad secundum respondetur non recipere maiorem gratiam suscipientem sacramenta à meliori ministro, quia gratia non confertur ob meritum ministri, sed Christi, & passionem eius, cuius merita non minuuntur ob iuprobitatem ministri, qui vt loquitur *Belarm. hoc tit. lib. 2. dist. 3. cap. 5. n.* 10. duplicem gerit personam, vna est publica, nempe Christi, & Ecclesiæ, & hęc semper est bona, sancta, & digna, & minister, vti talis persona administrat sacramẽta: alia est priuata, sed non vti talis administrat, & propterea non refert. Idem
8 antea docuit *D. Thom. par. 3. q. 64. art. 5. in cor. & ad 1. quia st. ministri Ecclesiæ instrumẽtaliter operantur in sacramentis eo, quod quodammodo eadem ratio est ministri, & instrumenti; instrumentum autem non agit secundum propriam formam, aut virtutem, sed secundum virtutem eius, à quo mouetur, & ideo accidit instrumento; inquantum est instrumẽtum qualemcumque formam, vel virtutem habeat, præter id, quod exigitur ad rationem instrumenti, sicut quod corpus medici (quod est instrumentum animæ habentis artem) sit sanum, vel infirmum, & sicut quod fistula per quam transit aqua, sit argentea, vel plumbea, vnde effectus consequitur in suscipientibus sacramenta non secundum similitudinem ministrorum, sed secundum configurationem ad*
9 *Christum.* Dicit tamen ibidem *art. 1. ad 2.* quod licet effectus sacramenti, qui est gratia non detur melior per meliorem ministrum: aliquid tamen annexum impetrari possit recipienti sacramentum per deuotionem ministri, nec tamen minister illud operatur, sed impetrat operandum à Deo, quia orationes iustorum sunt magis apud Deum exaudibiles, quam quorumcumque secundum *Ioann. in Euang. cap. 9. ibi si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc Deus exaudit,* Amicus enim Dei subdit *Toles. lib. 2. cap. 20. n. 11.* & seruus fidelis impetrat ea, quæ inimicus, & peccator impetrare non potest pro alijs *Regin. lib. 26. nu. 35.*

10 Ad tertium respondetur cum distinctione, aut enim loquimur de ministris præcisis, & ab Ecclesia separatis, vt sunt suspẽsi, depositi, degradati, excommunicati, schismatici, vel hæretici, & si sunt declarati, seu denunciati, non possunt ab his sacramenta suscipi absque peccato, nisi morte instante, & alio non existente, hoc enim de baptismo legitur in *c. si quem forte 24. q. 1.* idem de alijs, vt infra; (quod si extra necessitatem quis elegerit ab hęretico, vel schismatico baptizari, validus est baptismus, sed caret effectu gratię, donec conteratur peccati prædicti, hac de causa commissi *c. tunc valere de consecrat. dist. 4.*) Idem de pænitentia, quæ potest ab eisdem in relata necessitate recipi iuxta *Trid. sess. 14. cap. 7. ibi, omnes sacerdotes quoslibet penitentes, & c.* quod licet generaliter loquatur, est tamen intelligendum, vt possit quis à quolibet Confessario de quacũque censura absolui in articulo mortis, dummodo nequeat adiri ille, cui est reseruata, vel alius non adsit approbatus ab Ordinario, ita explicando Trident. dicunt fuisse vniuersali consuetudine receptum *Sanch. in summa tom. 1. lib. 2. cap. 13. nu. 7. Tolet. lib. 1. cap. 88. nu. 3. Valent. Coninch. Nagu. & alij apud Bonac. de censur. disp. 1. q. 3. pun. 3. nu. 3.*

Idem

11 Idem de Eucharistia in casu prædicto quod possit ab excommunicato vitando licitè recipi propter eius vtilitatẽ, & præcepti Diuini obligationem docent DD. *apud Dia.par.5.tract.9. resol.83. in fine*, licet autem hoc videatur prohibitum ab hæretico, vt in *c.capit 24.q.1.* vbi legitur Ermenegildum expulisse hæreticum Arrianum, qui volebat eum communicare, respondetur tamen ideo expulisse, & sanctè egisse, quia non instabat necessitas, qua vrgente, sicut licet ab excommunicato, eodẽ modo ab hæretico, cum vterque sit ab Ecclesia præcisus, quæ necessitas accidere potest, quando non valet ob aliud impedimentum recipere sacramentum pænitẽtiæ, tunc saltem cum isto, vel quolibet alio sacramento fiet de attrito contritus, vt supra *resol.45.n.5.& resol.79.n.10.* Quod si pœnitentiam moribundus suscipere non possit, quia forrasse loquelam de repente amisit, & signa contritionis non dedit, vel ex alio impedimento, neque Eucharistiam suscipere valeat, tunc sacerdos excõmunicatus, alio non impedito deficiente, extremam vnctionem illi conferre potest, vt per ipsam fiat ex attrito contritus, quia eo casu hoc sacramentum necessarium cẽsetur. idem *Dia.cit.& tract.3. resol. 89. ex Coninch.qu.64.art.6.dub 2. n.48. & alijs, & tract.10. resol.87.* quicquid in contrarium dicat obiter *Suar.sub hoc tit.tom.4. disp.44. sect.2.n.6.* eo magis, cum idem sacramentũ
12 in casu prædicto tribui posse à suspenso fateatur; Idem de cæteris sacramentis excepta confirmatione ex Præpos. & alijs scribit Dia. cit. *d.resol.83.§.fin.& part.11. tract.4. resol.21. §.nota verò ex Sanch. Henriq.& alijs*, & procedere, tàm in casu necessitatis, vt supra, quàm obliuionis, aut inaduertentiæ, vel ignorantiæ inuincibilium eadem *par.5.tract.9.resol.96. in fine*, quæ doctrina in casu ignorantiæ comprobatur *ex D.Tho.par. 3.q.64. art.9. ad 3. ab eo non cit.*

13 Aut verò loquimur de ministris in peccatis existentibus, & donec tolerentur ab Ecclesia, non est prohibitum suscipere ab illis sacramenta. rationem adducit *D. Tho. cit.ar.6. ad 2.* quia st. quis ea suscipit à ministro Ecclesiæ, non in quantum est talis persona, sed inquantum est minister Ecclesiæ, & ideo quàmdiù ab Ecclesia toleratur in ministerio, ille, qui ab eo suscipit, non communicat peccato eius, sed communicat Ecclesiæ, quæ eum tanquã ministrum exhibet; si vero ab Ecclesia nõ toleretur, puta cum degradatur, excommunicatur, vel suspenditur, peccat qui ab eo accipit sacramenta, quia peccato ipsius communicat, (extra tamen necessitatem,
14 vt mox dictum est.) Concordat Nicolaus Papa *in c.scissitantibus 15.q.8. ibi, proinde qualiscumque sacerdos sit, qua sancta sunt coinquinare non potest, idcirco ab eo, vsque quo iudicio Episcoporum reprobetur, communio percipienda est, quoniam mali bona administrando, se tantùmmodo lędunt, & cerea fax accensa sibi quidem detrimentum præstat, alijs verò lumen in tenebris administrat, & vnde alijs commodum exhibet, inde sibi dispendium præbet, sumite ergo ab omni sacerdote intrepidè Christi mysteria, quia omnia in fide Christi purgantur; fides n. est, quæ hunc mundum vincit.*

15 Quod eo magis procedit, quando prædicti ministri sunt expositi, vel eis ex officio incumbit, vt Parochi, tunc non solùm licet suscipere, sed etiam petere, quod si non incumbat ex officio, non licet ab eis petere sacramẽta extra casum necessitatis, quia tunc esset illos inducere ad peccandum, vt docet *Tolet. d. c.83. num.5. & 6.* quod verius puto, ita interpretando, seu distinguendo doctrinam D.Thom.& text. relat. quamuis contrarium dicant *Præpos. apud Dia.tract.9. resol.83. §. notandum, & Bona.disp.1.hoc tit.q.6.to.1.pun.5.nu.2. & 5. ex bulla Martin.5.* ea ratione, vt aiunt, quia non tenetur pænitens inquirere, an minister sit probus, vel improbus, cum talis diligentia non sit illi commissa, eo magis cũ vnusquisque præsumatur bonus, donec probetur malus *l.merito ff.pro socio, ibique Alex. & alij addentes ad Bar.* hoc n. procedere potest in dubio, secus si peccatum sit publicum, quo casu possent ad summum suscipi sacramenta ab expositis, non autẽ peti, nisi in casu necessitatis, vt supra, & infra *n.18.in fine.* ex dictis per eundem D. Tho.ibi citandum.

16 Ad vltimum respondet *Doctor Sanct. p. 3. q.80.art. 6. in corp.* quod circa peccatores, qui dicuntur indignè petere distinguendum est, quidam n. sunt occulti, quidam verò manifesti st. per euidentiam facti, sicut publici vsurarij, aut publici raptores, vel etiam per aliquod iudicium ecclesiasticum, vel sæculare; manifestis ergo peccatoribus non debet, etiam petentibus

tibus

tibus sacra communio dari, vnde *Cyprian. lib. 1. epist. 10. in princ.* ita scribit ad quemdam: *Pro dilectione tua consulendum me existimasti, quid mihi videatur de histrionibus, & mago illo, qui apud vos constitutus, adhuc in artis sua dedecore perseuerat, an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari? puto nec Maiestati Diuinæ, nec Euangelica disciplina congruere, vt pudor, & honor Ecclesiæ tam turpi, & infami contagione fœdetur.*

17 Si verò non sunt manifesti peccatores, sed occulti, non potest eis petentibus sacra communio denegari; cum enim quilibet christianus ex hoc ipso, quod est baptizatus, sit admissus ad Dominicam mensam, non potest ei ius suum, tolli, nisi pro aliqua causa minifesta; vnde super illud *1. Corinth. 5. si is, qui frater nominatur inter vos, &c. dicit Gl. August. in lib. de medicina pœnitentiæ cap. 3. in medio tom. 3. nos à communione quemquam prohibere non possumus, nisi aut sponte confessum, aut in aliquo iudicio ecclesiastico, vel sæculari nominatum. atque conuictum, potest tamen sacerdos, qui est conscius criminis, occulte monere peccatorem occultum, vel etiam in publico generaliter omnes, ne ad mensam Domini accedant, antequam de peccatis pœniteant, nam post pœnitentiam etiam publicis peccatoribus non est communio deneganda, præcipuè in articulo mortis, vnde in Concil. Carthagin. can. 35. legitur scenicis, atque histrionibus, cæterisque huiusmodi personis, vel apostatis conuersis ad Deum reconciliatio non negetur.*

18 Idem Sanct. *in 4. dist. 9. q. 1. art. 5. in cor. quæstiunc. 1.* ita eandem materiam prosequitur; *aut peccatum est occultum, aut manifestum, si occultum, aut peccator exigit in occulto, aut in manifesto: si in occulto debet ei denegari, & moneri nè in publico petat; si autem in manifesto petit, debet ei dari, primo, quia pro peccato occulto, pœnam inferens publicam, reuelator est confessionis, & proditor criminis, secundo, quia quilibet Christianus habet ius in perceptione Eucharistiæ, nisi illud per mortale amittat, vnde cum in facie Ecclesiæ non constet istum amisisse ius suum, non oportet ei in facie Ecclesiæ denegari, aliàs daretur facultas malis sacerdotibus pro suo libito punire maxima pœna, quos vellent, tertiò propter incertitudinem status sumentis, quia spiritus vbi vult spirat, vnde subito potest esse compunctus, & diuinitus à peccato purgatus, & diuina inspiratione ad sacramentum accedere, quarto, quia esset scandalum, si denegaretur; si verò peccatum est manifestum, debet ei negari, siue in occulto, siue in manifesto petat.*

19 Quam doctrinam sequuntur *Sylu. v. Eucharistia 3. nu. 7. Chamer. de Euchar. cap. 10. dub. 15. Henriq. lib. 1. cap. 30. nu. 5. & in comment. litt. Q. & R. Valent. tom. 4. disp. 6. qu. 8. pun. 3. versic. quarto peccatori, Bonac. to. 1. disp. 1. q. 6. pun. 4. nu. 2.* imò addit *Nauar. in summ. cap. 21. n. 55.* peccare Parochum denegantem communionem pœnitenti, siue secretè, siuè publicè petenti propter peccatum mortale occultum, quod in confessione audiuit, à quo illum non absoluit, eo quod non satis pœniteret, tum quia id esset detractio, & detectio peccati occulti; tum quia esset reuelatio peccati sibi confessi, tempore tamen quo iure communicare tenetur, sequitur *Bonac. cit. num. 4.*

20 Nec hoc contradicit D. Thom. vbi supra, quia est intelligendus, quando pœnitens peteret in loco, vbi non adesset, nisi ipse solus cum ministrante, vel de occultis, quæ quis scit extra confessionem; nam ea, quæ scit in confessione, non scit, vt homo; sed vt Deus *Sylu. cit. ex c. 2. de offic. ordin.* quod si pœnitens fuit absolutus, non possunt ei negari alia sacramenta, quamuis antea fuisset manifestus peccator iuxta *Nauar. d. n. 55.* qui etiam est intelligẽdus, dummodo cesset scandalum, vnde rectius dicit *Sylu. sub d. num. 7.* quod meretrices, & publici vsurarij sunt omnino ab Altari repellendi, nisi egerint pœnitentiã, ita quod post priuatam admitti possunt ad Eucharistiam priuatè, idest in secreto nõ publico, & post publicam pœnitentiam, publicè, quia manifesta delicta non sunt occultè corripienda *ex c. 1. de pœnit. & remiss.* & concludit, quod sacerdos antequã eos admittat in publ co ad Eucharistiam, vel debet iniungere publicam pœnitentiam, vel publicare, quod sunt pœnitentes, & vide dicta supra *res. 2. n. 12.* ad quæ me remitto.

Vtrũ gratia quę confertur in singulis sacramentis sit diuersa essentialiter, vel accidentaliter, quo tempore sacramẽta conferant gratiam, num valide administrentur sine ritu essentiali, vel accidentali, & tandem num illa veteris legis, contulerint gratiam sicuti nouę?

SVMMARIVM.

1 *Gratia sanctificans, quæ confertur in singulis sacramentis, non est diuersa essentialiter, sed tantùm accidentaliter, & ideo communiter dicitur recipi in illis augmentum gratiæ, non gratiam diuersam, & n. 2. & 3.*

4 *Sacramenta causant gratiam in eo instanti, quo materia, & forma habent perfectam significationem, ad quam sunt instituta, excepta Eucharistia, quæ illam causat, quando suscipitur, non autem quando conficitur Sacramentum. In illis conficiendis duplex ritus requiritur, sed an alterutro omisso, vel variato conficiatur Sacramentum, aut mortale committatur, vel ex leuitate materiæ detur excusatio? n. 5.*

6 *Sacramenta veteris legis non conferebant gratiam, excepta circumcisione, sed significabant fidem, per quam iustificabantur illa recipientes, & n. 7. usque ad finem.*

Resolutio CLXXII.

1 AD primum respondetur gratiam sanctificantem, quæ confertur in sacramentis, non esse diuersam essentialiter, sed eiusdem speciei in omnibus, dicitur enim in *Catech. Rom. hoc tit. cap. 1. par. 2. nu. 21.* augeri in nobis per confirmationem gratiam susceptam in baptismo, idemque dicit *Belarm. lib. 2. eod. tit. dist. 3. sub nu. 11.* procedere in hoc, & alijs sacramentis, sed qualitas non augetur per qualitatem distinctæ speciei, sed eiusdem; calor enim augetur, & fit intentior per calorem, non autem per aliam qualitatem specie diuersam; ergo non est diuersa essentialiter, sed eiusdem speciei, vt percipitur ex *D. Tho. 3. par. q. 62. art. 2. Henriq. lib. 1. cap. 12. n. 5. & seq. Gregor. de Valent. tom. 4. disp. 3. q. 3. pun. 2. Regin. lib. 26. nu. 47. & alij*, qui tamen dicunt esse diuersam accidentaliter, licet non essentialiter. (An autem Gratia sacramentorum distinguatur à gratia donorũ, & virtutum, & à gratia gratum faciente. latè contra antiquos Theologos *Sot. in 4. dist. 1. q. 3. art. 2.*)

2 Quæ diuersitas consistit in diuersis auxilijs, quæ comitantur gratiam habitualẽ directis ad finem, ad quem vnumquodque sacramentum est ordinatum, sicuti n. 3 in quolibet sacramento intenditur finis particularis, ita per quodlibet sacramentũ conferuntur auxilia specialia ad consequendum ipsius finem, vt de singulis loquitur Belarm. loco cit. & percipitur ex D. Tho. cit. in baptismo namque conferuntur auxilia specialia cum dispositione ad suscipienda reliqua sacramenta, & ad seruanda Christi præcepta, in confirmatione augetur gratia cum speciali auxilio ad confitendum Christum, & pugnandum contra eius inimicos, in pœnitentia, confertur gratia cum speciali auxilio ad perfectiùs detestanda peccata, & satisfaciendum pro commissis; in Eucharistia augetur gratia cum speciali auxilio ad præcauendas, & superandas tentationes, & ad crebros virtutum actus eliciendos. In extrema vnctione augetur gratia cum speciali auxilio ad faciliùs resistendum tentationibus in periculo mortis, cuius vnctio, subdit *Trident. sess. 14. c. 2. sub eod. tit.* delicta, si quę sint adhuc expiãda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam in eo diuinæ Misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus subleuatus, morbi incõmoda, ac labores leuius fert, & tẽtationibus dæmonis calcaneo insidiantis, faciliùs resistit; In sacramento ordinis augetur gratia cũ speciali auxilio, vt per illum ministri Ecclesiæ habiles, & digni reddantur ad ministeria, & functiones illius; & tandem in matrimonio augetur gratia cum speciali auxilio ad fouendum mutuum amorem, ad seruandam fidem, & ad prolem suscipiendam, & religiosè educandam *Vasq. in 3. par. disp. 81. ar. 4. c. 7. nu. 78. Henriq. & Regin. loc. cit.*

4 Ad secundum respondetur sacramenta causare gratiam in eo instanti, in quo materia, & forma habent perfectam significationem, ad quam sunt instituta *E. g.* in Sacramento baptismi causatur gratia in eo instanti, quo ablutio, & prolatio verborum gignit perfectum sensum *Henriq. lib. 1. cap. 19. n. 1. & lib. 2. cap. 9. n. 1. Coninch. q. 62. art. 4. n. 62.* & consequenter ait *Bonac. tom. 1. disp. 1. q. 4. pun. 7. num. 2.* non est verus baptismus, quando quis aut non dum abluit, aut non dum protulit verba habentia perfectum sensum, sacramentum verò Eucharistię solum, non producit gratiam post completam formam consecrationis super

debi-

ta materia; quia tunc conficitur tantùm Sacramentum, gratia verò producitur, & confertur, quãdo suscipitur *Sot. in 4. dist. 9. q. 2. art. 2. & aly apud eundem Bonac. sub d. n. 2. & nos supra v. Eucharistia.*

5 Ad tertium respondetur in conficiendis sacramentis duplicem ritum requiri, vnũ de necessitate sacramenti, seu medij, & sunt materia, forma, & intencio, sine quibus, vel vnoquoque ipsorum non conficiuntur, & propterea dicitur ritus essentialis; alterum de necessitate præcepti, vt sunt cæremoniæ, seu actiones externæ, quę attinent ad decus, & ornatum, quæ solent seruari in administrandis sacramẽtis; & dicitur ritus accidentalis, quia sine eo conficiuntur sacramenta, sed nõ licitè, & propterea variare cæremonias prædictas est ex suo genere mortale *Suar. disp. 16. sect. 2. §. fin.* vbi hoc exemplificat in eo, qui omitteret mixtionem aquæ in consecratione sanguinis, vel si latinus consecraret in pane fermentato, *Henriq. lib. 1. cap. 11. nu. 4. Belarm. lib. 2. hoc tit. cap. 26. Regin. lib. 26. num. 59.* nisi leuitas materiæ excuset, veluti si quis baptizando priuatim in casu necessitatis, vteretur forma vulgari idem Suar ibidem.

6 Ad vltimum respõdet *D. Tho. in 4. sent. dist. 1. q. 1. ar. 5. q. 1. in corp.* quod nullo modo sacramenta veteris legis conferebant gratiam, excepta circumcisione, sed solùm significabant fidem, per quam iustificabãtur, vt etiam dictum est supra resol. 165. *n. 7. & 10.* quod videtur confirmatum ex *Trid. sess. 7. can. 2.* sed latius prosequitur materiam idem *Sanct. par. 3. q. 62. ar. 6. & q. 70. ar. 4. in corp.* vbi prosequitur de circũcisione, videlicet, *Ab omnibus communiter ponitur, quod in circumcisione peccatum originale remittebatur, quidam tamen dixerunt, quod non conferebatur gratia, sed solùm auferebatur peccatum, sed hoc non potest esse, quia culpa non remittitur, nisi per gratiam secundum illud ad Rom. 3. iustificati gratis per*
7 *gratiam. Et ideò aly dixerunt, quod per circumcisionem conferebatur gratia quantum ad effectus remissionis culpæ, sed non quantum ad effectus positiuos, ne cogerentur dicere, quod gratia in circumcisione collata sufficiebat ad implendum mandata legis, & ita superfluus fuerit aduentus Christi; sed hæc etiam positio stare non potest, primo quidem, quia per circumcisionem dabatur pueris facultas suo tempore perueniendi ad gloriam, quæ est vltimus effectus positiuus gratiæ; secundo quia priores sunt naturaliter secundũ ordinem causæ formalis, effectus positiui, quàm priuatiui, licet secundum ordinem causæ materialis sit è conuerso, forma n. non excludit priuationem, nisi in priuando subiectum.*

8 *Et ideo aly dixerunt, quod in circumcisione conferebatur gratia, etiam quantum ad aliquem effectum positiuum, qui est facere dignũ vita æterna, sed non quantum ad omnes effectus, quia non sufficiebant reprimere concupiscentiam fomitis, nec ad implendum mandata legis, quod etiam aliquando mihi visum est, sed diligenter consideranti apparet hoc non esse verum, quia minima gratia potest resistere cuilibet concupiscentiæ, & vitare omne peccatum mortale, quod committitur in trangressione mandatorum legis; minima enim caritas plus diligit Deum, quàm cupiditas millia auri, & argenti, & ideò dicendum est, quod in circumcisione conferebatur gratia, quantum ad omnes gratiæ effectus, aliter tamen quam in baptismo; nam in baptismo confertur gratia ex virtute ipsius baptismi, quam habet in quantum est instrumentum passionis Christi iã*
9 *perfectæ. In circumcisione autem conferebatur gratia, non ex virtute circumcisionis, sed ex virtute fidei Passionis Christi, cuius signum erat circumcisio, ita scilicet quod homo, qui accipiebat circumcisionem, profitebatur se suscipere talem fidem, vel adultus pro se, vel alius pro paruulis, vnde Apostol. dicit ad Rom. 4. quod Abraham accepit signum circumcisionis signaculum iustitiæ fidei, quia scilicet iustitia erat ex fide significata, non ex circumcisione significante, & quia baptismus operatur instrumentaliter in virtute Passionis Christi, non autem circumcisio, ideo baptismus imprimit characterem incorporantem hominem Christo, & copiosiorem gratiam confert, quam circumcisio: maior enim est effectus rei præsentis, quàm spei.*

10 Et adeo verum est circumcisionem cõtulisse gratiam, quod si haberet locum post passionem Christi, etiam introduceret ad Regnum; etenim neque baptismus ante passionem eius introducebat ad Regnum, auferebantur ergo per illam originale peccatum & etiam actualia adultorum, non tamen liberabãtur ab omni reatu pœnæ sicuti per baptismum, in quo confertur copiosior gratia; ante autẽ circumcisionem datam Abrahæ, qui fuit primus circumcisus, sola fides Christi futuri iu-

sticabat tàm pueros, quàm adultos, sicuti etiam circumcisione ordinata; sed antea non requirebatur aliquod signum protestatiuum huius fidei, quia non dum fideles seorsum ab infidelibus cæperant adunari ad cultum vnius Dei; probabile tamen est, parentes fideles pro paruulis natis, & maximè in periculo existentibus aliquas preces Deo fudisse, vel aliquam benedictionem eis adhibuisse (quod erat quoddam signaculum fidei) sicuti adulti pro se ipsis preces, & sacrificia offerebant, vt docent idem *Sanct.eod.art.*4. *& Belarm. hoc tit.lib.*2.*dist.*3.*cap.*2. *n.*3.

Quæritur de charactere, & de sacramentis eum imprimentibus, vbi imprimatur? num vetera sacramenta illum impresserint, de illorum differentia, connexione, & duratione, eorumque susceptoribus, & tandem an Beati, & Angeli sint Sacramentorum capaces?

SVMMARIVM.

1 *Character quid sit, & in quibus Sacramentis imprimatur? an in essentia animæ, & num vetera illum impresserint? n.*2. *&* 3.

4 *Characteres baptismi, confirmationis, & ordinis differunt inter se specie. Sed sacrorum ordinum non ita, quia omnes ordinantur ad vnum eundem characterẽ n.*5. *&* 6.

7 *Ordines sacri si conferantur absque confirmatione præcedenti, valent, nec propterea cõmittitur mortale, sed tantũ veniale peccatum, si conferantur ordine præpostero, tenent, sunt tamen postea conferendi priores non dati absque iteratione collati, sed an dispenset Episcopus, vel Pontifex? n.*8.

9 *Character semel susceptus, est indelebilis, & non amittitur etiam per hæresim, vel schisma, nec per mortem corporis.*

10 *Sacramentorum omnes sunt capaces, aliquibus exceptis, vt infra. sed an Angeli? n.*11. *&* 12.

Resolutio CLXXIII.

1 Character ex *Apost.*2.*ad Corinth. cap.*1. sic definitur *est insigne quoddam animæ impressum, quod deleri numquam potest, eique perpetuo inhæret.* Alias definitiones latiores tradit *D.Thom.in* 4.*dist.*4.*q.*1.*art.*2.*& part.* 3. *q.*63.*art.*2. quæ in idem reincidunt, sed non placet tradita *per Gregor.de Valent.to.* 3. *disp.*3. *qu.*4. *pun.*1. qui sic definiuit, *est qualitas spiritualis animæ diuinitus infusa, qua homo redditur aptus ad sacramenta suscipienda, vel administranda, & ad alia diuini cultus opera*; etenim excluderetur à definitione baptismus, quia si iuxta eam character reddit aptum subiectum ad sacramenta suscipienda, vel administranda, homo qui ante baptismum nullum habet characterem, non esset aptus ad baptismum suscipiendum, & propterea tenenda est definitio Apost. quæ cõplectitur omnia sacramenta Characterem imprimentia, quæ sunt baptismus, confirmatio, & ordo *Trid.de sacram.sess.*7.*can.*9. *idem Apost.epist.*2.*ad Corinth.cap.*1. *D. Tho. p.*3.*q.*63.*a.*1. *Henriq.lib.*1.*c.*13.*Regin.lib.*26. *n.*48. *& omnes.*

2 Imprimitur autem in essentia, seu substantia animæ secundum *Suar.to.*3. *disp.*11. *sect.*4. *§.quinta ergo. Vasq.*3. *par.q.*3.*art.*6. *disp.*134. *cap.*4.*nu.*81. *Belarm. lib.*2. *hoc tit. cap.* 19. *& alij*, qui scripserunt post Trid. per quod *in d.sess.*7.*can.*9. fuit dictum, imprimi in anima, non in aliqua eius potentia in particulari, nam antea communis erat sententia *D.Thom.part.*3.*qu.*63. *art.*4. dicentis imprimi in intellectu ex rationibus ibi per eum adductis, explosa sentẽtia Scoti, volentis imprimi in voluntate, quam confutat *Caiet. loco cit. ad* 3. sed vetera sacramenta nullum imprimebãt characterem; etenim dum ex Trid. habemus hæc tria sacramenta illum imprimere cũ exclusione aliorum etiam nouæ legis, non est cur includantur illa legis veteris, ad regulam iuris *in c. nonne de præsumpt. & l. cum Prætor. ff. de iudic. DD. communiter apud Bonac.hoc tit.disp.*1.*q.*5. *pun.*1. *n.*4. qui *pun.* 3. *n.*1. ex multis probat Characteres 3

4 baptismi, confirmationis, & ordinis differre inter se specie, ea ratione, quia diuersitas specifica cognoscitur ex diuersitate potentiarum, habituum, & actuum, sed characteres sunt potentiæ, seu habitus ordinati ad diuersos actus, vt patet ex fine vniuscuiusque eorum, ad quem sunt directi, ergo differunt specie inter se; vn-

5 de patet characteres singulorum sacrorũ ordinum non differre inter se specie, quia sin-

singuli ordinantur ad vnum eundem characterem sacerdotij, & ad eundem finem, quapropter potius dicitur extendi, quam multiplicari,nequidem numero, alias essent plures characteres, quàm tres contra
6 Trid. vbi supra. Characteres autem confirmationis, vel ordinis necessariam habēt connexionem cum charactere baptismi, adeò quod si confirmatio, vel ordo conferantur non baptizato, inualidè conferūtur. hinc *Innoc. 3. in c. 2. §. quia verò de prasbit. non bapt.* relatis verbis cuiusdam Concilij ibi, *si quis in Præsbyterum ordinatus deprehenderit se non esse baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. &c.* subdit *mādamus quatenus ipsum per singulos ordines vsque ad sacerdotium promouere procures, & permittas eum in sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum, nec male de sacramento sentitur, cū illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit, &c.* Verum character
7 ordinis non habet necessariam connexionem cum charactere confirmationis; ille enim si conferatur non confirmato, validus est, quamuis dissentio prius erat inter Doctores, an mortale propterea committatur, quos refert *Henriq. lib. 3. cap. 5. in fine in comment. litt. R.* sed præualuit opinio, quod sit solùm veniale, vt per eundem *Henriq. ex Nauar. in man. cap. 22. nu. 9. in fine*, quia licet *Trid. sess. 23. cap. 4.* prohibeat hoc fieri, non tamen sub aliqua graui pæna, & propterea idem docent multi cum *Dia. par. 10. tr. 11. resol. 14.*
8 Character autem ordinum sacrorum tenet, etiam si præpostero ordine suscipiantur, puta si suscepto subdiaconatu, suscipiatur sacerdotium, & postea diaconatus, super quo defectu dispensat Episcopus ex *c. 1. de sacram. non iterand. & c. 1. de Cler. per salt. prom. vbi Gl. v. de misericordia* docet idem procedere in assumpto ad sacerdotium absque vllo ordine præcedenti, quod st. possint suppleri absque iteratione ordinis sacerdotalis; vnde sequitur quod licet isti ordines sint plures numero; non tamen habent necessariam connexionem inter se, dum ex prædictis patet, collationem posterioris, priori prætermisso teneri, si tamen isti promoti per saltum ministrauerint ante dispensationem ab Episco. po in ordine per saltum suscepto, indigēt dispensatione Apostolica *ex Trid. sess. 23. c. 14. in fine Suar. de censur. disp. 31. sect. 1. nu.* *52. Dia. par. 5. tract. 10. resol. 27. §. notandum tertiò, & resol. 29.* Durare quoque semper
9 characterem, semel susceptum, & numquam amitti per quodcumque peccatum, etiam si esset hæresis, vel schisma, cum sit indelebilis, legitur *in Trid. sess. 7. can. 9.* rationem tradit *D. Thom. par. 3. qu. 63. art. 5.* quia st. character est qualitas supernaturalis spiritualis, non agnoscens contrariū, nec naturale, nec morale, vt gratia, cui aduersatur peccatum, merito indelebiliter est in anima, quæ est perpetua, & incorruptibilis, & proinde illi semel affixus, sēper durat, sicut illa, in bonis ad eorum gloriam, in malis ad eorum ignominiam, sicut etiam character militaris remanet in militibus post adeptam victoriam in ijs, qui vicerunt ad gloriam, & in ijs, qui fuerunt victi ad pænam; vt dicit *D. Thom. cit. ad 3.* An autem de potentia Dei character possit destrui non annihilata anima tractat *Sotus in 4. dist. 1. q. 4. art. 5.*
10 Susceptores verò capaces sacramentorum, sunt omnes homines, cum aliqua tamen exceptione; nam aliqui sunt incapaces matrimonij propter impotentiam, aut minorem ætatem; alij ordinis, vt feminæ, & hermaphroditi; alij pænitentiæ, extremæ vnctionis, & Eucharistiæ, vt pueri ante vsum rationis, de quibus sigillatim suis locis dictum est; Angeli autem vti spirituales non sunt capaces sacramētorum, quia consistunt in rebus materialibus, vt ex *D. Thom. par. 3. q. 80. art. 2. & 3.* docent *Suar. to. 3. hoc tit. disp. 14. sect. 1. n. 1. Henriq. lib. 1. c. 21. n. 1. Regin. lib. 26. n. 50. & alij communiter.*
11 In contrarium autem arguit idem *Sanct. d. art. 2.* per id quod dicitur *in psalmo 77. ibi panem Angelorum manducauit homo*, vbi Gl. dicit, id est corpus Christi, quod est vere cibus Angelorum, sed hoc non esset, si Angeli spiritualiter non manducarent Christum; ergo Angeli etiam spiritualiter Christum manducant; & respondet ibid. in cor. & ad 1. videlicet, *in hoc Sacramento continetur ipse Christus, non quidem in specie propria, sed in specie sacramenti; dupliciter ergo contingit manducare spiritualiter Christum, vno modo prout in specie consistit, & hoc modo Angeli manducant ipsum Christum, in quantum ei vniuntur fruitione charitatis perfectæ, & visione manifesta (quem panem expectamus in Patria) non per fidem, sicut nos*
12 *ei hic vnimur. Alio modo contingit spiritualiter manducare Christum, prout est in speciebus*

bus huius sacramenti, in quantum st. aliquis credit in Christum cum desiderio sumendi hoc sacramentum, & hoc non solùm est spiritualiter manducare Christum, sed etiam spiritualiter manducare hoc sacramentum, quod non competit Angelis, & ideo licet Angeli spiritualiter manducent Christum, non tamen conuenit eis spiritualiter manducare hoc sacramentum, & ideo dicitur homo manducare panem Angelorum, quia primo, & principaliter est Angelorum, qui eo fruuntur in specie propria, secundario autē est hominū, qui Christum sub sacramento accipiunt. Hic superesset agendū de intentione requisita tàm in conficiendis, quàm in suscipiendis sacramentis, vti de re in singulis necessariò requisita, dum supradictum est de materia, & forma illorum similiter necessaria, sed qui actum de ea est *supra res.160.n.9.* ibi me remitto.

Quid, & quotuplex sit scandalum, an sit peccatum mortale, vel veniale, & si tale, an sit vnum, vel duo?

SVMMARIVM.

1 *Scandalum quid sit, & quomodo differat à peccato secundum se n.2. Est duplex actiuum, & passiuum, illud dicitur scandalum de per se, istud per per accidens. n.3. 4. & 5. Aliquando est actiuum, & passiuum simul, aliquando actiuum sine passiuo, & aliquando passiuum sine actiuo. n.6. An, & quando sit mortale, vel veniale. n.7. vsque ad 11.*

12 *Scandalum mortale an committat mulier, quæ se inspiciendam exhibet ab aliquo, quem credit eam concupiturum. Actiuum alijs dans, semper duo peccata committit mortalia, vel venialia iuxta materiam scandali.*

Resolutio CLXXIV.

1 AD primum definitur scandalum per *D. Thom. 2.2. qu.43. art. 1.* quod sit dictum, vel factum minus rectum, alijs occasionem ruinæ præbens *Syln. v. scandalum sub initio, Regin. lib. 14. cap. 4. num. 22. Summa Dia. v. scandalum nu. 1.* quam definitionem explicando Sanctus, dicit differre à definitione peccati secundum se, sub qua continetur non solùm dictum, vel factum, sed etiam concupitum: & ratio est, quia concupitum, seu concupiscentia, est cogitatio mali, quæ latet in corde, quam propterea cum alij non videant, non possunt ab illa sumere occasionem scandali; Nec dicitur minus rectum eo, quod ab alijs superetur in rectitudine, sed quia habet aliquē rectitudinis defectum; vel quia est secundum se malum, vel habet speciē

2 mali. Hoc exemplificat Sanctus ibidem *ad 2.* in eo, qui recumbit Idolo, quod quāuis secundum se peccatum non sit (si modo non fiat intentione corrupta) quia tamen habet quamdam speciem mali, vel similitudinem venerationis Idoli, potest alijs ruinæ occasionem præbere; *qua de causa Apost. 1. ad Thessal. 5.* monet omnes ab omni specie mali abstinere. Item non dicitur in definitione dans causam ruinę, sed occasionem, quod significat causam imperfectam, quia nihil potest esse homini sufficiens causa peccati, nisi propria volūtas, idem Sanct. *ad 3.*

3 Ad secundum scandalum est duplex, actiuum, & passiuum; illud est quando aliquis suo malo verbo, vel facto intendit alium ad peccandum inducere; vel etiam si hoc principaliter non intendat, factum tamen, vel dictum est tale, quod de sui ratione habet, vt sit inductiuum ad peccandum, puta cum aliquis publicè peccat dicto, vel facto, qui propterea dat alijs occasionem ruinę, & dicitur etiam scandalum de per se; Passiuum autem est, quando præter intentionem operantis, & conditionem operis, aliquis malè dispositus, ex aliquo opere inducitur ad peccādum, puta cum quis dicit esse adhibendam diligentiam in cura rerum, & bonorum corporalium, & de facto illam adhibet, ea licitis medijs multiplicando, si alter videns istius diuitias, sumit occasionem inuidiæ, hoc dicitur scandalum passiuum, seu per accidens, quia ipse idem

4 est suæ ruinæ causa. Nec ille, qui dicit, vel facit huiusmodi actus licitos peccat, licèt alter ex illis occasionem peccandi sumat. idem *Sanct. d. art. 1. ad 4. Syln. Regin. & Dia. cit.* quod probatur apud *Matth. cap. 15.* vbi cum dixerit Christus Phariseis, non omne quod intrat in os, coinquinat hominem, scandalizati sunt, & propterea cum dixerint Apostoli eidem Domino, scis quia Pharisei audito hoc verbo scandalizati

sunt,

sunt, respondit, sinite illos, cæci sunt, & duces cæcorũ; Ergo non est in hoc peccatum aliquod, & consequenter ad propositũ dicit *Gregor. in c. inter verba 11. q. 3.* habemus de hoc consolationem in Euangelio.

5 Confirmatur ex *Innoc. 3. in c. magnæ §. cum igitur de voto*, vbi cum commutauerit cuidam votum vltra marinum in alia pietatis opera, dubitans aliquos ex hoc scandalum accepturos, putantes non posse à Pontifice commutari, post relata diuersa sacræ scripturæ loca, in quibus probatur commutari posse, dicit *non curantes, quod os loquentium iniqua loquatur*, & citat præfatum tex. *Matth.*

6 Quandoque autem contingit esse scandalum actiuum in vno, & passiuum in alio, puta cum ad inductionẽ vnius, alius peccat; quandoque est scandalum actiuum sine passiuo, vt quando aliquis verbo, vel facto procurat inducere alium ad peccandum, & iste non cõsentit, quandoque tandem è contra est scandalũ passiuum sine actiuo, vt quando quis sumit occasionem peccãdi ex alterius facto, vel dicto licitis, vt dixi, & tradit *Sanct. cit. d. art. 1. ad 4. Sylu. sub n. 1. ex eod. Sanct. Richar. & alijs Regin n. 23. Dia. vbi recentiores par. 5. tract. 7. resol. 1.*

7 Ad 3. respõdet *D. Tho. cit. a. 4. in cor.* videlt *scandalum importat impactionem quamdã, per quam aliquis disponitur ad ruinam, & ideo scandalum passiuum quãdoque potest esse peccatum veniale, puta cum aliquis ex inordinato dicto, vel facto alterius commouetur motu venialis peccati: quandoque verò est mortale cum aliquis ex inordinato dicto, vel facto alterius procedit vsque ad mortale. Scandalum autem actiuum si fit per accidens, potest esse quandoque veniale, puta cum aliquis, vel actũ venialis peccati, vel actum, qui non est secundum se peccatum, sed habet aliquam speciem mali cum aliqua leui indiscretione committit, quandoq; verò est mortale, siue quãdo quis cõmittit actum peccati mortalis, siue quando contemnit salutem proximi, vt si in eius detrimentum, non prætermittat aliquis facere, quod*
8 *sibi libuerit. Si vero scandalum actiuum sit per se, puta cum intendit inducere alium ad peccandum, siquidem intendat inducere ad peccandum mortaliter, est mortale, & similiter, si intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati mortalis; Si verò intendat inducere proximum ad peccandum venialiter per actum peccati venialis, est peccatum veniale*, quam doctrinam eodem modo transcribit *Sylu. cit. n. 2.* & addit, idem per omnia esse, si quis non intendat inducere, sed tamen factum sit inductiuum, quod verum est singula singulis referendo, vt etiam dictum est.

9 Idem in substãtia docet *Regin. d. lib. 14. n. 24.* dum dicit, scandalum esse ex suo genere mortale *ex Matt. c. 5. & cap. 18. & ex epist. ad Roman. cap. 14. sub fine, & ad Corinth. c. 8.* quia ex genere suo est charitati contrarium, ex leuitate verò materiæ, vel inaduertentia, quæ reddat consensum voluntatis semiplenum, & imperfectum, fieri veniale. Sed *Nauar. in man. cap. 14. sub n. 28.* ita distinguit, aut quis dicit, vel facit aliquid, quod de se non est mortale, cum intentione tamen ad illud inducendi alterũ, vel absque tali intentione facit aliquid, quod præsefert speciem mortalis, & in tali loco, & coram talibus est sufficiens impulsus ad peccãdum mortaliter, tunc est mortale; Si verò ex se non est mortale, licet habeat eius speciem, factum coram alio sine intentione inducendi ad peccatum, non est mortale, imò etiam quod de se est mortale, commissum coram alijs absque tali intentione, & absque periculo probabili illos ad peccatum impellendi, nec est mor-
10 tale. Quod dictum cum his adiunctis non est contrarium *D. Thom. d. art. 1. ad 4.* vt supra retuli, sed potius est conforme alteri loco eiusdem Sanct. citat. *art. 3. in corp.* ibi, *scandalum autem actiuum potest accipi dupliciter per se, & per accidens. quando est præter intentionem agentis, vt puta cum aliquis facto suo, vel verbo inordinato, non intendit alteri dare occasionem ruinæ, sed solùm suæ satisfacere voluntati, & sic scãdalum actiuum non est speciale peccatum, quia quod est per accidens, non constituit speciem, &c.* est propterea Sanctus intelligendus secundum expositionem Nauar. vt supra, aliàs ista duo loca citata viderentur contraria.

11 Sed non placet quod idem Nauarr. addit *n. 29. in fine*, quod neque veniale peccatum sit amplius, quàm veniale, si fiat animo alliciendi alterum ad peccandum mortaliter; hoc enim non solùm contradicit dictis per eundem ibidem paulò ante, sed est erroneum, quia quamuis aliquis nec mortale, nec veniale committat coram alijs, sed solùm habeat intentionem, seu desiderium, vt aliquis mortaliter peccet, mortale sine dubio committit; hoc n. est proprium

prium officium diaboli, & docent *D. Tho. d.art.4.in corp. & alij DD. cit.* Exemplum
12 de priori doctrina sub n.9.relata dat Nauar. cit. de femina, quæ sine causa exhibet se alteri conspiciendam, quem credit ex inspectione peruersum aliquod desideriũ peccandi mortaliter concepturum, etiam si ipsa non intendat ad huiusmodi desiderium allicere, tunc peccat mortaliter, si alioquin non possit congruo quodam modo ibi non adesse, puta quia debet ad Ecclesiam ire, vel alibi cum alijs mulieribus,ne videatur inurbana sequitur *P.Dia. par.5.tract.7. resol.31.* vbi *in §. non desinam ex Laym. & alijs* addit excusari feminas vtentes ornatu, quo nuda pectora,& mammillas ostendunt, si hoc fiat secundum morem patriæ, & absque vlla mala intentione, idẽ de choreis licitis cũ ampliatione,& limitatione prædictis scribunt multi cum eodem *P.ibid.res.25.*

13 Ad 4. respondetur quod quando quis dat alteri scandalum per mortale, vel veniale duo peccata committit mortalia, vel venialia iuxta distinctiones supra relatas, vnum secundum se, alterum quasi per accidens, seu passiuum, quod est peccatum, quod occasione sui, ille tertius committit, vt benè docet *Nauar. d.c.14. nu.28.in fine;* probatur, quia aliàs nullum scandalum actiuum esset peccatum; etenim illud peccatum scandali actiui, ex quo quis scandalizzatur, iam est de per se tale, si modo ex occasione scandali dati, non committeretur aliud peccatum, nullum scandalum saltem actiuum esset peccatum, & consequenter frustra inEuangelio hoc prohiberetur, & DD. cit. gratis disputarent de hac materia; ergo scandalum prædictum est duplex peccatum.

Vtrum scandalum actiuum,vel passiuum possit in viris perfectis inueniri, & an exposito committere maius malum, licitum sit suadere, vt committat minus?

SVMMARIVM.

1 *Peccata venialia, etiam viri perfecti committunt.*
2 *Scandalum actiuum an detur in viris instis, & quid de scandalo passiuo? num. 3. Passiuum, vel actiuum vitandi causa, an liceat committere mortale, vel veniale? n. 4. & 7.*
5 *Charitas ordinata incipit à se ipso.*
6 *Verbum otiosum an aliquando, nequidem sit veniale?*
8 *Malum maius vt vitetur an possit proximo persuaderi minus? & n.10.& 11.*
9 *Loth an benè, vel malè fecerit offerendo filias sodomitis?*

Resolutio CLXXV.

1 AD primum difficultas oritur, quia vt in *priori resol.n.7.* dictum est, datur scandalum actiuum cum solo peccato veniali, sed viri perfecti ista committunt iuxta illud, septies in die cadit iustus, & in *epist.1.apud Io. ibi,si dixerimus quod peccatũ non habemus ipsi nos seducimus*, ergo etiam in viris perfectis potest esse scandalum actiuum. Quod vlterius probatur,quia non solùm de Petro dicitur scandalizasse gẽtiles iuxta historiam sacram apud *Apost.ad Galat.2.* sed etiam ex verbis Domini dicitur apud *Matth.cap.15.* Phariseos scandalum passiuum accepisse, & tandem idem Dominus in eodem Euang. dixit Petro, *vade retro, scandalum mihi es*, ergo etiam scandalum passiuum potest in viris perfe-
2 ctis inueniri. Quibus respondet *D. Thom. 2.2.q.43. ar.6.* quoad scandalum actiuum, venialia perfectorum, quę etiam isti committere solent,consistere in subitis motibus, qui cum sint occulti, scandalizare non possunt, & quatenus ad exteriora prodirent, tàm leuia esse, vt de se vim scandalizandi non habeant; quando autẽ in talia incidunt, hoc prouenire ex infirmitate naturæ secundum quam à perfectione deficiunt, non tamen tantùm deficere, vt multum ab ordine rationis recedant, sed modicum,& leuiter, & hoc non esse tàm magnum, vt inde rationabiliter posit ab alio sumi peccandi occasio.
3 Quoad scandalum autem passiuum dicit idem *Sanct. cit.art. 5.* nec posse in viris perfectis reperiri iuxta illud *psalm. 118. pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum*, & quamuis in exterioribus actibus posint impediri, in interiori tamen voluntate per dicta,vel facta aliorũ non impediri, quo minus tendant in Deũ iuxta *Apost. ad Rom.ibi, neque mors, neque vita, neque gladius poterunt nos separare à charitate Christi;* nec vmquam scandaliza-
ri

ri secundum veram rationem scādali, licet venialiter aliquando peccent, sed esse in eis quandam appropiuquationem ad scādalum iuxta propheticum dictum *in psal. 72. mei penè moti sunt pedes*; & tādem quo ad verbum Domini, scandalum ibi large poni pro quolibet impedimento, quia Petrus nitebatur eius passionem impedire.

4 Ad 3. est præmittendum non posse pro vitando scandalo passiuo, mortale committi (de scandalo n. actiuo non potest esse quæstio, cum istud sit dictum, vel factum minus rectum, vt in priori *resol. n. 1.* proinde nihil tale est faciendum, vt docet *D. Thom. vbi supra art. 7. in corp.*) iuxta *Innoc. 2. in c. 2. §. super eo de noui oper. nunciat. ibi opera illa, quæ sine mortali omitti nō possunt, nō sunt pro vitando scandalo dimittēda; nec ea debent pro scandalo vitando committi, quæ sine mortali peccato committi non possunt*. rationem tradit idem Sanct. citat. quia st. nullus debet mortaliter peccare, vt alterius peccatum impediat, & secundum ordinem charitatis plus debet quis

5 suam salutem spiritualem diligere, quam alterius *l. Præses C. de seruit. & aqua Caiet. in 2. 2. q. 73. art. 2. in fine*. Imò, & quod magis est, nec debet quis venialiter peccare pro vitando alterius scandalo, quia peccatum non potest esse diligibile, & licet per istud gratia non tollatur; est tamen dispositiuum ad mortale, quod propterea neque ob metum mortis esse committendum docet *D. Thom. quodlib. 11. art. 9. ad 3. & in par. 3. suppl. q. 23. a. 3. ad 1.* docet tamē *2. 2. q. 43. ar. 7. ad 5.* quod aliquando propter aliquam circumstantiam non est veniale id, quod illa circumstantia sublata

6 esset tale, sicuti verbum iocosum est veniale, quando absque vtilitate dicitur, si verò ex causa rationabili proferatur, non est otiosum, neque peccatum; potest igitur secundum mentem D. Thom. hoc secundum pro vitando scandalo fieri, non primum; est etiam cessandum ab illis, pro vitando scandalo, quæ sine mortali peccato committi possunt, pariter & dimitti, vt dicit Innoc. vbi supra.

Verum circa hoc vltimum *D. Thom. d. a. 7. in corp.* ita distinguit, *in his autem spiritualibus bonis, quæ non sunt de necessitate salutis, videtur distinguendum, quia scandalum, quod ex eis oritur, quandoque ex malitia pro-*

7 *cedit, cum st. aliqui volunt impedire huiusmodi spiritualia bona, scanda a concitando, & hoc est scandalum Pharisæorum, qui de doctrina Domini scandalizabantur, quod esse contemnendum docet* Dominus *Matth. 5. quandoque verò scandalum procedit ex infirmitate, vel ignorantia, & huiusmodi, est scandalum pusillorum, propter quod sunt spiritualia bona, vel occultanda, vel etiam interdum differenda, vbi periculum non imminet, quousque reddita ratione, huiusmodi scandalum cesset; si autem post redditam rationē, huiusmodi scandalum duret, iam videtur ex malitia esse, & sic prop er ipsum non sunt huiusmodi spiritualia opera dimittenda*; hæc ille: qui similem distinctionem docet ibidem a. 8. quādo agitur de bonis temporalibus dimittēdis, vel non, propter scandalum aliorum, quod probat exemplo D Thom. Cantuar. qui repetijt res Ecclesiæ cum scandalo Regis, bonus *tex. in c. 3. de regul. iur.* modernos habes apud *Dian. part. 5. tract. 7. resol. 24.*

8 Si ergo ex dictis non potest pro vitando scandalo mortale, vel veniale committi, nec poterit persuaderi minus malum, etiam si sit veniale ad vitandum maius proximi, nemo enim debet, vel venialiter peccare ad vitandum peccatum alterius, quia iuxta caritatem ordinatā plus debet quis suam salutem spiritualem diligere, quam alterius, vt dictum est, & clarius probatur *in c. factus 22. q. 2. & c. si quod 32. q. 2. Eman. Sà v. peccatum n. 8. Valent. tom. 3. disp. 5. q. 21. pun. 4. Azor. tom. 2. lib. 12. cap. 16. q. 8.* ea dicunt vulgari ratione, quia nō sunt facienda mala, vt inde eueniant bo-

9 na. Hinc *D. August. in c. 1. dist. 14.* referendo factum Loth registratum *in c. 19. Genes.* qui obtulit filias sodomitis, ne contra naturam peccarent, dum ad hoc parati erant, attribuit istud perturbationi Loth, & eius menti tanto malo permotæ, concludit tamen nullo modo imitandum esse, nec cōtradicit *D. Ambros. in c. offerebat 32. q. 7.* vbi idem factum referendo cōsiderat pietatem, quam habuit erga hospites, nec propterea eum excusat, sed dicit in genere, minus esse secundum naturam coire, quam aduersus naturam delinquere.

10 Contrariam sententiam dicunt veriorē *Nauar. in summa cap. 14. sub n. 40. Sylu. v. vsura 7. q. 1. in fine, Angel. eod. 2. q. 2. Sanch. de matrim. lib. 7. disp. 11. n. 15.* qui *n. 16.* ait priorem esse satis probabilem; sed pro sua multos adducit, vltra alios, quos refert, & sequitur *P. Dia. par. 3. tr. 5. resol. 37.* omnes

tamen fundantur sub illo axiomate de duobus st. malis, minus eligendum esse, quod probatur ex *D.Gregor.in c.nerui dist.* 13. qui tamen loquitur, quando duo mala circa eandem personam contingunt, secus circa diuersas;vult v. g. Titius ad libidinem explendam adulterari, debet eligere minus malum per simplicem fornicationem, sed non potest Caius illi persuadere, vt fornicetur, potius quam adulteretur, quia hoc est intrinsecè malum,ita legitur in *c.verum, vbi Gl.v.verum dist.* 14. & docent *D. Thom. d.ar.7. Castr.Pal. to.1. tract.6. disp.6.pun.6.n.9.* hancq; sententiam dicit sibi magis placere, *P.Dia.par.5.tract.7. resol.* 21. §. 2. licet alteram vocet etiam probabilem.

11 Verum non displicet documentum *Hurtad.de Mend.in* 2.2. *disp.*173. *sect.*10.§. 119. qui licet hanc sequatur sententiam *sub* §.110. dicit tamen ibidem, quod quãuis non possit quis alicui parato ad adulterandum persuadere, aut consulere, vt fornicetur, quia istius peccati, quod consulit verè causa est, & verè peccantem ad illud inducit, etiam si recto fine procedat, possit tamen parato ad Venerem præposteram dici in genere, maiorem voluptatem capi ex congressu cum muliere,quam cum viro; vel esse minus peccatum coire cum muliere, quam cum viro; istæ enim propositiones ad impediẽdum maius malum prolatæ, cum sint indifferentes, longè à peccato sunt, vt docet etiam D.Ambros. supra cit. ex quo principio potest ad ad alios casus similes deueniri, quia vna determinatio respiciens plura determinabilia,debet ea æqualiter determinare, *l.iã hoc iure ff. de vulg. & pupill.* casus autem particulares habes apud *Dia.par.5.tract.7. per totum*, & alibi sparsim, quos notat *in summa v.scandalum.*

Secretum.

SVMMARIVM.

1 *Secretum dicitur sigillum naturale, in quo differat à sacramentali? vtrumque ita appellatur per metaphoram, vtrumque est de iure naturali, sed sacramentale est etiam de iure diuino positiuo, & num.* 2.

INTRODVCTIO.

1 Secretum alio modo dicitur sigillum naturale,ad differentiam sigilli sacramentalis,in quantum quod istud numquã frangere licet, nisi de licentia pænitentis, de quo infra v. sigillum, illud verò licet aliquando frangere, vt statim dicam;vtrũque autem vocatur sigillum per metaphoram,nam sicut sigillum continet occultam rem obsignatam in charta, vel tabula *l.* 1. *§.fin. l. cum ab initio, & l.si quis significatoribus ff. quem admod. testam. aper.* ita obligatio seruandi aliquod secretum efficit,ne illud fiat manifestum, *Nauar. in man.cap.*8. *n.*1. *vbi n.* 2. rectè addit esse de iure naturali; ratio enim naturalis dictat, non esse alteri faciendum, quod tibi non vis; nemo autem vellet publicari secretum,quod alteri commisit; ergo nec debet sibi commissum publicare, iubente Domino apud *Matth. cap.* 7. *omnia quæcumque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis.*

2 Sigillum sacramentale est etiam de iure naturali, sicut illud,sed est quoque de iure diuino positiuo; iussit enim Redemptor noster occultari, quod in sacra confessione reuelatur; illud imperatum est à Deo vti authore naturæ, istud ab eodem, sed vti authore naturæ, & gratiæ, quæ per sacramentum confertur *Nau.cit.nu.*2. *& in c. sacerdos de pænit.dist.*6.*n.* 33. vbi ait, quod Christus instituendo confessionem omniũ peccatorum,etiam occultorum, tacitè saltem, & per quamdam consequentiam cẽsetur iussisse secretum, sine quo confessio redderetur odiosa *Regin.lib.*3.*cap.*1.*num.*2. *P.Dian.part.*5. *tract.*11. *resol.* 1. finis illius est bonum proximi,finis istius est reuerentia sacramenti, *idem Dia.in summa v. sigillum n.*1. Ex quibus colligitur, quod frangens sigillum confessionis, nõ solùm peccat contra ius naturale non seruando commissam fidem, sed etiam contra ius diuinum, & reuerentiam sacramento debitã, ideoque sacrilegium graue committit: Imò et 3. contra iustitiam lædendo alterius famam. Vide Sot. tract. de tegendo secret.

Vtrum

Vtrum aliquando liceat reuelare secretũ, an reuelans peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem damni ea de causa secuti; de pœna corporali contra reuelantem, & an sit semper mortale litteras alienas aperire?

SVMMARIVM.

1 *Secretum quando liceat reuelare, & quando non? nu. 2. & 6. licet non sit alicui uti tale commissum, si tamen sit in scandalum alterius, est etiam seruandũ sub sigillo sub pœna mortalis. n. 3. contra si commissum ẽt sub sigillo, sit de re leui, cuius occultatio, vel reuelatio nemini prosit, vel noceat. Si reueletur ob inaduertentiam, vel ignorantiam an sit peccatum? n. 5.*

7 *Legati distributionem cõmissam alicui sub secreto, non tenetur iste reuelare in beneficium cuius.*

8 *Secretum seruare, an, & quando teneamur etiam cum propriæ vitæ periculo, & quid quando infamia, vel mors illius, qui secretum commisit secutura sit? & nu. 9. Illud reuelans qua pœna puniendus sit? n. 10.*

11 *Litteras alienas, & clausas aperire est regulariter mortale, quod fallit in tribus casibus. Laceratas, & proiectas an sit permissum alteri illarum frusta colligere, & legere? n. 12.*

Resolutio CLXXVI.

1 AD primum respondet *D. Tho. 2. 2. qu. 70. art. 1. ad 2. videlicet circa verò ea, quæ alter homini sub secreto committuntur, distinguendum est; quandoque enim sunt talia, quæ statim cũ ad notitiã hominis venerint, homo ea manifestare tenetur, puta si pertinent ad corruptionem multitudinis spiritualem, vel corporalem, vel in graue damnum alicuius personæ, vel si quid aliud est huiusmodi, quod quis propalare tenetur, vel testificando, vel denunciando, & contra hoc debitum obligari non potest per secreti commissum, quia in hoc frangeret fidem, quã alteri debet. Quandoque verò sunt talia, quæ quis prodere non tenetur, vnde potest obligari ex hoc, quod sibi sub secreto committuntur, & tunc nullo modo tenetur ea prodere, etiam ex præcepto superioris, quia seruare fidem, est de iure naturali, nihil autem potest præcipi homini contra id, quod est de iure naturali.*

2 Ad secundum *Sylu. v. secretum* §. 1. & *v. confessio 3. §. fin.* dicit, quod regulariter est peccatum mortale reuelare secretum, excepto primo casu relato per D. Thom. quia nec iuramentum contra bonos mores obligat *c. non est obligatorium de regul. iur. in 6. & c. intimauit de testib.* & descendendo ad particulare dicit in d. §. 1. quod si quis sciat machinationem alicuius ciuitatis contra Principẽ, & machinatio sit iniusta, tenetur reuelare, quia est contraria bono communi, & paci totius Regni, quæ fouetur, & conseruatur à Principe; aliud exemplum tradit *Tolet. lib. de 7. peccat mort. c. 45. n. 5.* quando Tyrannus teneret obsessam Ciuitatem, velletque occultè eam inuadere, & iniustè agere, quod possent milites sui, vel vnus eorum aperire secretum, quod non est seruandum in damnum iniustum tertij, præsertim communitatis, quod probat *ex lib. 1 Reg. c. 17.* de illo Chusai, qui se finxit amicum Absalon, & manifestauit Dauid secretum consilium Achitophelis.

3 In d. verò §. *fin. addit Sylu.* quod licet res non committatur sub secreto, sed tamẽ talis naturæ sit, quod merito cælari debeat, quia sit in scandalum alterius, vel huiusmodi; peccat etiam mortaliter reuelãs, vtrumque tamen declarat *Caiet. in 2. 2. q. 70. art. 1. circa finem* à neutro cit. *ibi, oportet ergo aduertere ad materiam simpliciter, ut discernatur quãdo reuelare secretum est mortale, vel veniale; sunt n. quædam, quæ etiam si non sint nostræ fidei commissa, tenemur seruare secreta, ut occulta adulteria, & facta, quæ reuelata, essent semina discordiæ, & huiusmodi. sunt etiam quædam, quæ & si simpliciter possent referri, quantum in notitia nostra est, occultas tamen habent rationes in eo, qui fidei nostræ commisit, quia voluit secretum seruari, & propterea, ex quo promissum est, acceptando in secreto, non solùm seruandũ est, sed posset pro rei nobilitate esse peccatum*
4 *mortale huiusmodi reuelatio: Sunt autem quædam, quorum occultatio nulli prodest, reuelatioque nulli nocet, quæ leuiter committuntur, & acceptantur in secreto, & in his veniale est fidem violare, quia cum nec ex materia inferatur alicui iniuria, aut iniustitia, cum non sit materia perniciosa, nec ex forma st. viola-*

tionis iuris naturæ sit contra Deum, aut proximum, sed præter debitum proximo, ratione imperfectionis rei, de qua agitur non contrariatur charitati, sed præter eam agitur.

5 Addit *Syl. d. §. fin.* excusare inaduertentiam in re non magni ponderis; sed ego puto tàm inaduertentiam, quàm ignorantiam, dummodo sint inuincibiles in omni casu excusare ex regulis generalibus traditis supra *resol.* 19. *& 43. vbi n.* 23. dixi cum Sanch. & alijs, talem ignorantiam excusare etiam à peccato periurij, quamuis idem Sanch. ibidem velit etiam à pollutione voluntaria, quod *ex D. Thom. relato supra resol.* 43. *n.* 22. negaui; verum non placet, quod addit Sylu. cit. posse

6 ex præcepto obedientiæ reuelari secretum, quod non constat esse in damnum aliorũ, sed est dubium; quod dictum simpliciter sequitur *Nauar. d. cap.* 8. *n.* 2. *ex si intimauit de testib.* vbi nihil de hoc, & propterea amplectenda est doctrina *D. Thom. d. art.* 1. *ad* 2. vbi expressè hoc negat, & dat rationem ibi, quia seruare fidem, est de iure naturali, & nihil potest præcipi homini contra id, quod est de hoc iure. Hinc

7 in propria materia docet *Ricc. in collect,* 961. *ex Gl. in l. Lucius Titius de legat.* 2. *& Bart. in l. qui heredi ff. de reb. dub.* Religiosum cui secretè à testatore fuit commissa distributio legati, siue pecuniarum, non posse cogi à superiore, ad declarandam mentem testatoris, secretumque propalandum, & ita decisum refert ex *Anneo, Roberto, lib.* 1. *rer. iudic.* imo nec in foro iudiciali posse cogi executorem testamenti, cui fuit similiter commissa distributio legati ad declarandas personas, quibus distribui sub secreto testator commisit decisum etiam refert *Præs. de Franch. decis.* 484. *ex Anchar. Iason. & alijs.*

8 Addit *Fagund. in præc. decal. to.* 2. *lib.* 8. *cap.* 6. *n.* 11. quod si aliquis sciat secretum Regis, seu exercitus, vel reipublicæ, ex cuius reuelatione, vita, vel fama Regis, vel magnum aliquod bonum publicum pendet, adeo non liceat illud reuelare, cũ præeũte naturæ lumine doceamur, bonum commune anteferendum esse priuato *ex l. vtilitas C. de primip. lib.* 10. vt etiam si miles ab inimicis in bello captus, torqueretur, vel occidi deberet, non posset tuta conscientia illud aperire, si modo cõducat ad cõseruationem totius exercitus,

9 qui destrui posset illo patefacto. Secluso tamen casu prædicto dicit idem Fagund. posse ad vitandum graue damnum; V. g. torturam, aut simile, alterius crimen occultum sub secreto receptum manifestari etiã si inde infamia, vel mors illius, qui secretum commisit secuturæ sint, si tamen sine vi, vel fraude receptum sit: ratio est, quia nemo tenetur illud seruare, quod vergit in damnum proximi, multo minus si vergat in damnum proprium, cum charitas ordinata incipiat à se ipso, *l. præses C. de seruit. & aqua Caiet. in* 2. 2. *q.* 73. *art.* 2. *in fine,* & quia non tenemur seruare famam, aut vitam proximi cum tanto damno proprio; his tamen cessantibus tenemur non solùm ad obseruantiam secreti, sed etiam ad restitutionem damni, ea de causa proximo illati, si causa sit ciuilis *Lessius lib.* 2. *cap.* 11. *dub.* 8. *n.* 54. *Bonac. tom.* 1. *disp.* 5. *q.* 6. *sect.* 5. *pun.* 1. *nu.* 1. *Dian. par.* 6. *tract.* 6. *resol.*

10 60. Si verò criminalis, vt in casibus superioribus, reuelans secretum etiam capite punitur *l.* 3. *§. exploratores ff. de re milit. & l.* 2. *C. de commer. & mercat.* vnde dicit Gl. quamuis sub dubio *in c. de forma v. de secreto* 22. *q.* 5. posse quem iurare, ne prodat talia secreta; ad tollendum tamen dubium, hoc fieri posset saltem sub æquiuoco, in mente concepto, quod pro absoluto tradit *Sanch. in summa tom.* 1. *lib.* 3. *cap.* 6. *n.* 15. Interueniente qualibet iusta causa etiam multo minore prædicta, sequitur *P. Dia. vbi recentiores part.* 3. *tract.* 6. *resol.* 30. Est etiam aduertendum, quod quamuis secretum committatur strictissimè, etiam sub sigillo confessionis, si in confessione sacramentali non dicatur, nunquam obligare magis, quam sub secreto naturali, *Sylu. v. secretum §.* 1. *P. Dia. part.* 5. *tr.* 1. *resol.* 54.

11 Ad vltimum respondetur litteras alienas, & clausas, seu sigillatas aperire, regulariter esse mortale, nisi sint de re leui, quod tamen, quia ante aperitionem ignoratur, non excusatur aperiens à mortali *Tolet. lib. de sept. peccat. mort. cap.* 45. *num.* 6. vbi addit hoc fallere in tribus casibus, primo quando qui aperit, scit probabiliter illas esse in damnum proprium iniustum, vel tertij, præsertim alicuius communitatis; secundò quando apertio fit cum ratihabitione, quia verisimiliter speratur illũ, ad quem mittuntur, ratum habiturum; tertiò quando superior aperit litteras subdito-

totum, vt Prælati regulares, qui possunt aperire litteras subditorum *Nauar. in man. cap.* 18. *n.* 53. quod tamen dicit *Petrin. de Relig. tom.* 2. *q.* 2. *cap.* 1. §. 13. procedere in illis Religionibus, in quibus adest constitutio, vel consuetudo eas aperiendi. sequitur *Dia. par.* 3. *tract.* 6. *resol.* 55. Ad hoc propositum Sylu. v. emptio n. 18. refert casum curiosum euentum Venetijs de quodam mercatore, qui acceptis litteris ab Oriente, vt emeret aromata, quia valitura erant cariùs, eas lacerauit, intendens omnia aromata emere; sed alius colligens litterarum frusta, & legens, eum præuenit in emendo, & lucrum fecit, vnde dicit ipse ex Archid. quod si legit illas litteras, vt sciret eius secreta, curiositas est, si verò vt sibi prouideret, prudentia humana est, & non peccatum, quia licitum est cuilibet accipere, quod pro derelicto habetur *l.* 1. *& toto ferè tit. ff. pro derelicto* sequitur *Layman. in Theol. moral. lib.* 3. *sect.* 5. *tr.* 3. *par.* 1. *cap.* 4. *num.* 4. vbi addit, ex caritate eum, qui legit teneri non manifestare secretum in illis contentum, si in damnum alicuius cederet, quod admittit *Dian. d. resol.* 55. Sed ego puto in hoc vltimo casu teneri etiam de iustitia ex supradictis *n.* 3.

Sigillum.

Quid sit sigillum sacramentale, & quando quis illud rumpere dicatur?

SVMMARIVM.

1 *Sigillum sacramentale quid sit? & an frangi possit si vniuersa Ecclesia, totaque fides christiana perire deberet, vel pro tuenda vita propria, vel si Pontifex ita mandaret sub excommunicationis pœna. num.* 3. *Non solùm est de iure diuino, sed etiam naturali, imò supernaturali? num.* 2.

4 *Iurari potest tuta conscientia à Confessario se nihil scire de peccatis ab aliquo confessis, si cogatur ad illa manifestandum.*

5 *Confessarius si sciat in confessione mortem sibi parari in ingressu syluæ, vel vinum in calicem positum esse venenatum quid facere debeat? & num.* 6. *An possit vti notitia confessionis ad liberandum amicos à morte illis parata, n.* 7.

8 *Sigillum an obliget ad tegenda etiam peccata fortasse committenda, quando st. pænitens habet voluntatem, sed non determinatam occidendi aliquem, & hoc inter peccata dicit Confessario. Vt seruetur, debet potius mutilari confessio propria, si aliter fieri non potest, quam illud explicitè, vel implicitè aperire. num.* 9.

10 *Præceptum negatiuum obligat semper, & ad semper.*

11 *Sigillum neque directè, neque indirectè potest aperiri, sed quid agendum, quando pænitens se accusat de aliquo casu difficili, quem nescit Confessarius resoluere?*

12 *Venialia an cadant sub sigillo? an circumstantiæ mortalium, & an possit Confessarius generaliter vti scientia extra confessionem acquisita? n.* 13.

14 *Concubinarij, vel vsurarij publici, si repellantur à communione, ex quo fuit denegata absolutio, an propterea dicatur violatum sigillum?*

Resolutio CLXXVII.

1 AD primum, sigillum secundum *D. Thom. in* 4. *dist.* 21. *Sylu. v. confessio* 3. *n.* 1. *& alios*, est debitum cælandi confessionem, sicut clauis est potestas absoluendi, est autem tale secretum tantæ obligationis, vt nullo in casu etiam pro tuendis Rege, Republica, vel Patria, aut pro liberando toto orbe ab iniusta conflagratione infringi possit, imò, & quod magis est, neq; si vniuersa Ecclesia, totaq; fides christiana perire deberet, vt de communi omnium DD. sententia testatur P. *Dia. par.* 5. *tract.* 11. *resol.* 1. & tandem neque pro tuēda vita propria *Nauarr. in man. cap.* 8. *nu.* 2. *in fine. Suar. tom.* 4. *disp.* 33. *sect.* 1. *n.* 8. *Dian. cit. resol.* 46. 2 Ratio est, quia tale sigillum non solùm est de iure diuino ratione charitatis, fidelitatis, & vtilitatis, cum multi enormissima, & secretissima delicta confiteantur, quæ, si modicum dubitarent esse propalanda, nullo modo confiterentur *Scot. d. dist.* 21. *D. Thom. ibidem q.* 3. *art.* 1. *q.* 1. *corp. ibi, & sunt alia vtilitates huius cælationis, quia per hoc homines magis ad confessionē attrahuntur, & simplicius etiam peccata confitentur Syl. cit. d. n.* 1. sed etiam de iure naturali *Nauar. cit. n.* 5. *versic.* 2. *infertur*, imò dicit *Suar. vbi supra n.* 9. secretum

hoc

hoc videri esse supernaturale, quia videtur superare omne secretum naturale, dũ oritur ex actione sacra, & supernaturali, eiusque violationem sacrilegam esse contra virtutem Religionis infusam, cum respiciat suo modo Deum, vt ad supernaturalem ordinem spectat.

3 Hinc sequitur, quod si Pontifex per impossibile præciperet Confessario sub pœna excommunicationis, vel alia qualibet corporali, vt reuelaret confessionem alicuius, non teneretur obedire *D.Thom. d.art.1.ad 2.& in quodlib.1. q.8.art.15.* ratio est, quia licet omnis homo subditus sit Pontifici *c. cuncta per mundum 9. q. 3.* ea tamen, quæ Confessarius scit in confessione, nõ scit vt homo, sed vt Deus, & addit *d.art.1.ad 3.*

4 posse Confessarium ex eadem ratione iurare sine læsione conscientiæ, se nihil scire de ijs, quę in confessione sibi dicta fuere *Sylu.cit.n.2.* vbi testatur communem esse omnium DD. sententiã, *Nauar.d.c.8.n. 19. in fine*, vbi dicit habendum esse æquiuocum in mente, ignorare st. eo modo, quo dicere obligatur Scotus cit. putat debere tacere *Coninch.hoc tit.disp.9.dub.1,nu. 25.* dicit debere Confessarium grauiter obiurgare interrogantes, sed verior est opinio D.Tho.ex quo percipitur rarò contingere posse, vt Confessarius se exponat periculis prædictis, nisi reuelet confessionem, dum potest tuta conscientia iurare se nihil scire de sibi confessis; sed aliquã do nec iuramẽtum potest ad praxim educi, vt in casibus apud *Dia. d.resol.46.* licet

5 videantur incõtingibiles, primus est, quod si sacerdos, qui cum alijs iter agens, ex vno eorum sciat per cõfessionẽ in ingressu siluæ mortẽ sibi parari, teneatur potius mori, syluam ingrediendo, quam aut fuga, aut retrocessione confessionem præcedentem suspectam aliquo modo reddere: secundus quando etiam in confessione scit in vino consecrando esse immissum venenum, sed hoc potest facile vitari, siquidem confessionem oportet secutam esse ante initium missæ, proinde alio vino, & omni remedio cessantibus, facilè, & licitum erit dicere correptum reperiri ex subito dolore capitis, & non posse celebrare.

6 Hoc in fortioribus terminis docent *Scot. d.dist.21.q.2.art.3.Gabr.ibidem q.1. ar.3.ad 4. Sylu.v. confessio 3.q. 19. imò Henriq. lib. 6.cap. 24. num. 4.* qui ante Dian. scripsit eosdem duos casus, habito pro vero quod vix contingere possint, si tamen acciderent, in primo casu dicit licere fugam arripere, neque per fugam, quæ dat ius ad vitam dici, reuelari confessionem, quamuis Insidiatores factum intelligant, & in secundo non deberi vinum venenatum sumere, sed consueto missalis remedio vti, quicquid suscipicentur astantes, quod remedium est secundum *D.Thom. in 3. part. q.83 art.6.ad 3.* licet non loquatur de isto casu, vt conseruetur illud vinum in aliquo vasculo cum reliquijs, & ne sacramentum remaneat imperfectum, apponatur aliud vinum in calicem, & denuo resumatur à à consecratione sanguinis, & sacrificium perficiatur; addit autem *Henriq. in comment.sub litt.G.ex Soto, Ledesma, Richar. & alijs*, in secundo casu, si immineret periculum alijs; peti debere licentiam à pænitente, quem concedere eam teneri, & monere illos, vt periculum euadant.

7 Concludit tãdem in casu fortiori, quod si quis nouit in confessione aliquos conuenisse, vt domum amici diripiant, & illũ occidant, nec possit malum aliter impediri, licere vti notitia cõfessionis, & amicos inuitare, vt tota nocte ludant in domo amici, quamuis inde sequatur, vt qui malum intentant, comprehendantur in delicto, citat eosdem DD.relatos. rationem adducit *Sylu.cit.n.2.versic. tertio si quis ex Innoc. & Panorm.in c.omnes de pænit.&remiss.* quia st. sigillum prædictum obligat ad cælanda peccata commissa, & confessa, non autem committenda, sed quod debeat Confessarius protestari cum pænitente, quod hoc non recipit, nec recipere tenetur sub sigillo confessionis ad scandalum vitandum, nisi ex tali protestatione probabiliter sequi posset maius malum scãdalo confitentis puta homicidium.

8 Et addit ibidem, nec teneri ad sigillum quando illud peccatum committendum vergeret in periculum, vel damnum cõmunitatis, vel etiam priuatæ personæ, quo casu non solùm non teneatur cælare, sed debeat manifestare, si id commodè potest sine damno suo, & proximi, ac peccantis vtilitate, quod tamen limitat ex eodem Panorm. quando quis confitetur tentari super istis, vel alijs malis agendis, & aliquando consentire, aliquando dissentire, quia tunc ex quo dicitur peccatum iam commissum in voluntate, consequenter ex reuelatione frangeretur sigillum; hoc

itaque

itaque dictum Sylu. posset procedere, quando quis per modum consilij recipiẽdi à Confessario diceret, velle homicidiũ, vel aliquod malum facere ad tollendam à se infamiam ob grauamen fortasse ab aliquo antea receptum, quod vix contingere potest, quia quando consensum dedit, & persistit in voluntate illud committendi, nõ potest secũdum eundẽ Sylu. hoc reuelari, vide DD. apud *Dian. part. 5. tract. 11. resol. 25. cum Suar. tom. 4. disp. 33. sect. 3. nu. 3. & 4. ex D. Thom. & alijs*, vbi docet nullo modo posse reuelari, si hoc à pœnitente dicatur per modum accusationis, quod est verius, & tutius

9 Est etiam verum, quod si Confessarius in confessione sciret peccatum alicuius, quod tacendo, non posset aliter manifestare peccatum proprium in sua confessione, mutilare potius deberet confessionẽ propriam, quam illud explicitè, vel implicitè simul cum pœnitente detegere, ratio est, quia licet integritas confessionis sit de essentia sacramenti, vt supra pluries dixi, sigillum tamen est de iure diuino, & naturali, vt supra n. 2. quod omnibus prçponderat, & durat etiam post mortem *Scot. d. dist. 21.* Etenim cum hoc præceptum

10 sit negatiuum, obligat semper, & ad semper *D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 2. in corp. Syl. v. confessio 3. n. 1. in fine, Nauarr. cap. 8. n. 7. in fine, Suar. cit. sect. 1. n. 3. Io. Henriq. in compendio cas. mor. cap. 461. n. 9. ibi, la razon es porque quando concurren dos precetos incõpatibles, que no se pueden guardar ambos, cessa la obligacion del menor, y ay obligacion de guardar el maior, y siendo maior el preceto de guardar el secreto dela confession, que el preceto de confessar todos los pecados mortales, por esso cessa la oblicacion de este, y queda la obligacion del otro, concordat Suar. cit. nu 16.* tenetur tamen habere propositum, illud confitendi quando absque sigilli præiudicio facere poterit *Nau. cit. n. 6.* vbi hanc refert esse communem omnium sententiam *in 4. d. dist. 21.*

11 Nõ solùm aũt sigillum prædictũ nõ est aperiendum directè, vt supra dixi, sed neque indirectè *c. omnis §. fin. de pœnit. & remiss. ibi, caueat omnino ne verbo, aut signo, aut alio quouis modo aliquatenus prodat peccatorẽ, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absq; vlla expressione personæ caute requirat, &c. D. Tho. in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. q. 2. cor. Nauar. cit. num. 9. Dia. par. 5. tract. 11. resol.* 35. & 45. imò, & quod magis est, obli-

12 gare etiam ad celãdum peccata venialia sub mortali, docet idẽ *Suar. vbi sup. sect. 3. n. 1. ex Soto, & Nau. ibi relatis*, sed hoc est intelligendum cum distinctione; etenim sigillum non rumpitur per manifestationẽ venialiũ in genere; dato enim quod quis confiteatur, oportet vt saltem de venialibus confiteatur *Nauar. in man. cap. 8. nu. 12. Tole. lib. 3. n. 2.* quod idem *Suar. nu. 9.* concedit, frangeretur tamen manifestando venialia in specie *P. Dia. par. 5. tract. 11. resol. 49. in princ.*

13 Circumstantias autem mortalium comprehendi sub sigillo rectè docet idem *Suar. cit. n. 3.* ratio est, quia istæ sunt etiam mortales, vt dixi supra v. circumstantia, quæ sine dubio cadunt sub sigillo *P. Dian. cit. res. 38.* vbi hanc etiam communem appellat, sed potest Confessarius sine fractione sigilli vti sciẽtia extra confessionem acquisita, quamuis pœnitens eadem peccata in confessione aperiret, ratio est, quia ille nullo modo reuelat confessionẽ, dum poterat de istis loqui etiam ante cõfessionem auditam, & consequenter nullã infert iniuriam sacramento, vel pœnitenti *D. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. art. 3. q. 1. cor. in fine*, vbi addit, non debere fieri absque necessitate *Nauar. cap. 8. nu. 15. Suar. d. sect. 3.*

14 *n. 7.* qui propterea addit posse Parochum repellere etiam publicè à communione publicum vsurarium, vel concubinarium, licet sibi confessum, & non absolutum, quia tunc vtitur scientia aliàs habitâ, dum publicè constat illum esse in tali peccato, non tamen debet dicere illum non absoluisse, sicuti, neque eos, vel meretrices à grauibus absoluisse, vt notant *Nauar. in summa cap. 8. n. 1. & alij apud Faust. de pœnit. lib. 7. q. 52.* semper n. directè violat sigillũ, & formidabilis fit. *Dia. d. tract. 11. res. 17.* de pœna verò reuelantis vide infra *res. 182.*

Quas personas obliget sigillum pœnitentiæ, & an possit rumpi saltem de pœnitentis venia?

SVMMARIVM.

1 *Confessio si fiat per interpretem, aut in publico in casibus necessitatis, vel alijs modis, vt infra, an omnes audientes teneantur ad sigillum sacramentale seruan-*

uandum, n. 2. 3. & 5. cum seqq. sed non obligat pænitentem, qui an teneatur celare pænitentiam impositam? n. 4.

13 *Confessarius si dicat, pænitentem ante mortem sibi dixisse, vt sui heredes faciant aliquam restitutionem, an isti ad eam in foro exteriori obligentur?*

14 *Licentia si tribuatur Confessario à pænitēte reuelandi peccata, an sit exigenda in scriptis?*

15 *Confessarius loquens cum pænitente de peccatis confessis, sed extra confessionem absque eius licentia, an dicatur fractor sigilli?*

Resolutio CLXXVIII.

1 AD primum ait *D. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. q. 3.* quod aliquando confessio fit per interpetrem, aliquando laico in casu necessitatis (quod potest accidere per ignorantiam, quia talis confessio non valet in hoc secundo casu, & tertio sequenti, vt suo loco dictum est) aliquando quis se fingit sacerdotem, vt conscientiā alicuius exploret, & aliquando addit *Suar. tom. 4. disp. 33. sect. 4. nu. 6.* confessio fit cum Consiliario præsente, siue absente, quando consulendus est, quia Confessarius est ignarus, (sed vt verum fatear numquam audiui confessionem fieri cum alio pręsente, nisi per interpretem; quando autem consilium sumitur, hoc est faciendum in genere, & eum cautela, ne Consultor veniat in cognitionem peccantis, aliàs frangitur sigillum, vt docet *Pontifex in c. omnis, §. fin. de pænit. & remiss.*) aliquando quis furtiuè audit confessionem, & tamdem aliquando sine culpa propter inaduertentiam, vel quia confessio fit publicè ex causa pestis, vel incendij, naufragij, aut in conflictu belli, quando nō possunt omnes sigillatim confiteri ex causa multitudinis morte imminente.

2 Quibus in casibus respondet generaliter D. Thom. ibidem in corp. quod sigillū confessionis competit sacerdoti, in quantum est minister huius sacramenti, quod nihil aliud est, quam debitum confessionē cælandi, sicut clauis est potestas absoluēdi, tamen sicut aliquis, qui non est sacerdos, in aliquo casu participat aliquid de actu clauis, dum confessionem audit propter necessitatem, ita etiam participat aliquid de actu sigilli confessionis, & tenetur cælare, quamuis propriè loquendo, sigillum confessionis non habeat *Nauarr. in man. cap. 8. n. 4.* dicit sigillum prædictum, non solùm obligare Confessarium, verum etiam omnes, qui confessionem sacramentalem audiunt licitè, vel illicitè, mediatè, vel immediatè, siue sint ecclesiastici, siue laici, siue viri, siue feminæ, quam dicit esse doctrinam eiusdem Sancti, Palud. & omnium *in 4. dist. 21.* Sed *Suar. d. disp. 33.*

3 *sect. 4. num. 3.* sigillatim procedendo ait ad Confessarium directè, & principaliter pertinere hoc pręceptum, sub quo contineri superiorem, quando ab eo petitur licentia absoluendi à reseruatis, quia tunc defertur ad illum causa, tamquam ad superiorem, & propterea teneri, etiam sigillo, sed hoc est intelligendum, quando pænitens ipse petit licentiam à superiore, vel confitetur superiori de reseruatis, vel idem Confessarius de licentia pænitentis petit hanc veniam manifestando peccatū, quod rarissimè, vel numquam fit, quia, regulariter Confessarius debet petere licentiā absoluendi suum pęnitentē à reseruatis absq; expressione pænitentis, qui solus huic sigillo non obligatur, quia fauore suo hoc prohibetur, cui potest renunciare, arg. *l. quod fauore C. de legib.*

4 Posset tamen dubitari an teneatur cælare pænitentiam, quam ei Confessarius imponit, & dicit idem *Suar. n. 2.* hoc propriè non esse sigillum, sed ad summum posse esse secretum naturale, citat Palud. Adrian. & Nauarr. sed ego puto ad neutrum teneri pœnitentem; siquidem prohibitio si daretur, esset, quia ex propalatione pęnitētiæ, maximè grauis, veniretur in cognitionem peccatorum, sed pænitens non tenetur cælare peccata in ratione sigilli, vt dictum est; ergo nec tenetur cælare pænitentiam *Richar. in 4. dist. 21. art. 5. q. 3. Soto lect. 11. de secreto memb. 3. Dian. p. 5. tract. 11. resol. 8.* vbi addit, peccare mortaliter, quando ex tali propalatione fama propria, seu honor Confessarij notabiliter læderetur, quod sublimitar, quando à Cōfessario pænitens solicitatur ad peccatum, vel nimis ab eo grauatur, aliumque Confessarium adit, vt prior pænitentia temperetur.

5 Interpres tenetur etiam ad sigillum *Suar. cit. sect. 4. n. 4.* vbi ex D. Tho. Scot. Ric-

Ricchar. Victor. & alijs, merito dicit esse communem *Henriq. lib. 3. cap. 19. n. 9. Regin. lib. 3. cap. 3. n. 26. Dia. cit. resol.* 48. vbi Scotum, aliosque penè innumeros allegat, quicquid in contrarium voluerint Caiet. & Soto apud eundem Suar. si vero confessio fiat laico putato per ignorantiam posse absoluere, quamuis in casu necessitatis, dicunt *Hurtad. de sacram. disp. 12. & Io. Praepos. in 3. par. q. 11. hoc tit. dub. 2. n. 2.* teneri ad sigillũ confessionis. sequitur *Dia. vbi supra resol. 13. §. verum ego*, quod verissimum puto; ratio enim quae militat in Confessario sacerdote, militat, etiam in istis *Tolet. lib. 3. cap. 16. n. 13. in fine. Nauarr. in man. cap. 8. n. 7. ex D. Thom. & alijs.* Suar. autem putat, teneri tantùm sub sigillo naturali, sed ego sequor priorem sententiam ex eadem ratione, & à fortiori hoc dico,
6 quando quis expositus in confessionario, fuit à paenitente existimatus bona fide Confessarius, qui non erat, *Nauar. cit. Suar. etiam cit. n. 3. & 4. Tolet. anceps vbi supra n. 16*, sed eandem nostram opinionem docet multi *cum eodem Dian. vbi supra resolut.* 15. quibus in casibus isti traduntur etiam curiae seculari in supplicium mortis, vt dixi supra *resol. 47. n. 7. & res. 48.*

7 Idem de Consiliario dicitur *in c. omnis de paenit. & remiss.* non debere st. manifestare paenitentem; si quis autem Confessarius incautus audiens paenitentem, surgat à loco, vt consulat doctum, qui videbat vtrumque, & statim reuertatur ad eũ absoluendum, est fractor sigilli, vt benè dicit *Tolet. cit. n.* 4. & nihilominus tenetur Consiliarius ad sigillum *Nauar. d. cap. 8. n. 4.* & magis si consilium petitur de licentia paenitentis, *Suar. cit. sect. 4. nu. 6.* ex Palud. Adr. & alijs; quod est intelligendum, quãdo Consiliarius veniret in cognitionem paenitentis, non quod paenitens det licẽtiam Confessario, vt cum etiam manifestet Consiliario, vt figurat casum Dia. cit. resol. 11. & concludit etiam affirmatiuè; Est n. impossibile, vt paenitens, qui vix vellet, vt Confessarius sciret peccata sua, velit etiam ea manifestari alteri, & sine
8 causa; quando verò idem paenitens extra cõfessionem consulit aliquem, si tale quid sit mortale, vel reseruatum, & huiusmodi, dubio procul non tenetur consiliarius ad secretum iuxta eundem *Suar. d. n. 6.* etiã si veniret in cognitionem, ipsum interrogantem illa commisisse; alias etiam disputationes, & colloquia essent prohibita; teneretur tamen Consiliarius ex eodem Suar. citat. ex charitate ad seruandum secretum, ne prodigatur fama proximi, nisi disputationes essent publicae.

9 Item obligatur sigillo, qui furtiuè audit confessionem alterius *Suar. d. disp. 33. sect. 4. n. 7. ex Scot. in 4. dist. 21. qu. 2.* quem omnes sequi testatur, ratio est, quia ille facit iniuriam sacramento, & paenitenti, & propterea tenetur illam resarcire, quantũ potest, sed alio modo non potest, nisi seruando secretum, quantum sigillum postulat; ergo ad hoc tenetur, *Regin. tom. 1. lib. 3. cap. 3. n. 26. Hurtad. disp. 12. de paenis diffic.* 3. qui autem casu, seu per inaduertentiam audiuit, vel quia paenitens alta voce dicebat peccata sua, tenetur solùm sub sigillo naturali, quod importat mortale, non autem sigillo sacramẽtali iuxta *Sot. in 4. dist. 18. q. 14. art. 5. Tanner. tom. 4. disp. 6. q. 9. dub. 6. n. 134.* aliàs nulla esset differentia inter eum, qui ex industria, seu dolosè, & qui casu, & sine culpa audit. Sed *Suar. cit. sub d. n. 7.* docet, vtrumque casum includi sub sigillo sacramentali, sequuntur quamplures cum *Dia. par. 5. tract. 11. resol. 16.* prout
10 etiam volunt obligari audientes peccata confitentium publicè tempore pestis, vel naufragij, aut in conflictu, & simil. ita vt, neque inter ipsos postea colloqui possint, & minus Confessarius, *Angel. v. confess. vlt. n. 16. ex Scot. & Ricch. Suar. d. disp. 33. sect. 5. n. 3. Dia par. 5. tract. 11. resol. 23.* quae sentẽtia est securior.

11 Addit *Suar. cit. sect. 4. nu.* 8. quod si Confessarius iniquè reuelet confessionem alicui, teneatur ẽt iste ad sigillum sacramentale *ex Scoto cit. Ricch ibidem ar. 5 q. 1. Syl. v. confessio 3. sub n. 1.* idem docent *Tolet. lib. 3. cap. 16. n. 13. multique apud Dian. supr. resol. 7. §. 1.* & comprobatur infra *n. 14.* sed *Medina in C. de confess. q.* 50. vult teneri solum ad sigillum naturale, maximè, si iste talis non requisiuit Confessarium expresè, vel tacitè ad confessionem reuelandam, & reuelatio fuit omninò vltronea, & extra confessionem; An aũt inueniens casualiter paginã, in qua sint scripta peccata alicuius, teneatur pariter ad sigillum sacramentale, vel naturale, est magna altercatio DD. apud eundem *Dia. supra resol.* 27. vbi ip se vult, teneri sacramentali, sed mihi placet contraria opinio, teneri st. solum naturali, quia valdè remotè consideratur hic casus

à Sacramento Pœnitentiæ, vt infra dicetur *resol.*181.*n.*4.

12 Ad secundum respõdet *D.Tho.in 4.dist. 21.q.3.ar.2.in corp.* quod duo sunt propter quæ tenetur sacerdos peccatum occultare; primo, & principaliter, quia ipsa occultatio est de essentia sacramenti in quantum scit illud vt Deus, cuius vicem gerit in confessione, alio modo propter scandalum vitandum; potest autem confitens facere, vt sacerdos illud, quod sciebat, vt Deus, sciat etiam, vt homo, quod facit dum licentiat eum ad dicendum, & ideò si dicat, non frangit sigillum confessionis; debet tamen vitare scandalum dicẽdo, ne fractor sigilli reputetur, *Suar.to.4. disp.33.sect.5.n.6.* vbi testatur esse cõmunẽ opinionem, & *n.*8. respondet contrarijs. Idem volunt recentiores apud *Dian. part. 5.tract.* 11.*resol.* 10. fauori enim suo quilibet renunciare põt *l.quod fauore C.de legib.* non tamen vt propalentur peccata complicis, vt infra *res.*180.*n.*1.

13 Quod si præuia licentia prædicta Confessarius dicat, pœnitentem iam mortuum, sibi ordinasse, vt sui heredes faciant aliquã restitutionem, teneri hæredes ad eam in foro fori, & sufficere solam fidem Confessarij absque iuramento fuit resolutum in S.C. *Neap.apud Cap. Latr.dec.*12.ex multis, licet ibi ageretur de re modica nempe au, reorum 70. quod magis procederet in foro conscientiæ; si tamen ageretur de re magni momenti, esset cautius agendum, considerata st. qualitate Confessarij, & an ad se, vel suos aliquod beneficium hinc peruenturum esset cum alijs circumstantijs, quæ leguntur apud relatũ authorẽ, vide ẽt *P.Dia.p.*5. *tr.*11.*res.*28. Hęc tñ licen-

14 tia quãdo cõceditur, est recipiẽda in scriptis per Confessarium, tàm in casu mortis, dum sigillum durat etiam post eam, vt dictũ est *sup.res.*177.*n.*9.*in fine*, quàm in vita; quia si pœnitens negaret, dubium esset cui credendum, & cum agatur de re tanti momenti, vt infra resol. 182. vbi de pœna inferenda Confessario, sigillum aperienti dicam, non est his periculis hoc subijciẽdum, vt rectè docet *Aldrete de relig.discipl, lib.*2.*cap.*19. §. 1. *n.*6. alias posset Confessarius malæ conscientiæ aperire ad sui libitum sigillum, & postea se excusare habuisse licentiam à pœnitente, quod esset viam fraudibus aperire, & iura id generaliter prohibent *l.* 1. *& toto ferè tit.ff.qua in fraud.credit.* & alibi passim, quicquid in contrarium asserat *Dia.cit.resol.*41.ex *Suar. to.4.disp.*33. *sect.*5. *n.*14. qui concludit in fine, esse in scriptis habendam, quando ita prudenter existimaretur necessarium; sed illi, quibus fuit talis confessio reuelata, tenentur etiam ad sigillum sacramentale, vt dictum est *supra n.*7.*&* 11. *Tolet. lib.*3.*c.* 16.*n.*13.*Suar.cit.sect.*5. *n.* 9. *&* 10. *Henriq. lib.*6. *cap.*20.*n.*3.*in Gl.lit.*S. *Dia.cit.res.*11. §. *sed hæc opinio.*

15 Confessarius autem de peccatis auditis in confessione, neque cum ipso pœnitente potest extra eam amplius tractare sine ipsius licentia, & in hoc omnes conuenire dicit *Suar.vbi supra sect.* 5.*n.*2.ex *Soto in 4.dist.* 18. *q.*4. *art.* 6. *& alys*, ratio est, quia hoc, per se loquendo, est valde onerosum pœnitenti, cum ea de causa afficiatur magno pudore, quod redundat in iniuriam sacramenti; Contrarium docet *Vasq.in 3.par.tom.*4. *q.*93. *ar.*4.*dub.*10. *n.*8. vbi alij, mediam viam, quæ tutior est, sequitur *Hurtad.disp.*12.*de pænit.diffic.*11.dicens, hoc non esse contra sigillum propriè, & strictè loquendo, quia locutio est cum pœnitente sciente peccata, esse tamẽ contra sigillum largè, & impropriè loquẽdo, quia fit contra obligationem seruandi secretum, idest nulli dicendi. Vnde cum de hoc fuisset quidam Confessarius accusatus á pœnitente coram Ordinario, & interrogatus P. Dia. ab eod. Episcopo qua pœna plectẽdus ille esset, respondit, vt ipse refert *par.*5. *tract.*11.*resol.* 6. pœna ordinaria, de qua infra, sed illi placuisse opinionem Hurtadi cit. & *Granad.in 3.par.de sacram.disp.*8. *tract.*11. *contr.*11.*n.*3. dicentium esse puniendum pœna extraordinaria, & vide de hoc iterum *resol.*181. *nu.* 5. *& res.*182.*n.*4.

Vtrum liceat confessario in aliquo casu vti notitia in confessione acquisita?

SVMMARIVM.

1 *Confessarius non potest vti aliquando notitia in confessione acquisita n.* 2. *cum multis seq.*

6 *Suffragia, vel beneficia an possint dari indignis, quando indignitas solùm scitur ex confessione, & n.*7.

Con-

8 *Concionator an possit obiurgare in concionibus peccata in confessione audita, & an Magister Nouitiorum, vel Confessarius monialium?*

9 *Matrimonij impedimentum si Parochus nouit solùm in confessione, an possit illi non assistere, vel alia sacramenta indignè negare?*

Resolutio CLXXIX.

1 AD primum respondeo, prohiberi regulariter vsum talis notitiæ cum periculo reuelationis peccatorum pænitētis, siue directè, siuè indirectè quia, vt in priori resol. n. 12. ex D.Tho.& alijs dictum est, hanc notitiam Confessarius acquisiuit non vt homo, sed vt Deus; & ideò nullam actionem humanam potest ex tali notitia exercere, idem legitur *in c.si sacerdos in fine de offic. ordin. ibi, quia non vt index scit, sed vt Deus*, probatur etiam ex motu proprio *Clem.8. de cas. reseru. pro Regularibus concesso sub die 26. Maij 1594. ibi, tam superiores pro tempore assistentes, quàm Confessarij, qui postea ad superioritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissimè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad externam gubernationem vtantur*, idem docent *Armilla v.Confessor. n.7. ibi, nil agere potest Confessarius propter quod possit panitens retrahi, & taliter se debet habere, ac si nihil de eo vmquam audiuisset, Bannes 2.2.q.23.art.8.§.ad confirmationem, Suar.to.4.disp.33.sect.7.n.1.*

2 Hanc sententiam secutus vir ille omnibus numeris absolutus Claudius Acquauiua Generalis Societatis Iesu anno 1590. prohibuit contrariam doctrinam publicè, aut priuatim doceri, illiusque vsum, vt refert *Sanch.tom.1.de matrim.lib.3. disp. 16. n.3.* videlicet; *Ita prorsus in omnibus casibus nostri se gerant Confessarij; ac si in confessione nihil penitus audiuissent, sibique persuadeant, vt humanarum rerum regimen ab hoc sacramento longissimè distat, ita debere nullatenus ab eo pendere, idem docent Valentia to.4.disp. 7.q.13.pun. 3. Granad.de Sacram.in 3.part. controu.7. tract.11. disp.7.n.5.P.Dia.par.5. tract.11.resol.3.§.sed prorsus*, vbi dicit, hanc sententiam esse sequendam, non solùm in casibus, in quibus periculum esset proditionis sigilli, vt supra, sed etiam in ijs, in quibus id esset confusionis, ac pudoris pænitentis ex *Fagund. prac.2.lib.6. cap.2.n. 3. & alijs.* Quamuis autem inter contrarios afferatur *D.Thom. in quodlib.5.art.3. ab eod. Sanch.cit.n.2.in fine*, mihi tamen non videtur superioribus aduersari; dicit enim, *quod si amotio subditi ab administratione possit inducere ad manifestandum peccatum in confessione auditum, vel ad aliquam probabilem suspitionem habendam de ipso, nullo modo Prælatus debet subditum ab administratione remouere, & si Abbas hoc faceret, grauiter peccaret, tamquam confessionem reuelans; sed quod posset secretò eum caritatiuè admonere*, hæc ille. dum ergo dicit secretò admonendum, debet hoc intelligi in eadē cōfessione, vbi non solùm hoc nō prohibetur, sed est onus Confessarij, vt omnes admittunt, & in praxi quotidie corrigere, & admonere solent Confessarij suos penitētentes, vt à peccatis abstineant.

4 Addit postea Sanct. quod quando talis administratio esset subdito in posterum periculosa, & cessaret periculum reuelationis peccatorum; tunc ad vitandum peccatum; alia occasione accepta, posset subditum ab administratione cum debita cautela remouere; quod si periculum in posterum non timeretur, nō oporteret, quod pro peccato præterito pœnitentia deleto, eum ab administratione remoueret. habuit ergo intentum ad impediendum peccatum futurum; itaque iuxta prædicta non contradicit *Ricch. in 4.dist.2.art.4.q.2.ad 4.* vt vult *Sanch.cit n.4.* sed potius concordat; dicit enim quod Prælatus remouendo ab officio suum subditum, quem per suam confessionem scit malè vti suo officio, & si hoc faciat ad vtilitatem illius, facit tamē contra vtilitatem communitatis, quia alij scientes, quod pro sua confessione ille remotus est, proniores reddentur, vt non confiteantur secundum veritatem; supponit ergo Ricch. hoc alios scire ex confessione reuelata, saltèm implicitè, & tamen dicit remoueri non debere, quod noster Sanctus apertè etiam dixit, non posse fieri eo casu per remotionem ab administratione, quia esset reuelare confessionē, quod prohibetur, sequitur *Sylu.v.confessio 3.n.9. ex eod. D.Tho. Rosell. & Angel.*

5 Sequendo ergo prędictam sententiam negatiuam fallit, quando ex vsu notitiæ confessionis, non solùm nulla sequitur directa, vel indirecta reuelatio peccatorū, sed nec morale periculum, aut confusio, vel pudor pænitentis; potest enim Con-

fessarius ex notitia habita in confessione diligētius custodire rem propriam, vel aliud simile, quia ex hoc nulla pænitenti, vel sacramento iniuria paratur iuxta *Suar. to. 4. disp. 33. sect. 7. num. 9.* & magis si nouit in confessione Petrum sibi insidiari ad occidēdum; potest non exire de domo, quāuis Petrus intelligat id oriri ex scientia suæ cōfessionis, quia nullo pudore ex hoc suffunditur, nec aliquod detrimentum patitur, nec ob id alij homines hoc scientes retrahuntur rationabiliter à confessione iuxta eundem *Sanch. lib. 3. de matrim. disp. 16. n. 4. in fine.* vbi tamen addit non licere ob indignitatem in confessione agnitam remouere aliquem ab officio, vel negare Eucharistiam, aut ordines, siue suffragium, vel beneficium, quia inde confunderetur pænitens, & retraheretur à confessione, sequitur *Dia. d. resol. 3. §. notandum.*

Sed hæc additio circa suffragia, vel beneficia tribuenda, si indistinctè (vt ipse loquitur) sumatur, magnam habet difficultatem, etenim D. *Tho. in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. & quodlib. 5. art. 3. D. Bonau. p. 2. q. 1. art. 2. Sylu. d. n. 9. Sot. & Nauar. apud Suar. d. sect. 7. n. 12.* docent, non solùm posse, sed etiam debere negari hæc indignis, si tamē
7 nullum sit periculum reuelationis peccatorum; ratio est, quia eligere indignum, est intrinsecè malum. *c. cum in cunctis de elect. & c. perpetuo eod. tit. in 6.* estque talis electio irritanda iuxta *Trid. sess. 7. c. 3. de reform.* si fieri potest sine iniuria sacramēti, quod gratis limitat Suar. quando suffragia essent publicè ferenda, quia tunc periculum esset reuelationis peccatorum; suffragia enim nequeunt publicè ferri sub pæna nullitatis, vt legitur *in eod. Trid. sess. 25. cap. 6. incip. in electione de regular.* imò idem *Sanch. cit. n. 6. in fine*, temperat dictum antecedens, vbi non solùm hanc sententiam appellat probabilem, verum etiam addit posse Confessarium hoc licitè facere, sed non teneri.

8 Hinc notat *Dia. part. 5. tract. 11. resol. 36. ex Maldero, Bea, & alijs*, non solùm Confessorem nouitiorum, vel monialium in sacris concionibus priuatis non debere in generali obiurgare peccata in confessione audita, verum neque concionantem in Ciuitate similiter in confessione audita, sub pæna tamen mortalis, non autem sigilli violationis: ratio est, quia pænitentes illam obiurgationem audiendo in publico, rubore suffunduntur, & à confessione retrahi possunt; hoc tamen in isto secundo casu ego non puto verū ex rationibus per D. Thom. ad hoc propositum infra allegandis *resol. 180. sub nu. 5.* etenim cū probabile sit multa in Ciuitatibus peccata committi, si non possent licitè in publico generaliter obiurgari, ad nihilum deseruirent concionatores, Ecclesiæque
9 intentus frustraretur. Ex dictis infert idem *Sanch. n. 14.* ex vtroque Ledesma, Parochū, siue quemcumque alium sacerdotem habentem licentiam assistendi matrimonio, vel ministrandi quodcumque aliud sacramentum non posse matrimonio non assistere, vel aliud sacramentum negare ob peccatum in confessione sibi notum, quia non potest vti notitia confessionis ad actus externos, quoties redderetur confessio odiosa, vt in casu, quia si scirent ob peccata in confessione detecta, posse illis negari matrimonium, aut alia sacramenta, retraherentur ab ea; posse tamen Confessarium monere pœnitentem in eadem confessione, vt talia non admittat, quia esset addere peccata peccatis, sed non extra confessionem, nisi peccata essent notoria, vt dixi supra *resol. 177. in fine, & in seq. sub nu. 5.*

Vtrum teneatur Confessarius seruare sub sigillo peccatum complicis sibi ab altero complice reuelatum, & num teneatur tradere schedulam pænitenti tradi solitam, præcipuè in Paschate, quādo eū ex aliqua causa nō absoluit?

Resolutio CLXXX.

1 AD primum respondetur eodē sigillo teneri Confessarium ad seruandum secretum circa personam complicis, quo circa personam pænitentis *Scot. in 4. dist. 21. q. 2. §. de quid dico. Palud. ibidem q. 3. ar. 2. conclus. 1. Soto dist. 18. qu. 4. art. 5. Sylu. v. confessio 3. num. 3. ex Ricch. in 4. ar. 4. q. 4.* ratio est *secundum Suar. tom. 4. disp. 34. sect. 3. n. 2.* quia omnia illa, quæ sunt necessaria ad integram confessionem faciendam, cadunt sub sigillo; sed aliquando non potest quis confiteri peccatum proprium sine manifestatione peccati complicis; ergo etiam istud est sub sigillo seruandum, (ego autem supra *resol. 150. n. 8. & seq.* dixi non licere manifestare cōplicem, nec eius peccatū, licet nō negauerim ibid. sub n. 22. cō-

tra-

trariā opinionē esse ēt probabilē)& addit ibid. quod si Cōfessor nō obligaretur sub sigillo, et respectu complicis, nulla posset esse securitas, et facilè ex ipsa cōfessione oriretur infamatio proximi, qua de re generaliter docet *Regin. lib. 3. cap. 4. n. 39.* cadere sub sigillo non solùm id, quod ad peccatum daclarandum fuit necessarium, sed etiam quod fuit vtile, vel etiam inutile, ne propterea retrahantur pænitentes à confessione. sequitur *Dia. par. 5. tr. 11. resol. 5.*

2 Addit tamen idem *Suar. n. 7.* posse Confessarium de licētia pænitentis vti scientia per confessionē acquisita de peccato cōplicis in bonum ipsius pænitentis, & præsertim in spiritualē vtilitatē, vel necessitatē, vt sc. eum defendat ab importuna complicis insectatione, vel inductione ad peccandum; Item si adultera intelligat maritum machinari mortem socio criminis, posse illum per Confessarium monere, vt se in tuto collocet idem *n. 23.* sed nō posse dari licentiam, vel datam non suffragari cum iniuria complicis, vel sine causa honesta, ad quam posit tale medium referri, quia in ijs, quæ pertinent ad personam complicis, non sufficit licentia pænitentis sine alia eiusdem complicis; etenim sigillum ad sui fauorem introductum, non potest regulariter sine sua voluntate tolli *Vasq. in 3. par. to. 4. q. 93. art. 4. dub. 5. nu. 5. Dia. par. 5. tract. 11. resol. 24.* qui vtramque opinionem probabilem vocat *ex Praposi. in 3. par. q. 11. de sigillo diffic. 6. n. 47. & alijs,* sed ego sequor priorem negatiuam.

3 Debet ergo licentia pænitentis quo ad complicem esse iusta, vt in casibus prædictis, vel similibus, quia non potest ex suo arbitrio famam complicis prodigere, & consequenter si esset iniusta, grauiter peccaret Confessarius illa vtendo, non solùm contra iustitiam; sed etiam contra Religionem; nam vti notitia sacramenti ad nocumentum iniustum alteri inferendum, sine dubio est graue sacrilegium, imò posset censeri fractio sigilli, iuxta DD. cit. & multo minus poterit Confessarius tali notitia vti ad gubernationem externam eiusdem complicis, quia ista exterior gubernatio pertinet ad actus omninò publicos, qua de causa *Clem. 8. in decreto de cas. referu. pro regular. §. 4.* mandat cauere diligentissimè Confessarios, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem vtantur, vt docent multi *apud Dia. par. 5. tr. 11. res. 4.* sicuti in priori resol. fuit dictum.

4 Ad secundum respondet *Henriq. lib. 6. c. 22. n. 4.* quod expedit dare schedulam cōfessionis tempore præcepti, aut moris cōsueti, in quo solitum est communionem accipere, ne alij in suspicionem veniant; subdit postea posse eā etiam negare Confessarium, quia non tenetur cooperari occultationi peccati, vt dum filiam matris indiuiduam comitem nō absoluit ex causa necessaria, non debeat pro illius dissimulatione fingere, dando ei postea hostiā non consecratam; sed qui spontè peccat, sibi prouideat, quomodo peccatum occultet: Parochus enim, qui audiuit confessionem, vtitur iure suo, dum monet, ne indignus communicet, etiam in Paschate, & abstinere à consuetudine consanguinei Procacis, quāuis in suspicionē veniat; melius est enim prouidere necessarium remedium saluti animæ, quàm famæ.

5 Coninch. autem *disp. 9. dub. 1. n. 14.* quem sequitur *Dia. par. 5. tract. 11. resol. 22.* respondet affirmatiuè, quia per hoc non mentitur, dum testatur illum confessum fuisse (quod verum est) idem Dia. citat etiam *Fagund. prac. 2. lib. 6. cap. 4. n. 4. & Moschos. in summa tract. 7. cap. 15. n. 3.* ex quibus reijcit *Bona. de sacram. disp. 5. q. 6. pun. 4. sect. 5. nu. 7.* volentem non teneri Confessarium dare schedulam pœnitenti, quem non absoluit.

Verum hoc non est resoluere quæstionem; nam Confessarius debet in schedula testari de confessione, & absolutione; aliàs non prodest, propterea, *D. Tho. 3. par. q. 80. ar. 6. in corp.* loquendo de sacra communione dicit, deberi publicis peccatoribus denegari; non autem occultis, & idem in appendice ibidem concluditur, monitione tamen occulta, vel generali in publico præmissa, quamuis autem loquatur de communione, idem videtur, dicendum de pænitentia, quia valet argumentū de vno sacramento ad aliud, vt Sanctus probat *in 4. dist. 30. q. 1. ar. 1.* idem enim sacrilegium committitur accedendo indignè ad Eucharistiam, quàm ad pænitentiā.

6 Concordat Caiet. *d. ar. 6.* vbi relata quadā distinctione *Durand. in eod. 4. dist. 9. art. fin.* de Curato, vel alio sacerdote curam non habente, & similiter de tempore generalis communionis, vel infirmitatis, aut simi-

simili, dicit non debere negari peccatori occulto, publicè petenti, quod probat ex sacra historia apud *Matth. cap. 26.* vbi legitur Christum non negasse Iudæ communionem, quamuis sciret in statu damnationis esse; subditque Caiet. videlicet, *constat autem quod Dominus non tenebatur tunc ad communicandum Apostolos, & de facili modicum supersedendo, potuisse sine scandalo euitare Iudam, instituendo sacramentum post datam intinctam Buccellam, qua sumpta exiuit foras, & confirmatur, quia Iudas non petijt communionem, & tamen Dominus apostolicum chorum communicans, ipsum cum cæteris inuitauit, dicens, comedite, & bibite ex hoc omnes.*

7 Ex quibus videretur dicendum, posse Confessarium monitione præmissa, vt supra dare schedulam absolutionis ad seruandam proximi famam illæsam, & magis cum timerentur rixæ, vel homicidia, ex implicita detectione peccatorum filiæ à matre comitatę, quæ verisimiliter veniret in cognitionē illorum, videndo illi negatā absolutionis schedulam, & aperiendo factum consanguineis, probabile esset incōuenientia prædicta orienda; eo magis, quia vt docet idē *Sanct. cit. ad 2.* peius est Confessarium peccare mortaliter, infamandō iniustè peccatorem occultum, quàm quod ille mortaliter peccet, quia nullus debet mortale committere, vt alium à mortali liberet, quod probat *ex August. lib. 9. in Genes.* docente, periculosissime admitti hāc compensationem, vt nos faciamus aliquod mali, ne alius grauius malum faciat; peccatorem tamen occultum potius debere eligere infamari, quàm ad mensam Domi-
8 ni indignè accedere. Imò addit *q. 81. art. 2. ad 2.* quod quamuis Christo sicut Deo nota esset Iudæ iniquitas; non autem per modum, quo hominibus innotescit, & propterea cum à communione non repulerit, hoc tamen fecisse, vt daret exemplum tales peccatores occultos non esse ab alijs sacerdotibus expellendos, & ideo in casu prædicto si probabile esset oriri debere inconuenientia relata, schedulam non esse negandam arbitror, non solùm de confessione, sed si ista non sufficeret, etiam de absolutione, quamuis sacramentaliter non tributa, æquiuocatione tamen in mente concepta ad vitandum mendacium.

Vtrum omnia, quæ in confessione dicuntur, cadant sub sigillo? & de alijs ad materiam.

S V M M A R I V M.

1. *Sigillum confessionis an extendatur, non solùm ad mortalia, & venialia cum eorum circumstantijs, sed etiam ad alia in confessione dicta? veluti defectus naturalium, vel virtutes, aut estasim, & similia n. 2. & 3. An includat etiam reperientem schedulam, in qua scripta erant peccata alicuius n. 4.*

5. *Confessarius an possit loqui cum pœnitente in confessione de peccatis in priori confessione confessis absque eius venia, & num. 6.*

Resolutio CLXXXI.

a RESpondeo cadere sub sigillo, non solùm peccata mortalia, & venialia cum distinctione, vt supra *ref. 177. n. 12.* sed etiam circumstantias eorum, & tamen ea, quæ sunt vtilia, seu conferentia ad eorumdem explicationem, quam non vtilia, dum à cōfitente propter ea explicanda dicuntur *Suar. tom. 3. disp. 33. sect. 3. nu. 1. & seq. Regin. lib. 3. nu. 38. Bonac. de pœnit. disp. 5. q. 6. sect. 5. pun. 2. n. 10. ex Coninch. Filliuc. & alijs*, a quibus nō discordat in substātia doctrina *D. Tho. in 4. dist. 21. q. 3. a. 1. q. 2. in cor.* vbi dicitur, quod sigillū cōfessionis directè non se extēdit, nisi ad illa, de quibus est sacramentalis confessio, sed indirectè id; quod non cadit sub sacramentali confessione, etiam ad sigillum cōfessionis pertinet, sicut illa per quæ posset peccator, vel peccatum deprehendi, nihilominus tamen alia summo studio sunt celanda, tum propter scandalum, tum procter pronitatem, quæ ex consuetudine accidere posset *P. Dia. p. 5. tract. 11. resol. 38.* vbi tamen neminem allegat, nisi *Malder.*
2 *de sigillo cap. 18.* Hinc est, quod si quis occasione confessionis peccatorum dicat, se natum ex Parentibus infamibus, pauperrimis, aut legitimo matrimonio non coniunctis tenetur Confessarius sub sigillo etiam hæc cælare, quia talis reuelatio reddit confessionem odiosam *Suar. cit. num. 5. ex Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. post 2. conclus.*

Regin.

Regin. & Bonac. cit. Dia. ubi supra resol. 29. (quam autem pœnam incurrat reuelans, vide *resol. seq. n. 4.*) cætera omnia, quæ in confessione concomitanter dicuntur, non contineri propriè sub sigillo, si nullo modo peccatorum accusationi inseruiant, ait idem Suar. cit. *n.* 10. de communi sententia, quia illa per se non sunt materia, nec ad illam reducuntur, & quod ibi dicantur, est impertinẽs ad rem, de qua agitur, addit tamen spectare ad prudentiam Cõfessarij, de his etiã rebus parum loqui, vn-
3 de rectè infert *Dia. citat. resol.* 30. non esse contra sigillum reuelare virtutes pænitẽtis, Deique dona, veluti estasym, aut volũtatem ingrediendi Religionem, vel vxorẽ ducendi, & similia, quia impertinenter narrantur in confessione, sed includi sub sigillo naturali, si tamen hoc voluit pænitens, dicunt etiam *Eman. Sà, v. confessor nu. 32. Henriq. lib. 6. c. 21. ex Nauar. & alijs.*

4 Siquis autem inuenit chartam, in qua scripta erant peccata cuiuslibet, non teneri sigillo sacramentali, sed tantùm naturali docet *Sot. de secreto q. 4. dub. 3. n. 3. Bann. in 2. 2. q. 33. art. 8. dub. 5. conclus. 2. Nauar. in c. sacerdos n. 8. & 9. de pænit. dist. 6. & de restit. lib. 2. cap. 4. n. 450. Granad. in 3. part. de sacram. controu. 7. tract. 11. disp. 4. n. 1. Suar. to. 4. disp. 33. sect. 4. n. 5. in fine*; ratio est, quia illa charta non est confessio, sed memoria pro ea, instrumentumque valdè remotum, nec sciuntur illa peccata immediatè ex occasione sacramentali, sed vti ab extrinseco, & proinde non est tanto vinculo inuentor ligandus, contrarium docet *Dia. p. 3. tract. 4. resol. 112. §. sed ego, & par. 5. tr. 11. resol. 27. §. mihi verò*, nec est mirum, cum in proœmio *tract.* 11. dixerit se strictiores opiniones in hac materia esse amplexurum.

5 An autem liceat Confessario loqui cũ pænitente in confessione de peccatis in priori confessione confessis, & absolutis absque pænitentis venia? ad hoc ita respondet *Præpos. in 3. par. q. 11. de sigillo dub. 5. n. 41. praxis communis etiam DD. & timoratorum Confessariorum satis declarat, in foro pænitẽtiæ, rationabili ex causa fieri posse mẽtionem eorum, quæ in priori confessione dicta sunt; nam Confessarij interdum negant absolutionem propter indispositionem pænitentis, & carentiam propositi, quam ex præcedentibus confessionibus aduertunt, ex quibus notãt frequentem lapsum in idem peccatum, sequitur Granado de sacram. in 3. par. controu. 7. tr. 11. disp. 5. n. 1.* contrarium dicit P. *Dia. par. 5. tr. 11. resol. 20. §. fin.* nisi pænitens priora peccata tangeret, & tunc nec posse Confessarium de alijs loqui, nisi de tactis à pænitente, vel de eius licentia, prior tamen opinio mihi magis placet, si concurrant causæ, ibi relatæ, vel similes; alias daretur occasio relapsis iterum relabendi, & numquam posset, vt debet aliquando negari absolutio, præcipuè existentibus in proxima occasione peccandi, illamque abijce-
6 re nolentibus. Extra verò confessionem non licet loqui cum pęnitente de peccatis confessis, etiam si hoc Confessarius facere vellet ad supplendum defectum in illa commissum, nisi de licentia pęnitentis; ratio est, quia iam Confessarius functus est officio suo, nec potest pænitentem inuitum sibi secundo subijcere, aliàs hoc tribunal redderetur valde odiosum, & onerosum, ita *Præpos. & Granad. cit. Fagund. pr. 2. lib. 6. cap. 4. n. 33.* vbi sententiam affirmatiuam ab alijs secutam improbabilem appellat, sed potest Confessarius admonere pænitentem in eadẽ confessione, etiam post absolutionem, quia morali iudicio id non censetur fieri extra eundem forum, sed supponitur pertinere ad complementum actus, *Præpos. cit. ubi alij*; quæ enim incontinenti fiunt, censentur inesse *l. lecta ff. si cert. pet.* quicquid in contrarium dixerit *Dia. ubi supra resol. 19. §. 2.* & vide supra *resol. 178. n. 15.*

Agitur de pænis contra violantes sigillum confessionis, et quibus modis hoc delictum probetur?

SVMMARIVM.

1 *Sigillum confessionis frangens qua pœna puniatur? & n. 2. An illo teneantur aliæ personæ ultra Confessarium? n 3.*

4 *Reuelantes defectus naturales in confessione scitos, vel alia similia, non tenentur pœna frãgentis sigillũ, sed extraordinaria, ultra sacrilegium, quod committunt.*

5 *Testes non contestes an plenè probent contra Confessarium inquisitum de reuelatione peccatorum? & dato non probare, quomodo hoc delictum probetur? num. 9. & seq.*

6 *Confessario negante reuelasse peccata, & pœni-*

pænitente id asserente, cui in dubio sit magis credendum? & n.7. & 8.

14 *Sodomia, adulterium, furtum nocturnum, & similia, quia sunt difficilis probationis probantur per indicia indubitata, & alias probationes minus integras.*

15 *Indicia indubitata quæ sint? sufficiunt in aliquibus delictis, sed non possunt dari contra Confessarium reuelantem peccata pænitentis.*

Resolutio CLXXXII.

1 AD primum respondet *Gregor. in c. sacerdos de pænit. dist. 6. videlicet, sacerdos ante omnia caueat, ne de his, qui ei confitentur peccata alicui recitet, non propinquis, nō extraneis, neque quod absit pro aliquo scandalo; nam si hoc fecerit deponatur, & omnibus diebus vitæ suæ ignominiosus peregrinando pergat: Innoc. autem 3. in c. omnis §. caueat de pænit. & remiss.* ita hoc in casu loquitur *caueat autem omninò, ne verbo, aut signo, aut quouis alio modo aliquatenus prodat peccatorem, sed si prudentiori consilio indiguerit, illud absque vlla expressione personæ cautè requirat; quoniam qui peccatum in pœnitentiali iudicio sibi detectum præsumpserit reuelare, nō solùm à sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam pœnitentiam in arctum monasterium detrudēdum.*

2 Vnde *Gl. ibidem v. deponendum* dicit, pænam peregrinationis à Gregorio impositā fuisse ab Innoc. in hanc detrusionē in monasterium, seu carcerem perpetuum commutatā, coniunctam tamen cum depositione ab vtroque Pontifice inflictam *Suar. to. 4. disp. 33. sect. 8. n. 1. P. Dia. par. 5. tract. 11. resol. 51.* addit *Henriq. lib. 6 cap. 19. sub n. 9. ex Maiolo Felic. & alys,* interdum ob id actu degradatum Confessarium, fuisse brachio seculari traditum ad supplicium mortis, ex quibus consequitur secundùm *Maiol. de irregul. lib. 5. c. 19. n. 6. ex specul. & alys;* talem frangentem sigillum esse etiam irregularem, secuta depositione; etiam circumscripta degradatione, irregularitas n. vt suo loco dixi, nil aliud est, quam suspensio ab ordine habito, vel habendo, sed depositus vtroque priuatur, vt in iuribus ibidem citat. legitur, ergo. vnde nescio qua ratione *Suar. cit. n. 2. & Dia. etiam cit. resolut. 53.* voluerint, hanc opinionem esse improbabilem. Si enim dicunt non incurri irregularitatem, nisi à iure ex *c. is qui de sent. excomm. in 6.* verum est, sed hæc non est à iure, negatur, quia dum in dictis *c. sacerdos, & c. omnis infligitur depositio*, hæc includit irregularitatem, vt mox dictum est, non nego tamen irregularitatem prędictam non contrahi, nisi sequuta sententia depositionis, ex qua illa oritur.

3 Dum autem in dictis iuribus legitur his pœnis ligari Confessarium, non sunt gratis extendendę in toto rigore ad alias personas, quas supra sparsim dixi hoc sigillo teneri; pænæ enim vti odiosæ sunt potiùs restringendæ, quàm ampliandæ *c. odia de regul. iur. in 6.* puniendæ verò sunt alijs pœnis, quam Confessarij, sed mitioribus, grauioribus tamen quam si solum frangerent sigillum naturale, quę erunt extraordinariæ, seu arbitrariæ secundum *Suar. cit. d. n. 2. in fine ex Host. in d. c. omnis Coninch. de sacram. disp. 9. n. 70. Hurtad. de pænit. disp. 12. diffic. 4. Henriq. lib. 6. cap. 19. num. 9.*
4 *in fine.* Addit etiam *Granad. in 3. part. de sacram. controuer. 7. tract. 11. disp. 8. num. 3.* quem sequitur *Dia. cit. resol. 51. in fine,* non infligi dictas pænas ob quamcumque violationem sigilli, sed solùm ob reuelationem peccati; de hac n. agitur in iuribus cit. quia illa est præcipua sigilli materia; vnde qui reuelat defectus naturales in confessione scitos, de quibus in *priori resol. n. 2.* vel alia, quæ peccata non sunt, non incurrit istas pænas, sicuti nec, qui cum pænitente loquitur extra confessionem de peccatis in illa auditis, licentia non obtēta; sed committunt sacrilegium contra reuerentiam sacramento debitam, & contra bonum eius, peccantque etiam mortaliter contra iustitiam, quatenus rubore afficiunt proximum, & secretum ab eo sibi commissum iniustè aperiunt, pænaque simili extraordinaria tenentur, vt supra *Suar. cit. sect. 8. n. 2. in fine;* & vide *supra res. 178. n. 15.* vbi retuli casum decisum: pæna verò contra non sacerdotes, audientes confessionē sacramentalem, est degradationis, & traditionis Curiæ seculari in suppliciū mortis, vt dictum est supra *res. 47.*

5 Ad secundum *Suar. d. disp. 33. sect. 8. nu. 3.* dicit hoc ad iuris peritos magis spectare, sed vt ipse sentit, coniecturis esse agēdum, & interdum sufficere plures testes, quamuis non contestes propter naturam delicti, *Henriq. d. n. 9.* addit, probari etiam per ipsius sacerdotis confessionem, de quo

non

non dubitatur, vt infra, quia nulla est maior probatio, quam proprij oris confessio *l.1. ff. de confess.* concordat tamen cũ Suar. quod probetur per testes singulares; quia aliter probari non potest, ac proinde si tales testes asserant sacerdotem reuelasse confessionem, & tamen sacerdos neget se illud didicisse ex confessione, præsumi contra sacerdotem; præsertim si ob hoc intulit damnum pęnitenti, & transfundi in eum onus probandi contrarium; non tamẽ puniri eo in casu pæna ordinaria, quia non conuincitur apertè; in dubio tamen
6 declinandum esse in fauorem Confessarij propter reuerentiam sacramenti, quod violatum non creditur, vt concludit *n. 10. in fine*, sicuti voluit etiam *Dia. par. 5. tr. 11. resol. 52. in fine*, vbi addit *ex Bern. Diaz in pract. crim. cap.* 109. quod si Confessarius dicat habuisse licentiã à pænitente ad reuelandum peccatũ, & pænitens neget, tũc ex qualitate peccati, personarum circumstantijs, & publicatione delicti, præsumptionem esse desumendam, nec certam regulam assignari posse, & propterea dixi supra *resol.* 178. *n.* 14. in facti contingentia licentiam esse habendam in scriptis à pænitente, quod nescio, qua ratione negauerit Dia. ibidem relatus.

7 Idem *Suar. cit. n. 4.* ita affatur, *multi authores imponunt Confessori onus probandi, vt videre est in D. Thom. dist. 21. q. 3. art. 2. ad 2. Ricch. ibid. art. 4. q. 1. ad 1. Sylu. v. confessio 3. n. 9. qui refert Abb. & esse communem DD. sententiam in d. c. omnis. Nauar. autem in d. c. sacerdos n. 164. ita loquitur, sed certè est difficile, & graue onus, quod moraliter vix expleri potest. Vnde fit, vt sæpè Confessores graui periculo exponantur vtendo iure suo, & ideo quamuis cæteris paribus inclinandũ sit in fauorem pænitentis, & sacramenti, tamen in particulari coniectura, & indicia cõsideranda sunt, nam si Confessor aliquid egit in damnum pænitentis, aut alterius, contra illum est præsumptio, si tamen constat nihil fecisse incommodi, sed potius intendisse bonum illius salua eius fama, & honore, quod fieri potuit, in fauorem potius illius præsumendum est, nisi aliunde oppositum constet, multum etiam confert vitam, & mores Confessoris spectare, nam si sit bonæ famæ, & honestæ vitæ, tunc illi fides adhibenda est, cum actus sit ex se secretus, neque aliter probari possit.*

8 Sed mihi magis placet opinio, quod in dubio sit declinandum in fauorem Confessariorum, quia cum isti vt plurimum sint vitæ probiores, præsumendum est potius pro eis, quàm pro pænitentibus, vnde dicunt *Gl. in c. monachus dist. 77. Ruin. lib. 2. consil. 127. n. 2. & 13. Rol. lib. 1. consil. 24. n. 54. & Menoch. consil. 92. n. 89.* dictũ sacerdotis habere vim duorum testium, additque *Grauet. consil. 267. n. 2. & consil. 272. nu. 16. versic. 3. probatur*, tantum valere testimonium 4. Clericorum, quantum sex laicorum; in qua materia docet generaliter *Cap. Later. decis. 60. n. 9.* omnes probationes esse arbitrarias, & in manu Iudicis esse, quid, aut cui credat, & quanta fides testibus sit adhibenda *ex l. 3. §. ideoque Diuus, ff. de testib.* sed hoc procedit in ciuilibus; nam in criminalibus probationes debent esse luce meridiana clariores *l. sciãt cuncti C. de probat.*

9 Si autem ad praxim hoc negotium reducatur, patebit delictum prædictum probari non posse, nisi per confessionem extraiudicialem, vt infra, vel iudicialem Confessarij; etenim peccata audita in cõfessione nemo scire potest, nisi Confessarius, & pænitens, modo, iste vti pars principalis, de cuius solo interesse agitur, fidẽ facere non valet, nisi quod aperiat viam Iudici ad inquirendum, vt est generale de omnibus accusatoribus, vti partibus offensis, quod pro absoluto tradunt. *Angel. de malefic. v. qui Iudex ad probationem nu. 9. & alij apud Iul. Clar. pract. crim. §. fin. q. 21. n.* 14. & quamuis sufficere ad torturam voluerit *Gramm. decis. 42. n. 9.* quando offensus perstetit vsque ad mortem in tali assertione, quia nemo præsumitur immemor salutis æternæ *c. cum in iuuentute de præsũp. l. si quis in graue, §. si quis moriens ad Syllan.* contrarium tamen scripsit *in consil. 57. nu.* 13. & 14. & hæc est veritas, ab omnibus admissa apud Clar. cit. sed dato, & numquam cõcesso esse testes integros, dum nequeunt deponere, nisi de actibus singularibus, nec possunt esse contestes, non sufficiunt ad plenam probationem, sed solùm facerent indicium ad torturam, si eorum testimonium esset legitimum (quod negatur) latè *Farin. q. 54. vol. 2. n. 1. Clar. cit. q. 53. n. 18.* imò nec in causa ciuili probant, quamuis actus esset difficilis probationis *Grat. discept. for. cap. 562. nu. 20. &* 21. eandemque probationem facit vnus
10 testis, quàm mille singulares *Bal. in l. iuris iurandi n. 4. C. de testib. Grat. cit. cap.* 78.

*nu.*24. vbi recentiores, sed vnus testis nõ probat, etiam si esset Consiliarius Principis *d.l.iuris iurandi* ergo. (Contra tamen solicitantes in confessione sacramentali plenè probant, concurrentibus alijs adminiculis, & indicijs, sed ex bullis summorum Pontificum, vt supra *resol.*47.*n.*7. *& infra v.solicitare in introd.n.*4.

11 Oportet igitur vt Confessarius tale delictum confessus sit alterutro modo, vt dictum est: si extraiudicialiter, hæc confessio non sufficit ad inferendam pœnam ordinariam, sed potest ex ea procedi solùm ad torturam Confessarij confitentis, vt de communi testantur *Felin. in c. olim n.*5. *de rescript. Decius in c.at si Clerici post n.*17. *de iudic. Alciat.in c.cum non ab homine nu.*98.*de iudic.Iul. Clar.d.q.*21.*n.*31.tortura ergo illata, si Reus negauit, dicitur euacuatum indicium confessionis prædictæ, venitque omnino liberandus, vt quotidie practicatur,& docent *Gram. cit. post initium, & Præs.de Franch.decis.*577. *n.*3.quod procedit etiam si iudex antea protestaretur torturam inferre citra præiudicium probatorum,& Cõfessatorum,vt docet idẽ *Gram. decis.*96.*n.*1.*&*2. Nec prodesset ad finem

12 prædictum, si duæ, vel plures confessiones eiusdem Rei extraiudiciales, factæ etiam in diuersis temporibus existerent; nam posito vt dictum est singulas non sufficere ad pœnam ordinariam, & esse solũ indicia, modo, vti semiplenę probationes non coniunguntur ad inferendam pœnam ordinariam, sed tantùm ad augendam extraordinariam *Iul.Clar.cit.q.*67. *in fine.Vrsill.ad Affl.decis.*12.*n.*4.*Præs.de Franch. decis.*538. *n.*16. *ex Iason. & alys.* Si verò in

13 tortura reus confiteatur delictum, quia ista dicitur confessio iudicialis, tunc partes iudicis non sunt, nisi in condemnando §. *fin. auth. de mandat. Princip. ibique Gl.v. inquisitione*, etiam si aliæ coniecturæ deficerent, vt probatur in *l.qui sententia C. de pœn.l. inter pænas in fine ff.de interd.& releg. l.seruos C.ad l.Iul.de vi public.* nisi dato termino aduersus confessionem (qui negari non potest)probaret cõfessionem fuisse ex errore factam, vel propter metum tormẽtorum, vt etiam practicatur quotidie, & docet *Gram.decis.*48.*sub n.* 8.

14 Quamuis autẽ in delictis difficilis probationis, vt sunt adulterium, vitium nefandum, furtum nocturnum, & similia admittantur probationes minus integræ *l. in actionibus §. plene ff. de in litem iurando l. consensu C.de repud. c.cum causam matrimonij de probat.Corneus vol.*4. *consil.*92. *nu.* 12. & ita fuisse pluries practicatum in vitio nefando, cum testes de visu, nec actu, nec habitu reperiri in tali delicto valeant, referũt *Cap. Latr.dec.*163.*to.*2.*& Sanfel.decis.* 392.*to.*3.*ex Mascard. de probat. lib.*3. *conclus.*1313.*n.*3.*& Decian.lib.*3. *consil.*83. *nu.* 3. *&* 11. Attamen in delictis prædictis

15 possunt adesse indicia indubitata, quæ cum dicantur probationes iuris, & de iure, inducantque animum iudicis ad sic indubitatè credendum, ita quod nec probatio in contrarium admittatur, cum nec actualis, nec virtualis insurgat dubitatio de contrario, vt exemplificat *Cap. Latr. cit.n.* 50. potest Iudex ex indicijs prædictis infligere pœnam ordinariam vt ibi: in casu verò nostro talia indicia reperiri non possunt, vt patet comparando illa cum ijs, quæ possunt in inquisito de violatione sigilli excogitari, & proinde puto non posse ad pœnam ordinariam deueniri, nisi existẽte confessione iudiciali spontanea Confessarij, vel in tortura, & postea ratificata, vt supra.

Solicitare.

SVMMARIVM.

1 *Verbum solicitare plures habet significatus, sed in confessione sumitur pro incitando pænitentes ad turpia.*

2 *Confessarius solicitans in confessione, dicitur suspectus de fide, & ideò contra eum proceditur in S. Officio, sed quibus modis dicatur solicitare, item de pænis contra solicitantes n.*3.

4 *Testes singulares concurrentibus alijs præsumptionibus, & indicijs plenè probant contra solicitantes in confessione, in alijs delictis minime.*

INTRODVCTIO.

1 VErbum hoc plures habet significatus: aliquando enim accipitur pro maxima diligentia, quam quis adhibet in aliquo negotio, itaut etiam inquietudinem pariat, quo sensu dicit *Christus in Euangel. Matth.* 6. *ne soliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, &c.* aliquando pro pluries insta-

instare,& requirere,aliquando pro molestare, seu fastidire, & alijs modis,vt docet *Roderic. à Chuna in tract.de solicitat.q.1.à n. 1. vsque ad 17.* hoc autem in loco significat prouocare, seu allicere, vel rogare, vel alijs modis ad turpia, & inhonesta pœnitentes in confessione incitare *Sanctarell. in tr.de hæres. q.44.n.7.*

2 Quà propter si Confessarius verbis,aut factis,puta osculando in confessione,etiam si pœnitens dormiat,vel impudicè manus, aut aliam partem corporis pœnitentis tangit, aut oculorum aspectu sine alio signo ad libidinem prouocat, dicitur solicitare, & incidit in pœnas contentas in *Bullis Pij 4.qua incipit cum sicut nuper edita die 16.Aprilis 1561. Pauli 5. qua incipit, dilecte fili edita die 16.Septembris 1608.& Gregor.15 qua incipit, Vniversi Dominici gregis edita die 30. Augusti 1622.* per quas iubetur procedi contra tales solicitantes vti suspectos de hæresi, & subijci pœnis,pro criminum qualitate, & circumstantijs, suspensionis,priuationis beneficiorum,dignitatū, & officiorum quorumcumq; ac perpetuæ inhabilitatis ad illa, nec non vocis actiuæ, & passiuæ, si regulares fuerint.exilij,damnationis ad triremes, & carceres etiam in perpetuum absque vlla spe gratiæ, & si grauiori pœna digni fuerint, debita præcedēte de gradatione tradi Curiæ seculari, præterea in hac vltima bulla datur potestas Cardinalibus,& generalibus Inquisitoribus plenam fidem adhibendi, & probatum habendi delictum ex testibus singularibus concurrentibus tamen præsumptionibus, indicijs, & alijs adminiculis ob defectum probationum, & quia est difficilis probationis,de quibus vide etiam supra *resol. 47. & 48.* si tamen graui somno sit mulier oppressa, quādo Cōfessarius eam lasciuè tangit, videtur anceps *Dia.p. 10.tract.14.resol.43.* Verum Leand. cum Escobar, & alij ibidem cit. benè probant hunc etiā includi in bullis, quia si ibi prohibetur verba in ordine ad actus lasciuos, multo magis actus ipsi ad regulam *text. in auth.multo magis C.de sacros. Eccles.* sed pœnas prædictas non contrahit Confessarius, si interius in eodem confessionali delectetur, etiam si voluntariè polluatur; fœmina tamen ad hoc non aduertente, quamuis postea hoc eidem extra confessionale aperiat, (si modo non sit immediatè post confessionem, vt in res. seq. *n.8.*quia quæ incontinenti fiunt, censetur inesse *l. lecta ff.si cert. petat.*) ratio est, quia non tentat prouocare feminam ad inhonesta in confessionali, quod prohibent prædicti Pontifices, sed committit graue sacrilegium, vt docent *DD. apud Bonac.to.1. disp.6.pun. 3.num.3. & apud Dia.d.resol.43.S.2.*

Vtrum extet obligatio denunciandi Confessarios solicitantes pœnitentes, & qui ad hoc teneantur cum alijs ad materiam.

SVMMARIVM.

1 *Femina solicitata in confessione tenentur denunciare solicitantes Inquisitoribus, & si monita non denuncians, etiam si solicitationi consenserint, peccant mortaliter; nec debent absolui, donec denunciens, n. 2. & 3. quid si post solicitationem statim Confessarium pœnituerit? num. 4.*

5 *Denunciare Inquisitoribus an teneatur qui audiuit feminam, vel alium dicentes se fuisse solicitatos, & quid si isti dicant de auditu auditus & n.6.*

7 *Solicitatio in confessionali dicitur etiam si fiat verbis implicitis, & an per aliquod donum n.15.vel per litteras? nu. 18.*

8 *Confessarius est denunciandus S. Officio nō solùm quando solicitat pro se, sed etiam pro alijs vti leno, tam si hoc faciat in actu confessionis, quam antea, vel post immediatè, & in alijs casibus, vt infra, & n. 9.*

10 *Episcopum solicitantem in confessione an teneatur solicitatus, vel solicitata denunciare? & n. 11.*

12 *Confessarius vocatus à muliere in domo sub colore confessionis, si ab ea solicitatur, & nolens consentire, minetur ab ea quod accusare ipsum velit de violentia; qua de causa consentiat, an hoc non obstante debeat ab eadem muliere denūtiari? & n.13.& 14.*

16 *Coniectura dicuntur liquidissimæ probationes, & secundum eas est iudicandum in ciuilibus, in criminalibus autem faciunt præsumptionem tantùm.*

17 *Solicitare an dicatur Confessarius mamillas femina in confessione tangens, vel brachium, aut pedem premens,& similia, & quid si solicitatio sit directa ad*

veniale tantùm num.17. vel fiat pueris, quamuis non in ordine ad peccatum nefandum, sed tantùm ad molliciem? n. 19.

20 *Confessarius non tenetur denunciare feminam, quæ in confessione ipsum solicitauit.*

21 *Stimuli carnis sunt acutiores in feminis, quàm in masculis.*

22 *Solicitatio in dubio an præsumatur ex parte Confessarij potius, quam feminæ in confessione?*

23 *Interpres si solicitet feminam alterius idiomatis occasione confessionis. an sit denũciandus, etiã si esset sacerdos? Et quid de laicis, vel clericis, se simulantibus Confessarios, vel si essent sacerdotes, sed sine licentia ordinarij? n.24.*

25 *Solicitans in alijs sacramentis, præter quã in pænitentia non est denunciandus, nec etiam si in pænitentia, sed ad alia peccata præter luxuriam, n.26. quid quando auditis peccatis accessit ad domum mulieris ad solicitandum? n.27. & quid si solicitauit in itinere, dum mulier ibat ad domum suam? n.28.*

29 *Denunciare an teneatur, qui solicitationem factam ab alio Confessario sciuit in cõfessione, & quid si eam sciuerit sub sigillo naturali?*

30 *Denunciare an teneatur solicitantem in cõfessione, qui ex hoc graue damnum timet sibi obuenturum in persona propria, vel suorum, aut in bonis, vel honore?*

31 *Accusare de iure cõmuni nemo potest, nisi se obliget ad pœnam talionis, secus in solicitata denunciante; & an pœna talionis sit generaliter sublata? n. 32.*

Resolutio CLXXXIII.

1 Ad primum respondetur affirmatiuè *ex bulla Gregor. 15. §. 9. cit. supra in introd. n.2. ibi mandantes, vt eodem tempore sciant Confessarij pœnas propositas solicitantibus, & quod non hortantes, vt debent pænitentes solicitatos ad denunciandum, vel docentes eos non teneri denuntiare, punientur ab*
2 *Inquisitoribus.* quod si femina solicitata nõ denunciet, peccat mortaliter *P. Dia. part.4. tract.5. resol.3. & res.31. in fine*, dummodo non laboret ignorantia inuincibili, imò quod monita, non debeat absolui, nisi prius denunciet, docet *Auila de censur. part. 2. cap. 7. dub. 7. in fine*. quod rectè limitant multi apud *Dia. p.1. tract.4. res.27.* quando vrgeret necessitas communionis, essetque persona timoratæ conscientiæ, & promitteret quàm citius denunciare, quæ si monita iterum de obligatione denunciandi, non denunciat, incurrit excommunicationem, à qua tunc non debet absolui, quãtumuis promittat statim denunciare, nisi prius denunciet, *Sancius in select. disp.11. nu.62. Auila cit. idem Dia. ubi supra resol.35.* quod
3 procedit etiam si femina consenserit solicitationi, vt legitur in Epistola transmissa ab Em. Card. Mellino de ordine Vrbani 8. & Sac. Congr. ad Em. Federic. Cardin. Borrom. de qua meminit Bonac. cit. & ex Peirin. transcribit *Dian. d. resol.31.* videlicet.

Illustrissimo, & Reuerendissimo Signor mio osseruandiss. Dopo essersi hauuta lunga, e matura consideratione sopra il dubio significato da diuerse bande, se i penitenti siano obligati à denunciare i Confessori, da quali sono stati sollecitati nel luogo, ò atto della confessione, quando hanno consentito nella sollecitatione, N. S. e questi miei Signori Illustrissimi in Congregatione tenuta auanti S. Santità à 25. di Luglio passato dopò hauer anco inteso il parere d'una particolare Congregatione deputata per questo effetto hanno risoluto, che qualsiuoglia penitente è tenuto à denunciare il Confessore, dal quale sarà stato sollecitato nel luogo, ò atto della confessione, ancorche egli habbia consentito, & non è tenuto à propalare il proprio consenso, ne sopra ciò s'interroghi dal Vescouo, ò dall'Inquisitori, ò loro Vicarij, auanti quali deporrà, ne meno il Confessore denunciato, procedendosi poi contro di lui, ne i costituti, che se gli faranno s'interroghi sopra detto consenso; & in caso che egli volesse dirlo da se, non se scriua il suo detto, come cosa in ordine alla persona sollecitata, non spettante all'officio della santa Inquisitione; le parti dunque di V.S. Illustrissima sono di significare à i Confessori detta risolutione, & incaricargliene strettamente l'osseruanza, acciò nei casi, che occorrono alla giornata conforme al tenore della constitutione publicata da Gregorio 15. S. M. contra i Confessori sollicitanti significhino a i penitenti l'obligo che hanno di denunciare i Confessori, da quali saranno stati sollecitati, & hauendogli consentito, e facendo difficoltà in scoprire il proprio consenso, conforme alla risolutione che si è fatta, gli dichino apertamẽte, che non sono tenuti à propalare il detto consenso; & che tanto i penitenti, quanto i Confessori

sori sollecitanti procedendosi contro di loro, nō saranno di ciò interrogati, e dicendolo da se non si scriuerà, ne riceuerà il loro detto; e quando il penitente tuttauia persistesse nella medesima renitenza, N. S. si contenta che dal Vescouo, è dall'Inquisitore si dia autorità al Confessore di riceuere per scrittura, e con giuramento la denuncia per portarla subito à chi gli hauerà data autorità di pigliarla: e se oltre le cose sudette occorrerà altro caso graue, per il quale non si possa il penitente indurre à denunciare, vole S. Santità, che si scriua qui, e si aspetti la risposta, & in tanto si sopra seda nell'assolutione, è tanto si contentarà V. S. Illustriss. di far osseruar nella sua diocese, facēdo registrare la presente negl'atti di cotesta Corte per information sua, & de suoi successori, quali hauerānno mira che la presente risolutione riguarda solo quei penitenti, che per hauer consentito fanno difficoltà in denunciare, mà a' quei che non hanno consentito, ne sono in ciò renitenti, non deue il Confessore porre difficoltà alcuna, mà lasciare, che indifferētemente, e liberamente sodisfacciano all' obligo che hanno di denunciare conforme alla constitutione; si compiacerà anco V.S. Illustriss. di mandare copia delle presenti à Vescoui suoi suffraganei, acciò da essi ancora si sappi la presente risolutione, & à V. S. Illustrissima per fine humilissimamente baccio le mani di Roma li 27. di Settembre 1624. Di V. S. Illustrissima, & Reuerendissima humilissimo, & obligatissimo Seruitore Il Cardinal Mellino. A tergo. *All' Illustriss. & Reuerendiss. Signor mio osseruandiss. il Signor Cardinal Borromeo.*

4 Quod ampliatur, etiam si post solicitationem, Confessarium statim pæniteat *Bonac. tom. 1. in tract. var. disp. 6. pun. 3. n. 4. Dia. part. 4. tract. 5. resol. 22. & 23.* (vbi ponit pro casu diuerso emendationē Confessarij, sicut etiam *Bonac. n. 9* sed ego puto esse eundem casum,) ratio est, quia pænitentia, seu emendatio est actus interior, qui non subiacet, nec sciri potest ab Ecclesia *c. erubescāt dist. 31.* sed solicitatio precedens iam fuit expleta, quamuis vnico verbo, nec potest in foro exteriori haberi pro non facta *l. in bello §. facta ff. de captiu. & postlim. reuers.* ergo ibi est punienda, pænitentia, vel emendatione suppositis, & postea secutis nō obstātibus, aliàs quilibet Confessarius solicitans ad effugiendam denunciam, vel accusationē, posset dicere se pænituisse de solicitatione, vel iam se emendasse, & sic illudere Iudices contra text. expressum *in l. qui eamente ff. de furt.* adde quod Pontifices in bullis relatis absolutè præceperunt denunciari solicitantes absque definitione temporis, vel emendationis, quia hoc spectat ad superiores iudicare, & propterea Bonac. cit. concordat in affirmatiua, quamuis Dian. vbi supra referat solùm DD. hinc inde neutri adhærens.

5 Ampliatur secundò, etiam si hoc quis sciuerit de auditu, puta si femina dicat coram vno, vel pluribus, se fuisse à Confessario solicitatam, dummodo ista mulier sit fide digna, & pro honesta existimetur *Fagund. de prec. Eccl. p. 2. lib. 4. c. 3. n. 31. Villalob. in summa tom. 1. tract. 17. diffic. 1. num. 15.* secus si femina sit humilis conditionis, & magis si inhonesta, quia tales personę fidem non faciunt, & proinde temerè damnum inferret tàm sibi, qui de leuitate notaretur, quā denunciato, quem fortè sine causa periculo infamiæ exponeret, vt rectè docet *Regin. lib. 24. sect. 6. nu. 50.* ex casu secuto in persona D. Athan. vt legitur in Breuiario in eius le-
6 ctionibus. Contrarium decent aliqui apud *Dia. p. 4. tract. 5. resol. 28 §. 2.* eo quod non spectet ad illos discernere, an mulier sit bona, vel mala, quibus tamen respondetur, non spectare quatenus de illa iudicare vellent, dum non sunt iudices, sed benè possunt non credere, cui probabile sit veritatem non dicere: quod si alij dicant se hoc audiuisse à femina, quantumuis bonæ conditionis, & famæ, sed de auditu alterius, non tenentur isti secundi auditores denunciare, quia talis denunciatio esset de auditu auditus, quæ nullam fidem facit, vt probat *Sanfel. decis. 182. n. 3.*

7 Ampliatur tertiò, etiam si solicitatio fuerit verbis implicitis, puta quando Confessarius laudat pulchritudinem feminæ in confessionario, vel si diceret, *s'io fussi secolare, vi prenderia per moglie*, quia ex illis prouocari solent ad libidinem, dū enim Gregor. prohibet generaliter solicitationem in confessione, idem est hoc facere expresè, vel tacitè, dum verbi tendunt ad eundem finem, & taciti, & expressi eadem est virtus *l. cum quid ff. si cert. pet.* secus verò si accusanti se mulieri de actibus impudicis, Confessarius per modum admonitionis, & ad eā ab illis auertendam diceret, quod iniuriam facit suæ

ve-

nuptati, & nobilitati, constituendo se seruam diaboli per peccatum, notamque tam grauem suæ familiæ imponendo, *Sanctarell. de heresi cap. 44. dub. unico n. 9. Barbosa de offic. Paroch. cap. 19. n. 49. Bonac. cit. n. 5. Dia. par. 4. tract. 5. resol.* 18. *& par. 9. tr. 9. resol.* 32. quod si verba essent aliquo modo dubia, præsumenda essent dicta potiùs animo prouocandi quam ad alium finem, quia sola confabulatio cum femina, si sit solius cum sola, sumitur in deteriorē partē *c. Clericus dist. 8.* ergo magis si verba sint de per se ad malum allicientia, vel dubia.

8 Ampliatur quartò, siue Confessarius solicitauerit pœnitentem ad peccandum secum, siue cum alia persona, siue tentauerit in actu confessionis, siue ante, siue post immediatè, seu occasione, vel prætextu confessionis, siue confessio, vel absolutio secuta fuerit, siue non; imò etiam extra occasionem confessionis, si prouocatio fiat in confessionali, seu in loco, vbi cōfessiones audiuntur, seu electo ad confessiones audiendas, & Confessarius simulauerit ibi velle confessionem audire, quod totum declaratur in d. bulla Gregor. ibi, *qui personas, quæcumque illæ sint ad inhonesta, siue inter se, siue cum alijs quomodolibet perpetranda in actu sacramentalis confessionis, siue ante, vel post immediate, seu occasione, vel prætextu confessionis huiusmodi, etiā ipsa confessione non secuta, siue extra occasionem confessionis in confessionario, aut loco quocumque, vbi confessiones sacramentales audiantur, seu ad confessionem audiendam electo, simulantes ibidem confessiones audire, solicitare, vel prouocare tentauerint Dia. cit. res.* 10. etiam si confessio fieret in domo pœnitentis, *idem Dia. resol.* 37. *Bonac. vbi supra n.* 6. sed non est denunciandus mandās quia bulla dirigitur ad Confessarios, non autem ad mandantes, & propterea isti Confessarii debent denunciari, licet officium Lenonis faciant, quia bulla generaliter prohibet verba obscena in confessione, ex quibus inducitur solicitatio, vtrūque docēt DD. apud *Dia. par. 11. tract. 14. resol.* 42.

9 Ampliatur quintò, quando Confessarius sedens in confessionario, & loquens cum pœnitente stante, vel sedente ante Confessionarium, illam solicitat, quamuis confessionem pœnitens verè, nec fictè faciat, vt percipitur ex decreto *Pauli 5. apud Coriolan. de casib. reseru. part. 1. sect. 12. art. 22. n. 24. videlicet feria 5. die 10. Iulij 1614. in generali Congr. Sanctæ Rom. & vniuersf. Inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram Sanctiss. Domino N. Paulo diuina prouidentia Papa 5. ac Illustrissimis, & Reuerendissimis Dominis Petro tit. S. Mariæ in Via, Belarm. Ferdinando Taberna tit. Sanct. Eustachij, & Io. Garzia tit. SS. Quatuor Coronat. Mellino Nuncupalis Presbyteris S. R. E. Cardin. aduersus hæreticam prauitatem in tota Republica Christiana Generalibus Inquisitoribus à S. Sede Apostolica specialiter deputatis facta relatione, quod multi Confessarij tractant cum mulieribus in confessionali extra occasionem confessionis de rebus inhonestis, visum est contra huiusmodi Confessarios procedere in S. Officio*, quicquid in contrarium voluerit *Carena par. 2. tit. 6. §. 16. n. 81. apud eund. Dia. par. 10. tract. 14. resol.* 41.

10 Ampliatur sextò, vt obligatio denūciandi sit non solùm contra sacerdotes seculares, & regulares, verum etiam contra Episcopos solicitantes, quia verba Gregor. sunt generalia ibi, *omnes, & singuli sacerdotes tàm sæculares, quàm quorumuis etiàm quomodolibet exemptorum, ac Sedi Apostolicæ immediatè subiectorum ordinum institutorum, Societatum, & Congregationum regulares cuiuscumque dignitatis, & præeminentiæ, aut quouis priuilegio muniti existant*; ex quibus posse informationem capere Inquisitores generales contra Episcopos ad Pontificem transmittendam docent, quamuis sub dubio *Roder. à Chuna q. 12. n. 9. & Bonac. tom 1. disp. 6. pun. 3. sub n. 8.*

11 Hoc tamen ego non credo, non solum quia Episcopi in constitutionibus generalibus non comprehenduntur, nisi de ipsis expressa mentio fiat, vt legitur in *c. quia periculosum de sentent. excomm. in 6.* sed etiàm quia in *Trid. sess. 24. cap. 5. de reform.* in specie præcipitur, vt causæ criminales eorum, etiam si sint hæresis, à Romano solùm Pontifice cognoscantur, & terminentur; & si talis sit causa, quæ necessario extra Romanam Curiam sit committēda, nemini committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Pontifice eligendis, sitque commissio specialis, & manu Pontificis signata, nec plus prædictis committat, quam vt solam facti instructionem, processumque conficiant; nō po-

poterunt ergo Inquisitores hoc facere ex commissionibus quantumuis generalibus, nisi in specie talis potestas à Pontifice tribuatur, quod tamen etiam mihi durum videtur, quia si reperiretur aliquis Episcopus malæ conscientiæ, qui tàm magnũ scelus committeret, esset probabiliter immunis ab omni pæna temporali, quia nũquam, vel rarissimè inueniretur mulier, quæ ad vrbem suis sumptibus se cõferret, vel mitteret ad accusandum Episcopum de solicitatione, nihilominus ita pro nũc lex scripta est, vt vidimus, quæ quamuis dura sit; seruanda est *l. prospexit ff. qui, & à quibus*. puto tamen posse denunciari Inquisitoribus, qui hoc ad Pontificem referant, recepturi ab eo speciales commissiones.

12 Ampliatur septimò etiam si Confessarius vocatus ad domum feminæ ad confitendum, quæ in vicem confitendi solicitauit Confessarium, & iste ob metum ne accusaretur de violentia, vt mulier minabatur, consensijt; ratio est, quia metus tunc excusat, quando est cadens in virum constantem, vnde ait *Caius in l. metum ff. quod metus causa, metum autem non vani hominis, sed qui merito, & in hominem constantissimum cadat ad hoc edictum pertinet*; & in hac materia est *tex. in l. accusationis C. eod. tit.* vbi legitur, metum accusationis instituendæ nõ cõpetere ad hanc actionem; ergo metus accusationis mulieris non releuabit Confessarium; Imo in indiuiduo casus relati est tex. apertus in *l. nec timorẽ ff. eod. tit. ibi, nec timorem infamiæ hoc edicto contineri Pedius dicit, neque alicuius vexationis timorem per hoc edictum restitui*, & proinde ex alijs medijs dicit *Carena par. 2. a. 6. §. 19. n. 94.* non excusari Confessarium ex tali metu.

13 Nihilominus *Ioseph de Iannario resol. 58. de casib. reseru.* docet non esse Confessariũ denunciandum, nec incurrere in pænas constit. Gregorij, quia non habuit cum femina sermones inhonestos, sed ipsa cũ illo; cui respondetur, quod sufficit consentire; factum enim est plus, quam verba, vt infra *n. 14. in fine, & num. 15.* Dicit secundò durum sibi videri, quod pænitens, quę simpliciter est auctrix, & inuentrix huius mali; ipsa deinde teneatur accusare Confessarium ab eadem ex vi inductum ad tantum scelus, & deinde Confessarius coactus ad malum, sit puniendus, & inducens sit impunita accusatrix, & testis præcipua; verum istæ sunt puræ meditationes, non autem in iure ali-

14 quo fundatæ. Quibus propterea respondetur, quod aut Confessarius per ipsum excusatur ex metu, & iste non est sufficiens ad excusandum, vt modo probatum est: aut ex inductione mulieris ad malum, & nequidem vt in epist. Cardin. Mellini *sub n 3 supra cit.* implicitè mandatur, aliàs si ex persuasionibus mulieris Confessarius consentiens excusaretur, ferè nunquã hæc Greg. constitutio locũ sibi vendicaret, cũ vt plurimũ prouocatio oriatur ex parte mulieris, nec prodest distinctio *P. Dia. p. 10. tr. 14. res. 4.* quod ex tali metu, quando fuit in causa, sit Cõfessarius non ordinaria, sed arbitraria pæna puniendus *ex c. sacris de ys, quæ vi metusue causa*, vbi legitur metum attenuare culpam, non autẽ prorsus excusare; responsio enim est in promptu, quia ibi supponitur adesse verum metum, non autem apparentem, & coloratum, vt sunt illæ nudæ minæ simplicis mulierculæ. Minus obstat, quod dicit *Bonac. tom. 1. disp. 6. pun 3. nu. 17.* non teneri pęnitentem ad denunciandũ, quando ipse prouocauit, eo quia bulla loquitur de Confessarijs solicitantibus, nam dicit etiam de loquentibus inhonestè in confessione, quod regulariter fit, quando quis solicitationi consentit, imo dum subijciuntur denunciæ verba inhonesta, multo magis factum inhonestum, ad quod ordinantur verba *auth. multo magis C. de sacr. sanct. Eccles.*

15 Ampliatur octauò, quãdo Confessarius in confessionali donauit rem non modi valoris pænitenti, ratio est secundum *Trimarch. tract. de confess. solicit. disp. 2. sect. 4.* quia dona magis, quàm verba alliciunt, & solicitant, secus si esset res modicissimi valoris, veluti ramusculus, seu flos, vel daretur pauperi ad titul. eleemosynæ, vel etiam si res esset alicuius valoris, tamen esset in recompensam alterius donationis præcedentis, sibi ab eadem pænitente factæ; qua de re his in casibus recurrendum esset ad coniecturas, quæ dicuntur liquidissimæ probationes *l. licet Imperator ff. de leg. 1.* & secundum eas esse judicandum dicunt *Affl. decis. 13. n. 10. & de Franch. dec. 153. num. 7.* sed hoc procedit in ciuilibus, quia in criminalibus faciunt aliquam præsumptionem, non autem probationem, vt

dixi

dixi supra *resol. 182. num. 9. in fine, & seqq.* & propterea ad omnem bonum finem ista, quia non benè sonant, debent omnino vitari à Confessarijs; etenim potest esse, vt hæc ipsi agant ad bonum finem, pænitens verò recipiat in malum, & ex his postea moueatur ad solicitandum, *Escobar hoc tit. par. 1. q. 3. §. 2. n. 14. sequitur idem Dia. par. 9. tract. 9. resol. 34. §. fin.*

16 Ampliant nonò DD. apud *P. Dia. par. 9. tract. 9. resol. 9.* quando Confessarius mamillas feminæ tangit, brachium, vel pedem premit, aut digitos intorquet, quia licet ista secundum ipsum ibidem, si absit finis mortalis, & pollutionis periculum, non sint peccata mortalia extra confessionem, vt etiam docent *Nauar. in man. cap. 14. n. 31. & Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 46. n. 16. ex Caiet. 2. 2. q. 154. art. 4. in solut. ad 2.* (quamuis ego contra in *resol. 124. n. 19.*) in confessione tamen sunt mortalia, & propterea denuncianda, vt rectè docet *Dia. loc. cit.* secus si agatur de peccatis merè venialibus, vt puta si femina dum se accusat

17 de actibus impudicis cum Amasio secutis, eosque per verba similiter impudica explicat, & Confessarius ex leuitate, vel non cum plena aduertentia, aut ignorantia, volens eam interrogare de ijs, quæ omittere posset; hoc facit per eadem verba, tunc est peccatum veniale, & de isto, vel simili non est facienda denunciatio, ratio est, quia suspitio hæresis, quæ viam aperit huic inquisitioni, præsumi ex his minimis non potest, vt docet *Gaspar. Hurtad. de iust. tract. de indic. for. disp. 2. diffic. 7.* tum etiam quia nec sacrilegium oritur ex veniali peccato, quamuis in confessione *Suar. tom. 1. de Relig. lib. 3. cap. 7. num. 11. Sanch. cit. disp. 15. num. 21. Ioseph de Ianuario de casibus reseru. resol. 56.* tum tandē quia excommunicatio non potest inferri, nisi pro mortali *c. nemo Episcoporum 11. q. 3.* ergo multò minus accusatio in Tribunali inquisitionis, vbi proceditur contra tales vti de heresi suspectos.

18 Ampliatur decimò, quando Confessarius non solicitat per verba, sed per aliquā scripturam pænitenti in confessionali traditam, quamuis postea legendam; nam ibi incipit solicitatio, per quam fit iniuria sacramento, vt docent *Sancius in select. disp. 11. n. 31. Fagund. de præcept. Eccles. in addit. nouiss. pr. 2. lib. 4. cap. 3. n. 62. P. Dia. par. 4. tr. 5. resol. 2.* adeo quod contrariam opinionē non solùm damnauit *Alex. 7. in sua bulla edita die 2. Octobris 1665. sub cap. 6.* sed excommunicationem ipso facto incurrendā contrahere voluit illam docentes, seu defendentes, cuius absolutionem sibi reseruauit, cessat autem denunciatio, si scriptura mittatur ab eodem Confessario ad domum mulieris, vel per lenones verbotenus illam solicitet, aut ipse Confessarius post auditam confessionem accedat ad domum mulieris, & ibi eam solicitet, de istis enim casibus non loquitur Gregor. nec alia bullæ *Roderic. Acugna tract. de confess. solic. q. 5. n. 15. Melfes. in summa tom. 1. tr. 7. c. 24. n. 32.*

19 Ampliatur vndecimò in solicitāte puerum in confessione, vt constat ex eadem bulla Gregor. ibi, *qui personas, quæcumque illæ sint, & cæt.* imò non solùm si solicitatio fuit ad peccatum nefandum, sed etiam si ad molliciem, quod expressius declaratur in bulla *Pauli 5. edita sub die 6. Februarij 1619.* in qua dicitur Confessarios solicitantes pueros inclusos esse in bullis, & denunciandos *Eman. Rodriq. to. 1. qq. regul. q. 59. art. 4. & tom. 2. q. 27. art. 3. Sanctarell. in tract. de hæres. cap. 45. Bonac. tom. 1. disp. 6. pun. 3. n. 16.* quamuis autem antea *P. Dia. par. 1. tract. 4. resol. 12. & par. 4. tract. 5. resol. 33.* sustinuisset contrarium, quia fortasse non habebat in mente dd. bullas, postea tamen adhæsit huic affirmatiuæ, & communi sententiæ, vt ipse ibidem fatetur, quod idem dicit *in summa v. denunciare nu. 14.* de Confessario solicitante puerum in cellam ductum titulo dandi chirographum confessionis, iam dudum peractæ, quia iste casus pendet à confessione allegat ibi se ipsum *par. 4. tract. 5. resol. 77.* vbi hoc non inueni.

20 Limitatur primò in femina solicitante Confessarium, qui non tenetur eam denunciare, quamuis solicitationi non consenserit, bullæ enim PP. loquuntur de Confessarijs solicitantibus, non autem de feminis, & propterea cum in odiosis non fiat extensio de casu ad casum *c. odia de regul. iur. in 6.* merito non extenduntur ad feminas, vti in illis non comprehensas. Item quia masculi appellatione femina in odiosis non venit *l. 1. §. sed et si incertum versic. quare ff. de ventre in poss. mitt & l.*

21 *iuxta ff. de verb. signific.* Item tertiò, quia acutiores naturaliter sunt stimuli carnis in mulieribus, quàm in hominibus *auth.*

de

de non eligend. 2. nub. §. sin autem; suntque illæ imbecillioris sexus, & consilij *Gl. in- stit. de nupt. in princip. versic. promior, & in v. super filios, ubi quia calidior sanguis est in ea Bonac. cit. n. 20. Dia. p. 1. tract. 4. resol. 23.* vbi rationem tradit, quia st. leges adaptantur ad ea, quæ frequentius accidunt *l. nam ad ea ff. de legib.* & secundum ipsum frequentius accidit solicitari feminas à Confessarijs, quàm istos ab illis, citat *Sanch. de matrim. to. 2. lib. 7. disp. 11. n. 25.* qui loquitur de alio casu, nempe quando mulier raperet virum, an leges contra rapientes feminas, extendantur ad istas, si rapiunt viros, respondet negatiuè, quia rarò accidit mulieres rapere viros, & leges adaptâtur, vt supra; sed in casu nostro est secus, non n. loquimur de generali prouocatione extra confessionem, quia non dubitatur masculos regulariter prouocare feminas; in

22 confessione verò quia Confessarij eliguntur anziani, & constito de bona vita, & moribus, vt plurimum solicitatio oritur ex parte feminarum, & ita audiui ex ore multorum Confessariorum veridicorum, quibus hoc in praxi accidit, & negauerût, gratia Dei illis assistente. Ratio igitur est, quia cum valdè indignum sit, vt per spirituales iudices, & quasi animarum non solùm medicos, sed etiam parentes, animæ periclitentur, ideò aduersus ipsos taliusmodi pænæ emanarunt, ad quod facit, quod dicitur infra *n. 25. & 27.*

23 Limitatur secundo in interprete solicitante feminam alterius idiomatis, etiam si interpres esset sacerdos, ratio est, quia hoc in casu non est Confessarius, sed se habet ex parte pœnitentis, quem dixi non esse denûciandum *Sancius in select. disp. 11. n. 10. & 37. Dia. p. 4. tract. 5. resol. 9. & par. 9. tract. 9. resol. 32. §. nota verò*, vbi tamê multi in côtrarium referuntur; propterea vtraque videtur opinio probabilis, maximè quando interpres esset sacerdos; ex quo bulla loquitur generaliter de sacerdotibus, & iniuria vtroque casu similis fit sacramento, & propterea hæc secunda opinio mihi magis placet.

24 Limitatur tertiò, in laico, vel etiam Clerico solicitantibus feminas, quamuis simulando se sacerdotes, vt putabant solicitatæ, quia bullæ loquuntur de sacerdotibus, *Sanctarell. de heresi cap. 46. dub. vnico n. 9. Bonac. d. pun. 3. nu. 8. Dia. p. 1. tract. 4. resol. 15.* si verò non solùm confessiones audiant, sed etiam absolutionem, licet nulliter impertiantur, sunt denunciandi Inquisitoribus, vt legitur in eadem bulla, ibi, *contra eos, qui non sun presbyteri, si confessiones audiant, & absolutionem impartiantur. Rodriq. in qq. regul. tom. 2. q. 28. art. 2. & in summa tom. 2. cap. 83. nu. 3. Sancius in select. disp. 11. n. 36.* & multò magis sacerdotes non habentes facultatem confitendi ab ordinario, & fingentes habere, idem *Sancius cit. sequitur Dia. vbi supra resol. 17. ex Acugna tract. de confess. solic. q. 14. n. 4. & p. 9. tract. 9. resol. 32. §. fin.* sed priores ex alio capite veniunt, et inquirendi, & tradendi Curiæ seculari, vt dixi supra *resol. 48. n. 11. & 12.*

25 Limita quartò, quando solicitatio fit in alijs sacramentis, non in confessione *Bonac. cit. n. 7. in fine*, nam in omnibus bullis relatis fit tantum mentio de sacramento pœnitentiæ, quia ibi hoc facilius accidit, etenim feminis se accusantibus de peccatis carnalibus (quod in alijs sacramentis non contingit) sumit ex his occasionem Confessarius eas solicitandi, cogitans, quod dum illa cum alijs hoc patrauit, facilè poterit etiam sibi consentire, *Sancius vbi supra n. 42. Dia. par. 4. tract. 5. resol. 16. ex Lezana & alijs*. Limita 5. in solicitan-

26 te etiam in confessione, sed ad alia peccata præter luxuriam, quia bullæ loquuntur de solicitantibus ad turpia, & inhonesta *Bonac. d. n. 7.* vbi neminem allegat, sed hoc fatentur *Sanctarell. & Sâcius cit. Molfes. in summa tom. 1. tr. 7. cap. 24. n. 31. P. Dia. par. 1. tract. 4. resol. 20. & par. 4. tra. 1. 5. res. 17. vbi multi*.

27 Limita 6. secundum *Molfes. in summa tom. 1. tract. 8. cap. 24. num. 32. quem sequitur Dia. par. 4. tract. 4. resol. 14. in fine*, quando Confessarius post auditam confessionem peccatorum mulieris, accedit ad illius domum, sibique eam solicitat; ego verò existimo contrarium ex verbis eiusdem bulle & Greg. mente, ibi, *qui prætextu côfessionis feminam solicitauerit*; modo nullus alius pretextus potest hic assignari, nisi ex peccatis auditis, quæ Confessarium impellût ad solicitandû; ergo eo magis, quia quæ incontinenti fiunt, censentur inesse *l. lecta ff. si cert. petat.* ex mente verò, quia voluit, vt debuit omnino tam magnum sacrilegium ex sua Ecclesia tollere, quod ferè infinita mala parere potest, vt percipitur ex præfatione, & lectura totius bul-

 la,

læ, modo mens statuentis est potius attendenda, quam verba, si sint obscura, vel dubia *l.quamuis ff.de in ius vocando Gl.in l.at si quis.* 14. *§.idem labeo, v.imitari ff. de Relig. & sumpt. funer. ergo.* hoc tamen est intelligendum, si non longa mora inter confessionem, & solicitationem intercederet, quia tunc non esset locus denunciæ ex verbis expressis eiusdem bullæ ibi, *in actu sacramentalis confessionis, siue ante, siue post immediate.*

28 . Limita 7.secundum *Sousa opusc.de Confess.solic.in addit.n.* 10. *& alios PP.Societ.Iesu apud eundem Dia.p.4.tr.5. resol.7. in fine,* quando Confessarius post audita in cõfessione peccata carnalia mulieris, eam paulo post ab Ecclesia discedentem insequitur, & in itinere solicitat, quo in casu dicit idem Dia. nihil asserere de suo, sed relinquere cogitandum *Laurent.vero de Peyrin. in priuil. minim.to.2. const.4. Gregor.* 15. & *Lezana in summa qq.regul.c.*19.*n.*34. docet contrarium, quos ego sequor ex rationibus num. priori adductis.

29. Limita 8. quando solicitationem factã ab alio Confessario quis sciuit in confessione, tunc non tenetur denunciare, quia sigillum sacramentale ex nullo capite potest aperiri, vt dixi supra *v.sigillum in princ.* an autem teneatur ad denunciandũ, qui hoc sciuit sub sigillo naturali, dubiũ est inter DD. nam aliqui Lusitani apud *P.Dia.par.9.tract,* 8, *resol.*46. negant; alij verò affirmant, etiam si secretum fuerit promissum cum iuramẽto, quia tunc esset vinculũ iniquitatis, & nõ obligaret *c. quãto §. super de iur.iur.hi sunt Sanctarell, tr.de haeresi cap.9.n.*10,*Suar.de fide disp.* 20.*sect.* 4. *n.*17. & alij apud eundem *Dia.ibidem §.sed eius & par.*1.*tr.*4.*resol.*23. quam sententiam ego quoque sequor, quia solicitatio in confessione est delictum contra bonum publicum, & commune, et contra Sacramentum pænitentiæ, ad quod omnes accedere tenentur, & quodammodo accedere pauerent, si talis solicitatio non accusaretur, & ita seuerè puniretur, modo tale bonum præfertur priuato *l. vtilitas C. de primipilo lib.* 10. *ergo.*

30 Limita 9.quando ex denuncia facienda timetur graue damnum in persona propria, veluti mortis, abscissionis membri, vulnerum, amissionis famæ, seu honoris, amissionis omnium bonorum, vel maioris partis, vel in persona consanguineorum vsque ad 4. gradum, vel amici maximi, *Peyrin.de priuil.minim.to.2,sup.constit.4.Gregor.* 15. *§.9. n.*28. *Fagund.pr.2.lib.4.c.3.n.*31.*Sancius in select.disp.*11.*nu.*55. quæ doctrina si practicanda foret, esset intelligẽda de vero metu, de quo supra *n.*12.& eo etiam concurrente, non haberet locum, si hæc mala comminarentur in odium fidei, *Acugna de confess.solic.q.*19 *n.6. P. Dia.par.4.tract.5. resol.*19.& 36. *Bonac. tamen disp.* 6. *pun.3. n.9. in fine, &* 11. docet in omni casu regulariter esse faciendam denunciã, excepto metu mortis, vel alio personali; cum nequeat secundum ipsum adesse probabile periculum honoris; quia pænitens nõ tenetur exprimere suum consensum, quantumuis præstitum, & opere consummatum, & si hunc vellet postea Confessarius ad se exonerandum aperire, non est in actis redigendus, vt iussit Pontifex in dictis litteris *supra n.*3.transcriptis; manẽte igitur salua existimatione in exteriori, puto etiam ego non excusari mulierem ex hoc capite à denuncia.

. Ad quod vlterius probandum dicit *Bonac,d.n.*11.*circa finem.* quod licet nullus teneatur ad denunciandum id, quod probare non potest, & cum femina probare nequeat prouocationem Confessarij ad turpia, videretur propterea non teneri ad denunciandũ Confessarium solicitantem,

31 respondet tamen ab ista regula excipi hunc casum, sed maior (cum pace) vera non est, quia quamuis nemo admittatur ad accusandum, nisi se obliget ad pænam talionis, quæ est vt accusatione non probata, ad eandem pænam, qua accusatus multari debebat, damnandus veniat *l penult. & fin. C. de accusat. & c.tua de procur.* (licet hæc obligatio in Reg. Neap. fuerit sublata, vt testatur *Caranita super R.M.C. V.*199. *n.*2,& 3. sed an generaliter dicam inferius) attamen etiam de iure communi hæc obligatio in denuncia non procedit ex *c.super his de accusat,Tol.lib.5.cap.*57. *n.*1,ibi nec qui denunciat, tenetur crimen testibus comprobare, & propterea cum ex cit. bulla Gregor. femina debeat solùm denunciare, non tenetur probare delictum, & consequenter ista ponderatio Bonac. non est in consideratione, quæ etiam omnino cessat ex *Bulla Alex.* 7. *emanata die* 2, *Octobris* 1665. *cap.* 5, vbi damnat opinionem docentium non teneri ad denunciandum illum, qui probare delictũ here-

hæresis, non possit, & hoc sub pęna excõmunicationis ipso facto incurrendæ, cuius absolutionem sibi reseruat, sed solicitatio comparatur hæresi formali, vt infra *resol. seq.n.3.& 4.* ergo.æquiparatorum n. eadẽ est disciplina; & quod seruatur in vno, seruatur in alio *l. 3,§.proinde ff.de in rem verso,§.eadem ratione inst. quod cum eo, qui in alien. potest.*

32 Ex quibus conuincitur ęquiuocasse P. Dia cum alijs apud eum *p.1. tract.4.resol. 1.* vbi licet doceat teneri mulierem ad denunciandum vt supra, respondendo tamẽ ipse obiectioni aliorum DD. relatorum, dicit in *§. fin.* quod quamuis denunciator teneatur de iure probare suam denunciationem *ex l.Diuus, & l.ab accusatione ff.ad senat.C.turpil.* hoc tamen de consuetudine non seruari, leges enim prædictæ loquuntur de accusatione, non autem de denuncia, an autem pæna talionis sit de consuetudine generaliter sublata *Affl.in lib.1.cõstit.Reg.rubr.23.post n.9.negat;Iul. Clar.autem in prac.crimin. §.fin. q.81.n.3.* quamuis afferat sublatam, & seruari etiam in Gallia, refert tamen de quadam Angelina Corbeta, quæ falsò accusauerat quosdã, quia ipsam præpostera Venere cognouissent,quod cum nõ probasset, imò confessa fuisset accusationem esse falsam,fuisse sub die 26.Augusti 1558.damnatam per illum Senatum ad catenam infamem, & quod non euasisset pænam vltimi supplicij,nisi fuisset prægnans, de qua materia vide etiã supra *resol.28. num.12.& 13.* vbi latius,ad quæ me remitto.

Vtrum denunciatio ad quam tenentur feminę in confessione solicitatæ, & alij, vt in priori resol. sit facienda sine præuia correctione fraterna?

SVMMARIVM.

1 *Correctionem fraternam an necesse sit feminæ solicitatæ in confessione, vel alijs præmittere ante denunciam? & n.2.vsque ad 5.In multis casibus non est necessaria, sed an extra eos sit de præcepto, vel de consilio? n.9. vsque ad finem.*

Resolutio CLXXXIV.

AD primum P.Dia. duas de hoc facit resol. vna est in *p.1.tract.4.resol.2.alia p.4.tr.5.resol.24.* vbi refert omnes DD. antiquos, & modernos de materia differentes; inhęret ipse sententię negatiuæ, 1 quæ est certa hodie,vt infra *n.6.* sed inter contrarios refert D. *Tho.2. 2. q.33. art. 7.* & alios Thomistas, qui tamen mihi non videntur affirmatiuam, vt ipse dicit docere; vult enim Sanctus debere regulariter monitionẽ pręcedere denunciam iuxta Domini præceptum *apud Matth. cap.* 18. exceptis duobus casibus, primus est quãdo peccata sunt publica *ex Apost.1. ad Timoth. 5. ibi, peccantes coram omnibus arguẽ*, secundus est, quando peccata sunt occulta, sed in nocumentum proximorum corporale, vel spirituale, puta si aliquis occultè tractet, quomodo ciuitas tradatur hostibus, vel si hæreticus priuatim homines à fide auertat, nisi fortè aliquis firmiter estimaret, quod statim per secretã admonitionem posset huiusmodi mala impedire.idem dicunt *Sylu.v. correctio nu. 4. aliique Thomistæ à Dia. cit.*

2 Ex quibus videtur quod in materia hęresis secundum relatos DD. correctio nõ sit necessaria ante denunciam; licet autem *in c.qualiter, & quando 24. §. ad corrigendos de accusat.*generaliter præcipiatur monitionẽ debere præcedere denunciam, *ibi, sicut accusationem legitima debet precedere inscriptio, sic & denunciationem caritatiua monitio.* Glosa tamen in margine,dicit hoc fallere in crimine hæresis, sicuti dicunt alij,pręcipuè *Fagund. de præcept. Eccles.tr.2. lib.6.cap. 4. n.11.* qui tñ differentiam constituit inter hæresim formalem, & alia crimina sapientia hæresim, inter quę commemorat solicitationem;primo casu docet non esse necessariam monitionem, vt ibi, secundo verò sic, ibidem *lib 4.cap.2. num. 31.*rationem assignat, quia st. pręceptum correctionis est de iure naturali, & diuino, denunciationis autem humanum, quod propterea non potest destruere illud, quod tamen quatenus esset verum, deberet procedere in vtroque casu; sed hoc, ait locum sibi vendicare, si detur spes emendæ, idem volunt *Gregor. de Valent.to. 4.disp.3. q.10. pun.5. §.1. Filliuc.to.2.tract.*

28.*cap.8. n.*151. *Molfes. in summa to.1.tr.7. c.25.n.25.*

3 *Sancius autem in select. disp.*11.*n.*56. æquiparans hæresim formalem cum solicitatione ait, quod etiam si firmiter credatur emendatio in Confessario solicitante per fraternam correctionem, non excusatur femina à denunciatione, nam licet stando in solo iure naturæ, poterit quis à denunciatione cessare, si firmiter credat per secretam monitionem, emendationem secuturam, quia tamen Inquisitorum edictum publicatur de hæretico, siue solicitante Confessario deferendo, nulla præmissa monitione, quantumuis firmiter credatur emendationem secuturam, parendum erit præcepto; iudicium enim de spe emendationis nolunt Inquisitores committere feminis denunciaturis, sed semetipsis, qui tamquam litterati, & in istis rebus experti, sanius rem trutinabũt; quod autem hoc possit mandare Tribunal Inquisitionis, ita interpretando ius diuinũ vltra D. Thom. & alios, istud implicitè docentes, vt supra, adest etiam *Suar. tract. de fide disp.*20. *sect.*4. *n.*11. Præterea,

4 si hæresim formalem cum solicitatione pro eodem, vel simili sumamus iuxta Sancium cit. cessant omnia dubia, quia tam D. Tho. cit. vt vidimus, quam Thomistæ, & omnes fatẽtur, eo casu necessariã non esse premonitionem, & ita ius diuinum esse intelligendum, imò hoc indistinctè docent *Sanctarell. de hæresi cap.* 9. *n.*5. *Syluius in* 2 2.*q.*33.*art.*7.*concl.*2. *Villalob. in summa par.*2.*tr.*4.*diffic.*11.*n.*3. *Suar. cit. n.*12. *Azor p.*1.*lib.*8. *q.*9.*c.*19. *Bonac. disp.*6.*pun.*3.*n.*9. ea ratione, quia denunciatio est duplex Euangelica, & Iudicialis, ante illam, quę intendit emẽdationem tantùm fratris, concedunt præmitti correctionem; ante istam autem, quæ ad punitionem, & emendationem tendit, minimè, sed talis est denunciatio facienda in Tribunali Inquisitionis; ergo non est necessaria præmonitio, hæc autem ratio mihi non satisfacit; nam etiam in Euangelica, ideo denunciatur Ecclesię post correctionem malefactor, vt puniatur.

5 Propterea magis placet alia ratio per eosdem DD. ibidem tradita, quod st. vanum sit sperare emendationem in Confessario solicitante ex secreta correctione mulieris solicitatæ, vti ad illam inexpertæ & D. Thom. cit. requirit certitudinem; non autem probabilitatem emendationis, sequitur *Granad. super eadem* 2.2.*tract.*11. *disp.*5.*sect.*4. *num.* 33. *ibi, itaque non sufficit probabilitas, quod delinquens iste emendabitur correctione priuata, quia cum hac verisimilitudine stare potest prudens timor, quod delictum perseuerabit, & communitas grauiter lædetur; necessaria ergo est certitudo, quam in re tanti momenti nõ facile quisque sibi persuadeat, & Sousa in aphoris. Inquis. lib.*1.*cap.*34.*n.*56. ait in isto crimine, quantumuis occulto, regulariter loquendo, denunciam statim esse faciendam, prætermissa monitione *Henriq. lib.*6.*cap.*17. *nu.*4. *litt. L. ibi, casus solicitantis reseruatur censoribus fidei, quia serpit contra bonum commune, & honorem Christi, & vix vafer Cõfessarius emendari solet correctione.*

6 Conferunt dicta per *Tol. lib.*5. *cap.*57.*n.*5. *ibi, sunt tamen aliqui casus, in quibus non est opus præmittere admonitionem; primus est cum monendus præsumitur incorrigibilis, & hoc maxime in hæresi cum pertinacia;* qui hodie non solum est denunciandus omissa correctione, sed etiam suspectus tantùm de hæresi, siue sit secularis, siue regularis etiam petita, & non obtenta venia à superiore *ex bulla Alex.*7. *emanata die* 8. *Iulij* 1660. sub pæna excommunicationis, suspensionis, &c. quarum absolutio reseruatur Pontifici. Secundus est (in alijs tamen casibus præter hæresim) cum non profutura speratur admonitio. tertius cũ timetur magnum damnum ex admonitione secuturum, veluti mortem, vel abscissionem membri, aut vulnera, siue quid simile, quartus cum tempus deficit; adeo enim potest vrgere periculum, quod non tribuat dilationem pro admonitione, idem Tol. cit. sed generaliter loquẽdo circa correctionem fraternam, præcisis casibus prędictis, dubitari potest, an sit de præcepto, vel solùm de cõsilio, etenim verba Dñi relata per *Matth. cap.* 18. videtur præceptiua, ibi, *si peccauerit, &c. corripe*, ex quibus docet *D. Thom.* 2.2.*qu.*33. *art.*2.*in corp.* esse de præcepto, sed quia est affirmatiuum, nõ obligare semper, & in quolibet loco, & tempore, quia nõ tenemur quęrere data opera, quos corrigamus *Sylu. v. correctio nu.*3. sed seruatis debitis circumstantijs, vt st. fiat vbi debet, quãdo debet, & secũdum quod debet fieri, aliàs committitur mortale, vt docet idem *Sylu. cit. n.* 2. *& quamplures cum P. Dia. par.*5. *tract.*13. *resol.*42. *& par.*7. *tract.* 3. *resol.* 3. *&* 4. inqui-

quisitio enim pertinet ad eos tātum, qui aliorum curam gerunt, vt Prælati, & Curati *Regin.lib.24.sect.6. n.348.*

7 Quam D. Thom.doctrinam ad particulare reducendo dico, multa requiri ad mortale committendum per correctionis omissionem, & primo, vt pro certo sciatur proximū peccasse mortaliter, vel quia fuit visus, vel auditus a fide dignis, in dubio enim non tenetur priuatus (ad differentiam superioris, de quo infra, & resol. seq.) inquirere aliorum peccata ad corrigendum, nisi in casu criminis valde perniciosi Reipublicæ, vel si immineret proximi mors, aut probabile esset monendum de peccato dubio non ægrè laturum *Filliuc.to.2. tr.28.cap.9. n.133. Regin.lib.4. sect.3.n.335. P.Dia.p.4.tr.3. res.72.* secūdo

8 si illi ad quos spectat, vt sunt superiores, suo muneri desint, obligatio est supplendi defectum illorum, perinde ac cum diuites non subueniunt pauperi, extremè indigenti; tunc obligantur tenuiores, vicem ipsorum in subueniendo subire *Regin. cit.num.343.* vbi addit, quod si monendus est timoratæ conscientiæ, vel certè sciatur monendum esse ab alio, cessat obligatio, regulariter n. loquendo, si Prælatus adest, aut alius maioris authoritatis, aliaue ratione aptior ad tale quid agendum, non est tuum, sed illius corripere peccatorem; siquidem Prelatus habet maiorem obligationem, imò correctio facienda competit ei ex officio, vt docet *D.Tho.cit.ar.6.Emā. Sà v.correctio n. 2.* & propterea non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia tenetur *DD.apud Dia.par.7.tract.3.resol.9.num.10.* Tertio vt probabile sit correctionem profuturam, quia si creditur corripiendum non emendandum, vel in peius prolabendum, cessat similiter obligatio *D.Thom.cit. art.6.cor.in fine, Syl.vbi supra, Regin.n.338.* nisi necessitas corrigendi esset extrema,

9 puta damnationis ipsius. Quarto quod nō expectetur aliud tempus, & locus, in quibus commodiùs, aut æquè commodius correctio fieri possit, & interim sit probabile periculum relabendi *Syl.ibidem Regin.n.344.* quintò tandem quod ex intentione, & proposito correctio omittatur, nam si ex tepiditate, timore, verecundia, aut huiusmodi non est mortale; nisi alioquin proximi damnum tantum esset, vt meritò imputandum esset nolenti corrigere.

Ad idem *Gregor.de Valent.tom.3.disp.3. q.10. pun. 2.* vbi dicit rarò concurrere circumstantias requisitas, vt præceptum correctionis obliget sub mortali *Granad. in 2.2.D.Thom.contron.3.tr.12.disp.1.n.6.7.& 8.Eman.Sà cit.sub n.5. Dia. cit.resol.5. Sylu. autem v.correctio n.2.* vult esse mortale correctionem omittere ob timorem iudicij vulgi, modo speretur emendatio, ad quod citat eundem *D. Thom. art. 2. ad 3.* vbi

10 *ait, videlicet. Tertio modo huiusmodi omissio est veniale, quando timor, vel cupiditas tardiorem facit hominem ad corrigendum delicta fratris, non tamen ita, quod si ei constaret, quod fratrem posset à peccato retrahere, propter timorem, vel cupiditatem dimitteret, quibus in animo suo præponit charitatē fraternam, & hoc modo quandoque viri sancti negligunt corrigere delinquentes.* Verum si periculum sit extremæ necessitatis salutis proximi, vnusquisque tenetur sub mortali vitam pro eo exponere, si id fuerit ad illi subueniendum necessarium, & efficax remedium, vt percipitur *ex Io.3. ibi, in hoc cognoscimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere, id est vitam corporalē, vt exponit D.Tho.2.2.q.44.ar.8.ad 2.* hocque esse in præcepto patet ex verbis Christi apud eundem *Io.c.15. hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos,* ordo autem dilectionis requirit, vt salus animæ proximi in extrema necessitate, saluti nostri corporis præferatur, vt docent idem *Sanct.cit. & q.26.art.5. in corp. Greg. de Val.t.3. disp.3. q.4.pun.3. assert.5.* itaq; si sciam idiotam peruertendum ab hæretico, aut cum ignorantia fidei ad salutem necessariæ, vel cum alio mortali discessurū ex hac vita, teneor cum periculo vitæ, Prelato deficiente, ipsum instruere, quia necessitas spiritualis tunc est extrema *Regin.lib.5.sect.7.n.359.* in fine, & hanc sententiam esse nimis clarā dicit *P. Dia.p.7. tr.3. resol.27.S. vnde fit,*

11 Villalob. tamen *in summa tom. 2. tract. 4. diffic.9.n.6.* hunc casum numquam, aut rarò contingere posse existimat, nisi quādo proximus laboraret ignorantia vincibili alicuius necessarij ad salutem, teque de illius notitia rogaret, & tunc si credatur correctionem probabiliter profuturā; quia in dubio nec teneri quemquam dare vitam corporalem propriam pro vita spirituali proximi; in alijs verò casibus nec

teneri

teneri, quia si peccatum prouenit ex malitia, vel passione, potest peccans cum Dei auxilio se ipsum corrigere, si verò ex ignorantia inculpabili non peccat, & consequenter correctione non indiget, idem volunt *Lorca in 2.2.D.Thom.disp.45.num.7. Eman.Sà correctus v.correctio n.2.*vbi docet ex Victor.&alijs,priuatum non teneri cum periculo vitæ corripere peccantem ad differentiam Prælati, qui ad hoc etiam in necessitate graui proximi tenetur secundū *Regin.lib.4.sect.7. n.360.*

12 Casus autem in quibus emendatio non speratur, & cessat obligatio correctionis, vt antea dixi, exemplificantur per *Sanch. lib.2.de matrim.disp.38.n.6.* in eo (alijs omissis) qui rem habuit ante matrimonium cum consanguinea vxoris intra secundum gradum,& ignorans inuincibiliter hoc esse impedimentum dirimens contraxit, si quis sciat copulam præsecutam, & impedimentum, inde ortum, non tenetur monere, si probabiliter sciat non profuturum *c.si quis autem de pænit.dist.7.ibi si scirem tibi non prodesse, non te monerem, non te terrerē, &c.* correctio n. ad corrigendi vtilitatem ordinatur,cessante ergo spe emendationis, cessat obligatio, quia cessante fine legis, cessat lex *c.cum cessante de appellat l.adigere §. quamuis ff.de iure patron.*Item quia nul-

13 li laqueum debemus inijcere *c.penult. 27. q. 1.* sed admonitio in casu prædicto nihil aliud esset, quàm laqueum, & offendiculum ponere, nam coniuges existentes in bona fide, per monitionem versabuntur in mala, quia deinceps coniux impedimenti conscia non potest amplius debitum reddere, etiam si excommunicatio, vel mors immineat, vt docet Pontifex in *c. inquisitioni de sent. excomm.Sāch. cit.disp.39.n.8.*& fortasse vir non eredendo impedimentum subesse, quia mulier non possit illud detegere,ne famæ detrimentum patiatur,inde rixæ, scandala, & fortè mors sine fructu orirentur *Hēriq.lib.6.cap.27.n.4.& cap. 28. n.1.in comm.lit.B.*

14 Quod procedit non solùm quando matrimonium est contractum, sed etiam si sit contrahendum; & creditur monitos correctioni non parituros; testatur enim *Nauarr.in c.si quis autem de pænit. dist.7. n.37. & 66.* vidisse dispensationes aliquorum, qui de peritorum consilio bona fide credebant esse validas, cum tñ tales nō essēt, & tacuisse, quia circa ius humanum errabant, ne quos ignorantia tunc excusabat, constitueret postea in mala fide, & consequenter vtentes dispensatione peccarent, imò subdit *in manual.cap.22.n.83.in fine, arg. c.ignorantia de regul. iur. in 6.* non solùm posse confessarium absoluere pænitentem, qui probabili iuris positiui ignorantia excusatur, si videat monitionem non profuturam, sed etiam teneri *Sanch. cit.disp.38, num.6.in fine.Dia.par.7.tract.3. resol.19.*

Vtrum non solùm Prelati teneantur corrigere subditos, vt supra, sed etiam subditi Prælatos, & an hoc præceptum extendatur ad omnes, etiam peccatores, & quo ordine sit adimplendum?

SVMMARIVM.

1 *Prelati an teneantur corrigere suos subditos, non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia, quamuis nullus speretur ex correctione fructus, & an etiam de eorum peccatis occultis, vel de culpis venialibus, num.2. & quid è contra, num. 3. 4. & 5.*

6 *Confessarij an teneantur mores pænitentium inquirere vltra peccata per ipsos confessa ad finem corrigendi, & cauendi futura?*

7 *Correctio fraterna an possit fieri à peccatore alteri peccatori? Et quando facienda est, quo ordine, & modo sit facienda? n. 8. & an sit preferenda fama proximi conscientiæ eiusdem? num. 9. vsque ad finem.*

Resolutio CLXXXV.

1 Ex dictis in priori *resol. num.8.* constat Prælatos teneri ad correctionē subditorum, non solùm ex caritate, sed etiam ex iustitia, imo nec deobligari ab hoc præcepto, quamuis nullus speretur fructus emendationis, vel in peius corrigendum,esse prolabēdum, quia his in casibus cogendus est per pænas ad peccata dimittenda,cum quibus punitionibus prouideatur bono communi, dū seruarir ordo iustitiæ, & vnius exemplo alij deterrentur; Iudex enim non prætermittit ferre sentē-

tiam

tiam contra reum, ex quo non speretur emendatio, sed tantò magis eum punit, si est in malo obstinatus *D.Thom.2.2.q.33.ar.2. & 6.in corp.* imo si ex negligentia, vel timore correctionem omittant, facilius committunt mortale iuxta *Eman.Sà,v.correctio,n.2.DD.apud Dia. p. 3. tract.2. resol. 38.par.5.tr.5.resol.66.& part.7.tr. 3.resol.8.*

2 Quod ampliatur, vt teneantur inquirere peccata occulta subditorum ad corrigendum, idẽ *Sanct.cit.a.2.ad 4.* vbi dicit, secus esse in alijs non superioribus, vt etiam notaui *in priori resol. n.6.* quibus adde alios apud *Dia. par.3.tract.2.resol.12. & d.resol. 8.* sed non tenentur sub eodem mortali corrigere etiam subditos de venialibus, præcipuè si non sint publica, sed occulta, & non generalia, sed singularia quorumdam *Suar. de carit. disp.8.sect.2.nu. 6. circa finem, Castro Pal. tom.1.tr.6. disp.3. pun.3.n. 7.* ratio percipitur ex text. *apud Matth.cap. 18.* vbi supponitur proximum, cui præcipitur adhibendam, esse correctionem fore perditum in æternam damnationem, aliàs non subiungeretur ibidem *si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*; talis n. perditio non incurritur per venialia, nisi ex illis periculum immineret disciplinam Religiosam magna ex parte dissolui, quia tenentur quantum possunt inuigilare, vt integra seruetur, & mala exempla tollere, *DD.cit. cum Con.n.h. disp.28. dub.3.nu.24. Sanch. in opusc. tom.2.lib.6.cap.2.dub.2.nu.8. alijque apud Dia.par.5. tract.5.resol. 66. & d. resol. 8.*

3 Circa secundum ita loquitur *D.Tho.2. 2. q. 33.art. 4. in corp. correctio, quæ est actus iustitiæ per coërtionem pœnæ, non competit subditis respectu Prælati, sed correctio fraterna, quæ est actus caritatis pertinet ad vnũ quemque respectu cuiuslibet personæ, ad quam caritatẽ debet habere, si in eo aliquod corrigibile inueniatur; actus n. ex aliquo habitu, vel potentia procedens, se extendit ad omnia, quæ continentur sub obiecto illius potentiæ, vel habitus, sicut visio ad omnia, quæ continentur sub obiecto visus; sed quia actus virtuosus debet esse moderatus debitis circumstantijs, ideo in correctione, qua subditi corrigunt Prælatos, debet modus congruus adhiberi, vt st. non cum proteruia, & duritia, sed cum mansuetudine, & reuerentia corrigantur. Vnde Apost. dicit 1. ad Timoth. 5. seniorem ne increpaueris, sed obsecra, vt patrem, & ideo Dionis. redarguit Demophylum Monachum, quia sacerdotem irreuerenter correxerat eum percutiens, & de Ecclesia eijciens.*

4 Concordant *tex.in c.cum ex iniuncto §. nec quisquam de hæret. ibi, cum aliud sit fratrẽ, ipse peccantem occultè corripere, quod quisque tenetur efficere secundum regulam Euangelicam, quo casu sanè potest intelligi, quod Balaam fuit correctus ab asina; & aliud est patrem suum delinquentem reprehendere manifestè, quod vtique nulli licet secundũ Euãgelicam veritatem, & c. c. sicut 2. qu.7. ibi, sicut laudabile, discretumque est reuerentiã, & honorem debitum exhibere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris est, si qua in eis correctione indigent, nulla dissimulatione postponere, ne totum, quod absit corpus incipiat morbus inuadere, si languor non fuerit curatus in capite, item etiam sacerdotes 24.q.3 ibi tam sacerdotes, quàm reliqui fideles omnes summam curam habere debent de his, qui pereunt, quatenus eorum redargutione, aut corrigantur à peccatis, aut si incorrigibiles apparuerint ab Ecclesia separentur.* Hoc enim

5 postremo casu, quia peccata supponuntur publica, & scandalosa, publicè redargui debent, etiam si nulla speretur emendatio, secundum *Lorca in 2.2.disp.43.num.4.* quod videtur cõtra prius dicta per ipsum *disp.41.n. 4.* vbi affirmauit, quod quando peccata sunt in notitia omnium, vt in cõcubinarijs, & vsurarijs, non tenemur ad correctionem, quia numquam, vel rarò speratur fructus, vt obseruat *Dia. part. 3. tract.3. resol.33.in fine.* sed vide infra *n. 8.* si verò subditi, quando est facienda correctio Prælatis, existiment probabiliter ex aliqua causa non profecturos, possunt monere alios subditos seniores, seu Prælatos proximiores, vel amiciores, vt secretò corrigant; cum quo satisfaciunt, vt rectè dicit Lorca cit. Sed Confessarij non

6 possunt, vt prædicti Prælati mores pœnitentium inquirere, quia sic dicerentur exploratores, redderentque confessionem aliquo modo odibilem; debẽt tamen suos pœnitentes corripere, sed occasione sumpta ex ijs, quæ in confessione dicunt, non autem aliundè inuestigare, ita *Duuall. in 2.2.tract.de carit. qu.9. art. 4. quem sequitur P.Dia.par.7.tract.3.res.12.* quibus adde, quod in Tribunali confessionis non exercetur iurisdicto contentiosa, quam habẽt Prælati in suos subditos, sed solùm voluntaria, quæ non extenditur, nisi ad ea, quæ spontè, & voluntariè pœnitentes

Con-

Confessarijs patefaciunt, vt ad aliud propositum docet *Scot. in 4. dist. 17. quem refert Nau. in man. cap. 26. n. 20.*

7 Ad 3. dicit *D. Tho. 2. 2. q. 33. art. 5.* quod redditur indebita correctio peccatoris erga alium sibi similē ex tribus, primò, quia ex peccato præcedenti indignus redditur, vt alium corrigat, vnde *sup. illud Matth. 7. quid vides festucā, & cæt.* dicit Hieron. *de ys loqui, qui cum mortali crimine detineantur obnoxij, minora peccata fratribus non concedunt.* secundò propter scandalum, quod sequitur ex correctione, si peccatum corripientis sit manifestum, quia videtur, quod qui corrigit, non corrigat ex caritate, sed magis ad ostentationem, dum non corrigendo se ipsum, vult malos actus cælare, & scientiæ laudes per bonam doctrinam ab hominibus quærere. tertiò propter superbiam corripientis; in quantum st. aliquis propria peccata paruipendens, se ipsum proximo præfert in corde suo, peccata eius austera seueritate dijudicans, ac si ipse esset iustus. Vnde August. *in lib. 2. de serm. Domini in monte cap. 20. si autem inuenerimus nos in eodem vitio esse, non obiurgemus, sed congemiscamus, & non solum ad obtemperandum nobis, sed pariter cauēdū inuitemus;* Concludit tandem D. Thom. quod si peccator cum humilitate corripiat delinquentem, non peccat, licet per hoc, vel in conscientia fratris, vel saltem suæ pro peccato præterito condemnabilem se esse ostendat *Sylu. v. correctio n. 15.*

8 Ad vltimum respondet idem *Sanct. cit. art. 7. in corp.* hoc ordine esse procedendū; *aut peccata sunt publica, aut occulta, si publica, non est tantum adhibendum remedium ei, qui peccauit, vt melior fiat, sed etiam alijs, in quorum notitiam deuenit, vt nō scādalizentur, & ideo talia peccata sunt publ. è arguenda; si verò sint peccata occulta, sic videtur habere locum, quod Dominus dicit, si peccauerit in te frater tuus; quando enim te offendit publicè coram alijs, iam non solùm in te peccat, sed ēt in alios, quos turbat; sed quia etiam in occultis peccatis potest parari proximorum offensa, ideo adhuc videtur distinguendum; quædam enim peccata occulta sunt, quæ sunt in nocumentum proximorum, vel corporale, vel spirituale, puta si aliquis occultè tractet quomodo Ciuitas tradatur hostibus, vel si hæreticus priuatim homines à fide auertat, & quia ille, qui sic occultè peccat, non solùm in se peccat, sed etiam in alios, oportet statim procedere ad denunciam, vt huiusmodi nocumentum impediatur, nisi fortè aliquis firmiter æstimaret, quod statim per secretam admonitionem posset huiusmodi mala impedire.*

9 *Quædam verò peccata sunt, quæ solùm sunt in malum peccantis, & eius in quem peccatur, vel quia à peccante solùm læditur, vel saltem ex sola notitia, & tunc ad hoc solùm tendendū est, vt fratri peccanti subueniatur, & sicut medicus corporalis sanitatem ægroto confert, si potest sine alicuius membri abscissione, si autē non potest abscindit membrum minus necessarium, vt vita totius conseruetur, ita etiam ille, qui studet emendationi fratris, debet, si potest sic emendare fratrem, quātum ad conscientiam, vt fama eius conseruetur, quæ quidem est vtilis, primò quidem ipsi peccanti, non solùm in temporalibus, in quibus quantum ad multa homo patitur detrimētum amissa fama, sed etiam quantum ad spiritualia, quia præ timore infamiæ multi à peccato retrahuntur, vnde quando se infamatos conspiciunt, irrefrenatè peccant, vnde Hieron. dicit, corripiēdus est seorsum frater, ne si semel pudorem, vel verecundiam amiserit, permaneat in peccato.*

10 *Secundò debet conseruari fama fratris peccantis, tum quia, vno infamato, alij infamātur, cum de aliquibus, qui sanctum nomen profitentur, aliquid criminis, vel falsi finxerit, vel veri patuerit, instant, satagunt, ambiunt, vt de omnibus hoc credatur; tum etiam quia ex peccato vnius publicato, alij prouocantur ad peccandum, sed quia cōscientia præferēda est famæ, voluit Dominus, vt saltem cum dispendio famæ fratris, conscientia per publicam denunciationem à peccato liberetur; vnde patet, quod potest esse de necessitate præcepti, vt secreta admonitio publicam denunciationem præcedat. hæc ille,* à quo in parte transcripsit *Tol. lib. 5. c. 57.* eo sub silētio inuoluto.

11 Pro maiori tñ declaratione regulā tradit ex eod. Sāct. *Syl. v. correctio n. 4. quæ talis est. proximus noster duo habet, conscientiā, & famā; debemus vtrūque seruare, si possumus, alioquin fama pro conscientiæ salute contemnenda est, & deinde dicendum, quod ordo illius secretæ monitionis, non habet locum in peccato futuro, propter verbum (peccauerit, quia statim denunciari potest, vt impediatur, nisi obuiare possit ipse, qui nouit; quia tunc denunciare non debet, si inde sequitur infamia; nec habet locum in publicis, quæ non fiunt in te, idest contra te, & te solo sciente, sed statim denunciari possunt, quia per hoc peccās lædit conscientiam suam, & adstantium; vnde vtri-*

que

quæ succurrendum est per denunciationem, etiã si speraretur emendatio peccantis, quia oportet etiam à scandalo cauere. si tamen quis posset vtrique illorum satisfacere æquè benè, vt Prælatus, non esset denunciandus, vt conseruetur fama peccantis apud Prælatum, & alios nescientes; nec tandem habet locum in occultis, quæ proximis damnum spirituale, vel corporale inferunt, vel inferre possunt, quia non sunt solùm in se, sed in alios; vnde statim potest quis denunciare eum, quem scit velle prodere Ciuitatem, vel alios in fide corrumpere.

12 *Extra hos casus, quando peccatum est occultum, & nocet solùm peccanti; & ei, qui scit, vel quia læditur ab eo, vel saltem ex sola notitia, & tunc debet, si potest sic emendare fratrem, vt fama eius conseruetur, & sic de necessitate præcepti est, quod secreta monitio publicam d nunciationem præcedat) vt etiam dictum est supra resol. 150. in fine), quæ monitio debet semel, vel pluries fieri, quando spes de correctione probabiliter habetur; igitur, primo monendus est secretè, si emendatio probabiliter speretur, aliàs indicandus Prælato, vt priuata persona, secundo inducendi testes. tertiò si probari potest, & speretur correctio, accusandus est Ecclesiæ, idest eidem Prælato, vt personæ publicæ, vel si probari non potest, denunciandus tantùm secretè: Prælatus autem habita sufficienti probatione præcipit peccanti, vt desistat, quod si nõ facit, Ecclesiam nõ audit, & excõmunicãdus est, quo facto erit, vt ethnicus, & vitandus, sed non antea Syl. cit. ex eod. D. Thom. August. Archid. & alijs.* Concor-
13 dat *Nauar. in man. cap. 24. n. 14.* ex Scot. & Adriano ibi relatis, vbi addit, quod quãdo periculum est in mora, vel quis non est certus, an sua priuata monitio sit profectura, potest statim Iudici denunciare; si verò est certus, præcedere debet fraterna monitio secreta, & postea coram duobus testibus; item peccare mortaliter eum, qui proximum de aliquo peccato cum intentione mortaliter mala corripit, aut de peccato occulto coram illius ignaris cum notabili damno, aut probabili periculo iacturæ famæ eius obiurgat; peccare etiam illũ reuelantem superiori, non seruato ordine prædicto, etiam si hoc ageret ad finem vitandi recidiuum. Adde quod dicitur apud *Tol. lib. 5. cap. 57. n. 7.* in margine, peccare etiam proximum non corripientem fratrẽ, si hoc omittit ex odio, volens fratrem perseuerare in delicto, aut ex acceptione personæ, parcens ei.

14 Concludit tandem *P. Dia. par. 7. tract. 3. resol. 36.* in fine, quod quando speratur monitionem secretam (qui est primus gradus) profuturam, & incipitur à secundo (qui est monere coram testibus) sit mortale, nisi testes, quibus reuelatur, essent talis conditionis, vt parum, vel nullum detrimentum ex hoc in fama oriatur peccanti, & idem proportionabiliter dicit de eo, qui in corripiendo incipit à tertio gradu (qui est denunciare Ecclesiæ, seu Prælato, vt Iudici:) contrarium tamen docet D. Bonauent. sup. Luc. cap. 17. vbi ait hunc ordinem congruitatis esse, non necessitatis, quam sententiam dicit *Lorca 2. 2. D. Thom. disp. 46.* non esse erroneam, nec contrariam fidei, quamuis ipse priori adhæreat; ratio est, quia si proximus ex secreta monitione corrigitur, iam lucratus est absque famæ detrimento, si talis monitio non prodest, & fit secundo coram testibus, potest esse quod qui vnum admonentem contempsit, duos, vel tres reuereatur, & audiat, & minus læditur fama proximi, quam si dicatur Ecclesiæ, vt rectè docet *D. Thom. 2. 2. q. 33. art. 8.* hæc tamen fraterna correctio vt supra *n. 8.* ex D. Tho. dictum est, ac etiam in priori resol. *n. 1.* & seq. non est necessaria ante denunciam in crimine hæresis, sed in alijs criminibus.

Quid sit suspensio, & de varijs suspendendi modis?

SVMMARIVM.

1 *Suspensionis definitio. Eius modi diuersi, & penè innumeri sunt nu. 2. indefinitè prolata, an intelligatur ab officio, vel beneficio, aut ab vtroque? n. 3. Ab ordine simpliciter, intelligitur ab omni ordine? n. 4. Ab ordine superiore, veluti à Diaconatu, vel sacerdotio, non includit suspensionem ab inferioribus, & quid è contra? n. 5. vel in Episcopo suspenso? num. 6.*

7 *Suspensio ab ordine Pontificali quid includat? & quomodo differat à suspensione Pontificalium? A iurisdictione non includit exercitium ordinum. nu. 8. Ab officio prohibet administrationem sacramentorum omnium, sed non eorum recep-*

tionem excepto ordine, & an prohibeat exercitium iurisdictionis, vel si suspensus exercet, irregularitatem contrahat? num. 9.

10 *Suspensus ab officio, nequit officiare in Choro cum alijs, sed potest audire diuina officia, aliaque facere, vt infra, verum caret electione, tàm actiua, quàm passiua. Et est vbique suspensus, sed non propterea liberatur à recitatione Diuini officij in priuato, alias non facit fructus suos pro rata temporis quo à tali obligatione defecit n. 11. An etiam sit suspensus à beneficio, & distributionibus quotidianis? quid si suspensio sit perpetua? n. 12. & 13.*

14 *Suspensus à diuinis officijs, non potest cum alijs officiare in Choro, sed quid si intersit, vt simplex laicus, & quid de suspenso ab officio prædicandi? A beneficio quibus priuetur, & num possit, si est pauper saltē ex fructibus sustentari? n. 15.*

16 *Suspensio ab officio, & beneficio tollit vsū ordinis, iurisdictionis, & beneficij. Ab officio, vel beneficio à quibus suspendat? nu. 17. & 18.*

19 *Suspensus ab ingressu Ecclesiæ, si ibi ordinem quemcumque exercet, fit irregularis, & alijs pœnis subijcitur, n. 20.*

Resolutio CLXXXVI.

CIrca etymologiam nominis multa
scripsere *Sayr. lib. 4. de censur. cap. 1,*
n. 1, & alij, quæ vti non necessaria, & bre-
1 uitati studendo omitto; Definitur autem
quod sit Ecclesiastica censura, priuans
personam ecclesiasticam vsu officij, aut be-
neficij, aut vtriusque *Nauar. in man. cap.*
27. n. 151, Tol. lib. 1. cap. 43. nu. 1. idem Sayr.
cit. n. 13, Laym. par. 3. hoc tit. cap. 1, num. 1. &
alij; cuius definitionis partes ne idem plu-
ries repetatur, ex infra dicendis patebūt;
2 suspensionis autem modos penè innume-
ros cumulat *Gl. in Clem. cupientes §. & quia,*
v. suspensi de pœnis, quia tamen non omnes
sunt in vsu, loquendo de ijs, qui in praxi
3 educi possunt. Primus est absolutus, quā-
do superior simpliciter dixit, suspendo te
iuxtà *text. in c. 1, §. qui vero de vsuris. cum*
bone de ætate, & qual. & c. vt clericorum de
vita, & honest. Cler. quo in casu dubium
est, an suspensio sit ab officio, vel benefi-
cio tantùm, aut ab vtroque; multi enim
multa dixere, quos conciliare conatur
Sayr. cit. cap. 4. Ego verò existimo dicendū,
quod si sit tali modo à iure prolata, adeū-
da sit Sac. Congregatio, ad quam spectat
illud interpretari; si verò ab homine, iste
adibitur pro declaratione, aliàs consi-
derandæ erunt causæ suspensionis cū ver-
bis antecedentibus, & subsequentibus
superioris proferentis, quæ eius mentem
declarant *l. x. n est nouū, vbi Bar. ff. de legib.*
& interim vtroque casu donec declaretur,
est intelligendum de suspensione ab offi-
cio, & beneficio ex regula iuris quod in-
definita æquipollent vniuersali *l. si necessa-*
rias §. si annua ff. de pignor. act. & ita intel-
ligenda esse verba *Trid. sess. 24. de reform.*
matrim. cap. 1. circa finem, ibi, tamdiù sus-
pensus maneat, dicit *Sayr. d. cap. 4. num. 3.*
pro ut ante eum voluit *Henriq. lib. 13. cap.*
32. n. 1. ex Syl. & Nau. cit. sub lit. B. ante
omnes autem *Gl. penultuali in c. vnico, v.*
suspensionis de ijs, quæ vi metusue causa fiūt
ibi, intelligo indistinctè, idest ab officio, siue
beneficio, siue ab ingressu Ecclesiæ.
4 Secundus modus suspendendi est, quā-
do iudex dixit suspendo te ab ordine, &
sub hac suspensione, vti simpliciter pro-
lata includitur quilibet ordo, ex eadem
iuris regula cit. *Tol. lib. 1. c. 44. n. 2. Henriq.*
d. cap. 32. n. 2. ibi, suspensus tamen absolutè ab
ordine intelligitur vniuersaliter ab omni vsu
ordinum, tàm maiorum, quàm minorum Sylu.
v. suspensio n. 5. quod si suspensus quis sit
5 ab ordine superiori vt à sacerdotali, vel
diaconatu, non censetur suspensus ab in-
ferioribus ordinibus *Tol. & Hēriq. locis cit.* è
cōtra dicit *Syl. d. n. 5. ex c. significauit de corp.*
vitiat. quod si quis est suspēsus à subdia-
conatu, est etiā suspensus ab omnibus su-
perioribus ordinibus, nō tamē ab inferio-
ribus; sed hoc est intelligendum secundū
Suar. de censur. disp. 26, sect. 4. nu. 8. si actus
superioris ordinis non debent fieri cum
exercitio inferioris, à quo est suspensus,
vt si à diaconatu suspensus, vellet missam
celebrare, in qua opus est legere epistolā,
& Euangelium, quia tunc impediretur, se-
cus si actus non pendet ex ordinis suspē-
si exercitio, vt si idem vellet à peccatis
absoluere; vnde rectè addit *Dia. p. 5. tract.*
10. resol. 5. quod taliter suspensus, exercēs
actus ordinis superioris, non incurrit irre-
gularitatem, si modo non exerceat illum
actum ordinis, à quo est suspensus.
6 Aduertendum etiam est, quod licet
Sylu. cit, Tol. & Henriq. cum alijs apud Auil.

de

de cenſur.par.3.diſp.2.dub. 2.concl. 11. conſimiliter dicat Epiſcopum ſuſpenſum à collatione minorum non poſſe maiores ordines conferre, verius tamen contradicunt *Præpoſ.Suar. Coninch. Laym.& alij apud eūdem Dia.cit.reſ.6.* quibus adde *Trid.ſeſſ.23. cap. 8.* vbi dicitur quod ordinans à collatione ordinum per annum, & ordinatus à ſuſceptorum ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario videbitur expedire, ſit ſuſpenſus; dum ergo loquitur de collatis, ſeu ſuſceptis, cæteri ſunt excluſi à ſuſpensione iuxta regulam iuris in *c.non ne de praeſūpt. & l.cum Prator. ff.de iudic.*

7 Tertius eſt, quod ſuſpenſus ab ordine Pontificali, cuius vigore nequit Epiſcopus ordines conferre, vel virgines, aut Eccleſias, vel altaria conſecrare, vel Chriſma conficere, & ſimilia ad epiſcopalem dignitatem actinentia, poterit tamen iurisdictionem vti prius exercere, cum ſint res ſeparatæ *c.aqua de conſecr. Eccl.vel alt.* vbi *Gl. v.iurisdictionis. Abb.in c.cū dilectus n.20. de Conſuet.Tabie.v.ſuſpenſio n 4. Sylu.cit.n.4.§. cum autē Sayr.lib.4.c.4.n.11.&13.* vbi addit hanc ſuſpenſionē differre à ſuſpēſione Pōtificaliū, licet ſit ei affinis, quā differentiam ego non capio, cum ipſe idē fateatur neutrā prohibere celebrare miſſam baptizare confiteri, & cæt. huiuſmodi, ſed ſolùm ne cum baculo, & mitra, & ſi quæ ſunt alia ornamenta Pontificalia exerceantur, & conſequenter hæc ſuſpenſio prohibet etiā exercitium ordinis Pontificalis, ſicut ſuperior, cum actus ordinis epiſcopalis non debeant, nec ſoleant ſine inſignibus prędictis exerceri, vt implicitè docent etiam *Gl. in extrauag.ſuſcepti regiminis, §. quod ſi aliter v. à Pontificalibus de elect. Dia.part.5. tract.10.reſol.4. Ricc.in praxi ſub tit.de ſuſpenſione reſ.467 ſecūd.primam impreſſ.* exercens tamen pontificalia, ſuſpenſione non obſtante, licet peccet grauiter, vti tranſgreſſor mandati ſuperioris, non ideo efficitur irregularis, quia non eſt hoc in iure expreſſum, ſicut requiritur per *c.quia periculoſum de ſent. excomm. in 6. Syl. vbi ſupra. Tolet.d. n.2.Sayr. num.17. Dia.ibidem in fine.*

8 Quartus modus eſt ſuſpendere à iuriſdictione, per quem non prohibetur exercitium ordinum, ſed ſolùm iurisdictionis, *Nau.in man.cap.27.n.160. ex d.c.aqua, & c. tranſmiſſam de elect.* vbi generaliter docuit ſuſpenſionem à quibuſcumque actibus nō includere alios, illis non annexos, & propterea taliter ſuſpenſus iudicare, aut beneficia conferre, excommunicare, vel abſoluere nequit in foro exteriori, nec interiori, non ſolùm ab excommunicatione, ſed neque à peccatis, ſi modo ſuſpenſio ſit vniuerſalis à iuriſdictione, vel indefinita, quæ illi æquiparatur, vt dictum eſt, ſecus ſi ſit partialis, veluti à collatione beneficiorum, vel ſimili *c.graue nimis §.1. de præben.* vel a collatione inferiorum ordinū *c.nihil eſt de elect.*

9 Quintus, & principalis modus ſuſpendendi eſt ab officio, per quem prohibetur ſuſpenſus celebrare, & miniſtrare ſacramenta, aliaque ad officium ſuſpenſi pertinentia, ſed recipere poteſt ſacramenta omnia, excepto ordine, ſi quem non habet: ratio eſt, quia dum iſte confertur ad finem eum exercendi, fruſtratoria eſſet collatio per eandem cenſuram ſuſpenſa, *Abb. in c.ſi celebret n.3.de Cler.excom.miniſt.Sayr. lib.4. cap.5. n.22. & 23.* verum dubitatur, num etiam prohibeatur exercere iuriſdictionem? *Gl.in c.cum dilectus v.à ſuſpenſis, in fine de conſuetud.* reſpondet affirmatiuè, *in c.verò audiuimus v. quia excommunicatus 24. q. 1.* videtur negare; qua de cauſa *Tol. lib.1.cap.44. n.3.* dicit, ſibi contradicere, ſed reuera non eſt ita, quia in priori loco ſermo eſt de ſuſpenſione in genere, poſteriori verò de ſuſpenſione ab officio tantū *Sylu.autem v. ſuſpenſio n.5. verſic.ſi verò.* ait, communem eſſe opinionem, quod talis ſuſpenſio tollat exercitiū ordinis, & iuriſdictionis, cum verbum officij ſit valde latum, ea ratione, quia ſublato principali, quod eſt ordo, tollitur etiam eius acceſſorium, quod eſt iurisdictio fundata ſuper ordine *c. acceſſoriū de regul. iur. in 6.l.cum principalis ff.eodem Dia.v.ſuſpenſio n.3.* in ſumma, quæ ratio non videtur tuta; cum iuriſdictio concedi poſſit etiam ſimplici clerico, nullum habenti ordinem, ſi tamen taliter ſuſpenſus, iuriſdictionem exerceat, irregularitatem non contrahit, cum non reperiatur à iure ſtatuta.

10 Addit *Henriq.lib.13.§.1.* neque poſſe officiare in Choro, vel vocem ſuam dare in Capitulo, ſed poſſe audire diuina officia cum alijs, canere litanias, & etiam epiſtolam abſque tamen veſtibus ſacris, & ſi moriatur, ſepeliri in loco ſacro, cum hæc ad ordinis exercitium non pertineant, & conſequenter etiam indulgentias lucrari;

nequit tamen eligere, vel eligi *Gl. cit. Tabie. v. suspensio n.* 4. quod totum ampliat
11 *Sayr. cit. n.* 7. etiam in ordine ad locum; etenim suspensus ab officio in vno loco, est vbique suspensus ex *Gl. in c. quisquis Episcoporũ v. communicet 4. q. 5. & in c. si quis presbiter v. alius Episcopus 7. q. 1. in c. pastoralis §. verũ subtrahũtur de appell.* suspensus enim æquiparatur excommunicato, quantum ad exercitium officij *c. 2. de Cler. excõ. minist. Gl. d. v. alius Episcopus, & d. v. subtrahũtur*, si modo suspensio sit lata absque loci determinatione. *Bonac. hoc tit. disp.* 3. *pun.* 3. *n.* 7. *ex Suar. Filliuc. & alijs.* Sed non liberatur suspensus a recitatione officij in priuato *Gl. in c. penult. v. priuatus est dist.* 28. *Felin. in c. apostolica n.* 15. *de except. Vgol. de censur. Eccles. tab.* 1. *cap.* 13. §. 13. ratio est, quia suspensus si ad hęc non teneretur, in vicem pœnæ, quam meretur, fructũ sui delicti reportaret, quod esse non debet *l. legata inutiliter à contrario sensu ff. de legat.* 3. & proinde pro rata temporis, quo cessauit à recitatione, non facit fructus beneficij, vel pensionis suos *Nauar. in man. cap.* 25. *n.* 122. *ex Bulla Pij* 5. *incip. ex primo Lateranensi ab eodem relata*: secus si illas recitet, quia suspensione non obstante, eos lucratur *Dia. part.* 5. *tr.* 10. *resol.* 1. §. *penult.*

12 Iterum dubitatur, an suspensus ab officio, sit etiam suspensus à beneficio? *Gl. in Clem. cupientes v. suspensi circa finem de pæn.* distinguit, an sc. suspensio sit à iure, vel ab homine, an pro crimine, vel infamia, an pro mortali, vel veniali, vt si à iure, vel pro crimine, vel mortali, sit etiam à beneficio, in cæteris secus *Anchar. in eadem Clement. Syl. v. suspensio, sub n.* 5. §. *si verũ Sayr. d. cap.* 5. *à n.* 13. sed placet mihi opinio *Nauar. in man. cap.* 27. *n.* 160. *& Tol. lib.* 1. *cap.* 44. *n.* 5. volentium suspensum ab officio non esse suspẽsum à beneficio in casibus prędictis, siue alijs, & ratio est, quia cum suspensio aliquando fiat ab officio, aliquando ab officio, & beneficio *c. praterea de vsur.* si sub priori suspensione subintelligeretur secunda, frustra adderetur ista, vti superflua contra regulam iuris *in l.* 1. §. *quibus C. de nouo C. compon. Gl. in c. quorum, v. curam instit. in proam.* & proinde taliter suspensus facit fructus beneficij suos *Dian. d. resol.* 1. §. 2. excipiunt tamen DD. cir. distributiones quotidianas, quæ dantur interessentibus diuinis officijs, eaque cum alijs recitantibus, quasi propter laborem, quæ cum taliter suspensis sint prohibita, merito illis frui non possunt, licet distributio-
13 nes largo modo dicantur beneficium, excipit etiam *Henriq. lib.* 13. *cap.* 32. *n.* 3. quando quis ob graue crimẽ esset suspẽtus ab officio in perpetuũ, tunc esse suspensum etiam à beneficio, quod verum est, & concedunt, etiam *Tol. vbi supra, & Sanch. de matrim. lib.* 3. *disp.* 51. *n.* 12. An autem suspẽsus à beneficio possit validè consequi nouum beneficium disputat idem *Dia. resol.* 7. pro affirmatiua præterea an dicatur suspensus à collatione beneficij. idem resol. 8.

14 Sextus modus suspendendi est à diuinis officijs, & taliter suspensus nequit officiare cum alijs in Choro, neque illis interesse secundum *Angel. v. suspensio* 3. *n.* 3. *in fine ex Host. & alijs*, non erit tamen irregularis, si intersit, vt simplex laicus secundum *Syl. d. n.* 5. §. *si verò suspẽsio*, quos sequitur *Sayr. d. c.* 5. *n.* 26. quod si suspensio sit ab aliquo officio particulari, illius tantum actus erit prohibitus, & propterea rectè dicit *Nau. cit. n.* 163. *versic. octauo infertur*, quod suspensus ab officio prædicandi, celebrando, vel similia faciendo, non peccat, nec fit irregularis ex Abb. in d. Clemen. cupientes, addit tamen quod concionando peccat, & fit irregularis. Sed hoc vltimum negant *Hẽriq. lib.* 13. *cap.* 32. *n.* 5. *Dia. par.* 5. *tract.* 10. *resol.* 10. quod verum est ex rationibus, & authoritatibus apud eos.

15 Eodem modo suspensus à beneficio, priuatur solum fructibus ipsius, non autem illis rebus, quæ pertinent ad officium, vel iurisdictionem *Abb. in c. cũ dilectus n.* 20. *de consuet. Dia. cit. resol.* 3. Imò *Gl. in c. Vuintoniẽsis sub v. admiserãt de elect.* ait, quod nõ solùm non prohibetur omnia negotia, tàm spiritualia, quàm temporalia exercere, sed quod debet, si est pauper modicam sustẽtationem ex illis habere, ne in toto egeat in dedecus clericalis officij *Syl. cit.* §. *si verò Tol. d. cap.* 44. *in fine, Sayr. cap.* 6. *n.* 3. & cõsequenter potest cum alijs in Choro officiare, & lucratur distributiones quotidianas, quæ strictè loquendo, beneficij appellatione non continentur idem *Sayr. n.* 11.

16 Septima est suspensio ab officio, & beneficio, quæ grauissima omnium est, & hęc suspendit ab exercitio ordinum, iurisdictionis, & beneficij, vt patet ex supradictis, & solet imponi pro magno delicto. Est
17 & alia suspensio ab officio, vel beneficio, circa

cierca quam poteſt dubitari quid per talem
modum ſuſpendatur *Gl.in c.latores.v.ab of-*
ficio de Cler. excomm. vel depoſ. dubitatiuè
dicit ſuſpendere ab vtroque, poſtea argu-
it,quod à neutro *ex l.duo ſunt Tity ff.de te-*
ſtam.tut. ratione incertitudinis, & hoc te-
nent *Nauar.d.cap.27.n.161.Sayr.lib.4.cap.*
7.n.3. ex Butr.Abb. & alijs Henriq. *lib. 13.*
cap. 32.n.4. ſed pace tantorum Patrum pu-
to falli,& quod ſuſpenſio importet priua-
18 tionē vnius, vel alterius ex natura alter-
natiuæ *l.ſi quis ita ſtipulatus ff.de verb. obli-*
gat. & l. is, qui ducenta §. vtrum, ff. de reb.
dub. eſt tamen in arbitrio ſuſpenſi, quàm
ex eis ſubire velit *l. plerumque §. fin.ff.de*
iure dot. l.quod autem §. ſi maritus de donat.
inter vir. & uxor. & l.ſi quis C. de condit.
indeb. vide Dia.p.5.tr.10. reſol.13.
19 Octaua eſt ab ingreſſu Eccleſiæ, quam
promiſcuè iura appellant, aliquando ſuſ-
penſionem, aliquando interdictum, priori
modo vocatur *in c.1.§.ſi quis autem, & c. is*
cui §. fin. de ſent. excomm. in 6. poſteriori
verò in eodem *c.is. cui in princ.& in c. ſacro*
eod.tit.ibi ingreſſum Eccleſia per menſem vnū
ſibi nouerit interdictum, ſed eadem cenſura
eſt, eundemque effectum habet, vt docet
Nauar.tom.2.conſil.conſil.1. de verb. ſignific.
n.1. lib.5. & prohibet exercitium cuiuſcū-
que ordinis in Eccleſia, redditque tranſ-
greſſorem irregularem *d.c.is cui.Palud.in*
4.diſt.18. q.7.art.3.concl.1. Dia. cit. reſol.9.
Rice.reſol. 468. *ſecundum primam impreſſio-*
nem, & priuat eundem ſuſpenſum auditi-
one diuinorum in Eccleſia *Tol.d.c.44. n.6.*
ex Io.Andr. Anchar. & Sylu. ſicut voluit e-
tiam *Couarr.in c.alma mater par.2. §.1.n.3.*
de ſent.excomm.in 6. nō tamen tenetur quis
vitare ſuſpenſum, ſicuti excommunicatū,
ſed tunc ſolùm peccat,quando cooperatur
peccato illius *Dia.ibidem reſol.20.* & latius
dicetur etiam in *ſeq.reſol.n.2.* Priuat etiam
20 hæc ſuspenſio ſepultura tàm in Eccleſia,
quā in cæmeterio; niſi dederit ſigna pæ-
nitentiæ *d.c.is cui,Couar.cit.Sayr.lib.4.cap.7*
n.18. vbi rectè addit,quod ſi taliter ſuſpē-
ſus etiam impænitens in Eccleſia ſepelire-
tur, non propterea iſta pollueretur, ſicut
per ſepulturam excommunicati, ſed non
prohibet talis cenſura celebrare extra Ec-
cleſiam, nempe in Oratorio priuato, aut
tentorio cum Altari portatili, vel alibi;dū
enim prohibetur ingreſſus Eccleſiæ, cæte-
ra loca intelliguntur excluſa, *c. nonne de*
præſumpt. & l.cum prator ff.de iudic. neque
ingreſſum in Eccleſia, ibique etiam orare
tēpore,quo diuina nō celebrantur,quod ēt
cōceditur excōmunicatis, quæ eſt cenſura
maior,vt ſupra v. excommunicatio, & tra-
dunt communiter DD. locis cit. neque
prohibet iuriſdictionis exercitium *Gl. in*
c.ſacro v. interdictū de ſent.excom. Tol.lib.1.
cap.44.ſub n.6.ex Abb.in d.c.ſacro n.10.Na-
uar. in man.cap 27. n.161. Henriq. lib. 13.
cap.32.n.2. in fine.

Vtrum ſuſpenſus exercens actum à quo
eſt ſuſpenſus ſit irregularis, num ge-
ſta per eum ſint valida, an communi-
cans cum ipſo peccet, & quamdiù du-
ret ſuſpenſio?

SVMMARIVM.

1 *Suſpenſus ſi exercet actum à quo eſt ſuſpē-*
ſus,peccat mortaliter, & eſt irregularis,
ſed validè adminiſtrat, ſecus ſi non ſit
denunciatus,& rogetur à ſubditis mini-
ſtrare,ſed quid ſi ſit ſuſpenſus à iuriſdi-
ctione? Illi communicans, in actibus à
quibus eſt ſuſpenſus, an & quando pec-
cet mortaliter? n.2.& 3.
4 *Suſpenſio indefinitè prolata,vel ad tempus,*
quamdiu duret, & an ad eam tollendā
requiratur abſolutio, quæque ſit abſolu-
tionis forma?

Reſolutio CLXXXVII.

1 AD primum reſpondetur ſuſpenſum
ab ordine, exercentem actum or-
dinis, à quo eſt ſuſpenſus, peccare mor-
taliter, eſſeque irregularem *c. cum æterni*
de ſent. & re iudic. in 6. c.1.de ſent.excomm.
eod.6.Nauar.in man.cap.27.n.163.Tolet.lib.
1.c.46. n. 2. vbi dicit omnes DD. in hoc
conuenire *Dian.part.5.tract.10. reſol.9* niſi
ignorantia, vel obliuio inuincibilis iuris,
vel facti eum excuſarent ex dictis ſupra
reſol.19.docentque Henriq.lib.13.cap.33.n.2.
& Sayr.lib.4. cap.11.n.13. Vel ſi adhuc de-
nunciatus non eſſet, quo caſu ſi Parochus
ratione ſui officij, rogatus à ſubditis mi-
niſtraret ſacramenta, neutram pænam cō-
traheret, ſicuti neque ipſi ſubditi pecca-
rent ſecundum *Henriq.d.c.33.in fine.* Cō-
feſſarius autem ſimplex non denunciatus
peccaret ſolùm mortaliter, *Sylu. v.ſuſpen-*

sio n.1. Nauar. cit.n.153.& 245. ratio differentiæ est, quia ad illū pertinet ex proprio officio ministrare, ad istum minimè & ex alia ratione, vt infra n.3. ambo tamē (& est responsio ad 2.)] validè conferunt
2 sacramenta, validèque alium quemcumque ordinem exercent etiam post declarationem; nec Episcopus, aut etiam Papa possunt istam validitatem impedire ratione characteris indelebilis, vbi administratio fundatur *Hēriq.cit.& Sayr.d.cap.11.*sed fallit in exercitio iurisdictionis, tam in foro fori, quàm poli in absolutione à peccatis, nam si suspensio sit generalis, vtraque est suspensa; si vero particularis à iurisdictione, vel administratione sacramentorum, alterutra iuxta decretum suspensionis, & in neutro foro valet sententia, vt docent cit.DD nisi ex ignorātia, vel obliuione inuincibilibus, vt supra; Si autem suspensus nō sit publicè denunciatus, seu declaratus, validè, & proficuè, vtraq; iurisdictio exercetur, tàm à iudice, quàm à Confessario, illicitè tamen rogatu cessante, si Confessarius sit Parochus, quia simplex Confessarius etiam rogatus peccat mortaliter vt supra, sicuti etiam rogans, quā de rē nec confessio valeret citra casum ignorantiæ, vel obliuionis, vt supra *Henriq.& Sayr.cit.Filliuc tr.7.c.ap.10. q.3. Bonac.disp.3.pun.4.n.7.*& faciunt dicta supra *resol.72. n.1.* de excommunicato occulto, qui non differt in hoc à suspenso, vt docet idem *Sayr.d.c.11.* Verum in articulo mortis à quocumque sacerdote, deficiente non impedito, licitè petitur ex *Trid.sess.14. cap.7. Nauar.consil.15. tit. de pœnit.Reginal.lib.1. num.60. Sayr. decis. 21. eod.tit.*

3 Ad 3. communicans cum Parocho, vel alio sacerdote suspenso in actibus, à quibus sunt suspensi, si isti sunt tolerati, seu non declarati, non peccat mortaliter ex extrau. ad euitanda scandala, nisi petat, & recipiat sacramenta à non Parocho; quia inducit eum ad peccandum mortaliter, vt supra, & propterea secus est de communicatione in alijs actibus humanis; quod si ambo sint declarati, & inducti ad illa ministrandum, vel in alijs diuinis communicandum, à quibus erant suspensi, peccat mortaliter, ex mox dicta ratione, minimò verò si non induxit, cesserque scandalum *Henriq.cit.n.3. & Sayr.vbi supra num.5.vbi quamplures.*

4 Ad vltimum respondetur si fuit lata absque determinatione temporis, vel conditione, sed absolutè durare, donec auferatur ab eodem superiore, qui eam tulit; si verò ad certum tempus, vsque ad illud tempus *Suar.de cens. disp.26. sect. 1. n. 13.& disp.27. sect.1.n.23. Filliuc.cap.3.q.7. n.3.Coninch. disp.15. dub.2.n.17. Regin. lib. 2.n. 42. & alij apud eos*, quo in casu addit *Tol.lib.1. c.47. n.1.* tolli absque absolutione, vltima die transacta; Potest tamen Episcopus absoluere suos subditos à suspensionibus omnib.ēt Papæ reseruatis, dūmodo proueniāt ex delictis occultis, & nō deductis ad forum contentiosum iuxta *Triden. sess.24.cap.6. Suar.disp.29. sect. 1.n. 21.Regin.lib.32. cap.22.n.43.* exceptis prouenientibus ex delictis contentis in bulla Cænæ. de quibus latissimè pluribus in locis supra dictum est, & ea, quæ oritur ex homicidio voluntario iuxta Trid. cit. formam autem absolutionis à suspensione nō esse determinatam dicunt *Val. Rodr. Fill. & alij apud Bonac.disp.3.p.vlt.n.2.*sed hanc esse in vsu videlt, Ego absoluo te à vinculo suspensionis, quam incurristi, & restituo te ad executionem muneris, vel ordinis, vel ad tuum beneficium.

Agitur de suspensionibus à iure inflictis.

SVMMARIVM.

1 *Suspensio an incurratur ipso iure à concubinarijs publicis; vel requiratur sententia tam in ista suspensione, quam in alijs sequentibus, & quid si sint Episcopi? n.4. 5. & 7.*
2 *Notorium quale dicatur?*
3 *Suspensus quo ad se tantùm, & non quoad alios, quod alios, & non quo ad se, & quo ad se, & quo ad alios qualis dicatur?*
6 *Suspensus, vti concubinarius ab officio, & beneficio, si interim exercet, an sit irregularis? item de alijs suspensionibus n.8. & seq. vsque ad finem.*

Resolutio CLXXXVIII.

1 Prima est contra Clericos, seu subdiaconos, vel Diaconos, aut sacerdotes notorios concubinarios, qui sunt suspensi ab

ab officio, & beneficio *c. præter hoc 32. diſt. & c. fin. de cohabit. Cler. & mul.* vbi etiam
2 legitur notorium eſſe triplex, vel per ſententiam, vel confeſſionem factam coram Iudice, vel per euidentiam rei, quæ tergiuerſatione aliqua cælari non poſſit (de quibus dictū eſt ſupra *reſol. 2. n. 12.*) quod vltimum exemplificat *Abb. in c. veſtra n. 7.*
3 *eod. tit.* in concubinario tenente concubinā domi vti vxorē. generaliter autē ſuſpenſio triplici modo cōtingere poteſt iuxta *Gl. in d. c. fin. v. ad ſe ipſum*, nempe quo ad ſe tantum, & non quo ad alios, vt eſt quilibet in mortali conſtitutus ex *eod. tex. & c. fin. de tempor. ordin.* quo ad ſe, & quo ad alios, vt concubinarij notorij, de quibus loquimur vt *in d. c. veſtra, & c. nullus cū ſimil. diſt. 32.* & tandem quo ad alios, & non quo ad ſe, vt quando ciuitas eſt interdicta propter delicta populi, vel ſuperioris, tunc Clerus non eſt ſuſpenſus quo ad ſe, eum poſſit in alio loco non interdicto celebrare. Dubi-
4 tatum tamen fuit inter DD. an tales cōcubinarij ſint ipſo iure ſuſpenſi, vt voluit *Tol. lib. 1. cap. 48. n. 2.* vbi communem appellat ex *Couar. in Clem. ſi furioſus prima par. §. 1. n. 5. de homic.* vel veniant ſuſpendendi per ſententiam, vt voluere *Archid. in c. 1. de re iudic. lib. 6. Innoc. in c. ſi celebrat n. 3. de Cler. excomm. miniſt. Scot. in 4. diſt. 1. q. 5. ar. 6. & alij.* Quo circa ſi loquimur de ſuſpenſione à Diuinis, ipſo iure contrahitur, vt in *cit. reſol. 2. n. 6. ex declaratione S. Congr. ibi relata*, ſi verò ab officio *Sayr. lib. 4. cap. 25. n. 24.* poſt multos DD. allegatos tenet non incurri, niſi poſt ſententiam ex eod. Couarr. cit. ſi verò de ſuſpenſione à beneficio, & nequidem *ex c. ſicut, & c. ſi autem de cohab. cler. & mul.* & percipitur ex *Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. de reform.* vbi legitur eſſe prius monendos *Henriq. lib. 13. c. 36. §. vnico Dia. par. 5. tract. 10. reſol. 49.* Imò
5 in Rota Romana in vna Monaſterij S. Māſueti die 27. Ianuarij 1597. coram Domino Penia. fuit dictum in caſu priuationis, ſeu ſuſpenſionis à beneficijs eſſe ponderādas probationes, vt refert *Farin. in conſil. 80.* alias etiam pænas ingraueſcente peccato infligendas eſſe ſtatuit Trid. cit. quod eſſe in obſeruantia ſcribit *Ricc. reſ. 461.* ſecund. primam impreſſ. ſecuta tamē ſententia declaratoria nō antea, vt dicebat *Tol. cit. n. 5.* quæ ſententia declaratoria non ſolùm in caſu prædicto requiritur, ſed etiā in omnibus, alias quantumuis pæna imponatur ipſo iure, numquam incurritur, tā in foro fori, quā poli ſecund. *Ricc. reſ. 139.* & alios quamplures per ipſum adductos.
6 Sed hoc in foro conſcientiæ ego non exiſtimo verum, DD. pro, & contra habes apud *Dia. p. 1. tract. 10. reſol. 24. Caiet. autem 2. 2. q. 26. art. 3.* quem refert *Sanch. de matr. lib. 9. diſp. 30. ſub n. 1.* dicit illud intelligi de pænis poſitiuis, quę ad ſui executionē aliqua actione humana indigent; cum nidem non poſſit eſſe agens, & patiens, oportet actionem Iudicis ſententiam ferētis adeſſe, à quo in illas incidiſſe declaretur, quæ ratio cum ceſſet in pænis priuatiuis, quæ nullam talem actionem ad ſui executionem deſiderant, nulla conſequenter opus erit ad eas incurrendas Iudicis ſententia, cum ergo tales ſint pænæ ſuſpenſionis excommunicationis, interdicti, & irregularitatis, meritò ſi a iure, vel ab homine inflictæ generaliter reperiantur contra aliquid faciētes, illo poſtea patrato, contractę dicuntur abſque alia iudicis ſententia, hancque eſſe omnium communem, & receptam teſtatur Sanch. cit. n. 2. ad finem, vbi ſimul aſſerit rationem adæquatam de tali diſparitate non inuenire, cum illa Caiet. ſibi omnino nō placeat. ſequuntur multi apud *Dia. par. 1. tract. 10. reſol. 23. & p. 4. tract. 4. reſol. 26.* Hæc tamen opinio ſi ſequenda ſit, poteſt ad ſummum procedere in foro conſcientiæ, ſecus in foro fori, vt probaui ſupra *reſol. 135. nu. 46.* quia vt tales excommunicati, irregulares, interdicti, & ſuſpenſi, vitari poſſint, opus omninò eſt ſententia declaratoria ex extrau. ad euitanda ſcādala, relata ſup. verbo excommunicatio, ante quam ſententiam non cogimur eos vitare, vt dixi ibidem n. ac etiam in *priori reſol. n. 1.* Verum ſi tales concubinarij ſuſpenſione durante, & denunciata ſe ingerunt Diuinis, vel alteri actui, à quo fuerunt ſuſpenſi, irregulares fiunt *ex c. 1. §. ſciturus de ſenten. & re iudic.*
7 *in 6.* Eodem modo veniunt pro tali crimine ſuſpendendi Epiſcopi, ſi à Synodo Prouinciali admoniti non reſipuerint, imo perſeuerantes, deferendi ſunt ad Pontificem, qui pro qualitate culpæ etiam per priuationem, ſi opus erit, in eos animaduertet, vt legitur in Trid. cit. in fine; hoc tamen hodie videtur totaliter dependere à Pōtifice ex eodē *Trid. ſeſſ. 24. c. 5. de refor.* quia vt poſſit Synodus taliter monere Epiſcopum, oportet habere in probatis concu-

cubinatum, prauia informatione, processuque legitimè instructo, alias gratis procederet, essetque monitio, & omnis actus nullus, *l. de vnoquoque, & l. sæpe, ff. de re iudic. l. fin. C. res inter alios act.* Quæ tamen informatio, neque in crimine hæresis potest à Synodo capi, nisi de speciali commissione Sanctiss. vt censuit Sac. Congreg. sub die 3. Octobris 1585. & legitur *in declarat. eiusdem Concil. super d. c. 5. n. 1. dictumque etiã est supra resol.* 183. *n.* 11. Causæ verò ciuiles Episcopi possunt à Metropolitano cognosci ex sententia eiusdem Sacr. Congr. commemoratæ ibidem *n.* 2.

8 Secunda quando sacerdos celebrans nõ communicat, est suspensus per annum à celebrando *c. relatum de consecrat. dist.* 2. & ratio potest esse, quia omittit partem essentialem, & principaliorem sacrificij *D. Thom.* 3. *part. qu.* 82. *a.* 4. quod esse magnum sacrilegium dicitur ibidem in append. quæ quia non est reseruata, videtur posse tolli à quocũque sacerdote, habente potestatem absoluendi à mortalibus, vt dixi supra *v. excommunicatio* de excommunicatione, quando non est reseruata, sed negat *Henriq. lib.* 13. *cap.* 35. *n.* 2. vide tamẽ *Dia. p.* 5. *tr.* 10. *res.* 23.

9 Tertia est contra Parochos benedicentes secundas nuptias, qui sunt suspensi ab officio; & beneficio eum reseruatione absolutionis Pontifici *c.* 1. *de secund. nupt. Maiol. lib.* 3. *de irregul. cap.* 15. *Tabie. v. impedimentum nu.* 5. quam reseruationem asserit *Sayr. de censur. lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 4. esse sublatam ex quadam extr. *Io.* 22. quæ quia non est in libro nostro, adhęreo prædictæ tex. dispositioni, verum non est latæ, sed ferendæ sentẽtiæ *Iul. Cl. in §. fin. q.* 75. *n.* 2. *ex Diaz in pr. crim. can. c.* 68. *circa finẽ*, dicit tñ *Ricc. res.* 370. *secundum primam impressionem* quod text. intelligitur de benedictione, quæ datur, quando non est solutum prius matrimonium, sed istud esset benedicere adulteros, non autem sponsos, & Gl. ibid, dicit apertè contrar. subdit tamen *Ricc. in fine* consuetudinem esse in Ciuitate Neap. dari benedictionem, si sola mulier non transierit ad secunda vota, quam esse seruandam, vbi est, dicit *Gl. in c.* 3. *eo. tit.*

10 Quarta est contra Clerios vsurarios, qui si moniti non desistunt, suspenduntur ab officio, & beneficio *c. præterea de vsur.* quem tex. ait *Ric. resol.* 16. *par.* 3. procedere in ijs, qui semel vsuram exercuere, si verò pluries, quod deponantur, etiam si non sint manifesti, & sic seruatum fuisse in Curia Archiep. Neap. verum *in resol.* 375. *n.* 5. dicit procedere in Cler. constitutis in sacris, sed tex. cit. loquitur simpliciter de Cler. sicut etiam *c. canonum, & c. quoniam* 14. *q.* 4. multas alias pænas contra vsurarios statutas colligit *Sylu. v. vsura* 9. *num.* 4.

11 Quinta est contra eos, qui ad communionem Altaris, vel Ecclesiasticam sepulturam admittunt prædictos vsurarios, vel ab eis oblationes recipiunt ante restitutionem, qui sunt suspensi ab officio, donec ab Episcopo suo restituantur *c. quia in omnibus de vsur. Syl. v. suspẽsio n.* 6. §. 37. quod ampliat *Sayr. d. cap.* 15. *n.* 5. etiam contra Religiosos *ex c. fin. eod. tit. lib.* 6.

12 Sexta est contra Ecclesiasticos tàm seculares, quàm Regulares scienter celebrãtes, vel celebrare facientes diuina in Ciuitatibus, vel locis interdictis, exceptis temporibus permissis in *c. alma mater de sentent. excomm. lib* 6. & contra admittentes excommunicatos, vel interdictos ad diuina officia; vel sacramenta, vel sepulturam, qui omnes sunt suspensi ab ingressu Ecclesiæ, donec transgressioni huiusmodi ad arbitrium eius, cuius sententiam contempserunt, competenter satisfecerint *c. Episcoporum de priuil in* 6. *Angel. v. suspensio* 1. *casu* 23. *Tabi. eodem* 6. *casu* 21. an autem incurrant etiam irregularitatem dictum est *supra v. irregularitas*.

13 Septima est contra eosdem Ecclesiasticos, qui alterius Parochiæ Sponsos sine proprij Parochi licentia matrimonio coniungere, vel benedicere ausi fuerint, etiam si ex priuilegio, vel consuetudine id sibi licere contendant, qui ipso iure tandiù sũt suspensi, quandiù ab Ordinario proprij Parochi, seu à quo benedictio suscipienda erat, absoluantur *Trid. sess.* 24. *cap.* 1. *de refor. matr. circa finem*, quam suspensionem ab officio tantùm intelligi debere, dum ibi nõ declaratur putat *Sayr. cit. n.* 10. quod probabile est, quia punitur in eo tantum in quo deliquit.

14 Octaua est contra ordinatos à schismaticis, qui sũt suspensi ab officio *c.* 2. *de schism.* idem de ordinatis ab excommunicato denunciato *c. cum clericis de ordin. ab Episcop. qui renunc. Nauar. in man. cap.* 25. *n.* 69. idẽ si ab hæretico, vel deposito, vel degradato, suspenso, aut interdicto, qui licet verũ

Christi

Christi corpus conficiant, verèq; ordines conferant, si veram formã ab Ecclesia statutam seruent *c. quod quidam, & c. Dominus 1. q. 1.* ordinati tamen ab ipsis, sunt suspensi ab officio *d.c. 2. Sylu. v. irregularitas n. 9. Tab. eod. nu. 7. Eman. Sà v. suspensio num. 7.* dispensandi ab Episcopo proprio, si ignoranter fuerunt ordinati, à Pontifice si scienter *Sayr. cit. cap. 14. nu. 2.* quod si Episcopus non erat denunciatus, licet notorius Clerici percussor, nulla requiritur dispensatio ex extrauag. *Mart. 5. qua incipit ad euitanda scandala* secundum *Sayr. nu. 4.* sed *Ricc. in praxi sacr. ordin. post ref. 318. in notabilibus §. penult.* dicit contrarium in casu prædicto.

15 Septima est contra ordinatos scienter ab Episcopo simoniaco declarato Ricc. cit. qui similiter sunt suspẽsi ab ordine suscepto, secus si ignoranter *c. si qui à simoniacis 1. q. 1. vbi Gl. v. si qui* dicit esse suspensos, etiam si ignoranter; sed placet distinctio *Sylu. hoc tit. n. 7. in fine*, non excusare ignorantiã iuris, sed facti tantùm *l. regula §. sed facti de iuris, & facti ignor. Henriq. lib. 13. cap. 37. n. 4.* vbi addit neque incurri suspensionem, aut irregularitatem ab ordinato, si eo nesciente pater, aut amicus pro ipsius ordinatione dedit pecuniã Episcopo, aut mediatori, etiam si ipse ordinatus soluat postea pecuniam à prædictis pro ordinatione promissam, dummodo omnino ignorans fuerit pacti antecedẽtis, prout voluit etiam *Nauar. d. c. 25. num. 68. vers. dixi*, vbi hoc à fortiori dicit procedere, quando quis daret pecuniam, contradicente ordinando, si non habet ratam, vel gratam illam dationem; Quod si pecunia fuit data ab ordinato ipsi Episcopo, vel mediatori, non solùm sunt omnes suspensi, sed etiam excommunicati cum reseruatione absolutionis Pontifici, quamuis Cardinales sint *Extrauag. cum detestabili de simon. Tol. lib. 1. c. 49. n. 19.*

16 Octaua est contra ordinatos ab Episcopo, qui Episcopatui renunciauit; sunt n. similiter suspensi ab ordinibus sacris susceptis, non autem à non sacris, quod si per ignorantiam, excusantur. *c. 1. de ordin. ab Episcop. qui renunc. Nauar. in man. c. 27. n. 241. vers. tertio dico Henriq. lib. 13. cap. 39. in princ.*

17 Nona est contra ordinatos ab alieno Episcopo absque litteris dimissorijs proprijs; de iure enim communi erant excommunicati ordinati, & ordinantes *c. Clericos dist. 71.* hodie tamen sunt solùm suspensi Episcopus à collatione ordinum datorum per annum, ordinatus ab executione eorumdem ordinum susceptorum, quamdiù proprio ordinario videbitur expedire *Trid. sess. 23. cap. 8. de refor. Angel. v. irregularitas §. 32. Henriq. lib. 13. cap. 38. §. 1. Bonac. bo. tit. disp. 3. pun. 5. §. 1. n. 2.* quamuis autem Clericus à non suo Episcopo promotus, habeat characterẽ clericatus, nõ tamẽ habet executionem illius iuxta *Ricc. cit. ref. 297. n. 2*: Et propterea addit, si conferatur ei beneficia, non tenere collationem, nisi ante eam fuisset approbata, seu ratificata promotio à proprio Episcopo, quia ratificatio non retrotrahitur *Gl. & Bar. in l. bonorũ ff. rem ratam haberi*, gaudet tamen priuilegijs Clericatus secundum *Francisc. March. dec. 175. par. 1. Sayr. Borrell. & alij apud eundem Ricc. nu. 3.* durante verò suspensione Episcopi, possunt sui subditi à vicinioribus ordinari absque illius licentia *c. eos de temp. ordin. in 6.* nisi ignorantia facti probabilis illum excusaret, vt declarauit S. Congr. super *d. c. 8. in Trid.*

18 Decima est contra ordinatos in sacris extra tempora à iure statuta, vel ante legitimam ętatem, qui sunt ipso iure suspẽsi, & si in ordinibus ita susceptis administrant, sunt irregulares à solo Põtifice dispensandi *c. sanè, & c. cum quidam de tempor. ordin. Nauar. in man. cap. 25. n. 70.* addit et *ex quadam extrauag. Py 2. incip. cum ex sacrorum*, vt ipse refert & recitat *Say. lib. 7. de censur. cap. 10. num. 28.* quæ tamen in codice nostro non adest, sed eã commemorat etiam *Bonac. cit.* verũ in casibus prædictis, & alijs apud *Suar. de censur. tom. 5. disp. 31. sect. 5. n. 2.* sunt etiam suspensi Episcopi ordinantes, vt probatur etiam in iuribus cit. & in *c. litteras cum 2. sequent. eo tit.* Quoad ordinatos autem, si non ministrauerint in ordinibus malè susceptis posse Episcopũ dispensare dicit *Sayr. cit. n. 38. ex Trid sess. 24. de refor. cap. 6.* si modo delictum fuerit occultum, quod si verum est, poterit idem Episcopus dispensare cum se ipso nõ directè, sed deputare Confessorem, qui ipsum absoluat ex facultate concessa Episcopis per illud decretum, quia ista potestas est delegabilis, & non debet Episcopus esse peioris conditionis suis subditis, vt fuisse decisum per *S. Cõgr. testatur Suar. cit. disp. 41. sect. 2. n. 9.* quo modo potest intelligi

telligi id, quod dictum est supra *resol.* 13. *n.*28. Quod autem tradunt Sayr. & Bonac. loc. prædictis requiri certam scientiam, & non sufficere ignorantiam vincibilem, nisi sit affectata, & coniuncta cum magna temeritate ad incurrendas pœnas relatas virtute illius verbi (præsumpserint) quod est in text. per eos cit. ego nego, cum sufficiat ignorantia vincibilis, sicut in cæteris: præsumere enim dicitur, qui ignorat, quod scire debet, & scire contemnit, vt docet *Tol. lib.* 1. *cap.* 49. *sub n.* 4. & patet ex dictis latè supra de ignorantia *res.* 19. quæ autem sint tēpora ordinandi, si loquimur de minoribus ordinibus, quilibet dies festus, si verò de sacris, sunt 4. tempora, Sabbati ante Dominicam Passionis, & sanctū, *c. de eo eod. tit. & c. ordinationes dist.* 75.

19 Vndecima est contra vltra montanos ordinatos in sacris ab Episcopo Italo absque licentia Papæ, vel Episcopi sui, de cuius diœcesi originem trahit, vel in cuius diœcesi beneficiatus existit, testantium, quod illos ex iusta causa ordinare non potuerint; sunt ergo ordinati absque dicta attestatione suspensi, à solo Pontifice dispensandi; & ordinantes puniendi pœna condigna *c.* 1. *de tempor. ordin. in* 6. quem tex. procedere etiam in ordinatis in minoribus dicunt *Tol lib.* 1. *c.* 49. *sub num.* 1. *& Sayr. lib.* 4. *c.* 14. *n.* 10.

20 Duodecima est contra ordinantem, vel præsentantē quemcumq; ad aliquem ordinem, vel beneficium sub promissione, vel iuramento ab eodem ordinato recepto de ordinante ipso super ordinatione non inquietando pro alimentis, ordinator enim à collatione, præsentator a præsentatione per triennium, ordinatus autem ab ordine, sic suscepto, donec dispensationem super hoc à Pontifice obtinuerint, sunt suspensi, quia ordinans aliquem absque titulo beneficij, de quo viuere possit, vel præsentans ad beneficium insufficiens ad alimenta, sed intuitu ordinis recipiendi, tenentur præsentans, & in eius defectum ordinator ad alimenta ordinati, donec de congruo beneficio fuerit prouisus *c. cum secundum* 16. *de preb.* quando ergo isti recipiunt promissionem ab. ordinato de eis super alimentis non molestandis, sunt omnes suspensi, vt supra, quod confirmatur per *Trid. sess.* 21. *c. cum non deceat de reform. in fine. ibi antiquorum Canonum pœnas super his innouando Tol. vbi supra n.* 5. *Nau. in man. cap.* 27. *n.* 158. vbi ait hunc casum esse quotidianum *Sayr. ex Henriq. & alys lib.* 4. *cap.* 15. *n.* 22. *&* 23. *Rice. sæpe citat. resol.* 312.

21 Decima tertia est contra capitula, vel conuentus, seu collegia, & singulares personas eorumdem locorum occupantia, dilapidantia, seu consumentia, vel diripientia bona à Prælatis ipsarum Ecclesiarum relicta, vel vacationis tempore obuenientia, quæ in vtilitatem earumdem Ecclesiarum expendi, vel futuris deberent successoribus fideliter reseruari, omnes enim qui prędicta commiserint, sūt ipso facto ab officio, & beneficio suspēsi, donec plenè ea restituerint *c. quia sæpè de elect. in* 6. *vbi Gl. v. earūdem* notat, quod ad extraneos, qui non sunt de collegio, hæc suspensio non extenditur, vide etiā *Tol. cit. n.* 9. *& Nauar. n.* 156. *vers. septima suspendit ex Clem. statutum eod. tit.* vbi diaiim ponit aliam suspensionem contra Episcopos, & eorum superiores ab ingressu Ecclesiæ, & contra inferiores ab officio, & beneficio, qui vsurpant aliquid ex redd. tibus dignitatum, & Ecclesiarum vacantium, & ipsis subditarum, quos fideles reliquerunt, vel collecti fuere durante vacatione, donec restituerint, qui similiter debent successoribus reseruari *c. fin. de offic. ordin.*

22 Decima quarta est contra Iudices Ecclesiasticos, tàm ordinarios, quàm delegatos (non tamen Episcopos *ex c. quia periculosum de sentent. excomm. in* 6.) qui contra iustitiam aliquid in iudicio fecerint in partium grauamē per gratiam, vel sordes, qui fuit suspensi per annum ab officio, & tenentur ad restitutionem, quod si suspēsione durante se diuinis ingerunt, sunt irregulares *c. cum æterni de sent. et re iudic. in* 6. *Nauar. & Tol. loc. cit.* sed alijs pœnis grauioribus puniri dixi supra *resol.* 155. *nu.* 2. mitius tamen si per ignorantiam, vt in *resol.* 162. *n.* 11. *& seq.*

23 Decima quinta est contra Episcopos, Inquisitores, & eorum substitutos, qui committendo, vel omittendo, delinquunt in tali officio, sunt enim suspensi per triennium ab officio, vltra alias pœnas *c.* 1. *§. verum de elect. Tol. d. c.* 49. *n.* 15.

24 Decima sexta est contra alienantes sine assēsu apostolico bona Ecclesiastica immobilia, vel mobilia prętiosa, illorū n. permittitur solùm locatio per triennium. contra ergo facientes, sūt suspensi ab officio vltra

cra alias pœnas, & si alienatio fuerit facta ab Episcopis, sunt etiam suspensi ab ingressu Ecclesiæ, quod si per sex menses in tali suspensione perstiterint, sunt etiam suspensi ab administratione Ecclesiæ suæ tàm in spiritualibus, quàm temporalibus *Clem. 1. de reb. Ecclef. non alien. extrauag. ambitiosæ eod. tit. Nauar. d. cap. 27. n. 157. Tabie.hoc tit.num.7.Tol.cit.n. 16. Henriq.lib. 13.cap.40.§.1.*

25 Decima septima est contra ordinantes, & ordinatos eadem die in duobus sacris ordinibus, vel etiam in duobus diebus continuis, & immediatis; illi enim sunt suspensi à collatione ordinum datorum, & isti ab eorumdem exercitio *c.litteras, & c. dilectus de tempor. ordin. Trid.sess.23.cap. 13.de reform. Nauar.cap. 25. n.71. §. octauo peccat Maiol.de irregul. cap.11.Ricc.in praxi ordinis resol.vlt.§.quoad interstitia.*

26 Decima octaua est contra recipientes eadem die quatuor ordines minores, & subdiaconatum; suspensi enim sunt à subdiaconatu, nisi Religionem intrauerint, vel alias dispensationem obtinuerint *c.2.de eo, qui furt. ordin. suscep. Trid.cit.cap.11. Maiol.cit.n.2.Sylu.v.irregularitas n.4 §.3. Nau. d. n.75.* vbi in fine dicit suspensionem non contrahi vbi talis adesset consuetudo: quã valere vult *ex D.Anton.par.3.tit.14.cap.16. §.16. Sayr.de censur.lib.7.c.10. n.26.*

27 Decima nona est contra ordinatum per saltum, ad superiorem sc. ordinem, omisso inferiori *c. vnico de Cler.per salt. prom.* etiam si omitteretur aliquis ex ordinibus minoribus secundum *Gl. ibidem v.de misericordia*, vel etiam prima tonsura, vt fuisse declaratum per S. Congr. patet ex *declar. Trid.sess.23.cap.14.nu.4.* et si ministret in ordine prætermisso scienter, siue in ordine superiori per saltum adepto, est irregularis *Sylu.cit.n.13.* sed potest Episcopus, si bona fide ordinauit, dispensare ante administrationem, vt suscepto ordine prætermisso, valeat ministrare, aliàs si ministret ante ordinis omissi collationẽ, solus Pontifex dispensat, vt percipitur ex text. & Trid. cum declar. cit. doceтque *Nauar. in man.d.n.71.vide etiã Ricc.in praxi ord.resol. 318.& Sayr.cit.n.39.*

28 Vigesima est contra ordinatos in sacris post matrimonium contractum per verba de præsenti, etiam si non fuerit consummatum, qui instantibus sponsis, coguntur ad consummandum (nisi elegerint ad Religionem transire ante consummationẽ, quod eis permittitur *ex c. 2. & c.ex publico de conuers.coniug.*) si verò remanent in sæculo, sunt suspensi ab ordinibus sacris susceptis, etiam post solutum matrimonium, nec possunt ad altiores ascendere *extrau. antiquæ de voto, Sotus in 4.dist. 25.q.1.art.3. in fine.Sylu.v.ordo 5. n.7.Henriq. lib.13.cap. 39. n.1.in fine.*

29 Vigesima prima est contra Episcopos, ordinantes in aliena diæcesi sine ordinarij venia, etiam prætextu familiaritatis, vel commensalitatis, ac etiam in locis nullius diæcesis; sunt enim ipsi suspensi per annũ ab exercitio pontificalium, & ordinati ab executione ordinum, sic susceptorum, donec suo Prælato visum fuerit *c.Episcopus 7. q.1.Trid.sess.6.cap.5. de reform. & sess.14. c. 2.eod. tit. Henriq. lib.11.cap.3.§.2. in fine, litt.S.Ricc.in praxi citat.resol.vlt. §. fin.* imo conferens etiam primam tonsuram sine licentia prædicta, est suspensus per annũ ab illius collatione *c.fin. de tempor.ordin. in 6.* idem procedit si ordinatio fieret de licentia ordinarij, sed in personas ipsi ordinario non subditas ex *Trid.cit.* potest tamẽ Episcopus familiarem suum non subditũ ordinare in sua residentia, si per trienniũ fuerit secum commoratus, eique beneficiũ contulerit omni fraude cessante idẽ *Trid. sess.23.cap.Episcopus 9.de refor. Ricc.vbi supra resol.307.309.& 310.*

30 Vigesima secunda est contra Episcopos initiantes prima tonsura infantes, seu minores septennio, vel etiam maiores, sed illiteratos, si nesciunt legere, & scribere; sũt n.suspensi per annum à collatione primæ tõsuræ *d.c.fin.Sylu.v.suspensio n.6.vers. tertio suspenditur Henriq.lib.13.cap.28. n.2. ex Soto dist.25. q.1.art.2. Ricc. d.resol.vlt.§. debet etiam Tol.lib.1.cap.61.n.1.Suar.tom.5. de censur.disp.31.sect.5.n.2.*

31 Vigesima tertia est contra eosdem ordinantes solemniter pænitentiatos *Henriq. cit.cap.38.n.3.ex Sylu.Couar.& alijs Sayr.lib. 4.cap.12. n.20.* vel bigamos, siue qui duxerunt successiue duas vxores, siue vnam viduam, quicquid in contrarium dicat *P. Dia.in summa v. irregularitas n.8 & par.4. tract.2.resol.38.* non contrahi sc irregularitatem à ducente viduam, eo quod non adsit. tex. hoc statuens, & tamen habemus tex. punctualem in *c. debitum de biga.* sunt ergo vtrique suspensi, ordinati sc absque spe dispensationis, ordinantes autem dis-

dispensandi *c. 2. eod. tit.* sed quãuis in bigamis prohibeatur dispensatio etiam ex *epist. D. Pauli 1. ad Timoth. cap. 3.* vt scribit ẽt *Ricc. d. resol. fin. §. ordinari non possunt;* vidimus tamen multoties Pontificem dispensasse, vide decis. S. Congr. confirmatam per alium Pontificem, & relatam in declarat. Concil. *post cap. 17. de reform. in prætermissis, videlicet Sanctiss. D. N. Sixtus ex sententia S. Cong. respondit quo ad Episcopum esse suspensum à collatione ordinum, item promotum esse suspensum ab executione ordinum susceptorum, beneficium amisisse, & fructus perceptos non fecisse suos.*

32 Vigesima quarta est contra Clericos recipientes sacros ordines cum patrimonio ficto, si nõ habent beneficium certum, qui sunt suspensi ab ordine ita suscepto iuxta dicta supra in suspensione 12. quibus adde *Suar. disp. 31. sect. 1. n. 33. ex c. neminem, & c. sanctorum dist. 70. Bonac. disp. 3. pun. 5. §. 2. n. 1.* sed valet collatio *Guid. Pap. decis. 449. Francisc. March. dec. 455. par. 1. & alÿ apud Ricc. cit. resol. 303. n. 2.*

33 Vigesima quinta est contra capitula Ecclesiarum, Sede vacante concedentia dimissorias ordinandis infra annum à die vacationis (nisi hoc actum sit occasione obtenti, aut obtinendi beneficij Ecclesiastici) quæ sunt interdicta, ordinati verò in minoribus nullo priuilegio clericali, præsertim in criminalibus gaudent, in maioribus autem sunt suspensi ab executione ordinum ad futuri Prælati beneplacitum iuxta *Trid. sess. 7. de refor. cap. 10.* Sed Sacr. Congreg. declarauit dispositionem Trid. non comprehendere primam tonsuram, vt notatur per referentes declarationes prædictas ibidem *n. 3.*

34 Vigesima sexta est contra ordinatos in excommunicatione maiori scienter, qui si erant seculares, sunt in perpetuum deponendi, nisi hoc actum sit ex ignorãtia probabili iuris, vel facti, quo casu absoluit Pontifex, non autem Episcopus, si autem sunt irregulares, & ignorantia est similiter probabilis, absoluit Abbas, si verò improbabilis absoluit Pontifex, & interim sunt suspensi ab ordine, & officio. *c. cum illorum de sentent. excomm.* qui tex. licet loquatur de excommunicatis ob percussionem Clerici, idem tamen ius erit in excõmunicatis ob quamcumque aliam causam argum. *l. non possunt ff. de legib. Sylu. v. irregularitas n. 4. Nauar. in man. cap. 27. nu. 241.* vbi aiunt irregularitatem quoque incurri ex *c. 1. de eo, qui furt.* etiam si excommunicatio esset occulta *Henriq. lib. 14. cap. 6. n. 4.* quo tamen casu dispensat Episcopus ex *Trid. sess. 24. c. liceat de refor.*

35 Vigesima septima est contra eligentes ad dignitatem Ecclesiasticam quemcumq; authoritate Iudicis secularis, qui sunt suspensi ab officio, & beneficio per triennium vltra nullitatem electionis taliter factæ, electique ineligibiles fiunt *c. quisquis de elect.* sed potest Episcopus cum istis dispẽsare, quia conditor canonis eam sibi non reseruauit *Gl. ibid. v. fiat, ex c. nuper de sentent. excomm. c. multa in fine de præbend. & c. graue in fine eod. tit.*

36 Vigesima octaua est contra Episcopos, qui monasteria monialium sine necessitate ingrediuntur; prima enim vice sunt suspensi ab ingressu Ecclesiæ, secunda à diuinis, tertia excommunicationem contrahunt *Bonac. disp. 3. hoc tit. pun. 5. §. 2. n. 29. ex constit. Greg. 13.*

37 Vigesima nona est contra conuentus, vel capitula, quæ aliquid exigunt, etiam si essent vnum prandium, vel alia, licet ad vsum ecclesiasticum deputata pro receptione alicuius ad Religionem, dummodo super his pactio præcesserit; sunt enim ipso iure suspensa, & si est persona particularis, excommunicata cum reseruatione absolutionis vtriusque censuræ Pontifici *extrauag. sane de simon. Sayr. lib. 4. cap. 13. n. 27. Bonac. vbi supra §. 3. n. 3. ex Nau. & alijs.*

38 Trigesima est contra Religiosos promotos ante professionẽ ad ordines sacros, qui sunt suspensi ab ordinibus susceptis idem *Bonac. cit. §. 4. n. 3. ex Bulla Pÿ 5.* edita anno 1572. vt referunt *Nauarr. cap. 27. n. 158. in fine. Henriq. lib. 13. cap. 37. sub sub. n. 1.* excipiuntur tamen Religiosi Soc. Iesu *ex Bulla Greg. 13. relata ab eod. Henriq. ibid. Ricc. cit. resol. 312. n. 2.*

39 Trigesima prima est cõtra Religiosos retrahẽtes testatores à legatis faciendis Ecclesijs matricibus, vel à restitutionibus debitis faciendis, ac ẽt contra Religiosos procurantes ab eisdem testatoribus, vt malè ablata incerta sibi, aut alijs sui ordinis fratribus, vel conuentibus in aliorum præiudicium tribuant, qui si intra mensem post requisitionem parti læsę non satisfecerint eum restitutione eorum, de quibus damna illis dederint, sunt ipso iure ab offi-

offi cio ſuſpenſi *Clem. 1. §. quibus de priuil. vbi Gl. v. in aliorum* rectè aduertit hoc intelligendum eſſe, quando teſtatores volebant alijs legare. Quod autem dicunt *Henriq. ex multis lib. 13. cap. 40. n. 4. Sayr. cit. n. 11. Bonac. cit §. 4. n. 9. ex Suar. & alijs* licere religioſis inducere teſtatores ad legandum ſpontè ſuo monaſterio indigenti, eſt intelligendum, dummodo alijs legare noluerint, alias text. remaneret correctus, & vtinam multi Regulares in hoc à cupiditate potius, quam neceſſitate ducti non decipiantur.

40 Trigeſima ſecunda eſt contra Abbates regulares, qui ex priuilegio poſſunt primã tonſuram, & minores ordines conferre ſuis ſubditis; nam ſi ea conferunt non ſubditis, vel litteras dimiſſorias eis tribuunt, ſunt ſuſpenſi ab officio, & beneficio per annum ex *Trid. ſeſſ. 23. c. 10. de reform.* & ità fuiſſe deciſum in Sacra Congreg. die 3. Martij 1594. notatur in declarat. eiuſdem Concilij, ſicuti nec poſſe ſecularibus habentibus dimiſſorias a ſuis Epiſcopis; imò ſi prædicta conferunt ſuis nouitijs ante annum probationis expletum, peccant, ſed non ſuſpenduntur, illis autem à Clauſtro exeuntibus, tonſura non ſuffragatur *Henriq. lib. 13. cap. 28. n. 2. Sayr. d. cap. 13. n. 5.* contra *Maiol. lib. 4. cap. 2. nu. 11.* volentem Abbatem incurrere ſuſpenſionem conferendo primam tonſuram nouitio, quia habetur vt laicus, & conſequenter non ſubditus, ſed cum accidiſſet caſus in Sacr.

41 Congr. fuit deciſum, vt legitur in cit. declaratione Concilij, videlicet. *Quidam laicus annis elapſis primam tonſuram ſuſcepit, & ordines minores ab Abbate Caſſinenſi, eius in temporalibus, & ſpiritualibus ſuperiore, credens illum habere poteſtatem, ſed cum videatur eſſe contra diſpoſitionem huius Capituli, dubitatur an iſte indigeat diſpenſatione, vel neceſſe habeat cupiens eſſe Clericus, iterum ordinari ad dictos ordines, tamquam nulliter ei collatos, Congregatio Concilij ſic reſpondit, indigebat diſpenſatione, ſed non eſt neceſſe vt iterum ordinetur.*

42 Trigeſima tertia eſt contra regulares, qui venationi, aut aucupationi clamoſæ, vel alias cum canibus, aut auibus ex propoſito interfuerint, qui ſi fuerint Abbates, vel Priores per biennium à collatione beneficiorum ſunt ipſo iure ſuſpenſi, ſi verò ad ipſos non ſpectat ea conferre, ſunt etiam per biennium ſuſpenſi ab adminiſtratione officij, quod habebant, & ſi nullum habebant, ſunt inhabiles per bienniũ ad quamlibet adminiſtrationem, & Eccleſiaſticum beneficiũ obtinendum ex *Clem. 1. §. porro, & §. ſi quis autem de ſtatu monach.* excuſantur tamen, qui caſualiter interfuerint *Gl. ibidem v. ex propoſito Suar. diſp. 31. ſect. 6. n. 10. hoc tit. Filliucc. Henriq. & alij apud Bonac. cit. §. 4. n. 15. Sayr. lib. 4. cap. 13. n. 8. & 9.*

43 Trigeſima quarta eſt contra regulares, introducentes mulíeres in ſua monaſteria, qui ipſo iure ſunt ſuſpenſi à diuinis, priuati beneficijs, ſi quæ habent, & ad futura obtinenda inhabiles, ex *Bulla Pij 5. quæ incipit Regularium, & alia Greg. 13. quæ incipit vbi gratiæ*, ſunt etiam excommunicati, ſi ingrediuntur monaſteria monialium, ſicuti etiam ipſæ mulieres ingredientes monaſteria virorum, *Eman. Sà v. excommunicatio n. 15. Bonac. cit. n. 18.* & de iure ciuili eſt pęna mortis in hominibus *l. ſi quis non dicam rapere C. de ſacroſ. Eccleſ.*

44 Trigeſima quinta eſt contra eoſdem regulares, qui abſque litteris dimiſſorijs ſui Prælati ordinantur, ſunt enim ab ordinibus ſuſceptis ipſo iure ſuſpenſi *Henriq. vbi ſupra cap. 40. in princ. litt. B. vbi multi Sayr. d. cap. 13. n. 24. ex Angelo, Tabie. & alijs.* Quo circa S. *Congr. ſup. declar. Concil. cap. 10. ſeſſ. 23. de reform. in prætermiſſis ita reſpondit. Congreg. Concilij cenſuit Regulares ſuperiores poſſe ſuo ſubdito itidem regulari, qui præditus qualitatibus requiſitis ordines ſuſcipere voluerit, litteras dimiſſorias concedere ad Epiſcopum tamen Diœceſanum, nempe illius monaſterij, in cuius familia ab ijs, ad quos pertinet is regularis poſitus fuerit, & ſi Diœceſanus abfuerit, vel non eſſet habiturus ordinationes, vel Epiſcopalis ſedes vacaret, ad quemcumque alium Epiſcopum, dum tamen ab eo Epiſcopo, qui ordines cõtulerit, examinetur quo ad doctrinam, & dummodo ipſi Regulares non diſtulerint de induſtria concesſionẽ dimiſſoriarum in id tempus, quo Epiſcopus diœceſanus, vel abfuturus, vel nullas habiturus eſſet ordinationes; Verum cum à ſuperioribus Regularibus Epiſcopo Diœceſano abſente, vel ordinationes non habente litteræ dimiſſoriæ dabũtur, in eis vtiq; huiuſmodi cauſam abſentiæ Diœceſani, vel ordinationum, ab eo non habendarum exprimendam eſſe, quæ declaratio fuit confirmata per aliam præcedẽte relatione coram Clemente 8. vt ibidem legitur.*

Ve-

Veniale .

SVMMARIVM.

1 *Venialia peccata remittuntur quo ad culpam, non solùm per quodlibet sacramẽtum, sed etiam sacramentale, vel ingressum Ecclesiæ consecratæ, quo ad pœnam verò non totaliter, sed secundum maiorem, vel minorem feruorem in Deũ, sed nullo modo illa, quibus mens actualiter inhæret. & n. 3.*

2 *Indulgentia plenaria si cum debita dispositione recipiantur, tollunt omnia peccata, quo ad culpam, & pœnam, aliæ verò simplices iuxta modum concessionis.*

4 *Sacramentalia quæ dicantur?*

INTRODVCTIO.

1 VEnialia peccata multis modis, & præcipuè per Sacramenta remitti non dubitatur; difficultas tamen est vtrum omnia per quodcũq; sacramentũ, & quidẽ de baptismo certũ est omnia remitti, ẽt mortalia, quo ad culpã, & pænã, non loquimur de infantibus, qui non possunt habere venialia, & proinde si eo suscepto moriãtur, statim euolant ad cęlũ, adulti tñ eodẽ modo, si attriti supernaturaliter sint *c.4.§. respondemus de Baptis. Trid. sess.5.§. penult. de peccat. orig. Suar. to.4. disp.12. sect.1. n.3.* per alia autem sacramenta licet *Nugn. Filliuc. & alij apud Bonac. tom.1. disp.5. qu.6. pun.1. sect.2. n.2.* uoluerint non omnia, sed plura, vel pauciora remitti iuxta dispositionem recipientis, non est tamen à D. Tho. sententia discedendum, qui *par.3. q.87. art.3. in corp.* dicit remitti omnia per sacramẽta nouæ legis, imò etiam per vnum ex sacramentalibus, quibus tamen mens actualiter non inhæret, & quod magis est, etiam per ingressum Ecclesiæ consecratæ, sicuti per aspersionem aquæ benedictæ idem *Sanct. ibid. q.83. art.3. ad 3.* (casu tamen, quo non remitterentur omnia venialia; si vis scire quomodo tollatur illa culpa in alia vita, adeas *resol. 190. n.3. infra.*) Quod tamen excepto baptismo, vt dixi intelligitur quo ad culpam, non autem quo ad totam pænam, quę remittitur per quodlibet prædictorum secundum maiorem, vel minorem feruorem in Deũ, quo ea exercentur, vt explicat Sanct. cit. *d. q.87. a.3. ad 3.* sed præcipuè per indulgentias iuxta cõ-

2 cessionem in eis, si tamen sunt plenarię, tolluntur omnia mortalia, & venialia quo ad culpam, & pœnam, si cũ Sacramento, & debita dispositione recipiantur, de illis ergo loquendo, legitur in specie quo ad extremam vnctionem *in c. vnico §. 1. de sacra vnct. Trid. sess. 14. cap. res porro eod. tit.* & ex epist. Iacob. 5. quod etiam de singulis alijs asserunt *Valent. to.4. disp.7. q.4. pun.1. Henriq. lib.4. cap.15. n.3. & 4. Vasq. disp.87. art.3 dub.2. & 3.* Suar. autem cit. *n.11. & seq.* dicit exceptis sacramentis baptismi pænitentię, & extremæ vnctionis, si cum debita dispositione recipianrur, pet cætera dubium esse an omnia venialia remittãtur quo ad culpam: sed ego D. Tho. cit. sententię inhæreo, vti conformiori diuinæ liberalitati, qui hoc dicit operari etiam quodlibet sacramentale; ergo à fortiori quodlibet sacramentum, si tamen mens illis, vel alicui illorum actualiter nó inhæret, vt dictum est; sacramentalia autẽ dicuntur res, vel actiones sacræ, quæ subscripto versu clauduntur.

4 Orans; tinctus, edens, confessio dans, benedicens.

D. Thom. vbi supra in corp. & tradunt cũcti scribẽtes, præcipuè *Suar. cit. sect.2. n.1.* per verbum (orans) intelliguntur omnes orationes, quæ fiunt Deo, & Sanctis præcipuè Pater noster, per (tinctus) aqua lustralis, per (edens) tam Eucharistia, quàm panis benedictus, vel oleũ, aut alius liquor, exiens de corporibus Sanctorum, & similia, per (confessio) tam Sacramentum, quam etiam sacramentale, vt Confiteor Deo, per (dans) eleemosyna, vel alia opera spiritualia, siue corporalia, & tandem per (benedicens) benedictiones, quas dant Episcopi, vel Abbates consecrati *Tolet. lib.3. cap.3. in fine, Suar. cit. sect.2. n.1. Henriq. lib.4. cap.15. n.8. Valent. to.4. disp.7. q.4. pun.1. Bonac. loco citat pun 2. num. 1.*

Vtrum per sacramentalia remittantur venialia ex opere operato, vel operantis, & quare effectus remissionis venialiũ tribuatur potius sacramentalibus, quã alijs bonis operibus?

SVMMARIVM.

1 *Venialia remittuntur per sacramentalia ex*

ex opere operantis, non operato, & n.4.

2 *Ecclesia non habet potestatem remittẽdi venialia ex opere operato secundum vnam opinionem? & n.3.*

5 *Attritionis intensio, vel remissio prodest ad remissionem maioris, vel minoris pœnæ, debitæ peccatis, quia quo ad culpam sic remittuntur per actum remissum, sicut per intensum, dummodo sit vera attritio, quod procedit tàm in venialibus, quã mortalibus cum sacramento.*

6 *Venialium remissio tribuitur potius sacramentalibus, quàm alijs bonis operibus?*

Resolutio CLXXXIX.

1 Circa primum non ex opere operato,
sed operantis ferè omnes DD. do-
cẽt remitti venialia, quorum inter primos
fuit S. *Bonau. in 4. dist. 21. art. 1. q. 2. ibique*
D. Thom. quos cæteri sequuntur apud
Bonac. tom. 1. disp. 5. q. 6. sect. 2. pun. 2. num.
41. fundamentum est, vel quia Ecclesia
2 non habeat potestatem tribuendi hunc ef-
fectum ex opere operato, vel etiam si ha-
beret, non constat de tali institutione; quo
ad primum patet, quia si illam haberet, à
Christo habuisset, sed in Sacra pagina
hoc non legimus, nisi apud *Io 20. accipite
Spir. sanct. & quorum remiseritis, &c. & apud
Matth. cap. 18. quæcumque solueritis super
terram, &c.* quæ concessiones intelligun-
tur per sacramentum Pœnitentiæ, vt in
Trid. sess. 14. cap. 6. & can. 10. eo magis quia
Christus instituit 7. sacramenta, quibus tã
mortalia, quam venialia tolluntur etiam
ex opere operato, vt suo loco dictum est,
sed hoc non constat de Sacramẽtalibus ex
3 opere operato ergo. quod latius probat
Suar. tom. 4. disp. 12. sect. 2. n. 10. Si autem
talem potestatem concedatur Ecclesiam
habuisse ex alijs scripturæ locis, non con-
stat hoc egisse, nisi de aqua lustrali ex *c.
aquã sale de consecr. dist. 3.* quem text. ẽt ex
dispositione operantis, procedere, & per
modũ impetrationis Ecclesiæ ex mente *D.
Tho. in 4. dist. 6. q. 2. a. 3. quæstiunc. 2. ad 4. &
dist. 16. q. 2. a. 2. quæstiunc. 4.* arbitratur *Su-
ar. cit. n. 14. in fine.* quod ẽt ante ipsũ docuit
Turrec. in d. c. aquã & sic per dicta sacramẽ-
talia ex opere operãtis, & nõ operato tol-
lũtur venialia, prout hoc etiã volunt *Vil-
lalob. in summa to. 1. tr. 4. difficult. 11. n. 4. Co-
ninch. de sacram. q. 71, art. 3. dub. vnico nu.*
24. *Beccan. de pænit. q. 6.* qui benè docet,
quod alioquin non sacramentalia, sed Sa-
cramenta dicerentur, multique alij apud
eos; Contrarium tamen tenuit de aqua
benedicta *Dia. par. 3. tract. 4. resol. 61.* vbi in
specie citat *Tol. lib. 3. c. 3. in fine,* qui hoc
non dicit, item *Henriq.* qui idem dicit in-
cidenter, sed non probat, præcipuè ergo
se fundat doctrinæ Nugn. *in 3. p. to. 2. q. 87.
a. 3. diffic. 2.* cuius verba ibidem sigillatim
4 refert, videlicet. *Vt aqua benedicta remit-
tat peccata venialia, sẽper requiritur aliquis
actus pœnitentis, qui tamen, vel non est suffici-
ens ad venialia remittenda, vel saltem non est
sufficiens ad omnia illa, quæ de facto remit-
tuntur per aquam benedictam, & sic verifi-
catur proprie, & rigorose, quod ipsa aqua bene-
dicta ex opere operato remittit venialia per e-
leuationẽ à Deo, vt verè, & realiter tangat a-
nimã tactu illo, qui appellatur virtualis, quo
medio aqua mouet ipsam animam remittendo,
& realiter corrumpendo venialia, quia st. ma-
teria illa sensibilis aquæ verè tangit animam
tactu reali, non quidem contactu quantitati-
uo, sicuti Angelus verè, & realiter tangit Cæ-
lum, quando illud mouet.*

5 Sed *D. Thom. p. 3. q. 87. a. 3.* docet per
vnumquodque sacramentale ex opere o-
perantis tolli omnia venialia, in quibus
mens actualiter non inhæret, sit vel nc ac-
tus remissus, vel intensus, explicitus, vel
implicitus, sicut dixi de mortalibus suo
loco, quod remittantur per actum contri-
tionis, vel attritionis cum sacramento, licet
actus doloris sit remissus; actus n. intensio
maior, vel minor prodest ad remittendam
maiorem, vel minorem pœnam, gratiamq;
respectiuè consequendam, sic in proposi-
to remittuntur quo ad culpam omnia ve-
nialia, quibus mẽs actualiter non adhæret
per vnũquodq; sacramentale, & præcipuè
per aquã benedictam ex orationibus, &
benedictionibus, Ecclesiæ, in quorũ singu-
lorũ exercitio, seu applicatione inest dolor
implicitus ad taliũ remissionem sufficiens
iuxta doctrinam D. Thom. & statim pro-
babo: quo ad pœnam verò secundum fer-
uorem in Deum, quo pœnitens ad illum
mouetur iuxta eundem *Sanct. cit. ad 3.* Hæc
tamen disputatio loquendo de veniali-
bus, quo ad culpam, posito remitti om-
nia, vt supra etiam per vnumquodque
sacramentale, parum proderit, si proce-
dat ex opere operantis, vel operato, dum
alterutro modo idem effectus resultat; quo

ad

pænam verò, & gratiam consequendam multum prodest, quia potest Deus ex sua liberalitate tribuere remissionem totius pænæ debitæ pro peccatis, & simul magnum cumulum gratię, nullo habito respectu ad magnam, vel paruam dispositionem operantis, sicuti fecit Sammaritanę, & alijs.

6 Ad secundum respondet idem *Suar. cit. n.14.* hoc euenire, quia prædicta Sacramentalia ex genere suo, & modo, quo fiunt, habent connexum aliquem dolorem peccatorum saltem implicitum, excitantque in nobis motum ad delendum veniale sufficiens, vt subdit *Becc. sup. cit.* quod patet in confessione generali, & tunsione pectoris, de eleemosyna verò, & oratione Dominica adest promissio Dei, vt apud *Dan. c.4.* & in eadem oratione (Pater noster) & tandem de aqua lustrali, & alijs supradictis ob specialem inuocationem Diuini auxilij per orationes particulares Ecclesiæ, quæ in consecratione aquæ, & benedictionibus prædictis applicantur, vt *in d. c.aquam sale fuit declaratum*, & propterea licet alia bona opera, vt audire sacram concionem, vel aliam sacram lectionem, & similia sint etiam ordinata ad Dei cultum, quia tamen non adsunt in istis, sicut in illis particularitates prędictæ ad hunc proprium finem introductæ, ideo illis potius, quam istis tribuitur effectus remissionis venialium.

Vtrum peccata venialia deleantur, non solùm per contritionem formalem, sed etiam virtualẽ absque Sacramẽto, & num possit quis decedere cum solis venialibus, & quibus modis eo casu tollerentur quo ad culpam?

SVMMARIVM.

1 *Contritio formalis omnia venialia tollit, si sit vniuersalis, si verò particularis tollit omnia, in quibus mens non est affecta, & n. 2.*

3 *Veniali in peccato potest quis mori, sed an, & quomodo ea culpa tollatur post mortem? n.4.5.& 6.*

Resolutio CLXXXX.

1 AD primum per contritionem formalem, si modo sit vniuersalis, quod omnia venialia deleantur, dubitari non oportere dicunt *Caiet.in 3.par.q.87. art.1. Suar.tom.4.disp.11.sect.3.n.5. & 7. Henriq. lib.4.cap.15.n.5.Regin.lib.5.nu. 45. Conncb. to.2.disp.2.num.123.* ea ratione, quia dum per illam tolluntur mortalia, à fortiori venialia argum. *Auth.multo magis C.de S.S.Eccles.* quod si quis obijceret non tolli hodie mortalia per solam contritionem, nisi cum confessione, existente copia Confessarij *ex Trid.sess.13.can.11.* respondetur hoc reperiri innouatum solùm pro mortalibus, vt ibidem legitur, & propterea non debere extendi hoc ius nouum ad correctionẽ iuris antiqui, non solum quia legum correctio est vitanda *l.sancimus C.de testam. & l. præcipimus C. de appellat.* sed etiam quia est diuersa ratio; vnum n. mortale nos totaliter auertit à Deo, quod non faciunt infinita venialia, & ex diuersis non fit illatio *l.Papinianus ff.de minorib.* Si verò contritio esset particularis, certum etiam est non extendi ad ea, de quibus quis actualiter, nec virtualiter conteritur *D.Thom q.7.de malo art.12.ad 4. Henriq.& alij supra citat. Fillinc.tr.6.cap.5.n.109.& 112.*

2 Quod idem procedit in cõtritione virtuali, vt est actus amoris Dei ex eodem argum à maiori, dum supra *resol.146. n. 2.* dictum est sufficere ad expellenda mortalia cum distinctione, vt ibi, & docet Sanctus *cit.par.3.q.87.art.1.in corp.ibi vnde sequitur, quod requiratur quædam virtualis displicentia, puta cum aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res diuinas, vt quicquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei, & doleret se commisisse, etiam si actu de illo non cogitaret*, cui addit *Suar.disp.11.sect.3.n.8.* quod licet in simplici actu amoris Dei includatur virtualiter dolor peccatorum, qui sufficit ad tollenda etiam mortalia, attamẽ ad expellenda venialia, hoc votum in illo actu amoris inclusum, non est necessarium, quia ad hunc effectum dolor non est ita per se necessarius, verùm per hanc eandem contritionem virtualem non tollerentur ea venialia, ad quæ quis actualiter esset affectus, sicut dixi de contritione formali, pro vt etiam docent Vasqu.

Hen-

Henriq. & alij supra citat.

3 Ad secundum respondetur affirmatiuè ex *D.Thom.in 4. dist.21.q.1.art.3.* quia potest quis in gratia existens, & veniale habens mori repentinè, quem omnes antiqui sequuntur Durando excepto *in eodem 4.dist.11. q.1.*& paucis alijs ex friuolis ra-
4 tionibus, vt ait ibidem Sanctus in corp. quas confutãdo reijcit; fundamẽtum istorum est, quia culpa actualis non deletur, nisi per contritionem, vel attritionem cum cõfessione, vel per sacramẽta; aut sacramẽtalia, sed post hanc vitam non erit contritio, vel attritio, quæ sunt actus meritorij, quia tunc non erit meritum, neque demeritum, neque sacramentalia, aut sacramẽta, quæ hic terminantur, ergo post hanc vitam, non dimittuntur venialia quo ad culpam, & consequenter numquam quis cum solis venialibus decedens, posset ad gloriam cælestem peruenire, quia nihil coinquinatum potest in Cælum introire *Apocal.* 13. quod videtur inconueniens, cum per gratiam, in qua decessit, habeat ius ad Gloriam, & propterea non potest cum solis venialibus decedere. Cui
5 argumento videntur cessisse *Suar. cit. sect. 4. n.9. 10. & 11.* & alij testantes remitti à Deo omnia venialia in primo instanti separationis animæ à corpore per extrinsecam condonationem, vel secundum *Scot. dist.21.q.1.*propter præcedentia merita, etiam si in illo instanti nihil operetur, vel secundum eundem Suar. quia tunc habet anima feruentem actum dilectionis Dei, perfectamque omnium præteritarum culparum contritionem, quæ tamen opiniones, licet probabiles sint, cum ex infinita Dei liberalitate, plus hoc sperare possimus, & debeamus, negari tamen non potest, quin sint diuinatoriæ, eo magis, quia si quis moreretur dormiens cum solis venialibus, nullum adesset tunc remedium fruendi Deo, cum nulla tũc potuerit præcedere contritio, & consequenter ista cessante, in gratia existens, bonis æternis in perpetuum careret, quod vt dixi ex D. Thom. vbi supra videtur absurdum.

Quare idẽ ibid. docet respondendo ad argumentum, quod licet post hanc vitam non possit esse meritum respectu præmij essentialis, potest tamen esse respectu alicuius accidentalis, quamdiu manet homo
6 aliquo modo in statu viæ, & ideò in purgatorio potest esse actus meritorius, quãtum ad remissionem culpæ venialis, & cõsequẽter potest quis mori cũ solis venialibus, & purgari etiam pro culpa in purgatorio, concordant *D.Bonau.d. dist.21.a. 2. q.1. Dionis. Carth. ibidem q.1. & Abul.in Matth.25. q. 718.* vbi dicunt purgari animam ibi à culpa per bonos actus, quos tũc in illo igne exercet, præsertim per voluntariam acceptationem, & patientiam in toleranda illa pœna; quod confirmatur ex tex. *in c. qualis hic dist.* 25. qui est sumptus *ex lib.4.dialog. D.Gregor.cap.39.* vbi apertè dicitur pro istis leuibus culpis adesse ante iudicem purgatorium ignem, quem locũ citauit etiam pro hac parte idem *Sanctus ibidem quæstiunc. 1. in corp. sequuntur Sotus dist.15.q.2. art.2. Valent. tom.4.disp.7.q.4. pun.1.in fine, & alij apud eos.* An autem ve-
7 nialia remittantur in hac vita per attritionem supernaturalem absque Sacramento vt plurimum negant, sed ego supra *resol.* 45. *n.8.* contrarium probabile dixi ex ra-
8 tionibus, vt ibi, vbi etiã *n. 6.* probatum est nũquam remitti venialia, nisi cum mortalibus simul, si animæ insunt, si secus, remitti simpliciter *D.Thom.in 3. part.qu. 87. art.4.*

Votum.

SVMMARIVM.

Voti materiam tractantes referuntur. Est amplissima, & ideo traduntur aliquæ regulæ generales, ex quibus infertur ad alios casus n.4.5. & 15. Vnde dicatur? n.2. Cum eo aliquid facient ad Dei gloriam, magis meretur quam sine eo.n.3. Castitatis rumpitur etiam per copulam coniugalem. n.6. Non bibendi vinum. non frangitur bibendo ceruisiam, sed an possit in missa sumi vtraque ablutio, & si fiat contra votum toties quoties bibitur n.16. In dubio est strictè explicandũ iuxta multos DD. sed contrariũ sustinet author n. 8. & 12. Dandi tot mensuras tritici, si ignoratur mensura, de qua vouens senyt, & vbi vouit, sunt diuersæ mensuræ, tenetur iuxta mensurã minorem. Est gratuitum, & ideo benignius interpretandũ n.9.

11 *Legatum nummorum in genere, si non appareat de quantitate, intelligitur de exigiori.*

13 *Vouens ieiunare multis, vel pluribus diebus, si aliud expressè non intenderit, satisfacit ieiunando duobus diebus. Vouens ieiunare qualibet 6. feria, utrum si eo die incidat Natalis Domini teneatur ad ieiunium? n.17.*

INTRODVCTIO.

1 DE hac materia tractant *Grat. 17. q. 1. & 27. q. 1. Alexand. 3. &* Innoc. *3. in decret. sub tit. de voto. Magister lib. 2. senten. dist. 38. vbi scribentes D. Thom. 2. 2. qu. 88. per totam, & alibi, summistæ v. votum Sot. lib. 7. de iust. & iure. Azor. par. 1. instit. moral. lib. 11. cap. 12. Nauar. in man. cap. 12. n. 24. & seq. Tol. lib. 4. cap. 17. Suar. de Relig. to. 2. hoc tit. lib. 1. vsque ad 6. Sanch. in summ. lib. 4. per totum, & de matrim. lib. 8. per multas disputationes Bonac. tom. 2. disp 4. q. 2. pun. 1. hoc tit. Dia. sparsim in opere morali per quã plures resol. infra citand. & aly.* Dicitur autẽ
2 votum à voluntate, quæ validat votum, qua de rè tria de necessitate copulatiuè requiri docet *D. Thom. cit. art. 1. in corp.* nempe deliberationem, propositum, & promissionem, vt ex definitione infra *res. seq. n. 2. & 5.* clarius patebit, quicquid au-
3 tem fit ad Gloriam Dei, magis meritoriũ est cum voto, quàm sine ex rationibus per *D. Thom. opusc. 17. cap. 11. & opusc. 18. cap. 12. Lessius lib. 2. cap. 40. dub. 8. n. 56.*
4 Quia tamen hæc materia est satis ampla, & ferè impossibile est omnes casus sigillatim complecti, tres regulas tradunt DD. infra citandi, ex quibus potest inferri ad alios, iuxta documentum *Vlpian. in*
5 *l. non possunt ff. de legib.* prima est attendi debere in dubio verba, quibus emissum est votum, & iuxta communem illorum intelligentiam, Populique vsum explicanda *l. plenum §. equitis de vsu, & habit. l. ex militari ff. de testam. milit. Bal. in c. luces de offic. deleg. Grat. discept. for. cap. 78. num. 29. Angel. v. matrimonium 2. n. 7. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 18. et in summa lib. 4. cap. 11. n. 28.* Vnde qui vouit castitatem, non satis-
6 facit voto, si solùm abstineat à coitu peccaminoso, quia tenetur etiam à coniugali ex ratione ante dicta; Castitas enim secũdum communem vsum loquendi importat priuationem cuiuslibet actus venerei *Sanch d. lib. 4. cap. 13. n. 14. Filliuc. tract. 26. cap. 3. q. 8. n. 95.* infertur secundo vouentem non bibere vinum posse bibere ceruisiam, quia licet etiam ista inebriet, verè tñ appellatione vini non venit *Sanch. d. cap. 11. n. 44. vbi aly*, quamuis contrarium teneat *Caiet. 2. 2. q. 150. ar. 1.*
8 Secunda regula est votum in dubio strictè explicandum, quantum fieri potest, seruata verborum proprietate, & significatione *argum. l. non aliter ff. de legat. 3.* ratio est, quia vitandum est peccati periculum, quantum fieri potest, quod vitatur, si strictè, quantum possibile sit, votum explicetur *Abbas in c. ex parte n. 4. de censib. Sanch. vbi supra cap. 15. n. 3. Azor. lib. 11. cap. 20. q. 1. ex Hostiens. Sylu. & alys, Filliuc. cit. num. 96.* quę tamen regula mihi non satisfacit, sed potius dico esse in dubio large interpretandũ, & proinde esse intelligendum in minori, & leuiori parte. Probatur quia
9 qui vouit dare tot mẽsuras tritici, & ignorat mensuram, de qua intellexit, si in regione vbi emanatum est votum, vna, eadẽque mensura communiter practicatur, iuxta illam est votum soluendum *argum. l. Imperatores, ff. de contrah. empt.* si verò diuersa,
10 non tenetur soluere, nisi secund. mẽsurã minorẽ, quia cũ origo votorũ sit gratuita, benignius sunt interpretanda, & exsoluẽda, vt legitur *in d. c. ex parte de censib. Dia. part. 3. tract. 6. resol. 50. & par. 4. tract. 3. resol. 10. §. ex his, & resol. 48.* Adde quod legatis nummis in genere, censentur legati exiguiores, si neque ex consuetudine patriæ, neque ex Regione Testatoris, aut testamenti contextu de quantitate appareat *l. nummis de legat. 3. l. semper de regul. iur. &. in obscuris eod. tit. in 6. Sanch. sibi contrarius d. lib. 4. cap. 13. n. 8. & cap 15. n. 46.* Ad tex.
12 in *l. non aliter.* respondeo, aliud esse non recedere à significatione verborum, vt ibi dicitur, quod non negatur, & aliud vota strictè esse interpetranda, quod non admittitur per supradicta; eodem modo fatemur vitanda esse peccata, sed non inducẽdos scrupulos absque fundamẽto, dum enim leges canonicæ, & ciuiles citatæ cõcordant, quod in dubio sint vota largo modo, & in minore parte interpetranda, quare dicemus contrarium, vt volunt DD. citati? hoc enim esset subuertere leges; quæ tamen obligant necessario ad obseruantiam, cum importent præceptum non consilium, vt supra *resol* 152. *n.* 27. Vnde
13 vouens ieiunare multis, vel pluribus diebus, satisfacit ieiunando duobus tantum, nisi contrarium in mente habuerit, ra-

tio

tio est, quia interpetratio fit, vt dixi in mitiori, & leuiori parte, & duo veniunt, appellatione multorum, vel plurium *§. fin. instit. de iure person. & ibi Gl. in margine, v. multa, & §. singulorum instit. de rerum diuis. Sanch. d. cap. 15. n. 15.* Hinc etiam sequitur.
14 quod vouens dare eleemosynam, satisfacit dando quamcumque minimam quantitatem, nisi aliter intenderit, vel ex circumstantijs inspecta qualitate personæ, & opere construendo, arbitrio prudentis viri, contrarium dicendum videretur *Suar. hoc tit. tom. 2. lib. 4. cap. 8. n. 9. Gregor. de Valent. 2. 2. disp. 6. q. 6. pun. 4. Sanch. cit. c. 13. n. 4. & 11. Regin. lib. 18. n. 292.*
15 Tertia regula est, quod in dubio seruãda est materia voti, ac si esset materia alicuius legis Diuinæ, vel humanæ, *Valen. cit. q. 2. Eman. Sà hoc tit. n. 22. Sanch. in summa lib. 4. cap. 11. n. 31. Layman. lib. 4. tract. 4. cap. 3. num. 3.* hinc qui vouit numquam bibere
16 vinũ, toties peccat, quoties bibit: præcepta n. Diuina negatiua obligant sẽper, & pro semper; potest tñ sumere vtramq; ablutionem in missa, quæ vti parua quantitas non est in consideratione, & eo magis vinum in sanguinem transubstantiatum, hoc enim est de essentia, alias non perficitur, sacramentum, & illud est de iure *c. ex parte de celebr. miss.* quæ nequeunt à vouente mutari, quia nemo priuatus potest tollere, aut mutare leges *l. prospexit ff. qui & à quibus l. nemo ff. de leg. 3. l. non dubium C. de legib. Azor. lib. 11. cap. 20. q. 7. Sanch. in summa lib. 4. cap. 11. n. 43.* Secundo vouens ie-
17 iunare in sextis ferijs anni, si eo die incidat festum Natalis Domini, non tenetur ad ieiunium, quia leges humanę Ecclesiasticæ ad aliud non obligant secundũ *Azor. cit. cap. 20. q. 3. & Dia. par. 9. tract. 8. resol. 6. § sed quia in fine,* quod tamen contradicit apertè *c. fin. de obseruat. ieiun.* vbi legitur vouentem non excusari in tali die à ieiunio, vt etiam aduertunt *Palud. Cord. Syl. Rodriq. & alij apud Faust. lib. 1. de voto q. 148. Regin. cit. n. 290. in fine*, propterea est super hoc valde cogitandum, & recogitãdum, cum DD. sibi de directo contradicãt: multi n. relati per *Bonac. hoc tit. disp. 4. q. 2. pũ. 6. n. 9.* cum ipso affirmãt, & postea *n. 25.* negant *Syl. autem v. votum 3. n. 16.* facit aliam distinctionem, quæ nec placere potest præcipuè cũ nec referat tex. cit. sed ego sequor *Castro Pal. to. 3. disp. 1. pun. 12. nu. 12.* qui dicit seruandum esse tex. vt loquitur.

Quid sit votum, & an per metum factum valeat?

SVMMARIVM.

1 *Voti definitio. Vt validum sit, non sufficit propositum, etiam explicitum, sed requiritur etiam promissio, quæ satis est, etiam in mente retenta, si tamen sit deliberata nu. 2. Puerorum ante rationis vsum, vel amentiũ, aut ebriorũ non valet. n. 3. Emissum tempore iracundiæ an valeat? n. 4.*

5 *Voluntatis motus tres reperiuntur in homine, & quis eorum requiratur ad validè vouendum, vel peccandum?*

6 *Motus primo primus, & secundo primus, qui sint, & quis sufficiat ad peccatum committendum, vel validè vouendum, & ad merendum, vel demerendum?*

7 *Voti deliberatio, et promissio, quæ ad illud emittendum requiruntur, possunt in momento temporis contingere, & propterea illa non præcedit istam prioritate temporis, sed solùm prioritate na ura, seu causæ. Metu factum, an et quando valeat, & quid si metus fuit intrinsecus, vel extrinsecus? n. 8. & 9.*

10 *Metus illatus ob aliam causam, quam pro contractu gesto, contractum non infirmat.*

11 *Votum factum de re aliena, quæ putabatur propria non valet; quia deficit voluntariũ. Factum cum animo nõ se obligandi, siue sit solemne, siue priuatum, an & quando obliget in conscientia, & quid si postea illud ratifices? nu. 12. & 13. solemne quantumuis simulatè factum, licet nõ obliget in conscientia, obligat tamen in foro exteriori n. 14.*

15 *Actus agentium non operantur vltra eorũ intentionem.*

16 *Votum emissum cum intentione se obligandi, sed non adimplendi importat mortale, si tamen non sit de re modica, & leui, & quæ talis sit? Dicitur semper factũ Deo, licet fiat Beatissimæ Virgini, aut alijs Sanctis, non potest tamen fieri hominibus quantumuis virtuosis, & Sanctis num. 17. De re illicita, vel de mortali, aut veniali committendis non obligat, nec est adimplendum, sed de non fornicando, uel alio malo non facien-*

do validum est num.18. De non faciendo aliquid, cuius oppositum est melius, non valet, & propterea de non intrando Religionem, vel de non dando eleemosynã, aut similia non valet. Nec de re inutili, vel non conferente ad honorem Dei, vel salutem vouentis n. 19. De non ludendo, vel non intrando, aut transeundo per aliquam domum, quæ occasionem peccati præbet, validum est, sed immemor voti, contra faciens excusatur num. 20. De non petendo dispensationem ab eodem voto valet, sed potest prius peti dispensatio ab isto, & postea ab illo; superior tamen absque isto circuitu potest ex officio dispensare super utroque num.21. De nubendo validum non est; secundum opinionem authoris nu.22. quæ fallit in aliquibus casibus, ut infra, et n.23.

Resolutio CLXXXXI.

1 VOtum est voluntaria, & deliberata
promissio facta Deo de aliquo bo-
no meliori ita communiter DD. *ex D.Th.*
2.2. q.88. ar.1. et 2. et summa Dian. v. voti
natura n.1. vnde rectè dicit *Sylu. v. votum*
1.n.4. circa finem ex D.Thom. ibi relato, quod
votum propriè vult esse de cadentibus sub
consilio, quia de cadentibus sub manda-
tis Dei, licet valeat, largè tamen dicatur
votum, & de re inutili, vel de re, cuius
oppositum est melius, non valeat; quia de
mortali, vel veniali committẽdis certũ est
non valere, & seruandũ non esse, vt infra
latius *nu.* 18. *& seqq.* de quibus etiam agit
Caiet. 2.2. q.88. art.2. per totum: dicitur er-
go promissio, quia non sufficit propositũ, ut
legitur *in c. 3. de voto ibi proponens in ani-*
2 *mo et c.* imò si quis explicet propositum ex
toto animo factum, nec sufficit ad votum,
nisi concurrat promissio ad idem *D. Tho.*
2.2. q.88. a.1. D.Bonau. 4. dist.38. ar.1. q.1.
Riccar. ar.3. q.3. Archid. in c. qui bona 17. q.
1. Abb. in c. litteraturam de voto, et voti
redempt. Syl. Angel. Nau. & alij apud Azor.
p. 1. sum. de vot. cap.12. q.5. vt patet ex d.
c. litteraturam Tol. lib.4. c.17. n.7. Summa
Dia. cit. n.2. vide etiã *Azor. cit. q.8.* vbi dis-
putat an propriè sit actus intellectus, vel
voluntatis. Sufficit tamen promissio licet
in mente retenta, modo fiat animo se obli-
gandi iuxta communem DD. sententiam
lib.2. sent. dist. 38. de qua testatur *Nau. in*
man. cap.12. n.24. et 26. arg. c. dudum de spõ-
3 *sal.* dicitur deliberata, quia pueri ante
rationis vsum, furiosi, aut ebrij, si dare-
tur casus, vt votum emitterent, nullum
esset, quia nesciunt quid faciunt, aut di-
cunt, & consequenter non possunt deli-
berare super eo, quod ignorãt *c. sicut tenor*
de regular. Tol. cit. n.3. Sanch. lib.1. de matr.
disp.8. nu.23.

4 Dubitari ex prædictis potest num votũ
emanatum tempore iracundiæ, quando
rationis vsus solet esse turbatus valeat, &
pro regula generali traditur talem ratio-
nis vsum sufficere ad eius validitatem:
qualis sufficit ad mortaliter peccandum,
vt tradit *Nau. cit. ex Palud. in 4. d. dist. 38. n.*
1. quem etiam dicit communiter recep-
tum, idem docent *Riccar. d. dist. 38. a.1. q.*
2. D.Anton. p.2. tit.11. c.2. & Azor. p.1. summ.
lib.11. de voto c. 12. q.3. ratio traditur per
Gl. in c. mulier v. mulier 32. q.2. quia sicut
quis potest se obligare diabolo pec-
cando, ita, & Deo vouendo, propterea
Tolet. cit. n.4. descedendo ad particulare,
& vt doctrina prædicta possit facilius pra-
cticari, rectè docet esse in homine tres
5 voluntatis motus, quorum primus est ita
subitaneus, vt non sit in potestate homi-
nis; viso enim aliquo malo, vel bono ita
homo in odium, vel amorem mouetur, vt
omnino impotẽs illos motus impedire, nõ
mereatur in isto, neque demereatur in il-
6 lo, & iste vocatur motus primo primus,
alter succedit isti, quando non est totali-
ter rationis vsus liber, & plenus, sed se-
miplenus, & imperfectus, vt est in semie-
brijs, vel semidormientibus, & in istis,
quod in alijs esset mortale, est veniale,
quia ad mortale committendum requiri-
tur plena aduertentia, quæ in prædictis
est semiplena, & secundum eandem cor-
respectionem habent in bono meritum, &
in malo demeritum, & iste dicitur motus
secundo primus, si ergo in tali statu à
prædictis vota fiant, facilè dispensantur,
commutantur, vel redimuntur ad vitandũ
etiam istud veniale *argum. c.1. et 2. de voto*,
& docet *Nauar. d. n.26. circa finem*. Vlti-
mus est, in quo plenus rationis vsus, &
aduertentia inest, & iste requiritur, & suf-
ficit ad votum emittendum, quia adest
7 plena deliberatio. Possunt tamen contin-
gere in momento temporis tàm delibera-
tio, quàm promissio, sicuti enim eodem
tempore, quo fit deliberatio ad peccandũ,
vel pænitendum, committitur peccatum,
vel perficitur opus bonum, sic à simili eo

dem

dem momento fieri poteſt deliberatio, & promiſſio, & conſequenter quod docu it *Abb.in c.3.col.3. de voto*, quod deliberatio præcedit promiſſionem, vel eſt falsũ cum reuerẽtia, ſi generaliter intelligatur, vel intelligendũ de prioritate naturæ, ſeu cauſæ, non temporis, eo modo, quo dicũt philoſophi ſubſtantiam Solis, vel ignis præcedere ſuam lucem, vel calorem, vt rectè docet *Nauar.d.cap.12.ſub num.26.& poſt eum Regin.lib.18. n.268. ex Caiet. Suar. et alijs.*

8 Dicitur volũtaria; quia votum metu factum, & propterea inuoluntarium, non obligat; poſito enim debere eſſe talem, vt cadat in virum conſtantem, aliàs validum eſt *c.cum dilectus de ijs, quæ vi*. præmitto quod alius dicitur metus intrinſecus, qui à cauſa intrinſeca, ſeu naturali infertur, qualis eſt ille, qui prouenit ex periculoſa infirmitate, aut ex fera beſtia, vel periculo naufragandi in mare, & votum ex tali metu factum valet *c.ſicut nobis, et c. ſicut ex litteris de regular.c.ſunt qui opes 17.q.4.* alius dicitur metus extrinſecus, hoc eſt à cauſa extrinſeca, ſeu libera proueniens, veluti ab homine, & aut metus infertur ab eodem ad extorquendum votum, & eſt inualidum *c.perlatum de ijs, quæ vi c.puellæ §. cum ergo 20.q.1.Trid. ſeſſ 25. cap.18. et 19. de regular. Nauar.cit.n.52. Tol.etiam cit.n.5.* (vbi nota facilitatẽ *Bonac.de voto q.2. diſp. 4.pun.3.n.5.* dicentis, hanc eſſe probabiliorem opinionem, cum tot text. hoc ſtatuant;) An autem votum ex metu graui ab extrinſeco illato, ſit iure naturali, ſiue diuino, ſiue eccleſiaſtico irritum, latè docẽt *Scot.in 4.q.unic.diſt.29.ar.2. Sot.lib.8. q. 1.a.7.Valent.tom.4. d.10. q.3.p.2. Nauar.c. 12. n.50.Suar. tom.2.de Relig.lib.1.hoc tit.c. 8.per totum, Fauſtus de voto in communi qu. 108. & ſeq.* Aut tandem metus fuit illa-

9 tus, etiam ab homine, non ad extorquendum votum, ſed ob aliam cauſam, & validum eſt; vnde ſi quis iuſtè, vel iniuſtè dubitat damnari à Iudice ad aliquam pœnam corporalem, ſiue pecuniariam, & votum emittit, vt à tali pœna liberetur valet, ſicuti quando Chriſtianus penes Turcas vouet, ſi libertatem conſequatur *Nauar. d.n. 52. Suar. cit.cap.7.n.8. Sanch. in ſumma lib. 4. cap.3.n.4.Filiuc.tr.26.cap.1.nu.10. Azor. 1.p. lib.11.cap.15.q.6.* Hinc deciſum refert

10 *Affl.deciſ. 246.* quod licet fuiſſet allegatus nullus, quidam contractus, factus ab vxore in fauorem viri, qui eam ſæpè verberauerat, quia tamen non fuit probatum fuiſſe verberatam ad extorquendum contractum, fuit iudicatus validus, & ibidem addit in fine, quod ſi iudex carcerauit aliquem, vt pecuniam ab eo extorqueret, iſte metus illatus non proderit illi, ſi alium contractum pro iudice fecerit, citat *Innoc.in c.cum locum de ſponſal.* Hinc etiam

11 ſequitur, quod ſi quis vouit de dando aliquid, quod putabat eſſe ſuum, dum erat alienum, non tenetur illud emere, vel dare æquiualens, quia dum errauit, defuit voluntarium, ſicut dicitur in foro exteriori de qualibet promiſſione facta per errorem *l.ſi cum te ff.de pact. l. 1. vbi Gl.v.ſine cauſa ff.de condict.ſine cauſa, & alibi* paſſim, vide etiam infra *reſol. ſeq.n.11.*

12 Sed ponamus votum non fuiſſe emanatum per metum, ſed ſponte, cum animo tamen non ſe obligandi, an teneat? hoc poteſt accidere in voto ſolemni, quando quis ob aliquem finem, profeſſionem emiſit exterius, ſed interius habuit animum contrarium, etenim in voto priuato, ſponte facto, difficile, aut numquam euenire poteſt, vt conſideranti patet, vt cumq; ſit, reſpondent communiter DD. tale votum non obligare in conſcientia *Gl. in c. litteraturã hoc tit. D.Bonau.in 4.diſt.38.a.1. q.1.& 3.Riccar.ibid.Caiet.2.2.q.88.a.5.dub. 2. Nau.in man.cap.12.n.38.verſ.dixi animo &c.Azor.lib.11.cap.13.q.9. & c.14.q.3.Henriq.lib.11.c.13 n.2. Sanch.in ſumma lib.4. c. 1.n.27. & de matrim.lib. 1. diſp.9.n.5.Greg. de Valent.ſuper 2.2.diſp.6.q.6.pun.1.& alij,* ſed probatur *in c.humanæ aures 22.q.5.* quamuis contrarium velit *Sot.lib 7. de iuſt.q.1.a. 2.* ratio poteſt eſſe, quia talis promiſſio, ſeu votum exterius, eſt ſimulatum, proinde plus valet, quod agitur, quam quod ſimulatè concipitur *l. 1. & toto tit.C.eod.* nemo enim, niſi volens obligatur, *l.obligationũ ff.de actio. & oblig.* Adde quod Deus, qui corda ſcrutatur, id non acceptat, vt notat *Card.Delugo to.2.de iuſt.diſp.23.ſect.1 n.15.* & conſequenter iſta ſimulata promiſſio nõ tranſcendit veniale, vt probat *Regin.lib.18. n.261.vbi ex Suar. de Relig. tom 2.lib.5.c.1. n. 4. 5. & 6.* addit poſſe fieri mortale, ſi quis taliter vouendo, intenderet fallere Deum, quia talis cogitatio errorem in fide, & magnam blaſphemiam includeret,

vel

vel si fieret ex contemptu, vel cum aliorũ scandalo, vel si exinde graue damnum iniustè tertio oriretur. Verum si animo obligandi promisit, quamuis careat voluntate exequendi, tenebitur; alioquin voti erit reus, & ita Azor. supra cit. notat posse procedere opinionem Soti supra, vt infra *num.* 16.

13 Quod si post talem simulatam promissionem vouens eam ratificauerit in animo, ex tunc incipiet etiam in conscientia obligari sub mortali, quia hęc est noua promissio, si modo sciebat talem promissionẽ fuisse inualidam, secus si putabat, esse validam, quia dũ errauit, non cõsensit *Sanch. d.c.1.n.4. ex Caiet. & alijs Less.lib.2.cap.40. dub.10.n.29.* hæc tamen procedunt in foro, vt diximus interiori, quia in exteriori cogi potest vouens ad voti obseruantiã, & proinde professus, vel in sacris ordinatus, quantumuis simulatus, cogitur in Religione, & in sacris permanere; Ecclesia enim iudicat solùm de externis *c. erubescant dist.32.Regin.autem cit.* sibi contrarius conatur probare ibidem *n.*258. etiam in actibus humanis non habere effectum promissionem externam, nisi concurrat animus interior citat *l. obligationum* 1. *ff. de action.& obligat.* vbi licet in princ. dicatur hoc animo dari, & accipi oportere, vt obligatio nascatur, subditur postea, videlicet, *non nasci obligationem, quia non hoc inter nos est actum*, ergo quando explicatur animus inter vtrumque, hoc sufficit. intentio enim in mente retenta nihil operatur *l. cum in plures* §. *locator ff. locati*, alias si verum esset quod dicit Regin, vnusquisque post votũ solemne, si haberet animũ exeundi à Religione, facilè se excusaret, dicendo non habuisse animum se obligãdi tempore voti emissi, & sic eluderet Deum, & Ecclesiã, quod ideo permitti non potest.

15 Restat respondere ad illud axioma legale *l.non omnis ff. si cert. pet.* vbi habetur actus agentium non operari vltra eorum intentionem; quæ tamen est intrinseca, sed sufficiat legere tex. in quo apparet explicita intentio. Votum autem factum cum

16 intentione se obligandi, sed non adimplendi, importat mortale, si non adimpleatur *c. licet de voto*, (si tamen promissio non sit adeo leuis, vt de natura sua non transcendat veniale, qualis esset recitandi vnum Pater noster, vel huiusmodi *Nauar.cap.*12.*n.*10. *&* 40. *ex D.Anton.Soto, Syl. & alijs*,) ratio est, quia ex promissione oritur obligatio, tamquam eius naturalis necessarius, & consecutiuus effectus, vt legitur *instit.de obligat in princ. & ibi Gl.v. necessitate*, quæ tolli nequit, nisi solutione, vel alio simili modo, aut de consensu creditoris, vt similiter legitur *instit. quib. mod. toll.oblig.per totum*, & in propria materia voti *in c.magna* §.1.*eod.tit.* his ergo deficientibus, cum stet in suo robore obligatio, illud propositum non adimplendi, est vti voluntas peccandi, & in peccato perseuerandi, & proinde culpa grauior, vt docent *Suar.tom.2.de Relig.lib.1.de voto cap.4.n.2. Regin. cit. n.262. Laym. lib.4.tr.4. c.2.nu.2. Sanch.lib.1.de matrim. disp.9.n.2. Filliuc.tr.26.cap.1.n.7.* & vide etiam *in seq.resol.n.2.*

17 Dicitur facta Deo, quando se immediatè votum fit Deo, quando verò Beatissimæ Virgini, vel cuilibet alij Sancto, dicitur etiam facta Deo, sed mediatè; laudatur n. Deus in Sanctis suis, per quorum medium vti nostrorum intercessorum solet Deus supplicatis annuere *D.Thom.2.2.q.88.a.5. ad 3.Suar.cit.c.16. n.5.Nauar.d.c.12. n.25. Tol.lib.4.cap.17. n.8.Val.to.3.disp.3. q.6.pũ.3. Sanch.in summa lib.4.c.1.n.41.* vbi rectè addũt promissionem factam homini, quãtumuis virtuoso, & sancto, si adhuc in via est, non importare votum, neque voti obligationem, etiã si sit de quouis bono meliori, vt dicit Nauar.cit. se in facto cõsuluisse, & vide etiam *Sanch.n.42.* Quare *Azor.supra cit.c.13.q.10.* docet quod quãdo Religiosi regulam solemniter profitẽtur votum nuncupando, Deo, & B. Benedicto, aut B. Dominico, & huiusmodi. intelligitur Sanctis fieri, tamquam testibus intercedentibus pro eis.

18 Dicitur tandem de aliquo bono meliori, quia votum de re illicita, & fortius de committendo aliquo mortali, vel veniali peccato, non est votum, nec est adimplẽdum *c.in malis 22. q.4. ibi in malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vouisti nè facias; impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur l. generaliter, & l.seq. de verb.oblig. Nauar.vbi supra sub n.25.D.Tho.cit.a.2.* vbi addit validum esse votum de non fornicando, vel quolibet alio malo non faciendo, licet à Deo, vel ab Ecclesia prohibitis, & proinde cõtrauenientem tali voto, duo peccata toties, quoties committere, ratio est, quia maius bonum est ligare se cum duplici vinculo

culo ad peccatum fugiendum; etenim taliter adstrictus, difficilius peccabit, ut latius docent *Caiet. d. qu.* 88. *art.* 1. *Tol. cit.* *n.*21. *Azor. lib.* 11. *cap.* 4. *q.* 1. *Suar. cit. lib.* 2. *c.* 6. *n.* 4. *Fillinc. tract.* 26. *cap.* 2. *q.* 7. *n.* 57. *Dia. p.* 4. *tract.* 3. *resol.* 13. Hinc infertur, votum faciendi, vel omittendi facere aliquod, cuius oppositum est melius, non valere; veluti de non intrando Religionem, vel de non dando eleemosynam, & huiusmodi tamquam contrarium consilijs Christi *Nauar. cit. vers. dixi etiam Azor. cap.* 14. *q.* 6. *Valent. suprapun.* 2. *Fillincc. n.* 58. sicuti nec votum de re inutili, quæ st. non confert ad honorem Dei, nec ad bonum uouentis, vt solent facere mulieres de non pectinando, uel lauando caput in die Sabbathi, vel de non comedendo capita animalium in reuerentiam capitis S. Io. Baptistæ iuxta exempla *Sylu. v. votum* 1. *sub nu.* 4. *ex D. Tho. ibi relato*, quæ tamen, quia licitè possunt seruari, ut percipitur *ex c. fin.* 22. *q.* 4. tutius erit secundum eundem Sylu. dispensationem, uel commutationem à proprio Confessario obtinere. *Nauar. d. c.* 12. *num.* 37. *ex D. Anton. par.* 2. *tit.* 11. *cap.* 1. §. 3.

20 Votum autem non ludendi, uel non intrandi aliquam domum, quæ occasionem peccandi præbere solet, non dubitatur esse ualidum; ludus nultra pecuniæ iacturam, & patrimonij, familiæque damnum, est ut plurimum causa multorum peccatorũ *Nauar. cit. num.* 43. *vers. ex quibus, Sanch. in summa lib.* 4. *c.* 8. *n.* 34. (quod si quis immemor uoti ludit, non peccat *Dia. par.* 3. *tr.* 6. *res.* 41. §. *notandum, & p.* 4. *tr.* 4. *res.* 181. *p.* 7. *tr.* 9. *res.* 56. 58. *&* 60.) quod est adeo uerũ, ut aduertat *Lopez p.* 2. *c.* 35. *q.* 7. *apud Dia. p.* 7. *tract.* 9. *res.* 55. Piũ 5. noluisse super tali uoto dispensare, habentem pro uero non posse super tali dispensatione iustam causam assignari, ipse tamen Diana uult iustã causam dispensandi esse, si uouẽs, sæpè ludendo, uotum transgrediatur, quia aufertur ei materia peccandi, non includitur tamen in uoto ludus honestus, & modicæ quantitatis ex causa recreationis, nisi hoc etiam in uoto fuerit expressum idem *Dia. resol.* 56.

21 Eodem modo ualet uotum de non petendo dispensationem, quia est de meliori bono; gratius enim est Deo promissionem adimplere, quam ab illa solutionem obtinere, sed potest etiam dispensatio prius peti ab hoc uoto de non petendo dispensationẽ, & postea ab alio *Syl. votum* 2. *n.* 14. *Rodriq. par.* 2. *c.* 94. *n.* 2. *Angel. v. votum* 3. *n.* 20. *Bart. à S. Fausto lib.* 1. *de voto q.* 85. uel Episcopus, aut Prælatus regularis ex priuileg. de quibus infra resol. 196. *nu.* 31. *& seq.* absque isto circuitu poterunt dispẽsare præcisa petitione uouentis, ut dicunt ijdem DD. quia ipsi per uotum alterius non abdicarunt à se potestatem, quam de iure, & ex priuil. habent dispensandi, nõ possunt autem dispensare super uoto solemni de non ambiendo dignitates, ut faciunt multi regulares, etiam si transierint ad laxiorem Religionem, quia hoc dicũt spectare ad solum Põtificem, qui cum difficultate dispensat, ut constat ex bullis Vrb. 8. vna incip. cum sicut accepimus emanata ann. 1636. quæ est in append. constit. eiusdem Pontif. 30. in ordine, altera incip. S. D. N. emanata an. 1643. alij tamen probabilius dicunt contrarium saltem in commutatione, ut infra resol. 199. ubi dictæ bullæ referuntur.

22 Dubium etiam est, an uotũ de ducẽda uxore, ualidum sit? pro negatiua facit, quia cum debeat esse de meliori, hoc non solùm, non uidetur tale, sed est contra cõsilium Christi apud *Matth. c.* 19. *& Apoc. c.* 14. præterea *in c. nuptiæ* 30. *q.* 5. legitur, quod nuptię terram replent, uirginitas Paradisum, ubi *Gl. v. virginitas* dicit, quod est soror Angelorum, & hanc propterea negatiuam docent *Suar. lib.* 2. *de voto. cap.* 9. *n.* 2. *Sanch. lib.* 4. *summ. cap.* 8. *nu.* 5. *&* 41. Pro affirmatiua uerò facit illud Apost. *melius est nubere, quam vri*, & propterea obligari uoto eum, qui in sufficientem ad resistendum stimulis carnis, se iudicat, docẽt *Nauar. in summa c.* 12. *n.* 43. *versic. dixi etiã*, *Bonac. hoc tit. disp.* 4. *q.* 2. *pun.* 1. *n.* 21.

23 Hæc tamen ratio mihi non satisfacit, quia dum hoc est malum uniuersale, certũ est sine gratia Dei neminẽ resistere posse, quam tribuere efficaciter petentibus, uel facientibus, quod in se est, uniuersi concedunt, aliàs omnes deberent nubere, propterea sequor primam opinionem, nisi quis uouisset ducere in uxorem meretricem ad eam à peccato liberandam iuxta *Suar. cit. n.* 17. uel quando cognouisset mulierem honestam sub promissione matrimonij, uel etiam sine ista promissione, quia teneretur de iustitia reparare illi damnum honoris amissi, vel congruè dotare, si essent natalibus

bus dispares, ut dictum est v. matrimoniũ, & propterea votũ de alterutra in vxorem ducenda ualet *Henriq. lib. 11. c. 6. n. 5. Sanch. de matrim. lib. 1. disp. 4.* contrariam autẽ opinionem non solùm puto falsam casibus prædictis, uel similibus, si qui sunt excepetis, sed etiam contra fidem, quia dum uotũ debet esse de meliori bono, si cõcedimus uotum de nubendo, esse simpliciter ualidum, est etiam consequenter concedendũ statum coniugalẽ, esse perfectiorem uirginali, uel cælibi, quod est contra *Trid. sess. 24. cã. 10. de sacr. matr.* vide *Sot. l. 7. de iust. q. 1. ar. 3. Azor. p. 1. hoc tit. c. 12. q. 9. Caiet. tamẽ 2. 2. q. 88. ar. 2. in fine,* docet uotum nubendi factum propter fornicationem uitandam ab impotente se continere propter suam fragilitatem esse ualidum.

Quotuplex sit votum, & an factum per errorem, aut dolum sit validum?

SVMMARIVM.

1 *Votorum plures dantur diuisiones.*

2 *Votum conditionale an valeat, si conditio sit contra substantiam uoti? item dè alijs casibus curiosis vsque ad n. 6.*

7 *Errans non consentit.*

8 *Votum factum per errorem circa substantiam, est nullum, secus circa accidentia.*

9 *Vouens dare eleemosynam, quia putabat fuisse sibi relictum legatum: si hoc verum non est, non tenetur ad illud.*

10 *Professio facta per errorem circa causam finalem est nulla, secus si circa causam impulsiuam.*

11 *Dolus alius est malus, alius bonus.*

Resolutio CLXXXXII.

1 AD primum votum multipliciter diuiditur secundum DD. infrà citandos, & primo aliud est personale, quo persona obligatur, veluti peregrinationis, ieiunij &c. aliud est reale de eleemosyna facienda, siue in pecunia, siue in bonis, aliud mixtum, quod continet vtrumque, secundo aliud est temporale, vt dicendi rosarium, vel ieiunandi per dies, aliud est perpetuum, vt castitatis perpetuę, vel dicendi coronam quotidie vsque ad mortẽ; tertio aliud est expressum, quod verbis expressis fit, aliud est tacitum sub illo contentum; vouendo enim religionem expressè insunt vota castitatis, paupertatis, & obedientiæ, quarto aliud est solemne, quod fit per professionem in aliqua Religione approbata, vel per assumptionẽ cuiuscunque sacri ordinis, aliud simplex, quod fit per simplicem, & nudam promissionem. quinto aliud est reseruatum, cuius absolutio reseruatur Pontifici, aliud nõ reseruatũ, quãdo in eo dispẽsãt Episcopi, vel Prælati Regulares ex priuilegijs vt infra. Sexto aliud est absolutũ, seu purum, quod fit sub nulla conditione, aliud est conditionale, quod fit sub aliqua conditione, cuius etiam dantur plures diuisiones, nam alia dicitur conditio contra substantiam voti, alia impossibilis, alia turpis, alia necessaria, alia honesta, alia contingens, vt infra *syl. v. votum 1. n. 5. Tol. in parte lib. 4. cap. 17. n. 7. Suar de voto lib. 2. cap. 12. n. 1. & seq. Filliuc. tract. 26. cap. 1. n. 35. & c. 2. n. 69. Sanch. in summa lib. 4. c. 15. nu. 2.* sed clarius exemplificantur *per Imperat. in §. impossibilis instit. de hæred. instit. & §. omnis stipulatio de verb. obligat. vsque ad finem iuncto c. 1. & toto fere tit. de condit. apposit.*

2 Omissis ergo prioribus, vti omni difficultate carentibus, dicamus aliquid de conditionalibus, & primo de conditione contra substantiam voti, veluti quando in professione quis emittit vota, sed intrinsecè non intendit se ad illa obligare, tunc nulla est professio in foro interiori vt dixi *in priori resol. n. 12.* potest tamen alio modo addi conditio etiam, vt aliqui dicunt contra substantiam voti in professione, veluti vt liceat sua retinere, & in isto casu sunt duo tex. qui videntur contrarij; etenim *in c. cum ad monasterium in fine de statu Monach.* dicitur votum paupertatis, & de non habenda proprietate, adeo esse Regulæ monachali annexum, vt contra illud, nec possit Pontifex dispensare, & confirmatur *ex Trid. sess. 25. c. 2. de regular.* sed *in c. fin. qui Cler. vel vouent.* professio emanata cum tali voto habetur pro valida, & cogitur vouens ad obseruãtiã *Gl. verò hic v. vt in domo & in dicto c. fin. v. contra substantiam in fine,* tenet non valere votum, quia ista conditio sit contra substantiam Monachatus, fatetur tamen adesse contradictores, qui dicunt professionẽ valere

&

conditionem reijci, idem tenuit *Bon. hoc. tit. disp.4. q.2. p.2. n.3. ex Azor. & Sanch. ibi citat.* vide etiam *Caramuel in Theol. fundament. fund.51. conclus.1396.*

3 Sed *Syl. v. Religio 3.n.7. ex Abb. in c. fin. de condit. apposit., & alijs* dicit valere professionem, non obstante conditione, nisi conditio esset de contrahendo matrimonio, & sic contra votum castitatis, vt subdit n.8. vel esset resolutiua, veluti voueo paupertatem cum conditione retinendi mea, alias votum non valeat, vel suspensiua donec st. mea retineam, hodie verò secundum praxim inueteratam numquam admittuntur ad professionem, qui non vouent simpliciter paupertatem, castitatem, & obedientiam, & ideo cum difficultate potest hic casus accidere; bene verum est, quod potest contingere, aliquem exterius emittere vota libera, & interius promittere Deo castitatem, & obedientiam tantum, quo casu frangendo votum paupertatis, exterius factum, non peccaret, nisi venialiter, exceptis aliquibus casibus vt *in priori resol.n.12. in fine*; quod si neque castitatem, neque obedientiam in interiori promitteret, hoc in foro exteriori locum sibi vẽdicare neque posset, quia superiores cogunt subditos ad eorum obseruantiam; non enim possunt vxorem ducere, neque non obedire, & si quid contra agunt, eadem regula est tenenda de istis in foro interiori, quæ de paupertate, dum militat eadem ratio l. illud à contrario sensu ad *l. Aquil. §. eadem ratione vbi Gl. inst. quod cum eo qui in aliena Præs. de franch. dec.489. n.14. sed videas sup. hoc decis. sac. congr. quas referam infra resol.200. n.10. & seq.* Si ve-

4 rò votum fiat sub conditione impossibili, dubium poterat esse pro validitate, quia matrimonium cum tali conditione factum valet, & conditio habetur pro non adiecta *c. fin. de condit. appos.* sicuti etiam statutum est in vltimis voluntatibus *§. impossibilis inst. de her. instit. & l. conditiones ff. de condit. instit.* sed contrarium est tenendum ex *§. si impossibilis inst. de inut. stipul. & l. non solum ff. de act. & oblig.* ratio diuersitatis est, quia illi contractus sunt fauorabiles, vt dicit *Gl. in dicto §. impossibilis v. pro non scripta*, istud vero odiosum, alias rationes tradunt *Sanch. in summa l.4. c.23. n.8. & Clauis Reg. l.6. c.8. n.3.* Idem de voto sub turpi conditione facto respondetur ex generali ratione, tradita in priori resolut. quia votum debet esse de bono meliori, *D.Tho.2.2. q.88. ar.2. §. quod turpi vbi Gl. v. non valet de inutil. stipul. Sanch. cit. n.11. lefs. lib.2. cap.4. dub.5. nu.36. Azor. prima par. lib.11. cap.15.*

5 Valet autem votum emissum sub conditione necessaria, veluti si digito cælum nõ tetigero *arg. tex. in l. in illa stipulatione 1. in fine ff. de verb. oblig.* vel si moriar, quæ conditiones, quia omnino sunt exstituræ, habentur pro puris, & sicut statim committitur stipulatio cum dictis conditionibus, ita statim est votum adimplendum *l. si pupillus §.1. ff. de nouat. §. conditiones instit. de verb. obligat. Capic. latro dec. 107. n.15.* & idem dicitur de conditionibus honestis (vt sunt omnes, quæ non sunt turpes) ex ratione allata, & tradunt DD. communiter, sed votum factum sub conditione contingenti, quæ potest esse, & abesse, sub qua regulariter fiunt dispositiones, tam inter viuos, quam in vltimis voluntatibus, suspendit implementum do-

6 nec conditio purificetur *§. sub conditione inst. de verb. obligat.* potest autem fieri votum sub pluribus conditionibus coniuntim, veluti si sanus factus fuero, & si à bello incolumis rediero, & etiam si addantur aliæ, & potest etiam fieri sub pluribus conditionibus disiunctim, veluti si illud, aut illud factum fuerit. primo casu non tenetur vouens adimplere promissa, nisi omnes conditiones purificentur, secundo casu sufficit ad votum adimplendum purificatio vnius arg. *§. si plures inst. de hered. instit. Clauis Reg. lib 6. cap.8. n.3. sanch. cit. n.20.* sub priori, & vna conditione contingẽti vouit Iephte vt legitur *in lib. Iudic. cap.11. ibi si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meæ, mihique occurrerit reuertenti cum pace à filijs Ammon, eum holocaustum offeram Domino &c.* cumque adimpleta fuisset conditio per victoriam, reuertẽte Iephte in domum suam, occurrit ei vnigenita filia, quam occidendo obtulit Domino sicut promiserat, mortemque realem ei intulit, non autem ciuilem per votum, aut professionem, vt volũt aliqui, quos ex communi Patrum sentẽtia reijcit *Suar. to.2. de Relig. lib.2. hoc tit. cap.10. n.8. & 11.* sed quia hoc fuit immane parricidium, ad quod non solum non tenebatur, sed id agendo, peccatum commisit, vt *in priori res. nu.18.* & iste Iephte inter

magnos sanctos refertur *ab Apost. in Epist. ad Hebr. cap. 11. n. 32.* dubiam propterea reliquit quæstionem an fuerit ex ignorantia, vel alio modo excusatus? conueniunt omnes stultè vouisse, quia poterat ei occurrere aliquod animal non immolādum, sicut asinus, vel homo, vt accidit. *D. Tho. 2.2. q. 88. ar. 2. ad 2. ex D. Hier.* ibidem relato *Suar. cit. n. 12.* & impie reddidisse, quia contra legem diuinā naturalem operatus est, & contra legem diuinam scriptam de non interficiendo innocente vt *in lib. Exod. cap. 20.* egisse ergo pœnitentiam de tali peccato, veniamque à Deo obtinuisse docet *Sanct. Tho. cit.* Dauid enim, & alios sanctos peccasse scimus, & insignes sanctos postea euasisse propter pænitentiā, & ideo excusari non potest, licet ex D. Ambr. & alijs excusare eum conetur. *Suar. cit. n. 16. sed n. 20. in fine* concurrit vel inuitus cum alijs ibi *vnde etiam facile potuit postea pænitentiam agere & ad magnam sanctitatem peruenire.*

7 Ad secundum respondetur regulā esse generalē, quod qui errat non consentit, vt docet Vlpian. in *l. si per errorem ff. de iurisd. omnium Iudic* proinde deficiente cōsensu etiam matrimonium, est nullum ex *c. tua nos in fine de sponsal* prout cæteri contractus; omnes enim consensu perficiuntur, sed est aduertendum, quod error potest esse, vel circa substantiam, seu causam finalem, vel circa accidentia, seu causam impulsiuam, si priori modo erretur, nec matrimonium valet, vt dixi, si secundo sic, vt legitur in *c. 1. 29. q. 1.* vbi multa alia exempla tradit August. per quæ totam ferè materiam circa res per errorem gestas, seu gerendas explicat, ex quibus

8 idem procedere in voto docuit *Abb. in c. magnæ de voto*, st. non valere, quando erratum fuit in causa finali, secus si in causa impulsiua. Exemplum de priori tradit *Sanch. in summa lib. 4. cap. 2. n. 4.* de eo, qui

9 votum fecit dare eleemosynam, quia putabat, vel audierat, sibi relictum fuisse legatū, si hoc postea non fuit verum, non tenetur ad votum; exemplum de secundo. vouit quis ire ad S. Iacobum de Galitia pro redemptione peccatorum, sed libentius hoc fecit, quia ex hac occasione videre cupiebat aliquos amicos per transitum, si amici erant mortui tempore voti emissi, vel postea, non soluitur à voto, quia cessauit solùm causa impulsiua, non finalis, idē *Sanch. n. 6. & 38. Valent. in 2.2. disp. 6. qu. 7. pun. 4. Vasq. in 1.2. disp. 30. c. 4.*

10 Ex quibus cōijcitur æquiuocasse *Bonac. sub hoc tit. disp. 4. q. 2. pun. 3. §. 2. n. 5.* vbi voluit hæc procedere tantum in voto simplici, ex quo tàm votum solemne, quam etiam matrimonium valeant, licet sit erratū in causa finali, quod ex prædictis non puto de iure admittendum; verum tamen est, quod dum *ex Trident. sess. 24. de matrim. c. 1. & sess. 25. de regul. cap. 16. & 17.* matrimonium debet fieri coram Parocho, & testibus, & votum solemne coram superiore Religionis, cum licentia ordinarij circa renunciationem, aut vouens tempore professionis, vel assumptionis ad sacros ordines pure, simpliciter, ac voluntariè pro amore Dei votum emisit iuxta *c. dudum circa finem de conuers. coniug.* & licet præcesserit error in causa finali, censetur postea illi renunciasse, dum tempore, quo ad votum solemne admittitur, certificatur ab Episcopo, vel superiore de omnibus, eo magis, quia etiam si præcessisset dolus, diceretur dolus bonus, qui nō prohibetur, nec actum rescindit, *argum. l. 1. §. non fuit ff. de dolo malo*, etenim dolus malus dicitur machinatio alterius decipiendi causa, cum aliud agitur, & aliud simulatur *d. l. 1. §. 1.* sed per illum dolum vouens non decipitur, nec ad malum inducitur, imò conditionem suam facit meliorem, *vt tradit Gian d. c. dudum v. fo[illegible]* ergo aut verò est perplexus tempore, quo solemniter vouere debet, putans errare, vel quid simile, & ad prædicta non admittitur, vt in praxi quotidie seruatur. De alijs votorum conditionibus, & an conditio possit per æquipollens impleri, an per alium, *si non per se*, quid si eius culpa deficiat, aliaque innumera vide latè apud *Bartol. à S. Fausto de voto lib. 1. à q. 213. cum seqq.*

Vtrum validum sit votum de materia indifferenti, vel de partim bona, partim indifferenti, aut partim possibili, partim impossibili, & an tale sit de numquam peccando venialiter.

SVMMARIVM.

1 *Voti materia quæ sit, & an valeat votū de re illicita, vel à lege prohibita, vel de materia indifferenti, vel partim bona, par-*

partim indifferenti, vel partim possibili, partim impossibili, aut partim honesta, & partim turpi, & nu. 2. vsque ad 5. De materia honesta, & Deo grata, sed ob turpem finem, non solùm est inualidum, sed continet blasphemiam nu. 6. Emissum ad obtinendum filium à concubina, vel ad exeundum liberum, & incolumem à singulari certamine, vel pro bonis temporalibus obtinendis est validum n. 7. Ieiunandi per totam vitam, extinguitur post 60. annos n. 8.

Resolutio CLXXXIII.

1 Materia voti est res, quæ vouetur Deo, & ideo res mala, seu opus malum, non potest esse materia voti; hine votum de facienda aliqua re illicita, vel à lege prohibita, non valet, imò peccatum est illam peragere *D. Tho. 2. 2. q. 88. ar. 2.* vt dictum est supra *resol.* 191. *n.* 18. *ex c. in malis* 22. *qu.* 4. sed nec inter homines turpis promissio induicit obligationem *l. generaliter de verb. obligat. l. iurisgentium, §. si vt maleficium ff. de pact. Sanch. lib. 4. in summa cap. 6. n. 3.* imo de materia indifferenti, veluti quæ non conferat ad honorem Dei, nec salutem spiritualem vouentis, vt solet fieri à mulieribus de nō pectinando caput in die Sabbathi, vel non filando in die Martis, vel de non comedendo carnes conditas vno, vel altero modo, neque valet *D. Thom. cit. ad 3. in fine ibi, vota verò quæ sunt de rebus vanis, & inutilibus sunt magis deridenda, quam seruanda,* valet tamen si aliqua qualitas illi adiungatur, quæ in honorem Dei redundet, veluti de non filando, vt melius possit orationi vacari in honorem Sanctissimæ Virginis, vel carnes comedere nullo modo conditas ob reuerentiam Passionis Christi, & fellis ab eo pro nobis potati *Sylu. v. votum 1. sub num.* 4.

2 Votum autem factum de re partim bona, partim indifferenti, vel partim possibili, partim impossibili, aut partim honesta, & partim turpi valet quo ad partem bonam, vel possibilem, vel honestam ex regula iuris, quod vtile per inulile non vitiatur *c. vtile de regul. iur. in 6.* vbi Gl. tradit varia exempla, præcipuè de donatione prohibita vltra 500. aureos, si quis fecit donationē de mille, vitiatur solū in summa prohibita *ex l. Sācimus. C. de donat. Rim. iun. inst. de don. in rub. & §. aliæ. Rouit. dec.* 48. vbi latè agit de materia, aliud exemplū tradit *Imper. in §. quod si quis instit. de inutil. stipul.* de stipulatione sibi, & alteri, cuius iuri subiectus non sit, quod valeat stipulatio pro ea parte, qua sibi stipulatus est, quia alteri nemo potest stipulari *§. si quis eod. tit. Nau. in man. cap. 12. n. 39.* exemplificat in vouēte ædificare templum, qui postea factus est inops; tenetur enim in parte, qua potest, item in vouente castitatem, qui postea nupsit, peccauit, quando egit contra votum, sed non est totaliter solutus ab illo, quia tenetur reddere, sed non potest petere, vt latè *infra res. 196. n. 16.*

3 Quod tamen non procedit, quando vouens promisit rem bonam, & malam, honestam, & turpem, possibilem, & impossibilem inseparabiliter, quia tunc nisi aliter fuerit intentio vouentis, votum est inualidum *Suar. to. 2. de Relig. lib. 2. hoc tit. cap. 10. n. 2. Laym. lib. 4. tract. 4. cap. 2. n. 3. Sanch. cit. cap. 10 n. 7.* Hinc votum vitandi omnia peccata, etiam venialia, tamquam omnino impossibile sine speciali gratia Dei est inualidum secundum *Sanch. vbi supra cap. 5. n. 15. Sot. lib. 7. de iust. q. 1. art. 3. Arago. 2. 2. q. 88. ar. 2. Nauar. c. 12. n. 65. Azor. lib. 11. cap. 14. q. 4.* sed valet, si sit factum de adhibenda speciali diligentia ad uitanda omnia peccata, vel de numquam peccando uenialiter ex deliberatione, & plena aduertētia, quia hoc est moraliter possibile *Suar. cit. cap. 3. n. 4. & 13. idem Sanch. n. 13.* sicut probabilius est valere, si de omnibus mortalibus vitandis fiat, quia cum Dei gratia possumus ea vitare, vt patet ex *Trid. sess. 6. c. 11. de iustif.* vbi inter alia refertur *epist. 2. Petri Apost. c. 1. ibi satagite, vt per bona opera certam vocationem, & electionem vestram faciatis;* hæc enim faciēdo non peccabitis aliquando *Suar. cit. n. 2. & 3.* vbi ēt docet eum *Azor. d. q. 4.* nulli esse dandum consilium, vt taliter voueat, & cui ita vouerit esse suadendam commutationem, sed *Palud: in 4. dist. 38 q. 1. Ledesma & alij apud Nauar. cit.* dicunt non valere, quod ex rel. Trid. & Petro Apost. verum non puto; Si

4 verò votum sit factum per particulam disiunctiuam, veluti ieiunare, vel coire cum non sua, orare, vel blasphemari, inualidū est, quia cum sufficiat unam partem tantū adimplere *§. si plures instit. de hæred. instit.* & electio sit debitoris *§. si generaliter instit. delegat.* dum una pars non est materia vo-

ti, inualidum est, quo ad utramqne partem *vide Sot.& alios apud Faust. hoc tit. lib. 1.q.94. Bonac.& alios eod.tit.disp. 4.q.2.pun. 4. §.1. n. 3.*

5 Potest tamen votum esse validum de materia indifferenti concurrentibus aliquibus requisitis, & primo si adsit finis bonus, qua de relicet votum non eundi ad campum, vti indifferens non valeat, si tamen in via, vel in campo adest occasio peccandi, & propter se liberandum à tali occasione, quis vouet, validatur; secundo vt illa materia indifferens inseruiat fini honesto, qui intenditur, vt dixi de voto nõ filandi in Sabatho, vel huiusmodi, quod nullum est, sed si fiat ad melius, & fructuosius vacandum orationi in illa die, etiam validatur, tertio, vt propter hunc finem
1 honestum, & bonum voueatur, quia si hoc non intenditur, licet bonus ille finis in consequentiam oriatur, quia dum corpus est liberum ab opere seruili, attentius anima orat, attamen non valet, quia votum sine illa intentione, est omnino de re indifferenti, quarto, & vltimo, vt bonus finis, propter quem fuit res promissa cum voto, non dum cessauerit, etenim si sublata sit occasio peccandi per accessum ad campũ, cessat etiam votũ, quod si rediret occasio, rediret obligatio ad votum *Sanch.in sum. lib.4.cap.7.n.7. Regin.lib.18. tract.3.n.257. Azor. 1. par. lib.11. cap. 14. qu. 5. Valentia super 2. 2.D.Thom. disp.6. qu. 6. pun.3. difficult. 3.*

6 Ex contrario inualidum est votum de materia honesta, & de se Deo grata, sed ob finem turpem, veluti si aliquis promittat Deo eleemosynam, vel ieiunium, si occiderit inimicum, vel vt solent facere meretrices, si reconcilientur cum Amasijs, talia enim vota continent blasphemiam execrabilem, quia intenditur Deum velle, vel posse esse authorem peccati, de quo ipse conquæritur in *psalmo 49. ibi existimasti iniquè, quod ero tui similis. Azor. cit. c. 15. q.3. Suar.de Relig.tom.2. lib.2.de voto cap.5. n.7. Sanch.cit.cap.6.n.20. & 21. Filliuc.tract. 26.cap.2.q.6.* Esset tamen validum votum
7 si fieret ad obtinendum filium, quamuis ex concubina, vel ad euadendum liberum à singulari certamine, quia licet fornicari, vel vulnerare in duello prohibito, sint mala, velle tamen absque vulnere à duello exire, & filium ex dono Dei, non sunt mala, ut docent *Nauar.in man.cap.12.nu.31. & 32. Less.lib.2.cap.40.dub.5.n.36. Suar.cit. n.4. Sanch.in summa lib.4. cap.6.n.13. Tolet. lib.4.cap.17.n.16.* & à fortiori validum est votum obtinendi causa bona temporalia, si modo non concurrat aliqua praua circũstantia *Sylu.v.votum 1.n.4. circa princ.vers. vota autem, & multi apud Sanch.cit.cap.7.n. 22. Bart. à S.Fausto lib. 1. de voto q.44.* sed
8 obiter nota quod vouens ieiunare per totam vitã soluitur ab obligatione post annos sexaginta, nisi aliter fuisset intentio vouentis *Dia.p.10.tr.16. resol.50.*

Vtrum votum sit statim adimplendum, an sit mortale illud non adimplere, an possit per alium, & si non impleatur in vita, an transeat obligatio ad hæredes.

SVMMARIVM.

1 *Votũ est exequendum tempore statuto, quod si non sit declaratum, est statim exequẽdum, cum aliquo tamen temperamento. vt infra, sed fallit quando qualitas rei promissæ maius tempus requirit, & n.2. Eius trãsgressio regulariter est mortale, nisi propter inculpatam obliuionem, vel inaduertentiam, vel agatur de parua materia, quæ in omnibus peccatis excipitur, exceptis rebus venereis, num. 3. & 4.*

5 *Statuto dictante ne quis introducat vinum in Ciuitat. si introducatur flascum vini an pœna debeatur?*

6 *Vouens non peccat, si pœnitet vouisse, secus si post emissum votum, proponat non adimplere, vel doleat de eo adimpleto, vel adimplẽdo, & agatur de materia graui, sed adimpletur, si realiter fit, quod promissum est, quamuis præter intentionem, dummodo non sit per vim absolutam. Si dubitetur emissum sit, uel ne quid agendum? n.7.*

8 *Voti realis obseruantia transit ad hæredes, quatenus est in hæreditate, non sic personalis, & quid de mixto?*

9 *Vouens ieiunare tali die, illa elapsa, non tenetur amplius, sed confiteri debet de transgressione, idẽ dicitur de ieiunio Ecclesiæ, uel de officio diuino.*

Resolutio CLXXXXIV.

1 AD primum quando in voto apponitur tempus, non dubitatur eodem tempore adimplendum esse argum *l. cum qui Kalendis ff. de verb. oblig. D.Thom. 2.2. q.89. art.9. ad 3. & in 4.dist.38. q.1. art.1.* quando verò nullum est appositum tempus, statim esse adimplendum percipitur *ex ead.l.cit.§.fin.* vbi statuitur apposita die in obligatione, in illa die faciendam esse solutionem, non apposita, deberi statim, istud autem non est intelligendum, vt veniat illico debitor cum sacculo paratus, sed cum aliquo temporis interuallo *l.quod dicimus de solut.vbi Gl.v. intelligendum,* declarat istud interuallum importare decem dies ex *l. promissor de constit. pecun. facit, c. statim 17.q.2.* hoc verum nisi qualitas actus promissi maius tempus requirat; si quis n. vouit ædificare templum, intelligitur cōcessum tempus requisitum ad congregandam materiam, & illud, perficiendum, sicut à simili dicitur, quando quis promisit dotem puellæ, non tenetur dotare, nisi quando erit nubilis ætatis *Gl. in §. omnis stipulatio instit. de verb.obligat.*

2 Item si quis vouit Religionem ingredi, potest differre, donec sit magis aptus laboribus Religionis, vel donec parentes minus grè ferant, nisi vellent omninò impedire, quia tunc non esset differendum *Sylu.v.votum 2. n.5. Sanch. & alij apud Bonas.hoc tit.disp.4.q.2.pun.5. §.1.n. 2.* & probatur in *c.23. deuteron. ibi, cum uotum uoueris Domino, non tardabis soluere, & Eccles.5. ibi, si quid uouisti Deo, ne moreris reddere, Valent. in 2. 2. q.6. disp.6. punct. 4. Azor. lib.11. c.17. q.10. Suar.to.2.de Relig.hoc tit. lib.4.cap.12. n.6. et lib. 5. cap.6. n.3.* ex quibus *Regin.lib.18.n.232.* docet mortale committi per vouentem, differentem votum adimplere, quando statim potest: vnde nō placet dictum *Nauar.in man. cap.12. n.41.* quod non peccat uouens, qnamdiu conscientia non remordet, se esse in mora circa implementum; hoc enim ultra generalitatem, quam continet, includit etiam scrupulos, quia non facilè hoc potest iudicari, præcipuè in causa propria, aduersāte *l. qui iurisdictioni cum simil. ff. de iurisd. omn.iudic.* & cum sint actus interni, sicut de istis non iudicat Ecclesia *c. erubescant dist.32.* ita neque debemus nos:

3 Ad secundum respondetur transgressionem uoti regulariter esse mortale, ut legitur in *c. licet in princ.hoc tit. ibi usque adeo solutio necessaria est post uotum, ut sine propriæ salutis dispendio non liceat alicui resilire, & cat.* nisi tamen hoc accideret per inculpatam obliuionem, uel inaduertentiam, quæ excusant etiam in præceptis diuinis, uel Ecclesiæ, ut dixi supra *resol. 19.* & docet *Dia.par.3. tract.6.resol.41.* vel ageretur de parua materia, siue votum fuerit de re parua, siue de magna, cuius parua pars omitteretur, ratio est, quia licet furtum, & alia similia prohibeantur sub mortali, excipitur tamen parua materia, quod est generaliter verum (exceptis rebus venereis, vt etiam dictum est supra v. matrim.) iuxta communem opinionem *Nauar. cit.n. 10. in fine, & n.40. Suar. etiam cit. lib.5.c. 4. n. 10. Sanch. in summa lib.4. cap.12. n.5. Regin.lib.18. n.237. contra Caiet 2.2. q. 89. art.7.*

4 Quod procedit etiam si vouens habuerit intentionem se obligandi sub mortali transgrediendo promissa, quantumuis leuis materiæ, quia ista non est capax tantæ obligationis, vt dicunt Suar. & Sanch.cit. sed hoc videtur difficultatem habere, quia licet stante statuto, vt nullus intret vinum

5 in Ciuitate, non fiat contra illud, si introducatur in parua quantitate, fallit tamen si statutum prohibitorium esset etiam ad degustandum, tunc enim introducens vinum etiam in flasco, incidit in pœnam statuti *Boer. decis.177 n.9.ex Bald.in l.1.C.quæ res export.non d:b. & alijs,* & ita à simili in voto cum dicta restrictione emissio docent per alia media *Clauis Reg. lib.6. cap.6. n.7. & alij apud eum Dia. par. 3. tract. 5. resol. 24. & par.5.tract.5.resol.50.* quod si votum de materia leui v. g. recitandi quinquies in diem orationem Dominicam, vel Salutationem Angelicam, sæpius transgrediatur, præcisa intentione prædicta, esse quoque mortale dicunt *Suar. vbi supra Filliuc. tract.26.cap.8.n.206.& alij,* quod non admittunt *Dia. & DD. apud eum loc. cit. & p. 5. tract.5. resol. 36. & 55.* ea præcipuè ratione, quia singulæ transgressiones sunt solùm veniale, sed multa venialia, non constituunt vnum mortale. ergo.

6 Verum si sponte vouens, postea pænitèat vouisse, non peccat mortaliter, quia sicut non est peccatum non vouere, vel nolle vouere, ita nec nolle vouisse; secus tamen,

men, si intendat non adimplere votum emissum, vel doleat de eo adimpleto, vel adimplendo (non tamen ex tædio naturali) & ageretur de materia graui, quia supposito tale votum obligare sub mortali, nō adimplere, & propositum non adimplendi in futurum, vel dolere, & tristari de adimpleto pro eodem reputantur *Sylu. v. votum 2.n.20. Nauar.in man.cap.12.sub nu. 54. Suar.cit. lib. 5.cap.7. nu.4. ex D. Thom. Caiet. Soto, & alys Bart. à S. Fausto lib.1.de voto q.173.* qui dilucide per octo partes totam rem comprehendit *Regin.lib.18. nu. 239.* quod si vouens præter intentionem vel non cogitans de uoto, illud adimpleat, ueluti uisitando Ecclesiam, uel aliud faciendo iuxta promissa, satisfacit *Dia. par. 5.tr.13. resol. 94. in fine*, dummodo hoc nō faciat per uim absolutam *Sanch. in summa lib.4.c.11.n.68.* Dubitans autem an uotum
7 emiserit, uel ne, si rationes dubitandi sint pro utraque parte probabiles, non tenetur ad uotum, quia in dubio, melior est conditio possidentis suam libertatem *c. in pari delicto de regul. iur.in 6. Bar.à S.Fausto sup. qu.22. ubi recentiores*; si uerò probabiliter iudicat uotum emisisse, nec habet rationes probabiles in contrarium, sed solum coniecturas insufficientes, tenetur uoto, *Sanch. lib.1.de matri.disp.9. dub. 3. & Suar. cit. lib. 4.cap.5.alyque apud Regin.ubi supra n.276. & Henriq. lib.11.c.11. n.5.*

8 Ad tertium respondetur uotum iuxta distinctionem *resol.192.n.1.* uel esse personale, uel reale, uel mixtum, si loquimur de personali, st. ieiunio, disciplina, peregrinatione, & huiusmodi, non potest per alium adimpleri regulariter, nec tenetur hæres, si uouens non adimpleuerit, neque ad expensas peregrinationis; si de reali, quod dicitur à re, quæ promittitur, potest adimpleri per alium, imo si non adimpleatur in uita uouentis, transit obligatio ad hæredes, quod est regulare de omnibus promissionibus realibus *l. Paulus respondit ff.de pignor. l.fin.C.quæ res pignor. oblig. poss.* quando enim quis promisit dare eleemosynam, uel ædificare monasterium, obligatus remanet, & proinde nihil impedit, quod uoto per promittentem non impleto in uita, impleatur à suo hærede post mortem, quatenus tamen est in hæreditate *d.l. Paulus, & l.2.ff.de pollicitat. c. si heredes de testam.c.licet de vot.& c.ex parte de censib.* si tandem de mixto, quod participat de utroque, ut est peregrinatio ad Hyerusalem, ibique Calicem aureum offerre; uel monasterium ædificare, ibique habitum Religionis assumere, tunc si uouens non impleuerit in uita, tenetur hæres ad calicē, uel Ecclesiam ædificandam, non autem ad personalia *Sylu.v.votum 2.nu.10.& 11. Nauarr. ci..n.55. & 56. ex Abb. Innoc. Angel. & alys Suar. vbi supra lib.4.cap.11. nu. 14. Sanch in summa lib.4 c.15.n.8 Filliuc.tr. 26.c.4.n.105.*

9 Vouens autem ieiunare tali die, uel orare, & huiusmodi, non tenetur amplius elapsa die statuta, idem dicitur de ieiunio, ab Ecclesia statuto, uel officio diuino; non enim tenetur quis die sequenti hæc agere, sed confiteri de peccatis, hac de causa commissis per uoti transgressionem, ut de communi testantur *Nauar.cit.n.54. Sanch. & aly apud eum in summa lib.4. c.11.nu.42.* quicquid in contrarium dixerit *Sylu.v.votum 2.n.4.* quem frustra defendit idem Nauar. in casu, quo non esset apposita dies pro exequutione uoti, quia tunc uotum obligat statim, ut supradictum fuit, & sumus extra quæstionem.

Ad quid obliget votum non nubendi, vel castitatis, vel Religionis?

SVMMARIVM.

1 *Votum non nubendi obligat sub mortali ad obseruantiam, post transgressionem tamen non peccat amplius vouens, reddēdo debitum, vel petendo; peccaret tamen iterū, si secundo, vel vltra nuberet; uerū non peccat contra votum fornicando, sed contra præceptum Decalogi, quid autem in voto castitatis? n.2. vel Religionis? n. 3. vsque ad 6. quod non soluitur per promotionem ad Episcopatum, licet secuta professione possit à Religione factus Episcopus exire. n. 7.*

8 *Vouens Religionem an possit intrare in mitiorem, si illa, in quā fuit votum emissum, erat arctior? & num satisfaciat per assumptionem habitus S.Io. vel S.Iacobi, Calatrauæ, vel Alcantaræ? & si sit sexagenarius, nū dispenset Episcopus? n.9.*

10 *Regulares eiecti sunt annuatim requirendi ad redeundum, sed an post eiectionem per sententiam in perpetuum, vel ad tempus teneatur Religio*

gio eos recipere, item de modo in hoc tenendo iuxta decreta S. Congreg. iussu Vrb. 8. edita, quæ referuntur num. 11. 12. & 13. & an fini liberi electione durante à votis paupertatis, & obedientiæ? nu. 14.

Resolutio CLXXXXV.

1 AD primum respondetur votum non nubendi obligare sub mortali ad obseruantiam, quia est de meliori bono; melius enim est non nubere, quam nubere *ex Apost. 1. ad Corinth. c. 7.* & alibi in Euãg. & propterea est de fide, vt patet etiam *ex Trid. can. 10. de matrim.* bene verum est, quod consummato matrimonio, non peccat amplius vouens reddendo, vel petendo debitum, quia votum fuit solùm non nubendi, non castitatis seruandæ; eum ergo illud vti factum, non possit amplius retractari *l. in bello §. facta de captiu. & postlim. reuer.* cessat omnis obligatio, neque peccat contra votum fornicando, sed solùm contra præceptum decalogi, quicquid contradixerit *Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 3.* nec votum est Papæ reseruatum *Faust. lib. 1. hoc tit. qu. 77.* peccaret tamen contra votum nubendo secundo, vel vltra, solutis prioribus nuptijs, si votum fuit non nubendi absolutè, quia indefinita æquipollent vniuersali *l. si necessarias §. si annua ff. de pignor. act. Nau. in man. cap. 12 sub n. 43. Sanch. lib. 9. de matr. disp. 33. n. 23. Rodriq. in summa par. 2. cap. 96 concl. 2.* videtur tamen obstare tex. *in l. boues §. hoc sermone ff. de verbor. signific. cum concordant. per Gl. & Tiraquel.* ibidem, sed

2 tu cogita. Qui verò vouit castitatem, & postea nubit, non solùm peccat nubendo, vti agens contra votum, sed toties quoties petit, nullo autem modo quoties post matrimonium consummatum petitus reddit, sed si secundo nubit, eodem modo peccat, ut dictum est *Nauar. cit. num. 39. ex Caiet. et alijs Tol. lib. 4. cap. 17. nu. 11. Azor. 1. par. lib. 11. cap. 21. Sanch. citat. disp. 33. & in summa lib. 4. cap. 21. num. 8. et infra resol. seq.*

3 In voto autem Religionis plures sunt distinguendi casus; aut enim uotũ fuit de ingrediendo certum, & designatum monasterium, & si ibi non recipiatur, cessat uoti obligatio *D. Thom. 2. 2. q. 88. ar. 3. ad 2. & q. 189. art. 3. ad 2.* sed non sufficit vna simplex rogatio, cum soleant superiores negare prima, & secunda uice ad probãdum petentis spiritum *Caiet. d. q. 88. art. 3.* non tenetur tamen patefacere uotum, quo se ligauit iuxta *Azor. 1. par. instit. moral. lib. 11. cap. 22. q. 9.* nisi probabiliter putaret patefacto uoto admittendum iuxta *Bonac. disp. 4. q. 2. pun. 5. §. 6. n. 16.* quod tamen negat Azor. cit. Vnde poterit in sæculo liberè remanere, si repetitis rogationibus non fuerit admissus, uxoremque ad libitum ducere *Nauar. cit. n. 48. ex Angel. v. votum 3. § 11. Bonac. q. 11. pun. 5. §. 6. n. 18.* nisi superiores mutata uoluntate eum recipere uellent ante nuptias *Layman. lib. 4. tract. 5. cap. 6. n. 4. Sanch. d. lib. 4. cap. 19. n. 71.* puta quia ex falsa informatione eum antea repulissent *Dia. par. 6. tr. 7. ref. 52. in fine.*

4 Aut secundo uotum fuit absolutum, & in uniuersum de Religione, & tunc non liberatur ab obligatione uoti per repulsã ab uno, uel duobus monasterijs, uel Religionibus, sed plura, & plures requirenda, & requirendæ erunt, non tamen in dubio tenetur omnes Regiones peragrare; etenim si constat de sua intentione, debet secundum illam agere, alias satis erit repulsam habuisse à quinque, uel sex monasterijs, seu Religionibus intra eandem Prouinciam *Syln. cit. n. 17. Regin. lib. 18. nu. 380. Azor. autem rel. q. 2.* dicit, quod si talem repulsam habuerit a tot Religionum generalibus, uel ab uno, si uotum fuerit in una Religione hoc sufficiat ad liberationẽ à uoto, quod si non recipiatur ex causa

5 ignorantiæ, siue doctrinæ, siue artis, non tenetur propterea eas addiscere, nisi quando uouit, cogitando ad hoc, deliberasset etiam hoc facere, si ex tali causa non fuisset admissus *Azor. q. 4. in fine, Sanch. in sum. lib. 4. c. 19. n. 61.* Femina verò uouens Religionem non tenetur ambulare per Prouinciam, sed sufficit si reijciatur à monasterijs eiusdem Ciuitatis, uel prope *Sanch. d. c. 16. n. 44.*

6 Sed posito quod fuit admissus ad Religionem, an teneatur ad emittendam professionem? respondetur, quod si intendebat se obligare perpetuo per professionem, debet postquam fuit receptus, ibi perseuerare, si uerò nihil de hoc cogitauit, obligatur ad ingressum secundum formam iuris, iuxta quam datur annus probationis. *D. Thom. 2. 2. q. 189. ar. 4.* non tamen potest intrare eum proposito statim exeũdi, quia uoto non satisfaceret, & propterea

tea tenetur saltem experiri, num sibi hoc expediat idem *Sanct. ad* 3. *Palud. in* 4. *dist.* 38. *q.* 4. *art.* 1. *concl.* 2. *Sylu. cit. n.* 19. & addit *Regin. d. lib.* 18. *n.* 383. *ex Nauar. relat.* posse licitè exire, quãuis nulla alia subsit causa, quam quod ille uiuẽdi modus sibi displiceat, tamquam incommodus, asper, & durus, si modo sincerè hoc agat, etiam si uoto ingrediendi adiunxerit propositum remanendi in Religione. Ratio per eum est, quia ius canonicum concedit ei liberum egressum infra annum probationis *c. non solùm de regularib. in* 6. sed hoc contradicit relatæ doctrinæ D. Thom. quem communiter sequuntur DD. apud *Azor.* 1. *par. lib.* 11. *cap.* 22. *q* 6. & verè ampliatio Regin. non probatur *ex d. c. non solum* per eum allegato, quod non loquitur, quando præcessit uotum, nec aliquid est immutatum circa hoc *per Trid. sess.* 25. *cap.* 16. *de regular.* per eum etiam allegatum, ubi statuitur non posse nouitium, nisi intra duos menses ante professionem renunciare, aut obligare bona sua, nec posse huic priuilegio renunciare, etiam cum iuramẽto, quod intelligit Regin. & malè de renunciatione libertatis, quã habet nouitius exeundi à Religione infra annum probationis, & exinde infert, esse liberum egressum, quæ tamen illatio non procedit, præcipuè quando præcessit uotum, ut latè docet etiam *Sanch. in summa lib.* 4. *c.* 16. *n.* 81. *ex eod. D. Tho. & alijs*: opinionem tamẽ Reginal. probabilem putat *Dian. par.* 2. *tr.* 17. *resol.* 10. Quod si uouens Religionem
7 sit ad Episcopatum promotus, liber non est à uoto, si Religionem non ingrediatur, quamuis post factam professionem, possit ab ea licitè exire, Episcopatum assumendo *c. per tuas hoc tit.*

8 Dubium autem non est, quin uouens aliquam particularem Religionem, possit ingredi strictiorem *ex c. licet de Regular.* nõ tamen è contra, sed secuta professione in laxiori, quamuis peccatum sit consummatum ex voti transgressione, potest tamen in ea licitè, & citra culpam manere *c. qui post votum de regular. in* 6. *Angel. v. votum* 3 §. 17. *Sylu. cit. n.* 18 *ex D. Thom. similiter cit.* sed ęquè arctã potest ingredi propria authoritate *Bonac. disp.* 4. *q.* 11. *pun.* 5. §. 6. *n.* 4. *ex Sanch. in summa lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 26. quia uouens potest propria authoritate secundum eum commutare uotum in aliud æquale, ut etiam dicetur *infra resolut.* 199. *n.* 27. *Azor. autem d. p.* 1. *lib.* 11. *cap.* 22. *q.* 12. dicit non posse priuata authoritate, quia ratio, ob quam permittitur intrare in strictiorem est, quod alias votum esset impeditiuum maioris boni, quæ cessat intrãdo in æqualẽ. sequitur *Regin. cit. sub n.* 381. quod si ingressus bona fide, absque sua culpa eijciatur, iam satisfecisse voto dicẽdum est *D. Thom. rel. ad* 2. *Sanch. ubi supra n.* 93. nec tenetur aliam Religionem intrare *Bonac. n.* 25. vbi refert alios contrarium sentientes, & vide *Dia. par.* 4. *tract.* 4. *resol.* 25.

9 Item non satisfacit quis voto Religionis per assumptionem habitus S. Ioannis, & minus S. Iacobi, Calatrauæ, vel Alcãtaræ, licet isti æquites appellentur veri Religiosi iuxta *Sanch. cit. n.* 11. *Laym. lib.* 4. *tract.* 5. *cap.* 6. *n.* 2. ratio est, qnia secundum communem vsum, & praxim taliter vouentes, non intendunt tales habitus assumere, sed vbi viuitur in communi, longè à tumultibus, & curis secularibus, vt dicunt DD. cit. contrarium tamen volunt *Rodriq. in summ. par.* 2. *cap.* 95. *n.* 8. *Azor. lib.* 13. *cap.* 4. *q.* 4. *& aly*; senex autem sexagenarius Religionem vouens potest ab Episcopo dispensari iuxta DD. apud *Dia p.* 9. *tr.* 8. *resol.* 2.

10 Eiecti verò post professionem propter incorrigibilitatem sunt annuatim requirendi ad redeundum, alias excommunicantur, in tali censura mansuri, donec reuertantur *c. fin. de regular.* vnde non placet quod contradicit *Regin. cit. n.* 417. *ex Nau. & Azor.* non posse st. redire, nec teneri Religionem eos admittere, dum in perpetuum per publicam sententiam iudicũ regularium ad id destinatorum fuerunt eiecti; alias frustra requirerentur ad redeundum, nec est in eorum potestate facere de Religioso, non religiosum, nisi per talem sententiam fuissent damnati ad perpetuum, vel temporalem carcerem, tunc durante tempore, non tenetur superior eos recipere, vel adeo enormia essent delicta, vt tradendi essent curiæ sæculari, quod neque spectat ad superiores regulares, sed ad Inquisitorem Pontificis, vt dictum est supra v. degradatio cum praxi, quæ in tali functione seruatur, *& resol.* 82. *n.* 17. Quibus conformia videntur ea, quæ
11 mandauit S. Congr. iussu Vrb. 8. *die* 21. *Septembris* 1624. *in decr. de Regular. Apostat. & eiectis* §. *rursus*, *videlicet*, *Rursus statuis*, vt

vt fugitiui Apostatæ, siue habitum regularem deserant, siue non, possint ac debeant ab Episcopo loci, vbi moram trahunt in carceres cõiici, ac superioribus Regularibus consignari, secundum Regularia instituta puniendi, vtq; ipsi quoque superiores teneantur eos perquirere, ad Religionem reducere atque efficere, vt apprehendantur, salua tamen in omnibus facultate ordinarijs locorum attributa decreto Concil. cap. 3. sess. 6. Quod si Apostata huiusmodi citra montes infra quatuor, ultra montes vero infra octo menses à præsentis decreti publicatione inchoandos, sua sponte ad suã quisque Religionem redierit, tum pœnarum omnium ipsis propter apostasiam inflictarum, aut infligendarum remissionem, atque impunitatem assequantur. Ita tamen vt debeant à superiore absolutionem humiliter petere, & corã eo culpam fateri, atque emendationem polliceri; superior verò e contra benigne illos teneatur excipere, ab huiusmodi pœnis absoluere, & paterna charitate complecti.

12 Ad hæc vt in posterum Religionibus nullus legitimè professus eiici possit, nisi sit verè incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minimè censeatur, nisi non solùm concurrant ea omnia, quæ ad hoc ex iuris communis dispositione requiruntur; sublatis hac in parte statutis, & constitutionibus cuiuscumque Religionis, & ordinis, etiam à Sede Apostolica approbatis, & confirmatis; verum etiam vnius anni spatio in ieiunio, & pœnitentia probetur in carceribus, proindeque vnaquæque Religio priuatos habeat carceres in qualibet saltem prouincia; Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed animo indurato in sua pertinacia perseuerauerit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida, ac membrum putrè eiici tandem possit, sed ab ipsomet Generali tantùm de consilio, & assensu seu Patrum ex grauioribus Religionis eligendis in singulis Capitulis, vel Congregationibus generalibus; tuncque nonnisi instructo secundũ eorum stilum, & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad sacrorum Canonum præscriptum. Interea tamen vsque ad primum generale capitulum, seu Congregationem proxime celebrandam, si quempiam ex istis, & necessarijs causis expellere oportebit, electio fieri possit à Generali cum consilio, & assensu sex Patrum, vt supra, quos idemmet Generalis eligere debeat infra quatuor menses à præsentis decreti publicatione; seruata tamen in reliquis forma superius præscripta. Sic verò eiecti quamdiu non redierint ad Religionem, in habitu clericali incedant, atque ordinary loci iurisdictioni, & obedientiæ subsint, proindeque Generalis illicò expulsionis sententiam eidem ordinario notificare teneatur. Cæterum S. Congregatio Religionum superiores seriò admonet, ac per Iesu Christi viscera obtestatur, vt memores paternæ charitatis, & mansuetudinis, quam profitentur, nihil intentatum relinquant, vt lucrentur animas suorum ferè in profundum malorum delapsas, antequam grauissimum, atque extremum expulsionis remedium experiantur. Idq; eo magis, quod subditorum sanguinem, qui ex malo negligentium, & sui officij immemorum Prælatorum regimine peribunt, Dominus noster Iesus Christus in supremo Dei iudicio de eorumdem Prælatorum manibus sit requisiturus.

13 Præterea statuit, vt ijdem superiores nemini ex Religiosis expulsis literas testimoniales concedant, illos ad Sedem Apostolicam remittẽtes, vel iubentes aliam ingredi Religionem.

Item vt eiecti extra Religionem degentes sint perpetuo suspensi ab exercitio ordinum, sublata Ordinarijs locorum facultate dictam suspensionem relaxandi, aut moderandi.

Ac postremò esse innouandam; & suæ Beatitudinis authoritate innouat constitutionem fel. record. Gregor. 9. relatam in c. fin. de Regul. ac propterea declarat, eam constitutionem in ijs quoque vendicare sibi locum, seruandãque esse, qui iustè, diffinitiueque, ac iuris ordine seruato, expulsi fuerint; dummodo tamẽ in expulsis huiusmodi subsit spes euidens emẽdationis ex litteris saltem testimonialibus ordinarij, cuius conscientiam in his litteris concedendis S. Congr. serio onerauit.

14 Non eximitur tamen eiectus à voto castitatis, emanato in actu professionis, sed ab obedientia, cum non habeat, cui obedire, verum *Nanar. in comment. 2. de Regular. n. 35.* quem alijs relatis sequitur Bonac. vbi supra rectè docet debere obedire Episcopo, quem impugnat *Regin. lib. 18. n. 418*, quia obedientia fuit promissa superiori illius Religionis, vbi intrauit, & successoribus eiusdẽ, non autẽ Episcopo, ibi et *Nau. n. 421.* docet liberũ esse à voto paupertatis, in quantum possit victum sibi acquirere, & vestitum clericalem, in quo debet incedere, donec iterum recipiatur, & reliqua bona acquisita, & acquirẽda spectare ad idem monasterium *DD. apud Bonac. hoc tit. disp. 4. q. 11. pun. 5. §. 6. num. 26.*

Vtrum & quibus in casibus possint vota filiorum, aut coniugum, vel seruorum irritari à Parentibus, vel Tutoribus, aut Tutricibus, seu Curatoribus, vel ab eisdem coniugibus, aut Dominis? Num semel irritata, sint semper irrita, & quãdo vota cæterorum possint dispensari, vel commutari cum causa, vel sine, & à quibus?

SVMMARIVM.

1 *Voti irritatio quid sit? si fiant à filijs, vel altero coniuge, siuè ambobus, vel à seruis, an, & quando possint irritari à parentibus, vel altero coniuge, vel dominis. n.2. & 9. Si fiant de castitate, vel Religione à filijs post pubertatem non solùm nequeunt irritari, sed neque possunt propterea à Parentibus exharedari, quamuis antea ingrati fuissent n.3. Sed quid fiet de bonis castrensibus, vel quasi, aut aduentitijs, & profectitijs? n. 6. An & quando possint etiam à Tutoribus, seu Tutricibus, vel Curatoribus irritari? n.7. Quæ irritandi potestas est de iure naturali, non spirituali, vel ecclesiastico. n.8. Sed an semel irritata tã à Parentibus, quã à prædictis sint perpetuò irrita? n.9. vsque ad finem. Quid de votis ieiunandi, vel similibus emissis ab altero coniuge, quando afferunt, vel non afferunt præiudicium domesticæ gubernationi. nu. 13. Quid de voto peregrinationis Hyerosolim. num.14. & vel voto castitatis ab vtroque ex consensu emanato? n. 21. cum multis seqq. Vnius ex coniugibus cum iuramento absque scitu alterius an sit licitum? n. 22.*

4 *Voti dispensatio quid sit? & an possit dispensari licitè etiam à Pontifice sine causa? Quidue eius commutatio? n.5.*

26 *Vota Regularium tam antè, quàm post ingressum an, & quando possint irritari ab eorum superioribus, etiam illis inuitis, quamuis fuerint ab eisdem superioribus confirmata? n.27. Transeundi ad arctiorem, nequeunt irritari ab eorum superioribus, imò possunt de iure communi ab illis impleri, etiam istis inuitis, petita licet non obtenta venia, hodie verò est seruanda bulla Vrb.8. quæ dat modũ tenendum; & quid de votis Nouitiorũ? num. 28.*

29 *Põtifex an possit vota omnium sibi subditorum irritare, vel dispènsare, etiam si sint solemnia? n.30. & in quibus possint dispensare Episcopi, & Superiores Regulares erga suos subditos? n.31. usque ad 34. vbi quod aliquando possunt dispensare, sed non irritare, licet habeant vtramque potestatem. dispensantes autẽ, uel commutantes uota Pontifici reseruata, sunt ipso facto excommunicati, nec ualet dispensatio, vel commutatio ibidẽ sub n.31. An autem requiratur iusta causa, & quæ talis sit? n. 38. usque ad finem.*

35 *Vota Nouitiorum an, & quando possint dispẽsari à suis superioribus? & n.36. An monialium à suis Abbatissis, uel irritari? nu.37.*

Resolutio CLXXXXVI.

1 IRritatio est anullatio obligationis vo-
ti, ex arbitrio voluntatis potestatem
habentium; vt infra; Pater enim potest ir-
2 ritare vota filij sui vsque ad pubertatem,
etiam si essent iurata, vt legitur in *lib. Num.
c.30. D.Thom. 2.2.q.88.a.9. & q.89. art.9. in
fine*, omnesque DD. hoc docere restantur
*Suar. de Relig. tom.2. lib.6. hoc tit. c.6. nu.1. &
alij apud Sanch. de matrim. lib.9. disp 41. n.3.*
prout Dominus vota serui quandocumq;
si præiudicant seruitijs sibi debitis, quam-
uis ante seruitutem facta proponantur *ar-
gum. c. noluit 33.q.5. D.Thom. cit. art.8. & ad
2. Dian. par.7. tr.7. resol.27.* nec peccanr isti
post irritationem, illa non obseruando *d.c.
30. Num c. noluit c. puella 20.q.2. & c. mulier
32. q.2. l.2. §. uoto ff. de pollicit. Sylu. v. votũ
4. n.1. Dia. cit. & par.9. tract.8. resol.15.* quod
non legitur *in l. filius familias de action. &
obligat. & l. tam ex contract. lib. de iudic* gratis
ad hoc propositũ allegatis *à Reg. de Marin.
to.1. resol.145. n.12.* Post verò pubertatem,
quæ terminatur in 14. anno completo per
masculos, & in 12. per feminas *l. fin. C.
quando tut. uel curat. d.c. puella. & §. 1. instit.
quib. mod. tut. fin.* valida sunt eorum vota,
tam simplicia, quàm solemnia personalia
(præcisa dispositione Triden. de qua statim
dicam, & exceptis votis seruorum, quæ
durante seruitute non valent, in quacum-
que ætate facta sint contradicente domi-
no

no *cap* 1. 2. *et* 5. *de seru. non ordin.*) nec
3 possunt parentes ea irritare, nisi sint realia, & sibi præiudicantia, vt infra, imò neque de iure ciuili possunt prohibere filios ad Religionem intrare; quod si ipsis inuitis profiteantur, nequeunt propterea eos exhæredare, sed ad minus in legitima instituere *l. Deo nobis* §. *hoc etiam C. de Epis. & Cleric.* & quod magis est, quamuis patri ingrati extiterint ex causis in § *aliud quoque capitulum Auth. vt cum de appell. cognosc.* exhæredari tamen neque possunt, professione sequuta *c. fin.* 19. *qu.* 3. & licet Grat. d. tex. collector, de suspecto accusetur ab *Alciato* 4. *Parerg.* 23. ab hac tamē calumnia eum defendit *Couarr. in c. Raynucius n.* 202. *de testam. ex Harmenopolo* 5. *epitomat. iuris* 9. qui testatur ita etiam Iustinianum ordinasse, ætatem tamen circa vota solemnia *Trid. sess.* 25. *c.* 15. extendit vsque ad annos 16. ante quam completam professio est nulla, vt ibi.

4 Dispensatio verò est anullatio obligationis voti, ex rationabili causa, de qua infra *n.* 38. ista n. cessante, peccatum committunt dispensans, & dispensatus, etiam si dispensatio fieret à Pontifice *D. Tho. cit. art.* 12. *& in* 4. *dist.* 38. *vbi Ricchar. & Palud. q.* 4 *art.* 2. *conclus.* 2. *Caiet. d. art.* 12. *& in summa v. dispensatio c. vlt. Sylu. eod. v. dispensatio n.* 5. *Nauar. in man. cap.* 12. *n.* 76. *versi. sexto dicimus. Suar. cit. cap.* 17. *n.* 2. vbi rationem assignat, materiamque funditus explanat. Nec est simplex interpretatio voluntatis, vt putant *Palud. cit. ar.* 4. *& alij.* sed vera obligationis relaxatio, vt communis opinio, Ecclesiæque vsus probat ex *c.* 4. *de iur. iurando D. Thom. d. dist.* 38. *q.* 1. *art.* 4. *Sot. aliique apud Faust. lib.* 3. *hoc tit. q.* 2.

5 Commutatio siue redemptio, quæ pro eodem sumuntur *iuxta c.* 2. *de voto*, est anullatio obligationis voti cum ligamine ad aliquod aliud faciendum, vel dandum *Caiet. d. ar.* 12. *Sylu. v. votum* 4. *Tolet. lib.* 4. *c.* 18. *n.* 9. *& seq Nauar. cit. n.* 63. vbi addit ex eod. *Caiet. dic. ar.* 12. habentem potestatē dispensandi, & commutandi, posse partim dispensando, partim commutando relaxare votum sine causa omnino iusta ad relaxandum, imponendo aliquid dandū, vel faciendum à vouente, quamuis minus eo, quod vouit, an autem sit necessaria causa legitima, etiā in commutatione, & à quo fieri debeat, vide *infra res. seq. n.* 1. *& seq.* Ex quibus patet doctrinam Regentcit. in omni st. contractu obligari filiumfamilias, præterquam in voto, & mutuo, quamuis ibi non probetur exceptio, sed in alijs iuribus supra relatis, & in *titulis ff. & C. ad Senat. consult. Macedon.* non posse intelligi de voto personali, & solemni post
6 pubertatem, & ne quidem de reali indefinitè, nam de bonis castrensibus vel quasi disponere potest tamquam paterfamilias *l.* 1 §. *nec castrense ff. de collat. bonor. & l. cum oportet C. de bon. quæ liber. Præs. de Franch. decis.* 70. *&* 181. *n.* 5. *Suar. tom.* 2. *lib.* 6. *hoc tit. c.* 5. *n.* 1. *ex Couar. Barb. Sylu. & alys*; in bonis autē profectitijs potest pater totaliter, & in aduentitijs, quo ad vsum fructum vota filij familias irritare *D. Thom.* 2. 2. *qu.* 88. *art.* 8. *&* 9. *d. l. cum oportet*, & quamdiù in eius potestate est, etiam si esset sexagenarius, nisi esset emancipatus, vt docēt *Glos. in l. fin.* §. *pupillus v. pupillus ff. de verb. obligat.* ibique omnes scribentes, & ex Neotericis *Sanch. de matrim. lib.* 6: *disp.* 39. *sub n.* 10. *versic. cæterum, vbi alij*, ratio est, quia, qui est in potestate alterius, nihil suum habere potest §. *item vobis instit. per quas pers. nobis acquir.* reiecta opinione Ang. Syluest. & aliorum relatorum ab eodem Sanch. & volentium non posse post 25. annos, quia hoc procedit in matre post mortem patris, quæ non habet filios in potestate §. *femina instit. de adopt.* Vel in
7 Tutore, aut Curatore, qui similiter possunt ea irritare *c. puella* 26. *q.* 2. *D. Thom. cit. art.* 9. *corp.* vbi etiam de matre hoc docet, dum loquitur in plurali, posse st. per parentes, ergo includitur etiam mater, & tā de ista, quam de illis hoc quoque probāt *Suar. cit. d. c.* 6. *n.* 21. *&* 22. *ex Apost. ad Galat.* 4. *& alijs. Sanch. in summa lib.* 4. *c.* 35. *n.* 6. *&* 79. *Dian. par.* 6. *tr.* 7. *res.* 22. *& par.* 9. *tr.* 8. *resol.* 14. & istos verum est irritare posse vsque ad 25. annos, quia tunc terminatur minor ætas de iure communi *ex l.* 1. *& toto ferè tit. ff. de minor.* 25. *ann. & in tit. de curat. instit. in princ.* de iure verò Regni vsq; ad 18. *ex prag.* 2. *de minor.*
8 Vnde rectè docet *Azor. par.* 1. *moral. lib.* 11. *hoc tit. c.* 17. *q.* 3. hāc potestatē irritandi in prædictis personis iuxta distinctiones relatas nō esse ecclesiasticā, aut spiritualē, sed naturalem, & œconomicam, ideoque etiam infidelibus conuenire. Quod autem dicunt *Sylu. v. votum* 4. *n.* 2. *& Nauar. c.* 12 *sub n.* 64. votum st. filij minoris dicantis se & sua bona monasterio per professionem

non posse à prædictis irritari, neque quo ad bona, si fiat in ætate annorum 16. vt ẽt videtur probari *in c. in præsentia de probat.* intelligendum est de bonis castrensibus; vel quasi, vt supra, ac etiam de aduentitijs, quo ad proprietatem, *auth. ingressi, & auth. si qua mulier C. de sacros. Eccles.* quia vsus fructus istorum pertinet ad Patrem *d. l. cum oportet, & §. 1. Institut. per quas person. nobis acquir.* sed illa totaliter ad filiũ. Profectitia verò sunt omnino patris, de quibus non potest filius in illius præiudiciũ disponere vouendo, vt sup. Ex quibus
9 cõsequẽter quæri potest, an vota personalia filij, vel coniugis semel irritata à patre, vel altero coniuge (qui possunt ea irritare modo, quo supra, etiam si essent iuramento firmata, vt in cit. *lib. Num. cap. 30. D. Tho. vbi supra, & q. 89. ar. 9. in fine.*) sint in perpetuum irrita, vel aliquando reuiuiscant? quo circa, si sint emanata infra pubertatem, & irritata ab alterutro ex prædictis, dubio procul irrita perpetuò sunt; secus si non fuerint irritata, dummodo facta post vsum rationis, vtrumque legitur in *cit. c. 30. Num. & apud D. Thom. 2. 2. q. 88. corp. in fin.* vbi hoc limitat in voto solemni, quod ne quidem valet post vsum rationis, sed infra pubertatem, licet irritatum non fuerit, non ex natura sua, sed ex statuto Ecclesiæ, quod non obligat, nisi terminata pubertate st. in 14. anno *c. 1. & c. ad nostram de regular. in 6.* ex Trid. autem post 16. annos completos *sess. 25. c. 15.*
10 Quæ quidẽ vota emanata infra pubertatem, Pater potest reuocare etiam post eam *Caiet. 2. 2. q. 189. art. 5. Nauar. in man. c. 12. n. 71. Azor. lib. 11. cap. 17. q. 7. Less. lib. 2. de iust. c. 40. n. 80.* ad similitudinem restitutionis in integrum, quę conceditur minoribus, etiam post maiorem ætatem infra quadriennium à die lapsus vltimi diei 25. annor. de gestis cum læsione in minori ętate *l. 2. et fin. C. de temp. in integr. restit.* & consequenter illis restitutis, non solùm non tenẽtur ad promissa, sed si iterum cõtrahunt, & læduntur, iterum restituuntur *l. 2. et 3. C. si sæpius in integr. restit. postulet.* & licet ea vota, si sint mulierum, pater non irritauerit, poterunt tamen irritari à viris post matrimonia contracta ex eisdem rationibus, quia isti succedunt in eandem potestatem, quam habebat pater, vt docẽt *Sanch. de matrim. lib. 9. disp. 41. nu. 3. 4. et 5.* vbi hoc ampliat in votis realibus emissis intra 25. ann. si non fuerint confirmata à parentibus, vel Tutoribus, aut Curatoribus, vel ratificata per easdem filias, aut filios tempore habili *argum. l. Zenodorus C. ad S. C. Maced.* & docet in pũcto *Suar. to. 2. de relig. c. 6. hoc tit. n. 12.* (licet cõtrariũ quando mulieres erant sui iuris, quamuis minores, puta, quia carebant patre, vel tutore asserat idem *Sanch. disp. 39. nu. 26.* quod vt infra *n. 15.* dicã, mihi non placet.)
11 Imò, & quod magis est, irritari possunt etiam si dubium sit, an emissa sint infra pubertatem, vel postea, vt ex *D. Thom. Soto, Aragon. et alys probat Sanch. cit. lib. 2. disp. 41. n. 39.* ratio est, quia in dubio iudicandum est pro libertate potius, quam obligatione voti *arg. c. 1. de iure iur. in 6. et l. quicquid astringendæ de verb. oblig. Gl. in c. ex parte de censib. idem Sanch. ibidem lib. 1. disp. 9. n. 11.* & vlterius quia licet impubes post vsum rationis possit peccare mortaliter, & se obligare diabolo *c. 1. de delict. puer.* & à fortiori Deo per votum iuxta *Glosi. et DD. in c. mulier 32. qu. 2.* nihilominus, quia regulariter loquendo, illa ætas non est sufficiens ad perfectè deliberandũ in negotio tàm graui, & quia vinculum uoti, quatenus in futurum obligat, arduũ, & periculosum est, & in eo emittendo, quando, uel quomodo expediat, potest impubes errare, ideo ualde consentaneũ est rationi naturali, ut pro aliquo tempore uoluntas eius, etiam post completum rationis usum pendeat à uoluntate patris, possitq; ab eo tolli, uel confirmari *Suar. cit. sub n. 3.* quæ ratio militat ẽt in uotis realibus irritãdis à viris, vel Tutorib. adhuc infra quadrienniũ post lapsum 25. annorum, (à Parẽtibus n. possũt ista sẽper *irritari, vt sup. n. 6.*) quia in illa ætate consiliũ minorum est infirmum, multisque captionibus suppositum, multorumque insidijs expositum, ut dicit *Vlpian. in l. 1. ff. de minor.* qua de causa competit eis in integrũ restitutio contra omnia in ea ętate gesta, si fuerint læsi *d. l. 1. et l. 1. et toto ferè tit. de in int. restit. l. 3. C. eod. et c. 1. eod. tit* & similiter post semel irritata amplius nõ reuiuiscũt.
12 Aut uota sunt emanata post pubertatẽ, & iterum distinguo, aut loquimur de uotis personalibus, & exceptis emissis in professione regulari, quæ non ualent ante 16. ann. ex Trid. cit. cætera ualent, & nequeunt irritari à parentibus, ut in *d. c. 30. Num. & docet D. Thom cit. art. 9. corp in fin.*

San-

Sanch. vbi sup. disp.41. sub n.5. sed possũt suspendi à viris vota castitatis constante matrim. vt latius dicam infra *n.16.* quæ tñ suspensio non operatur, ut possint vouentes perere, vt probatur *in c.placet, & c.quidam de conuers.coniug.* quia nullum in hoc præiudicium virorum considerari potest *D.Bonau.in 4.dist.32. in exposit. litt.num.4. Glo.in c. manifestum 33.quæst. 5. Innoc. Host. & Io.Andreas in c.scripturæ de voto, D.Anton.3.par.tit.1.cap.22.§.1. in fine, Ang v.votum 2.n.8.Sylu.eodem 5.q.1.Tabie.matrim.1. q.3.in fine, Nauar.in man.c.12.n.64. Valent. 2.2.disp. 6.q.6. hoc tit.p.6. diffic.vlt.Graff.1. par.decis.lib.2.c.24.n.8.& par.2.lib.2.c.12.n. 45.Azor.instit. mor.lib.11.c.17.q.12.* Sicuti
13 possunt ab eisdem viris suspendi vota uxorum de ieiunando, & similia, quę præiudicium sibi, & domesticæ gubernationi afferre possunt, quia alias cogerentur facere separatas commestiones cum duplicato dispendio, ad quod non tenentur *c.noluit, & c.manifestum 33.q.5.* secus si sint de non furando, vel non mentiendo, & huiusmodi ex ratione à contrario sensu *D. Bonau.& alÿ cit.n.antec. Suar.sup.lib.6.c.4.n. 4.*vbi hoc ampliat in votis realibus, si vxor habeat res aliquas, de quibus disponere possit sine præiudicio viri ex *Abb.in c. scripturæ de voto, & Palud.in 4.dist.38.q.3.n.10.*

Quod autem dictũ est de viris respectu vxorum in hac materia, dicendum est de uxoribus respectu virorum, quia in spectantibus ad usum matrimonij, ad paria iudicantur *ex Apost. 1.ad Corinth. 7. ibi, vir sui corporis potestatem non habet, & c. gaudemus de diuortÿs Glos.in c.manifestũ 33.qu.5. Innoc.in cit.c.scripturæ, Sylu.v. votum 5. q.1. Suar.cit.n.10.* vbi addit *n. 12.* & verum est
14 hoc procedere in votis personalibus, vti præiudicantibus matrimonij vsui præter votum peregrinationis Hyerosol. quod si fiat à viro, non potest irritari, neque impediri ab uxore, quæ potest sequi virum *c.multa, & c.quod super his. ibique Gloss. hoc tit. D.Thom.in 4.dist. 32. art.1.ad 4.* qui etiam hoc limitat *quodlib.4.ar.11.*& sequitur *D.Antonin.3.par. tit.1.c.22.§.1.*quando vxor nollet eum comitari, essetque iuuenis, & relinqueretur cum periculo incontinentiæ, quia ex iure naturæ tenetur vir illud præcauere, vnde tunc satisfacere dicit redimendo votum, nec possit vir cogere vxorem, vt ipsum comitetur, cum sit res grauissima, & valde onerosa, vt percipitur ex d.c. quod super his, Vxor autẽ inuito viro nequit tale votum facere, quia in ea est maius periculum castitatis, nec est apta ad subsidium Terræ sanctæ, sicut vir, quæ est ratio, cur hoc permittatur viris ex iuribus citat. Idem *Sanct.in 4.dist. 32.art.4.ad 1.*quod à fortiori locum habet in alijs votis similibus, ab vxoribus emissis, ad quæ non tenentur viri concurrere *Suar.cit.n. 12.* quod autem dicitur *in cit. c. quod super his in fine,* posse st. mulieres emittere votum peregrinandi ad Terram sanctam, præcipuè si sint diuites, & ducere possint bellatores, alias votum redimãt, est intelligendum de non nuptis, quia nõ tenẽtur viri ad tam magnas expẽsas, soluto tamen matrimonio, dic vt infra *n.16.*

15 Aut agitur de votis realibus, & exceptis bonis castrensibus, vel quasi, & proprietate bonorum aduentitiorum, quia in istis Pater habet vsum fructum ex *l. cum oportet C.de bonis, quæ liberis, alÿsque supra cit.* & si emanata sint infra 25.ann.de iure cõmuni, & infra 18.de iure Regni ex *Prag. 2. de min.* possunt irritari à Tutoribus, seu Tutricibus, uel Curatoribus *D.Th. 2.2.q. 88.a.8.& 9.Præs.de Frãch. dec.70. & 181. n.5. Suar.de Relig.to.2.lib.6.c.6. n.22.* etiam infra quadrienniũ post lapsum ætatis prædictæ, vt supra *nu.7.& 10.* (quia à Parentibus possunt sẽper irritari, vt sup. *n.6.*) nec amplius reuiuiscũt *Sanch.de matrim.lib. 9. disp.41.n.3.* qui tamen *disp.39. n. 26.* contrarium docuit de votis mulierum, quando non fuerunt irritata à parentibus, vel Curatoribus, erant ue sui iuris, puta quia carebant Patre, vel Tutore, & postea nupserunt, quod st. si tempore nuptiarum erant in ætate legitima, non possint irritari à viris, sed nullum Doctorem allegat, soluque dicit, quia alias obligatio uoti realis explendi nõ transiret ad hæredẽ, quod addit esse contra omnes, sed ego puto, salua reuerentia, eũ falli, quia tunc obligatio voti realis transit ad hæredes, quando est facta in ætate legitima, alias rescinditur, vt in iuribus supra *n.10.* relatis, ista antẽ supponitur facta in ætate minus legitima, ergo potest rescindi, & consequẽter uota irritari, etenim hæc irritatio cõpetit ratione defectus iudicij, quod in illa ætate supponitur infirmum, ut dixi *n.11.* in fine, quà de causa possunt irritari à parentibus, uel Tutoribus, seu Tutricibus, aut Curatoribus, & numquam reuiuiscũt,

ut

ut ipse loco cit. & alij probant, sed uiri succedunt in locum istorum, ut idem *Sa-nch.d.n.3.* fatetur, & probat, ergo eodem modo possunt irritare isti, sicut illi, ex paritate rationis argum. §.pari ratione instit. quibus mod. ius pat.potest.solu.cum alijs uulgat.

16 Dubitari etiam potest, circa uotum castitatis, uel similia emissa ab uxore constante matrimonio eod. tempore implenda, uel dilata ad tempus soluti matrimonij: quo ad primum reducitur ad uotum de non petendo (quia reddere tenetur etiam si de licentia uiri uouisset,qui potest ad maiorem securitatem, illam reuocare ut statim probabo) quod assimilatur illis de non furando, uel non mentiendo, & similibus, quæ ex supradictis n. 13. patet irritari non posse, cum nullum prçiudiciũ viro afferant, & proinde hanc negatiuam videtur docere Pontifex *in c. quidam de conuers. coniug.* & clarius *Grat.in c.manifestum §.ex præmissis 33.q.5. ibique Glos.Syluius in 2.2.D.Thom. tom.1.q. 88. art.8.conclus. 7. Valent.tom.3.disp.6.q.6. Nauar. in summ.c.12.n.61. Azor. to.1.lib.11.c.16.q.vlt. & cap.17.q. 12.Suar.de relig. tom.2.lib.6.hoc tit.c.4. nu.17. Filliuc. tom.2. tract.26.cap.8. n. 236.* & à fortiori non poterit irritari in secundo casu, quando post solutum matrimonium nullum omnino præiudicium viri effingi potest *Caiet. 2. 2. q.88. art.8.§. ad hoc dicitur Palud. in 4.dist.38. q.4. ar.2. concl.11. n.29. D. Anton.2.p. tit.11.cap.2.§. 6. Rosella hoc tit. 2.n.7.et 13.*

17 Alij dicunt omnia vota vxoris in quacumque ætate emissa constante matrimonio posse per virum irritari, etiam si de licentia sua postea reuocata, fuerint emissa,nec soluto matrimonio reuiuiscere; peccare tamen virum irritando sine causa,minimè cum causa, quod probari aiunt ex *lib. Num. c.30.c.manifestum 32.q.5.& c.fin. 33. qu.5. D.August.lib.4. q.59. in Num.vbi Gl. ordinaria d.c.30.D.Ambros.lib.de parad. c.10.D.Bonau.in 4.dist.32. in exposit.lit.n.4. Abb.in c.carissimus n.4. de conuers.coniug. & in c.scripturæ n.8.de voto.Armilla eod.tit.nu. 12.Nauar.in summa c.12.n.61.& 73.Graff. 1.par.decis.lib.2.c.29. in fine,& 2.part.lib.2. c.12.n.27. Sot. lib.7.de iust.q.3. art.1.Sanch. cit.lib.9.disp.39.n.18. & 19.ex Scoto,Lopez, Vega, & alijs disp.40. n.4.& 17.& disp.41. n.7.* nisi vota castitatis, vel Religionis ante matrimonium, & tempore habili ab vxore emissa fuerint post st.pubertatẽ,nam tunc peccat nubendo,quia agit contra votum castitatis, postea verò peccat petendo toties, quoties, sed non reddendo, quia peccaret contra iustitiam,negando debitũ viro, qui iustè petit, quo ad votum verò Religionis peccat etiam prima vice, quia potest seruare votum intrando Religionẽ, postea verò neque peccat reddendo, sed petendo, quia votum Religionis includit votum castitatis, soluto verò matrimonio, vxore superstite, tenetur etiam ad vota, aliàs peccat eo modo, quo mox dictum est idem *Sanch.cit.disp.39.num.27.& 28.& disp.41. n.9.* cui contradicit *P.Dian.par.3. tr.4.resol.220.* vbi vult posse virum irritare vota vxoris, siue castitatis, siue Religionis emanata ante matrimonium, & proinde addit *par.4.tract.4.resol. 110.* ex solo Io. Præpos. non solùm posse petere constante matrimonio, sed eo soluto iterum nubere, cum per irritationem sint omnino extincta.

18 Prius tamen assumptum circa vota cõstante matrimonio emissa, & eodem tempore implenda, quod irritari possint, docent etiam *Maior. in 4. dist.38. q.4. dub.2. Sotus lib.7.de iust. q 3. art.1.versic. at verò, Manuel tom.2.summæ cap.90.n.9. Aragon.in 2.2. q.88. ar.8.Paludan.in 4.dist.38. q.4.a. 2.concl.11.n.29. Eman. Sà v.irritatio, nu.1. Sanch. cit.disp.39. n.4.*vbi hanc vocat probabiliorem (quamuis priorem dicat ibid. *n.3.& in summa tom.1. lib.4.c.34. nu.2.* esse valde probabilem)allegat *cit.cap.30. Num. ibique D.August. lib.4. q.59.c.noluit 33.q.5. et c.manifestum §.ex præmissis, eadem qu. 5. iuncto c.fin. eod.tit.D.Thom.2.2. q.88.art.8. ad 3.*Idem volunt quoad implenda soluto matrimonio *Sotus cit.Ludouic.Lopez part.1. instruct.c.50.post.initium.Vega tom.2.summæ c.129. cas.20.Sanch.cit.n.16.*Principale fũ-

19 damentum istorum est, vt dicunt loc. citar. præcipuè *Sanch. nu.32. et disp.41.n. 7.*illud axioma legale *l. cum ex causa,.C. de remis.pignor.* quod res semel extincta,amplius reuiuiscere non potest, cuius text. casus est, quod cum quidam soluerit pecuniam debitam creditori nomine sui debitoris,dicit Imperator extinctam omnino esse obligationem; quod clarum est, etiã *ex tit. Instit. de obligat. in princ.* quia solutione eius, quod debetur omnis tollitur obligatio.

20 In votis autem prædictis dicunt DD. cit.

20 cit. pro contraria sententia non extingui, nec tolli, sed suspendi voti obligationem, quod patet ex *l. qui res §. aream. ff. de solut.* vbi inter alia exempla tradita per Iur. Cōs. sunt, quando quis promisit seruus, qui fuit captus ab hostibus, quod interim peti non possit, sed si redierit, rectè petitur; itē quādo quis promisit nauem alienam (quā domino vendere nolente, tenetur ad pretium) si dominus eam dissoluit, non tenetur pro tunc promittens, sed si iterum eam dominus compegit, tenetur, quia non desijt esse in rerum natura, & proinde cessauit obligatio pro illo interim, nō fuit extincta, vt docet idem Paulus ibidem; sic in proposito si vir suspendit vota vxoris constante matrimonio, (quod potest, vt supra) cessat obligatio, non extinguitur, quæ eo soluto reuiuiscit. Vnde consequenter dicit *Suar. d. lib. 6. cap. 4. num. 17.* talia vota non esse mortua, sed mortificata, & proinde soluto matr. reuiuiscere. Accedat doctrina *Præs. de Franc. dec. 12. & 80.* quod adiudicata re hypotheca primo creditori pro pecunia sibi debita, ex vi cuius adiudicationis quis diceret extinctam priorem hypothecam, si tamen creditor posterior vellet auocare rem illi adiudicatam, posset prior se defendere virtute prioris hypothecæ, quæ eo casu reuiuiscit, excitatque se tamquam à somno, non tamquam à morte, quia vel fuit suspensa, vel non extincta irreuocabiliter.

21 Difficultas remanet quando coniuges de communi consensu castitatē vouerunt, quam quæstionem disputat *Sanch. lib. 9. disp. 37. n. 9. de matrim.* vbi refert opinionem docentium neutrum posse petere, sed teneri reddere, & post multa argumenta, pro ea adducta, & reiecta docet neutrum posse petere, nec reddere, quod probat *ex c. quod Deo 33. q. 5.* vbi August. sic loquitur *Ecditiæ, quæ ita cum suo viro vouerat; Quod Deo pari consensu ambo voueratis, perseuerantes vsque in finem reddere ambo debuistis; à quo proposito si lapsus est ille, tu saltem instantissimè perseuera*, vbi dicit *Glos. v. perseuera*, quod si alter postea adulteretur, potest secundum aliquos alter eū repetere ex *c. tua nos 24. de iureiur.* cui concordat *c. veniens de regular.* vbi di-

22 cit Pontifex, etiam iuramentum super tali voto emissum, fuisse illicitum, & temerarium, cogendumque esse renitentem ad instantiam alterius, qui non vult continētiam seruare ad reuertēdum ad matrimonium; propterea vult *Sanch. cit. n. 15.* posse tales vouentes, validè, licet sacrilegè remittere sibi ad inuicem promissionem illā non petendi, nec reddendi, quam vouendo egerant, & postea tenebitur vterque alteri reddere, tamquam ad pristinam seruitutem redactus; sed petere non licebit obstante voto, qua remissione ad inuicem sequuta addit *disp. 40. n. 22.* posse virum irritare votum vxoris, quæ postea poterit etiam petere, vti à voto liberata, sed *disp. 42. n. 14. & 15.* negat posse vxorem irritare idem votum factum à viro, *ex c. quidā, & c. placet de conuers. coniug.* vbi legitur cō-

23 iugem, qui inscio altero coniuge vouit solemniter castitatem, validè vouisse quo ad non petendum, & abstinendum ab alio matrimonio, quod erat in sua potestate, non autem quo ad non reddendum; sed prius dictū militat tā in vno, quā in altero coniuge, quia quo ad vsum matrimonij vir, & vxor ad paria iudicantur, vt probaui supra *sub n. 13.* ergo si potest irritari ab vno, poterit ab altero, & si non potest ab vno, neque poterit ab altero, quia vbi est eadem ratio, eadem est iuris dispositio. *§. pari ratione instit. quibus modis ius patr. potest. solu. l. 3. §. proinde ff. de in rem verso.* cum alijs vulgatis. *P. Dian. par. 4. tract. 4. resol. 110. in fine, ex Præposito* ita loquitur *Sanch. negat virum posse irritare, si mutuo consensu cum vxore castitatem vouerint, ita vt simul renunciauerint iuri petendi, quod si ita intelligatur, vt nulla sit irritatio, secundum mentem Præpositi videtur minus probabile, si verò solùm velit, quod non possit licitè, vera videtur eius sententia.* hæc ille. verum ex dictis patet, Sanch. voluisse, vt possint validè, licèt sacrilegè hoc agere.

24 Inter has difficultates videtur dicendū stante remissione ad inuicem facta ex pacto de non petendo, nec reddendo, quod sonat votum castitatis inter coniuges, suspendi votum constante matrimonio quo ad redditionem ex dictis *resol. 124. nu. 27.* firmo remanente quo ad petitionem, & soluto matrimonio non posse superstitem transire ad secunda vota, vt statutum est in dictis *c. quidā & c. placet*, eo magis quod in *c. tua nos, & c. veniens relatis* dicitur temerarium esse tale votum, etiam si fiat cū iuramento, ratio percipitur ex eodē *Sāch. cit. disp. 37. n. 14.* vbi ex multis probat non posse virum propter tale votū se separare

ab

ab vxore, imò teneri ad omnia alia obsequia maritalia. Viuere nunc continuò coniuges simul die ac nocte, eodemque in lecto dormire, & abstinere à copula, videtur humanè loquẽdo impossibile, quod autem possit licitè fieri remissio prædicta ad inuicem, adduco tex. punctualem *in l. si vnus §. pactus ff. de pact.* cuius verba sunt videlicet *pactus ne peteret, postea conuenit, vt peteret, prius pactum per posterius eliditur non quidem ipso iure, sed ope replicationis, &c.* Sic in proposito, pactum de non pe-
25 tendo, nec reddendo, emissum inter cõiuges, eliditur per contrarium posterius, non ipso iure, sed ope replicationis, siue instantiæ apud Episcopum, qui ex prædictis poterit omni difficultate cessante statim dispensare, vt constante matrimonio licita sit petitio, & redditio, eo autem soluto, teneantur ad votum ex rationibus supra *nu.* 20. quam dispensationem puto necessariam, quia relatus tex. *in c. quod Deo* clarè loquitur, tex. autem in *c. quidam, & c. placet* loquuntur, quando vnus ex coniugibus vouit, & licet Pontifex in cit. *c. tua nos, & c. veniens* asserat illud iuramentum fuisse illicitum, & temerarium, hoc est, quia votũm non fuerat emanatum ob amorẽ Dei simpliciter, sed ex subitaneis motibus, ortis ex mutuis dedignationibus inter coniuges, & quia postmodum ambo adulterati fuerant, vt percipitur ex eisdem iuribus cit.

26 Sed vota Religiosorum irritari possunt à suis superioribus *Angel. v. votum 2. nu. 3. Suar. de relig. tom. 2. lib. 6. hoc tit. c. 7. per totũ. Sanch. in summa lib. 4. cap. 23. Reginal. lib. 18. n. 321.* Ratio est sicut in prædictis, quia nõ sunt sui iuris, sed in potestate suorum superiorum, & vide infra *res. 201. n. 17.* Amplia etiam in votis emissis ante Religionis ingressum, in quibus nec est necessaria irritatio, sed extinguntur ipso iure per ingressum ad eam *c. scripturæ cod. tit. & c. admonere 33. q. 2.* Amplia secundo etiam inuito vouente *Clauis Reg. lib 5. cap 8. num. 6. Suar. cit. Sanch. etiam cit. c. 24. n. 25.* Amplia 3. etiam si vota emanata in Religione essent adimplenda post exitum ab ea per translationem ad Episcopatum, idem *Sãch. c. 29. n. 3. Azor. lib. 11. c. 17. qu. 27. Clauis*
27 *Regia lib. 7. c. 10. n. 11.* Amplia 4. etiam si ab iisdem superioribus fuissent antea cõfirmata *Suar. relat. c. 8. n. 4.* vbi communem sententiam esse asserit omnium Theologorum ex Abulens. Caiet. & aliis *Sanch. vbi supra c. 27. n. 9. Clauis Reg. n 12. Reginal. cit. n. 304.* ratio est, vt dicunt, quia superiores per confirmationem, seu consensum voto subditi præstitum non abdicant à se potestatem illud irritandi, si volunt, peccant tamen mortaliter irritando sine causa secundum probabiliorem opinionem, prout etiã subditi, si sciant causam irritãdi non esse legitimam, secus si dubij de causa eam proponant superiori, cuius est hoc iudicare ex *c. 1. hoc tit. idem Sanch. nu. 34. Suar. cit. c. 4. ad finem*, vbi rectè addit si votum sit de re leui esse tantummodo veniale, vt etiam dictum est *supra resol. 194. sub n. 3.* donec autem irritata fuerint à superiore, firma manent, & tenentur subditi ea adimplere *Nauarr. in summa cap. 12. num. 67.*

28 Limita primò in voto transeundi ad arctiorem Religionem, quod potest subditus adimplere etiam petita, & non obtenta venia à superiore *c. licet 18. de regular. Sanch. cit. c. 33.* sed hodie est seruanda *bulla Vrbani 8. emanata 21. Septembris 1624.* quæ ita super hoc disposuit *Deinde vt apostatandi opportunitas Regularibus præripiatur, statuit vt de cætero nullus permittatur ad arctiorem Religionem transire, nisi prius superiori legitimè constiterit eam Religionem paratam esse illum recipere, qui licentiam petiit, tuncque regularis recta se transferat ad arctiorem, quod vt re ipsa adimpleatur, idem superior omni studio, ac diligentia inuigilet.* Limita secundo in votis Nouitiorum, quę nequeunt superiores irritare, sicut professorum, *Nauar. cit sub n. 65.* sed hoc intelligitur de votis realibus, emanatis ram ante Nouitiatum, quam tempore nouitiatus, quæ non impediunt obseruantiã regularem, nam eorum vota personalia possunt suspendi (quamuis non irritari) per superiorem, vt declarat *Azor. instit. moral. par. 1. lib. 11. q. 21.* quia regulariter sunt impedimenti obseruantiæ regulari, iuxta *Azor. cit. Regin. lib. 18. n. 323. Suar. lib. 6. c. 6. & c. 11. n. 8.* & vide etiam *infra n. 35.*

29 An autem Pontifex possit irritare vota omnium sibi subditorum? respondetur negatiuè, sed tantùm commutare, vel dispensare cum causa, vt supra *n. 4.* potest tamen irritare vota Religiosorum, quæ possunt irritari ab eorũ Prelatis, nam ipse est supremus dominus, & si Prælati prædicti habent hanc potestatem, multò magis

gis Pontifex, qui est supra Prælatos omnes *c.cuncta per mundum 9 q.3. auth. multo magis C.de S.S.Eccles.* facit regula iuris, si vinco te vincentem, fortius vinco te *l. de accessionib. ff.de diuers. & tempor. præscript.* latè *Suar.de Relig.tom.2.lib.6.hoc tit.cap.10. num.2.Azor.par.1.lib.11.cap.17.q.3.Laymã. lib.4.tract.4. cap.7.n.8. Clauis Reg.lib.6.cap. 10.n.17. Faustus lib.2.de votor.irrit.* vbi latè de alijs ad materiam tractat. In dispen-
30 satione verò requiritur potestas, seu authoritas, quæ principaliter, & plenissimè residet in ipso Pontifice, etiam in votis solemnibus, vt infra; disputatio enim, quæ fit à DD. num possit dispensare, cum votum sit de iure diuino, super quo inferior potestatẽ nõ habet *c.cũ inferior de maior.& obed.* videtur per contrariam consuetudinẽ omninò cessasse, licet multi magni DD. negatiuã sententiã tueantur, præcipuè in voto solemni Religionis, quãtumuis ex causa potissima Regni conseruationis, quos refert, sed non sequitur *Grat. discept.for.cap. 457.n.5.* ratio per istum tradita *n.2.* & per alios magno n. ibi relatos pro affirmatiua est, quia obligatio voti prouenit ex volũtate humana, licet de iure diuino sit executioni demandanda, sed actus humani subijciuntur Principibus, ergo potest Papa tollere cuiuscũq; voti obligationẽ. Verũ maior propositio parum constans videtur, quia licet obligatio proueniat ex voluntate humana, est tamen facta Deo, cui est seruanda, sicuti fit etiam de promissionibus inter homines, & propterea melius fortasse erit dicere, dispensationem prædictam includi sub generali cõcessione Domini, Petro, & eius successoribus tradita apud *Matth. c.16. quodcumque solueris super terram, &c.* quod adeo verum est, vt dixerint *D.Thom.2.2. q. 88. art. 12.* talem potestatẽ fuisse Ecclesiæ necessariam, vbi loquitur generaliter, sed in art. antecedẽti dubitat de dispensatione in voto solemni, quam tamen aliquando Pontifices cõcesserunt, vide *Sot.lib.7.de iust. q.4. art.1. & 3.* imò addit *Suar.cit.c.9.n.6.& cap.10. n.2.* esse hoc clarissimum, & de fide certum ex traditione, & vsu Ecclesiæ; prò vtraque tamen opinione amplè discurrunt *Faust.cit.q. 34. & Caramuel in Theol. fundam.fund.am.52. concl.1392.* de quibus vide latius infra *resol. 201.n 1.& seqq.& nu. 11.* vnde talis potestas ortum habuit.
31 Quæ potestas residet secundo in Episcopis vt infra *resol.201.n.14. D.Thom. cit. ad 3.Suar.d.c.10. n. 3.* erga suos subditos tantum, qui in Diœcesi habent domiciliũ, vel ibi habitant cum animo permanendi maiori parte anni *Nauar.Henriq.aliyque apud Sanch.lib.3.de matrim.disput.23.n.13.& disp.25. Faustus lib.3. de voto qu.10.* exceptis tamen votis solemnibus, & etiam priuatis castitatis perpetuæ Religionis, & peregrinationis in Hyerusalem Romam, & Sanctum Iacobum Compestellæ, quæ sunt Põtifici reseruata per *extrau. & si Dominici 5.de pœnit.& remiss. Nau.in man.c.12.n.75 vers. secũdo dicimus per c. ex multa de voto.* vbi addit hunc esse stylum Romanæ Curiæ *Palud.in 4.dist.38. q.4. art.4. conclus.5. Couar.in c.quamuis pactum par.1.§.3. n.12. de pact.in 6. Angel. v.votum 4. §.6. Suar.d. n.3.aliÿque apud Regin.lib.18. n.330.* quod si dispensent, aut commutent, dispensatio, vel commutatio non valent, & tam ipsi Episcopi, quam quilibet alius cuiuscumque dignitatis dispensantes, vel commutantes excommunicationẽ ipso facto incurrunt, à qua ab alio, quam à Pontifice, nisi in mortis articulo absolui nequeunt, vt legitur in cit.extrau.ad finem, & notat cit. *Faustus lib.3.q.40.& 41.* nisi vota priuata sint conditionalia, vel pœnalia, quia tunc dispensare possunt, *Tolet.lib.4.cap.18. in fine,* vtputa quando vouens dixit, voueo non ludere, & si luserim, voueo religionem in perpetuum, tunc etiam purificata conditione, potest Episcopus, *Suar. cit. c.23.n.6.* vbi refert multos asserentes esse communem opinionem, sed rationem fundamentalem tradit ibidem *n.8.* alios citat *Azor.par.1.lib.11.c.19. q.13.* (quamuis iste contrarium teneat) *Nauar. cit. c.12. n.43. versic.præsupposito igitur, Sanch. de matrim. lib.8. disp. 10. n.8.* vbi quamplures *Dian. par. 7. tract. 9. resol. 59.* faciunt dicta per *Affl.decis.135. n.4.* quod pœna neque in foro fori debetur, nisi quatenus cum interesse concurrat. An autem Archiepiscopi in votis Episcoporum suffraganeorum possint dispensare, dubitat *Suar. to.2. de Relig.hoc tit.c.11.n.3.* sed affirmãt *Sayr. lib.6.c.11.n.79.Faust.eod.tit. lib.3.q.13.* idẽ dicunt de Patriarca, vel Primate respectu Archiepiscopi. Quæ tamen potestas negatur in Archiepiscopo erga subditos Episcopi suffraganei, ẽt tempore visitationis, idem *Suar.cit.c.10.n.9. ex c. fin.de censib.in 6.Faust.q.12.* Affirmatur in Capitulo

sede vacante in omnibus, in quibus poterat Episcopus, quia succedit in eandem potestatem, *Henriq. lib.6.de pænit. c.6. n.1. Sayr.cit.c.11.n.84.Faust. q.14.* sed negatur in Vicario Episcopi idem *Faust. ibid.q.15. ex Sanch.de matrim.& alijs*.

32 Item possunt Episcopi dispensare in voto castitatis ad tẽpus, *Palud. cit. Nauar. n.76.* sicuti in voto non nubendi, *Nauar. ibidem ex Ang.v. votum 4.§.9. Syl.eodem 4. n.4.in fine,Sot.in 4.dist.38.q.2.art.1.concl.1. in fine,* vel non petendi debitum, aut suscipiendi sacros ordines, *Henriq. lib.7. de Indulg.c.30. n.6. Valent. in 2.2. disp.6. q.6. pun.7. col.3. vers. & quo ad primum, Azor. lib.11.c.19.q.9. Emanuel Sa v. uotum n.30. Graff.par.1.decis.lib.2.c.28.n.3. Sanch. de matrim.lib.8. disp.9.n.8.& 13.* Contrarium tamen videtur voluisse *D.Thom.2.2.q.fin. art.7.corp.* circa istud vltimum, vbi docet solum Pontificem posse dispensare in votis perpetuis, sed tale est votum suscipiẽdi Sacros Ordines, cum includat castitatẽ perpetuã,ergo &c.sed dicunt *Caiet.ibidem q.88.art.12.Sot.lib.7.de iustit.q.4.ar.3. in fin.Armilla v.dispensare n.18.Syl. hoc tit. 4.q.3. dicto 6.* appellatione votorum perpetuorum intelligi tantum vota specifica castitatis, & religionis, quę suaptè natura sunt perpetua;quam partem tuetur etiam *Sanch. cit.d. n.13.* adde quod in *extrauag. etsi dominici,de pænit. & remiss.* Pontifex sibi solum reseruauit dispensationem in votis castitatis perpetuæ, & religionis, alijsque de peregrinando, vt ibi, & proinde cætera cẽsentur exclusa ex *c.nonne de præsumpt.* quibus licet responderi possit,quod quando militat eadem ratio in vno casu, quam in alio, vt in supradictis, idem ius sit seruandum, quia lex tunc dicitur includere vtrumque casum, non per viam extensionis, sed comprehensionis, vt ex multis docet *Præses de Franch. decis.489. n.14.* hæc tamen non procedunt in odiosis, vt sunt vota, quæ restringunt libertatem, etiam si maior ratio militaret in casu, ad quem est facienda illatio, quam in deciso, *l.cum quidam,ff.de liber. & posth.* idem de *Franch.decis.507. n.5.* nec displicet ratio tradita per Azor. vbi supra,nempe quia per tale votum non promittitur castitas de præsenti,sed de futuro,ordines st. sacros suscipiendi; vnde qui rem cum femina haberet ante assumptionẽ sacrorum ordinum, non peccaret contra votũ; & circa doctrinam D. Thom. cum sit generalis non tangit specificè casum prædictum, vt etiam dicetur infra *resol. 199. n. 18.* Possunt etiam Episcopi dispensare in voto Religionis ad tempus. *Regin. lib.18. n. 335. ex D. Anton. & alijs Less.de iust. & iure lib.2.c.40.n.10.* prout etiam in aliquibus circumstãtijs votorum reseruatorum, vt in voto religionis arctæ, quod ingrediatur vouens laxiorem; item si sit de peregrinatione pedestri,vt fiat equestri,item si Papa dispensauit votum reseruatum in non reseruatum, possunt illi iterum dispẽsare super isto non reseruato, item in voto simplicis castitatis, aut religionis,si nõ pateat aditus ad Pontificem, & interim sit maximum periculum incontinentiæ: *Sanch.in sum.lib.4.c.40.n.32. & de matrim. lib. 8. disp. 9. 10. & 11.* recentiores apud *Dian. part. 11. tract. 8. resol. 5.* concordat *Suar.to.2. de relig. lib 6. hoc tit. n.9. & 13.* vbi circa votum religionis hoc exemplificat, quando non patet aditus ad Pontificem, & interim est necessitas contrahendi matrimonium statim, & sine mora, ne sequantur scandala, vel grauis infamia nobilis feminæ, vel ne quis moriatur infecto matrimonio absque legitimatione filiorum, & fortassè cum animæ periculo, & similia; negat tamen hanc potestatem competere Regularium Prælatis ex eorum priuilegijs per bonas rationes *ibidem n.16.* vsque ad finem.

33 Residet 3. potestas dispensandi in Prælatis regul. circa vota sæcularium, vt in *seq.resol.n.1.*& magis suorum subditorum, *Nauar.d. c.12. n.75. Claus reg.lib.6.c.11. n.88.Suar.to.2.de relig.hoc tit.lib.6. c.10. n. 14. ex Glos.in Clem.1. de reb.Eccl.non alien. & alijs,Reginal.lib.18. n.340.vbi ex Caiet. Sot.Richar.& alijs* docet hanc potestatem habere non solum Generales, & Prouinciales, sed etiam Præpositos, & Guardianos; quod latius probat *Sanch.d.lib.4.c.39 n.5.& de matrim.lib.8.disp.3. n.9.* qui possunt ea etiam irritare,vt supra *n.26.*& addit *Suar.cit.c.10.sub n.16.* quod vna potestas non excludit aliam, quia sunt diuersarum rationum; nec sunt contrariæ, & vtraque potestas reperitur in dictis Prælatis. irritandi,fundatur in subiectione ex vi professionis; dispensandi autem in iurisdictione ecclesiastica, eis communicata ab Apostolica Sede ex eorum institutis, ab eadem confirmatis, vel per priuilegia,

eorum-

eorumque communicationem, de quibus in *resol. seq. sub n.* 1. vnde quando monachi non erant exempti, vel si qui sunt nũc regulares non exempti, licet eorum superiores habeant potestatem irritandi, non tamen habent dispensandi in votis, quia non sunt propriè Prælati, & eorum Prælatus immediatus circa dispensationem est Episcopus diœcesanus, & vide infra *resol.* 201. *n.* 17. *& seqq.*

34 Quod autem hæ potestates non sint superfluæ, patet ex eo quod aliquando qui habent vtramque potestatem, nequeunt irritare, & tamen possunt dispensare, vt in voto subditi de transeundo ad arctiorem, quod non potest irritari à superiore, imò potest vouens licentia ab eo petita, & non obtenta transire, *ex c. licet de regular.* cum aliquibus tamen circumstantijs ex Bull. Vrb. 8. quam retuli *supra n.* 28. & tamen cum non sit reseruatum, poterit ex iusta causa dispensari ab eodem superiore, vt ex *Caiet. Sylu. Sot. & alijs* docet *Suar. cit. n.* 17. *vbi n.* 18. *&* 19. refert alios similes casus dispensabiles, sed non irritabiles; Alium vide infra *resol.* 199. qui neque potest irritari, & tamen potest à superiore

35 commutari. Negat autem Reginald. potestatem dispensandi in votis nouitiorum ex *Azor. cit. lib.* 11. *c.* 19. *q.* 21. *Clauis reg. vbi supra n.* 92. *Filliuc. tract.* 26. *c.* 9. *n.* 250. affirmatiuam autem indistinctè vocant probabiliorem *Henriq. lib.* 7. *c.* 22. *n.* 7. *Sanch. d. lib.* 4. *c.* 39. *n.* 17. vbi quamplures *Dian. part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 71.

Sed placet mihi distinctio *Suar. cit. lib.* 6 *c.* 11. *n.* 8. (præcisis votis realibus, de quibus supra *n.* 28.) quod circa emissa ante assumptionem habitus, vel tempore nouitiatus, si volunt ea seruare vsque ad professionem, non est opus irritatione, neque dispensatione, quia per professionem extinguuntur: ratio est quia potest quilibet suum votum propria authoritate commutare in euidenter melius, vt in *resol. seq. n.* 2. sed nullum melius reperitur religione, *c. scripturæ hoc tit. & c. admonere* 33. *q.* 2. ergo per transitum ad religionem, seu per professionem sunt omnia vota priora extincta, vt fatentur omnes apud *Sanch. in summa lib.* 5. *c.* 5. *n.* 36. *& seq.* etiam si essent perpetua, *ibidem n.* 49. Si verò non vult expectare professionẽ, & potest superior nouitiatu durante, ea suspendere ex ra-

36 tionibus supra *n.* 28. verum non potest dispensare etiam cum causa, quia Prælatus religionis non habet simpliciter iurisdictionem Episcopalem in nouitium, sicut in professum, sed solum regimen nouitiatu durante, ergo quatenus non impediunt exercitium nouitiatus, nequit dispensare, sed tantum suspendere, vt supra *Suar. cit. sub n.* 9. *ex Nauar. in sum. c.* 12. *n.* 65. Est tamen aduertendum, quod hoc procedit de iure communi, secus autem inspectis bullis, & priuilegijs regularium, quorum virtute dum potest dispensare cum causa in votis sæcularium, vt in *seq. resol. n.* 1. à fortiori in votis nouitiorum, & miror de *Regin. cit. Sanch. de matrim. lib.* 9. *disp.* 39. *nu.* 44. *disp.* 41. *n.* 11. *& alibi*, vbi multi, qui latè cum eis disputant casum prædictum, & nullam mẽtionem faciunt de priuilegijs, ita vt posset quis ex eorum doctrinis dubitare an valeant hodie superiores regulares dispensare in votis nouitiorũ, quod tamen per transitum aduertunt *Suar. d. c.* 11. *n.* 9. *in fine, & Azor. par.* 1. *lib.* 11. *qu.* 21. *etiam in fine*.

37 Abbatissę verò nequaquam possunt dispensare in votis professarum, vel nouitiarum, vt docent *Less. lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 13. *n.* 107. *Sotus in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *ar.* 4. *Sanch. in summ. lib.* 4. *c.* 39. *n.* 7. *Clauis reg. cit. n.* 94. *Regin. d. n.* 340. *in fin. ex Couar. in c. Alma mater par.* 1. *§.* 11. *n.* 2. *de sent. excom. in* 6. quia non habent iurisdictionem spiritualem, ad quam hæc dispensandi potestas pertinet, vt docent ibi Sanch. & prædicti, & post eos *Faust. hoc tit. lib.* 3. *q.* 24. sed *Suar. cit. c.* 7. *n.* 19. *& c.* 10. *n.* 16. *in fin.* ex Angles, & alijs docet posse Abbatissas irritare vota subditarum, quia maiorem potestatem habent ipsæ in subditas, quam tutrices in pupillos, sed istæ possunt, vt supra *nu.* 7. ergo à fortiori illæ, & addit hoc esse necessarium ad bonum regimen Monasteriorum; quod est satis probabile.

38 Requiritur 2. in dispensatione causa, quæ debet esse iusta, alioquin tam dispẽsans, etiam si esset Pontifex, vt supra *n.* 4. quàm vouens tuti in conscientia non sũt, quamuis iste in dubio stare possit iudicio sui superioris dispensantis, illique suum intellectũ accommodare, iuxta communẽ sentẽtiam ex *D. Th.* 2. 2. *q.* 88. *a.* 12. *ad* 2. *vt supra nu.* 27. *in fin.* cæterum iustitia causæ tripliciter potest considerari, vel ratione materię, vel vouentis, vel boni communis *Sotus de iust. & iure q.* 4. *ar.* 3. *vers. ad istorum*

rum, *Suar. vbi supra cap. 17. n. 8. & seq.* ratione materiæ dicuntur omnes causæ, ex quibus maius bonũ in dispẽsatione oritur, quam in illius executione, vt tangit *D. Thom. cit. ar. 10.* & prosequitur *Caiet. in summa v. votum c. vlt.* id exemplificans quando executio voti redderetur illicita, vel inutilis, vel maioris boni impeditiua, *Sylu. ex eodem Sancto v. votum 4. n. 6. Nau. in man. cap. 12. n. 76. in fine*, vbi addit neque esse necessariam dispensationem, si vnum ex his, exequendo votum, oriatur, quod fundat authoritate eiusdem Sancti *d. art. 10. & 12.* ad maiorem tamen cautelã, præcisis illicitis, quæ certum est non obligare, nec esse peragenda, ne quis iudex in causa propria esse videatur contra *text. in l. vnica C. ne quis in sua causa iudic.* bonum erit adire superiorem, qui hoc dispensando, seu interpretando declaret idem *Sãct. in 4. dist. 38. q. 1. ar. 4. q. 3. Sot. lib. 7. de iust. q. 4. ar. 3. Nauar. cit. n. 77. Regin. d. lib. 18. n. 342. & dictum est supra resol. 193. num. 1. in fine.*

39 Ratione verò vouentis legitima causa dispensandi censetur infirmitas, seu debilitas ad votum implendum, vel si sit de peregrinando, legitima etiam erit habere numerosam familiam, quæ absque notabili nocumento absentiam Patris familias sustinere non possit, vel alia huiusmodi; de quibus certa omnino regula afferri nequit, & propterea superioris arbitrio sunt relinquenda *Nauar. d. n. 77. ex Abb. in c. 1. de voto, & docet Caiet. 2. 2. q. 88. art. 12. col. 2.* Item leuitas, vel facilitas vouendi, vel repentina deliberatio ex timore subitorũ malorum *Nauar. ibidem Suar. sæpè cit. lib. 6. c. 17. n. 8.* ex quibus potest moueri animus superioris ad votum relaxandum, seu dispensandum, sicut relaxare solet iuramẽtum de vsuris soluendis, vel præstitum latroni ad vitandam indebitam vexationem, vel si probabiliter credatur ita esse malè dispositum vouentem ad votum implendum, vt sæpè illud sit violaturus, illa namque animi infirmitas æquiparatur infirmitati corporis, iuxta *Regin. cit. nu. 343. in fine, latè Faustus lib. 3. de voto q. 134.* vide etiam *Dian. par. 6. tract. 7. resol. 24.*

40 Tandem ratione boni communis dicitur iusta dispensandi causa, quando eius executio impedit ipsum commune bonũ, vt votum ieiunandi à Doctore cathedratico, vel concionatore emissum, qui ieiunando non possent docere, vel concionari, aut votum peregrinandi factum à iudice, qui propterea cogeretur per absentiã deserere suum iudicandi munus, & similia, *Caiet. cit. Sotus l. 7. de iust. & iure q. vlt. a. vlt.* vbi negat sufficere bonum priuatum, quod reijcit *Nauar. d. n. 11. argum. c. 1. & 2 de voto*, quando executio voti esset impeditiua maioris boni, vt dictum est, generaliter autem docet *Pontifex in c. magnæ hoc tit. quod transcribit eo non cit. Angelus v. votum 4. q. 12.* in dispensando considerandũ esse quid liceat secũdum æquitatem, quid expediat secundum vtilitatem, vel necessitatem, & quid deceat secundum honestatem.

Agitur de commutatione votorum. An de necessitate debeat fieri in æquale, & cum causa legitima?

SVMMARIVM.

1 *Votorum in commutatione necessaria est sicut in dispensatione potestas. Qui eam habeant, & num qui habent dispensandi, habeant etiam commutandi, vel è contra? Vtrum possint commutari ab eodem vouente in rem euidenter meliorem? n. 2. & 4. Vel in æqualem, aut minus bonam etiã à superiore. n. 6. & seq. An de necessitate requiratur causa legitima, & quæ talis sit? n. 7. & 9.*

3 *Debitor pecuniæ an possit cogere creditorem ad recipiendum tot stabilia prauio appretio pro concurrenti quantitate debiti? n. 3.*

5 *Voti commutatio in maius bonũ an dicatur eleemosyna in vicem ieiunij? n. 5.*

7 *Commutatio ex vi vocabuli importat æqualitatem, sed potest cum legitima causa fieri in rem aliquanto minorem. Quæ non est necessaria in iubilæo, vel ex Bulla Cruciata, n. 10. Imo potest fieri de votis factis post illius concessionem, ante tamen publicationem, n. 11. Etiamsi fuerint emissa cum intentione commutationis obtinendæ, n. 12. Ac etiam post elapsum Iubilæum, si eo durante fuerunt peracta opera iniuncta, n. 13. Vbi idem dicitur de censuris, & casibus reseruatis. Illa verò possunt commutari etiam extra confessionem, n. 14. Exceptis Pontifici reseruatis, nisi sint ad tẽpus, n. 15.*

Et

Et iterum, atque iterum ad libitum voventis, sed semel commutata, amplius nõ reuiuiscunt, nisi iste velit denuo commutare, n.16. Potest tandem fieri etiam de reseruatis, si tempore, quo fuerunt emissa, intentio voventium fuit de se obligando venialiter tantum, n.17. Ac etiã de omnibus alijs (solemnibus exceptis) quamuis essent iuramẽto firmata, n.18.

13 *Delicta patrata ante indultum peti iure potest, vt aboleantur quandocumque etiam post indultum.*

Resolutio CLXXXXVII.

1 IN commutatione votorum est necessaria potestas cum iusta causa, sicut dictum est in priori resol. de dispensatione DD. communiter *ex D. Thom. 2.2. qu.88. art 12.* ea ratione, quia cum votũ sit promissio facta Deo de re sibi grata, & accepta, eius commutatio est facienda de re similiter sibi grata, quod iudicium pertinet ad Prælatos Ecclesiæ, eius loco substitutos, *c. 1. hoc tit.* de quibus dicit Dominus apud *Luc. c.10. qui vos audit, me audit*, & hi sunt Pontifex, qui habet iurisdictionẽ in toto mundo, *c. cuncta per mundum 9.q.3.* Episcopi, & Archiepiscopi in suis Diœcesibus, & omnes Confessarij regulares, qui possunt etiam dispensare in omnibus votis, in quibus possunt Episcopi, vt dictũ est in priori *res. nu. 29. & seqq.* & latius infra *res. 201. per totam*, ex cõcessione *Innoc.* VIII. de qua testantur *Nauar. in man. c. 12. n.80. versic. vndecimo dicimus, Sanch. lib.8. de matrim. disp.16. n.1. in fin.* vbi dicit hoc priuilegium reperiri in compẽd. priuileg. Societatis Iesu, *& in summa lib. 4. cap.43. n.4. P. Diana par. 3. tract.5. resol.25. §. quarto regulares*, quo fruuntur alij ratione cõmunicationis priuilegiorum, omnibus regularibus concessa, de qua testantur DD. apud eundem *Dia. p.3. tr.2. resol.81. & p.5. tr.13. resol.46.* (nisi essent valdè exorbitãtia, vt est illud concessum eidem Societati ab Eugenio IV. & Gregorio XIII. ne teneantur eorum professi, nõdum in sacris constituti recitare horas canonicas; istud enim alijs non communicatur, vt ex quãplurimis DD. docet idem *Dian par. 11. tr.3. res.18.*) ergo multo magis possunt commutare vota, idem *Sanch. d. n.1. in prin.* vbi refert verba priuilegij cõcessi à Paulo III. quamuis dici iure possit esse inclusam potestatem commutandi in potestate dispensandi, non è contra, quia commutare est minus, quam dispensare, *c. cui licet plus de reg. iur. in 6. Suar. tom.2. de relig. lib.6. cap.12. n.4.* vbi ait esse communem, & certam sententiam *Less. lib.2. c.4. dub.11. in 1. edit. n.94. Clauis Reg. lib.6. c. 10. nu.15. dub.2. Regin. lib.18. sub n.339. Filliuc. tract. 26. n.252.*

2 Sed vltra authoritatem, vt supra requiritur etiam causa; vnde si commutatio est
facienda in rem euidenter meliorem dicunt *D. Bonau. in 4. dist.38. q.2. art.3. Riccar. ibidem q.1. art.8. Sylu. hoc tit.4. n.7.* non
posse fieri à vouente propria authoritate,
3 quia debitor non potest soluere creditori rem etiam meliorem promissa, allegat iste tit. *Instit. quib. mod. toll. oblig. & l.2. ff. si cert. pet.* sed melius probatur in *l. creditoris arbitrio, ff. de distract. pignor.* quæ tamen regula fallit in multis casibus per *Glos. tit. cit. Instit* ac etiam in casu, quo debitor non haberet pecuniam promissam, *auth. hoc nisi, C. de solut.* prout refert decisum fauore hæredis *Gizzarell. decis. 7.* sed oppositum refert etiam decisum prius iun-
4 ctis tribus aulis *Rouit. in consil.78.* Verum non est discedendum à contraria, & communi sententia, vt in *c. scriptura eod. tit.* vbi legitur non esse voti fractorem, qui temporale obsequium in perpetuam noscitur religionis obseruãtiam commutare, idem in *c. peruenit 2. de iur. iur. & c. licet de regular. Nauar. cit. ex Caiet. 2.2. q.88. art. 12. in princ. Henriq. lib.7. c.30. n.5. Less. lib.2. c.49. n 87. Clauis Reg. c.12. n.5. Suar. cit. c.18. n.4. Azor. lib.11. c.18. q.1. Sanch. in summ. lib.4. c.49. n.4. Filliuc. tract.26. c.10. n.282 Dian. par.1. tract.11. resol.48. par.2. trac.16 res.9. & par.3. tract.5. resol.25. alijque infra resol. 199. n.27.* ergo multo magis fiet commutatio legitimè à superiore, *argum. auth. multo magis, C. de Sacros. Eccles.* Ad rationẽ in contrarium adductam respõdetur procedere in hominibus, inter quos multoties ratione defectus, & vtilitatis, plus cõfert habere hanc rem minorem, quam illã
maiorem, secus cum Deo, cui acceptius
5 est semper quod melius est. Non tamen censetur facta commutatio in maius bonum, si quis ad carnis macerationem, dũ vouit ieiunium, istud commutat in eleemosynas, vel orationes; nam licet istæ vti virtutes religionis, sint excellentiores ieiunio, quod est virtus abstinentiæ, seu tempe-

temperantiæ, non tamen conducunt ad carnis macerationem iuxta finem intentũ in voto, diceretur tamen absq; dubio commutatio in melius, si vouens aliquid daturum Ecclesiæ, cernens puellã esse prostituendam ex nimia paupertate, illud huic in dotem traderet, eam collocando in matrimonium carnale, vel spirituale, alia similia habes apud *Reg.cit. n.350.* & *DD. vbi sup.* ex quibus potest ad alia similia inferri *ex l.non possunt, ff.de legib.*

6 Aut commutatio est facienda in rem notabiliter deteriorem, & non solum nequit fieri à vouente, sed neque à superiore potestatem habente, vt percipitur *ex c. 1. c.magna, & c.quod super his hoc tit.* docet *Caiet.2.2.q.*88.*ar.*12.*§.in commutatione circa fin.* ab omnibusq; cõcedi testatur *Suar. tom.2.de relig.lib.6.c.19.n.8.* quod si de facto fiat, videtur ex prædictis dicendum esse nullam, & remanere vouentem obligatum ad soluendum votum antecedens, iuxta eund. *Suar.cit.* qui hoc clarius probat *cap.20.n.6.* sed addit *d.cap.19. n.9.* validã esse commutationem, si bona fide fiat in parum minus, quia parum in moralibus pro nihilo reputatur, vt infra *n.8.* Vel tãdem commutatio fit in rem æqualem, & requiritur causa, vtrumq; probatur in *d.c. quod super his, & c.magnæ, §.præterea, vers. verum*, vbi Pontifex commutando votum peregrinationis vltramarinæ, assignat causam propter quam commutat, ibi, *ætatis, vitæ senescentis defectus, atque canicies, quæ vix labores, & dolores suos tolerare possunt*, commutat in æquale, ibi, *licentiam tibi concedimus votum peregrinationis taliter commutare, vt expensas, quas fueras in eundo, morando, & redeundo facturus, alicui religioso committas in necessarios vsus terræ illius sine diminutione qualibet transferendas, laborem etiam laboribus recompenses, solicitius instando vigilys, deuotius vacans orationibus, & in ieiunys fortius te exercens. D.Th. 2.2.q.88.a.12. ad 2.* ibi, *si autem esset causa apparens, per quam saltem in dubiũ verteretur, posset stare iudicio Prælati dispensantis, vel commutantis, &c. Sot.lib.7.de iustit.q. 4.ar.3.circa finem*, vbi dicit omnem commutationem, quæ non est in melius postulare authoritatem Prælati, & iustam causam; ratio est, quia commutationis

7 nomen propriè loquendo, importat æqualitatem, iuxta sententiam *Arist.5.Ethic.c.4. Caiet.in cit.§.in commutatione*, ibi, *an autem tanta, & talis possit subesse causa, vt commutatio fiat licitè in minus, facile patet quod sic, miscendo dispensationem commutationi, ita quod partim sit dispensatio, & partim commutatio, quando si.causa non est tanta, quod sufficiat ad dispensationem absolutè, est tamen causa, quæ excusat à tanto, etsi non a toto; sed stando infra limites puræ commutationis, non potest fieri in minus, quoniam commutatio debet esse iusta, non est autem commutatio sine æqualitate rei ad rem, & propterea caueant sibi illi, qui non habent potestatem aliã in votis, nisi commutandi, quia tenentur ad maius, vel æquale, vt dictum est, & c. Nauar. in cons.18.hoc tit. Graff.l.1.b.2. decis.c.30. n.4.* aliàs esset dispensatio, qui sunt termini distincti, vt dictum est in priori *resol. n.4. & 5.* & dicetur iterum infra *resol. 199. à n.24.* quod docet etiam *Suar.d.c.19.n.3.*

8 Verum posse, si adsit causa, commutari in rem aliquantò minorem, vt supra *n.6.* & docet *Toles.lib.4.n.10.* ibi, *nec commutari in leues materias, sed in ferè æquiualentes proportionabiliter, Sanch.in sum. lib.4. c.50. n.4. Azor. lib.11. cap.18.q.6. Regin. lib.18. n.352.* (quicquid in contrarium dixerit *Dia.par.1.tract.11. resol.39. & 40.*) vnde rectè ait *Gl.in cap.1.v.recompensatio hoc tit.* quod dum votũ castitatis est gratius Deo omnibus, nec potest maius bonum, vel æquale reperiri, *c.integritas 27.q.1. & c.cũ ad monasterium, de statu monach.* propterea non potest commutari, sed ex magna causa solet à Pontifice dispensari, vt in priori *resol.n.30.* (quamuis de hoc etiam dubitet, quando *est solemne, D.Thom.2.2. q.88. ar.11.in corp.* ibi, *ratione ipsius continentiæ, quæ non recipit condignam recompensationem*) *Suar.d.c.19.n.5.* ibi, *hæc cõmutatio in æquale fieri non potest sine aliqua iusta causa, & iterum n.10.*

9 vtrobique tamen docet sufficere causam leuem, puta vt vouens libentius, & alacrius Deo seruiat, soluendo rem commutatam, imo dicit *Sanch.in sum. to.1.lib.4.c.50.n.23.* solam petitionem vouentis, vt votum commutetur esse causã sufficientem, & subdit *c.51.n.15.* cõmutantem sine iusta causa in æquale, peccare solum venialiter, quia abusus illius potestatis est in re leuissima. concordat *Suar. sæpe cit.n.13.in fin.* ibi, vnde similiter videri potest Prælatum non peccare mortaliter, commutando votum in æquale sine vlla causa, sed pro sola voluntate sua, vel vouentis, quia licet non benè vtatur sua pote-

potestate, non videtur esse abusus in materia graui, nec cũ graui Dei iniuria; imò posse commutationem in æquale fieri ab eodem vouente dicam etiam probabile, infra *resol.199. n. 28.* docetque *Dia.par.3. tr.5. resol.25. in princ. & §.2. ex Henriq. Medin. Pertell. & alijs*; quod si commutatio fiat
10 à Confessario in iubilæo, concesso pro bono communi, vel ex bulla Cruciatæ, & adimpleantur opera in illis iniũcta, potest licitè fieri sine alia causa, secus, quando fit per priuilegia Religionum, vel simpliciter cõcedatur in fauorẽ alicuius priuatæ personæ, in quibus casibus loquuntur *DD. supra cit. cum Sanch. d. c. 50. n. 19. alijque cum Dia. p. 2. tr. 16. res. 8.*
11 Amplia vt possit fieri commutatio de votis factis etiam post concessionem facultatis traditę in iubileo, quamuis essent facta vna die ante publicationem, non autẽ post publicationem, vt docent *Suar. cit. c. 13. n. 4. Azor. q. 9. Sanch. vbi supra c. 53. nu. 26. Filliuc. tr. 29. c. 10. nu. 253.* sicuti à simili facultas absoluendi à casibus reseruatis extenditur non solùm ad commissos ante tempus iubilæi; sed etiam tempore concessionis, non post publicationem, vt infra *n. 13. Sanch. cit. n. 24. ex eod. Suar. & alijs*, vbi prosequitur vsque ad finem, & faciunt dicta per *Dia. p. 1. tr. 11. res. 50.*
12 Amplia 2. etiam si votum fuerit factum intentione cõmutationis obtinendæ iuxta *Suar. vbi supra n. 7. ex Sylu. & Nauar. ibidẽ relatis, Sanch. in summ. cit. c. 54. n. 18.* quibus contradicere videntur *ll. & DD. apud Rouit. in pragm. 1. n. 53. de abolit.* vbi docet non gaudere indultu delinquentes sub spe, & confidentia eiusdem indulti, maximè si ex inimicitia antecedenti, secus si in rixa, & casu inopinato, sed responderi potest mitius agi cum Deo, quàm cum homine *extrau. vnica de iudæis l. celsus. ff. de arbitr.*
13 Amplia tertiò, vt possint etiam ab eodem Ordinario Confessario, transacto tempore iubilæi, cõmutari vota illorũ, qui voluntariè, vel ex obliuione non fecerũt sibi ea commutari tempore iubilæi, *Clauis reg. cit. n. 17. Henriq. lib. 7. de indulg. c. 11. n. 4. Eman. Sà v. indulgentia n. 14. Sanch. lib. 8. de matr. disp. 15. n. 17. & in summa lib. 4. c. 54. n. 29.* ratio est, quia licet opera prescripta in iubilæo, sint determinata ad certum tempus, ijs tamen eo tempore peractis, pænitens, qui iubileum consequutus est, acquisiuit ius, vt possit postea vototum commutationem obtinere, sicut etiam ius ad obtinendam absolutionem censurarũ, & casuum reseruatorum *Sanch. cit. c. 53. nu. 26. Dia. in summa v. iubilæum nu. 32.* quod vlterius probatur, quia indultum, concessũ à Principe seculari in foro exteriori, quod est simile iubileo in interiori tollit quæcumque crimina, commissa ante indul ũ, etiam si quandocumque post eum pui licatum porrigatur accusatio, vel p tatur absolutio. *Bart. & communiter DD. in l. de pupillo, §. si in pluribus ff. de noui operis nunc. Glos. in l. si docueris C. de falsis*, & alij, qu os tefert, & sequitur *Rouit. cit. n. 13.* ergo eodẽ modo est tenendum de iubilæo ex ante dicta ratione, quia mitius agitur cũ Deo, quàm cum homine.
14 Amplia 4. vt possint dispensari, vel cõmutari etiam extra sacramẽtum confessionis, ratio est, quia talis dispensatio, vel commutati non sunt materia necessaria dicti Sacramenti, *Henriq. lib. 7. cap. 30. n. 6. San. h. in summa lib. 4. c. 54. n. 15. 17. & 32.* vbi aiunt, quod licet in bullis iubilæi soleat dici confessionibus auditis; valeant ipsos à quibusuis censuris, & peccatis absoluere, ac vota quæcumque, exceptis castitatis, & Religionis in alia commutare; referatur tamẽ hęc clausula ad ea, de quibus est eadem ratio, sed quia est diuersa peccatorum, & commutationis votorum, cum illa requirant necessario confessionẽ, secus ista, vt docet idem *Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 16. n. 11. disp. 25. num. 25.* ideo hæc potest fieri extra sacramentum, vide etiam *Dian. par. 4. tract. 4. resol. 8.* negat tamen *Suar. de Relig. tom. 2. lib. 6. c. 16. nu. 4.* si iubilæum, vel breue diceret in foro pænitentiæ, uel audita confessione. Quamuis
15 autem vota castitatis, & religionis sint reseruata Pontifici per *extrauag. & si Dominici 5. de pænit. & remiss.* si tamen sint emissa ad tempus, potest Episcopus dispensare, vt dictum est in priori res. *n. 31.* & eodẽ modo possunt commurari à Confessario tempore iubilæi *Clauis Reg. lib. 6. c. 11. Sanch. cit. disp. 9. n. 6. disp. 15. n. 4. & in summ. lib. 4. disp. 40. n. 48.* semel autem iute, & cum causa legitima commutatis, amplius eorũ obligatio non reuiuiscit, etiam si vouens nõ prestiterit postea ea, in quæ fuerunt cõmutata, sed peccat ob pænitẽtiã iniunctam non solutam, mortaliter si fuit grauis, venialiter si leuis, vt eleganter, & ex multis iuribus, & DD; probat *Suar. cit. cap. 20. n. 5. &*

5.& 10. vide etiam *Henriq.ubi supra c.11. n.4. aliosque apud eos.*

16 Amplia 5. vt habens facultatem commutandi vota, possit iterum, atque iterum commutare secundum,& tertium, in quod fuit commutatum primum, secundum,vel vlterius,*Sanch.in summa lib.4.c.54.num.24.* sed in potestate vouentis est seruare prius votum, quia commutatio fit in eius fauorem, cui potest renunciare *l.quod fauore C.de legib.Clauis Reg.lib.6.c.12.dub.5. Azor. lib.11.cap.18.q.10.& 12. Filliuc.tract.26.n. 289.Suar.cit.c.20.n.3.Dia.p.2.tr.16.res.6.& p.3.tr.5. res.25.§.6.*

17 Amplia 6. vt possit dispensari votum,licet de materia reseruata;si tamē tempore, quo quis vouit, habuit intentionem se obligandi sub veniali tantùm, quia votum non fuit perfectum *Sanch. in summa lib. 4. cap.40. n.47.* vbi dicit spectare ad Episcopum, & ex prædictis sub *n.1.* etiā ad Prælatos Regulares,eius tamen trāsgressio nō potest importare, nisi veniale, vt fatetur ibidem Sanch. obligatio enim non potest extendi vltra promissa, vt patet,& probatur etiam *apud Matth.20.ibi, cōuentione facta de denario diurno,* & inferius, *nonne ex denario conuenisti mecum,tolle quod tuum est, & vade.*

18 Amplia tandem etiam si vota essent iuramento firmata, *arg.c.30. Num. c.tua nos 24.de iure iur.& c.veniens de regular. Suar. cit. cap.14. n.14.* ratio est, quia concessio iubilæi dirigitur ad dispensanda,vel commutanda vota, sed non desinunt esse vota ratione iuramenti interpositi, quod illis adiungitur vti accessorium, ergo possunt dispensari, seu commutari, quia sublato principali, tollitur etiam accessorium *c. accessorium de regul.iur.in 6. & l.cum principalis, ff.eod.* sequitur *Eman.Sà hoc tit.n.16. Sanch.de matrim.lib.8. disp.2.n.23.*

Vouens transmittere calicem aureum ad aliquem locum pium, si in via furatus sit, an liber sit à voto?

SVMMARIVM.

1 *Vouens calicem aureum, vel aliam quamcumque rem in genere, si furentur, vel quomodocumque pereant, an liberetur à voto? & n.4.*

2 *Restitutio facta Confessario, vel alteri de pecunia, vel quacumque re furata, si isti non restituant ea Domino, an debitor liberetur, vel iterum restituere teneatur?*

3 *Debitor alicuius rei in genere, si quomodocumque pereat, non liberatur à debito, secus si debebat aliquid particulare, seu indiuiduale, quod Legistæ vocant speciē.*

Resolutio CLXXXXVIII.

P Dia.*par.10.tract.16.resol.96. ex solo P.Tancredi Soc.Iesu deRelig.tr.4.lib.2. disp.13.q.4.n.32.* affirmatiuam tuetur per aliquas pias, vt ita dicam, meditationes, quæ Iure non probantur,dicit enim quod si quis per aliquem famulum fidelē mittat eleemosynam tradendam pauperi à Pontifice præceptam, pro consequenda indulgentia iubilæi, & famulus illam non det, quod nihilominus lucratur indulgētiam, & consequenter addit excusari à noua restitutione illum, qui eam fecit per medium Confessarij, vel alterius fidelis viri, si isti postea pecuniam restitutam, Domino, vel creditori non tradiderint, quod confirmare conatur per alia similia exempla pro hac opinione ibidem allata. 1

2 Sed hoc verum puto vsque adhuc restituens sit in bona fide, pecuniam restitutam fuisse, sicuti probabiliter credendum est, quod si postea pro certo sciatur restitutionem secutam non fuisse, ego non inuenio medium, quo probari possit, obligationem restituendi fuisse solutam; quare enim Dominus, vel creditor, quibus fuerunt furatæ res, eas amittent, si Confessarius, vel alius vir eas illis non restituent? etenim generale est posito adesse obligationem,non tolli, nisi solutione,vel delegatione,aut cōsensu creditoris,acceptilatione,vel nouatione *instit.de obligat.in princ. & quibus mod. toll.oblig. per totum,* & consequenter donec pecunia peruenerit in posse creditoris, vel aliquo ex modis prædictis fuerit sublata obligatio, semper firma manet.

3 Hinc sequitur,quod debitor generis,sic in iure ciuili dicti, quod logici vocant, speciem, vt est calix aureus, vel qualibet alia res in genere promissa, si furētur, uel alio quocūq; casu fortuito pereant,nō liberatur,esto millies omnem exquisitam diligētiam adhibuerit *l.incendium C.si cert. pet. §.item is cui instit.quib.mod. re contrab. oblig.*

4 *oblig.* ratio est, quia genus perire non potest *l. in ratione 30. §. diligenter ad l. Falcid.* vbi etiam legitur debitorem speciei, quã logici vocant indiuiduum, liberari illa specie, seu indiuiduo furatis, vel peremptis, citra tamen culpam debitoris. Sic in proposito, si votum fuit de calice aureo, vel pecunia, aut alia quacumque re in genere, & per viam furētur, vel quomodocumque pereant, non eximitur vouens à voto, si verò votum fuit de tali re, puta de veste, quam domi habebat, aut de tali calice, aut pecunia, quem & quam in tali arca, aut de vino, quod in talibus dolijs erat iuxta exempla *I.C. in d. §. diligenter*, illis furatis, seu quomodocumque peremptis citra culpam vouentis, liber est ab obligatione, & a voto, & ita ex alijs medijs docent *Sylu. v. Religio 2. sub n. 16. Azor. lib. 11. cap. 20. q. 2. Sanch. in summa lib. 4. cap. 11. n. 34. ex eod. Sylu. Palud. & alijs*, ad contraria non respondetur, quia, vt dixi sunt gratis allata, & iure non probantur.

Votum de nõ ambiendo, siue non acceptando dignitates, seu Prælaturas à quibusdam Regularibus fieri solitum in actu professionis num valeat, eoque subsistēte, an prēter Pontificem, possit alter superior illud saltem commutare?

SVMMARIVM.

1 *Votum de non ambiendo dignitates etiam necessitate vrgente, vel etiam si Papa contrarium iusserit, non tenet, secus de eas non procurando ex parte sua, vel non acceptando secundum vnam opinionem n. 2. quæ negatur n. 4. 5. & 7. vsq; ad finem. Sed an extinguatur per transitum ad laxiorem Religionem? n. 13.*

3 *Episcopatus multi sancti Patres recusarũt exemplo Christi Domini nostri, sed est opus bonum, & ex maioribus n. 6. & num liceat illos procurare? n. 15.*

9 *Votum de non ascendendo ad sacerdotium non valet, sicut de non intrando Religionem, & n. 10. & 12.*

14 *Episcopus non potest transire ad Religionẽ, licet arctissimam absque expressa Papæ licentia, sicut potest Regularis petita, & non obtenta venia à superiore.*

14 *Confirmatio non firmat actum præcedentẽ, si est nullus; sed solum conseruat illum, si valet.*

16 *Dispensatio voti de non ambiendo præcisa Bulla vlt. Vrb. de qua infra non est reseruata Pontifici, & potest concedi etiam extra confessionem, sicuti de omnibus alijs præter quinque vt n. 17. & 18.*

19 *Votum de non ambiendo, licet fiat cum alijs tribus essentialibus professionis, non tamẽ est solemne, sed simplex.*

21 *Vota annullare, seu irritare, vel dispensare longè distant à commutatione, & nu. 23. & 24.*

22 *Lex quando vnum disponit, & alterum præsupponit, non habet locum dispositũ, nisi verificetur præsuppositum.*

25 *Permutationis contractus (qui olim non dabatur) requirit æqualitatem valoris rei permutatæ ex vtraque parte, aliàs peccatum committitur, idem est in venditione.*

29 *Votum si est commutandum, debet fieri in æquale, aliàs similiter mortale contrahitur, si materia est grauis. De non ambiendo potest commutari ab eodẽ vouente, si tamen fiat in melius, vel saltem in æquale. estque talis commutatio permissa de iure diuino naturali, & respondetur contrarijs sub n. 28.*

28 *Subrogatum sapit naturam eius, in cuius locum facta est subrogatio.*

29 *Verba enunciatiua non alterant principalem dispositionem, nec aliquid noui addunt.*

30 *Regula iuris est, vbi voluit dixit, vbi noluit non dixit.*

31 *Statuto extante, vt nullus iudex possit reos damnare ad mortem naturalem, non prohibetur damnare ad mortem ciuilem.*

32 *Vota Religionis, & castitatis quare non possunt commutari? Vti originaliter gratuita sunt benignè interpetranda, nec potest fieri extensio de casu ad casum, etiam ex identitate rationis, num. 33. & 34.*

35 *Verba quomodolibet generalia apposita in fine dispositionis, vel contractus, nihil operantur, quia censentur apposita de stylo scribentium.*

36 *Votum de vita quadragesimali perpetua, emissum in Religione minimorum, an sit dispensabile, vel commutabile ab eorum superioribus, & quid post translationem ad Episcopatum? n. 37. & seqq. tenentur*

tur tamen gestare habitum Religionis, sicut cateri Episcopi Regulares n.38.

40 *Episcopus an possit ad libitum disponere de redditibus Episcopatus, vel peccet mortaliter, & teneatur ad restitutionem in disponendo? n.41. & quid de Regularibus ad Episcopatum translatis? n. 42.*

Resolutio CLXXXXIX.

1 CIrca primum conueniunt omnes cum D. *Thom.2.2. q.185.ar.2, & Gl.in c.1.*
v.sacrosanctis dist.85. votum istud non valere, si vouens intendat se adstringere etiã
necessitate vrgente, vel etiã si Papa cõtrarium iusserit, enimuerò manifestè impediret, seque opponeret maiori bono, vt
colligitur etiam *ex c.scias 7.q.1.& c.in scripturis 8.q.1.* imò dicũt esse peccaminosum
idem *Sanctus cit. q. 89. art.7.ad 2. et Suar. de Relig. tom.2. lib.2.de iuram. cap.13.n.13.*
Controuersia igitur remanet num valeat
prædictis conditionibus nõ expressis, idest
si vouens intendat se obligare, vt quantũ
est ex sui parte non desideret, seu ambiat
prælaturas, quod in dubio ita factum intelligitur arg. *c.ad nostram 21. de iure iur.*

2 Prima opinio est affirmatiua ex *Turrec. in c.1.dist.85.post Hugo.ibiq; alios Canon.* qui
laudat *Alex.de Ales. in 3.sentent. et D.Tho. d.ar.7. ad 2.* (qui tamen non dicit id, ad
quod allegatur, sed potius contrarium,
vt infra patebit) illam tamen tuentur *Suar. cit. sub eod.n.13.et lib.2.de voto, cap.11.n.10. Sanch.in summa lib.4.c.8. n.37. Molfes. in summa tom.1.tract.11.cap.15.nu.38. Laym. Castropal. alijque apud Dian. par. 6. tract.7. res.27.* qui omninò adhęrendum huic sententiæ putat, quam veram dicunt, tum
quia licitum est humilitatis caus. honores, & dignitates respuere, vt securiùs, et
3 absque periculis homo viuat Deo, tũ quia
DD. August. Gregor. alijque multi electioni de se in Episcopos factæ restiterunt
exemplo Christi, qui fugit honores *Io. 6.*
tum præterea, quia professi Societ. Iesu,
huiusmodi votum emittunt, nec à summis
PP reijcitur, imò ab eisdẽ omnes huius
Religionis regulæ sunt approbatę, & per
Bullam Vrb.8.anno 1636. incip.cum sicut accepimus. quæ in Append. Constit.eiusdem Papæ est 30.in ordine declaratum est, votum
istud non extingui per transitum ad laxiorem Religionem. sed firmum permanere, vt in priori statu, quare concludunt
votum valere, quantum est ex parte vouentis, qui non potest Episcopatum procurare, nec datum acceptare, nisi dispensatum fuerit a Pontifice.

4 Sed verior est opinio negatiua cum distinctione, vt infra sub n.15. *Angel. in summa v.iuramentum 5.n.3. Nauar.in summ.cap.12. n. 16. Barbos.ad l.alia §.eleganter n.28. ff.sol.matr. Sylu. in summa v. iuramentum 4. n.1. Azor.tom.1.lib.11 cap.5.qu.1. §.si item,*
qui omnes æquiparant illud votum iuranti, vel vouenti non intrare Religionẽ,
vel nõ ieiunare pro peccatis suis (quod nõ
valet, vt infra *n.12.* & dictum est supra *resol.191. n.19.*) alijque apud Nauar. relatũ,
qui pro hac opinione laudat *Gl.cit.dist.85. c.1. v.Sacrosanctis,* quam præfati Theologi
omiserant, sed eam magis communiter
Iureconsulti, & Canonistæ amplectuntur,
& signanter *Abb. & Felin. in c. si verò, de iure iur. Bald. in l. si ad excludendum C. si certum pet. Ias. instit.de act. §. item si quis po-*
5 *stulante n.70.* Probatur hæc opinio *ex Archid.in c.si aliquid 22. q.3. & Gerson. in reg. mor.in c. de superbia; & vana gloria alphab. 24.litt.K.* vbi votum istud appellant temerarium, inconsideratum, & contra bonum
ex consilio Euangelico, ergo non tenet,
consequentia patet, quia vt votum valeat,
nõ debet se opponere bono præcipuè maiori, vt post alios in materia de voto tractant *Nauar. Azor.cit. Valent.tom.3.disp.3 q.6.pun.2. Filliuc.tract.26.cap.2. q.7.n.58. alij-*
6 *que,* quod ex communi voti definitione
constat. Antecedens probatur, quia Episcopatus est opus bonũ, & ex maioribus, vt
ex *D.Paulo 1.ad Timoth 3.constat ibi.qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat,* &
amplè declarant Sancti Patres ibidẽ, quos
refert Barbos. initio sui tractat *de offic. & pot.Episc.* sed fortius probatur *apud Matt. c.16.vbi dixit Christus Petro tibi dabo claues. &c.& quodcumq; ligaueris &c.& apud Io.21. pasce oues meas.* Ex quibus constat eum fecisse Episcopum Ecclesiæ Catholicæ, &
postea omnes alios Apost. creasse similiter
Episcopos probant *Cyrill. in eundem Io. lib.12.c.55. Caiet.tract.de aut.Papæ & Concil. cap.3. Sotus, & alij apud Dia.p.12.tr.de consecr. Episc. res.80.* ergo est opus perfectũ,
& optimum, quia alias Christus ad tale
munus eos non elegisset, & consequenter
qui efficaciter huic repugnat, opponit se
bono prædicto, igitur subsistere non potest, quemadmodum de alijs Euangeli-

cis consilijs docet Azor. cit.

7 Quod ex eo maximè ostenditur, quia votum istud per se consideratum opponitur etiam bono communi, & spirituali populorum, seu ouium Christi, quas pascendas pastoribus commisit, officium enim Episcopi principaliter versatur in prædicando Euangelium Christi, ad mores, & animas sanctè instruendas, vt idem Barb. latissimè demonstrat *p. 1. tit. 2. Gl. 1. & seq.* quare videtur improbabile se obligare ad tale bonum commune respuendum,

8 vt in simili legitur *in l. fin. ff. ad municip.* idque est, quod Nauar vbi supra dicebat, nempè quod esset obstaculum Spiritui Sancto opponere, cuius est proprium sancta desideria instillare, quod latius declarat *D. August. Deuter. 25. ibi, qui curam subditorum alendorum renuit, opprobrium discalceati sustinebit, non enim vult suscitare semen fratris defuncti, st. Christi. Negotium sanctū suscipit necessitas charitatis*, & addit peccatum contrahi, si in contrarium obligati intenderemus, cum charitatis necessitas pro communi bono nos adstringat. Quare *Gregor. mag. in c. vnic. dist.* 85. de iuramento cuiusdam Archidiaconi non ascendendi ad Episcopatū mandat inquiri, vt Gl. ibi notat, quam inquisitionem facere non præcepisset, si tale iuramentū, seu votum licitum fuisset.

Verum P. *Dia. cit. §. restat. ex Castropal. to. 3. tr. 15. disp. 1. pun. 8. §. 5.* respondet, quod licet desiderare Episcopatum, sit opus bonum, id tamen verum esse in eo, qui irreprehensibilis supponitur, atque perfectus, & qualitates habet *ab A Apost. ad Timoth. 3. & Tit. 1.* requisitas, at nemo de se ipso id præsumere debet, meritò antequam ad Episcopatum ascendat, iudicabit se indignum, sed hæc obiectio facilè

9 resoluitur; nam in sacerdotio maxima requiritur perfectio, & puritas ferè Angelica *ex Tolet. lib. 1. cap. 2. n. 2. & alijs communiter*, & tamen quamuis, quo ad se supponat tantam perfectionem, non ideò valeret votum non ascendendi ad statum sacerdotalem *D. Thom. 2. 2. q. 89. ar. 7. ad 2. Nauar. d. n. 16. aliique etiam communiter*, vnde sicuti sacerdos reuerenter celebrando, suumque munus exequendo, acquirit quotidie sufficientem perfectionem, ita Episcopus Deo auxiliante in munere suo indiem perfici potest, siue prædicando, siue celebrando, siue iustitiam administrando.

10 Quod etiam docuit *Bart. instit. lib. 1. de iust. & iur. §. 1.* explicans iustitiæ definitionem, quod sit constans, & perpetua voluntas ius suum vnicuique tribuendi, nēpè in iustitia administranda requiri constantiam mediocrem, prout possibile est humano modo operanti, & obiter subdit quod Episcopus eligendus non debet necessariò esse adeò iustus, & perfectus sicuti fuit B. Petrus, & B. Paulus, sed prout possibile etiam sit humano modo, quare nisi aliud expressè obstet, quilibet præsumitur bonus, idoneus, & sufficiens contrario non probato *c. dudum, de præsumpt. l. meritò ff. pro socio*, præcisa tamen scientia, de qua est inquirendum iuxta *Triden. sess. 24. cap. 1. de reform.* & quamuis nonnulli mali sint, non ideo tamen regulam destruunt, cum lex versetur circa ea, quæ frequentius accidunt, *l. nam ad ea ff. de legib.* idcircò status episcopalis est opus bonū, non solùm in eo, qui omninò perfectus, & irreprehensibilis est, sed etiam in quocūque non vitioso, & mediocriter iusto, qui potest tandem ad summam perfectionem peruenire, de quo latè Barb. cit. Confirmatur, quia status prædictus æstimatur perfectior Regulari *Tolet. lib. 5. cap. 3. num. 2.* siquidem regularis potest transire ad arctiorem Religionem, etiam petita, & non obtenta venia à superiore *c. licet de Regular.* iuxta tamen dicta supra *resol. 196. n. 28.* at non potest Episcopus

11 transire ad Religionem, quamuis arctissimam absque expressa Papæ licentia *d. c. licet §. illa semper, & c. nisi cum pridem §. fin. de renunciat. imò in hoc tex. §. antepen.* statuitur facilius indulgeri, vt monachus ad Prælaturam ascendat, quam Præsul ad Monachismum descendat, ratio traditur ibidem, videlicet, *Nec putes quod ideo Martha malam partem elegerit, quia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea, quoniam licet illa sit magis fructifera, & magis suauis, hæc tamen magis vtilis, cum in fœcunditate sobolis, lippitudo Liæ, Rachelis pulchritudini sit prælata, quamuis simul in vnum, & contemplatiuus esse valeas, & actiuus, legislatoris exemplo, qui nunc ascendebat in montem, vt ibi gloriam Domini cum meliori cerneret libertate, nunc verò descendebat in Castra, vt cum vtilitate maiori necessitatibus populi prouideret.* hæc S. Pont. quod tam *D. Tho. 2. 2. q. 185. ar. 4. ad 1.* quā omnes admittunt apud *Vinal. in Candel.*

*aur.p.1.de matr.tit.de imped.vot.n.89. Dian. p.6.tract.6.resol.61.*Ex quibus sequitur dū
12 votum non profitendi Religionem, non solùm non tenet, sed peccat taliter vouēs vt docent *D.Th.cit.q.89.a.7.ad 2.Syl.Azor. Nauar.cit.alyque communiter*, neque votum non ascendendi ad Episcopatum potest subsistere, quod maius bonum appellatur *in d.c.licet circa finem,de Regular.* ad regulā *text.in auth.multo magis C.de Sacros.Eccl.*

Ad alia verò pro cōtraria opinione adducta per Sanch. Castropal. Dia. facilè ex dictis responderi potest, nam non ideo sunt grauiter damnandi taliter vouentes, qui humilitatis causa moti, putant probabiliter benè operari: vnusquisque enim suo sensu ducitur, eo magis quia SS. PP. approbarunt regulas Religionis Societ.
13 Iesu, licet autem Vrb. 8. dictam Constit. fecerit, qua declarauit permanere votum illud per missionem, aut transitum ad aliā Religionem, non ideò sequitur, quod Papa statuerit votum valere; de hoc enim nihil determinauit, sed solummodo esse firmum, vt ante expulsionem, aut transitū, de quo dubitari poterat ex suppositione, quod valuisset, præcisa bulla, ante cuius promulgationem *Sanch.in summa lib.5.c.1. sub nu.* 12. pro certo affirmauit extingui per transitum ad strictiorem, siue laxiorē Religionem, in qua tale votum non fit, quia videtur factum cum tacita conditio-
14 ne, si in illa priori permāserit. Quod patet ex ijs, quę iura, & DD. communiter de confirmatione docent, siquidem confirmatio nihil noui iuris tribuit, sed tantum vetus, si quod est conseruat *c. praeceptis dist.12.c.cum dilecta de confirm.vtil.c.ex parte, de consTit.c.quia intentionis de priuil.Gl.in c.1.de confirm.vtil.v.confirmationem.Gratia. discept.forens. cap.909. n.17.* vbi ait confirmationem imitari naturam confirmati, quare nihil de validitate talis voti statutū est, sed supposito, quod valeat, vult Papa non extingui per transitum ad laxiorem.
15 Addit *Diana in d. resol.27. §.verū, quod D. Tho.in d.q.185. a.1.* docuerit procurare Episcopatum esse illicitum, ergo (subdit ipse) non procurare ex parte sua, & oblatum respuere est licitum, & materia voti, sed Sanct. ibidem in corp. distinguendo docet, quod in Episcopatu tria considerātur, quorum vnum est principale, & finale, st. Episcopalis operatio, per quam vtilitati proximorum intenditur, secundum *Io.c. vlt.ibi pasce oues meas*, aliud altitudo gradus, quia Episcopus super alios constituitur, & tertium quod consequenter se habet ad ista st. reuerentia, & honor, & sufficientia temporalium, concludit postea in fine, videlicet, *opus quidem desiderare bonum, bonum est, primatum autem honoris concupiscere, vanitas est, &c.* Etenim si solum honor, & celsitudo ambiatur absque vllo respectu ad animarum salutem, rectāque iustitiam administrandam. ego quoq; affirmo esse illicitum, sed hoc in dubio nō præsumitur, vt supra *n.* 10. Vnde ex doctrina istius Sancti, tàm hic, quàm *in ars. 2.cor. ex Aug.ibi, si qua opera vestra mater Ecclesia desiderauit, nec elatione auida suscipiatis, nec blandiente desidia despuatis, neque otium vestrum necessitatibus Ecclesiæ praeponatis, cui parturienti, si nulli boni ministrare vellent, quomodo nasceremini non inueniretis, &c. & magis q. 89. ar. 7. ad 2.* benè percipitur, quod si Episcopatus desideretur principaliter ob proximorū bonum, quāuis accessoriè sequatur honor, & celsitudo, non solùm non est illicitum, sed inualidum esset votum, & non sine culpa recusatio.
16 Quibus sic stantibus, licet priorē quis sequi velit, vòtum st. illud valere, tunc nō erit dubitatio dispensationem talis voti (præcisa alia bulla eiusdem Pontif. Vrb. de qua infra) non esse reseruatā, sed posse ab Episcopis, vel à Regularibus erga subditos, dispensari, virtute communicationis priuilegiorum Societ. Iesu, de quibus *Sanch. in summa lib.4.cap.43. n.4. vt supra resol.197. n.1.* idque etiam extra confessionem iuxta *Dia.p.3. tract.2. resol.9. & p.4. tract.4. resol.8.* Patet ex *extrau.fin.circa finē de Pænit. & remiss.* & communi doctrina *Canon.in tit.de pænit.& remiss.apud Azor.p. 1.lib.11. cap.19.q.1.* ibi legitur, Vota re-
17 seruata Pontifici partim iure, partim vsu esse quinque, Castitatis st. Religionis, Peregrinationis vltramarinæ, ad sacra limina Apost. Petri, & Pauli in Vrbe, & Compostellam, *Tolet. lib.4. cap.18. n. 11.* Quare alia omnia nullatenus sunt reseruata, sed secundum regulam (quæ firma remanet in omnibus alijs non exceptis *l. nam quod liquidè, ff. de penu legata, & §.ex his, vbi Gl.instit. per quas pers.nobis acqui.*) dispensari possunt à prędictis Episcopis, & Regularibus, alijsque Delegatis, adeo vt quam-

quamuis quis vouendo dixerit, nolle ab alio dispensari, nisi à solo Pontifice, adhuc tamen potest à prædictis dispensari, quibus sua voluntate præiudicare non potest, vt notant idem *Azor. l. 11. cit. cap. 19. q. 15. & Dia. p. 7. tract. 9. resol 59. ex Sanch. & alijs*, sed tale votum non est ex præfatis, meritò ab alijs dispensari potest. Quo ar-
18 gumento *Azor. ibid. q. 9. post Nauar. consil. 32. ad quæst. 2. tit. de voto. & voti redempt.* aliosque docet, quod si quis votum fecit recipiendi sacros ordines; neque Pontifici est reseruatum, quia non est ex prædictis in Extrauag. contentis, vt supra *resol.* 196. *num.* 32.

19 Neque obstat, quòd votum istud factũ à Religiosis, videatur solemne, & Religionis; nam respondetur non esse tale, cũ consistat in sola promissione, quæ merum habet negatiuum, vndè potius est simplex iuxta communem doctrinã *Glosa in c. rursus, qui Cler. vel vouent. D. Thom. in 4. sent. dist. 38. q. 1. ar. 2. q. 3. & 2. 2. q. 88. art. 7. cor. & ad* 2. vbi videtur docere illud solum dici votum solemne, quod impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, (licet post D. Thom. vota priuata Religiosorum Societatis Iesu ex *bulla Greg.* 13. similiter impediant, & dirimãt) ex quibus alijsque multis DD. *Azor. p. 1. lib. 12. cap. 6. q. 2. §. mihi igitur circa finem*, ita loquitur; *Est igitur voti solemnitas, vt vno verbo concludam, aut Religionis approbata professio, aut sacri ordinis susceptio, Tolet. lib. 4. cap. 18. sub n.* 1. quod credo istos didicisse ab alia Glos. per ipsos non citã *c. quod vouentes v. quod vouentes, post medium 27. q. 1. ibi, ego dico, quod nullum votũ est solemne, nisi cum quis deuouet se Religioni alicui, vnde si quis coram tota Ecclesia voueret continentiam, si contraheret, teneret matrimonium, &c.* ergo votum relatum non poterit dici solemne, eo magis cum ab extrinseco adiungatur votis tribus, Religionem constituentibus; vnde alio iure debet regulari, quam regulantur vota Religionis, quæ sunt Papæ reseruata. Difficultas tamen maior videtur prima facie, oriri ex alia Bulla eiusdem Vrbani emanata in anno 1643. 26. Febr. quæ est tenoris sequentis.

VRBANVS PAPA VIII.

ad perpetuam rei memoriam.

20 *Honorum; dignitatumque vana ambitio adeo quorumdam Regularium mentes interdũ excæcat, vt ab eo, quod abnegantes semetipsos sponte vouerunt, postmodum inanis gloriæ cupiditate ducti resilire conentur, cum tamen dicat Propheta. Vouete, & reddite vota vestra Deo. Quamuis igitur vt accepimus, tam Fratres Discalceat. S. August. & B. Mariæ de Monte Carmelo, etiam Discalceati Ordinum, quam Clerici Regulares ministrantes infirmis respectiuè nuncupati, & nonnulli aliorum ordinum, seu Congregationum Regulares etiam Societ. Iesu, & aly Regulares etiam indiuiduam expressionem requirentes, aut in ipsa professione vna cum tribus essentialibus votis, Paupertatis s. castitatis, & obedientiæ, aut ante, vel post professionem prædictam, siue solemne, siue vt dicunt simplex votum in manibus tamen superioris Regularis emittant de non procurando, nec acceptando aliquam dignitatem, seu Prælationem, vel Prælaturã extra Religionem, nisi coacti, vel adstricti fuerint precepto eius, qui sibi iure pracipere potest, & aliqui addant etiam illa verba, videlicet sub pæna peccati, iuxta formam suarum Constitutionum à Sede Apostolica confirmatarum, nihilominus aliqui ex ipsis Regularibus etiam translati ad ordines Regularium, etiam Mendicantium, qui prædictum, aut simile votum non emittunt, retro adspicientes, emissique à se voti huiusmodi immemores, Prælationes, seu Prælaturas, vel dignitates ambiunt; imò etiam Episcopatus, maiorumque dignitatum solium cõscendere moliuntur, prætendentes quod suis superioribus Regularibus, præsertimque Generalibus liceat eis præcipere, vt dignitatem, Prælationem, seu Prælaturam, vel Episcopatũ, maioremue dignitatem, extra Religionem accepient, aut ipsum votum relaxare, & cum ipsis desuper dispensare, licet per præcepta, & dispensationes huiusmodi ipsi ab obedientia præcipienti, seu dispensanti debita eximantur, ac etiam si vota prædicta, tamquam emissa in manibus superioris Regularis dicantur solemnia, vel saltem efficaciam voti solemnis habeant, Regulariumque Constitutiones sint confirmatæ authoritate Apostolica. & cum decreto irritante, à quo propterea manus quorumcumque inferiorum ligatæ existunt. Quapropter nos, ambitum hunc retundere, & prætentionem huiusmodi excludere, ac etiam omnẽ dubitationẽ superpræmissorũ interpetratione à nonnullis excitatam Apostolicæ declarationis authoritate penitus tollere volentes, motu proprio, certaque scientia, at matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis pleni-*

nitudine. hac perpetua nostra constitutione declaramus super prædicto voto, etiam per translatos ad ordinem, seu Congregationem Regularem capacem ante translationem emisso de non procuranda, nec acceptanda extra quemlibet ex ipsis ordinibus, seu Congregationibus Regularibus, aut societate prædicta respectiuè aliqua dignitate, seu Prælatione, vel Prælatura, siue aliquo Episcopatu, aut maiori dignitate, neminem superiorem regularem, etiam Generalem, aut Capitulum, seù Congregationem generalem, nec etiam Nunciū Apostolicū, aut prædictorum ordinum, seu Congregationū protectorem, etiam S.R.E. Cardin. nec etiam Legatum Sedis Apostolicæ etiam de latere, nec quemlibet alium, etiam speciali, & indiuidua mentione dignū, sed tantummodò nos, & Romanū Pontificem pro tempore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut aduersus illud aliquam licentiam, vel indultum concedere, aùt aliquod præceptū procurandi, seù acceptandi, vel aliud simile ipsis Regularibus vouentibus facere, cuius vigore prædicti Religiosi illas, vel illos procurare, vel acceptare possint, aùt teneantur. aùt aliàs quomodolibet vouentes prædictos à prædicto voto liberare. Prout pariter declaramus quascumque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seù illa relaxandi, aùt commutandi, vel aduersus illa præcipiendi, aùt aliàs quomodolibet vouentes habilitandi, etiam in foro conscientiæ dumtaxàt, siue per dictas constitutiones à Sede Apostolica confirmatas, siue per litteras etiam in forma Breuis Romanorum PP. prædecessorū nostrorum, aùt nostras, vel successorum nostrorum, etiam motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, etiam ad supplicationes, seù contemplationes quorumcumque etiam Imperatoris, Regū, & Principum, seù Rerumpublicarum, ac prædictorum Ordinum, Congregationum, & Societatis, aut vigore cuiuscumque iubilæi, etiam vniuersalis, vel Cruciatæ sanctæ, aut sanctæ Inquisitionis, seù Missionum, aut aliàs quouis modo, & ex quacumque causa quantumlibet pia, fauorabili, publica, & priuilegiata concessa, & emanata, concedendaque, & emananda, nuncque ac pro tempore competentes ad præmissa omnia, & singula nullatenus se extendere intelligantur, sed esse nobis, & Romanis PP, successoribus nostris, dumtaxat reseruata, prout tenore præsentium decernimus, & reseruamus. Decernentes quoque easdem præsentes litteras, etiam ex eo, quod prædicti regulares, & alij quicumque in præmissis interesse habentes, seù habere prætendentes illis non consenserint, nec ad id vocati eitati, & auditi, causæq; propter quas illæ emanarūt sufficienter, aut nullatenus adducta, seù probatæ fuerint de surreptionis, obreptionis, aut alio quoquam defectu, vel ex quacumque alia causa, occasione, prætextu, colore, & cap te notari, impugnari, rescindi, in ius, vel controuersiam reuocari numquam posse, sed easdem præsentes literas semper, & perpetuo validas, firmas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, & inuiolabiliter obseruari, sicque, & nō aliter in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Iudices ordinarios, & delegatos, & causarum Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de latere Legatos, & quosuis alios quauis authoritate fungentes, nunc, & pro tempore existentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpetrādi facultate, & authoritate, iudicari, & definiri debere, irritumque & inane, si secus super his à quocumque iudice quauis authoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, etiam Conciliaribus, & quatenùs foret opus nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de iure quæsito non tollendo, nec non quorumuis Ordinum, & Congregationum Regularium, dictæque Societatis etiam iuramento, cōfirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia, roboratis, statutis. & consuetudinibus etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Cōgregationibus, & Societati, illorumque superioribus, Fratribus, Clericis, & personis, ac generaliter quibusuis alijs etiam indiuiduam mentionem requirentibus, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, ac aliàs in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis, & pluriès innouatis. Quibus omnibus, & singulis, & etiamsi pro illorum sufficiente derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantec mentio, seu quauis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, præsentibus pro plene, & sufficienter ex-

pres-

pressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personæ alicuius in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus ipsis adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub anulo Piscatoris die 26. Februarij 1643. Pontificatus nostri vigesimo.

M. A. Maraldus.

Primo ergo mandat bullam locum sibi vendicare, non solùm si taliter vouentes existant in eisdem Religionibus, vbi vouerunt, sed etiam si fuerint translati ad alias laxiores, in quibus vota prædicta non fiunt, quod vt dixi, iam erat ordinatum per aliam Bullam supra *n.3. & 13.* relatam (de qua meminit etiam *Emin. Cardin. de Lugo in suis respons. moral. lib.3. dub.4. n. 1.* ibique satisfactum) insuper mandat neminem superiorem Regularem, etiam Generalem, aut Capitulum, seu Congregationem generalem, &c. sed tantummodò ipsum Vrban. & Romanum Pont. pro tẽpore existentem posse dispensare, taleque votum relaxare, aut aduersus illud aliquã licentiam, vel indultum concedere, aut aliqvod præceptum procurandi, seu acceptandi, vel aliud simile ipsis Regularibus vouentibus facere, cuius vigore prædicti Religiosi relatas dignitates procurare, & acceptare possint, aut teneantur, aut aliàs quomodolibet vouentes prædictos à prædicto voto liberare. Hucusque igitur loquitur de relaxando, licentiando, seu libe-
21 rando, indulgendo, vel dispensando, seu præcipiendo acceptationem, quæ omnia sibi soli Papa reseruat, sed hæc longè distant à commutatione (vt dictum est supra *resol.196. & 197.* & iterum statim dicam) de qua verbum nullum in bulla (sed antea præmitto, quod quando lex animata, vt est Pontifex, vel inanimata, vt est scripta secundum *Gl. in l. more maiorum, v. alieno de iurisd. omn. Iud. ex §. fin. auth. de consul.* vnum disponit, & alterum præsupponit,
22 non habet locum dispositum, nisi verificetur præsuppositum, *Menoch. de recup. possess. remed.9. n. 161.* vbi ait esse hoc incõfesso apud omnes *ex Glos. in l. mancipia, v. auocandum C. de seru. fugit.* alios refert *Sanch. de matrim. lib.6 disp.22 n.18.* dũ ergo supponit Põtifex votũ valere, vt in princ. Bullæ relatæ, quod supra negaui, si hæc negatio vera est, cessat dispositum de reseruatione, quia non verificatur præsuppositum de voti validitate.)

23 Priora tamen verba de relaxando, liberando, licentiando, indulgendo, &c. quia important irritationem, seu anullationẽ voti, vt ex notis, de quibus post alios *Dia. in summa v. votum n.31. & 32.* & latè supra *resol. 196.* hæc potestas pertinet ad virum erga vxorem, & è contra, ad Patrẽ erga filium, ad dominum erga seruum, ad superiorem Regularem erga suos subditos, vt ibi dixi, & patet ex *c. manifestum, & c. noluit 33. q.5. vbi Gl. cõcord. adducit, Syl. v. votum 4. n.2. & Dian. d. n.32.* sed ista magis ad Pontificem, qui est omnibus superioribus superior, *c. cuncta per mundum 9. q.3. D.Tho.2.2. q.88. art.12. ad 3.* ratio est, quia isti cum sint in potestate aliorum, iurisque alieni, nequeunt de per se vouere, cum præiudicio eorum, quibus de iure subsunt (quod fallit in ijs, quæ prædictis non præiudicant, iuxta distinctionem *D. Thom. cit. ar.8.*) sed est necessaria irritatio à superiore, etiam respectu Regularium ex eodem *Sanct ibid. ad 3. & d. ar. 12.* quã Põtifex sibi iure reseruat in hoc casu per
24 dictam bullam; dispensatio verò in ead. bulla reseruata, quasi pro eodem sumitur, eo solùm addito, quod illa fit sine causa, & ad superioris arbitrium, ista verò cum causa, sed vtraque est liberatio totalis, & gratiosa à voto, idem *Sanct. cit. ar.10. in cor. ibi, & siquidem absolutè determinetur aliquod votum non esse seruandum, dicitur esse dispensatio*, ibidemque addit Caiet. quod inter dispensationem, & commutationem voti, hoc interest, quia dispensatio aufert voti materiam, & vinculum, dum decernitur absolutè non seruandum, commutatio autem aufert à voto materiam, & non vinculum, nam remanet vinculum, seu obligatio voti super alia materia cadens, tenetur enim ex voto adimplere id, in quod commutatum est. & iterum *Sanct. in 4. dist.38. q.1. a.4. q.3.*

25 Quæ commutatio est mera iustitia; in genere enim loquendo, quamuis permittatur commutatio de rebus etiam ad Ecclesiam spectantibus, debet tamen in ea interuenire omninò æqualitas, ita quod si vna res minus alia valeat, fit refundendũ

in

in pecunia residuum valoris, *c. ad quæstiones de rer. permut.* alias peccat mortaliter, qui fraudem fecit, & tenetur ad restitutionem, *Sylu. v. permutatio* 1. *n.* 2. *ex c. culpa de iniur. & c. notum* 2. *q.* 1. imo, & quod magis est antiquitus non dabatur talis contractus, sed quando vna res pro alia tradebatur, appellabatur venditio *§. item pretium instit. de empt. & vend.* in qua certum etiam est non posse contrahentes ad inuicem se decipere, aliàs peccant contra iustitiam, & consequenter contra ius diuinum, vt docet *D. Tho.* 2. 2. *q.* 77. *ar.* 1 *in corp. ibidemque addit ad* 1. quod licet lex humana hoc non prohibeat ex causis ibi recensitis, nisi excessus sit vltra dimidiam iusti pretij quantitatem *ex l.* 2. *C. de rescind. vend.* lex tamen diuina hoc impunitum non relinquit, cum sit virtuti contrarium *Sylu. v. emptio num.* 7. *Recentiores apud Dia. in summa eodem verb. & verb. pretium in princ.*

26 Idem in specie seruatur in commutatione votorum, vt iussit Pontifex cuidam, qui votum peregrinationis vltramarinum spoponderat, nã circa expẽsas in eũdo ad locum destinatum, morando, & redeundo, mandauit eas transferri ad eundem locum sine diminutione, & circa labores itineris, alijs laboribus, vigilijs, & orationibus compẽsari *c. magna de voto.* Quod adeò verum est, vt si in commutatione non seruetur æqualitas, mortale, etiam committatur, si non sit materia leuis *Suar. de Relig. tom.* 2. *hoc tit. lib.* 6. *cap.* 19. *n.* 1. *& seq. Sanch. in summa lib.* 4. *cap.* 50. *n.* 8. *DD. apud Dia par.* 1. *tract.* 11. *resol.* 48. *&* 49. *& p.* 2. *tract.* 16. *resol.* 7. *&* 8. & dictum etiam est supra *resol.* 197. *nu.* 7. Si ergo in permutatione votorum exercetur iustitia, dum æqualitas est inuestiganda, & practicanda, nil mirum si Pontifex in bulla relata commutationem non prohibuit, nec sibi reseruauit, volens potiùs etiam ab inferioribus, commutandi potestatem habentibus, hanc iustitiam administrari, iuxta eius definitionem supra relatam & & doctrinam *D. Thom.* 2. 2. *q.* 88. *ar.* 12. *ad* 3. vel quia habuit pro vero commutationem esse de iure naturali, vt statim dicam.

27 Imò iure merito dicunt *Medin. instruct. confess. lib.* 1. *cap.* 14. *§.* 17. *Suar. cit. cap.* 20. *n.* 4. *Henriq. lib.* 5. *de pænit. cap.* 20. *n.* 5. *Less. lib.* 2. *c.* 40. *dub.* 16. *n.* 105. *Eman. Sà v. votũn.* 10. *Bonac. de legib. disp.* 4. *qu.* 2. *pun.* 7. *§.* 3. *nu.* 8. *Dia. par.* 2. *tract.* 16. *res.* 7. *& aly supra resol.* 197. *n.* 2. posse commutationẽ fieri ab eodẽ vouente in melius, vel etiã in æquale iuxta *Dia. p.* 3. *tract.* 5. *resol.* 25. *in princ. & §.* 2. etenim non refert, si debitum soluatur spontè, vel Iudicis authoritate de moneta aurea, vel argentea, dummodò sit eiusdẽ valoris, *l.* 1. *§. cui certu, & l. cũ certu ff. de auro, & argẽto legat. & l. si quis argentũ, C. de donat. ibiq; Gl. v. æstimatione Abb. in c. quanto in fine de iure iur.* subrogatum quidem sapit naturam eius, in cuius locum facta est subrogatio, *l. filiæ* 28. *§.* 1 *de cond. & demõst. l.* 1. *§. ante aditam circa finem, & ibi Gl. in margine ff. si quis testam. liber esse. §. fuerat, instit. de act. Gl. in l. si eum §. qui iniuriarum, v. danda, in fin ibique Bart. ff. si quis cautionib.* non nego tamen contrariam opinionem, quod commutatio in æquale nequeat fieri ab eodem vouente, sed à superiore, & cum causa esse securiorem, vt dixi *d. resol.* 197. *n.* 2. *&* 9. *in fine.* qui autem votum commutat in melius, illud non infringit dicit *Gregor.* 3. *in c. peruenit* 3. *in ordine de iure iur.* esseque commutationem de iure diuino naturali permissam docet *Sanch. in summa lib.* 6. *c.* 7. *n.* 3. *ex Caiet.* 2. 2. *q.* 88. *ar.* 12. paulo post *initium vers. ad huius euidentiam.* quod si verum esset, videretur dicendum, neque Pontificem posse eam prohibere, quia vt docet *D. Thom. in* 4. *dist.* 33. *q.* 1. *ar.* 2. *arg.* 1. *ex Arist. in* 5. *ethic.* tale ius est inalterabile, & propterea non solùm non potest tolli, sed neque super eo dispensari ab homine, vt loquitur idem *Sanct.* 2. 2. *q.* 88. *ar.* 10. *ad* 2. *Summa Dia. v. Papa n.* 5. & dictum est supra *resol.* 121. *n.* 1. *vbi alij DD.* quia tamen etiam commutationem in alijs votis Sixt. 4. prohibuit, vt infra *n.* 30 propterea sanctissimæ eius dispositioni prædictæ, & omnibus alijs humiliter caput, & genua flecto, plenoque ore fateor, dum hoc egit, potuisse iure facere, sed solum dico hoc in casu relato nõ egisse.

28 Quod si obijcias includi etiam prohibitionem commutationis in bulla ex finalibus verbis relatis, ibi *aut alias quomodolibet vouentes liberare*, eo quod etiam per commutationem liberantur à voto prædicto (quod Pontifex prohibet,) quamuis alteri rei adstringatur, in quam fuit commutatio peracta, respondeo, quod si soluo in moneta argentea centum debita, & promissa

missa Titio in moneta aurea, similiter liberor a priori promissione, vt modo probaui, & tamen solutio non fit in specie promissa, sed diuersa, quamuis per æquipollens; solutione n. eius, quod debetur, omnis tollitur obligatio *instit. quib. mod. toll. oblig. in princ.* nec potest impediri effectus liberationis, tamquam à iure naturali oriens *Gl. in c. 1. de regul. iur. ex l. nihil tam naturale ff. eod.* quia esset obligare debitorem ad iterum soluendum debitum solutum, quod fieri per humanam legem nequit, sicuti per simile nequit à Pontifice mandari, vt peccata semel ritè confessa, & absoluta, iterum clauibus subijciantur *D. Thom quodlib. 1. ar. 12.* vt dictum est supra *resol.* 145. *in fine*. & consequenter soluente vouente votum commutatum, nequit impediri liberatio ex solutione orta, propterea illa verba sunt necessario intelligēda de liberatione per irritationem, aut dispensationem, quæ sunt gratuitæ; alias oporteret dicere, quod etiam facta solutione per vouentem in propria specie, nequidem liberaretur, dum idem est ita soluere, ac per æquipollens, vt supra, quod esset absurdissimum, vti (ex dictis) Iuri naturali repugnans. Imò & quod magis est, si quis pro mutuo accepto in pecunia, promittat restituere etiam pecuniam, potest si non habet pecuniam, soluere in stabilibus æstimandis, quamuis species sit diuersa, & liberatur à promissione, *auth. hoc nisi C. de solut. §. quod autem, auth. de fide iuss. & mandat.* quod hic dicit Imperator mandasse non ex sola clementia, sed etiam ex iustitia, cuius rationes ibi videas, & ita fuisse fauore hæredum debitoris decisum iunctis aulis in S.C. Neap. præuio stabiliū appretio refert *Consil. Gizzar. dec. 7.* & tamen origo debiti pendet ex causa onerosa, & adest pactum in specie de restituenda pecunia, cum istud votum pendeat ex causa omnino gratuita, nec vllum adeo speciale pactum in eo effingi possit; quod si inter homines reperitur statuta ista clementia, seu iustitia, multò magis supponenda est in Deo, vti omnium incomparabiliter clementissimo *extrauag. vnica de iudæis Gl. in l. celsus ff. de arbitr.* Et si iterū opponas hoc permitti ex impotentia debitoris, secus fit in vouente, qui potest si vult soluere in propria specie rē promissam, respōdeo posse vendi bona debitoris plus offerēti, & solui pecuniā creditori (sicuti ante constitutionē Imperat. fiebat, & etiam hodie aliquando ex causis fit *ad l. creditoris arbitrio ff. de distract. pignor.*) & tamen releuatur ab hoc onere, vt in iuribus cit. Item multa posse in vouente concurrere, ex quibus non possit, veluti senectutem, vel infirmitatem habitualem, aut alia, ex quibus impotens, seu inhabilis reddatur ad ferenda Religionis onera, vel saltem non commodè, quare dici solet non posse eum, qui commodè non potest *c. faciat ibiquè Gl. v. quod potest 22. q. 2. l. vulgo concepti ff. de statu homin. l. Nepos Proculo ff. de verb. signific.* & tandem ad exuberantiam dicitur, quod pro eodem aliquādo sumūtur casus impotentiæ, & nolētiæ *l. 1. vbi cōmuniter DD. ff. de vulg. subst.*

Addit Pontifex Vrb. in relata bulla illa alia verba videlicet *prout pariter declaramus quascumque facultates generales dispensandi super quibuscumque votis, seu illa relaxandi, aut commutandi, vel aduersus illa præcipiēdi, aut aliàs quomodolibet vouentes habilitandi & cæt.* & inferius, *aut vigore cuiuscumque iubilæi, etiam vniuersalis, vel Cruciatæ sanctæ, & cæt. ad præmissa omnia, & singula nullatenus se extendere intelligantur, sed esse nobis, & successoribus nostris dumtaxat reseruata, &c.* aduertendum nunc est illa priora verba, *st. facultates generales dispen-*
29 *sandi, relaxandi, aut commutandi, & cæt.* esse narratiua, seu enunciatiua sequentium, quæ nullatenùs alterant principalem dispositionem, nec aliquid noui addunt *Extrau. quia quorumdam §. hæc est de verb. signific. l. rationes, C. de probat. cum alijs per Gl. in d. Extrau. v. in ipsa regula*, & latius infra *resol.* 204. *n.* 6. quod patet quia in sequentibus, vbi disponit, ibi, *ad præmissa nullatenus, se extendere, & cæt.* declarat, vbi cadat dispositio, nempe ad *præmissa*, st. ordinata de relaxatione, seu liberatione, vel dispensatione, aut præcepto. Nec in tota Bulla legitur verbum vllum de prohibitione commutationis, vbi posset referri istud adiectiuum (ad *præmissa*) quod vtique si Papa voluisset, expressisset, sicut expressit, prohibitionem irritationis, dispensationis, liberationis, & præcepti, vnde succedit regula legis dictantis, *vbi voluit dixit, vbi noluit non dixit, l. item apud labeonem §. ait Prætor, de iniur. Gl. in c. nullus, v. dumtaxat de temp. ordin. in 6. Sanch. de ma-*

matrim. lib. 2. disp. 11. n. 23.

30 Hinc est quod *in Extrau. fin. de pænit. & remiss.* quia voluit illa quinque vota, neq; posse commutari, declarauit, & prohibuit expressè etiam commutationem, hoc tribus vicibus repetendo, vt ibi legitur.

31 Quod clarius paret, si fingamus extare statutum, vt nullus iudex cuiuscumque authoritatis, quamuis merum, & mixtū imperium habeat, & magis quam explicari, vel excogitari valeat, ex quibus damnare possit reos ad mortem ciuilem, & naturalem *ex l. imperium de iurisd. omn. iud.* prohibeat tamen eos damnare ad mortem naturalem, & quod nulla ex causa, seu colore possit sua iurisdictio ad præmissa se extendere; (licet absque fictione dicere quodammodo possimus extare tale statutum, quia in antiqua lege Sacerdotes, & Prophetæ illius temporis habebant potestatem gladij, sicuti habent hodie Præsides Prouinciæ, & alij similes ex *l. illicitas, §. qui vniuersas de offic. Præs.* & *d. l. imperium.* Samuel n. Agag Regem Amalec in frusta diuidēdo concidit *1. Reg. 15.* Phinees Iudæum coeuntem cum Madianita interfecit, & reputatum est ei ad iustitiā *Num. 25.* vbi etiam legitur mandasse Moysen Iudicibus Israel, vt occiderent multos Idolatras, aliaque similia exempla refert *Grat. in c. nos si 41. in ord. §. item cum Balaā, 2. q. 7. Gl. in c. his à quibus v. non licet 23. q.* 8. vbi ait olim licuisse, quod hodie est omnino prohibitum ex *c. clericis, et c. sententiā ne cler. vel monach. c. fin. eod. tit. in 6. c. ex litteris de excess. Prælat. & d. c. his à quibus D. Thom. 2. 2. q. 99. ar. 4. cor. in fine, ibi secundū Ecclesiæ statuta, quæ mortem corporalem non infligit. Innoc. in c. qualiter, & quando n. 6. de accusat.*) quæro nunc ego an possit iste index damnare reos ad mortem ciuilem, siue deportationis, siue triremium, relegationis, vel exilij? affirmatiuè puto, dubio procul ab omnibus respondendum, prout de facto videmus seruari ab Episcopis, alijsque iudicibus ecclesiasticis, vt probat *Abb. in c. cum non ab homine 2. col. vers. & nota bene, & vers. idem si non potest de iudic. arg. tex. in c. 1. de homic. in 6.* etenim quamuis in enunciatiua narretur potestas iudicis omnia complectens, in dispositiua tamen, quæ attenditur, vnum solum prohibetur, vnde exclusio illius, est aliorum inclusio, *c. nonne, de præsumpt. & l. cū Prætor. ff. de iudic.* sic in proposito enunciat hic Pontifex omnes superiores quamcumque potestatem habentes irritandi vota, seu dispensandi, liberandi, præcipiendi, aut commutandi, &c. & postea disponendo concludit, vt nullo modo potestas eorum extendatur ad prædicta; quæ st. prohibuerat prius de irritatione, liberatione, dispēsatione, & præcepto, vbi neque nominauerat commutationem, quæ propterea vetita non fuit. relatum enim est in referente, non extra *l. asse toto ff. de hæred. instit. auth. si quis in aliquo C. de edendo.*

32 Ergo dicet quis, poterunt etiam vota Religionis, & Castitatis, cōmutari; respondeo, quod si hoc non esset prohibitū ex d. Extrau. fin. & *c. cū ad monasteriū de stat. mon.* possent, si reperiretur in mundo, res melior, vel æqualis continentiæ, Religionis vero inclusæ, dum vt supra probatū est, in commutatione, æqualitas est seruanda; sed quia hæc non datur iuxta *D. Thom. in 4. dist. 38. q. 1. ar. 4. q. 1. arg. 3. ibi, quia non est digna ponderatio continentis animæ ex lib. Ecclesiast. c. 26. & Gl. in cap. 1. v. recompensatio hoc tit. argum. c. non solùm, 32. quæst. 8. et in dict. c. cum ad monasterium in fine, ex c. nuptiæ 32. q. 1.* vbi dicitur, quod nuptiæ terram replēt, Virginitas Paradysum, merito nō potest fieri commutatio, nisi à Pōtifice, vt ibi, qui est supra ius positiuum; *c. significasti, circa fin. de elect. vbi Gl. v. excipiatur concor. adducit l. Princeps, de ll. & l. Imperatores ff. ad municip.*

33 Adde, quod cum vota sint originaliter gratuita, non sunt cum tanto rigore, sed benignè interpetranda, & exigenda, vt loquitur *Innoc. 3. in c. ex parte, de censibus,* & cū agatur de materia odiosa, quia restringunt libertatem, sunt benignè intelligenda; etenim si quis fecit votum de donandis tritico, vel vino, aut nummis alicui Sancto, intelligitur in dubio de mensura minori, & nūmis exiguioribus *d. c. ex parte, c. in obscuris de regul. iur. l. semper in obscuris, & l. semper in stipulationib. ff. eodem, l. nūmis ff. legat. 3. Greg. de Val. tom. 3. disp. 6. q. 6. pun. 4. §. vnde benè. Sanch. in summa tom. 1. lib. 4. cap. 13. n. 8. P. Dia. p. 4. tr. 3. resol. 48.* imò reseruatio ipsa, est odiosa, & restringenda, quia iuri Episcoporum derogat secundum *Sanch. de matrim. lib. 8. n. 5.* vbi testatur esse communē omnium sententiā. Nec Bulla potest extendi de casu ad casum, etiam si militaret eadem ratio (quamuis sit diuersissima, vt supra *n. 21.*

pro-

probaui) *c. odia de regul. iur. in 6. vbi Gl. v. item potest* hoc exemplificat in præscriptione, & alijs similiter odiosis, in quibus extensionem etiam ex identitate rationis dicit cessare, facit *c. in panis 49. eod. tit.* imò
34 lex quantumuis generalis, si talem dicamus Bullam præfatam, non extenditur ad casus per aliam legem specialiter prouisos, *l. Decurionib. ubi Gl. C. de silent. lib. 12. Bart. in l. non dubium, C. de legib. Praes. de Franch. decis. 11. n. 17. sed in cit. Extrauag. fin.* solùm quinque vota supra relata commutari prohibentur; ergo in alijs remanet firma regula permissiua, nisi per aliam legem, aliud expresse decidatur, quia legum correctio est vitanda, nisi expressè corrigantur *l. præcipimus C. de appell.* imò lex noua corrigens legem veterem, est interpretanda, vt corrigat quantũ minus possit *Præs. de Franch. dec. 666. n. 4. ex l. sancimus, C. de testamen.* quod adeo verum est, vt gratia vitandæ iuris correctionis, à propria verborum significatione recedendum sit *Felin. in c. non potest n. 7. de sent. et re iud. Alex. in cons. 85. nu. 12. lib. 4. Guttier. lib. 3. pract. q. 15. n. 34. Sanch. lib. 1. de matrim. disp. 17. n. 6.* Sequitur postea Pontifex ordinando bullã prædictam numquam impugnari posse, licet Regulares, aut alij interesse habentes auditi, vel citati non fuerint (quod non pertinet ad materiam de qua loquimur,) & claudit cum verbis ge-
35 neralibus, quæ nec commutationem tangunt, & apponi solent, & censentur ex stylo, non de voluntate iuris dicentis, vel contrahentium, & propterea nihil operantur, *Tiraquel. in l. si unquam, in pr. fat. n. 126. C. de reuoc. donat. Guttier. in auth. sacram. puberum n. 101. C. si aduers. uendit. Sanch. cit. lib. 6. disp. 27. n. 6. ex Barb. et alys.*
36 Posset tandem opponi, quod Regulares minimi emittunt etiam in professione 4. votũ de vita quadragesimali perpetua, & tamen nõ auditur dispensari, vel commutari à suis Prælatis, imo dicit *Peyr. de priuil. minim. tom. 3. cap. 14. n. 3.* vbi refert alios huius negatiuæ opinionis tres Pontifices, nẽpè *Paul. V. Gregor. XV. & Vrban. VIII.* noluisse cum eis dispensare, etiam post assumptionem ad Episcopatum: ergo idẽ dicendum est de voto non ambiendi. Respondeo illud esse quasi constitutiuum ipsius Religionis, dum per illud diuersificatur ab alijs, item fuisse eam Religionẽ à suo fundatore, cum hac lege ab initio institutam, secus est de regularibus vouẽtibus non ambire; etenim ab extrinseco hoc votum alijs tribus essentialibus adiungitur vt supra *num. 19.* & non solum non fuit ab initio ordinatum, vel exercitum, sed nec hodie in Hispania (vnde venit ad Italiam Religio Carmelitarum discalceatorum, qui hoc votum, sicuti quidam alij Regulares aliarũ Religionum profitentur) tale votum emittitur, vt audiui, imo neq; prædictum Minimorum est omnino essentiale, licet ex causis relatis habeat maiorem vim, quam illud non ambiendi, &
37 cætera si quæ sunt, præter tria principalia, & essentialia, quia ista non cessant, etiã post assumptionẽ ad Episcopatum, *D. Bonau. in 4 dist. 38 a. 2. q. vlt ad vlt. D. Th. ibid. q. 1. a. 4. q. 1. ad 5. & 2. 2. q. 88. a. 11. ad 4. & q. 185. a. 8. cor. & ad 3. & 4. Gl. in c. Querũdã, v. mendicantiũ de elect. in 6. c. quia tua, v. sensum 12. q. 1. c. de monach. v. discedere 16. q. 1. & in c. vnico v. legitimus 18. q. 1. Bald. in auth. licet n. 3. C. de epis. & cler. Angel. v. monachus n. 7. Sylu. v. Religio 6. q 10. Couar. in c. 1 n. 18. de testã. Henriq. lib. 10. de sacr. ord c. 32. n. 5. & c. 33. in fin. Em. Sà in sum. v. Episcopus n. 11. Vasq. 1. 2. q. 96. ar. 4. disp. 165. c. 8. n. 93 Reg. tad. in auth. ingressi, v. sua c. 6. n. 85 C. de Sacros. Eccl. P. Dia. par. 3. trac. 2. res. 61.* cui sententię dicit adhærere, quamuis contrariam ibidem *resol. 50.* præcipuè de voto paupertatis dixerit esse probabilem, quã postea ex multis defendit *par. 5 tr. 2. resol. 64. & tract. 7. resol. 31. §. his tamen,* vbi dicit peccare mortaliter, sicuti Episcopos sæculares expendentes redditus ecclesiasticos in vsus profanos, sed non teneri ad restitutionem, sicuti nec illos, in quos translati sunt (de quo dicam latius inferius.) Et licet obedientiæ votum dici posset extinctum, ex quo Episcopatum adepti non habeant cui obedire, respondent tamen Authores citati debere obedire Pontifici, non solum ex generali obedientia, illi ab omnibus fidelibus debita, sed peculiari, ratione voti, sicuti à simili Generalis Religionis non tenetur obedire alijs superioribus eiusdem, cum ipse sit supra omnes in sua Religione, sed non propterea eximitur à voto obedientiæ, quam debet eidem Pontifici, *Suar. de Relig. to. 2. tract. de voto lib. 6. cap. 7. n. 10. Henriq. cit. alijque apud Sanch. in sum. lib. 6. cap. 6. n. 2. & 3.* & insuper quia tenentur gestare habitum suæ
38 Religionis, *c. penul. de vita, & honest. cler.* ibi,

ibi, *niſi monachi fuerint, quos oportet ferre habitum monachalem, &c. D.Thom.2.2. qu. 185.ar.3.cor.Gl.in c. de monachis v.diſcedere 16.q.1.Abulenſ.ſuper cap.30.Num.q.109 Azor.lib.12.inſt.mor.cap.7.q.4.Sanch.d.c.6. nu.2. & 22.* quamuis in Rituali Romano reformato per *Clem.*VIII. permiſſum eis ſit, vt retẽto colore habitus ſuæ Religionis poſſint ſe conformare cum Epiſcopis ſæcularibus in forma, ſeu figura illius, ſicuti ſeruatur.

39 At contra eſt de voto vitæ quadrageſimalis perpetuæ, quod in Religione diſpẽſatur ad tempus cum cauſa, vt ſtatim dicam, & poſt translationem ad Epiſcopatum ſoluitur idem *Sanch. nu.15. & 34. Io. Henriq.in compend.caſ.mor.cap.6.n.17.Sotus de iuſt.& iure lib.10.q.5.art.7.circa mediũ*, vbi docet non teneri debito legali, itaut poſſint adſtringi per vim coactiuam ad obſeruantiam, ſicuti poterant in Religione, ſed tantum debito morali, ſeu vi directiua, ex morum ſt.honeſtate, ad ſimilitudinem Principis, qui nec tenetur vi coactiua, ſed ſolum directiua ad ſuarum legũ obſeruantiam, *Dia.p.5.tract.2. reſol.65. & tr.13.reſol.39.* vbi dicit adducta per Peyr. non conſtare authenticè, vel adhæſiſſe Pontifices opinioni contrariæ, quam non negatur eſſe probabilem. Nec eſt verum ſuperiores regulares nũquam diſpenſare etiam in exiſtentibus in Religione, nam vltrà febricitantes, erga quos indiſtinctè diſpenſant, durante quoque conualeſcentia, illud etiam relaxant in podagra, vel chiragra, aut nimia tuſſi laborantibus, ſiue propter nimiam debilitatem, & etiam in medicamenta præciſis malis prædictis ad meliorandũ ſumentibus; quæ diſpenſatio nullo in caſu poteſt fieri à ſuperioribus regularibus in aliquo ex votis eſſentialibus, *c.cum ad monaſterium de ſtatu monach.* quod negat nullus: ergo cum ſit diuerſa ratio inter vota prædicta, diuerſa etiam eſt iuris diſpoſitio, *arg.l.Papinianus exuli, ff.de minor.* Commutationem tamen voti præfati erga exiſtentes in Religione fieri poſſe negò ſine cauſa, non ſolum ad vitãdam ſingularitatem, ex qua tota obſeruantia regularis paulatim rueret, ſed multo magis quia cum debeat fieri in rem æqualem, vt ſupra *num.25.* impoſſibile eſt reperire talem æqualitatem in prædictis regularibus, alijs tribus votis eſſentialibus perſtrictis; etenim ſi commutatio fieret in orationes vocales, dum aliud illis non reſtat, quatenus iſtæ poſſent coæquari cũ vita quadrageſimali perpetua (quod non credo) nec poſsent ſatisfacere, quia tenentur ad officium diuinum, miſsam, orationes, & alia opera ſecundum Religionis inſtitutum, pro quibus exoluendis, nec tempus, nec locus ſupereſt ad alia peragenda, ſecus eſt de voto non ambiendi, quod vel non valet, vti de non meliori bono, vt ſupra *n.4. & 7.* vel facilis eſt commutatio, quia aut eſt facienda in exiſtentibus in Religione, & cum aliquo ieiunio, vel ſimili redimitur ad exuberantiam, aut poſt exitum ab ea, & multo magis, ſiue per ieiunium, ſiue per eleemoſynas, vel huiuſmodi, & proinde oppoſitio præfata non obſtat.

40 Dum autem dixi regulares ad Epiſcopatum euectos à votis eſſentialibus, non exui eo modo, quo ſupra, & infra, non incongruè dubitari poteſt quid dicendum de Epiſcopis ſæcularibus, an ſt.iſti ad libitum poſſint ad vſus profanos expendere redditus Epiſcopales? qua de re ſi loquimur de bonis patrimonialibus, vndecumque licitè quæſitis, quia de iſtis habent verum, abſolutumque dominium, ambigi nequit poſse illa ſibi retinere, vel alijs ad libitum elargiri; poſsent tamen in eorum diſpenſatione peccare, ſicut cæteri laici, vel propter inordinationem affectus, ſi ſibi plus conferant, quã oportet, vel ſi alijs non ſubueniant iuxtà debitum charitatis, non tamen tenentur ad reſtitutionem, ita *D.Thom.2.2. q.185.ar.7.cor.* & in hoc nullus contradicit. De bonis verò Eccleſiaſticis iubet Pontifex in *c. de redditibus 12. q.2.* quatuor partes eſse faciendas, duas eccleſiaſticis fabricis, & pauperibus erogandas, tertiã clericis pro ſingulorum meritis, quartam Epiſcopo, quem tex.comprobat *D.Tho.cit.ex Auguſt. to.2.epiſt.50.ad Bonifat.inter mediũ, & finẽ* dicens, Epiſcopos præter illam partem non eſse talium bonorum proprietarios, ſed diſpenſatores, ſeu procuratores, in quibus requiritur bona fides, iuxta documentum *Apoſt.1.ad Corinth.4.hic iam quæritur inter diſpenſatores, vt fidelis quis inueniatur.* Si ergo dẽpta quarta parte ſibi deſtinata Epiſcopus in profanos vſus fructus prædictos expendat, ſubdit D.Thom. ibidem, videlicet, *Siquidem in modo non ſi*[illegible] *ciat, vel ſuperabundet, poteſt hoc* [illegible] *ne*

bonæ fidei detrimento, quia non potest homo in talibus punctualiter accipere illud, quod fieri oportet, si verò sit multus excessus, non potest latere, unde videtur bonæ fidei repugnare, & ideo non est absque peccato mortali, &c.

41 Quod autem teneantur ad restitutionē Episcopi, qui vltra prædicta aliquid expenderint, & consequenter etiam illi, in quos id transtulerint, probat idē Sanct. ex *Gl. ordin. sup. cap. 3. Isa.* quia bona Ecclesiastica sunt pauperum, sed quicumq; id, quod est alterius sibi reseruat, vel alijs dat, peccat mortaliter, & tenetur ad restitutionem, vt probatur etiam in *c. quia Christi 12. q. 2.* vbi legitur furtū facere, qui res Ecclesiæ aufert, vel fraudat, & quotidie cernimus Episcopos non testari in morte de istis redditibus, qui si essent proprij, prohiberi non possent, dū testari omnibus de rebus suis licet, *l. 1. ff. de testam.* ergo si bona ecclesiastica consanguineis, vel amicis largiuntur, peccant mortaliter, & tenentur ad restitutionem; concedit tamen Sāctus ibidem *ad 2.* quod possit Episcopus partem sibi, vel Clericis deputatam, detractis suis necessitatibus, consanguineis, vel alijs moderatè tribuere, idest vt non indigeant, non autem vt ditiores inde fiant, quod vlterius probatur ex *Ambr. to. 1. lib. 1. de offic. c. 3.* & legitur in *c. est probanda dist. 86.* videlicet, *est probanda liberalitas, vt proximos seminis tui ne despicias, si egere cognoscas, non tamen vt illos ditiores fieri velis ex eo, quod tu potes conferre inopibus*; sed *P. Dia. p. 3. tract. 2. resol. 50. par. 5. tract. 2. resol. 64. & tract. 8. resol. 31.* vult Episcopum tam sæcularem, quā regularem fieri verum Dominum omniū redditũum Episcopatus, peccare tamen mortaliter expendendo in vsus profanos id quod superest, detractis expensis pro eius necessaria substentatione, iuxta suam dignitatem, sed non teneri ad restitutionem, citat multos DD. qui vt vidi loquuntur de parte sibi concessa per Pontificem, vt supra, non autem de omnibus, imo ipse idem *Dia. in cit. tract. 8. resol. 27. ex Hurtado, & alijs* dicit teneri in communi necessitate erogare quartam partem pauperibus, plus verò in graui, sed gratis asserit acquirere de his dominiū, quod nullo iure, vel authoritate probat, neque probare potest, imò contrarium est verum, & certum, vt supra ex D. Th. dixi, & legitur *in c. 2. de donat.* ibi, *cum quilibet Episcopus, vel Prælatus ecclesiasticarum rerum sit procurator non Dominus, idem in c. ex his cum pluribus seqq. 12. q. 1.* vbi prædicta statuuntur tàm de redditibus Episcopalibus, quā quibuscumque alijs ecclesiasticis, siue beneficijs, siue pensionibus, aut præbendis per alios ecclesiasticos expendendis, sicuti quæstionem prædictam formant, & concludunt omnes præcitati DD.

42 Quod ergo de parte prædicta tantum acquirant verum dominium, non solum Episcopi seculares, sed etiam regulares, docet *Sot. lib. 10. de iust. & iur. quæst. 5. ar. 7.* vbi ait, quod sicut obedientia monachi, dū fit Episcopus, sic mutatur, vt soli sit Papæ subditus, ita, & eius mutatur paupertas, vt portio prædicta sicut, & alijs Episcopis adiudicetur, nimirum vt, & ipse substentetur, & singulari misericordiæ precepto, quod præ alijs Episcopis Religiosos ligat, subsidio sit pauperibus, quantum verò ad alia bona à secularibus acquisita non dubitat dominium etiam acquirere ex *c. statutum 18. qu. 2.* vbi monachus, qui in monachatu hæres paternus esse nōn poterat, legitimus hæres ad Episcopatum euectus declaratur, quam sententiam circa Episcopos sæculares iuxta Diuum Thomam amplectuntur *Greg. de Valent. tom. 3. q. 3. p. 7. versic. probatur primo,* vbi dicit contrariam esse omnino duram, & in praxi difficilem *Vasq. in 1. 2. qu. 96. art. 4. disp. 165. cap. 8. n. 91. ad finem, & nu. 104. Sanch. in opusc. to. 1. lib. 2. c. 2. dub. 37. in fine,* vbi docet esse probabiliorem, rationi conformiorem, magisque in praxi receptam, & circa Regulares probabilem appellat in *summa to. 2. lib. 6. c. 6. n. 7. & 13.* sicuti etiam *Vasq. cit.* quamuis contrariam probabiliorem dicat *Sanch. ibidem n. 8.* vtrobiq; tamē alios *DD.* ad nauseam vsque refert, & licet *D. Thom. d. q. 185. ar. 8.* docuerit monachos non exui à voto paupertatis post Episcopatum, eam tamen doctrinam interpretatur *Sot. cit.* vt concedere dicatur etiā istis hanc portionem, quia dum dixerat idem Sanct. *ibid. ar. 6. ad 2. in fine* DD. Athan. Ambr. & August. qui fuerunt etiam monachi, & Episcopi dictam portionem habuisse; & quod esset absurdum dicere istos Sanctos talia præcepta trangresſos fuisse, si ad ea seruanda se crederent obligari, consequenter videtur eam neque negasse alijs monachis Episcopis; seruandamque esse paupertatem circa reliqua; diui-

diuisiones tamen partiales prædictæ sunt intelligendæ in Episcopatibus pinguibus, vt figurat casum *Dia.d.resol.* 27. secus in tenuioribus, vbi fructus vix sufficiunt ad eos sustentandos cum sua decenti familia, quia tunc ad nihilum tenentur cum prima charitas incipiat à se ipso *l. Præses C.de seruit. & aqua.Caiet.*2.2 *q.*73. *art.*2.*in fine.*

Vtrum valeant Regulares, vel moniales cum licentia superioris habere vsum annuorum reddituum, quibus ex parsimonia non consumptis, an possint in alios ab eisdem per donationē trāsferri?

SVMMARIVM.

1 *Regulares, & moniales in materia votorū præcipuè paupertatis æquiparantur, nullius rei possunt habere dominium, neque possessionem, nec potest super hoc Pontifex dispensare n.* 2. *neque vsum fructū n.* 3. *neque vsum liberum, sed reuocabilem ad superioris voluntatem n.*4.

5 *Peculium sicut potest concedi filio, vel seruo à patre, vel domino, ita à superiore regulari, suo subdito, qui non debet esse inferioris conditionis seruo.*

6 *Votum paupertatis non rumpitur per Religiosum detinentem aliquam rem ex superioris licentia, qui si non prouidet eum de necessarijs, potest illam retinere ad sui sustentationem, etiam eo inuito.& n.* 14. 15. *&* 16.

7 *Regularis, & secularis, liber, & seruus de iure naturali sunt æquales conditionis.*

8 *Professio regularis emanata cum conditione existendi in domo propria cum suis bonis an valeat? & num.* 10. *&* 11.*& quid reseruata potestate testandi? n.*12. *vbi decisio S. Congr.*

9 *Residentia in monasterio sub obedientia superioris, an sit de substantia monachatus?*

13 *Relatum est in referente cum omnibus suis qualitatibus.*

17 *Annui redditus, qui ex licentia superioris detinentur per Regulares, si non fuerint per eos consumpti, an possint donari in vita cum superioris licentia, vel etiam in morte? n.*18.*& in fine.*

19 *Abbatissa an possit concedere licentiam suis subditis donandi?*

20 *Necessitas grauis, quæ dicatur, ad hoc, vt quis teneatur sub mortali subuenire egētibus de superfluis?& n.* 21.

22 *Legem Principis non recipere, non est in potestate subditorum, nisi istis non recipientibus, ille dissimulet, & n.* 24. *&* 25.

23 *Princeps licet sit legibus solutus, debet tamē eas seruare.*

Resolutio CC.

1 PRæmitto pro eod. reputari in hac materia moniales, & monachos ex latè per *Sanch. in summa lib.* 7. *cap.*29. *n.*44.*Dian.p.* 1. *tract.*6. *resol.* 11. cum enim in omnibus æquiparentur, præcipuè in votis, quæ sunt substantialia, & vtrisque communia, consequitur regula æquiparatorum, quod eadem sit disciplina *l.* 3. *§. proinde ff. de in rem verso*, & ex alijs vulgat. *Innoc. in c. cū olim de priuil.* proinde dicenda de istis, de quibus magis iura loquuntur, intelligun-
2 tur etiam de illis. Præmitto secundo adeò esse ab eis ex vi voti abdicatum dominiū, vt nequidem Papa possit super hoc dispēsare iuxta *sex. in c. cum ad monasterium in fine de statu monach.* nec possessionem alicuius rei iure proprio habere posse, quæ definitur esse ius insistendi rei corporali, non prohibitæ possideri *ex Bartol. & communiter DD. in l.*1. *de acquir. possess.* cui de facto insistere nequeunt monachi, sed potius Cellæ, & Choro, ibique semper flere *c.placuit* 16. *qu.* 1. sunt enim de iure positiuo à prędictis penitus exclusi, cum quo ad hoc æquiparentur seruis, vt probat *Innoc.cis.* qui non habent ea, quæ sunt istius iuris *l. quod attinet ff. de reg.iur.* ratio est, quia cum isti sint in potestate dominorum, & illi in potestate superiorum, dum possidentur ab alijs, possidere nequeunt, *l. sic eueniet, ff. ad l.Iul.de adult.* imò, &
3 quod magis est, nec vsum fructum vllius rei habere possunt; definitur enim iste, quod sit ius alienis rebus vtendi, fruendi salua rerum substantia *l* 1. *ff. de vsufr.* sed non possunt regulares vti frui, etiam cum licentia superioris, dum neque eleemosynas absque eius permissu saltem tacito erogare valent *D.Thom.* 2.2.*q* 32.*a.*8. *ad* 1. quem ab omnibus receptum scribit *Sanch. cit. num.* 95. cum aliquibus limi-

mitationibus, vt ibi.

4 Possunt ergo habere solum vsum, & nequidem liberum; quia qui illum habet, potest vti vita sua durante re, cuius habet vsum pro se cum vxore, filijs, & alijs familiaribus §. *item is instit. de vsu, & habit.* Regulares autem non habent talem vsum pro se, & familiaribus, sed limitatum, & ad superioris libitum, & voluntatem reuocabilem ex eisdem Sancto, & Sanch. cit. vbi iste eum vocat vsum facti, qui tamē potest extendi cum limitatione prædicta ad amplissimos redditus iuxta personarum qualitates, vel si in aliqua religione ita fuisset antecedenter seruatum, *Sanch. relat. cap. 22. n. 18. Nauar. Fagund. Villalob. & alij*, quos refert, & sequitur *P. Dia. p. 1. tract. 6. res. 32. §. sed ego*, ratio est, quia si loquimur de iure communi, talis vsus huic iuri non contradicit, istud enim negat regularibus dominiū, possessionem, vsumfructum, ac etiam vsum liberum, vt dictum est, sed non vsum depentem à superioris volūtate, ad eiusque nutum amouibilē, penes quē, & monasteriū illa semper manent, vt docent DD. cit. & probatur, quia potest pater, vel dominus filio, vel seruo cōcedere peculiū ad negotiādū, eiusq; dominiū transferendū *l. quam Tuberonis vers. alia causa, ibique Gl. v. administrationis, & §. tam autem, iuncta l. non solum de pecul.* ergo potest similiter hoc concedi per superiorem regulari, qui non est censendus inferioris cōditionis seruo, dum iura eos paris conditionis in hoc faciunt, vt supra, & docet Innoc. cit.

6 Præterea Regularis habens vsum alicuius rei ex licentia superioris, & ad eius nutum reuocabilem, votum paupertatis non infringit, quia non vtitur illa re, tamquam sua, sed sicuti aliena, st. monasterij, seu superioris, cui semper illud intimare videtur, hæc res non est mea, sed tua, tu tibi eam tolle, si vis, dummodo me de necessarijs, quę de iure naturali debentur prouideas. *Sanch. cit. cap. 22. nu. 15.* & patet ex *declarat.* Sacr. *Congreg. in Trid. sess. 25. cap. 2. n. 9.* vbi dicitur posse religiosum etiam innito superiore bona retinere ad sui sustentationem, si superior

7 necessaria illi deneget, de isto enim iure nulla datur differentia inter seruos, vel liberos, Regulares, aut seculares *d. l. quod attinet.*

8 Accedat tex. *in c. fin. tit. qui Cler. vel vouen.* vbi valida declaratur professio, quamuis cum adiuncta conditione manēdi in propria domo cū omnibus suis bonis, quæ tamen fuisset nulla, si conditio prædicta esset voto paupertatis contraria, vt arguit *Sanch. cit. d. c. 22. n. 5. quamuis Gl. ibid. v. vt in domo propria*, asserat talem conditionem esse contra substantiam monachatus ex *c. fin. de condit. appos. & c. solet 32. q. 2.* & propterea debere tex. intellegi, vt valida sit professio, sed dominium trāseat in monasterium, & professus habeat de illis bonis victum, & vestitum vita durante; addit tamen ibid. in fine esse text. intelligendum, quod remaneat illa mulier ibi enunciata in domo propria cum suis bonis, quo ad vsum illorum, quem sensum sequuntur Abb. & alij super eodē tex. scribentes cum Sanch. cit. eo magis, quia facta solemni professione, residentia

9 sub Abbate, vel alio superiore non est de substantia, aliàs primus monachus mundi, qui necessariò non fuit sub obedientia alicuius Abbatis, non fuisset monachus, quod est falsum, vt dicit alia *Gl. in c. de viduis in fine 27. q. 1. & legitur in d. c. fin.* vbi illa mulier fuit declarata verè professa, & monacha in domo propria, & consequēter sub nullius obedientia.

10 Maiorem tamen vim videtur prima facie facere decisio S. Congreg. relata in declarat. eiusdem S. C. *in Triden. cit. sub n. 4.* vbi reseruatis per D. Aldonsam de Toledo annuis biscentum aureis ad vsum suum in actu professionis, fuit ordinatum per eandem, dandos esse Priorissæ, quæ prouideat necessitati ipsius Aldonsæ; sed perpensis verbis decreti, obstare non videtur, ratio enim decisionis, quæ ibi assignatur est (quia contra Concilium est moniales habere aliquid proprium) ista ergo verba, quia pugnant cum paupertatis voto, non possunt subsistere, *arg. l. vbi repugnantia, ff. de reg. iur.* & proinde dum propositio nostra est de vsu bonorum amouibili ad nutum superioris, quorum dominium remanet penes monasterium, seu ip-

11 sius superiorem, difficultatem non habet, imo & quod magis est, fuit permissum à Pio V. cuidam nobili feminæ profitendi, sibique bona retinendi in domo propria, seruata forma *d. c. fin.* vt refert *Nauar. comment. 2. n. 16. de Regular.* & tandem cum idem casus denuò acciderit, discusso negotio per S. Congr. nata est sequens

quens decisio, quæ est inserta in priuileg.
nostræ Congr. Somaschæ, recollectis per
nostrum A. R. P. Generalem D. Hieron.
Rubeum fol. mihi 120. *In Congr. Concilij*
12 *fuit propositus iste casus die 14. Decembris*
1613. Quidam N. emisit professionem in ma-
nibus authoritatem habentis sub infrascripto-
rum verborum formula. quæritur à S. Congr.
Conc. an talis professio sit valida, ita vt N.
dicendus sit verè professus. Ego N. voueo, pro-
fiteor, & promitto Deo omnipotenti, & tibi N.
specialiter electo obedientiam, castitatem, & in
communi viuere sub regula S. August. P. no-
stri, & quod absque licentia Præpos. Genera-
lis; vel eius authoritate fungentis aliquod cũ
cura, vel sine cura beneficium non acceptabo,
vel retinebo intra, aut extra ordinem nostrum
Clericorum Regular. idque secundum constitu-
tiones factas, aut faciendas per Congreg. præ-
dictam authoritate Apostolica sibi concessa, re-
seruata mihi testandi potestate de patrimonio
meo, si opus fuerit cum Præpositi authoritate.
Sac. Congr. Cardin. Concil. Trid. interpretrum
hoc negotio maturè perpenso, atque accuratè
discusso censuit, nisi aliud obstiterit, validam
omninò esse professionem.

Horatius Card. Lancellottus
Locus sigilli

Nec te moueat, quod in tali professio-
ne non sit expressa paupertas, nam dum
dicitur sub regula S. August. & inferius
secundum constitutiones factas, aut faci-
endas, & cæt. & vtrobique principalius,
quod præcipitur est paupertas in suo rigo
re seruanda, non est dubitandum istud vo-
tum includi etiam in professione prędicta,
13 quia relatum est in referente cum omni-
bus suis qualitatibus, iuxta regul. iuris in
l. asse toto ff. hæred. instit. & in auth. si quis
in aliquo C. de edendo, & proinde superio-
rem sententiam docent *Ioann. Andr. in c. nõ*
est obligatorium n. 6. de regul. iur. Abb. in c.
quod quibusdam n. 10. de fideiuss. in c. cum
ad monasterium n. 8. de stat. monach. & in
c. nisi essent n. fin. de præbend. Dec. in c. edoce-
ri n. 5. de præscript. Angel. in summa v. Abbas,
n. 17. Sylu. ibid. q. 3. n. 6. d. 7. Azor. to. 1. inst.
moral. lib. 12. cap. 9. q. 2. & tom. 2. lib. 8. c. 7.
q. 11. Nauar. & alij apud Sanch. cit. cap. 22.
n. 5. in fine. Fr. Io. de la Crux de statu Relig.
lib. 1. cap. 3. dub. 2. vbi dicit Religiosos ha-
bentes census, & redditus annuos non
peccare, prohibitionemque Concilij ha-
bere locum in redditibus proprijs, & irre-
uocabilibus per Prælatos, & sine eorum
licentia distrahendis. Quapropter non est
14 deferendum *Reg. Tap. in auth. ingressi c.*
3. n. 55. C. de sacros. Eccles. Azor. sibi contrario
loco cit. Gregor. de Valen. 2. 2. disp. 1. q. 4. pun.
3. col. 2. coroll. 4. & alijs relatis in remission.
Concilij vbi supra, asserentibus ius commu-
ne relatum fuisse correctum per Trid. cit.
quia in *d. c. 2.* nihil noui iuris inducitur, sed
solum cõfirmatur ius prædictum per quod
Regularibus peculia prohibentur, si con-
cedantur etiam ad vsus profanos, vel sine
causa legitima, aut independenter à supe-
riore, & proinde sicuti non obstat ius cõ-
mune, quando conceduntur peculia cum
causa legitima, & ad nutum superioris, vt
supra, ita nec Triden. Probatur, quia ver-
ba Triden. non sunt maioris ponderis, quã
verba Concilij Lateran. relata *in c. monachi*
de statu monach. & similib. sed eo iure lici-
tum erat Regularibus peculia habere mo-
do prædicto, vt fuit probatum, ergo etiã
post Trid. & proinde hanc partem tuentur
Nauar. comm. 2. n. 15. & 18. de Regular. Em.
Sà in summa v. Religio n. 48. Vega in summ.
tom. 2 cap. 86. casu 5. Manuel qq. regul. tom.
2. q. 125. ar. 4. in fine, & tom. 3. q. 29. art.
10. initio. Graff. p. 1. decis. lib. 3. cap 5. n. 53.
quam plus sibi placere dicit *Sanch. in sum.*
lib. 7. cap. 22. n. 11. circa finem. recentiores in
magno numero refert *Dia. p. 1. tract. 6. res.*
32. §. sed ego, vbi eam vocat probabilem
tutam, & ad praxim accommodatam.
15 Minus obstant prædictis *Bulla Clem. 8.*
& Vrb. 8. quas non fuisse vsu receptas di-
cit idem *Dia. cit. res. 1.* (de qua tamen quæ-
stione latius infra in fine) sed quatenùs
fuissent in aliquibus Religionibus receptę,
non condere ius nouum asserit *Io. Valer. in*
suis differ. vtriusque fori v. munera num. 1.
21. 37. & 98. ibi, hæc constitutio non est edi-
ta ad nouam disciplinam, nouamque Religio-
ni obligationem imponendam, vel ad nouum
ius introducendum, sed est iuris communis
restitutiua, eidemque conformis, quare quic-
quid ante hanc constitutionem licebat, & dari
iuste poterat, nunc licet, & dari potest, quic-
quid nunc non licet, nec ante licebat, se-
quitur idem Io. de la Crux de statu Relig. lib.
1. cap. 3. dub. 1. concl. 3. ibi Clem. 8. in sua
bulla multa vetat Religiosis circa largitionem
munerum, quæ tamen omnia exceptis pœnis,
ibi impositis, continentur in iure communi an-
tiquo, & iterum P. Dia. cit. res. 2. in fine asse-
rit in omnibus ferè Religionibus, etiam
16 obseruantibus non practicari. Sed dato

& non

& non cōcesso fuisse vniuersaliter vsu re-
ceptas, nec obstarent, quia vltra quod lo-
quuntur de bonis monasterio acquisitis,
non de acquisibilibus, vt vult *Dia.in sum-
ma v. paupertas n.3.* esse ista, & non adhuc
acquisita monasterio, duæ sunt causæ fina-
les earum Bullarum, ne st. dilapidentur
bona monasterij, & ne detur ambitionis
occasio iuxta sententiam multorum viro-
rum doctissimorum, de hac re consultorū
per eundem Dia. vt ipse testatur *p.1.tract.
6.resol.12.in fin. & resol.33.* quare si in ali-
quo casu copulatiuè istæ cessabunt, cessa-
bunt etiam leges prædictæ ad regul. iur.
*in l.adigere § quamuis ff.de iure patron. Abb.
in c.quia in insulis. de Regular. Angelus v.
lex.n.4. Eman. Sà eodem v.n.2.& v.ludus,n.
1. Granad.p.2.controu.7.tract.3.disp.15.sect.
3.n. 18. ibi lex non largiendi munera, quam
Clem.8. edidit, condita fuit propter commune
bonum Religionis, sed tamen singulos obliga-
bat, & in singulis habebant vim rationes istius
constit. nempè ne dissiparetur patrimonium
Christi Domini, nec esset occasio ambitionis,
quare si in aliquo speciali casu, nec religiosus
dissiparet patrimonium Christi, nec ulla fo-
ret ambitionis occasio, consequenter censeri
deberet lex non obligare P. Megala in consil.
33.n.6.& alij.*

17 Ad secundum ex dictis respondetur
affirmatiuè, si donatio fiat cum licentia
superioris, ratio est, quam modò diximus,
quia st. tam ius commune, quàm istæ bul-
læ prohibent tantùm largitiones munerū,
ex quibus grauia incommoda, & damna
monasterijs inferuntur, sed donatio eorū,
quæ religiosi parciùs viuendo reseruant,
neutrum facit, quia nullum damnum in-
fert monasterio, sed solùm ventri, &
decentiæ suarum personarum, quibus hæc
parcè viuendo detrahunt, vt docent *Lu-
douic Beia in respons. cas.consc. p. 4. casu 32.
Cenedo de paup.relig.dub.32. n.7.& 15. Ioa.
Valer.in differ.vtriusq. fori, v.munera n.73.*
hancque sententiam multos alios viros
doctos à se consultos docere affirmat idē
Dia.cit.resol.19.in fine, ergo. Nec propterea
exercetur dominium, quod est ius dispo-
nendi ad libitum de re corporali non pro-
hibita no sideri ex notis apud *Bart.& DD.
in l.1.ff.de acquir.rer.dom. Sanch.lib.7. sum.
cap.13. n.5.* quia talis donatio fit de licen-
18 tia superioris non ad libitum. Concor-
dat *Nauar. in comment.2.de Regular. n. 58.*
vbi vult posse superiorem Religionis cō-
cedere facultatem subdito, vt disponat in
vita de redditibus prędictis, solùm autem
Pontificem in morte, rationem diuersita-
tis tradit *Sanch.cit.cap.8. n.5. ibi, quia testa-
mentum est ius, & facultas, qua Testator ex-
plicat suam voluntatem post obitum suum e-
xequendam, quod interdixit ius ecclesiasticū,
tamquam sapiens naturam dominij, at non in-
terdixit donationes in vita ex superioris licen-
tia, id enim posse fieri est valdè conuictui hu-
19 mano necessarium;* Quod autem possit Ab-
batissa dare hanc licentiam monialibus, si-
cuti potest Prælatus suis subditis Regu-
laribus, docent *Abb.in c.2. nu. 4. de ijs, quæ
fiunt à Præl.Cardin. in consil.17. n.5.Nauar.
cit.comment.3.n.4. Manuel qq.regul. tom.1.q.
17. ar.vlt.in fine, Sorbus in compend. priuil.
mendic.v.dare,not.4.* vbi ait Abbatissam pos-
se concedere largiendi licentiam monia-
libus *Sanch.in summa lib.7.cap.19.n.44.* vbi
DD. ad nauseam vsque refert, ac etiam
Rota Rom.in nouiss. decis. 116.n.12. ibique
decisum posse monialem de licentia Ab-
batissæ retinere propria, esseque in hac
materia Ordinario similem. *Faustus in The-
saur.Relig.lib.8.q.221. P.Dia.par.1.tract.6.
resol. 22.*

20 Adde donàtionem (de qua in hoc casu
fui interrogatus) esse faciendam à moni-
ali eius fratri, in graui necessitate consti-
tuto; etenim dato pro vero, vt dicunt eū
annis elapsis vixisse cum rheda, famulis,
alijsque commoditatibus, & nunc ob ad-
uersam fortunam fuisse coactum omnia
dimittere, hæc dicitur grauis necessitas,
*Lorca in 2.2.sect.4. disp.39 n.1. 8. 9.& 10.
Dia.par.5.tract.8. resol.1.§.grauis*, & quod
de superfluis, & in alijs casibus sit quis in
conscientia, & sub mortali obligatus ad
subueniendum in tali necessitate existenti,
docent *Granad.2.2.controu.3.tr.11. disp.2.
sect.4.n.18. Layman lib.2.tr.3.c.6.n.4. Sanch.
in opusc. tom.1.lib.1.cap.5.dub.5. n.34. Sotus
de iust.lib.5. q. 3. ar.4. Valent.tom.3. disp.3.
q.9.pun.4. Azor.tom.2.lib.12.cap.7. q.4. Co-
ninch.disp. 27.dub.8.n.125. & 130. Vasq.in
opusc.de eleemos.cap.1.n.14. 18, & 24.* ergo
dum isti annui redditus ex parsimonia
huius monialis non sunt consumpti, sed
debentur à dicto eius fratre, qui oporte-
ret ad humiliorem statum descendere pro
illis soluendis, erit obligatio eos illi rela-
xandi.

21 Nec tandem te moueat allegata *Bulla
Alex.7.* in quodam notamento ex aduer-

so mihi tradito, quia loquitur specialiter in duobus casibus, nempè quod in festis Sanctorum titularium Ecclesiarum Monialium non fiant musica, nec aliæ expensæ de bonis monasterij, & quod in professione monialiū non fiant per eas donationes esculentorum, & poculentorum, aut florum naturalium, vel artificialium, cum ergo sit odiosa, non potest extendi ad alios casus *c. odia cum alys vulg. de regul. iur. in 6.* etiam si militaret eadem ratio, *Gl. ibid. v. item potest*, & magis; quia est pænalis *c. in panis eo tit.* vt in priori resol *n.33.* Sed dato
22 & nequidem concesso esse vniuersalem, non fuit vsu recepta, non dico, quod sit in potestate subditorum leges Principis non recipere, vt gratis putarunt *Valent. tom. 2. disp. 7. q. 5. pun. 2. Filliuc. tom. 2. tract. 11. cap. vlt. n. 429. Lessius lib. 2. cap. 22. dub. 13. n. 98. Regin. tom. 1. lib. 13. cap. 16. n. 6. Nauar. in manual. cap. 23. n. 41. Eman. Sà v. lex n. 1. & Dia. par. 1. tract. 10. resol. 4.* quia incassum ferrentur leges, & contrarium constat ex definitione per Demosth. tradita, quam transcribit *Papin. in l. 1. ff. de ll. ibi lex est, cui omnes homines tenentur obedire*, & inferius ex Chrysippo summo Stoicæ sapientiæ philosopho, *lex est omnium diuinarum, atq; humanarum rerum regina, oportet autem eam præsidere, & bonis, & malis*, & propterea contraria opinio fuit damnata per eūdem *Alex. 7. in bulla emanata die 2. Octobr. 1665. cap. vlt.* habet enim Princeps dominium in subditos, cuius virtute eos ad obseruantiam cogit, adeò quod quamuis ipse sit legibus solutus *c. significasti, circa finē, de elect. l. Princeps ff. de ll.* debet tamen eas
23 seruare, vt ipse idem contra se ipsum statuit *in l. digna vox, C. de ll. & c. iustum est dist. 9.* Benè verum est, quod si lex
24 promulgetur, & Principe dissimulante, à suis subditis non seruetur, tūnc non obligat in foro exteriori, neque interiori. *Cardin. Zabar. in proem. Clem. num. 4. Sylu. in summa v. lex n. 6. circa finem. Suar. de legib. cap. 19. n. 4. & seq.* vbi loquendo de lege Principis sæcularis, prius assumptum pluribus authoritatibus probat, præcipuè ex Paulo *ad Rom. 13. ibi Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & lib. 4. cap. 16. n. 9. & 10.* vbi loquendo de lege Canō. docet secundum ibi, *nam si lex non obseruetur sciente legislatore, nullum certum tempus necessarium est, sed sufficiunt tot actus contrary maioris partis communitatis, qui moralem coniecturam efficere valeant de tolerantia legislatoris. & seq. in 1. 2. tom. 2. disp. 156. cap. 5. n. 36. ex Archid. Dom. Turrecrem. & Hugo. in can. erit autem lex 4. dist.* vbi addit ad propositum authoritatem Platon. in Dialog. Polit, ad idem *Regin. lib. 13. c. 16. n. 161. in fin. Rodriq. & aly apud Salas de legib. disp. 13. sect. 2. n. 12. vsq; ad 16.*
25 Hic ergo est casus noster, cum tam tempore promulgationis, quam ante, & post bullam prædictam vsque hodie practicetur regulares vtriusque sexus munera largiri publicè, & palàm, Principe vidente, & dissimulante ad subleuanda forsasse alia ipsorum onera, vel propter alios sanctos fines ipsi notos, quos inquirere, nostrum non est.

Vtrum, & quo iure Pontifices, & alij inferiores, veluti Episcopi, & Prælati regulares habeāt potestatem dispensandi, & commutandi vota, & iuramenta subditorum.

SVMMARIVM.

1 *Ius diuinum naturale est duplex.*
2 *Pacti obseruantia est de iure naturali, & proinde nil grauius est, quam fidem fallere.*
3 *Vouens tenetur de iure naturali ad obseruantiam voti, in quo tamen superior potest dispensare absque prædicti iuris læsione n. 6. & 9. quod impugnatur, & resoluitur n. 12.*
4 *Matrimonium consummatum significat vnionem indissolubilem Christi cum Ecclesia, non autem ratum tantum n. 5. istud enim significat vnionem Christi cum anima per charitatem.*
7 *Vota cessant, quando seruata vergerent in deteriorem exitum, & propterea intelliguntur facta cum pijs conditionibus adiunctis, vel explicitis, vel implicitis, sed hoc secundùm negat Suar. n. 8. In illis dispensandi, vel commutandi potestatem non dubitatur fuisse de præterito, & esse nunc in Ecclesia n. 10. sed vnde ortum habuerit n. 11. vsque ad 14.*
15 *Cardinales non Episcopi non habent potestatem dispensandi in votis, neque commutandi secundum Suar. & minus Parochi, et alij Confessarij ordinarij n 16. sed an Regulares in suos subditos, vel Abba-*

Abbatissæ in suas? num. 17. usque ad finem.

Resolutio CCI.

1 CIrca primum præmitto duplex esse ius diuinum naturale secundum *Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 14. sub n. 5. vers. ad quartum dic*, de quo tamen latius dictũ est supra *resol. 19.* vnum ab humana volũtate ortum, & ex eius suppositione obligans, vt votum, & iuramentum, aliud verò absolutum, & ex diuino arbitrio deriuatum, vt præceptum de non fornicando, non occidendo, & similia, in quibus Pontifex dispensare non potest, illud verò est fundatum in actibus, vel contractibus humanis, vt sunt etiam matrimonia rata nõ consummata, in quibus dispensare potest, *Gl. in c. ex publico, v. consummatum, de conuer. coniug.* & de facto sæpè dispensasse suo tẽpore refert *Caiet. in opusc. tom. 1. tract. 28. de matrim. q. vnica. Henriq. lib. 11. eod. tit. c. 88. n. 11. lit. F.* vbi testatur Gregor. 13. vna die dispensasse cum vndecim, *Nauar. in summa cap. 22. n. 21.* dicit ter, vel quater Paul. 3. & Piũ 4. ad sui petitionem dispensasse, quam sententiam ex quamplurimis DD. reiecta contraria, probat *Sanch. cit. sub n. 2. sequitur Dia. in summa. v. dispensare, n. 99.* Nec dicitur propterea dispensare in iure naturæ; à quo pendere videntur præ-
2 dicta, vigore promissionis Deo factæ in voto, & iuramento; coniugique in matrimonio, licet enim obseruantia pacti eo iure fundetur *l. 1. & ibi Gl. de pact. l. iuris gentium §. Prætor ait ff. eod. & clarius D. Th. 2. 2. q. 88. ar. 3. ad 1. ibi, ex qualibet obligatione homo homini obligatur; & hæc est obligatio iuris naturalis,* qua de causa dicitur nil grauius esse, quam fidem fallere *l. 1. ff. de cõstit. pecun. l. 1. §. merito, ff. depositi*, nihilominus quando Papa in istis dispensat, non dicitur dispensare absolutè in iure naturæ, vt dixi, quamuis prædicta habeant vim eo iure obligandi, dum nec vouens, nec iurans, nec coniux in casibus prædictis possunt se à voto, vel iuramento, vel matrimonio liberare, vt inferius probabo, sed potest Põtifex tollendo obligationis fundamentum, quam homo actu, vel contractu humano sibi imposuit, vtrumque docet idem *Sanct. cit. ar. 10. ad 2. his verbis.*

3 *Sicut ex iure naturali, & præcepto diuino tenetur homo implere votum, ita etiam tenetur ex eisdem obedire superiorum legi, vel mandato, & tamen cum dispensatur in aliqua lege humana, non fit vt legi humanæ non obediatur, quod est contra legem naturæ, & mandatum diuinum, sed fit vt hoc quod erat lex, non sit in hoc casu, ita etiam authoritate superioris dispensantis fit, vt hoc quod continebatur sub voto, non contineatur in quantum determinatur, in hoc casu hoc non esse congruã materiam voti, & ideo cum Prælatus Ecclesiæ dispensat in voto, non dispensat in præcepto iuris naturalis, vel diuini, sed determinat id, quod cadebat sub obligatione deliberationis humanæ, quæ non potuit omnia circũspicere.* Et quamuis idem fundamentum contractus humani sit etiam in matrimonio consummato, quod separari non potest, Deus tamen noluit istam potestatem Pontifici cõcedere ratione significationis, qua Christus extulit illud ad significandã vnionem indissolubilem suæ D. Maiest. cũ Ecclesia per carnem assumptam *Sanch. de matrim. lib. 2. disp. 13. n. 7. ex eod. D. Thom. in 4. dist. 33. q. 2. ar. 1. cor. Henriq. lib. 11. eod. tit. cap. 8. n. 2.* Quæ quidem significatio conue-
4 nit matrimonio consummato tantùm, ergo istud solùm dicitur indissolubile, consequẽtia patet ex *Matth cap. 19. ibi, quos Deus coniunxit, homo non separet, & ex Apost. 1. ad Corinth. 7.* antecedens probatur, quia solum per matrimonium consummatum fiunt coniuges vna caro, vt legitur in *c. 2. de conuers. coniug. c. Agathosa, in fine 27. q. 2. & c. Martinus, de cognat. Spir. ibi, efficientur per connubium vna caro; vbi Gl. v. per connubium, subdit, idest, per carnalem copulam*, sed matrimonium consummatum tantùm significat eam coniunctionem, per quam Christus factus est vna caro, cum Ecclesia per Incarnationis mysterium, vt probatur *ex eod. Apost. ad Ephes. 5.* vbi præmisso illo axiomate, erunt duo in carne vna, quod fit per copulam, vt supra, subdit: *Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia. item ex c. non est 27. qu. 2. ibi non est dubium illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua commixtio sexus non docetur fuisse. vbi Gl. v. ad matrimonium dicit, quod habet in se sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ*, quod etiam explicatur *in c. cum societas eadem c. & q. ibi, cum societas nuptiarũ ita sit à principio instituta, vt præter commixtionem sexuum, non habeant in se nuptiæ, coniunctionis Christi, & Ecclesiæ sacramentũ. ergo,*

5 Præterea *in c. debitum de bigam.* dicit Innoc. 3. matrimonium ratum significare vnionem Christi cum anima per charitatē, sed dissolubilem per peccatum, consummatum verò vnionem indissolubilem per carnem assumptam, qui Pontifex assignādo rationem, quare ante consummationē matrimonij, si vir iterum nubat, non dicitur bigamus, ait quia matrimonium ante copulam non significat vnionem Christi per carnem, si enim eam significaret, esset bigamus, quia non esset vnus vnius sponsus, sicut Christus est vnius Ecclesiæ spōsus, & propterea hæc irregularitas contrahitur ex defectu sacramenti, id est significationis sacramenti, vt dixi *supra v. irregularitas resol.* 100. *n.* 5. Quamuis autem
6 *D. Bonau. in 4. dist. 38. ar. 2. q. 3. Gl. in c. non est v authoritate, hoc tit. aliqque apud Henriq. lib.* 8. *cap.* 13. *n.* 2. *in Comment. lit.* K. asserant non verè dispensari per Prelatos relaxando obligationem voti, casu quo verè obligabat, cum hoc sit de iure naturali, & diuino, vt supra, sed declarari solùm eo in casu ob circumstantias occurrentes id non obligare, D. tamen Thom. dicit verè relaxari obligationem, vt supra, & iterum *in 4. dist. 38 q. 1. ar. 4. q. 1. cor.* vbi relatis opinionibus aliorum, aliud sentientium concludit videlicet, & *ideò dicendum, quod in voto potest dispensari, etiam secundum quod dispensatio est iuris relaxatio ex aliqua legitima causa, quia enim votum de illicito esse nō potest, non autem licet subtrahere alicui, quod ei debetur, ideò per votum alicuius non potest fieri praiudicium suo Prælato, quin debeat eius mandatis parere, cum fuerit opportunum, vnde si Prælatus videat expedire aliqua rationabili causa, vel propter ipsum, qui vouit, vel propter alios, quod votum non seruet, potest eum ab obseruatione voti deobligare, qui aliàs de iure obligatus erat.*
7 *Deinde subdit ibid. ad* 2. *quod obseruare votum durante voti obligatione est de lege naturali, sed cessante obligatione voti, non est obseruatio eius de lege naturali, cessat autem eius obligatio, vel ex se, vt quando seruatum vergeret ad deteriorem exitum, & tunc per declarationem superioris, si facultas petendi adsit, debet obseruatio voti prætermitti, vel ex authoritate superioris, qui aliud magis necessarium indicat, & in voto dispensat, nec tamen ex hoc homo mendacium incurrit, quod votum non seruat in tali casu, quia homo de futuris debet habere pias conditiones adiūctas, vel explicitè, vel implicitè, vt patet Iacob. 5. hæc ille, sequitur Ricch. ibid. ar. 9. q. 1. cor. & ad 1. Abb. in dicto c. non est n. 5. & alij, quos refert, & sequitur Henriq. cit.*

8 Hanc tamen circumstantiam de conditionibus adiunctis explicitis, vel implicitis ex parte vouentis dicit *Suar. de relig. to. 2. hoc tit. lib. 6. cap. 9. n. 12.* sibi non satisfacere, quia potest vnusquisque vouere absolutè, & sine vlla conditione, & nemo potest cogi, ne taliter voueat, dummodò conditio sit honesta, & propterea magis sibi placere primam responsionem, quod obligatio vouentis cum sit humana, possit per Prælatum etiam humanum auferri, quia humana deliberatio non potest omnia circumspicere, & ideò sæpè non expedit quod fuerat per votum præscriptū, vel expedit aliquem ab illa obligatione excipere, vel propter maius bonum, vel propter aliquod malum vitandum, quæ est ratio iustificans dispensationem, & addit per relaxationem voti non dispensari in lege seruandi votum, sed illud auferri per superiorem, potestatem habentem super voluntatem humanam sui subditi, verba sunt eiusdem *Suar. cit. n. 8. & 13. vbi citat Medin. Sot. Victor. & alios.* idem docent circa hoc postremum Riech. Abb. & Hen-
9 riq. cit. quod st. tunc non absolutè, & propriè relaxetur ius diuinum naturale, etenim istud consistit in eo, vt qui votum habet, impleat, & hoc semper manet inuiolabile, donec à superiore dispensetur, sed hunc habere votum, vel nō teneri omninò, seu tantominùs, non est ius diuinū, sed voluntatis propriæ effectus, quē possunt Prelati impedire, vel limitare, secundum quod expedire iudicabunt, quarè tunc non propriè dispensant in iure diuino, sed tollunt obligationis fundamentū, quod homo actu humano sibi imposuit, quo sublato euanescit iuris diuini circa votum obligatio, vt supra dictum est, & docet etiam *Regin. lib. 18. c. 22. n. 3 & seq. ex Conar. & alijs.*

10 Ad secundum respondet idem *Suar. cit. n. 6. & 7.* certum esse quod in Ecclesia sit potestas circa vota ad auferendam, quando oportuerit illam obligationem; quod probat ex vsu, & traditione eiusdem Ecclesiæ, vbi semper obseruatum fuit vota dispensari, & proinde, si secus, esset intolerabilis error in re tam necessaria ad mores, quod eius sanctitati repugnat, neque

que dici posse has, quæ conceduntur esse tantum declarationes, vt volebant DD. supra *n.* 6. relati, nam oppositum euidenter constat ex facto ipso, quia vbi est obligatio voti certa, tollitur adhibendo verba dispensandi, vel commutandi, vt in *c.* 1. *& c. magna hoc tit.* vel verbum absoluendi, vt *in c.* 2. *eod. tit.* quando verò fit tantùm interpetratio, ponitur verbum iudicandi *c. litteraturam eod. tit.* vel verbum declarandi, vt *in c. quintanallis de iure iur. Regin. cit. n.* 328. & vide etiam supra *resol.* 196. *n.* 30.

11 Inquiri tamen posset vnde originem trahat ista potestas, quam Pontifex, & alij ministri inferiores practicare solent, ad quod respondet *Suar. cit. d. lib.* 6. *cap.* 9. *nu.* 18. ortum habere à Christo apud *Matth. cap.* 16. *ibi tibi dabo claues, &c. & quodcumque solueris, &c. & apud Io.* 21. *ibi Pasce oues meas,* in quibus verbis licet non adsit specialis mentio de dispensatione votorũ, sicuti neque de concessione indulgentiarum, vel relaxatione peccatorum, quod est maius, in illis tamen hæc potestas continetur, tùm propter proprietatem, & vim verborum, tùm propter eminentem Christi potestatem in Cælo, & in terra, quam latissimè suo Vicario communicauit, tum tandem propter Ecclesiæ traditionem, quę ità sensum verborum illorum explicuit, & ad praxim eduxit, quotidieque practicat Regin. vbi supra.

12 Verum opponit *Suar. relat. nu.* 14. quod nequeat homo tollere ius Deo quæsitum per votum, cum etiam apud homines promissiones ad inuicem factæ tolli nequeant, nisi vtraque voluntate concurrente ad dissensum, quæ interfuit consensui, quià nil tàm naturale est, quàm vnumquodque soluatur eodẽ vinculo, quo ligatum est; *l. nil tam naturale de reg. iur.* sed respondet, quod concurrit Pontifex ex parte Dei, remittendo illam obligationem, vel cedendo iuri Deo quęsito, vt etiam docet *Dia. in summa v. dispensare n.* 18. & licet remittere, & cedere differant in sonu vocis à dispensatione, eundem tamen effectum habent, & proinde esset quæstio de nomine, vt docet idẽ *Suar. cit. num.* 17. sed mihi plus placet responsio *D. Thom. & aliorum supra num.* 2. *&* 3.

13 Quæ quidem potestas principaliter residet in summo Pontifice, etenim cum cõcessa sit Petro à Christo in verbis relatis, est consequenter tributa successoribus Petri, qui sunt Pontifices, vt probat *Suar. cit. cap.* 10. *n.* 2. & per istos communicatur Episcopis, Regin. vbi supra *sub d. n.* 328. *§. caterum,* quia quamuis dignitas Episcopalis trahat originem à Christo, qui omnes Apostolos creauit Episcopos, vt probant *Caiet. tract. de authoritate Papa, & Concil. c.* 3. *Cyrill. in Io. lib.* 12. *c.* 35. *Sot. in* 4. *dist.* 20. *q.* 1. *ar.* 2. *Dia. p.* 12. *tract. de consecrat. Episc. resol.* 80. à Pontifice tamen, qui eos eligit, & consecrat, in eosdem proximè confertur, si enim diceretur traditam hanc potestatem Episcopis immediatè à Christo, non posset eam Pontifex tollere in aliquo casu, vel limitare, sed in *Extrau. fin. de pœnit. & remiss.* reseruat sibi quinque vota priuatiuè ad omnes alios, etiam circa commutationem, *& Vrb.* 8. *in alia bulla emanata sub die* 26. *Febr.* 1643. *incip. Honorum, dignitatumque* reseruat sibi dispensationem voti de non ambiendo fieri solitum ab aliquibus Religiosis, omissis alijs, ergo non est immediatè à Christo. Habẽt

14 tamen Episcopi ordinariam potestatem dispensandi, & commutandi omnia vota in sua diœcesi, quæ specialiter reseruata non sunt, vti iudices ordinarij, *D. Th.* 2. 2. *q.* 88. *art.* 12. *ad* 3. *& communiter alij Theologi in* 4. *dist.* 38. *Innoc. Host. Abb. in c.* 1. *de voto, Sylu. v. votum* 4. *q.* 3. *Nauar. in summa c.* 12. *n.* 75. & colligitur *ex d. c.* 1. & ita se habet vniuersalis, & antiquissima Ecclesiæ consuetudo, quæ sola sufficeret ad hanc iurisdictionem tribuendam, vt docent DD. cit. & vide supra *res.* 196. *n.* 31.

15 Verum dicit *Suar. vbi supra nu.* 10. eam non habere Cardinales non Episcopos, ex vi dignitatis, nisi quia in foro pænitentiæ habent specialẽ iurisdictionem supra homines de sua familia, propterea posse fortasse etiam eorum vota dispensare, sed standum esse cõsuetudini, cum non inuenire super hoc ius particulare id statuens asserat, eandem negatiuam sequitur *Faust. hoc tit. lib.* 3. *qu.* 5. Multò minus ergo

16 eam habent Parochi, siue quicumque Confessarij ordinarij, non solùm dispensandi, sed neque commutandi ex communi sententia omnium scribentium in 4. *dist.* 38. *Innoc. Host. & Abb. in d. cap.* 1. *Sylu. v. votum* 4. *n.* 3. *§.* 10. *Nauar. cit. d. n.* 75. *&* 79. *Sayr. lib.* 6. *cap.* 1. *n.* 85. *Faust. cit. q.* 20. ratio est, quia dispensatio, vel commutatio est actus iurisdictionis Ecclesiasticæ, distinctę à iurisdictione sacramenti pænitentię, sed in

in Patochis, & similibus, non est talis iurisdictio, dū nullo iure illis conceditur, nec ex natura rei, vel consuetudine colligi potest, ergo. *Sylu. vbi supra & Suar. cit. n. 11. in fine Sanch. in summa lib. 4. cap. 49. nu. 13.* licet contrarium, & malè (meo videri) putent *Less. & alij apud Dia. in sum. v. voti relaxatio, n. 43.*

17 Habent tamen potestatem prædictam Prælati regulares erga suos subditos similiter regulares, quę est consequens ad eorum exemptionem, nam eo ipso quod eximuntur à iurisdictione Episcoporum, nō possunt ab eis dispensari, & propterea sūt illis in hac potestate similes, possunt enim dispensare in omnibus votis Papæ non reseruatis, in quibus posśūt Episcopi, excepto peregrinationis vltra duas dietas, vt ex communi sententia docent *Tanner. in 2. 2. disp. 5. q. 4. n. 92. Dia. p. 3. resol. 25. §. quarto, & in summ. v. Prælati regularis n. 24.* nec talis potestas dicitur delegata, sed ordinaria, quia supposita institutione, & approbatione Religionis competit illis ex vi muneris, & officij, *Richar. in 4. dist. 38. ar. 9. q. 2. Ang. v. votum 4. q. 6. Sylu. cit. §. 9. Nauar. d. n. 75.* qui similiter asserunt omnes Prælatos regulares potestatem habentes irritandi vota subditorum, posse etiam dispensare, vel commutare si velint, quia dum possunt illud, quod est plus, poterunt illud quod est minus, *c. cui licet plus de regul. iur. in 6. & auth. multo magis C. de sacros. Eccles.* vt latè fuit dictum supra *resol. 196. n. 26. & seqq.* atque ita non solum Generales, & Prouinciales, sed etiam Prælatos locales habere hanc potestatem, sicuti in praxi etiam cernitur.

18 Ratio est, quia isti iurisdictionem episcopalem, sicuti illi circa subditos habent, dum ex vi sui muneris committitur eis plena cura spiritualis illorum, qua de causa instituuntur eum sufficienti iurisdictione ad hoc, & alia similia munera, ideòque sub nomine Prelatorum comprehenduntur secundum *Gl. in Clem. 1. v. Prælatus, de elect. Caiet. 2. 2. q. 88. ar. 8. circa finem, Ricch. in 4. dist. 38. ar. 9. q. 2. Sot. & alij apud Regin. vbi supra n. 340. ibique in fine asserit* hanc potestatem nullo modo habere Abbatissas

19 erga suas subditas, quia iurisdictionem illam spiritualem, ad quam pertinet facultas dispensandi, illæ non habent, iuxta tradita *ab eod. Sot. in 4. dist. 20. q. 1. ar. 4. concl. 2. circa finem. Couar. in c. alma mater p. 1. §. 11. n. 2.* ergo minus habebunt ea irritandi, quod est plus *argum. cit. c. cui licet plus à contrario sensu, & auth. multò magis;* contrariam tamen opinionem ex Suar. & alijs dixi probabilem supra *resol. 196. n. 14. circa*

20 irritationem. Quæ quidem potestas circa regulares (non autem moniales) virtute priuilegiorum Societatis Iesu, de quibus *Sanch. in summ. tom. 1. lib. 4. cap. 54. n. 17.* & communicationis ad cæteros regulares *ex eod. Sanch. ibid. cap. 43. n. 4.* extēditur ad alios, etiam non subditos, non solùm illius Diæcesis, vbi resident, sed etiam vndecumque venientes, verum oportet cōfessarium regularem esse approbatum ab ordinario *Henriq. & alij apud Sanch cit. d. n. 17. & iterum de matrim. lib. 8. disp. 16. n. 10. Villalob. in summ. tom. 2. tr. 34. diff. 29. n. 6.* qui omnes possunt dispensare, & commutare vota prædicta, etiam extra confessionem, idem *Sanchez d. disp. 16. nu. 11 ex eodem Henriq. lib. 7. de indulg. cap. 30. n. 7. Dia. p. 3. tract. 2. resol. 9. & tract. 5. resol. 25. §. quarto, vbi DD. ad saturitatem.* & vide supra *resol. 196. n. 33. & resol. 197. num. 1. & seqq.*

Vtrum ad fideicommissum in beneficiū nepotis ex fratre, eiusque descendentium in infinitum, & illis deficientibus in beneficium aliorum nepotum cum exclusione fœminarum, cessantibus illis, censeantur istæ tacitè vocatæ?

SVMMARIVM.

1 *Argumentum à contrario sensu habet locū etiam in vltimis voluntatibus, dummodo ex eo non inducatur legis correctio. n. 2. Valet etiam de feudo ad fidei commissū num. 6.*

3 *Testator in dubio censetur se conformare iuris dispositioni communi, vel statutarÿ.*

4 *Masculis vocatis ad fidei commissum, deficientibus, censentur tacitè vocatæ fœminæ, etiam si fuissent in testamento exclusæ, quod procedit etiam in feudis. num. 5.*

7 *Ratio bonorum conseruationis in familia à Testatore expressa nō operetur exclusionem fœminarum in fideicommisso.*

Con-

8 *Conditio posita in capite praecedēti, censetur repetita in sequenti quando non est diuersa ratio, & fortius quando est maior num. 9.*

10 *Bona antiqua prohibita alienari virtute consuetudinis Neap. an possint alienari per vltimum successorem in praeiudicium sororis?*

11 *Alienatio dicitur facta in fraudem, quando nihil peruenit ad alienantem de bonis alienatis.*

12 *Renunciatio facta in amplissima forma à sorore tēpore matrimonij, censetur facta fauore fratrum, eorumque descendentium, quibus praemortuis euanescit, nec extēditur ad ea, de quibus renūcians tēpore renunciationis nullam notitiam habebat? n. 13.*

Resolutio C C I I.

DE Mense Maij 1556. fuit conditum testamentum per quondam Thomam Nauclerium, in quo inter alia fideicommissum instituit duorum eius palatiorum sitorum in Ciuitate Neap. vnius sc. ex eis in platea S. Ligorij, alterius in suburbio Plagae maritimae cum Iardeno in beneficiū quondam D. Octauij Nauclerij eius nepotis ex fratre, & masculorum ab illo descendentium in infinitum cum prohibitione alienandi ex quauis causa, quātumuis necessaria, & vrgenti, etiam pro redemptione captiuorum dotis, & similiū, cum conditione, quod existentibus masculis ex d. D. Octauio, eiusque descendentibus, feminae essent exclusae, etiam si essent proximiores in gradu, vt legitur *fol. 154. & 155. à t. litt. A.* Et voluit etiam, quod quando non superessent masculi ex d. D. Octauio, & eius descendentibus, in tali casu, etiam quod superessent feminae, succederent in dictis palatijs, & iardeno Alphonsus, Mutius, & Ioanne Baptista Nauclerij fratres praedicti D. Octauij & eius descendentes cum eadem exclusione feminarum. In anno postea 1573. praeuio decreto S.C. Iardenum praedictum fuit concessum in emphyteusim diuersis, & census subrogati loco fideicommissi, de quibus censibus maior pars fuit assignata D. Annae Nauceleriae in anno 1650. in partem dotium à D. Octauio Nauclerio vltimo possessore, vt ex Instr. In quo & fuerunt cessi praedictae D. Annae annui aurei 60. de summa aur. 105. debitorū eidem D. Octauio ab Andrea Nauclerio pro censu super d. palatio sito in d. suburbio, quod quidem palatium est illud idem remasum in haereditate praedicti quondam Thomae fideicommittentis, dum in eo adsunt eadem signa ab eo descripta in praedicto fideicommisso, & agnoscitur à testibus examinatis *n. 4. sup. ar. 3. fol. 197.* Adest etiam palatium in platea S. Ligorij, quod est illud idē, quod possidetur ad praesens à Camilla Nauclerio, vt dignoscitur ex signis appositis à testatore, & ita deponunt etiā testes *sup. ar. 4. fol. eod.*

Contendit nunc D. Anna Nauclerio soror praedicti D. Octauij nouissimè defūcti absque liberis ad ipsam spectauisse, & spectare praedicta duo palatia, & census in praedictam causam subrogatos, tamquā tacitè, & saltem ex verisimili, & coniecturata mente testatoris vocata, ex quo deficiunt omninò tàm masculi descendentes ex praedicto quondam D. Octauio vocato à testatore, quàm descendentes ex praedictis Alphonso, Mutio, & Ioanne Baptista vocatis ab eodem in defectum masculorum descēdentiū à D. Octauio, vt deponunt testes praedicti *sup. 6. fol. 197. à t. & seqq.*

Qui licet asserant *sup. eod. art. 6.* remansisse etiam Camillam praefatam ex familia praedicta, hęc tamen cum annis elapsis praetendisset, succedere in censibus praedictis, vti proximior testatori, & propterea compromisisset istam, & alias differentias vertentes cum praedicta D. Anna D. Iosepho Mariconda, & D. Marcello Filangerio cum voto V. I. D. Francisci d'Andrea fuit per laudum acceptatum à partibus exclusa, vt deponunt ijdem Arbitri *sup. art. 7. fol. 199. à t. in fine, & fol. 201.*

1 Est ergo breuissimè indagandum, an relata D. Anna sit tacitè vocata à praedicto quondam Thoma, & quod ita sit affirmandum, vrget primo illud fortissimū argumentum, ductum ex loco à contrario sensu, à quo illud, quod venit, perinde habetur, ac si esset expressum, & dicitur venire ex mente, iuxta *Gl. in l. qui testamēto §. mulier ff. de testā. cū alijs adductis per DD. in l. 1. §. huius rei ff. de offic. eius, Euerard. in sua centur. legal. in loco à contrario sensu 2. in ordine,* & huiusmodi argumentum habere locum etiam in vltimis voluntatibus, quā-

uis

uis dispositio sit conditionalis ex *tex. in l.si legatum in princ.ff.de adimen.legat.l.quod purè ff.quando dies leg. ced.l.alsquãdo in fine cum simil.ib. ff. de condit. & demonstr.* probant *Euerard.loc. cit.circa finem vers. item circa præmissa.Peregr.de fideicomm.art.*28.*n.* 5 58. communiter concludunt post *Alex. Dec.& Iason.DD. in d.§.huius rei, vbi Alphanus ante n.*151. *vers.alterum*, ibique ab hac communi sententia non esse aliquo modo recedendum affirmat, & probat ex *tex.in l.pecuniam quam si cert.pet. l. inter socerum §.cum inter de pact.dotal.Affl.dec.*202
2 à quo non dissentit *de Franch.decis.*537.*n.* 13.quando non inducitur legis correctio, prout etiam firmant *Cacheran. decis.*85.*nu.* 4. & 14. *Fusar.q.*736. *cit.nu.*6.*Ricc. collect.* 2605. *vers. item in contractibus p.* 7. & de communi quoque testantur *Facchin.lib.*13 *controuers. iur.cap.*9.*Tusc.concl.*498.*n.*58. & *post nonnullos Io.delCastillo quotid.contr.lib.*5. *cap.*88.*n.*19.& quod tale argumentum indubitatè sumatur ex verbis limitatis, aut restrictiuis *Barbos. in l.si cum dotem nu.*32. *solut.matrim.Decian.Casanat.Camill.Gallin. Tusc.Surd.& aly apud eundem Castill.d.cap.* 88.*n.*21.*& seq.*

Vnde cũ testator voluerit in sensu directo, & expresso, quod sint exclusæ feminæ existentibus masculis, à contrario sensu censetur voluisse eas includi masculis deficientibus, tum magis eum ex hoc non solùm non inducatur legis correctio, sed potius testator se conformauerit legis dispositioni, tàm iuris communis, quàm municipalis, qua in defectum masculorum
3 vocantur feminæ, Testator enim censetur se conformare cum dispositione iuris cõmunis, vel statutarij, vt notant *DD. in l. hæredes mei, §.cum ita ad Trebell. alios recenset* Cap.*Latr.dec.*3.*n.*4.

Secundò ponderatur, quod in puncto voluit *Peregrin.de fideicomm.art.*27. *nu.*24.
4 vbi referendo eadem verba num.quę fuerunt apposita à Testatore in nostra facti specie, illa scilicet, (*talmente che esistentino mascoli dal predetto D.Ottauio, e suoi descendenti, le femine omnino s'escludino*) & concludit deficientibus masculis, venire feminas, allegat *Alex.Dec.Crauett.Ruin.Paris. Gozadin.*& idem substinet ipse Peregr. in feudalibus, & emphyteuticis *ar.*29.*n.*18. alios plures addens, & testans bis ita iudicatum. Et licet contrarium tenuerit *Menoch. cons.*567. *à n.* 12. *& seqq.* cui assentit *Fusar.de substit. q.*379.*n.* 58. nihilominus opinionem Peregrin. in praxi receptam, veriorem, & magis communem fatetur idẽ *Fusar.ibidem sub n.* 60.

Tertio ad confirmat. prædictorum ponderantur ea, quæ fuerunt discussa, & decisa in casu, quo fuerat facta donatio feudi masculis tantùm, exclusis feminis, & cõcurrebat Reg. Fiscus, qui ex vi pacti exclusiui feminarũ intendebat illas excludere à successione illius feudi, & fuit in Coll. Conc. iudicatum ad fauorem feminarum contra Regiũ Fiscum in causa Illust. Ducis Magdaloni cum D. Ioanna Carafa, & Regio Fisco, vt testatur *Reg.Moles decis.*107. *in manuscriptis*, ea præcipua ratione, quia illa exclusio fuit facta non in odium feminarum, sed fauore masculorum vt st.masculi existentes in vlteriori gradu præferantur feminis existentibus in priori; at illis deficientibus, admittuntur feminæ, *Reg.Tapia in annot.ad ius Regni, & propriè in constit.si quando la seconda n.*18. *sub tit.de iure fisci*, dictamque decisionem recollegit *Pras. Vrsin. de success. feud. p.*2.*q.*2. *art.* 2.*sub n.*25. *& meminit Hodiern.ad Surd.decis.* 95. *sub n.*12.à feudis autem ad fidei-
6 commissa licet arguere ex traditis *per Peregr. de fideicom. art.*27. *n.*4. *Fusar.de substit. q.*379.*sub n.*14. Nec potest dici feminas semel exclusas censeri perpetuò exclusas; nam intelliguntur exclusæ ad tempus donec st. & quousque masculi extiterint, vel non defecerint, vt ex adductis *per Montan.controu.forens.* 22. *Hodiern. ad prædict.decis.Surd.* 95. *sub num.*24. *vers.nec obstat. tex.* vbi contrarijs iterum respondet.

Nec refragatur fuisse consideratam a 7
Testatore conseruationem bonorum in familia, & pro illa fuisse expressè iniũctum prædictum fideicommissum, & sic non venire feminas, vt post *Bald. Corn.Dec. & Curt. Iun.concludit Crauett.cons.*180.*n.*1. *& cons.*306.*n.*5. quem refert *R.Rouit.cons.*30. *n.*6.*lib.*1. nam hoc non procedit, vbi sunt extincti omnes descendentes masculi, vocati à testatore, ob quorum defectum cessat cõseruatio bonorũ in familia, vt declarat idem *Rouit.ibid.n.*7.cui addo *Socc.Gabr. Paris. Ruin. Cephal.* quos refert *Fusar.de subst.q.*311. *n.*34.

8 Et quamuis verba illa adiecta in prima dis-

dispositione, st. *talmente che esistentino masculi dal sudetto Ottauio, & suoi descendenti le femine omnino s'escludino*, non sint repetita in sequenti dispositione, seu substitutione, quando vocauit ad prædictam successionem Mutium, Alphonsum, & Io. Baptistam Nanclerio; regulariter tamen qualitas, & conditio posita in præcedenti capite, censetur repetita in sequenti, vt ex Anchar. Fulgos. Curt. Sen. Corn. Dec. Paris. Crauett. Menoch. & Oddo probat *Fusar. cit. q. 450. in princ.* præsertim cum non adsit diuersa ratio idem *Fusar. n. 9.* & quod ex voluntate Testatoris, rationis identitate, alijsque ex causis inducatur repetitio, ex multis ad confirmandam sententiam Abb. contra Anan. probat *Ioan. Castill. quotid. controu. iur. tom. 2. cap. 4.* vbi latissimè hanc materiam pertractat, & præsertim *n. 135.* & in casu nostro non solùm eadem, sed fortior vrget ratio ad inducendam repetionem, nam qui in primo capite substitutionis feminas masculis deficientibus vocasse censetur ex supradi-

9 ctis, multo magis eas vocasse in 2. cap. substitutionis credendum est, argum. *tex. in l. si viua matre C. de bon. mater.* & si id testator voluit in prædilecto, magis censetur idem voluisse in minus dilecto, cuiusmodi fuerunt prædicti vocati in secundo gradu *l. publius 36. §. Titia circa finem de condit. & demonstrat.* & ad hoc propositum nonnulla congerunt *Molin. de Hispan. primogen. lib. 3. cap. 5. à n. 45. Mierez, Baez, Deeian. Menoch. Rimin. & Mattheac. relati ab eodem Castill. d. cap. 4. à n. 16.*

10 Fuit secundo loco propositum pro parte dictæ D. Annæ alterum caput fundatũ in dispositione iuris Municipalis eiusdem Ciuitatis, cuius virtute intendit se fuisse etiam vocatam ad medietatem bonorum peruentorum ex hæreditate dicti quondã Thomæ ad dictum quondam D. Octauium vltimum morientem, vti eius proximiorem, cum non possit dubitari bona prædicta fuisse antiqua, et peruenta ab ascendente dicti quondam D. Octauij cuiusmodi erat prædictus quõdam Thomas eius abauus non obstante, quod in vita contraxerit nonnulla debita, ex quo erat ei prohibitum alienare etiam in vita respectu prædictæ medietatis obnoxiæ consuetudini, vt fundat *Affl. decis. 347. & ibi Vrsill.* præsertim in casu nostro, attenta qualitate personæ prædicti D. Octauij, dũ alienatio nõ processit ex causa necessaria, sed merè voluntaria, consumendo patrimoniũ in ludo, & similib. ac prodigaliter viuendo, vt deponunt testes sup. *art.* 10.

11 *fol. 197. à t. & seqq.* Et ob id censeri etiam alienationem factam in fraudem probat post alios ab eo citatos *Pater Molfes. ad consuet. Neap. p. 3. q. 1. in fine.* non minus quã quotiescumque nil peruenit ad alienantẽ, vt ex *Bart. Socc. Ruin. Sforza Odd. & Georg. tradit R. Capic. Latr. consul. 123. num. 105. tom. 2.*

12 Nec potest ab vtroque capite tã fideicommissi, quam beneficij prædicti iuris municipalis excludi ipsa D. Anna prætextu renunciationis factæ in amplissima forma tempore, quo fuit nuptui tradita per D. Octauium, siquidem indubitati iuris est illam censeri factam contemplatione prædicti D. Octauij, & filiorum ex eo procreandorum, qui cum non fuerint orti, & prædecesserit idem D. Octauius ab intest. superstite D. Anna, euanuit, seu fuit resoluta renunciatio, deficiente conditione, sub qua de iure censetur illam egisse, pro ut omissis quampluribus rationibus, & authoritatibus, cum latissimè hic articulus fuerit pertractatus apud *Reg. Marcian disp. 8. & Reg. de Marin. lib. 2. resolut. resol. 189. lib. 2.* non opus est illa transcribere, dum etiam apud eosdem obseruari possunt quamplurimæ decisiones amplissimorum

13 Senatuum ad fauorem feminarum renũciantium, præsertim cum in casu nostro versemur in fideicommisso instituto centũ annis retro, cuius nullam habebat scientiam D. Anna, & sic nullo modo censeri ei renunciatum, nisi probata illius scientia iuxta communem sententiam Bart. quam cæteri sequuntur *in l. qui Romæ §. duo fratres de verb. oblig* & docent *Pereg. cit. ar. 52. n. 2. & 33. Fusar. de substit. q. 591. & 595.* requirique clausulam visis, cognitisque verbis testamenti, ad hoc vt valeat renunciatio fideicommissi iuxta *tex. in l. de his ff. de transact. latissimè idem Fusar. quæst. 594. Reg. Merlin. tom. 2. controuers. controu. 61. & Sanfel. decis. 202. num. 31.*

Ad successionem hæreditatis quondam Titij concurrunt eius fratres Patrueles, & consobrini ex vna parte, & ex alia monasterium monialium ex persona Bertę, professæ in eodem monasterio, sororis vtrinque cōiunctæ dicti quond. Titij, videndum quis præferatur.

SVMMARIVM.

1 *Contractus stipulatus à Patre in beneficiū filia absentis censetur ad eius notitiam deuenisse n. 2. & 3.*

4 *Conuentiones contrahentiū sunt instar legū.*

5 *Actus quilibet, vel contractus inter viuos, vel in vltima voluntate in casu dubij interpretatur iuxta vsum, & obseruantiam.*

6 *Promissio de aliquid faciendo, non habetur pro facto, sed contra, si illud faciendum pendeat à voluntate promittentis nu. 7. & 11.*

8 *Dotis constituendæ promissio operatur, vt intelligatur constituta maximè si in promissione interuenit iuramentum.*

9 *Monasterij promissio de futura renunciatione monialis ingressura, habet vim renūciationis præsentis, quamuis in promissione non interueniat ingressura.*

10 *Monasterium potest non acquirere.*

12 *Licentia necessaria ordinarij ex Trident. in renunciatione profitendorum, ex quibus intelligatur concessa, si non appareat expresse.*

13 *Argumentum à communiter accidentibus validum est in iure.*

14 *Concesso vno intelligitur cōcessum omne id, per quod peruenitur ad illud, præcipuè, vt actus magis valeat, quā pereat. n. 15.*

16 *Procurator generalis potest aliquando aliquid prohibere procuratori speciali, qui tenetur obedire.*

17 *Solemnitates requisita ad aliquem actum, si non appareant, præsumuntur ex cursu longi temporis.*

18 *Renunciatio facta ab ingressuris ante professionem non solum ante duos menses, sed etiam ante multos annos, an valeat? & n. 19. 20. & 22.*

21 *Nouitius est subditus iurisdictioni Ecclesiæ, sed quid quoad bona donata Religioni ante habitum susceptum?*

22 *Soror de iure communi admittitur ad successionem fratris mortui ab intestato.*

23 *Notarius censetur rogatus apponere in instrumentis clausulas apponi solitas, quibus omissis, præsumitur ex errore omisisse, & n. 24. & 35.*

25 *Renunciatio facta per ingressuram monasterium, intelligitur facta cum clausulis solitis in beneficium propinquorum, & n. 26.*

27 *Nemo præsumitur immemor salutis æternæ præcipuè in morte.*

29 *Error Notariorum in instrumentis conficiendis non est attendendus, si ex contrarijs coniecturis constet de veritate.*

30 *Minus si sit scriptum, quam dictum non præiudicat veritati.*

31 *Renunciatio ingressura in monasterium in dubio præsumitur personalis, sed ex quibus coniecturis præsumatur realis n. 32. & 33.*

34 *Proximiores censentur magis dilecti, quam monasterium.*

Resolutio CCIII.

AD huius controuersiæ resolutionem, ex quo tota difficultas consistit in præferendo, vel excludendo Monasterio ob vires renūciationis factæ à dicta Berta, præsupponendum est renūciationem prædictam hoc pacto processisse; nempe in anno 1619. Abbatissa, & Moniales dicti Monasterij congregatæ capitulariter cum assensu, & præsentia Vicarij generalis Archiepiscopi ad hoc ab eodem deputati contraxerunt cum Sempronio patre dictæ futuræ Monialis, & intuitu futuri ingressus eius filiæ vigore licentiæ ad hoc obtētæ à dicto Archiepiscopo, idem pater cōstituit d. Bertæ dotem suo tempore soluēdam, cum expresso pacto, quo Abbatissa, & Moniales obligantur, quod dicta Berta tempore velationis, & Monachationis cedat in beneficium dicti Sempronij patris, eiusque, &c. omnia iura, actiones, ad se spectantes super bonis paternis, & maternis, & auunculorum, patruorum, amitæ auitæ vtriusq; & vocando se bene contentam dictum patrem quietare in forma. Deinde verò in anno 1623. ipsa Berta mox ingressura in clausuram dicti Monasterij pro velanda, & monachanda in eo, facta mentione vna cum dictis Abbatissa, & Monialibus dictæ promissionis dotis factæ a patre

patre ; & renunciationis eidem promissæ,
renunciauit eius patri præsenti verbis in
dicto primo contractu expressis , quibus
adimpletis sequuta fuit suo tempore so-
lemnis professio . Contendit monasterium
remouere obstaculum renunciationis hu-
ius , quo solo impeditur frui dispositione
*tex. in §. 1. & toto.tit.instit.de leg.agn.suc.au-
th. cessante C. de leg. her.* alias fieret locus
prædictis cõsobrinis, & patruelibus. Obij-
cit autem monasterium contra renunciati-
onem plura .

Primum est, quod in promissione illa de
renunciando, seu renunciari faciendo facta
a monasterio non interuenerit ipsa Berta ,
in cuius persona fundabatur actus renun-
ciationis tunc faciendæ . Secundum, quod
tantò minus valet, quia non fuit renunci-
atio , sed tantum promissio de renuncian-
do. Tertium, quia non fuit roborata au-
thoritate , seu licentia Ordinarij contra
tex. in cap 16. de regular. sess. 25 Conc. Trid.
Quartum, quod tãto minus sustinebitur, si
inspiciamus actum renunciationis factæ
ab ipsa Berta in anno 1623. vtpote, qui
laboret eodem defectu authoritatis Or-
dinarij. Quintum, quia dato validissimam
fuisse renunciationem, non facit ad casum,
de quo agimus , nempe successionis , &
hæreditatis fraternæ , cui nullo pacto re-
nunciatum apparet , quicquid sit de alijs
successionibus. Sed facili ni fallor , nego-
tio resoluuntur .

Ad primum non possumus inficiari Ber-
tam non interuenisse in contractus illius
stipulatione expresse, publicè, & palam,
non enim congruit puellarum decori cæ-
tibus masculorum immisceri , præsertim,
quando actus fieri potest sine ipsarum in-
teruentu , prout in casu nostro, vbi Sem-
pronius eius pater stipulando , & promit-
tendo suppleuit pro filia, prout, & mona-
sterium pro futura moniali ; quo facto se-
quitur contractum illum deuenisse statim
ad notitiam filiæ : tum quia gestus non ab
extraneo, sed à patre, cum quo cohabita-
1 bat , & circumscripta cohabitatione, suffi-
ceret sola paternitas, immò latior sangui-
nis coniunctio ad inducendam scientiam ,
eaque inducta acceptationẽ gestorũ à pa-
tre : tum etiam, quia suum ipsius filiæ ne-
gotium continebat contractus, *Gl. in l. cum
hæres 24. de liber. leg.* quam ad hoc citat
Bald. cons. 295. Petrus Lambardus lib. 3. vbi
quod etiam si non probetur cohabitatio ,
præsumitur vicinitas, & conuersatio inter
patrem, & filiam. ad *l. possessionum C. comm.
vtr. iud. de quo latè Meno. h. cons. 271. n. 19.
& cons. 1153. n. 4. & præsum. 24. n. 4. lib. 6.* &
generaliter quemlibet contractum respi-
cientem fauorem filij à patre deuenisse
statim ad eius notitiam probant *innumeri
DD. apud Rol. à Vall. cons. 19. nu. 45. lib. 1.
cons. 4. n. 34. lib. 2. cons. 1. n. 63. lib. 3. cons. 1. nu.
42. lib 4. cons. 49. n. 40. eod. lib. 4.* Et in termi-
2 nis, quod pacta conuenta pro matrimonio
contrahendo , absentibus sponsis valeant,
& eorum scientia præsumatur , præsertim
si sequatur matrimoniũ tradit *Tellius Fern.
ad l. 17. Tauri n. 21. p. 1. sequitur Consiliar.
Theodorus in alleg. 43. n. 14.* & in eisdẽ ter-
minis probat *Cãnet. in extrau. si aliquẽ, & in
c. incipiẽte, quarit enim. Andreas fol. 55. prima
additio ad Decium cons. 35. Peregr. cons. 9. n.
1. lib. 5.* quos citat *Regens Rouit. decis. 1. nu.
22.* ad probandum scientiam sponsæ absẽ-
tis de renunciatione promissa in capitulis
ex consuet. Cap. & Nidi : & in terminis,
quod in filia præsumatur scientia facti pa-
terni, sunt *Bald. Anchar. Socc. Ruin.* quos ad
hoc citat *Ludouis. dec. Rota 83. n. 3.* loquens
in facto paterno ad ipsum patrem spectan-
te. quanto magis idem dicendum in facto
spectante ad filiam ? facto quidem non
momentaneo, sed perpetuo, nempè muta-
tionis status ipsius filiæ , toto vitæ cursu
duraturo. ad idem est *Menoch. cons. 1153.
num.* 14.

3 Hoc demonstratur clariùs ex indè po-
stea secutis, nam ex illo primordio contẽ-
torum in illo primo contractu dependet
totus monachatus ; nempè solutio alimẽ-
torum ante professionem , quæ alimenta
percipiens Berta non potuit alio referre ,
quam ad contractum prædictum , & ad
causam in illo expressam; professio , & ad
rem nostram renunciatio amplissima facta
de anno 1623. ab ipsa Berta expressè asse-
rente se illam facere pro obseruantia pro-
missionis factæ de renunciando in dicto
primo contractu . Et quamuis contractuũ
illorum verba adeò clara sint , vt non in-
digeant glosa instar legum, prout de legi-
bus habentibus clarã dispositionem, quod
super illis nulla sit facienda disputatio ,
aliàs fieret illis iniuria, probat *Sigism. Scac.
in tract. de iud. lib. 1. c. 63. sub n. 2. quo se re-
fert in tract. de comm. & camb. 61. q. 1. nu.*
406. Nec immeritò, quæ in hoc de legum
4 interpetratione , & viribus traduntur,

trahimus ad contractus, cum pacta, &
conuentiones contrahentium sint instar
legum, & ita seruanda *l.1.§.si conuenerit ff.*
depos. l.legem C.de pact. & qui habet instru-
mentum pro se, legem ipsam habere vi-
detur; vbi enim est casus instrumenti, ibi
est casus legis, *Bal.cons.215.proponitur quod*
inuestitura num.3. in fine lib. 2. Rol. à Vall.
cons.102.à n. 38. vol.4. alios apud Reg.Rouit.
*cons. 1.n. 30. & 31.lib.1.Ludouis.decis.*180.
5 Quod corroboratur ex illo indubitato a-
xiomate, dictante quemlibet actum, con-
tractum, priuilegium, dispositionem, siue
inter viuos, siue in vltimis voluntatibus, si
quis forte scrupulus ambiguitatis emerse-
rit, recipere interpretationem, & declara-
tionem ab vsu, & obseruantia, *Grauet. cons.*
101.*n.3. Arèt.cons.11.col.3. versic. sed limita*
Soc.cons.111. col. ult. lib. 1. Dec. cons. 156.
col.ult.idem Menoch. cons.75.n.56.cons.276.
num.19. & cons.1007.n.92. & generaliter in
omnibus actibus, tàm inter viuos, quàm
in vltimis voluntatibus, idem *Menoch.cons.*
451. *nu. 14. & alibi passim DD.* Habemus
igitur, & promissam, & factã renũciationẽ.
6 Ad secundum posito, quod ipsa verè
promiserit renunciare in d. primo cõtractu
anni 1619. stipulato cũ eius patre, & mona-
sterio, stetit contractus in puris terminis
promissionis de renunciando, nulla autem
tunc fuit facta renũciatio, à quo sequitur,
quod cùm renunciatio postea secuta in
anno 1623. fuerit destituta authoritate, &
licentia Ordinarij ad præscriptum *cap. 16.*
sess. 25. propterea non sit agendum de re-
nunciatione. Sed respondetur, quod
quamuis regulariter promissio de aliquo
faciendo non habeatur pro facto, nec fe-
cisse dicatur, qui facere promisit, *l. in*
bonæ fidei §.sanè, vbi Gl. & DD. ff. de eo, quod
certo loco, de quo latè *Tiraquell. de retract.*
conuẽ. in fine à n.41. quod et latè prosequi-
tur *Fontanella de pact.nupt. claus.4.gl.9.p.4.*
loquentes de omnibus ferè contractibus,
tamen ad vitandum circuitum, promissio
habetur pro facto *ad l. Dominus testamento*
ff.de cond.indeb. l.cum.fundus, §.seruum tuum
imprudens, ff. si cert. pet. præsertim si duo
7 principaliter cõcurrant, nempe quod actus
ille dependeat à sola voluntate eius, qui
promisit facere, vt probat *Flamin.Cartar.in*
dec.Gen.29.n.9. prout est casus *Reg.Rouit.d.*
cons.42.n.7. vbi cumulat alios, & quod in
illa promissione de faciendo interueniant
omnia, quæ requiruntur in ipso facto, idest
quæ interuenirent, si actus fieret, ad tra-
8 dita *per Afflict.* loquentem in promissione
dotis constituendæ, vt habeatur pro con-
stituta ex sola promissione *Vrsil.dec.61.Co-*
uar.lib.3.var.c.4.n.8. in fine. Fontanell.dicta
claus.4.gl.9.par.4.à n.33. quam conclusio-
nem pluribus cumulatis casibus ornat *Re-*
gens Merl.tom.1. controu.c.4. Et hoc quidẽ
tantò magis stante iuramento, cuius est
vis, vt obliget præcisè adeò, vt faciat ha-
beri pro facto illud, quod fuit promissum
fieri probat *Seraf.priu.23.Iuram.nu.14. &*
25.post Bald.in l.rescripto col.3.de iure iuran-
do, præsertim quando actus dependet a
sola voluntate promittentis, vt ibi sequi-
tur *sub n.27. & post alios Surd. cons.457.nu.*
18.idem Merl.vit.
9 Sed hucusque dicta videntur certo mo-
do superflua, nam verum est solam pro-
missionem monasterij de futura renuncia-
tione monialis ingressuræ habere vim re-
nunciationis iam factæ, & sufficere ad om-
nes illius effectus, tenerique præcisè illam
obseruare, præsertim stante iuramento,
prout docet *Reg. Rouit.cons.42.n.7.lib.2.post*
Conan. Seraf. & alios, quos ibi citat, quem
sequitur *Merl.d.c.4. n.1.2. & 3.* idque non
obstante, quod in illa non interueniat pu-
ella monachanda, ex quo cum dictæ puel-
læ, si succederet, nihil acquiratur, sed bona,
& iura hæreditaria per eam acquirerentur
monasterio; imò potiùs recta via ad mo-
nasterium irent, siue velit, siue nolit ac-
quirere monialis, prout est communis, de
qua *Reg.Tapia in sua solemni repet. auth.in-*
gressi in verbo ipso ingressu n. 94. Caualcan.
Less. & alij per eos citati. quos hanc veluti
communem opinionem sequẽs citat idem
Rouit. cons. 44. n. 20, non requiritur illius
puellæ interuentus, aut voluntas, quod
tradit etiam, *Bar.in auth.si qua mulier n.15.*
C.de sacr.sanc. Eccl. nempè posse monaste-
rium renunciare validè, etiam quod non
interueniat dictus consensus puellarum,
quæ erant ingressuræ, ex quo monasteriũ
10 potest sibi præiudicare in quærẽdis, quod
decisum fuisse in Rota restatur *Serafin.dec.*
1198.in princ. considerabitur tantum per-
sona monialis, vt per eius existentiam fiat
locus successioni, quæ locum non haberet
si prædecessisset, prout considerat idem
Rouit.d.cons.44.n.20. & 21.
11 Posset tamen controuersia hæc vnico
verbo absolui, nempe, quod renunciatio
promissa à monasterio habetur pro facta
in

in eius damnum, cum dependeat ab eius voluntate, vt probat *Rouit.conf.42.n.7.* & quamuis sit de facto alieno, habetur pro facto proprio monasterij promittentis, tũ stante iuramento, quod obligat præcisè *Abb. in c. ex rescripto in fine de iure iur.* & alij, & in proprijs nostris terminis *Merl. controu. cap.14.n.7.* tùm etiam quia factũ, quamuis alienum, dependet tamen ex facto illius personę, quàm cogere poterat, *de Ponte cons.6.n.39.& cons.10. n.2.in primo vol.* quem & alios ad hoc citat *Merlin. d.c. 4. n.9.* Tuta igitur vndique redditur hæc renunciatio, in qua remanet probandũ interueniſſe etiam authoritatem, & licentiã Ordinarij, & ideò.

Ad tertium. Quamuis literæ dictæ licentiæ, & poteſtatis datæ ab Archiepiſcopo non appareant, vt legi poſſit in illis
12 ſpecifica hęc licentia; ſed tantùm fiat de illis mentio in epiſtola eiusdem reſponſiua monaſterio his verbis videlicet, *s'inuia l'incluſa al Signor Vicario, che per me aſſiſta, e ſopra intenda alle cautele, che ſe hanno da ſtipulare*, tamen præſupponendum eſt omninò poteſtatem hanc in illis fuiſſe datam nempe vt Vicarius aſſiſteret vti ſuperintẽdens in cautelis; hæc autem ſuperintendentia, quid aliud reſpicere debebat, quã, vt cautelæ fierent, prout fieri mos eſt, & cũ clauſulis, & pactis ſolitis, & conſuetis in ſimilibus actibus; quod quidem aſſumptũ latiori probatione non indiget, *ad tex.in l.quod ſi nolit, §. qui aſſidua, ff.de adil. edict.l. fin ff.quod cum eo c.cum Marta vbi gl. de celebr.miſſ.Bal.in §.fin.per illum tex.inſt.de ſatisd.tut.Canon. in c.cum.M.Ferrar.de conſtit. Alex.& Iaſon.in l.fin.C.de fideiuſſ.l.certi condictio, §.ſi nummos ff.cert.pet.* et latè *Euerar. in ſua cent. in loco abuſitato in princ.* vbi ad rem noſtram *ſub n.4.* quod etiam in Bullis Apoſtolicis ſi omiſſæ ſint aliquę clauſulæ, quæ ſolent apponi ſub intelliguntur, *per tex.in c.accepimus, vbi notat Ant.But.de ætat. & qualit.*

13 Secundò, cum videamus in dies fieri matrimonia, tàm carnalia, quàm ſpiritualia cum renunciationibus futurarum ſucceſſionum, cur non dicemus idem in hoc caſu, alio non apparente, eo magis quod interuenientibus cautelis cum enunciatione cautelarum ſolitarum, quæ tamen non appareant; dicimus generaliter illa interueniſſe, quæ de communiter accidẽtibus ita ſolent interuenire. Quod quidem argumentum, ne dum eſt frequens, ſed probabile, & vtile *cap.1, vbi Canon.de elect l.quadam §. nummularios ff.de eden.Bal.in l. conuenticula C.de Epiſ. & Cler.in c.ſi.de cauſa poſſ. & propriet. & in l data opera C. qui accuſ.non poſſ.Crauetta conſ.40.n.2.* quod latè probat, & ornat *Euerar.in d.ſua cent.in loco à communiter accident.* & eſt adeò potẽs, vt transferat onus probandi in aduerſariũ, *gl.in l.neque natales, C.de probat. Rom. ſing. 401.* imò dicitur probatio concludens neceſſariò *Felin.in c.in præſentia in verſic.4.limita de probat.ad tradita per Alex. & Iaſ. in l.non hoc, C. vnde cognati.*

14 Tertiò, faciunt, quæ in *l.2.ff. de iuriſd. omn. iud.* occaſione illius tex.tradunt præceteris Iaſ. quòd conceſſa alicui aliqua iuriſdictione, veniunt etiam illa, quę opportunum eſt venire ad opportunius explicandum commiſſa, hinc videmus diſpoſitionem *tex.in auth.res quæ C. cõm.deleg.* permittentis alienari res fideicommiſſi, fauore dotis, locum habere etiam in appenditijs dotis, prout ſunt feſtiuitates, & nuptiæ fieri ſolitæ, & præparamenta, & apparatus dari ſolita mulieribus nubentibus, ita poſt *Gabr.conſ.172.lib.2. Rol. à Val.cõſ. 3.ſub n. 8.lib.6.* & alios à ſe citatos docet *Peregr. art.42.n.80.& Grat.diſcept.for.cap. 498.n.58.*

Quartò, aut fatendum poteſtatem datã ab Archiepiſcopo in illa epiſtola fuiſſe expreſſam ad authorandum, & tunc nihil vlterius quærendum, nam ſolus Vicarij interuentus ſufficit pro licentia, & conſenſu *ad tex. in l. Titius. ff. quib. mod. pign. vel hip.ſol.* vbi quod omnes interuenientes in contractu, dant ſibi mutuum conſenſum, ad quod multa *Surd.cõſ.70. & 421. Frãch. deciſ.281.ſub n.2.* aut expreſſa non fuit poteſtas illa, non tamen denegata, & tunc ex veriſimili mente Archiepiſcopi, & partiũ dicendum datam ad hoc, vt actus potius
15 valeat, quam pereat: cum verũ ſit in dubio intelligi conceſsa ea, quæ non dum validãt actum, ſed faciliorem reddunt actus executionẽ ex ſuperius adductis, ad quod multa *Menoch. cõſ.14.n.8. cõſ.85.n.25.* plura *Rota per Ludouiſ.dec.72.n.2. deciſ.204.n. 17.deciſ.282.nu.7.& 11.& deciſ.587.* tanto magis, quia nullum habebat Archiepiſcopus intereſse, quod licentia illa non daretur, imò potius intererat illam dari, &

ad

ad actus à se, & suo nomine faciendi debitum, & congruum adimplementum, & nè daret subditis ansam quęrendi extra regnum, & in tàm remotis partibus superiorem suum ad obtinendas debitas prouisiones, quas intra proprios lares habere debebant ad ea, quæ circa assensum in contractibus feudalibus impetrandum, vel non à Rege extra Regnum, ex defectu potestatis sui Vicarij in Regno, tradit *Andr. de Isernia in cap. Imperialem à n.13. de prohib.feud. alien.per Feder.& Camer.ibi fol.76. col.4. lit.V.* Ad euitandas etiam disputationes, an quia Prælatus non habebat causam denegandi licentiam, potuisset fieri renunciatio, cum haberetur pro concessa licentia, ad ea, quæ in terminis *Constit. Regni si quis post litem* tradit ibi *Iser. de assensu præstando, vel pro præstito habendo, si denegetur*. Imò ipse Vicarius in casu nostro præstare potuisset nullo alio extrinsecus requisito ex verisimili mente Prælati, lõgo terrarum tractu absentis, & ignorantis, nec n. nouum est validam esse etiam contrauentionē, quæ fiat voluntati Domini, vel

16 superioris absentis, cui non potest in prõptu noua causa denunciari, si procurator generalis, qui nihil commune habet cum procuratore speciali, potest ex causa inhibere illi in re specialiter ei commissa, & ille tenetur parere ex verisimili mẽte Domini, qui si sciret, pariter inhiberet, quam materiam latè ornat *Felin. in c.1. sub nu.49. de constit.* vbi inter cætera, quod Episcopus potest ex causa statuere contra canones ex Bal. quem ibi citat *in l. omnes populi de iust. & iur. & in rub. C. qui admitti. Abb. in c. quanto n.10. de consuet. Ferd. Vasq. lib.1. contr.c.31.* latè *Tiraq. in præfat. tr. de pœnis temp. à n.30.* faciunt quæ *Grat. discept. 435. n.37.*

17 Quintò possumus ex abundanti addere præsumptionem, quæ nascitur ex lapsu nedùm 30. annorum, qui absque controuersia sufficerent ad quamlibet præsumptionem solemnium extrinsecorum ad tradita *in l. sciendum, ff. de verb. obl. l. filius C. de petit. hæred. Afflict. decis.305. Menoch. præsũp. 132. à n.41. lib.3. multa Grattian. discept. cap. 433. à n.52.* latè *Ant. Gabr. comun. conclus. de præsumpt. conclus.* 1. apud quos habemus, multos volentes sufficere cursum decem annorum. Probatum est igitur, ni fallor, renunciatum, & validè, & solemniter renunciatum, non obstante quod in actu renunciationis præsens Berta non fuerit.

18 Ad quartum. Emergit ex prædictis cõtrouersia non modica, qua inspecta corruit prima facie tenor totius renunciationis quocumque modo illam, eiusque corroborationem ex assensu, vel authoritate Ordinarij consideremus; nam si attendamus finem, nempe anni 1623. nulla interuenit licentia, siue authoritas, si initium, nempè anni 1619. necdùm facta fuit ante duos menses proximos professioni, sed ẽt ante plures annos contra dispositionem dicti *c.16. sess.25. Conc. Trid. de regul.* ergò

19 nulla. In quo quidem fateor esse multos ipsosque etiam graues DD. qui tradiderunt, renunciationem factam vltra, & extra duos menses ab existente in sæculo, ẽt in habitu laicali cogitatione futuri ingressus in monasterium subiacere nullitati dicti decreti Conc. Trid. & sic nullam; tum ex generalitate verborum illius tex. tum etiam ad euitandas fraudes ab illis consideratas, & signanter, nè si valida esset, cogerentur puellæ ingredi inuitę Religionē, si spoliatæ bonis renunciatis viuere non possent in sæculo, & in matrimonio carnali, in quo maiores fiunt impensæ, *Vrsill. ad decis. Affl.348. n.2. Franch. dec.49.* quod cessat si infra duos mẽses proximos, in quibus ob breuitatem temporis, & modicum interuallum habentur pro probatis, & receptis, prout declarat prę cæteris *Menoch. cõs.388. n.7.* hãc opinionē sequuti fuerunt *Nauar. cons.31.82. de regul. lib.3. Azor. tom.1 instit. moral. lib.13. cap.9. Guttier. in c. quamuis de pact. §. dum nuptui tradebatur in fin. Molin. de iust. & iur. disp.139. tr.2. vers. ambiges, & disp. 149. vers. quod Ecclesiam*, et plerique alij, quos ad hoc cumulat *Reg. Hector Capycius Latro in sua decis. 31. S. R. C. à nu. 3.*

20 Tamen opinio hæc, quæ aliquando fuit controuersa, habens hinc inde sequaces, transiuit in processu temporum in communem pro validitate renunciationis factæ in sæculo a seculariter viuente, etiam cum expressa mentione illam fieri ob futurum ingressum ad monasterium hanc amplectitur sibi contrarius *Menoch. de arbitr. iud. casu 436. n.4.* vbi refert etiam pro hac parte declarationem Sacr. Congregat. sup. Concil. Triden. addens se mirari de *Nauar. & Molin.* contrarium sentientibus, idem defendit *Grattian. dec.37. Ricc. decis. Cur. Archiep. Neap.294. par.2.* & omissis,

lis, penè infinitis alijs plenè discusso, & examinato articulo, hanc sequitur *Sanch. in summa lib.7.cap.5.n.3.& 4.* qui refert ita decisum in Senatu Granatensi nemine discrepante, & in hoc non videtur amplius elaborandum, sufficiat pro omnibus dicta *decis.31.Reg.Capic.Latro*, in qua reperies *à n.7.ad finem* innumeros DD. habẽtes conclusionem hanc pro indubitata, habes etiã ibi *ante n.* 8. plures plurium Tribunalium decisiones pro hac parte, à qua etiam stãte dicta declaratione S. Congr. sup. Conc. non licet recedere.

21 Libet solum addere id, quod mouit me in ipso initio, quo quæstio hæc fuit mihi proposita, nempe quod donans, & renuncians adhuc permanens in habitu laicorũ, disponens, siue inter viuos, siue in vltimis voluntatibus de rebus suis non subest in tẽporalibus, nisi iurisdictioni laicali, à qua vt eximatur, requiritur superueniens habitus regularis, quo suscepto tunc demum quamuis nouitius, se, & sua etiam ante professionem subijcit iurisdictioni ecclesiasticæ, ita *arg.tex.in c.religioso 21. §.quamuis de sent.excom. Zabarell in c.perpendimus n.5.de sent.excom.Barb in l.si quis postea quã 7. n. 124. de iudic.* quos, & alios ad hoc probandum refert ad saturitatem *Consiliar. Carleual. in suo tract. de iud. disp.2.nu.406.* qui si quod sensisset in contrarium, non tacuisset. Si igitur non dum suscepit regularem habitum, exemptus est ab Ecclesiastico, & consequenter eius renunciatio, & cæteri contractus, & bona non ligantur legibus Ecclesiasticis; hanc rationem paucis tamen verbis tradit *Sanch.d.c.5.sub n.4. circa fin.* & alij in locis suis addunt alias rationes, & verè non possunt vitari verba *d.c.16.Conc.Trid.* quæ specificè de nouitio loquuntur, nec possunt ad alios adaptari, vt ponderat *Molfes.in Consuet.Neap. par.4. de renunc.q.16. à n.15.vbi ante n. 21.* tradit hanc esse magis communem, magisque receptam; quicquid postea senserit in contrarium *in tom.2. in addit ad hanc q.16.* de æquitate ex suo capite efficta.

Ad quintum. Vltima superest remouẽda obiectio, quæ fit contra hanc renunciationem ex eo, quod non reperiatur in illa renunciatum successioni fraternæ, quæ sola esset necessaria præsenti tempore, cum hic casus in indiuiduo hodie acciderit, & tamquam non præuisus, nec prouisus, quamuis generaliter præuisi, & prouisi

22 omnes alij, qui potuissent euenire, simus in casu succedendi de iure communi, quo soror ad fratris ab intestato decedẽtis successionẽ admittitur, *auth. cessante C. de leg. hered.* At quia articulum hunc plena manu tractauit, & absoluit doctissimus Episcopus pro euidenti iustitia resultante in beneficium consobrinorum, & exclusionẽ monasterij, non est cur actum agam, & frustrà membranas occupem, illo solùm ponderato, quod satis me mouet, & idem admonet, nempè Bertam, & pro illa monasterium habuisse illud principaliter in animo, vt se abdicaret à sæculo, & addictam strictiori vinculo, Diuino cultui beatiorem sibi meritis vitam pararet; qui finis acquirirur solo ingressu, imò tantò certius, quantò cautius remouentur causæ recordationis rerum sæculi, qua distraheretur, ergo possumus dicere cum Tacito, *dum vis Imperij manet, inania omittuntur.*

23 Insuper facit pro nobis communis propositio, Notarium censeri rogatum de clausulis, & renunciationibus solis *ad Bart in l.fin.in fin.princip. ff. de his, quæ in fraud.cred.l.fin.vbi glos.C.de fideiuss.* latissimè *Ant. Gabr.com.concl.tit. de consuet. concl. 3.in princip.* ibique ampliat, & nos aliquid superius de solitis fieri, quod habeantur pro factis, aliàs posset puniri de falso, vbi *Gabr.in 4.ampliat. post Bart. Bald. Salic. Felin.* & alios, quos citat, & ideo ad hoc vitandum dicatur potius ex errore omisisse, vt ibi *Gabr.n 5.ex Anchar.* & alijs, & tantò magis præsumitur, si interuenerit lapsus etiam minoris temporis, quàm decem annorum; tunc enim habentur pro appositis, ita ex *Rocco in rub. de consuet. in 4. q. vers. ex præmissa doctrina*, quem citat ibi *Gabr.nu.11. Mascard.de probat.concl.1098. n.1.& 2.*

Quamuis autem limitetur hoc, vt non procedat in substantialibus iuxta *Gabr.nu.* 27. non tamen sine contradictionibus *nu.* 28. vel vt alij tradunt procedat regula solùm in illis clausulis, quæ non alterant substantiam rei, secus autem in illis, quæ alterant, prout *Additio magna. ad Alex. cons. 28. in verb. non potest, in vers. fateor tamen lib.2.Regens Galeota cõtrou.42. num.28.tom.1.* Hæc autem nostra sit de al-

24 terantibus, hoc tamen non obstat, siquidem notarius in casu nostro nedùm fuit rogatus apponere clausulam solitam

renun-

renunciationis, ſed illam appoſuit cum effectu, quamuis non integram, ſed defectiuam in nõ exprimendo omnes caſus, qui in renũciationibus ſimilibus comprehendi ſolent, (& ſi ex communi contrahentium conſuetudine cenſeatur, etiam habere mandatum generale ad apponendum omnes clauſulas conſuetas, vt obſeruat *Grattan. diſcept. foren. cap. 548. n.40.*)

25 In quo quidem ſi dicamus notarium conſultò ſic ſcripſiſſe, neceſſariò fatendũ erit falſo ad hoc inductum; numquam n. perſuaderi poterit partes voluiſſe ita cõtrahere ex pluribus. Primò docet hoc experientia quotidiana, & caſus, qui contingunt in dies in omnibus renunciationibus, ad ea, quæ ſuperius adduximus ad tertium. Secundò, quilibet, vel mediocriter verſatus, nedùm in foro, ſed etiam in negotijs, & contractibus reperiet vſu receptum, quod quando renuncians vult ex cauſa aliqua non vti formulis ampliſſimæ renunciationis, ſed aliquid ſibi reſeruare, hoc deducit in pactum expreſſum, dicendo hæc, & ſimilia verba, videlicet. *Verum fuit conuentum inter partes ipſas ex ſpeciali pacto, quod ipſa non intendit, nec vult renunciare ſucceſſioni, quæ ſibi forte deferretur ab inteſtato ob mortem N. & N. ſed eueniente tali caſu vult poſſe illi ſuccedere ab inteſtato, &c.* ſic practicatum, & obſeruatum videmus in caſu, & themate facti propoſito *in deciſ. 31. S.C. per Reg. Capycinum*, de qua ſuperius ad aliud mentionem feci, nec deerant aliæ: aliàs n. quæ ſpeciali nota digna eſſent, ſi ita contrahentibus viſũ fuiſſet, & omittantur, neglecta videntur, *ad l. item apud Labeonem, §. aut prætor, ff. de iniur.*

26 Tertiò, pactum illius renunciationis promiſſæ à monaſterio fiebat cum Sempronio patre, & dotante, qui interuenit nedum pro ſe, ſed etiam pro hęredibus ſuis, nedum ex natura ſtipulationis, pręſertim rei tranſitoriæ ad quoſcumque hęredes, qui veniunt etiam nulla facta de illis mentione, *ad l. ſi pactum ff. de probat. §.1. in auth. de iure iur. à mor. præſtito*, declarat *Socc. Sen. conſ. 293. lib. 2.* etiam ſi promitteretur ſtipulanti cum taxatiua tantum, *Tiraquell. de retract. conuent. §.1. gloſ. 6. Conſ. Theod. alleg. 43. nu. 15. & 16.* ſed etiam quia expreſsè in illo contractu fuit promiſſa renunciatio in beneficium *Semprony, eiuſque &c.* quæ dictio nonniſi ad hæredes referri poteſt, vt ſic ſtipiulando, & ſibi, & hæredibus cõſultũ voluerit, quorum hæredum appellatione non poſſit venire monialis, quia ſe pacto excluſerat, nec ex mente Sempronij, quamuis patris, qui benè conſcius, nihil emolumenti percepturam fuiſſe filiam, ſi ſuccederet, vtpote eſſent recta via quærenda monaſterio, vt ſuperius probatum, voluerit potius conſulere ſuis coniunctis, ad quos impellebatur coniunctione ſanguinis, quam monaſterio.

27 Quartò, idem pater in vltimo, cum quo deceſſit teſtamento, ſumpta occaſione ab his, quæ diſponebat, mentionem fecit de renunciatione hac, eiuſque verba referẽs, protulit etiam renunciatum ſucceſſioni fraternæ, & tamen laborabat in extremis mox moriturus, & memor ſalutis ęternæ, *ad l. ſi quis in graue, §. ſi quis moriens ad Sillan.* & latè poſt alios *Clar. in §. fin. q. 21.*

28 Quintò, cõmunis practica S.C.N. eſt, & ita pluries vſu venit, vt quando ex aliquo errore Notarij omiſſum reperiatur aliquid, quod deducitur in controuerſiam, inſpiciantur protocolla eiuſdem Notarij ad cognoſcendum, quæ ipſe ex ſuo ſtylo ſit ſolitus in hoc obſeruare, & iuxta ſtylũ, quem repererit decidere, ita fuit obſeruatum in præſenti inſtrumento, & ita de ſtylo nobis fauorabili apparent alia inſtrumenta ſimilia; quod autem ſtylus ſit ita obſeruandus, & attendendus, videndo prius alia inſtrumenta ipſius Notarij particularis, & eo deficiente ſit recurrendum ad communem ſtylum aliorum Notariorum, *Bald. in auth. ſi quis in aliquo col. pen. C. de eden. & in l. ſi certis annis col. 3. verſ. ego autem dico C. de pact. Felin. in c. cum P. tabellio, n. 8. de fid. inſtrum. & alij, vt per Maſcar. de probat. concluſ. 1243. n. 21. & ex Franch. Merlin. cõtrou. c. 5. n. 16. & 17. in fin. Farin. in recẽt. deciſ. 723. n. 6. in 2. to. poſt Surd. deciſ. 223. n. 8. & alios.* Et propterea omninò af-
29 firmandum erraſſe Notarium omittendo verbum illud, *fraternis*, qui quidem error demõſtratur inconuincibiliter, ni fallor, nam in renunciatione poſtea facta in anno 1623. ab ipſa Berta appoſuit Notarius renunciari etiam ſororijs, de quibus in illa prima de anno 1619. (cuius veſtigia aliàs ſequi debuiſſet, ſi non erraſſet, nulla erat facta mentio: non igitur faciebat vim Notarius, an hæc, an alia verba insererentur,

tur, satis fuit illi visum scribere, quod renunciet, nec oberit si minus scriptum, quã dictum; est enim compertum in iure, errorem Notarij non obesse partibus, *l. errorem C. de testam. l. si librarius 92. ff. de reg. iur. l. Imperator ff. de stat. homin*, in quo videndi sunt ibi DD. & latè agit *Farinac. de falsitat. & simulat. controu. q. 156. à nu. 82. & in decis. 520. num. 10. tom. 1. par. 2. in eius recollect.*

30 Cum tamen ex hucusque dictis crederẽ posse nos portum appellere, animaduerto, in ipsis faucibus hærere scopulum non contemnendum; si quidem esto, quod & valida, & plena comprehendens omnes casus sit renunciatio, sit tamen illa personalis, nempè habita ratione ad personam masculi, adeò vt masculo cessante, cesset, & renunciatio ab illius contemplatione dependens, ex claris in hac materia propositionibus iuris. Fuit enim concepta

31 satis simplicibus, & nudis verbis, nulla adhibita clausula de adhiberi solitis, nempè pacto de non petendo, quietatione per Aquilianã stipulationem, & alijs latè cumulatis *cons. 42. inter consilia Reg. Rouitũ to. 1.* præsertim quia in dubio est iudicanda potius personalis, quàm realis, *Alex. cons. 29. n. 9. vol. 3. Crauett. cons. 42.* & coaceruatis alijs *Lanarius cons. 49. ante n. 3. Molfes. ad consuet. de renunc. q. 2.*

Tamen affirmandum est absque dubio renunciationem hanc esse realem, & consequenter perpetuam, nec regulari ab existentia, vel deficientia personarum, si realis sit, ex quo renũcians habetur pro mortua. Primò, quia ex dictis superius fuit

32 facta nedum patri, sed etiam eius hæredibus, & successoribus, quod solùm sufficeret ad faciendam realem, ita ex *Napod. Affl. & Capyc. Rouit. d. cons. 42. n. 7. 8. 11. & cons. 44. n. 7.* quem, & alios ad hoc refert *Merl. d. c. 4. n. 5. & 6.*

33 Secundò, ex ipso pacto de nõ petendo, quod quamuis expressè non legatur in hac nostra renunciatione, tamen virtualiter inest; & habet vim pacti de non petẽdo in futurum, quando factum inter partes præsentes, quod ex multis ad hoc cumulatis probat, idem *Rouit. dict. cons. 42. num. 13.*

34 Tertiò, ex coniecturata mente ipsiusmet renunciantis, & renunciationem recipientis ex perpetuo sacrata Deo virginitate, perpetuæque paupertatis voto, quæ facit vt renuncians non dicatur cogitasse de rebus sæculi, etiam in casu, quo fratres absque filijs morerentur, sicut & recipientes renunciationem præsumuntur velle potius præferre agnatos in successione suorum bonorum, tamquàm magis dilectos, quam monasterium, in quod nulla potest cadere præsumpta affectio, hæc sunt formalia verba *Reg. Rouit. cons. 43. n. 7. lib. 1. vbi & nu. 6.* habes etiam non esse necessariam stipulationem Aquilianam, nec pactum de non petendo, sed ex *addit. ad Dec. cons. 31. litt. B. in vers. arbitror sufficere solã professione*, nec est verum renunciationem factam intuitu masculorum, nam præsumitur potius facta, vt numquam bona renunciata peruenire possint ad monasteriũ, probat *Frãc. in decis. mox citanda, Menoch. cons. 6. num. 18.* quos citat *Rouit. d. cons. 44. n. 14. vbi n. 5.* assignat rationem differentiæ inter hanc, & renunciantem ex matrimonio carnali, secũdum quos terminos habes *Decium dict. cons. 31. Couarr. & Ferd. Vasq.* quos citat *Pres. de Franch. dec. 375. in qua sub n. 2. vers. discussa*, refert decisum à S. C. in beneficium agnatorum, excluso monasterio, & sororibus professis, considerata mente eorum, qui receperunt renunciationem, cum non sit verisimile ex parte sororum, nec ex parte fratrum, quod vellent excludere proximiores, vt bona ad monasterium deuenirent; quæ quidem decisio latè, & neruosè defenditur, & ornatur ab eodem *Rouito in d. cons. 44.* quod non repeto, & ita fuit iudicatum ab eodem S.C. iunctis tribus aulis, vt ipsemet testatur post *finem d. cons. 44.* refert, & *Thor. in comp. decis. p. 2. in ver. renunciatio*, vbi citat ad hoc *Lel. Capnt. ad consuet.*

35 Quartò, & vltimo, conclusio illa, quod Notarius dicatur rogatus de clausulis cõsuetis extenditur, vt comprehendat etiam quod stetur consilio Sapientis, ita ex pluribus probant *Neniz. cons. 28. n. 22. Gabr. cõclus. 3. de consuet. n. 37. Capyc. dec. 159. sub nu. 39. vers. & in quantum, Tiraq. de const. lim. 31 n. 10.* vbi reprobat alios contrarium tenentes, *Farin. d. q. 157. de fals. & simul. n. 61.* improbato *Bald.* aliquantulũ refragante *in rubr. C. de his, quæ in fraudẽ cred. n. 6. vers. et ideo Notarius*, & adducto pro hac opinione *eod. Bald.* vt ibi, apposita, vel subintellecta clausula hac nõ pôt dubitari de realissima, & perpetua exclusione, tradit hæc *Merl. d. c. 5. in fine vsque ad c. 8.*

Vtrum quelibet dispositio causa mortis, pestilentiæ tempore cōdita cum duobus testibus valeat?

SVMMARIVM.

1 *Inimicitia capitalis arguitur ex lite cum aliquo, si sit de omnibus eorum bonis, vel maiori parte.*

2 *Verisimile qui habet pro se casum legis dicitur habere pro se.*

3 *Testes non deponentes de causa scientiæ, quamuis de ea non interrogati, nihil probant. Debent deponere de gradu consanguinitatis in indiuiduo, alias non probant n.4. & 5.*

6 *Verba enunciatiua non probant, etiam si essent prolata in iudicio maximè ab eo, qui non habet facultatem disponendi super enunciatis, vel si de ipsis principaliter dubitetur.*

7 *Fideicommissum alleganti, & se vocatum incumbit onus probandi.*

8 *Exceptio rei iudicatæ vt obstet tria concurre copulatiuè debent.*

9 *Testamentum conditum tempore pestis an valeat cum duobus testibus? n.12. vsque ad finem.*

10 *Aduocatus præsumitur habere affectionē ad causam.*

11 *Gl. & Bar. faciunt communem opinionem, & quando non reperitur tex. sufficit Gl. pro text.*

14 *Doctor qui perfunctoriè loquitur, & articulum non disputat, nec DD. affert pro sua opinione non facit numerum in communi opinione.*

18 *Testamentum conditum in Eremo valet coram duobus testibus, sicut etiam peregrini in peregrinatione. In dubio est iudicandum valere, quia concernit publicam vtilitatem. n.19.*

20 *Pestis in loco existens dicitur in extremis constitutus, ibique sufficiunt etiam duæ feminæ ad valorem testamenti ab eo cōditi, & n.21.*

22 *Testes parte non citata regulariter nō probant, quod fallit in multis casibus, & n. 24. si examinentur ad instātiam vnius, & deponant ad fauorem contrarij, plenè probant, quamuis sit vnus n.23. si impediantur ex aduerso examinari, habentur pro examinatis, prout in deterius n. 24. Examinati ad futuram rei memoriā incitata parte an, & quando probent? num.25.*

26 *Clausula codicillaris ex quibus censeatur apposita in dispositione. quamuis expressè apposita non sit? & n. 27.*

28 *Geminatio institutionis quid operetur?*

29 *Testamento excepto in qualibet vltima voluntate 5. testes sufficiunt.*

30 *Testatoris voluntas etiam coniecturata obtinet primum locum in vltimis voluntatibus.*

31 *Trebellianica censetur prohibita etiam ex coniecturis.*

33 *Dos est repetenda à viro soluto matrimonio; vnde donec condemnetur, remanet in eius possessione.*

34 *Hæreditas potest adiri absque decreto Iudicis ab instituto, & solo animo, sufficit etiam possessionem capere sup. vno corpore, vt acquiratur tota n.35.*

Resolutio CCIV.

FActum tale est. Obijt D. Anna Nauclerio in Ciuitate Neap. Mense Iulij anni 1656. prædefunctis sibi ibidem paulò antè quatuor filijs eodem pestilentiæ morbo, tunc temporis magis grassante in d. Ciuitate, relictis bonis suis T. eius benemerito Viro in vltima sua dispositione; in qua quatuor testes ad idem alludentes, licet non idem in indiuiduo deponentes interuenerunt. Primi namque duo testantur omnem de ordine D. Annæ adhibuisse diligentiam reperiendi causa Notarium, vt suum conderet testamentum, & cum circuissent Ciuitatem, renunciarunt ei omnes Curias clausas inuenisse, circumuallatamque Cadaueribus Ciuitatem fol.29.30.35. 36. 39. 54 proc. cur. Cernens propterea hoc sibi impossibile esse, proximamque mortem, declarauit pluries coram duobus testibus fol.29. & à ter.35. in fine, 36. & à tergo, & 54. à tergo suam vltimam volūtatem, in qua perstitit vsque ad mortem omnia bona sua relinquendo præfato suo viro, qui curare deberet celebrari ei mille missas paulo post celebratas, vt ex Apocis autenticis fol.78. & 123.

Vltra prædictos testes sunt, & alij quatuor fol.42. 44. 45. 56. 57. a terg. deponētes de maxima affectione præstita eidem à dicto Viro, non solùm tempore pestis, sed

sed etiam in continua infirmitate quinque annorum, in quibus fuit acerrimè tortà morbo Cancri in mamilla, qua de causa fuerunt adhibita multa Collegia insigniū Medicorum eiusdem Ciuitatis, vltra Medicum assiduum, nec vmquam prædictus eius vir pepercit expensis, licèt maximæ quantitatis, mittendo etiam vsque ad Aromatariam magni Ducis Aetruriæ pro Antitodis vigorosis,vt eam è morbo liberaret, tempore quo dos prædictæ D. Annæ, de qua hodie disputatur, numquam fuit in posse viri prædicti,nisi in postremis tribus annis ante dissolutionem matrimonij,cum fuerit sub iurgio per spatium 13. annorum cum maximo dispendio eiusdē viri,vt fol. 45. 56. 57. & 59. de ore ipsius D. Annæ,quæ propterea dicebat,quod nisi pro filijs,ex tunc instituisset hæredem virū præfatum,existimans, vt in veritate erat, quod fuisset donatio remuneratoria, non institutio gratuita, quando ergo mortui sunt filij paulò ante mortem suam, adimpleuit antea conceptam voluntatem eo modo,quo potuit, vt supra dictum est.

1 Concurrit modò ad hæreditatem prædictam Camilla Nauclerio, adeò temoraria, quod non constat esse in gradu successibili, prætendens successionem ab intestato,hæc est, eum qua fuit habita lis prædicta,vti gubernatrice Montis Naucleriorum, quæ cum fuerit non solùm de maiori parte, sed de omnibus ferè bonis, & temerè prædictam D. Annam per dictum longissimum tempus gratis, & odio intestino insecuta fuerit indebitè,& crudelitèr vexando, certum est, ex hoc ortam fuisse inter eas inimicitiam capitalem. *c.item quis 6.de restit. spoliat.l. propter litem de excusat. tutor.Bar.in l. si quis ità §. non solum ff. de adim. legat.Baiar.ad Clar.pract.crimin.§.fin. q.21.n.114.* & propterea prædicta D Anna potius reliquisset bona sua penitus incognitis, quam dictæ Camillæ,eò magis, quia ex causa prędicta nullam potuisset ab ea sperare celebrari missam, vnicum solatium ab hac vita migrantium, & successiuè tàm ex præfatis causis, quam etiā ex prædictis seruitijs,ei per dictum virum præstitis, patet dispositionem prædictam, nō solùm fuisse verā,& indubitabilem,sed nec potuisse verisimiliter alio modo testati, qui autem habet verisimile pro se,casū legis, dicitur habere,pro se, vt ex *Crauet. & Mātic.*docet *Reg. de Marin.res.91.n.22.* *& resolut.297.n.9.* imò quod verisimilitudo sit cognata naturæ,probet semiplenè, & iuncta cum alijs adminiculis plenè dictum est supra *res.154.n.4.*

2 Quod autem Camilla nullum probauerit gradum coniunctionis cum D. Anna, patet, quia tres tantùm testes examinauit fol. 66.eodem, qui nullum signant gradū; sed solùm in genere fuisse tractatas vti consanguineas. quo modo ego quoque possum dici consanguineus Adæ, & super hac generali depositione, ne quidem dàt 3 causam scientiæ, nisi quod vnus ex eis Rhedarius, assignando causam dicit, quia attulit nummos D. Annæ ex causa legati quondam Ioannis Nauclerij, qui obijt anno 1580. propterea nihil penitùs probant in specie, dum non tangunt gradum aliquem, nec in genere, dum non reddunt causam scientiæ,quam etiam non interrogati debent aperire, *l.solam,* & ibi *Bart.*& cæteri *C.de testib.Regens Tap.in suo iure Regni Prag. 2.de cens.sub eodem tit.*vbi de cò4 muni testatur. Testes autem non deponētes de gradu,nihil probare,etiam si deponerent de proximitate simpliciter docet *Dec.cons.320. n. 5.* quia quando dispositio est limitata ad certum gradum,debet probari personas, de quibus agitur esse intra illum gradum,& designari debere gradus, omnesque Doctores conuenire in hoc, quod in probando consanguinitatem, & proximitatem debent gradus probari, & distingui *ibid.n.4.ex Petro de Anch.in consil. 51.*& alijs & in fin.cōcludit saltē esse probādum, quē esse intra decimum gradum, & in propria materia præambuli, dixit *Sanfel.dec.25.n.4* necesse esse probare sigillatim singulos consanguinitatis gradus, & clara computatione distinguere ex *c. licet 47. §. testes autē de testib.* probando enim simpliciter consanguinitatem, incerta est probatio, quæ potest includi,& non includi intra gradum succeßionis, et ideò non prodest, quia probationes debent concludere per necesse, non per possibile, *l.neque natales C.de probat.l. nō hoc C.vnde legit.* et subdit *n.5.* duo esse de ne5 cessitate probanda in linea transuersali, nempè gradus, et quod non adsit proximior,quod quia difficile est, neminem supponere in hoc dixit *Car.res.181.n.4.*& nūquam solere M.C.V. interponere decretū præambuli ab intestato, nisi ad instantiam filiorum, & descendentium,& vix fratrū,

Cernēs propterea Camilla probationes prædictas sibi non proficere, confugit ad aliud leuius suffragium, inquiens annis elapsis, dum litigabat cum ea prædictus vir pro consecutione dotium D. Annæ, vt supra, nominasse in articulis super 14. fol. 755. proc. Montis enunciatiuè Angelum Patrem Camillę, Nepotem quondam Ioānis Testatoris, inferens ex hoc consanguinitatem cum D. Anna, quod vnde deducat ignoro: sed vlterius dicitur ex articulis non induci probationem, præcipuè quādo in eis non est dictum, ponit, sed probare intendit, vt in casu nostro *Rouit. sup. Prag.* 8. *n.* 13. de ordine Iudicior. super quo articulo vti incerto, nec testes deposuerunt fol. 757.

6 Præterea verba enunciatiua tritum est non probare *l. epistola* 53. *de pactis. l. ex his verbis, C. de test. mil.* etiam si sint prolata in iudicio *l. qui familiæ* 38. vbi *Bar. ff. familiæ ercisc.* & maximè si ab eo, qui non habet facultatem disponendi, prout enunciat vt in casu, quia vir prædictus non poterat facere Camillam consanguineam D. Annæ, si non erat, quo casu etiam confessio non præiudicat, vt ex multis probant *Grattan. discept.* 518. *n.* 22. qui idem à fortiori tenuit in enunciatiua simplici, & absque causæ cognitione, *Regent Merlin. controu. for. cap.* 8. *centur.* 2. *n.* 10. *&* 13. Item quod nihil penitus probant, quando principaliter disputatur de veritate enunciati, idē *Grattan. discep.* 584. *ex Seraph. dec.* 1278. *Put. decis.* 381. *& alijs*, & quod nulla sit de eis habenda ratio, quando continet illud idē, de quo contingit dubitari, idem *Merl.* vbi supra *n.* 14. *& c.* 70. *n.* 30.

Tandem contendit Camilla casu, quo non deberentur ei bona D. Annæ ab intestato, deberi ex fideicommisso, instituto à quōdam Thoma Nauclerio in anno 1556. fol. 49. proc. alterius compromissi, in quo vinculantur Palatia, & Viridarium in Burgo Plagæ, & ipsa petit annuos redditus D. Annæ; ergo non constat de corpore, nec probauit descendentiam à Testatore prædicto, & proinde succedit regula, quā ex notis principijs fundat *Peregr. de fidei-*
7 *com. ar.* 9. *n.* 1. fideicommissum alleganti, & se vocatum incumbere onus probandi. Itē apertis verbis excluduntur feminę, vt legitur dict. fol. 49. & propterea cum in alio compromisso inter eandem Camillā, & D. Annam idem perijsset fol. 125. proc. curr. fuit absoluta D. Anna, vt legitur in laudo, & instrumenro fol. 87. eodem, cum ergo iudicium prædictum fuerit inter easdem personas de eadem re, & pro eodem iure obstat exceptio rei iudicatæ, *l. Iulianus & l. cum quæritur cum* 2. *sequentibus de except. rei iud.*

8 Explosis igitur fundamētis ex aduerso, iudicandum est hæreditatem dictæ quondam D. Annæ spectauisse, & spectare ad eius virum, vel ex vulgatis tit. ff. & C. vnde vir, & vxor, vel ex dispositione prædicta, in qua vti condita tempore pestis, an satis fuerint duo testes; varij varia effude-
9 runt, alij namque septem, alij quinque, alij duo requiri decertarunt. Primi fuerūt graris decepti ex *tex. in l. casus* 8. *C. de testā.* asserentes esse ibi casum decisum, & propterea dubitatione carere, hi sunt *Berlich.* sibi contrarius, qui ceteros affert *pract. conclus. lib.* 3. *concl.* 5. *n.* 6. *de testam. temp. pest. facto*, plures cumulat *Harprett. ad Clar. §. testamentum q.* 56. *n.* 9. *Magdal. de num. test. in testā. requis. parte prima cap.* 11. *n.* 29. *& alij*, quos superfluum esset sigillatim recēsere, sed si videre non pigeret, paucos ex DD. per eos allatis eorum opinionem absolutè tenere cerneret *Alex.* excepto ex antiquis *in consil.* 177. *n.* 7. *lib.* 2. *& Dec. in consil* 283. qui cū contrarium dixerint in repetitione *l. Scriniarios* 16. *n.* 7. *ille, & nu.* 20. *iste C. de testam. milit.* certum est credēdum esse po-
10 tius repetenti, quam consulenti propter affectionem ad causam, quæ consideratur in aduocatis, *l. fin. ff. de testib.* propterea sublato hoc eorum fundamento *d. l. casus*, per subscriptas authoritates, corruent etiā omnes eorum rationes in præcitatis locis adductæ, & vana figmenta *c. cum Paulus* 1. *qu.* 1.

Ex textu enim prædicto, luce meredianа clariore patet non solùm non loqui de Epidimia, sed nec artecisse testatorem, qui morbo caduco, non pestilentia laborabat iuxta explicationem *Gl.* ibi *Bar. verbum nullum ibidem, sed in l.* 1. *de bonor. poss. ex testam. milit.* dicit, quod bonum esset prouidere, vt vltimæ voluntates, etiam non solemniter factæ tempore mortalitatis valerent, dum nec testes, nec Notarij tunc reperiuntur, & sic habet pro vero, nec ibi, nec alibi reperiri istum casum à iure decisum, *Bal. Paul. de Castro, Alex. Ias. & Salic.* declarant tex. prædictum per eadem verba, sicuti *Glos.* & sic qui vellet contra

tot

tot, & tantos Patres alitèr sentire, esset
manifestè discedere à via veritatis, eo ma-
11 gis cum asserant de Franchis decis. 588. nu.
8. & Gizzar. decis. 1. n. 18. Glosam solam, &
Bar. facere communem opinionem. idem
de Franchis dec. 578. n. 15. quod quando nō
reperitur textus sufficit glos. pro textu, in-
terpretationemque prædictam, quod de
morbo caduco loquatur, vti veram ger-
manam, ac genuinam sequuti fuere Vacon.
disp. Iur. p. 2. disp. 10. tom. 6. littera I. fol. mihi
560. Osuald. Hillig. in not. ad Donell. lib. 5. c.
9. lit. S. Ant. bull. in differt. ad d. l. casus concl.
2. lo. Vurmser. in controu. Iur. lib. 2. tit. 10. cō-
tr. 5. & voculam illam contagionis largius, &
abusiuè in dicto textu positam esse, nec
semper pestem significare ex Medicorum
testimonio, dixit idem Vurmser. vbi supra;
quod etiam apparet ex Cic. lib. de fato, & o-
ratione, pro Caio Val. idem clariùs patet ex
serm. S. Ambr. lib. 1. de Virg. ante medium, ibi,
cuius caro non vidit corruptionem; Diuinitas
non est experta contagionem, & ex eodem
Ambr. lib. 2. eodem tit. sub initio, ibi, quid ca-
stius ea, quæ corpus sine corporis contagione ge-
nerauit? sic etiam canit Sancta Mater Eccle-
sia in Hymno de communi vnius Martyris,
ibi arcens mali contagium, imò ipsum nomē
pestis, vti generale, accipitur aliquando
pro simonia, vt in c. sicut 6. eod. tit. Quibus
12 præcitatis antiquioribus se subscripsere
Moderni sanioris ingenij, vt Iul. Clar. d. qu.
56. post n. 3. Affl. dec. 25. n. 3. vbi profiten-
tur hanc esse arduam quæstionem, & cæ-
sarea decisione indigere, ergo non reperi-
tur decisa per l. casus, frustra enim tot, &
tanti Patres antiqui, & moderni laborassēt
innumeras membranas implendo in dis-
putatione quæstionis, si à lege decisa repe-
riretur, vt illi falsò putarunt, & ex his
remanet vndequaque destituta omni au-
thoritate prima opinio.
13 Pro secunda affertur Bal. in l. fin. n. 1. C. de
testam. cuius fuisse originale dictum asserit
Clar. vbi sup. n. 3. cum quo ipse pertransit,
& citat Dec. d. cons. 283. n. 5. in fine, idem te-
nuit; Ias. in d. l. fin. n. 5. eosdem cum paucis
alijs refert, sed non sequitur Boer. dec. 228.
n. 7. Berlich. loc. cit. n. 1. Thesaur. dec. 180. n. 1.
cum alijs adductis à Marchino de bello diui-
no p. 8. c. 1. n. 14. Principale fundamentum
istorum, & aliorum, si qui sunt hanc susti-
nentium opinionem, fuit doctrina Bal. loc.
cit. qui posita regula valere testamentum
rustici coram quinque testibus, subdit (ar-
gumentum est, testamentum factum in carce-
re Tiranni coram quinque testibus valere, idē
propter mortalitatem, vel alium repentinum
casum) & statim se remittit ad Bar. in l. 1.
de bonor. possess. ex testam. milit. non ergo ex
verbis prædictis, sic perfunctoriè in argu-
mentum generaliter, & remissiuè prolatis
potest allegari pro cōtraria opinione, quia,
vt dixit Rouit. decis. 20. post n. 11. & dec. 46.
post n. 11. Doctor qui perfūctoriè loquitur,
14 & articulum non disputat, nec DD. affert
pro sua opinione non facit n.merum in
communi opinione, & de Franch. dec. 30. n.
2. subdit non numerum DD. esse compu-
tandum, sed rationes, quibus se fundant,
ergo dum isti cum cæteris partim absque
disputatione, partim authoritates inappli-
cabiles afferunt, dum eas extrahunt, ex
doctrina Bal. qui vt probatum est nō me-
retur allegari, propterea sublato eorum
fundamento, corruit pariter ædificiū d. c. cū
Paulus cum similib. 2. q. 1.
15 Remanet ergo discutiēda tertia opinio,
an duo soli testes sufficiant, pro qua tali ar-
gumento vtuntur Boer. dec. 228. n. 8. Boss. in
tr. de testam. temp. pestis tit. 9. §. 2. nu. 34. vbi
respondet contrarijs. tempus guerræ, &
pestis æquiparantur Bar. in l. naturaliter n.
23. & 24. de Vsucap. & in l. 1. de bonor. poss.
ex testam. milit. Bal. in l. cum notissimi §. imò
post n. 6. C. de præscript. 30. vbi plus dixerūt,
nempè maiorem esse hostilitatē Dei, quā
hominum. Abb. in c. cum dilecti num. 16.
de dolo, & contum. & in c. ex transmissa n. 7. de
præscript. vbi Fel. n. 3. Imola, & cæteri Canon.
in c. nō licet eod. tit. ita vt quilibet, sicut in
conflictu belli, est in expeditione ab hac
vita, ita grassāte peste Gay'. lib 2. obf'r. obser.
118. n. 8. & alij per Berlich. d. concl. 5. n. 2. Sed
in conflictu belli valet testamentū coram
duobus testibus l. lucius, & l. fin. de testā. mil.
l. milites cū simil. C. eodē, ergo pari modo gras
sāte peste, quia quod disponitur in vno de
æquiparatis, disponitur in alio l. 3. § proin-
de ff. de in rem verso, & pro regula tradit
Glos. instit. de leg. patr. tut. in princ. imò ēt in
pænalibus hoc procedere voluit Alex. ad
Bar. in l. si quis seruo, C. de furtis. Ex quo ar-
gumento indubitata deducitur consequē-
tia omnes istos DD. primæ classis, si non
explicitè, saltèm implicitè tenuisse in te-
stamēto tempore pestis condito duos te-
stes sufficere, dum alitèr in suis amplissi-
mis commentarijs non docuerunt, vt sup.
fundatum est.

Ean-

16 Eandem prædictorum Doctorum sententiam fœdere distinctionis libenter amplexi sunt, *Boer.d.dec.* 228.*nu.* 11. & DD. per eum citati, fuitque originalis *Abb.in d.c.cum dilecti*, nempè quod aut pestis est modica, & requiruntur quinque testes, quia leuis febricula non facit seruum morbosum, *l.* 1.*§.proinde leuis de ædil.edicto*, aut est magna, & sufficiunt duo, vel tres, idem *Abb.in c.cum esses n. 9. de testam.* sed quod duo tantum sufficiant, volunt expresse *Alex.*& ibi addentes *in d.l.Scriniarios* 16. *C. de testam.milit.n.7.Dec.ibidem n.*20. addentes *ad Bar. in l* 1. *de bonor.possess.ex testam. milit.Florian.deS.Petro in l.milites de testam. milit. Christophor.porc.in §.* 1. *instit.de milit. testam. Barba.in d.c.cum esses col.* 8. *Philipp. Port. lib.3 qu.conclus.9.Marchin.de Bello diuino p.8.cap.1.n.16.Corn.conf.160.n.3.vol.3. Sebast.Medic. de casibus fortuitis quæst. 6. n.* 44. *Euerard.in sua topica loco à tempore ad tempus* 90. *n.*22. *Ioan.Molan.de pijs testam. cap.*83. *Iacobus Vurmser.in controu.Iur. lib. 2.tit.10.controu. 5. n.4.& 5. Comitol. in respons. moral.lib.7.qu.1.concl.2. Iacobus Ayret. in suo proc.part.1.cap.2.obseru.1.num.18. Io. Dauth. tract.de testam.n.424. Virgil.pingiz. qu..0.nu.6.10. & 36.P. Layman.lib.3.tract. 4.cap.2. n.17. P.Dia.par.7.tract.6.resol.34. circa finem*, & alij relati *à Boss. loco cit.* vbi vsque ad *num.* 41. pluribus rationibus hanc Doctorum sententiam comprobat, & contrarijs respondet ampliando procedere etiam absque Notario sub n.44. vel cũ Notario, & vno teste n.45. etiamsi prædicti duo testes non fuerint rogati, sed fortuiti ibidem post n.48. *Porc.in §.planè instit.de milit.testam.Virgil.Pingiz.q.29.n.20. Thom. Maul.tr.de vlt.volũt.lib.1.tit.13.n.3. Vurmser. vbi supra n.* 4. penè infinitos adducit *Nicol. Reusner. de iur testam.c.7.n.16.Bocer. in tr. de bello, & duello lib.1.c.28. n* 14. *Dia. cit. & res.37.*

17 Quæ opinio rerum iudicatarum authoritate corroboratur, sic enim fuisse semper decisum *in Camera Imper.* testatur *Gaill. pract.obseru. lib.2.obseru. obseru.* 118. *num.*18.*et* 19. *Gamba decis.* 81. *Mysing.singul. obseru.obseru.96.centur.* 1. non obstantibus oppositis à venientibus ab intestato, qui illud infirmare conabantur *Boer. decis.* 228.*post n.7. & ante n.* 12. *Ioannes Koppen. decis.45.Reusner. dec.8. n.32.p.*1. sic quoq; iudicatum fuisse in Belgia testatur *Christ. pract.q.lib.4.decis.5.& ad ll. Mechinens.tit.de testam.in rubr.n.5.*& Iure quoque Vittembergico comprobatur *p.3.tit.4. fol.*340. sic seruatum in Frisia scripsit *Ioannes à Sandè decis.Fris. lib.4.diff.4.* sic in Germania *Gaspar. Guglıel.decis.* 194. *lib.* 1. sic etiam *Tolosæ* refert *Ferreti.ad Gaill. dicta obser.*118. *Ricc.* qui alias decisiones refert *collect.* 1921. vbi rationem tradit, quia sicut valet
18 testamẽtum in Eremo coram duobus testibus propter absentiam populi, ita ob eandem rationem, tempore pestis. *Fagũdez de iust. & iure lib.3. cap.* 18. *Gamma d. dec.81. n.5.* ibi, *& quæ maior Eremus, quam Ciuitas peste correpta, dum eo tempore omnes fugiunt, & viduatam Vrbem deserunt?* aliam rationem assignat *Boss.* vbi supra *n.* 35. st. quia sicut testamentum peregrini in peregrinatione valet coram duobus testibus propter inopiam hominum, vt quamplures DD. ibi per eum adducti fatentur, ita ob eandem causam tempore pestis.

19 Fauent huic sententiç regulæ generales quod in dubio tenendum est pro testamẽto, *l.si pars in princ.de inoffic. testam.* quia causa conseruationis testamenti concernit publicam vtilitatem, *l. vel negare ff. quemad.testam.aper.glos.in l.gallus §. quid si is v. vtilitatem de lib.& Posth.* Item stante statuto, quod nullus contractus minorum valeat, nisi cum duobus Notarijs, si tempore pestis nequeat haberi, nisi vnus valet cõtractus cum vno, *Ias.in l.fin.n.8.C.de testam.* alias regulas similes tradũt *Abb.in c.propter sterilitatem de locato, & conducto, Bar. in l.de ætate ff. ad Trebell. & Bal.* omissis alijs *in c.ex parte 47. n.3.de appell.*

Tria fortasse obijci possent ex aduerso, Primò, quod non constat D.Annam obijsse ex peste. Secundò quod in præfata dispositione vnus testis est masculus, alter femina. Tertiò, quia vnus ex eis nomine Franciscus Cangianus post binam suam depositionem, cum deberet repeti parte citata, volens sub die 17. Septembris anni præteriti capere Auem in lacu agnani, ibi enecatus obijt, vt ex depositionibus testiũ fol.55.56. proc. cur. sed non obstant. Primum, quia licet testes dicant nescire, an ex peste, aut ex eius morbo antiquo cancri obierit, non poterant tamen aliter deponere, cum non essent experti, & viderãt eam antea à prædicto morbo vexatam, sed quis de hoc dubitare poterit, dum ijdem testes deponunt fol. 54. à ter. & 55. à ter. eod. paulò ante quatuor filios sibi in eadẽ po-

domo pestiferatos obijsse, famulos,& famulas, ac eundem Virum peste percussum fol.31.à ter. 35. 36. à ter. & 54. à ter.eod. qui solus post longam infirmitatem euasit, idque potuerunt rectè scire, quia mox sanos, & paulò post mortuos viderunt tẽpore, quo in prædicto suburbio Plagæ efferuescebat morbus. Adsunt præterea duo testes deponentes fol.32. 33.54.55. Præsbyterum efferentem Sãctissimum per vias noluisse ascendere domum ad ministrandam Eucharistiã propter pestis timorem. ad idem fides Religiosorum S. Francisci fol.28. Et tandem ad exuberantiam dicitur, quod qui in loco pestifero existit, non minus in extremis constitutus censetur, quam qui peste laborat, & propterea eisdem potitur priuilegijs in confectione testamenti *Cor.cons.160. n.3.vol.3. Card.Tusch.tom.6.pract.lit.P.concl. 326.*& alij, quos refert, & sequitur *Berlich. loc.cit.post n.5.& n.22.* cæteros refert *Boss.* vbi supra *n.61.*cũ quibus ipse residet.

20 Ad secundũ dicitur valere testamẽtum tempore pestis cum feminis, *Ias.in l.fin n. 4.C.de testam. Ant.Faber.lib.6.tit.5. definit. 6. Conarr.in c.relatum n.3.eod.tit. Crot.in tr. de test.b.p.1. n.21.Peregr. dec.80.n.3.*imò,& quod magis est dixit *Glosa in §.fin.instit.de testam.* testamentum nuncupatiuum etiam

21 præcisa peste valere cum testimonio feminarum, alia *Glos.in l.final. in fine.C.de Codicill. Boss.loc.cit.§.5.* vbi DD. vsque ad nauseam affert, docentes cum duabus feminis valere testamentum in casu prædicto, idem alij apud *Dia. loc.cit. resol. 35.* quia dicit ipse tẽpore pestis seruatur solũ ius gentium *Io.Molan.* vbi supra *Marchin. loc.cit.p.8.c. 2. num.4. Monca.in addition.ad Crot.*vbi supra *lit. C.Sebast. Medic.l.c. p. 8. c.2.n.4.* innumeros adducit idem *Nicolaus Reusner. de iure testamenti c.7. n. 18.*

22 Ad tertium licet pro regula tradatur testes parte non citata non probare, multas tamen habet limitationes, vt per *Farin. in Praxi de opposit. contra exam. test. q. 73.n.36.37.& 38.* sed in casu nostro duæ afferuntur, quarum vnaquæque sufficit ad validandam dictam depositionem, prima, quando est timor mortis, vel absentiæ, vel periculum amissionis facultatis probandi, tunc posse testes recipi lite nõ contestata, & parte non citata ex *Farin.*vbi sup.docet *Boss. tit.9.§.2.sub n.51. loc.cit.* dicens, quod tempore pestis potest semper esse periculum, ne testes discedant, vel eodem morbo intereant, & sic probatio periret, quadecausa permittitur, quod alias non permitteretur. Idem dicit *tit.* 10. vbi supra *de testamen.inter liberos §.5.n.258.ex Farin. cit. q.72. n.38. & q.76.n.147.& 164.* talis fuit casus noster, quia prædictus testis, & suus contestis sub die 6. Augusti 1656. quando adhuc vigebat pestis, deposuerũt per publicum instrumentum fol. 29. & à ter. & postea iterum de ordine Regent. Muscettulæ Delegati fol. 27.à ter. & 36. quo tempore non debebat citari Camilla, dũ nesciebatur esse in gradu, vt exitus demonstrauit, quia in termino hoc non probauit, vt supra fuit demonstratum, quod ex eodem *Farinac.loc.cit.præcipuè d. n.164.* probat *Boss. d. nu. 258. in fine.* Et insuper ijdem testes loquendo cum Ippolita Ambrosina per fenestram, dum habitabat in frontispitio domus D. Annæ, tempore quo ipsa,& eius vir, ijdemque testes reperiebãtur in articulo mortis, vti à peste percussi, vt supra, quando nec vmbra doli poterat suspicari, aperuerunt ei dispositionẽ D. Annę paulò ante factam, prout depo-

23 suit dicta Ippolita fol. 155.à ter.cui cum examinata sit ad instantiam partis fol. 61. eodem, plena fides est adhibenda *c.si testes in fin.4.q.3.l.si quis C.de testib.Scacc.dec.163 Caran.in ritu M.C.V.73.n.5.* idemque dixit postea ipsemet *Francis.D.Carolo Tortorella,& alijs fol.58.à tergo.*

24 Secunda limitatio est, quod quando stetit per partem ne testes examinarentur, habentur pro examinatis, prout in detectius in odium impedientis, vt *ex Cardin. in Clem.2.oppos.8.n.2.vt lite pẽd.Bal.Ias.Fel.* & alijs retulit bis decisum per Rotam Romanam *Gratian.discept.for.370. n.* 18. sed in casu nostro vltra quod bis fuit examinatus dictus Franciscus, constat de impedimento ex depositione dicti D. Caroli fol. 58, à ter. & ex eisdem actis dum per longum tempus fuit tractatum compromissum, & cum vellet pars vt etiam debitum ducatorũ 750. circiter virtute publici instrumenti compromitteretur, vir adiuit M. C. V. in qua dum ad vlteriora procederetur, pars institit iterum pro cõpromisso fol. 48. à terg.& 49. & cum cõdescendisset vir ad compromittendum etiam prædictum debitum, licèt cõtra omne ius, sed vt à tali vexatione liberaretur, & fuisset de consensu data potestas magni-

gnificis Arbitris de iure, & de facto etiam in ſententiando, prout communiter fit, poſt ſtipulationem ſe pœnituit, & nolebat procedi, niſi ea tolleretur, retinuit penes ſe requiſitoriam à die primo Septembris vſque ad 18. eiudem fol.14. inſtetit recipi teſtes coram Arbitris fol. 10. qui ex multitudine negotiorum fuerunt impediti per aliquod tempus accedere ad domos teſtiũ, & iſto medio tẽpore obijt prædictus Frãciſcus. Nulla verò ex his, vel alia cauſa interuenientibus ſemiplenè probare refert deciſum *Surd.dec.* 203.*n.*2.

25 Accedat quod dixit *Boſſ. loc.prius cit. d. n.*51. *ex Corn. conſ.*119. *n.*21.*per tex. in l. publicati C.de teſtam.& conſ.* 168. *n.*11. in vltimis volũtatibus permitti examẽ teſtiũ ad futuram rei memoriam. Nec eſt prætereundum leges loquentes dẽ citatione partis ante receptionem teſtium loqui generaliter, ſed quando fuerunt examinati ob iuſtam cauſam, vt ſupra, & ante repetitionem citata parte, mors interuenit, plenã fidem facere, etiam in criminalibus, vbi clariores probationes requiruntur, docet *Baiard.ad Clar.pract.crim.§.fin. q.*45.*n.*22. & ſubdit *n.*29. alios caſus ſimiles, quos tradunt etiam *Felin.& Aret.in c.*2.*de teſtib. Roſell.ad eundem Clar.*ibidem *poſt n.* 45. *ex Natta conſ.*394.*n.*21.*de Bottis adBar in addit.ad l. is*, apud quem *C.de eden.Foller.*qui ſolùm in ciuilibus voluit fidẽ facere *pract. crim.v.& demum repet.teſtes n.*6.*ex Caſtr. in l.fin.C. de teſtib. Io.mille in ſua praxi fol.* 84. *n.*17. Item fuit data poteſtas Arbitris procedendi de iure, & de facto etiam in ſententiando citatis, vel non citatis partibus fol.7.à t. cuius poteſtatis vigore ſic etiam fuit ſeruatum in alio compromiſso inter eaſdẽ partes anno 1653. vt ex fol.45. proceſsu compromiſſi.

26 Nec eſt omittendum valere hanc diſpoſitionem etiam iure Codicillorum, legati, fideicõmiſſi, vel donationis cauſa mortis ex vi clauſulæ codicill. inſpectis verbis teſtatricis, quæ cernens ſe tot compedibus obſtrictam prędicto ſuo viro, quot erãt innumera beneficia ab eo recepta, maximè in tàm longa, & acri infirmitate, ac etiam tẽpore peſtis repetijt tot, & tot vicibus, quod omnia eius bona, relinquebat prædicto ſuo viro, & quod volebat omnia ad eum peruenire fol.29. à t. 35. à t. in fine & 54. à ter. proc. cur. quid ergo ſonant verba prædicta, niſi clauſulam codicill. vel ſaltem ſunt verba æquipollentia, per quæ ſubintelligitur, etiam ſi non ſit expreſsè apposita *Bal. in l. ſi iure* 11. *de teſtam. manumiſſ. Bar. & Imol. in l. codicillis §. fin. de legat.* 2. & generaliter vbi perſona inſtituta erat nimis dilecta teſtatori, quod ſubintelligatur clauſula prędicta, voluit idem *Bal loc.cit. poſt n.* 1. *per l. in teſtamento ff. de fideicomm.libert. gloſ. in d.l. ſi Iure* § *. propones Bartol.* & alij relati à *Peregr. de fideicomm. art.*2.*n.*32. *Cephal. conſ.* 294. *nu.*16. *lib.*2. *Vaſq. in tract. de ſucceſſ. progr. §.* 30. *ſub n.* 40. *verſ. tertio caſu Maluaſ.conſ.* 103 *num.* 27.*lib.*1. *Viuius comm. opin.* 805.*num.* 19.*lib.*2.

27 Sed quod & indiſtinctè ſubintelligatur apposita docet *Gotofr. in l.caſus lit.N.C.de teſtam.* addentes *ad Bar.in l.*1. *de Iure codicill. in princip.* pluresque hanc tenere opinionem dixit *Peregr. loco cit. n.* 31. rationem tradunt *gloſ. fin. & Bald.cum Addent. in l. generaliter n.* 1. *C. de fideicomm.* quia clauſulæ ſolitæ apponi de generali conſuetudine habentur pro appoſitis, etiam ſi penitus omittantur, & faciunt dicta in *priori reſol. n.* 23. *&* 35. Hinc dixit *Regens Merlin. cen.*2.*cap.*81.*nu.*11. quod per vnicã
28 geminationẽ inſtitutionis cenſentur grauati venientes ab inteſtato quantum fieri poteſt ad fauorem hæredis ſcripti. Item quod geminatio denotat omnimodam deliberationẽ ita faciendi, & volẽdi *Pariſ. ad Bar.in l.*3.*ff. quod quiſque Iuris*. idem *Bar.in l. baliſta ad Trebell.* & ſi hoc operatur vnica geminatio, quid erit de tot geminationibus ad fauorem instituti, vt
29 ſupra? In omni autem vltima voluntate excepto teſtamento quinque teſtes, vel rogatos, vel fortuitos extra caſum peſtis ſufficere legitur *in l.fin.§. fin. C. de codicill.* etiam feminas *gloſ.fin.*ibidem *& §. fin. inſtit.de teſtam.Bal.in l.qui teſtamento §.mulier in fine de teſtam.Iaſon. in d.l.fin.nu.*17. peſte verò graſsante, duas tantum ſatis eſse docent *Marchin. de peſte p.* 8. *cap.* 1. *num.* 25. *Diana loc. cit. reſolut.* 40. *Boſſ.de teſtam tẽp. peſt. tit.* 9. *§.*3. *ſub n.* 56. poſt quamplures ab eis adductos. Quod etiam contrariam opinionem in ſupradicta principali quæſtione tenentes affirmarunt, vt apud *Berlich.loc.cit.n.*13. *Ripa in ſuo tract. de peſte de priuil.vlt. volunt.qu.vlt.per l. Marcellus de donation. cauſa mortis*, quam ipſum ſolum conſideraſſe dicit.

30 Quod ſi in vltimis voluntatibus primũ lo-

locum obtinet voluntas testatoris *l. in cõditionibus de condit. & demõstr.* etiam coniecturalis, quia coniecturæ dicuntur liquidissimæ probationes *de Frãch. dec. 153. n. 4. & 7.* vbi ait secundum eas iudicari debere *l. licet Imperator de legat.* 1. quia quod ex coniecturis elicitur, dicitur expressum, idem *decis. 612. n. 3.* quæ voluntas, & coniecturæ vrgentiores possunt considerari, quam in hoc casu, vbi vltra verba prædictæ testatricis concurrũt tàm insignia beneficia per eam à viro recepta, & inimicitia venientis ab intestato cum eadem testatrice, quæ nesciens vim clausulę codicillaris, quàm etiam Notarios ignorare dicit Regẽs *Merlin. cent. 2. cap. 78. n. 15.* pronunciauit verba æquipollentia, & vtique si sciuisset, dubio procul eam explicitè addidisset; vt colligitur ex verbis prædictis.

31 Ex quibus prohibita censetur etiam Trebellianica, quæ ex cõiecturis prohibita subintelligitur *Bal. in l. precibus n. 44. C. de impub. Gratian. discept. for. 888.* & magis in hæredibus extraneis, *Mãt. cõs. 193. n. 12. lib. 1. Gabr. cõs. 186. n. 19. lib. 2. Menoch. cons. 643. n. 13. lib. 7.* & quod in dubio sit iudicandum pro nõ detractione *Trebell.* tenuit idem *Grat.* vt eius verbis vtar, *discep. 245. n. 8. 9. & 31. Mãtic. de coniect. lib. 7. tit. 12. n. 12. Peregr. de fideicomm. art. 3. n. 86. in fine.* imò ad euitandum circuitum inutilem, neque restitutio est necessaria *Grat. loco cit. n. 16.* formam verò decreti lati per S. C. vt circuitus vitetur, scribit per extensum *Regẽs Merl. cent. 2. cap. 80. n. 13.*

32 Addo tandem *Abb. in c. cum esses n. 10. de testam.* vbi *ex Innoc. in c. Inquisitionis de sẽt. excomm.* docet, quod cessante fraude testamenti, conditi cum duobus testibus, etiam ad causas profanas, & extra casum pestis, venientes ab intestato, si obtinebunt hæreditatem, tenebunt eam cum peccato, & tuti non erunt in foro animæ, nec ciuili, & quod Iudices seculares debent, & possunt tuta conscientia cogere eos ad obseruantiam testamenti, sed qualis casus potest esse magis alienus ab omni fraudis suspitione, quàm iste ex relatis coniecturis? Quam Abbatis doctrinam in foro conscientiæ communiter receperunt etiam Ciuilistæ, vt tradit *Capic. dec. 89. n. 3.* in foro autem exteriori cum duabus declarationibus recepit etiam S. C. nempe vt adsit clausula codicillaris, de qua supra satis dictum, & quod hæres possideat hæreditatem, quo casu datur retentio propter naturalem obligationem, quæ oritur ex testamento inualido, sed sustento ex vi clausulę prædictæ, vt constat ex *cit. decis. n. 4.* & plures adducunt *Altegrad. cons. 71. n. 5. Marta voto 98. n. 5.*

33 In casu nostro duobus titulis possidet, vir hereditatem, vno vti olim vir D. Annæ, quia à viro possidẽte est reperẽda dos soluto matrimonio, *vt in rubr. ff. solut. matrim. quemadmodũ dos petat l. 2. §. 1. & tota ferè tit. prædicto*; estq; condemnandus ad restituendam dotem in casu succumbẽtiæ, vt dictat etiam consuetudo, vbi dos sub *tit. de iure dot.* Altero vti hęres eiusdem D. Annæ, quia secuta eius morte, vigore præfatæ dispositionis, & ad maiorem cautelam cæpit de nouo possessionẽ cuiusdam Palatij in suburbio Plagę in quo fuerunt impressa, sicuti in præsentiarũ adsunt eius insignia illudque locauit, & pensiones exegit, &

34 exigit pacificè, & quietè; posse autem absque decreto Iudicis hęreditatem adiri, *Grat. discept. 642. n. 1. & fin.* quia adire Iudicem, eique ostendere testamentum non cassum, neque abolitum ex *l. fin. C. de edicto D. Adrian.* fit solum ad bene esse, non ex necessitate, & addit *Capic. Latro dec. 108 n. 21.* taliter possidenti, dari manutentionem. Quod verò attinet ad alios effectus hęreditatis, vltra retentionem supra consideratam, notum est hęreditatem solo animo adiri *l. gerit de acquirenda hæred.* & quoad possessionem capiendam, nõ est necesse, vt super quolibet corpore capiatur, sed sufficit super vno, vt acquiratur tota, *l. 1. & 2. vbi. Bar. n. 1. eod. tit. cit.* imò quod acquisita aliqua eius parte, alia pars etiam inuito accrescat *l. si quis 35. eod. tit. Capic. Latro dec. 135. num. 22.* & sic in praxi seruatur.

Magnifici Arbitri fecerunt paritatem votorum, electo postea Tertio ad voluntatem partis (cui electioni acquieuit vir laxus litigandi) iudicauit ad fauorem partis, habitis tamen pro veris omnibus pręditis, vt dixit, excepto quod illi duo testes examinari sup. dispositione D. Annæ aliquos defectus paterentur, & ita fuit exequutum.

F I N I S.

Laus Deo, & Sanctiss. Virgini Matri.

†

Errata ſic corrige.

FOl. 9. ſub n.2. poſt v.operatur adde ad gloriam obtinendam,ita etiam in occiſis propter Chriſtum, meritum Martyrij Chriſti.
Fol. 19. in ſumm. n.12. intra quem, lege intra quod.
Fol. 20. ſub n. 8. tolle ſed, & dic infuſio quando.
Fol. 44. n. 12. contingerit lege contigerit.
Fol. 55. n. 17. in ſumm. emendaturos,lege emendandos.
Fol. 59. n. 12. circa finem ſanti, lege Sanch.
Fol. 63. n. 26. ſolemnem, lege ſolemne.
Fol. 94. ſub n.13. notificationem, lege accuſationem.
Fol. 105. ſub n. 42. viri, lege viui.
Fol. 122. ſub n.3. n.14. lege in 4.
Fol. 126. ſub n. 6. quamuis, lege quatenus.
Fol. 127. n. 11. explicitam adde,vel implicitam.
Fol. 266. ſub n. 13. periculum, lege periurium.
Fol. 267. n. 15. in fine, qui, lege quin
Fol. 299. n. 9. aliter, lege alter.
Fol. 403. q. 1. lege 1. q.1.
Fol. 406. n. 2. Paſchatis, lege Pentecoſt. ibid. n. 5. hęc,lege prior.
Fol. 420. n. 12. impendi, lege implendi.
Fol. 459. n. 23. pęn. lege poſt.
Fol. 475. ſub n. 22. priuil. cap.3. tit. 12. lege pręleg. c. 3. ibidem deciſio, adde 12.
Fol. 584. n. 16. par. 9. tract. 9. lege par. 1. tract. 4. reſ.21. par. 4. tract. 5. reſ.5. & par. 5. tract. 5.
Fol. 585. n. 27. ſibique, lege ibique.
Fol. 586. n. 29. reſ. 23. lege 24.
Fol. 599. ſub n. 6. excommunicati irregulares,dele irregulares.
Fol. 631. n. 20. hypotheca, lege hypothecata.
Fol. 671. n. 23. ſolis, lege ſolitis.

INDEX

A

ua-

C

pro

hi

Con-

Duo-

etiam

tiquus

dica-

G

&

I

lis

uen-

mcnta

cu-

L

di-

Ordi-

Oscu-

ecle-

con-

Trans-

x & num

secun-

etsi

INDEX.

FINIS.